S. A. 208. fol.

La Fare

T. II

1934
1934
XXVII - 2.
2.921

FRATRIS

RAPHAELIS DE LA TORRE,

IN SACRA THEOLOGIA MAGISTRI
ORDINIS PRÆDICATORVM,

DE VITIIS OPPOSITIS RELIGIONI.

A quæstione XCII. *secundæ secundæ Diui Thomæ,*
vsque ad quæstionem centesimam.

TOMVS SECVNDVS.

AD NOBILISSIMVM, ET REVERENDISS. VM
D.D.F. Petrum Ponce de Leon Episcopum Çamorensem.



VNIVERSIDAD INTELECTUAL · VALENCIA · BIBLIOTECA PROTECTORA REGISTRO DE LA PROPIEDAD


CVM PRIVILEGIO REGIS AD DECENNIVM.

SALMANTICÆ.

Apud FRANCISCVM DE CEA TESA. M.DC.XII.



D. F. PETRI PONTII DE LEON EPISCOPI CAMORENSIS STEMMATA.



MO

PERILLVSTRI, AC REVERENDISS.

DOMINO, D. F. PETRO PONTIO DE LEON, EPISCOPO Camorensi, Regis Philippi III. Magni Monarchæ à Consilijs, Fr. Raphael de la Torre in Theologia Magister, & Prior insignis Cœnobij sancti Stephani Salmanticensis Ordinis Prædicatorum salutem dicit.

PHilo Hebræorum eloqucntissimus (Præsul admodum illustris, ac Pastor Reuerendissime) virtutem Religionis ceu pulcherrimam virginem introducit, ducem ac signiferam ingentis cunei formosarum virgunctarum, contra feroces inimicos pugnantium; hac effigiata metaphora docere gestiens, eam præclaram virtutẽ non solùm alijs virtutibus imperare, & immaculatos fœtus, ac formosos filios, id est præclaros actus parturire; verùm & illos inimicis aduersus se sæuientibus, cohortem fortem pugnaturam opponere. Quod Gentiles falsorum Deorum cultores, non mediocri pompa suis imaginibus expressere; dum simulachrum Mineruæ, quæ sapientiæ religiosæ Dea erat, interdum pretiosis vestibus ornatum, monilibus aureis decoratum effingebant; & eidẽ Deæ figuram fortissimæ bellatricis attribuunt auratam galeam capiti, gallo superposito (ad notandam audaciam) accõmodantes. Vtrunque enim munus, & fœminæ pulchræ, & ducis Philo. Cartharius de imagin. Deorum in Minerua.

fortißimi aduerſus vitia ſibi inimica exercebat. Quid prophana verſamus? cùm in ſacris Literis hoc ſatis concinnè inſinuetur; dum Sapiens ſponſam (quæ citra dubium virtutis Religionis formam refert) non ſolùm ſpecioſam, ſuauem, gratioſam, & pretioſis veſtibus indutam cantat, verùm & armis ſuperindutam, aduerſus palantes inimicos terribilem ſe

Cantic. 6. *oſtendentem.* Terribilis, *inquit*, vt caſtrorum acies ordinata.

In primo tomo meorum laborum, (Præſul ampliſſime, admodumq; illuſtris) virtutem Religionis formoſam, multis ornatam formoſis filijs, id eſt actibus à ſe productis, multisq; pretioſis ornamentis decoratam pro virili depinxi. In ſecundo tomo, quem modò aggredior contra Religionis virtutis inimicos, ideſt vitia, (ſunt autem ferè innumera, vt in progreſſu operis videre licebit) eiuſdem virtutis vim, & bellatricem facultatem oſtendã: inſuper aperto Marte contra eos, qui huiuſcemodi vitia moribus irreligioſis, & opinionibus proſequuntur, pugnaturus; præter auxilium diuinum imploratum, aliquo excellenti Patrono (Patrinum vocant) magnopere indigeo: quem cum coniectis circumquaque mentis oculis exquiſierim, te (Præſul ampliſſime) propter egregias dotes, vt inclytum Patronum, cui meum certamen committerem, ſub cuius præſidio audax irrumperem, re benè perluſtrata, quaſi Deum tutelarem eligere decreui.

Suppetias laturum pugnanti contra Religionis inimica vitia, & eorum ſectatores, fortitudine pollere, & Religione abundare debere, certo certius eſt. Imbecillis enim quomodo inimicos deijciet? Irreligioſus quomodo Religionem oppugnatam tuebitur? Hõc fortitudinis robore, quod ferè ſemper in nobilibus reſidet, inſuper Religionis ornamentis te decoratum, nullus eſt qui ambigat; & ſequentibus demonſtrare æquum eſt. Sed, ô bone Deus, quàm ſuſpenſus mente, quantum animus meus præpeditur, & ipſo meo conamine penè obrutus eſt! Si tuas animi dotes, ſi à tuis maioribus fortitudinem & nobilitatem hæreditatam tacuero, non mediocrem noxam incurram. Si aliquid dicere conor, inopem me dicendorum copia facit, vix egreſſurus ſine Theſei filo: mare vaſtum ſulco, non euaſurus ſine ope alicuius Delij natatoris. Sed aliquid audendum eſt; & ad vos huius epiſtolæ aſpectatores mea ſe conuertit oratio, nám Præſulis noſtri aures offendere timeo, qui his auditis, ceu virgo quæpiam intacta, rubore ſuffunditur. Noſter igitur A. tiſtes à familia nobiliſſima Pontiorum originem ducit: quorum nobilitatem clariſſimam, & peruetuſtam agnoſcimus. Initium verò, quantuncunque retroacta tempora memoria percurramus, neutiquam aſſignare valebis: ſignum certe euidens nobilitatis inſignis. Quod vt demonſtrem, poſſem, ſed nolo vti argumento à nũcupatione deſumpto. a *Pontia enim familia etiam initio Romæ conditæ nobiliſſima extitit.* b *Tunc nobilis ciuis Lucius AEmilius Pontianus: tunc Pontius Caninius illuſtris valde, propter libertatem vrbis ab obſidione Gallorum:* c *tunc Pontius Samnites. Miſſa hæc facio, quæ à nuncupatione ſumpta ſunt: ad firmiora ab ipſa vera origine noſtrorum Pontiorum deprompta propero:* d *quorum frequens fit mẽtio in vetuſtis Hiſpanorum hiſtorijs, ſub appellatione ditiſſimorum hominũ. Sic enim vocabant priſci Hiſpani nobiliſſimos quoſque, & Proceres,* Ricos hombres, *cùm, ob vitæ magnificentiam; tùm, quia de eis ſolis ſperabatur, publicam ſalutẽ, & dignitatem tueri poſſe, quibus ampliſſimæ fortunæ fuiſſent.* e *Et in eiſdem hiſtorijs paſſim legimus, quoties de rebus ad Reipublicæ ſummam pertinentibus, Reges conſultare voluiſſent; diuites homines euocaſſe, vt eorum ope & conſilio, vel bellum, vel pacem facerent:*

a. Liui. li. 7. antiquitat. vrbis.
b. Valer. Max. lib. 5. cap. 13.
c. Liui. lib. 9. in princi.
d. Morales prima par. lib. 9. c. 38.
e. Oſorius de nobilitate lib. 1.

diuites

diuites homines, ideſt nobiliſſimos viros, qui nobilem ſtirpē in multa ſecula propagarunt. Sic egiſſe Reges cum noſtris Pontijs legimus. f Sed & regali ſanguine nobilitati ſunt: quo illuſtrius nihil in familijs inueniri poteſt. Etenim à ſanguine illuſtriſſima Gottorum, & Regum Aragoniæ, legitimè promanaſſe, non eſſet difficile demonſtrare: ſed vt prolixum & ſufficiens integrum implere codicem, & ſine contentione conceſſum omitto. In cuius rei fidem, ab ſtemmatibus vtrorūque Regū, ſua ſtemmata, & inſignia deſumpſerunt. Propter deſcendentiam à Regibus Legionenſibus, vulgò dictis, de Leon, in ſcutis Leonē (inſigne RegūLegionenſiū) a quibus vocati ſunt Pōtij de Leon, poſuere: propter ortū per legitimam lineam a Regibus Aragoniæ, vectes, Hiſpanè, las barras, inſigne Regni Aragoniæ, depinxere. Et noſtris ſeculis a Pontijs de Leon facinora egregia patrata, non infimè nobilē animū, genus nobiliſſimū, & verè Regium exprimunt. Marchio Gaditanus noſtri Præſulis attauus debellandi Regnum Granatēſe, idq; à Maurorum poteſtate eripiendi initium dedit; dum Alhaman, præſidiū forte Maurorum, ſuis vaſſallis, & famulis ſtipatus, audacter ingreſſus à Maurorum myriadibus impetitus, ſtrenuè expugnauit, poſſedit, ac tutatus eſt. Qua occaſione capta, Reges Catholici Ferdinandus & Elizabetta, inſtructo valido exercitu, totū Regnum Granatenſe, expulſis inde Mauris, feliciter occuparūt; eodē Marchione Gaditano vtentes vt Capitaneo generali propter eximiam, & fortem nauatam operam. Quarum rerum geſtarum non immemor Rex Philippus ſecundus, Ducem de Arcos, (in qua domo familia hæc clariſsima conſeruatur) videlicet Ludouicum noſtri Præſulis Patrem, in Capitaneum Generalem ad ſubiugandos Mauros eiuſdem Granatēſis Regni rebellantes ſuffecit loco Domini Ioannis Auſtriaci. Hæc de paterna Nobilitate vel ſummis labijs attigiſſe ſufficiat. Nec deerunt innumera de maternæ nobilitatis antiquitate excellentia, & ſplendore; vt pote quæ à nobiliſſima ſtirpe Cordubarum, dominorum perilluſtrium domorum de Aguilar y Priego originem ſumpſit: à quibus tot illuſtres familiæ deriuatæ ſunt, ſub nuncupatione de Cordoba, non minus generis ſanguine nobilitatæ, quàm Maurorum pro fide Chriſti augenda, efuſo. Tempus mihi deficiet, ſi hæc exactè proſecutus fuero. Sat mihi ſit noſtri Antiſtitis nomine vſurpare quod illa Theodocte Elena;

Vtraque ſtirpe maximis ortam Deis,
Quiſquam putet vilem, atque ſeruam nuncupet?

Sed audio ſuſurrantem; Quid hoc ad patrocinium ferendum contra inimicos Religionis, ſiue illos vitia eſſe dicat, ſiue Religionis oppugnatores? Cùm hi fortitudine animi, morum præſtantia, fidei zelo, Religionis amore debellentur, euincantur & pereant; non robore corporis, vel ſanguinis nobilitate. Certè (obtrectator) multùm valent: quæ vt oſtendam, auſculta. Nonne natura comparatum eſt, cùm nobiles ferè ſemper nobilē induant animum? dociliores ſunt, morum honeſtate comptiores: & hæc virtute quadam quaſi ſeminali in poſteros transfundunt. Sic equus generoſus pullum equinum generoſum; canis generoſus canem generoſum generant, & pater filios ſibi ſimiles. Sapienter Euripides:

Egregiæ dignitatis indoles nota
Inſignis eſt nobis generis ampliſsimi.

Hæc autem exiſtimatio vſque adeò inualuit apud antiquos; vt qui nobili ſanguine natus eſſet, eundem continuò ſperarent maximis fore virtutibus ornatum. En, (Præſul ampliſsime,)

f. Molina lib. 2. c. 84. Anales de Aragon. c. 40. & 43.

Anton. Nebriſſenſis in bello Granatenſi.

pliſsime) dum nobilitatem tui ſanguinis præclariſsimam, zelum tuorum maiorum, morum elegantiam laudo, hæc eadem in te mihi videor inſpicere. Inſuper ad præfata, altioris naturæ nobilitatem addidiſti, quando mundi ſpretis dignitate, & pompa, quæ de te maximè ſperabantur, voluptatibus & illecebris abdicatis, dum Academiæ Salmantinæ toto orbe celeberrimæ Rectorem ageres, ſub Chriſti vexillo dimicaturus ad perilluſtre Cœnobiũ Dominicanorum Salmanticenſe aufugiſti; vbi tanto animi ardore, tanta humilitate, deuotione, obſeruantia regulari, morum venuſtate, dilectus Deo, & hominibus vixiſti, vt veteranos militiæ ſpiritualis agoniſtas ſuperares. Monachum inter monachos ſuauẽ, mitem, & obedientem te geſsiſti; ſicut in ſeculo degens inter proceres celſum, magnificum, & liberalem te geſseras. Quibus animaduerſis, potentiſsimus & Catholicus Rex Philippus ne tot egregiæ dotes tuæ ſub modio occultarẽtur; Pontifici ſummo eas retulit, poſtulans vt te Epiſcopum Ciuitatenſem crearet. Annuit libenter votis Regis Summus Pontifex. In quo munere qualem te præſtiteris, vel ex hoc colligi poteſt: audita namque promotione tua ad Epiſcopatum Ç amorenſem, non ſine animi angore Ciuitatenſes tulerunt. In quo Epiſcopatu modò ex talis Prælati fœlici præſentia lætantur Ç amorenſes; & nos multò illuſtrioribus infulis decorandum ſperamus.

Igitur non immeritò te (Præſul ampliſsime) Patronum ac defenſorem elegi, cui me, & mea hæc commentaria de vitijs Religioni oppoſitis offerrẽ, dicarem, ac conſecrarem. Et à te contendere non deſiſtam, vt hos noſtros conatus boni & æqui facias, ſcriptaq; noſtra qualiacunque ſint pro tua ſingulari humanitate libenter legas; quæ ſi tuo calculo approbaueris, ab obtrectatorum linguis tuta, & omnibus grata fore certò ſpero. Vale, & in æternum fœlix viue. Ex tuo Cœnobio Salmantino, die 4. Iulij, anni M. DC. XII.

Veſtræ Dominationis ſeruus, & Capellanus.

Fr. Raphael
de la Torre.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

IN præfatione mei operis circa partes potentiales iuſtitiæ, candide Lector, rationem reddidi mei deſiderij, in formandis Commentarijs erga eam D. Thomæ portionem, quæ agit de eiſdem partibus, in tres Tomos, quos & promiſi tibi præſtiturum. Et vt meam fidem liberem, & ne videar pollicitus quod non præſto, & irridear, vt pollicens mõtes aureos, ſicut Leoſthenes à Phocione hac ſimilitudine irriſus eſt. Quemadmodum, inquit Phocion, cupreſſus arbor, ſublimi, compoſitoque in conum vertice, procul egregiam ſe quidẽ pollicetur, at vix vlla ſterilior eſt. Tales ſunt illi, qui ſplendida, ac magnifica oratione, aureos pollicentur montes; nil tamen horum præſtant quidquam. Ne igitur promiſſor inanis videar, en ſecundus Tomus prælo mandatus, ſuis numeris pro virili abſolutus: vbi bellum geritur contra vitia Religioni oppoſita. Non ignobile ſpectaculum omnium ferè ſcientiarum profeſſoribus, Theologis, Medicis, & alijs, qui veritatum obtruſarum cognitione vacant. De tertio Tomo ſtatim præſtando non audeo aliquid polliceri, quia qui cupiebã liber ab omnibus curis, vni ſoli incumbere; modò iuſſu, & præſcripto maiorum, iam quater cogor gubernationi huius almæ domus Salmantinæ intendere: non ſine gemitu, ita vt liceat vſurpare dictum Cæſaris, qui percuſſo fœmore ad curas militares reuerſus dixit: Proh Deum immortalem! quantò ſatiùs eſſet obſcurum naſci, ſi à curis militaribus nunquam dabitur recedere! Conabor tamen, vita comite, & Dei auxilio munitus, tertium Tomum, qui præcipuè verſabitur circa ſtatum Religioſum, abſoluere, & complere. Vale candide Lector.

APPRO-

APPROBATIO.

DE ſuperiorum mandato, ego F. Ioannes de Pereda Magiſter, & Rector huius Collegij D. Gregorij Valliſoletani, legi librum, cuius titulus eſt: *De partibus potentialibus iuſtitiæ*, à ſapientiſsimo Magiſtro, reuerendoque admodum Patre F. Raphaele de la Torre compoſitum: in quo nec vllum verbum, quod Fidei orthodoxæ, Eccleſiaſticis decretis, vel bonis moribus aduerſum, ſuſpectúmve; neque etiam (quod his temporibus magnopere cauendum eſt) ambiguum appareret, reperi. Quin potius omnia vſque adeò pia, ſana, incorrupta, docta, enucleata, perſpicua, atque diſtincta; vt ex eiſdem fidei principijs ſententias his verbis explicatas quilibet depromptas eſſe iudicauerit. Eſt meo iudicio opus hoc tãto autore digniſsimum, decentiſsimum, ac propriſsimum, in quo (velut alter Raphael Angelus) Raphael noſter vnus, imò & ſingularis, & vnicus, de ſeptem, ſeu innumeris, & penè infinitis ſpiritibus, qui (in illo S. Stephani Salmanticenſis celeberrimo Cœnobio diuinorum contemplationi intenti, ſcientia pleni, charitate accenſi) aſſant ante Dominum: Angelici præceptoris doctrinam de Religione, ſumma cum modeſtia, pietate, ac religione tractans & explicans; animabus curandis neceſſaria ad medicamenta vtiliter, ſibi & alijs reponit; ſciẽtiam videlicet, qua liniti mentis cæcorum oculi, omni terrena albugine depoſita, cœleſti illuſtrati lumine videant; methodum, qua oratio, cæteríque actus diuini cultus, ita prodeant, vt quaſi fumus aromatum de manu Angeli digni (qui Deo offerantur) in conſpectu Domini aſcendant; remedium denique, quo, ſi cordis particulam ſuper carbones (quos hæc doctrina accendit) ponas; fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum. Opus verè eſt, in quo omnium bonarum literarum, ſacræ videlicet Paginæ, diuinæ Theologiæ, vtriuſq; Iuris prudentiæ ſumma eruditio ſplendet, aſsidua ſanctorũ Patrum, ſcholaſticorum Doctorum, exquiſitorumque totius doctrinæ autorum lectio oſtenditur, electio denique ſententiarum fideliſsima, tutiſsima, ac conſtãtiſsima habetur. Quare dignum exiſtimo, vt prælo mandetur. Datis in hoc noſtro Collegio, 15. menſis Septembris Anni. 1610.

F. Ioannes de Pereda.

ALIA APPROBATIO.

GRauiſsimi ac ſapientiſsimi M. F. Raphaelis de la Torre, ex Prædicatorum familia, diſputationes & commentaria in quæſtionem octuageſimam ſecundæ ſecundæ D. Thomæ, & deinceps, in quibus de partibus potentialibus iuſtitiæ agitur, ſedula qua potui diligentia, de ſuperiorum mandato euolui: taliſque in illis ſententiarum vbertas, inſignis reſolutio, mira eruditio, tum etiam & inuſitata quædam rerum varietas elucet, vt tanto viro, tanta induſtria, tanto denique ingenio dignæ cenſeantur. Turrim namque cum virtutum propugnaculis Magiſter noſter Torre, ſui ingenij acumine: & proprio labore conſtruxit, indeq; mille pendent clypei, omnis armatura fortium, potentiales nempe iuſtitiæ partes, quæ armorum nomine iure optimo in ſacris Literis nuncupantur. Opus certè omni laude dignum, ſententiarum pondere graue, verbis limatum, eruditione refertum, omni pietate, & deuotione redolens. Ex quo facilè deprehendi poteſt, in eo non ſolùm nihil diſſonum, verùm potius omnia in eo contenta rationi, ſacrarumq; literarum, & ſanctorum Patrũ veritati conſona inueniri. Quapropter & prælo mandari, & continuò omnium oculis manibuſque verſari, in communem Eccleſiæ vtilitatem neceſſarium iudicaui. Datis in hoc inſigni Collegio D. Gregorij Valliſoletano die 15. Septembris, 1610.

F. Didacus de Lorençana
Regens eiuſdem Collegij.

LICENCIA DEL PROVINCIAL.

EL Presentado Fray Iuan de Arcediano, Prouincial en la Prouincia de España de la Orden de sancto Domingo. Auiendo cometido à los Padres el Maestro Fray Iuan de Pereda, Rector de nuestro Collegio de san Gregorio de Valladolid, y al Presentado Fray Diego de Lorençana, Regente del dicho Collegio el examen de vn libro, que el Padre Maestro Fray Rafael de la Torre mondor de nuestro Cõuento de san Esteuan de Salamanca, ha compuesto en exposicion, y defension de lo que escriuio el glorioso Doctor de la Iglesia sancto Thomas de Aquino, acerca de las partes potenciales de la justicia. Y auiendo tenido relacion, y testimonio fidedigno de los dichos Padres examinadores, que deue ser impresso, y que sera de mucha importancia para el fin sobredicho. Por tanto por la presente le doy licencia, para que teniendo facultad de los Señores del Supremo Consejo, pueda imprimirlo. Y para que mas merezca le mando en merito de obediencia, que lo mas presto que pudiere lo imprima. Dada en nuestro Conuento de san Pablo de Burgos à 27. de Iulio, de 1609.

Fr. Ioan de Arcediano
Prior Prouincial.

APPROBATIO.

DECRETO Supremi Senatus Regij obtemperans, légi Commentaria doctiſsimi Patris M. F. Raphaelis de la Torre, Dominicani Inſtituti, in ſecundam ſecũ dæ ſancti Thomæ, à quæſtione octuageſima vſque ad centeſimam: in quibus nihil Catholicæ Fidei, aut ſanis moribus contrarium inueni, ſed potius doctrinam verè Theologicã, ſolidam, Scripturæ ſacræ, ſacris Concilijs, Apoſtolicis traditionibus, Eccleſiæ Patribus conformem: & quidem ſingulari eruditione, & mira reſolutione diſpoſitam, vt decet diſcipulum Doctoris Angelici, cuius qui inhæret veſtigijs, nunquam à veritatis ſcopo aberrabit. Quare in magnam Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem poterunt prædicta Commentaria typis mandari. Ita teſtor, & meo nomine ſubſcribo. Madriti, die 22. menſis Iulij. Anno 1610.

Doctor Ioannes Molina,
Regiæ Maieſtatis Capellanus.

EL REY.

POR quanto por parte de vos Fr. Rafael de la Torre, de la Orden de ſancto Domingo nos fue fecha relacion, que auiades compueſto, y comentado vn libro en dos tomos, intitulado *ſobre la Secunda Secundæ de ſancto Thomas*, deſde la queſtion ochenta haſta las ciento del miſmo ſancto Thomas: y nos ſuplicaſtes os mandaſſemos dar licencia, y facultad para le imprimir, y priuilegio por veynte años, ò como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, por quanto en el dicho libro ſe hizo la diligencia, que la pregmatica por nos ſobre ello fecha diſpone, fue acordado, que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula en la dicha razõ, y nos tuuimoſlo por bien. Por lo qual vos damos licencia, y facultad, para que por tiempo, y eſpacio de diez años cumplidos, primeros ſiguientes, que corran y ſe cuenten deſde el dia dè la fecha deſta nueſtra cedula en adelante, vos, ò la perſona, que para ello vueſtro poder ouiere, y no otro alguno podays imprimir, y vender el dicho libro, que de ſuſo ſe haze mẽcion. Y por la preſente damos licencia, y facultad à qualquier Impreſſor deſtos nueſtros Reynos, que nombraredes, para q̃ durante el dicho tiẽpo lo pueda imprimir por el original, que en el nueſtro Conſejo ſe vio, q̃ va rubricado, y firmado al fin de Antonio de Olmedo nueſtro Eſcriuano de Camara, y vno de los que en el nueſtro Conſejo reſiden: con q̃ antes que ſe venda le traygays ante ellos, juntamente con el dicho original, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſtà conforme à el: ò traygays fee en publica forma, como por Corrector por nos nombrado ſe vio, y corrigio la dicha impreſsion por el dicho original. Y mandamos al Impreſſor, que aſsi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni primer pliego del, ni entregue mas de vn ſolo libro con el original al Autor, y perſona, à cuya coſta lo imprimiere, ni à otra alguna, para effecto de la dicha correccion, y taſſa, haſta que antes, y primero el dicho libro eſte corregido, y taſſado por los de nueſtro Conſejo: y eſtando hecho, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, en el qual immediatamente ponga eſta nueſtra licencia, y la aprobacion, taſſa, y erratas: ni lo podays vẽder, ni vendays vos, ni otra perſona alguna, haſta que eſtè el dicho libro en la forma ſuſodicha, ſopena de caer, y incurrir en las penas contenidas en la dicha pregmatica, y leyes de nueſtros Reynos, que ſobre ello diſponen. Y mandamos, que durante el dicho tiempo perſona alguna ſin vueſtra licencia no le pueda imprimir, ni vender: ſo pena, que el que lo imprimiere, y vendiere, aya perdido, y pierda qualeſquier libros, moldes, y aparejos, que del tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere. De la qual dicha pena ſea la tercia parte para nueſtra Camara, y la otra tercia parte para el juez q̃ lo ſentenciare, y la otra tercia parte para el que lo denunciare. Y mandamos à los de nueſtro Conſejo, Preſidẽte, y Oydores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, y Alguaziles de la nueſtra Caſa, y Corte, y Chancillerias, y à otras qualeſquier Iuſticias de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de nueſtros Reynos, y Señorios, y à cada vno en ſu juriſdicion, aſsi à los que agora ſon, como à los que ſeràn de aqui adelante, que vos guarden, y cumplan eſta nueſtra cedula, y merced, que aſsi vos hazemos, y contra ella no vayan, ni paſſen, ni conſientan yr, ni paſſar en manera alguna, ſopena de la nueſtra merced, y de diez mil marauedis para la nueſtra Camara. Fecha en Lerma à 4. dias del mes de Agoſto, de mil y ſeyſciẽtos y diez años

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro Señor.

Iorge de Touar.

TASSA.

YO Antonio de Olmedo Eſcriuano de Camara del Rey nueſtro Señor, de los que reſiden en ſu Conſejo, doy fee que auiendoſe viſto por los Señores del vn libro, que con ſu licencia fue impreſſo, intitulado *Tomo ſegundo ſobre la ſecunda ſecundæ de ſancto Thomas*, que compuſo el Padre Maeſtro fray Rafael de la Torre, Prior del Conuento de ſan Eſteuan de Salamanca, de la Orden de Predicadores, le taſſaron à quatro marauedis cada pliego. El qual tiene dozientos y cinco pliegos, ſin los principios y tablas, al qual dicho precio ſuma, y monta ochocientos y veynte marauedis en papel. Y mandaron que a eſte precio, y no mas ſe aya de vender y venda el dicho libro, y que eſta taſſa ſe ponga al principio del, para que ſe ſepa, y entienda lo que por el ſe ha de lleuar. Y para que dello conſte de mandamiento de los dichos Señores del Conſejo, y pedimiento de la parte del dicho Padre Maeſtro di eſta fee. En la Villa de Madrid a treynta dias del mes de Abril de mil y ſeyſcientos y doze años.

Antonio de Olmedo.

Tiene mas de tablas, y principios veynte y dos pliegos, que ſon por todos docientos y veynte y ſiete pliegos, que valen a la dicha taſſa nouecientos y ocho marauedis.

ERRATA.

PAG. 17.col.2.lin.27.dolatræ.leg.idolatræ. pag.24.lin.53.tenuis.l. tenues.pag.26.col.2. lin.23.veniré.le.ventré.pag.27.col.2.lin.19.diſciplet.le. diſplicet.pag.37.col.1.lin. 17. inferis.le.inferias.li.32.aduerſatur.le.auerſatur.pag.40.col.2.lin. 45. incuſabiles.le.inexcuſabiles.pag.55.col.2.li.44.eis.leg.eos.pag.61.col.1.lin.17.idotræ.le.idolatræ.pag.64.col.2. lin.50.ſanitati.leg. ſanati.pag.72.colu.1.lin.10.dum.leg. num.pag.73.colu.1. lin.36. exempla. leg.exẽplar.col.2.li.14.Dominici.le.Dominicæ.pag.74.col.2.lin.3.eandẽ.le.eadẽ. li.16.Epiſcopa.le.Epiſcopi.pag.103.col.2.lin.14. deornatio.leg. deordinario.pa.109.col.2. lin.6.Deos ſuos. leg.Deo ſuo.pag.123.col.2.lin.vlt.cæder.le.cedere.pag.125. col.2.lin.10.Lidiæ.le. Lybiæ. pag. 147 .colu. 1.lin. 47.pareat.leg. parcat.pag.196.col.2.lin. 45. deputati. leg.deputatæ. pag.207. col.2.lin.37.viuiturus.leg.victurus.pag.289.col.1. lin.9.pollutionũ. leg. pollutionẽ. pag.732. col.1.lin.36.mea.leg.in ea.pag. 334. col.2. lin. vlti. oppoſitis.leg. oppoſiti.pag.350.col.2.lin.1. dubeitatem.dubeitas.le.dubietatem. dubietas.pag.418.col.1.lin.vlti.malefacio. leg.malefico. pag.420.col.2.lin.15.virum.leg.vinum.pag.513.col.1.lin.20.petatis.leg.pietatis.pag. 606. co.1. lin.36.vititũ.leg.vitium.pag.611.col.1. lin. 1.probitione.le.prohibitione.pag.666.co. 2.li.9.&. leg.eſt.pag.767.col.1.lin.10.permutationem.leg.permutationum.pag.771.co.2.li.48. conſtitus. leg.conſtitutus. pag.809.col.1.lin.11.locum. leg.loco.

Con eſtas erratas eſtà impreſſo conforme a ſu original eſte libro Secũdus tomus de vitijs Religioni oppoſitis. *En teſtimonio de lo qual lo firme en Salamanca primero de Abril de* 1612. *años.*

El Corrector, &c. *Manuel Correa de Montenegro.*

INDEX QVAESTIONVM,

ARTICVLORVM, AC DISPVTATIONVM,

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

QVÆSTIO 92.
De ſuperſtitione in genere.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſuperſtitio ſit vitium religioni contrarium? pag. 1.

ART. II. *Vtrum ſint diuerſæ ſuperſtitionis ſpecies?* 4.

QVÆSTIO 93.
De ſuperſtitione indebiti cultus veri Dei.

ART. I. *Vtrum in cultu veri Dei poſsit eſſe aliquid perniciosum?* 8.

ART. II. *Vtrum in Dei cultu poſsit eſſe aliquid ſuperfluum?* 11.

QVÆSTIO 94.
De idolatria.

ART. I. *Vtrum idolatria rectè ponatur ſpecies ſuperſtitionis?* 17.

Diſp. I. *De idolatriæ etymologia.* 21.

Diſp. II. *Quotuplex ſit idolatria.* 23.

Diſp. III. *An idolatria ſit ſpecies ſuperſtitionis diſtincta à cultu debito veri Dei.* 25.

ART. II. *Vtrum idolatria ſit peccatum?* 29.

Diſp. III. *An præfati idolatræ potuerint excuſari ex ignorantia ab idolatriæ crimine?* 39.

Diſputat. IIII. *An idolatria exterior excuſetur à crimine propter metum mortis, aut propter alia mala effugienda, ſiue aliquot bona comparanda?* 43.

Diſp. V. *principalis. An propter vitandam mortem licitum ſit communicare cum infidelibus in operibus infidelitatis ſine crimine idolatriæ?* 51.

Dub. I. *De communicatione cum infidelibus in veſtitu proprio ipſorum.* 52.

Du. II. *Quintæ diſputationi generali annexa. De ingreſſu in templa infidelium, & de aſſiſtentia eorum ſacris, & ſimilibus?* 55.

Dub. III. *Quintæ diſputationi generali annexa. De cõmunicatione fideliũ cum infidelibus in victu, & cibis idolis immolatis.* 56.

Dub. IIII. *De communicatione fidelium cũ infidelibus in negotiationibus, comercijs, & contractibus.* 58.

Diſp. VI. *principalis. An cultus, quem in more habet Eccleſia circa imagines, ſit idolatricus?* 64.

Dub. I. *De vſu imaginum abſolutè, ſit ne licitus, an illicitus? Sit ne antiquus, an modernus? Et ob quos fines retinendus? ibidem.*

Dub. II. *Annexa cõtrouerſiæ ſextæ ea eſt: an licitum ſit imagines in tẽplis collocare?* 65.

Dub. III. *Annexa ſextæ diſputationi principali eſt: an in lege veteri omnis imaginum vſus fuerit à Deo ſublatus, illo primo peccato Exod. 20. An verò tantùm prohibitus ſit imaginum vſus ad colendum eas, ſicut Iudæi ſua colebant idola?* 67.

Dub. IIII. *Annexa ſextæ diſputationi principali. De cultu imaginũ. Ea eſt: an imagines rerum ſacrarum colendæ ſint, & adorandæ?* 70.

Du. V. *Annexa diſputationi ſextæ principali eſt: quo genere cultus imagines colẽdæ ſint, vt vitetur idolatriæ crimen?* 72.

Dub. VI. *An cultus imaginũ idolatricus ſit?* 93

ART. III. *Vtrum idolatria ſit omnium grauiſsimum peccatorum?* 96.

Diſp. I. *De veritate primæ concluſionis diui Thomæ.* 98.

Dubi. vnic. *An incurratur excommunicatio lata in Bulla Cœnæ contra Hæreticos, & Apoſtatas?* 104.

ART. IIII. *Vtrum cauſa idolatriæ fuerit ex parte hominis?* 105

De origine idolorum. 117.

De idolorum differentia. 120.

De idolatriæ per Chriſtum deſtructione, circa finem quintæ ætatis mundi. 122.

AD QVÆSTIONEM 95.
Introductio. 124.

Diſp. I. *Qua poteſtate, aut cuius auxilio niſi*

bi magi impij efficiant ea mirabilia, quæ hominum excedunt, aut videntur excedere poteſtatem? 125.

Diſp. II. *An magorum opera miranda ad dæmones reducenda ſint?* 127.

Diſp. III. *De modo, id eſt, de via, ac operationibus, quibus dæmones, ſiue per ſe ipſos, ſiue ad inuocationem magorum, opera miranda efficiunt.* 129.

Diſp. IIII. *Quæ non poſſunt Angeli, & dæmones, neque magi eorum ope efficere?* 131.

Diſp. V. *An effectus iſti mirandi, quos dæmones, & magos poſſe producere diximus, veri ſint, an dumtaxat apparentes?* 134.

Diſp. VI. *De modo, quo effectus quidam dæmoniaci dumtaxat apparentes veri appareant.* 136.

De deceptione circa ſenſus externos. ibid.

De deceptione circa ſenſus internos. 142.

De intellectus deceptione à dæmone. 143.

De deceptione voluntatis. 145.

Diſp. VII. *Quibus ſignis, quibuſve notis deprehendatur, effectus iſtos mirabiles, qui à dæmonibus, vel à Magis ope dæmonum fiũt, eſſe veros, an verò fucatos, & apparentes?* 146.

Dub. vnic. *Vtrũ ipſimet ſenſus dijudicare valeant, an decipiantur in ſuis operationibus, necne? ibid.*

QVÆSTIO 95.

De ſuperſtitione diuinatiua.

ART. I. *Vtrum diuinatio ſit peccatũ?* 151.

De diuinatione, & eius etymologia, & acceptione. 154.

Diſp. I. *An ſit diuinatio, id eſt, futurorum euẽtuum, ſeu occultorum prænotio, & prædictio?* 155.

Diſp. II. *An alicui naturæ creatæ ſit naturalis vis diuinandi, id eſt futura, aut occulta prænoſcendi, & prædicendi?* 156.

ART. II. *Vtrum diuinatio ſit ſpecies ſuperſtitionis?* 157.

Diſp. I. *An omnis diuinatio pertineat ad ſuperſtitionem?* 159.

Diſp. II. *Sit ne diuinatio peccatum mortale, an veniale?* 167.

ART. III. *Vtrum ſit determinare plus diuinationis ſpecies?* 168.

Dubit. vnic. *An omnes diuinandi modi ſpecie diſtinguantur? & an ſpecie ſubalterna, vel atoma?* 171.

De præſtigio ſpecie diuinationis prima. 174.

Diſp. I. *An modò his temporibus credendum ſit reuelationibus?* 176.

Diſp. II. *Vtrum liceat ſemper, & omni reuelationi credere, etiamſi reuelatio dicatur fieri contra legem communem, ſiue diuinam, ſiue Eccleſiaſticam? Et conſequenter quæritur: vtrum liceat agere contra legem communem propter reuelationem alicui, vel aliquibus factam, quod Deus diſpenſauerit in lege illa? ibi.*

Diſp. III. *Quibus ſignis, quibuſve indicijs dignoſcere poſſimus inter apparitiones, ſeu reuelationes diuinas, ac dæmoniacas?* 185. 1.

Prima claſſis de ſignis ex parte rerum reuelatarum. ibid. 2.

Secunda claſſis ſignorũ ex parte eorum, quæ reuelationes circũſtant. 187.

Secundũ ſignũ à concomitãtibus externis. 189

Tertia claſſis ſignorũ ex parte perſonæ, cui ſit reuelatio. 190.

De necromantia. 195.

Diſp. I. *An ſit poſsibilis? ibid.*

Diſp. II. *An fuerit anima Samuelis? ãn aliquod ſpectrũ Samuelem repræſentans?* 202.

De diuinatione Pythonica. ibid.

De Geomantia, Hydromantia, & Aëromantia. 207.

De Aruſpicio. 208.

ART. IIII. *Vtrum diuinatio, quæ ſit per inuocationem dæmonum ſit illicita?* 209.

Diſp. I. *An licita ſit familiaritas, ſocietas, commerciumve aliquod cum dæmonibus, ſiue illud ſit in diuinationibus, ſiue in maleficijs, ſiue in beneficijs, ſiue in vanis obſeruationibus, & huiuſmodi?* 210.

Diſ. II. *Vtrũ liceat vti opere, & induſtria hominis magi in operibꝰ magicis efficiẽdis?* 221

Diſp. III. *An ſine crimine ſuperſtitionis, & ſocietatis dæmoniacæ liceat deſtruere, vel diſperdere ſigna fœderata inter Magos, & dæmones ad quoſdam effectus faciendos dæmonum opera?* 225.

ART. V. *Vtrum diuinatio, quæ ſit per aſtra, ſit illicita?* 230.

Diſp. II. *Quod nã ſit peccati genus, quove iure vetitum, vaticinari de futuris euentibus caſualibus, fortuitis, & liberis, aut verò de alijs quomodocũq; hominibus ignotis.* 265.

ART. VI. *Vtrum diuinatio, quæ ſit per ſomnia ſit illicita?* 272.

Diſp. I. *Quid ſint, & quomodo fiant ſomnia?* 276.

Diſp. II. *An omnia ſint operationes ſolius imaginatiuæ? An verò aliqua ſint actus intellectus?* 277.

Diſp. III. *De diuinatione ſomniorum.* 278.

Diſp. IIII. *An vlla ſint ſomnia diuina, id eſt, immiſſa à Deo, vel ab Angelis bonis?* 280.

Diſput. V. *An, & quomodo ex ſomnis colliga-*

ligatur cognitio futurorum, aut aliorum occultorum? 282.
Disput. VI. *Quibus signis, aut notis dignoscatur à qua causa dimanent somnia?* 287.
Quæ somnia non sint diuina? ibi. 1.
Quæ somnia diuina sint? ibidem. 2.
Quæ somnia sint dæmoniaca? 288.
Quæ somnia naturalia sint? 289.
Disp. VII. *An vlla fides somnijs exhibenda sit?* ibi. 2.
Disp. VIII. *De peccatis, quæ committuntur in obseruatione somniorum.* 290.
Disp. IX. *An sit aliqua ars, aliquáve facultas interpretandi somnia? & quæ sint ea pollentes?* 293.
Disp. X. *An sit ecstasis, seu raptus, & quid sit?* 295.
Disp. XI. *An possit esse ecstasis, seu raptus sine vllo actu intellectus, aut voluntatis?* 296.
Disp. XII. *An abstractio à sensibus, quæ fit in raptu, impediat contemplationem diuinorũ, an potiùs adiuuet?* 297.
Disp. XIII. *De causa efficiente ecstasim, seu raptum.* 298.
Disp. XIIII. *An mentis contemplatio, seu ingens amor, vi, & efficacia sua, possit efficere tantam sensuum suspensionem, qualis reperitur in raptu?* 299.
Disp. XV. *An licita sit diuinatio ex raptu habita?* 305.
Disp. XVI. *Quibus signis, quibúsve notis dignoscemus inter ecstases, à quo scilicet sint?* 306
Quæ ecstases sint diuinæ? ibi. 1.
Quæ ecstases non sint diuinæ? ibi. 1.
Quæ ecstases dæmoniacæ sint? 307.
Quæ ecstases sint ab ægritudine. ibi. 2.
Quæ ecstases sint à vehementi contemplatione? 308.
ART. VII. *Vtrum diuinatio, quæ fit per auguria, & omina, & alias huiusmodi obseruationes exteriorum rerum, sit illicita?* 308.
De augurio, & auspicio. 310.
Disput. I. *& copiosior articuli expositio. De significatione dispositionum rerum exteriorum pertinentium ad augurium, vel auspiciũ: v. g. volatus, cantus, garritus, motúsve cuiusq; aliorum animalium viuorum?* 311.
Disp. II. *An auspicijs, & augurijs sit adhibẽda fides? id est, an eius vsus sit licitus?* 312.
Disp. III. *Quodnam peccatum sit per auguria, & auspicia diuinatio?* 315.
De omine. ibidem. 2.
De diuinatione per cometas, coronas, halones, columnas, irides, & alias Metereologicas impressiones. 317.
De Iride. pagina. 319.
De physiognomica diuinatione per proportionem, & dispositionem facici. 322.
De Chyromantia. 326.
De diuinatione portentorum, prodigiorum, ostentorum, & monstrorum. 329.
ART. VIII. *Vtrum diuinatio sortiũ sit illicita?* 330.
Disput. I. *De efficacia sortium ad inquirẽda, vel prædicenda occulta.* 334.
Disp. II. *An sit licitum vti sortibus?* 337.
De sortibus diuinatorijs. 338.
De sortibus consultorijs. 340.
De sortibus diuinatorijs. 341.
Disputat. III. *In qua reijcere decreui miscellaneam turbam obiectionum contra Diui Thomæ doctrinam in hoc articulo.* 342.
Primum dubium. *An ita rigurosè illa prohibitio intelligenda sit, vt in nullo casu liceat illi contrariari?* 345.
Secundum dubium. *An electio Ecclesiastica per sortes, non solùm sit iure prohibita, sed etiam sit nulla?* ibi. 2.
Tertium dubium. *An præfato capite* Ecclesia *prohibitum sit vti sortibus ad terminandas, vel tollendas lites Ecclesiasticas, præcipuè in causis beneficialibus?* 346.
Disp. IIII. *De diuinatione sortilega per Monomachiam.* 351.
Ritus duellorum. 352.

QVÆSTIO 96.

De superstitionibus obseruantiarum.

ART. I. *Vtrum vti obseruantijs notoriè artis sit illicitum?* 368.
Disp. II. *An sit licitum vti quibusdam obseruantijs ordinatis ad amorem comparandum, aut conciliandum?* 367.
ART. II. *Vtrum obseruationes ad corporum immutationem ordinatæ, putà ad sanitatẽ, vel ad aliquid huiusmodi, sint illicitæ?* 369.
Disp. I. *Circa literam Diui Thomæ.* 371.
Disp. II. *De rerum naturalium efficacitate ex impressione cœlestium corporum.* 374.
Vtrum scilicet ex impressione cœlestium corporum possit communicari vni indiuiduo aliqua virtus intrinsecè inhærens, ac permanens, quæ sit principium naturale agendi aut patiendi: quæ tandem non communicetur omnibus alijs indiuiduis eiusdem speciei? 376.
Disp. III. *Vtrum in applicatione, & vsu rerum naturalium, licitum sit obseruare corporum cœlestium influentias, aut impressiones?* 382.

Disp.

Diſput. IIII. *Vtrum obſeruationes, quæ ſumuntur à rebus artificiatis, putà imagimibus, anulis, characteribus, figuris, &c. ſint licitæ?* 384.
De obſeruantijs colorum. 392.
De obſeruantijs numerorum. 393.
Diſp. V. *An licitæ ſint obſeruantiæ, quæ ab operibus imaginatiuæ, ſeu phantaſiæ ſumũtur?* 394.
Diſput. VI. *An licitæ ſint obſeruantiæ deſumptæ ex viſione ad immutanda corpora?* 397.
Diſput. VII. *De obſeruantijs à contactu deſumptis?* 402.
Diſp. VIII. *An liceat vti obſeruantijs, quæ in locutione, & vocum prolatione conſiſtunt, vel ad ſanitatem inferẽdum, vel ægritudinem gignendum, vel quouis alio modo corpora immutandum?* 405.
Diſp. IX. *An liceat vti obſeruationibus, quibus alchimiſtæ vtuntur in arte ſua exercenda?* 407.
Diſp X. *An ſuperſtitioſæ ſint, vel aliàs illicitæ, aliquot obſeruationes, quibus malefici ſolent vti, ad immutãda corpora à ſanitate ad ægritudinem, vel alia mala?* 409.
De maleficio lethali, ſeu mortifero. ibi. 2.
De maleficio impeditiuo actus venerei, quod ligaminis dicitur. 414.
Diſp. XI. *Quibus ſignis agnoſcatur, quempiam eſſe maleficiatum?* 417.
Diſp. XII. *Sint ne dumtaxat exorciſmi, quibus vtendum, an alia remedia ſufficiant?* 418.
Superſtitioſa remedia. 419.
Naturalia remedia ibidem. 1.
Remedia moralia. 420.
Remedia hyperphyſica, id eſt, ſupernaturalia. 421.
Diſp. XIII. *An ad ſanandos maleficiatos exorciſmi conducant?* 422.
ARTIC. III. *Vtrum obſeruationes, quæ ordinantur ad præcognoſcendum aliqua fortunia, vel infortunia, ſint illicitæ?* 424.
Diſp. II. *An licita ſit obſeruatio dierum fœlicium, aut infœlicium, ad aliquod opus agendum?* 428.
ART. IIII. *Vtrùm ſuſpendere verba diuina ad collum, ſit illicitum?* 432.
Diſp. I. *Vtrum obſeruationes, quæ ſumuntur ex verbis, aut ſcripturis ſacris, imò ex quibuſcunque alijs rebus, quæ putantur virtute ſupernaturali operari effectus (Latini amuleta, ſeu periapta vocant) ſint licitæ?* pag. 434.
Prima cautela. 441.
De qualificatione ſuperſtitionum. 444.
Diſp. III. *Quando ſcilicet ſuperſtitiones, aut ſortilegia, & eorum patratores ſubdantur, quoad punitionem, iudicio Inquiſitorũ hæreticæ prauitatis?* 446.
Conſtitutio ſanctiſſimi Domini noſtri Sixti Papæ Quinti contra exercentes Aſtrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcunque diuinationum genera, libroſque de eis legentes, ac tenentes. ibi. 2.
Diſp. IIII. *De pœnis Sortilegorum, Maleficorum, Incantatorum, & ſimilium.* 450.
Diſputatio V. *De his, quæ ſancita ſunt contra tenentes libros, & ſcripturas, quæ docent, aut continent ſuperſtitioſas diuinationes.* 451.

QVÆSTIO 97.

De tentatione Dei.

ARTICVLVS I. *Vtrum Dei tentatio conſiſtat in aliquibus factis, in quibus ſolius diuinæ poteſtatis expectatur effectus?* 452.
ART. II. *Vtrum tentare Deum ſit peccatum?* 455.
ART. III. *Vtrum tentatio Dei opponatur virtuti religionis?* 457.
ARTIC. IIII. *Vtrum tentatio Dei ſit grauius peccatum, quàm ſuperſtitio.* pag. 458.
Diſputat. I. *An tentatio Dei ſit peccatum, & cuius ſpeciei, ac grauitatis?* pag. 460.
Diſputat. II. *Vtrum licitum ſit, & ſine tentationis crimine, expectare à Deo oſtenſionem, vel probationem alicuius occulti, putà innocentiæ ſeruatæ, pudicitiæ cuſtoditæ, furti, aut homicidij perpetrati, & ſimilium, per probationes quaſdam, ſiue purgationes, quæ canonicæ, aut vulgares appellantur, quibus aliquando vſi ſunt perſonæ publicæ, & priuatæ: verbi gratia, ingreſſus in ignem, vſus aquæ feruentis, &c.* 474. 2.
De probatione per ignem. 476.
De probatione per aquam feruentem. 477. col. 2.
Diſputat. III. *Vtrum illicitæ ſint, & ad tentationem Dei pertineant quædam citationes, ſeu probationes ad Dei tribunal, quæ ſæpè fieri ſolent ab his, qui ſe iniuriam paſſos conqueruntur.* 482. 1.

QVÆSTIO 98.

De periurio. 483.

QVÆSTIO 89.

De iuramento. 484.

ARTIC. I. *Vtrum iurare sit Deum testem inuocare?* 484.

Circa literam Diui Thomæ annotationes. 486.

Disp. I. *An reperiatur iuramentum promissorium sine vlla promissione?* 488.

Disp. II. *An inter iuramentum assertorium, & promissorium sit differentia specifica, & formalis, an tantùm accidentalis, & materialis?* ibid. 2.

Disp. III. *An iuramentũ necessariò constet verbis, aut aliquo exteriori signo?* 489.

Disp. IIII. *De varijs iurandi formulis.* pag. 490.

ARTIC. II. *Vtrùm sit licitum iurare?* ibid. 2.

Disp. I. *Contra primæ conclusionis veritatem.* 492.

ARTIC. III. *Vtrum ad honestatem iuramenti veritas, iustitia, & iudicium requiratur?* 496.

Paraphrasis Articuli. ibid.

ARTIC. IIII. *Vtrum iurare sit actus religionis, siue latriæ?* 497.

ARTIC. V. *Vtrum iuramentum sit appetendum, & frequentandum tanquam vtile & bonum?* 501.

ARTIC. VI. *Vtrum liceat per creaturas iurare?* 505.

Disp. I. *An iure diuino, positiuo, vel Ecclesiastico, sit prohibitum iurare per creaturas?* 506.

Disp. II. *Vtrum iuramentum per creaturas secundùm se expectatas, & sine vlla habitudine ad Deum sit licitum?* 507.

Disp. III. *De aliquibus iurandi formulis per creaturas.* 508.

ARTIC. VII. *Vtrum iuramentum habeat vim obligandi?* 510.

Circa articulum notatio. ibid.

Disp. 1. *Quanta est hæc obligatio iuramenti promissorij?* 514. 1.

Disp. II. *An iuramento promissorio acquiratur obligatio alteri, cui fit promissio? an soli Deo?* ibidem. 1.

Disp. III. *An iuramentum per falsos Deos sit obligatorium?* ibid. 2.

Disp. IIII. *De duplici obligatione iuramenti promissorij.* 515. 2.

Disp. V. *An iuramentum promissorium de re impossibili iuranti, sit obligatorium?* 517. 1.

Disp. VI. *Vtrum iuramentum promissorium de actu moraliter malo, sit obligatorium?* 518. 1.

Disp. VII. *An iuramentum de re indifferenti sit obligatorium?* 521. 2.

Disp. VIII. *An iuramentum de opere virtutis, impeditiuo melioris boni, sit obligatorium?* 523. 1.

Expositio cap. Commissum. *de Sponsalibus.* 527. 1.

Expositio cap. vnici. 85. distinct. 529. 1.

Disp. IX. *An iuramentum per iniuriam extortum obliget?* 530. 1.

Disp. X. *An iuramentum factum per errorem, validum sit?* 534. 1.

Disp. XI. *An iuramentum dolosum sit obligatorium?* 535. 1.

Disp. XII. *Vtrum obligatio iuramenti sit merè personalis?* 538. 2.

ARTIC. VIII. *Vtrum maior sit obligatio iuramenti, quàm voti?* 540. 1.

Disp. II. *An iuramentum factum cõtra prius votum valeat, sic adeò, vt aboleat obligationem voti antea facti?* 542. 2.

ARTIC. IX. *Vtrum aliquis possit in iuramento dispensare?* 545. 1.

Disp. I. *An per rerum iuratarum mutationẽ cesset abligatio iuramenti.* 546. 2.

Disp. II. *De commutatione iuramẽti in aliud opus non iuratum.* 549. 1.

Disp. III. *De irritatione iuramenti, an possit fieri?* 550. 2.

Disp. IIII. *De oblatione vinculi iuramenti per condonationem creditoris?* 551. 1.

Disp. V. *An iuramenta possint dispensari, vel relaxari?* 552. 1.

ARTIC. X. *Vtrum iuramentum impediatur per aliquam cõditionem personæ, vel temporis?* 554. 1.

Disp. 1. *Vtrum Deo conueniat iurare?* 556. 1.

Disp. II. *An Angeli possint iurare, & iurauerint?* 557. 1.

Disp. III. *An sint aliqui homines incapaces iurandi ex natura rei? & an sint aliqui in iure positiuo à iurando repulsi?* ibid. 2.

QVÆSTIO 98.

De periurio.

ARTIC. I. *Vtrum falsitas eius, quod in iuramento confirmatur, requiratur ad periurium?* 559.

AR-

ART. II. *Vtrum omne periurium ſit peccatum?* 562. 1.
ART. III. *Vtrum omne periurium ſit peccatum mortale?* 563. 2.
Diſp. I. *An periurium aſſertorium ſemper ſit peccatum mortale ex parte materiæ?* 565. 2
Diſp. II. *An conſuetudo iurandi incautè ſit peccatum, vel conſtituat hominem in ſtatu peccati?* 567. 1.
Diſp. III. *An periurium cum inaduertentia prolatum ſit peccatum mortale ratione conſuetudinis?* 569. 1.
Diſp. IIII. *An iuramentum aſſertorium amphibologicum ſit periurium, aut alio modo peccatum?* 572. 2.
Diſp. V. *An iuramentum, cui deeſt iudicium, vel iuſtitia, ſit mortale peccatum, non ſolũ ex genere, verum etiam in individuo?* pag. 576. 2.
Diſp. VI. *An iuramentum promiſſorium ſine veritate emiſſum ſemper ſit peccatum mortale?* 578. 1.
Diſp. VII. *An tranſgreſsio iuramenti promiſſorij poſsit eſſe veniale peccatum ex leuitate materiæ?* 579. 2.
Diſp. VIII. *Quale ſit iuramentum promiſſorium, inualidum propter incapacitatem materiæ?* 581. 1.
Diſp. IX. *De pœnis Eccleſiaſticis periurio impoſitis.* 583. 1.
ART. IIII. *Vtrum peccet ille qui iniungit iuramentum ei, qui periurat?* 585. 1.
Diſp. II. *An liceat petere ab infideli, vt iuret per falſos Deos?* 590. 2.

QVÆSTIO 99.

De ſacrilegio.

ART. I. *Vtrum ſacrilegium ſit ſacræ rei violatio?* 591.
ART. II. *Vtrum ſacrilegium ſit peccatum ſpeciale?* 594. 1.
Diſp. Vnic. *Contra concluſiones diui Thom.* 595. 2.
ART. III. *Vtrum ſpecies ſacrilegij diſtinguantur ſecundum res ſacras?* 599. 1.
Diſp. I. *De ſacrilegio in perſonam ſacram.* pa. 601. 2.
Diſp. II. *De gradibus comprehenſis ſub hac ſpecie.* 602. 2.
Diſp. III. *An omnis frangens votum ſit ſacrilegus?* 603. 1.
Diſp. IIII. *An tota ratio ſacrilegij circa perſonam ſacram in materia caſtitatis, dimanet ex voto? An vero ſecluſo voto poſsit reperiri ſacrilegium in materia caſtitatis?* pa. 605. 2.
De ſacrilegio contra locum ſacrum. 606. 2.
Diſp. V. *An omnes actiones ſacrilegæ ex circunſtantia templi, id eſt, quia factæ in templis, habeant malitiam ſacrilegij ex naturali lege, prohibente ſacra templa non deberi irreuerenter tractari? An verò quia leges Eccleſiaſticæ prohibent eas actiones fieri in templis?* 607. 1.
Diſp. VI. *An actus purè interni ſacrilegia ſint?* 611. 2.
Diſp. VII. *Vtilis ac copioſa circa hos gradus ſiue ſint ex natura rei ſacrilegia, ſiue ex iure poſitiuo prohibente (ad quod fermè omnia reducuntur) quid de ipſis ſentiendum ſit?* p. 613.
De ſacrilegio homicidij in loco ſacro. ibid. 2.
De ſacrilegio fornicationis in Eccleſia. 614.
De ſacrilegio ſepulturæ Pagani, & excommunicati. 616. 1.
De ſacrilegio furti in Eccleſia. ibid. 2.
De ſacrilegio per placita. 618. 1.
Sextus gradus per mercaturas, & ſimilia. pa. 619. 2.
Septimus gradus de conuiuijs in Eccleſia. pa. 621. 2.
Octauus gradus de extractione reorum ab Eccleſia. 622. 2.
Tertia ſpecies ſacrilegij. 626.
Diſp. VIII. *An irreuerentia contra Euchariſtiam reponatur in prima ſpecie ſacrilegij? An verò in tertia? Imò verò dubitatur, an ſit propriè ſacrilegium?* ibidem.
Diſp. Vlt. *An hæc diuiſio ſacrilegij relata à diuo Thoma in articulo ſit ſufficiens, neque ſuperabundans, neque deficiens? Et an ſit vera diuiſio in ſpecies? Et vtrũ in ſpecies ſubalternas, vel atomas?* 631. 1.
ART. IIII. *Vtrum pœna ſacrilegij debeat eſſe pecuniaria?* 636. 1.
Diſp. Vnic. *An ſacrilegi in iure feriantur cenſuris?* 637. 2.

QVÆSTIO 100.

De ſimonia.

Etymologia nominis. 640. 2.
ART. I. *Vtrum ſimonia ſit ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum?* 641. 1.
Paraphraſis articuli. 644. 1.
Diſp. I. *Quo iure ſimonia ſit prohibita, naturali, diuino, an verò tantum diuino poſitiuo, ſiue ſupernaturali, & Euangelico, ſiue certè*

certè Eccleſiaſtico, & Pontificio? Quod eſt quærere, an ſimonia ſit prohibita, quia mala? an verò mala quia prohibita? 646. 1.

Diſp. II. *An poſsit fieri, ſaltem de potentia Dei abſoluta, vt res ſpirituales vendantur ſine ſimoniæ vitio? Et loquimur de rebus ſpiritualibus, quæ à ſolo Deo autore habẽt ſpiritualitatem: & de quibus ſine controuerſia dicitur, eſſe materiã ſimoniæ?* 648. 1.

Diſp. III. *An ſit aliqua ſimonia ſolo humano iure, ſiue Eccleſiaſtico prohibita?* 650. 1.

Diſp. IIII. *An gratia ſanctificans, gratiæ gratis datæ, virtutes infuſæ, character ſacramẽtalis, poteſtates ordinis, aut iuriſdictionis, actus ſupernaturales, in ſe ipſis, vt ſpirituales ſunt per eſſentiam, & aliâ huiuſmodi, vendi poſsint: & conſequenter eſſe materia ſimoniæ, quæ circa venditionem ſpiritualium verſatur?* 652. 1.

ART. II. *Vtrum ſemper ſit illicitum pro ſacramentis pecuniam dare?* 653. 2.

ART. III. *Vtrum liceat dare, & accipere pecuniam pro ſpiritualibus actibus?* 617. 1.

ART. IIII. *Vtrum licitum ſit pecuniam accipere pro his, quæ ſunt ſpiritualibus annexa?* 660. 2.

Diſp. I. *Vtrum vrgente indigentia ſacramenti, poſsit emi ab eo, qui nõ vult illud niſi accepto pretio miniſtrare?* 663. 1.

Diſp. II. *Vtrum licitum ſit dare, aut accipere pretium pro actibus ſpiritualibus?* 668. 1.

Diſp. III. *An ſit ſimonia, vendere, aut emere actus pertinentes ad poteſtatem iuriſdictionis, quæ in Eccleſia eſt?* 660. 1.

Diſp. IIII. *An liceat ſine ſimoniæ labe, ſciẽtias naturales vendere, aut emere?* 672. 2.

Diſp. V. *An pro docenda Theologica ſcientia liceat accipere pretium ſine vitio ſimoniæ?* 678. 1.

Diſp. VI. *An liceat diſpenſatoribus Sacramentorum, & aliarum actionum ſpiritualium, vt concionis, orationis, & ſimilium, vendere, vel locare operas ſuas, id eſt, labores, fatigationes, quas inſumunt in miniſtrandis Sacramentis, in prædicando, orando, & huiuſmodi aliis?* 684. 1.

Diſp. VII. *An liceat abſque ſimoniæ vitio dare pecuniam alicui, vt Religionem ingrediatur?* 688. 1.

Diſp. VIII. *Vtrum ſit ſimonia dare, & accipere pretium pro omiſsione actorum ſpiritualium; v. g. pro non celebrando, pro non prædicando, & ſimilibus?* 693. 1.

Diſp. IX. *An liceat aliquid temporale dare, & accipere ſub ratione ſtipendij ſuſtentationis miniſtrorum?* 698. 1.

Diſp. X. *Ad quos ſpectet taxare ſtipendia ſuſtentationis pro miniſtris Eccleſiaſticarum functionum? & de modo taxandi ſtipendia per leges ſtatuta.* 700. 1.

Diſp. XI. *Circa modum taxationis, qui ſit per pactum, & conuentionem miniſtrorum, & eorum quibus ſpiritualia diſpenſantur.* 701. 2.

Diſp. XII. *An liceat his, quibus ex officio incumbit ſpiritualia diſpenſare, paciſci de ſtipendio aliquo accipiendo pro ijs miniſterijs, ſaltem abſque ſimoniæ vitio?* 702. 2.

Diſp. XIII. *De vi & efficacia conſuetudinis circa ſtipendia ſuſtentationis miniſtrorum.* 703. 2.

Diſp. XIIII. *An ab ingreſſuris religionem liceat accipere, petere, aut exigere neceſſaria ad ſuſtentationem ingredientium?* 705. 2.

Diſp. I. *An annexa ſpiritualibus antecedenter vendi poſsint eo pretio quo ante cõſecrationem?* 711. 2.

Diſp. II. *An ſimoniacum ſit, & quo iure vendere beneficia Eccleſiaſtica?* 714. 2.

Diſp. III. *Vtrum commendas, coadiutorias, vel hoſpitalia vendere, ſimonia ſit?* 720. 1.

Diſp. IIII. *An præſtimonia vendi poſsint ſine ſimoniæ vitio?* 721. 2.

Diſp. V. *An penſiones vendi poſsint? Quæ licet nõ ſint propriè beneficia eo quod temporariæ ſunt, & cum morte penſionarij extinguũtur non mediocrem germanitatem cum beneficijs habent, vt adnotauit Abbas in c.* ad audientiam *de reſcriptis.* 722. 2.

Diſp. VI. *An ius patronatus ſit inuendibile; & conſequenter materia ſimoniæ?* 727. 1.

Diſp. VII. *An ſepultura, aut ius ſepeliendi, id eſt, vt ſepeliatur quis in loco ſacro, vendi poſsit, aut emi?* 731. 2.

Diſp. VIII. *An Eſau vendens primogenita ſua, & Iacob emens fuerint ſimoniaci?* 733. 2.

Diſp. IX. *An vexationis redemptio data pecunia, vel re temporali, habeat locum ſine ſimoniæ vitio erga res ſpirituales obtinendas, præcipuè erga beneficia Eccleſiaſtica?* 735. 2.

ART IC. V. *Vtrum liceat ſpiritualia dare pro munere, quod eſt ab obſequio, vel à lingua?* 745. 2.

Diſp. I. *An dare beneficium, vel aliquod aliud ſpirituale ratione conſanguinitatis tantùm, ſit ſimonia?* 749. 1.

Diſp. II. *An dare munera à manu pro beneficio obtinendo, ſit ſimonia?* 749. 2.

Diſp. III. *An dare beneficia, vel alia ſpiritualia pro obſequijs, ſimonia ſit?* 751. 2.

Diſp.

Disp. IIII. *An dare beneficium propter preces sit simonia?* 752. 2.

Disp. V. *An dare beneficium, vel aliam rem spiritualem propter vitandum aliquod malum, quod timetur, simonia sit?* 755. 1.

Disp. VI. *An cõmutatio vnius rei spiritualis pro alia spirituali; vel vnius rei annexæ spirituali, pro alia simili, simonia sit?* 757. 2.

Disp. VII. *An commutatio rerum spiritualium sit prohibita iure Pontificio?* 759. 1.

Disp. VIII. *Vtrũ hæc permutatio beneficiorum, & eorum, quæ ad ea spectant, possit aliquo modo licitè fieri?* 761. 1.

Disp. IX. *An beneficium Ecclesiasticum possit sine simonia cum pensione permutari?* pa. 762. 2.

Disp. X. *An quando beneficia sunt inæqualia liceat absque simoniæ vitio inæqualitatem dispensare data pecunia, vel aliquo temporali pecunia æstimabili?* 764. 1.

Disp. XI. *An renuntiatio beneficij in fauorẽ tertij simoniam includat?* 767. 1.

Disp. XII. *An transactio in spiritualibus, habeat rationem simoniæ?* 770. 2.

ART. VI. *Vtrum sit conueniens simoniaci pœna, vt priuetur eo quod per simoniã acquisiuit?* 774. 2.

Disp. I. *An prædicta diuisio sit sufficiens?* pa. 778. 2.

Disp. II. *Quæ intentio constituat mentalem simoniam?* 782. 1.

Disput. III. *An intentio remunerandi donospirituali antidoralem obligationem ortã ex aliquo temporali, sufficiat ad veram simoniam mentalem? Id est, an Episcopus conferens famulo beneficium Ecclesiasticũ, ea intentione, vt ex gratitudine recompenset obsequia ab eo sibi præstita, vel an famulus eadem intentione interueniens, sint mente simoniaci?* 786. 1.

Disp. IIII. *An conferre, seu resignare beneficium Ecclesiasticum in confidentia, sit verè, & propriè simonia, & ad quam speciem reducendam?* 789. 1.

Disp. V. *An qui beneficium Ecclesiasticum muneris interuentu acquisiuit, teneatur illud restituere, & quo iure? An diuino? An verò positiuo tantùm?* 793. 2.

Disputat. VI. *An venditor rei spiritualis teneatur ad restituẽdum pretium simoniacè acceptum iure diuino? An positiuo tantum?* 800. 1.

Disp. VII. *Circa alias simoniacorum pœnas.* 810. 2.

Disp. VIII. *Pro quibus actibus simoniæ, præfatæ pœnæ sint impositæ?* 814. 2.

Disp. IX. *Quis in simonia possit quoad pœnas à iure latas dispensare?* 817. 2.

SECVN-



TOMVS SECVNDVS
IN 2M. 2Æ. DIVI THOMAE.
DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

EXPLETA tractatione de Religionis virtute, D. Thom. accingitur ad disputandum de omnibus vitijs Religioni oppositis, quæ esse in duplici differentia testatur: quædam conuenientia cum Religione in hoc, quod aliqualem exhibent diuinum cultum: alia verò manifestam contrarietatem Religioni præ se ferunt, eo quod his cõtemnitur quidquid cultus diuini est. Priora vitia vocantur generali quodam vocabulo Superstitio; posteriora Irreligiositas. Vnde est

QVAESTIO. XCII.
DVOBVS TERMINATA ARTICVLIS
De Superstitione in genere.

ARTICVLVS PRIMVS.
Vtrùm Superstitio sit vitium Religioni contrarium?

Infr. q. 94. ar. 1. cor. & q. 95. art. 1. cor. & q. 122. arti. 3. co. & 3. di. 9. q. 1. ar. 1. q. 2. ad 3.

AD PRIMVM sic proceditur, Videtur quòd superstitio non sit vitium religioni contrarium. Vnum enim cõtrariorum non ponitur A in diffinitione alterius. Sed religio ponitur in diffinitione superstitionis: dicitur enim superstitio esse religio supra modum seruata, vt patet in Glos. ad Colos. 2. super illud: Quæ sunt ra- *Glo. interlinealis, ibi.*

A tionem

tionem habentia ſapientię in ſu perſtitione: ergo ſuperſtitio nō eſt vitium religioni contrariū.

Li.10.c.18 incipit, Sapiēs dictus, ante med.

2 ¶ Præterea, Iſido. dicit in lib. Etymol. Superſtitioſos ait Cicero appellatos, qui totos dies deprecabātur, & immolabant, vt ſui ſibi liberi ſuperſtites fierent. Sed hoc etiam poteſt fieri ſecundùm veræ religionis cultū: ergo ſuperſtitio non eſt vitium religioni oppoſitum.

3 ¶ Pręterea, Superſtitio quendā exceſsū importare videtur. Sed religio nō poteſt habere exceſſum: quia, ſicut ſupradictū eſt, ſecundùm eā non cōtingit æquale Deo reddere eius quod debemus: ergo ſuperſtitio non eſt vitium religioni oppoſitum.

Q.81.ar.5. ad 3.

¶ Sed contra eſt, quod Auguſ. dicit in lib. de decē chordis. Tāgis primam chordā qua colitur vnus Deus, & cecidit beſtia ſuperſtitionis: Sed cultus vnius Dei pertinet ad religionē: ergo ſuperſtitio religioni opponitur.

Ca.9. à me. to.9.

¶ Respondeo dicendum, quòd ſicut ſupràdictum eſt, religio eſt virtus moralis. Omnis autē virtus moralis in medio cōſiſtit, vt ſuprà habitū eſt. Et ideò duplex vitiū virtuti morali opponitur. Vnū quidē ſecundū exceſsū, aliud autē ſecundùm defectū. Cōtingit autē excedere medium virtutis, nō ſolùm ſecundū circunſtantiā, quæ dicitur quantū, ſed etiā ſecundū alias circunſtātias. Vnde & in aliquibus virtutibus, ſicut in magnanimitate & magnificētia, vitiū excedit virtutis mediū, nō quia ad maius aliquid tēdat quā virtus, ſed fortè ad minus. Trāſcendit tamē virtutis mediū, in quātum facit aliquid cui nō debet, vel quādo nō debet, & ſimiliter ſecūdùm alia huiuſmodi, vt patet per Philoſoph. in 4. Ethic. Sic ergo ſuperſtitio eſt vitiū religioni oppoſitū ſecundū exceſſum, non quia plus exhibeat in cultū diuinum quàm vera religio, ſed quia exhibet cultū diuinū, vel cui non debet, vel eo modo quo nō debet.

Q.81.ar.5.

Li.4.ca.1. & 5.to.5.

¶ Ad primvm ergo dicēdū, q̄ ſicut bonū metaphoricè dicitur in malis, prout dicimus bonū latronē, ita etiā nomina virtutū quandoq; trāſumptiuè accipiūtur in malis, ſicut prudētia quādoq; ponitur pro aſtutia: ſecundū illud Lucæ 16. Filij huius ſeculi prudētiores filijs lucis ſunt. Et per hunc modum ſuperſtitio dicitur eſſe religio.

¶ Ad ſecundū dicendum, quòd aliud eſt Etymologia nominis, & aliud eſt ſignificatio nominis. Etymologia attēditur ſecundū id à quo imponitur nomē ad ſignificādum: nominis verò ſignificatio ſecundùm id, ad quod ſignificādum nomē imponitur: quæ quandoq; diuerſa ſunt. Nomē enim lapidis imponitur à læſione pedis, nō tamē hoc ſignificat: alioquin ferrū cùm pedem lędat, lapis eſſet. Similiter etiam nomen ſuperſtitionis, non oportet quòd ſignificet illud, à

D.926.

quo

quo nomen eſt impoſitum. ¶ Ad tertiũ dicẽdum, quòd religio nõ poteſt habere exceſſum ſecundùm quantitatẽ abſolutá, poteſt tamen habere exceſſum ſecundùm quãticatem proportionis, prout ſcilicet in cultu diuino fit aliquid, quod fieri non debet.

Summa Textus.

PRIMA concluſio affirmatiua probata ex Auguſtino in lib. de decem chordis cap. 9. tom. 9. B

Secunda concluſio. Superſtitio eſt vitiũ religioni oppoſitum ſecundùm exceſſum, nõ quia plus exhibeat in cultum diuinum, quã vera religio, ſed quia exhibet illum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.

Contra ſecundam concluſionem arg. primò. In cultu Dei nequit reperiri exceſſus, ſicut neque in amore Dei: *Maior eſt enim omni laude.* Vnde & exaltare illum debemus quãtũ poſſumus, & quãtumcunq; exaltemus eũ non valemus erreddere æquale: ergo ſuperſtitio imò neque aliquod vitium poteſt religioni contrariari per exceſſum. *Eccleſ. 43.* C

Secundo. Quando attingitur diuinus cultus erga Deum verum, ſed modo indebito, ſuperſtitio eſt, vt ait D. Tho. in 2. concluſione: & tamen tunc nõ vitiatur actus per exceſſum, ſed potius per defectũ circũſtantiæ requiſitæ ad virtutis medium, putà propter defectum modi debiti: ergo ſuperſtitio nõ ſemper opponitur religioni per exceſſum, ſed quandoque per defectum. *D. Tho.*

Tertiò. Si quis ſe offerat Deo ſe ipſum interficiendo, aut filios ſuos, vt Iepte, aut vero bis ſuſcipiat ſacramentum Baptiſmi, aut quodlibet aliud nõ iterandum, ſuperſtitioſus eſt: ergo in exceſſu rei exhibitę erga cultum diuinũ poteſt eſſe exceſſus, quod inficiatur D. Tho. in 2. concluſione. D

Superſtitionẽ D. Thom. in articulo compendioſè deſcripſit, & vocabuli Etymologiã ad ſecundum argumentũ tetigit: primitus enim ſuperſtitio dicta eſt, vt ait Cicero lib. 2. de natura Deorũ, à quibuſdã qui totos dies precabantur, & immolabant, vt ſui ſibi liberi ſuperſtites eſſent, & ob id ſuperſtitioſi ſunt appellati: ſed etymologiã, & rationẽ eius vehementer acrimonia ſolita refutat Lactantius lib. 4. c. 28. Et quidẽ de Etymologia nõ contẽdo: potuit enim ab eo quod A vult Cicero antiquitus educi, & modò aliud ſignificare, vt in ſolutione ſecundi dicitur, ſed nequaquã approbo vitioſum reputari ſingulis diebus precari, aut immolare, vt filij ſuperſtites ſint: ſi enim ſemel facere optimũ eſt, cur non & ſæpius? quod & ſuaſit Seruator noſter dicens: *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Concluditq; Tertullianus ſuperſtitionẽ nequaquã ad verũ cultum pertinere, ſed ad malũ. D. Iſidor. lib. 8. Etymolog. c. 3. ait ſuperſtitionem dictam eo quod ſit ſuperflua; aut ſuperſtatuta obſeruatio. *Alij* (inquit) *aſſerunt ſuperſtitionem à ſenibus duci, quia multis annis ſuperſtites per ætatem delirant. Errant ſuperſtitione quadam, neſcientes quæ vetera colunt, aut quæ veterum ignari aſciſcũt.* Lucretius autem ſuperſtitionem dicit ſuperſtantium rerum, id eſt, cæleſtium ſeu diuinarum, quæ ſuper nos ſtant: ſed mãle dicit, quia confundit religionem cum ſuperſtitione: ſimiliter & alij, vt Seruius in 8. AEneidos ſic dicẽs: *Superſtitio eſt ſuperſtantiũ rerũ, id eſt, cæleſtiũ & diuinarum, quæ ſuper nos ſtant, inanis, & ſuperfluus timor.* Fortaſſe iſti erãt ex ſecta Epicurei exiſtimãtis Deo nõ eſſe curæ res humanas, atque adeò inaniter timeri. Secundam Etymologiam Iſidori priùs ſtatuerat Donatus, vel vt alij Seruius, qui in Andria Terẽtij: *Superſtites ſunt ſenes, vel anus; quia ætate multi ſuperſtites iam delirant.* Aulus Gelius libro 10. noct. Atti. ſuperſtitionem interpretatur importunam, & ineptam religionem, alludens fortaſſe ad relata ex Cicerone. Ecce de Etymologia, & deductione ſuperſtitionis varia, & incerta placita: parum retulerit ſic vel ſic ſentire; modò aſſeramus in vſu antiquo, & recentiori ſuperſtitionem in malam partem vſurpari pro cultu, ſcilicet, damnabili. Vnde & Paulus Actorum 17. *Viri Athenienſes* (ait) *per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video:* Syriacè *nimios in cultu dæmonum*, Græcè, *æquo ſuperſtitioſiores*: videlicet eo quod vano dæmoniorum timore lapides, ligna, ſpiritus, ignotoſque Deos colerent. Et interpretes ſacri, ac Doctores Scholaſtici cum D. Thom. pro vitio oppoſito religioni per exceſſum vſurpant. Et ad argumenta in oppoſitum reſpondetur. *Tertulian.* *D. Iſidorus* *Lucretius.* *Seruius.* *Aulus Gel.* *Paulus.*

Ad primum, in ſuperſtitioſo cultu non reperiri exceſſum ſecundùm quantitatem abſolutam, vt probat argumentum; at verò reperitur ſecundũ quantitatẽ proportionis, prout, ſcilicet, in cultu diuino fit aliquid quod fieri nõ debet; putà quia exhibetur cultus cui nõ debetur, vel modo indebito.

Ad ſecundũ reſpond. exceſſum in ſuper- *Cicero.* *Lactant.*

perſtitione non eſſe expendendū per ordinem ad modum debitū virtuti, quaſi ille tunc attingatur, & præterea excedatur, ſed per ordinem ſolùm ad ipſam materiam virtutis, quia videlicet tunc attingitur materia Religionis, nempe diuinus cultus, & vlterius proceditur ad circuſtantiam indebitam. Vnde quando à Doctoribus prima ſecundæ loco citato dicitur medium virtutis excedi per aliquem modū aut circuſtantiam indebitam, non loquuntur de medio formaliter, ideſt ſecundū omnia, quæ virtus requirit: quaſi ſenſus ſit attingi totum id, in quo conſiſtit ratio virtutis, & vltra procedi ad vitioſam modi circuſtantiam: hoc enim implicat contradictionem: nam ſi totum id quod ad virtutē pertinet fit, nihil vitioſum fit per eundem actum: loquūtur igitur tunc Doctores de medio virtutis materialiter, ideſt de re, ſiue materia virtutis, vt quæ præcipuè pertinet ad virtutis medium.

Ad tertium, cōceſſo antecedenti, negatur conſequentia: etenim tunc non fit exceſſus medij pertinentis ad religionē, quia res oblatæ, aut materia diuini cultus ſuperexcedat quantitatem rei abſolutè: namque etiamſi milliaria hominum Deo offerrētur maioris dignitatis eſt ipſe. Et conatus Abrahæ immolādi filium ſuum verè religioſus fuit non excedens religionis medium: ſed cultus cōmemorati in argumento ſuperſtitioſi fuêre, quia exceſſum eſt in quantitate proportionali: nimirum quia ille cultus deflexit in offerendo rem prohibitam, vt Iepte fecit; vel in colendo Deum modo ab eo prohibito, vt in iterata ſuſceptione baptiſmi. Mitto modò quòd fit iniuria rei ſacræ, quaſi baptiſmus ſemel ſuſceptus non eſſet efficax. Itaque in caſu argumēti peccata potius pertinent ad operationis modū indebitum, quàm ad rei quantitatem.

ARTICVLVS II.
Vtrùm ſint diuerſæ ſuperſtitionis ſpecies.

Infrà q. 94. ar. 1.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd nō ſint diuerſę ſuperſtitionis ſpecies quia ſecundū Philoſophū in 1. Topicorum, ſi vnū oppoſitorū dicitur multipliciter, & reliquū.

Lib. 1. c. 13. to. 1.

A Sed religio cui opponitur ſuperſtitio nō habet diuerſas ſpecies, ſed omnes eius actus ad vnā ſpeciē referūtur: ergo nec ſuperſtitio habet diuerſas ſpecies.

2 ¶ Præterea, Oppoſita ſūt circa idē. Sed religio cui opponitur ſuperſtitio eſt circa ea, quibus ordinamur in Deū, vt ſupra habitum eſt. Non ergo ſpecies ſuperſtitionis, quæ opponitur religioni, poſſunt attēdi ſecundū aliquas diuinationes humanorū euentuū, vel ſecūdū aliquas obſeruationes humanorū actuū. *Qu. 81. ar. 1 & 5.*

B 3 ¶ Præterea, Ad Coloſ. 2. ſuper illud. Quæ ſunt rationē habētia ſapientiæ in ſuperſtitione. dicit gloſ. ideſt, in ſimulata religione. ergo etiā ſimulatio debet poni ſpecies ſuperſtitionis. *Gloſ. ordin. ibid. ſuper illud: Ad ſaturitatem carnis ex Amb. Lib. 2. c. 20 vſque ad 24. to. 3. Annot.*

C ¶ SED CONTRA eſt, q̄ Aug. in ſecūdo de doct. Chriſt. diuerſas ſpecies ſuperſtitionis aſſignat.

¶ RESPONDEO dicēdū, quòd ſicut ſupra dictū eſt, vitiū ſuperſtitionis cōſiſtit in hoc, q̄ trāſcendit virtutis mediū ſecundū aliquas circuſtātias, vt ſupra dictū eſt. Non enim quælibet circunſtantiarum corruptarum diuerſitas variat peccati ſpeciem, ſed ſolùm quādo referuntur ad *Ar. præced. 1. 2. qu. 72. ar. 9.*

D diuerſa obiecta, vel diuerſos fines. Secundūhoc enim morales actus ſpeciem ſortiuntur, vt ſupra habitum eſt. Diuerſificantur ergo ſuperſtitionis ſpecies. Primò quidem, ex parte obiecti. Poteſt enim diuinus cultus exhiberi, vel cui exhiben- *1. 2. q. 1. ar. 3. & q. 18. arti. 4. 5. 6. 10. & 11.*

dus

dus eſt, ſcilicet Deo vero, modo tamẽ indebito: & hæc eſt prima ſuperſtitionis ſpecies: vel ei cui non debet exhiberi, ſcilicet cuicunq; creaturæ: & hoc eſt aliud ſuperſtitionis genꝰ, quod in multas ſpecies diuiditur, ſecundũ diuerſos fines diuini cultus. Ordinatur enim primò diuinus cultus ad reuerentiã Deo exhibendã: & ſecundùm hoc prima ſpecies huius generis eſt idolatria, quæ diuinã reuerentiã indebitè exhibet creaturæ. Secũdò ordinatur, ad hoc quòd homo inſtruatur à Deo quẽ colit: & ad hoc pertinet ſuperſtitio diuinatiua, quæ dæmones cõſulit per aliqua pacta cũ eis inita, vel tacita, vel expreſſa. Tertiò ordinatur diuinus cultus ad quandã directionẽ humanorum actuũ ſecundũ inſtituta Dei qui colitur: & ad hoc pertinet ſuperſtitio quarundã obſeruationũ. Et hęc tria tãgit Auguſt. in 2. de doct. Chriſt. dicẽs, ſuperſtitioſum eſſe quicquid inſtitutũ eſt ab hominibus ad faciẽda & coleda idola pertinẽs. Et hoc pertinet ad primũ. Et poſtea ſubdit: Vel ad cõſultationes & pacta quædã ſignificationũ cũ dæmonibus placita atq; fœderata: quod pertinet ad ſecundum. Et poſt pauca ſubdit: Ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ, & huiuſmodi: quod pertinet ad tertium.

Li. 2. c. 20. in prin. to. 3

Eodem loco nunc dicto.

Eod. ca. 20. parũ à prin.

Ca. 4. par. 4. inter med. & finem.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd ſicut Diony. dicit c. 4. de diuinis nomi. Bonũ cõtingit ex vna & integra cauſa, malũ autẽ ex ſingularibus defectibus. Et ideò vni virtuti plura vitia opponũtur, vt ſupra habitũ eſt. Verbum autem Philoſophi veritatẽ habet in oppoſitis, in quibus eſt eadẽ ratio multiplicationis.

Ar. præced. & ſupra q. 10. ar. 5. D. 714. & 958.

¶ Ad ſecundũ dicendũ, quòd diuinationes, & obſeruationes aliquæ pertinent ad ſuperſtitionem, inquantum dependent ex aliquibus operationibus dæmonum, & ſic pertinent ad quædam pacta cum eis inita.

¶ Ad tertium dicendũ, quòd ſimulata religio ibi dicitur, quando traditioni humanæ nomẽ religionis applicatur, prout in gl. ſequitur. Vnde iſta ſimulata religio nihil eſt aliud quàm cultus Deo vero exhibitus, modo indebito, ſicut ſi aliquis tẽpore gratiæ vellet colere Deũ ſecũdùm veteris legis ritum. Et de hac ad literam loquitur gloſſa.

Summa Textus.

COnclusio affirmatiua, quæ explicatur, & probatur à D. Tho. præſuppoſita doctrina data in præcedenti articulo. Superſtitionẽ ſcilicet expendi penes exceſsũ ad virtutis mediũ ſecundũ aliquas circunſtantias, eas nẽpe, quæ pertinẽt ad diuerſa obiecta, aut diuerſos fines. Nã vt habetur 1. 2. nõ quęlibet circũſtantiarũ corruptarũ variat vitiorũ ſpecies, ſed eæ ſolũ quæ referuntur ad diuerſa obiecta, vel fines.

Cõtra concluſionẽ arg. primò, ex Ariſtotele primo Topicorũ dicẽte: quando vnum oppoſitorũ multiplicatur alterũ neceſſe eſt multiplicari: ſed religio nõ diuiditur in plures ſpecies, vt ſupra habitũ eſt in q. 81. ar. 3. ergo nec ſuperſtitio. Reſpõdet D. Tho. Philoſophũ eſſe interpretandũ quãdo in oppoſitis reperitur eadem multiplicationis ratio, ſecus ſi diuerſa, vt in articulo declaratũ eſt inueniri in vitijs oppoſitis religioni.

Contra hoc tamẽ arg. Quãdo verus Deus religioſe colitur, quomodocunque ei exhibeatur cultus, ſiue immediatè ordinando eum ad Dei reuerentiam, ſiue mediatè, petendo ab eo inſtructionem nobis ignotorũ, aut verò directionem noſtrorum actuum; quia tamen omnia iſta ordinantur, & comprehenduntur ſub vna ratione, nempe collere verum Deum, & dare illi honorem, nõ multiplicantur ſpecies religionis: ergo ſi omnia iſta exerceantur erga creaturam nõ multiplicabũtur ſpecies ſuperſtitionis: quia omnia iſta vitioſe, & irreligioſe exhibita ſub vna ratione ordinantur, & comprehẽ duntur, nempe colere creaturam: parum autem retulerit hoc vel illo modo colere, ſicut & parum refert in cultu veri Dei ad multiplicãdam religionis virtutem in plures ſpecies. Confirmatur. Siue petamus à Deo media oratione cognitionem occultorum, ſiue ſanitatem, aut quodlibet aliud, conducens ad vitam commodè tranſigendam, non multiplicatur religio, quia eodẽ modo formaliter, & ſub eadem ratione exercetur cultus veri Dei in vtraque petitione: ergo ſi petitio vtraque ad dæmonem ordinetur, nõ erit diuerſa ſuperſtitionis ſpecies, quia eodem modo, & ſub eadem ratione in vtraq; petitione cultus dæmonis exercetur.

Secũdò. Superſtitio nihil aliud eſt, quàm priuatio quædam religionis tam ſecundùm actum, quàm ſecundùm habitum: ergo non magis multiplicabilis eſt, quàm id, cuius eſt priuatio: priuatio enim vnius poſitiui vna eſt, ſicut & ipſum poſitiuum: ac proinde ſicut religio non diuiditur in plures ſpecies, neque diuidetur ſuperſtitio.

Tertiò. Cultus Dei nequaquã ordinatur ad inſtruendos homines, aut eos dirigendos in ſuis operationibus; eſſet enim peruerſa illa hæc ordinatio vbi diuinus honor poſtponeretur commodis creaturarum: ruit ergo fundamentum D. Tho. in corpore articuli, quo vtitur ad oſtendendam diuerſitatem ſpecierum ſuperſtitionis.

Quartò. Oppoſita circa eadẽ verſantur: ſed religio tantum verſatur circa ea quibus ordinamur in Deũ, putà ſacrificia, vota, & huiuſmodi: ergo ſuperſtitio religioni oppoſita nõ verſatur circa operationes humanas, verbi gratia, inſtructionem circa occulta; directionẽ humanorum actuũ, & huiuſmodi, ex quibus D. Tho. deſumit ſpeciem ſuperſtitionis diuinatoriæ, & vanæ obſeruationis.

In hac controuerſia ſedanda parũ aut nihil laborare neceſſe eſt eos, qui actus religionis ſpecie differre inter ſe contendunt, quos ſubinde faſſuros credo actus ſuperſtitionis ſpecie diſtingui. Contra hos nõ mili tant argumẽta facta, nec nos de eorum poſitione admodũ ſoliciti ſumus, tũ quia contra cõmunem Doctorũ ſententiam: tum quia cõtra D. Tho. in multis locis, & in hoc eodẽ articulo expreſsè in argumẽto primo pro in dubitato ſupponit actus omnes ad virtutẽ religionis ſpectantes eiuſdẽ eſſe ſpeciei, ac rationis. Noſtra argumenta pluſculũ difficultatis ingerunt ſectatoribus D. Tho. aſſerẽtibus religionẽ, tã ſecũdùm actũ, quàm ſecundùm habitũ eiuſdem eſſe ſpeciei ſpecialiſsimæ, & nihilominus ſuperſtitionis dari plures ſpecies. Fuêre autẽ quidam Neoteri ci aſſerentes, neutiquã eſſe plures ſuperſtitionis ſpecies phyſicè, vt aiũt, ſed in genere moris quatenus verſantur circa diuerſas materias, & circunſtãtias notabiliter diuerſas. *D. Thom.*

Nos tamen aſſerimus eſſe plures ſpecies ſuperſtitionis, non ſolũ in genere moris, verum etiã & phyſicè, ſicut pleraque alia vitia vni virtuti oppoſita cẽſemus ſpecie differre

Cõmunis diſputatio eſt inueſtigare quo modo vni virtuti plures ſpecies vitiorũ contrarientur, habens propriã ſedem in 1. 2. q. 72. ar. 8. à qua nos ſuperſedemus, tum ne diſtrahamus diſputationes à proprijs locis: tũ ne ſine arte Lectorem & volumina oneremus: ſatis nobis fuerit ſententiã B. Thomæ de multiplicitate ſpecierũ ſuperſtitionis ſtatuere, maximè ad argumenta in oppoſitum facta reſpondẽdo, & obiter controuerſiæ illius fundamentũ attingendo. Ad primũ benè inter arguendũ reſponſum eſt: ad replicam verò ex D. Dionyſio c. 4. de diuinis nominibus eruimus rationẽ quare vni virtuti plures vitiorũ ſpecies contrarientur: nimirum, quia bonũ conſurgit vnicũ ex multis requiſitis ſimul, at verò cũ malum ex multis ſeorſum defectibus, plura mala ex ſingulis defectibus conſurgent. Item (& ratio notãda eſt) in virtute tã ſecundùm habitũ quàm ſecundùm actũ attenditur ratio boni, & ratio boni talis conſtituti in tali ſpecie: vtrũque habet virtus ex eo quod attingit ſuum obiectum nõ diſcedendo à medio rationis & regula: vnde ſi tale mediũ & regulam ſuã debitè attingit ſub eadẽ ratione non diuiſibili formaliter, habitus ſtudioſus vnicus tantũ eſt, & omnes actus ab eo eliciti vnius ſpeciei ſunt: at verò in vitijs ratio mali ſumitur ex priuatione rectitudinis debitę virtuti cui opponũtur, & ex diſceſſu à medio & regula eiuſdẽ virtutis: & ex hac parte nõ poteſt

ſumi

ſumi diuerſitas ſpecifica vitiorũ, quæ opponuntur vni virtuti, quia priuatio vt ſic non ſuſcipit maiorẽ multiplicationẽ, quàm poſitiuũ quo priuat, & quia ſpecies ex poſitiuo aliquo ſumenda eſt. Cæterùm quia priuatio iſta ex conuerſione ad aliquod obiectũ diſſonum regulæ virtutis dimanat (etenim in vitijs prius eſt cõuerti ad obiectũ diſſonum rationi, quàm priuatio rectitudinis ſtudioſæ) ſi contingat plures reperiri cõuerſiones ad obiecta diſſona virtuti, continget etiam plura vitia vni virtuti cõtrariari. Extant de hac re innumera exẽpla: ſed in cõtrouerſia, quæ agitatur manifeſtius: nã religio & omnes actus eius ſumũt ſpeciẽ ex eo quod attingunt reuerentiã & cultum diuinum omnibus circunſtantijs ornatũ. Vnde qualitercunque hanc regulã & mediũ attingãt ſub vna virtutis religionis ſpecie cõprehendũtur; at verò vitia oppoſita religioni ſuã ſpeciem deſumunt ex conuerſionibus ad obiecta diſſona, & recedentia à rectitudine religionis, quæ conuerſiones cũ plurificentur, non eſt mirũ & ſpecies vitiorũ religioni oppoſitorũ multiplicari. Quare ad argumẽtũ poſitũ in forma negatur cõſequẽtia, quia attingere diuerſa obiecta materialia ſub vna ratione, & ſub eadem regula ac medio eodẽ rationis, conſtituit & diſtinguit virtutes; ſecus in vitijs, quæ non conſtituuntur, neque ſpecificantur in attingendo obiecta ſub eadẽ ratione & regula, quin potius in attingẽdo obiecta, vt recedũt à regula & medio rationis: & ideò quando ſunt plures cõuerſiones ad obiecta diuerſa, plura erunt vitia: ſed de hoc fuſius prima ſecundæ lococitato. Similiter reſpondetur ad confirmationem negando conſequentiã propter eandem rationẽ: itaque cultus dæmonis exercitus in petitione cognitionis & in petitione ſanitatis quãuis conueniant in ratione cultus dæmoniaci nõ ſunt eiuſdẽ ſpeciei in ratione actuũ vitioſorũ (quamuis fortè in ratione actuum voluntariorũ eiuſdẽ rationis ſint) eo quod in vitijs non ſumitur ſpecies in attingendo ſub vna ratione, ſed in attingendo obiectũ ſub vna ratione diſſona rectitudini virtutis, & ideò quando attinguntur diuerſa obiecta diſſona formaliter diuerſæ ſpecies conſtituuntur. Dico formaliter, quia nõ multiplicantur ſpecies vitiorum pẽnes obiecta materialia, quæ ſine numero ſunt.

Ad ſecundum. Illi qui exiſtimant vitia cõſiſtere in priuatione, ab eaq; ſumere ſpeciẽ argumento poſito cõuincuntur: errãt tamẽ meo iudicio, nã pariter tenentur dicere pro

A digalitatẽ & auaritiam non eſſe duas vitiorũ ſpecies oppoſitas liberalitati, intemperantia itidem, & inſenſibilitatem eſſe vnam tantum vitij ſpeciẽ oppoſitam tẽperãtiæ. Quorum ſententiæ totus Philoſophorum Moralium cœtus contradicit.

Ad tertium primò reſpondetur, non eſſe inconueniens id quod minus eſt ordinari ad id quod maius eſt; ad eum modum quo actus vnius ſuperioris virtutis imperatur ab actu inferioris virtutis. De quo late ſupra quæſt. 81.

Secundò reſpondetur, eſſe aliquos actus religionis, in quibus immediatè non intẽditur diuinus cultus, ſed mediatè, quia in illis exercetur, cuiuſmodi eſt oratio, verbi gratia quando quis à Deo petit ſanitatẽ, fortaſsis non meminit diuini cultus, ibi tamen exercetur, & tunc diuinus cultus non ordinatur ad conſequutionem boni petiti, ſed actus in quo exercetur diuinus cultus: ſicque eſt intelligẽdus D. Tho. in hoc articulo, vel vt ait Caietanus ſecundũ ſe & nobilitate finiũ præſtat diuinus cultus: ſecundariò autẽ alios fines nihil vetat ei adiungi. Et vt hæc melius percipias lege ſi vis dominum Caietanum in hoc articulo.

Ad quartum reſpondetur, Quòd ſicut in religionis actibus nõ omnes immediatè ordinantur ad Deo reuerentiam, & cultum exhibendum: ſed quidam tantùm mediatè eo quod in illis iſthæc reuerẽtia exercetur, vt de oratione declaraui ſupra q. 83. ar. 3. & in iuramento, ac ſacramentorum ſuſceptione & huiuſmodi palam fit (etenim iſta opera immediatè terminantur, vel ad res poſtulatas, vel ad ſanctitatem aſſequendam; mediatè autẽ ad diuinum cultum.) In ſuperſtitione dæmoniaca quidam actus reperiuntur, qui immediatè ordinantur ad reuerentiam creaturæ exhibẽdam, vt idolatria: quidam verò non ordinantur ad id immediatè, ſed mediatè in exercitio ipſo, vt in diuinatione & obſeruatione: qui enim dæmonem inuocat tacitè, aut expreſsè, vt contingit in duabus præfatis ſpeciebus, licèt immediatè nõ intendat cultum dæmonis, mediatè tamen exercet illum. Itaque ſemper ſaluatur in his operibus ordo reuerentialis ad dæmonem, qui inuocatione, vel ſubiectione eius inſtituti exercetur.

QVÆSTIO. XCIII.

DE SVPERSTITIONE

INDEBITI CVLTVS VERI DEI.

Lactant. ITVLVS hic ominò aduerſatur Lactantio lib. 4. inſtitutionum cap. 28. vbi reprehendit Ciceronem, eo quod dixerit ſuperſtitionem poſſe eſſe in vera religione: nam vera religio tantùm eſſe poteſt in cultu veri Dei, quem Lactantius putat non poſſe eſſe ſuperſtitioſum. *Superſtitio* (inquit) *ſolùm eſt in cultu nouorum, & falſorum deorum; qui ſuperſtitio appellatus eſt, eo quod homines relicto antiquo & vero Deo, ſuperſtitem ſuorum Deorum memoriam colere cœperunt.* Et poſt aliqua: *Omnino* (inquit) *quid colas intereſt, non quemadmodum colas.* Sed Lactantio contradicit tota Theologorum & Philoſophorum Moralium Schola, quæ in cultu veri Dei ſuperſtitionem poſſe reperiri aſſeuerat: & nos circa primum præcedentis quæſtionis articulum ex D. Tho. (vt reor) demõſtrauimus. Igitur titulus iſte quæſtionis cordatè & ſapienter poſitus eſt, ad explicandum quandam ſpeciem ſubalternã ſuperſtitionis, quæ circa cultum veri Dei verſatur. Sed nomen ſimplex & proprium, quo nominetur (quod ego ſciam) nõ *Auguſt.* habet, neque illud ſcit D. Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 23. Diuidit autem *D. Tho.* D. Tho. iſtum cultum veri Dei ſuperſtitioſum, in eum, qui continet aliquid ſuperfluum, de cuius partitionis membris agit in duobus articulis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in cultu veri Dei poſsit eſſe aliquid perniciosum?

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd in cultu veri Dei non poſ-

A ſit eſſe aliquid pernicioſum. Dicitur enim Ioëlis 2. Omnis quicunque inuocauerit nomẽ Domini, ſaluus erit. Sed quicunque colit Deum quocunque modo inuocat nomen eius: ergo omnis cultus Dei confert ad ſalu-

B tẽ. Nullus ergo eſt pernicioſus.

2 ¶ Præterea, Idem Deus eſt qui colitur à iuſtis quacunque mũdi ætate: ſed ante legem datam, iuſti abſque peccato mortali colebant Deum qualitercunque eis placebat, vnde & Iacob pro-

C prio voto ſe obligauit ad ſpecialem cultum: vt habetur Geneſ. 28. Ergo etiã modò nullus Dei cultus eſt pernicioſus.

3 ¶ Præterea, Nihil pernicioſum in Eccleſia ſuſtinetur. Suſtinet autem Eccleſia diuerſos ritus colendi Deum. Vnde Gre- *Li. 12. Epi. vlt. inter 3. in fine regiſtri ad decem interrogat. Aug. ca. 3.*

D gorius ſcribit Auguſt. Epiſcopo Anglorum, proponenti quòd ſunt diuerſæ Eccleſiarum conſuetudines in Miſſarum celebratione: Mihi, inquit, placet, vt ſiue in Romanis, ſiue in Galliarũ partibus, ſeu in qualibet Eccleſia, aliquid inueniſti, quod plus omnipotenti Deo poſsit place-

re,

re, ſolicitè eligas. Ergo nullus modus colendi Deum eſt pernicioſus.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Auguſt. dicit in epiſt. ad Hier. & habetur in gloſſa ad Galat. 2. Quòd legalia obſeruata poſt veritatem Euangelij diuulgatam, ſunt mortifera: & tamen legalia ad cultum Dei pertinent. Ergo in cultu Dei poteſt eſſe aliquid mortiferum.

Ex epi. 18. 19. inter opera Aug. to. 2.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut Auguſt. dicit in lib. contra mendacium: Mendaciũ maximè pernicioſum eſt, quod fit in his quæ ad Chriſtianam religionem pertinent. Eſt autem mendacium, cùm aliquis exterius ſignificat contrarium veritati. Sicut autem ſignificatur aliquid verbo, ita etiam ſignificatur aliquid facto: & in tali ſignificatione facti conſiſtit exterior religionis cultus, vt ex ſupra dictis patet. Et ideò ſi per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificetur, erit cultus pernicioſus. Hoc autem contingit dupliciter. Vno quidem modo, ex parte rei ſignificatæ, à qua diſcordat ſignificatio cultus: & hoc modo, tempore nouę legis, peractis iá Chriſti myſterijs, pernicioſum eſt vti cæremonijs veteris legis, quibus Chriſti myſteria figurabantur futura: ſicut etiam pernicioſum eſſet, ſi quis non confiteretur Chriſtum eſſe paſſum. Alio modo poteſt contingere falſitas in exteriori cultu ex parte colentis: & hoc præcipuè in cultu cõmuni, qui per miniſtros exhibetur in perſona totius Eccleſiæ. Sicut enim falſarius eſſet, qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quæ nõ eſſent ei commiſſa, ita vitium falſitatis incurrit, qui ex parte Eccleſiæ cultum exhibet Deo cõtra modum diuina autoritate ab Eccleſia conſtitutum, & in Eccleſia conſuetum. Vnde Ambroſ. dicit: Indignus eſt qui aliter celebrat myſterium, quàm Chriſtus tradidit. Et propter hoc etiam gloſ. dicit ad Coloſ. 2. quòd ſuperſtitio eſt, quando traditioni humanæ religionis nomen applicatur.

Lib. de mẽdacio, c. 14. in prin. t. 4.

Quæſt. 81. art. 7.

1. Ad Cor. 11. ſuper illud. Quicunq; ederit panem. to. 5. Eſt gloſ. Amb. circa fi. commen. ad Col. c. 2. to. 5.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd cùm Deus ſit veritas, illi inuocant Deum, qui in ſpiritu & veritate eum colunt, vt dicitur Ioan. 4. Et ideò cultus cõtinens falſitatem non pertinet proprie ad Dei inuocationem, quæ ſaluat.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd ante tempus legis, iuſti per interiorem inſtinctum inſtruebantur de modo colendi Deũ, quos alij ſequebantur. Poſtmodum verò exterioribus præceptis circa hoc homines ſunt inſtructi, quæ præterire peſtiferum eſt.

¶ Ad tertium dicendum, quòd diuerſæ conſuetudines Eccleſiæ in cultu diuino, in nullo veritati repugnant: & ideò ſunt ſeruandæ, & eas præterire illicitum eſt.

Paraphraſis Articuli.

PRima cõcluſio. Quando in cultu exteriore veri Dei aliquod falſum ſignificatur, erit cultus perniciosus.

Secunda concluſio. Iſte cultus perniciosus, in quo admiſceatur falſitas, contingit dupliciter. Vno modo ex parte rei ſignificatæ, à qua diſcordat ſignificatio cultus. Secundo modo ex parte colentis, quando ſcilicet colens verum Deum, exhibet illi cultũ contra modum diuina autoritate ab Eccleſia conſtitutum, & in Eccleſia conſuetum. Prima concluſio probatur. Nam quando in cultu exteriori Dei reperitur factum, ſignificans aliquid contrarium veritati, committitur mendacium perniciosum: ergo in cultu veri Dei reperitur aliquid perniciosum. Antecedens habet duas partes: & quod reperitur mendacium in cultu veri Dei; & quod illud perniciosum eſt. Prima probatur. Quia mendacium cõſiſtit in hoc quod ſignificetur aliquid contrarium veritati; ſiue ſignificatio fiat verbo, ſiue factis. Mendacium autem, quod quandoque reperitur in cultu veri Dei, in ſignificatione factorũ exercetur, in qua conſiſtit exterior Dei cultus, vt dictum eſt art. 7. q. 81. Secunda pars probatur teſtimonio Aug. li. de mendacio. cap. 14. dicentis: *Mendacium maximè perniciosum eſt, quod fit in his quæ ad Chriſtianam religionem pertinent.* Taleque eſt illud quod quandoque committitur in cultu veri Dei.

Auguſt.

Secunda concluſio potius eget declaratione, quàm probatione. Quare percurrenda eſt litera D. Thomæ. Et primò notandum eſt D. Thom. agere de mendacio, non ita rigoroſe, vt communiter ſolet vſurpari pro falſa vocis ſignificatione; ſed etiam pro cuiuſque, etiam facti, falſa ſignificatione; quod non ineptè appellatur mendacium, vt annotauit D. Thom. quæſtione 110. artic. 1. ad ſecundum; & hoc mendacium in factis inquit reperiri in cultu veri Dei perniciosо. Contra quod tamẽ eſt obiectio prima. Nam videtur quandoque reperiri in cultu veri Dei aliquid perniciosum abſque mendacio. Patet in cultu Iudæorum modernorum, qui ritibus Iudaicis vtuntur nõ cum intentione fallendi: quin potiùs credunt ſe vti cæremonijs verum ſignificantibus, de aduentu Meſsiæ, & huiuſmodi: ergo non reperitur in eo cultu mendaciũ. Probatur conſequentia. Quia ſicut ad mendacium in verbo non ſufficit falſa ſignificatio verborum; ſed neceſſe eſt adeſſe intentionem fallendi: ita ad mendacium in facto non ſufficit falſa ſignificatio facti, qualis reperitur in cultu memorato Iudęorum, eo quod non reperitur fallendi intentio. Reſpondetur cum domino Caietano, quòd ad conuincendum in cultu quocumque veri Dei, vbi reperitur falſa ſignificatio, eſſe aliquid perniciosum, ſat fuerit ibi reperiri falſitatem perniciosam: ſiue illa falſitas ſit mendacium, ſiue tantùm ſit falſitas; ſed aduerſus religionem Chriſtianam, & ideò pernicioſa. Vnde ſicut Iudæus dicens corde, & ore, Chriſtum non veniſſe, ſed venturum, non mentitur, ſed falſitatem perniciosam dicit: ita colens Deum ritibus veteris legis, profitentibus in facto Chriſtum venturum, non mentitur, ſed factum falſum pernicioſe exercet in cultu Dei. Et hoc præuidens D. Thom. nunquam dixit, quod in cultu ſuperſtitioſo veri Dei eſt neceſſariò mendacium aſſerendum: ſed tantùm adiungit, quòd in eo cultu vbi eſt falſitatis ſignificatio, eſt perniciosum aliquid; putà falſitas ſignificationis; licèt etiam poſſet dici eſſe mendacium in tali cultu, quantum eſt ex parte actus, non verò quantum eſt ex parte colentis.

Circa diuiſionem factam in ſecunda cõcluſione: nempè in cultu poſſe reperiri falſam ſignificationem ex parte rei ſignificatæ, & ex parte colentis, ponit D. Thom. exemplum prioris in eo, qui modò tempore legis gratiæ, peractis Chriſti myſterijs, coleret Deum cæremonijs veteris legis; quibus Chriſti myſteria præſignabãtur futura. Qui cultus modò eſſet perniciosus, & mortifer, vt adnotauit Auguſtinus in epiſt. ad Hierony. 18. & 19. non minus quàm ſiquis negaret Chriſtum non aduenisſe, aut non eſſe paſſum. Circa quod exemplum aduerte, non ideò adieciſſe D. Thom. cultum, per cæremonias veteris legis præſignantes Chriſti myſteria futura, eſſe perniciosum, quaſi exiſtimet; ſi fieret per cæremonias aliud ſignificantes non eſſe perniciosum: qualeſcunque enim cæremonias vſurpet colens, quibus ſignificetur vel minimum contrarium Chriſtianæ veritati, cultus erit perniciosus: ſed appoſuit D. Thom. illa verba non vt modificatiua, ſed ad illuſtrationem doctrinæ. Etenim fermè omnia cæremonialia veteris legis Chriſtum venturum ſonabant, exceptis pauculis. De quo egi ſuprà, quæſtione de decimis, diſputa. 4. Ex his colligo. Si quis vteretur in diuino cultu cæremonijs veteris legis, vaſis, turibulis,

D. Thom.

D. Thom.

Auguſt.

bulis, veſtibus ſacerdotalibus, & alijs, quæ non ſignificaſſe Chriſtum venturum ſuperius loco citato dixi; cultus ille eſſet perniciosus & mortale in indiuiduo, quia ipſo cultu profiteretur, ſe eſſe Iudæum. Idem dico de cæremonijs, vaſis, aut veſtibus ſacerdotum Mahumetanorum, quos colere verum Deum dicitur, licèt multis adiunctis erroribus, quibus eos imbuit Pſeudo-propheta Mahomat.

Ex parte etiam colentis Deum, ait D. Thom. poſſe reperiri falſitatem ſignificationis, ac ex conſequenti perniciosum cultum. Probat. Quia ſicut ille falſarius eſſet qui nomine alterius proponeret, quæ non ſunt ei commiſſa: verbi gratia, ſi diceret, hæc iubet Rex, quæ tamen non iubet: ita vitium falſitatis incurrit, qui ex parte Eccleſiæ cultum exhibet Deo, contra modum diuina autoritate ab Eccleſia conſtitutum, & in Eccleſia conſuetum. Huius rei multa exempla nobis ſuppeditauit Concilium Toletanum, & refertur. 26. quæſtione. 5. cano. *Quicunque*. Poſſumus nos etiam alia apponere: vt ſiquis caneret Euangelium in dextro cornu altaris, aut exorciſmos baptiſmatis propria autoritate mutaret, & ſimilia. Huiuſmodi cultus perniciosam falſitatem contineret, quia Eccleſiæ nomine, vſu ipſo has cæremonias proponeret, quæ ſunt contra Eccleſiæ inſtituta.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Dei cultu poſsit eſſe aliquid ſuperfluum?

Sup. q. 81. art. 5. ad. 1. Et q. 92. ar. 1. Cor. & ad 3. & infrà. q. 104. ar. 2. ad 2.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd in cultu Dei non poſsit eſſe aliquid ſuperfluum. Dicitur enim Eccleſ. 43. Glorificantes Deum quantumcunque poteritis, ſuperualebit adhuc. Sed cultus diuinus ordinatur ad Deum glorificandum: ergo nihil ſuperfluum in eo poteſt eſſe.

2 ¶ Præterea. Exterior cultus eſt profeſsio quædam cultus interioris, quo Deus colitur Fide, Spe, & Charitate: vt Auguſt. dicit in Enchiridio. Sed in Fide, & Spe, & Charitate, non poteſt eſſe aliquid ſuperfluum. Ergo neque in diuino cultu. *Enchirid. c. 3. tom. 3.*

3 ¶ Præterea. Ad diuinum cultum pertinet, vt ea Deo exhibeamus, quæ à Deo accepimus. Sed omnia noſtra à Deo accepimus: ergo ſi totum quicquid poſſumus, facimus ad Dei reuerentiam, nihil ſuperfluum erit in diuino cultu.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Auguſt. dicit in ſecundo de doctrina Chriſtiana, quòd bonus veruſque Chriſtianus etiam in literis ſacris ſuperſtitioſa figmẽta repudiat. Sed per ſacras literas Deus colendus oſtenditur. Ergo etiam in cultu diuino poteſt eſſe ſuperſtitio ex aliqua ſuperfluitate. *Lib. 2. c. 18 in med. t. 3.*

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd aliquid dicitur ſuperfluũ dupliciter. Vno modo ſecundùm abſolutam quantitatem: & ſecundùm hoc non poteſt eſſe aliquid ſuperfluum in diuino cultu: quia nihil poteſt homo facere, quod non ſit minus eo quod Deo debet. Alio modo poteſt eſſe aliquid ſuperfluũ ſecundùm quãtitatem proportionis: quia ſcilicet non eſt fini proportionatum. Finis autem diuini cultus eſt, vt homo Deo det gloriam, & ei ſe ſubijciat mẽte, & corpore. Et ideò quicquid homo faciat quod pertinet ad

Dei

Dei gloriam, & ad hoc quòd mens hominis Deo ſubijciatur, & etiam corpus per moderatã refrænationem cõcupiſcentiarum, ſecundùm Dei & Eccleſię ordinationem, & conſuetudinem eorum, quibus homo conuiuit, non eſt ſuperfluum in diuino cultu. Si autem aliquid ſit, quod, quantùm eſt de ſe, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc, quod mens hominis feratur in Deum, aut quòd carnis concupiſcentiæ moderatæ refrænentur: aut etiam ſi ſit præter Dei & Eccleſiæ inſtitutionẽ, vel contra conſuetudinem cõmunem (quæ ſecundùm Aug. pro lege habenda eſt) totũ hoc reputandum eſt ſuperfluum, & ſuperſtitioſum: quia in exterioribus ſolùm conſiſtens, ad interiorem Dei cultum non pertinet. Vnde Auguſt. in lib. de vera religione inducit quod dicitur Luc. 17. Regnum Dei intra vos eſt: loquitur contra ſuperſtitioſos, qui ſcilicet exterioribus principalem curam impẽdunt.

In epiſ. 86. parum à princ. to. 2. & de Eccl. dogm. c. 22 C. 3. à med. to. 1.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in ipſa Dei glorificatione implicatur, quòd id quod fit pertineat ad Dei gloriã: per quod excluditur ſuperſtitionis ſuperfluitas.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd per Fidem, Spem, & Charitatẽ anima ſubijcitur Deo. Vnde in eis nõ poteſt eſſe aliquid ſuperfluum. Aliud autem eſt de exterioribus actibus, qui quandoque ad hæc non pertinent.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de ſuperfluo quantum ad quantitatem abſolutam.

Summa Articuli.

PRima concluſio. Secundùm abſolutam quantitatem nihil poteſt eſſe ſuperfluum in cultu Dei: quia nihil poteſt homo facere, quod non ſit minus eo, quod homo Deo debet.

Secunda concluſio. Secundùm quantitatem proportionis poteſt reperiri aliquid ſuperfluum in cultu Dei. Quia videlicet in cultu Dei reperitur aliquid, quod non eſt proportionatum fini diuini cultus: qui in his duobus conſiſtit, vt vidimus q. 81. art. 5. ad vltimum nempè, vt Deo homo gloriam & honorem exhibeat, & ſe illi mente, & corpore ſubijciat: mente quidem ſe ſeruum Dei aſſeuerando, & profitendo: corpore verò per moderatam refrænationem concupiſcentiarum, ſecundùm Dei, & Eccleſiæ ordinationem, & conſuetudinem eorum, quibus homo conuiuit. Tunc probatur concluſio. Poteſt in cultu diuino contingere vt fiat aliquid, quod quantum eſt de ſe nõ pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiſcentiæ moderatè refrenentur, aut quod ſit præter Dei & Eccleſiæ inſtitutionem, vel conſuetudinem communem: ergo illud erit ſuperfluum, & ſuperſtitioſum. Antecedens relinquitur vt notum: Conſequentia verò probatur. Quia id in exterioribus ſolùm conſiſtens, ad interiorem Dei cultum non pertinet; ac proinde ſuperfluum eſt: eo quod cùm cultus exterior ad interiorem ordinetur, ſi aliquis exterior cultus reperiatur, qui ad interiorem non ordinetur (qui in illis duobus relatis conſiſtit) ſuperfluus cultus cenſendus eſt.

Circa literam D. Thom. primò aduertendum eſt, Quòd ſicut in actibus Fidei, Spei, & Charitatis nequit ſuperfluum reperiri; ſic nec in actibus religionis internis, qui conſiſtunt in dando ei honorem: in quo ſi de actu interno ſermo fiat nequaquam nimij eſſe poſſumus. Iuxta illud Eccle. 43. *Glorificate Deum quantum poteſtis, ſuperabit adhuc.* Neque poſſumus excedere in humi- *Eccleſiaſt.*

humiliando nos in mentem noſtram,& omnia noſtra interius ei offerendo, quod fit per deuotionem. Ita D. Thom. hic ad ſecundum.

Cui doctrinæ non obſtat quod ab aliquibus obijcitur: quòd zelus & æmulatio pro Deo actus interior eſt, & poteſt quis illum concipere ex intentione colendi Deum,& tamen ſi zelus indiſcretus ſit,qualis affirmatur à D. Paul. ad Rom. 10. eſſe zelus Iudæorum, pertinebit ad ſuperſtitionem. Et idem accidere poteſt in timore, & ſimilibus actibus internis, aptis ex ſuo genere ad colendum Deum: ergo etiam in actibus internis reperiri poteſt ſuperſtitio. Reſpondetur. Ij commemorati actus vel nõ ſunt elicitiuè à religione, ſed imperatiuè; aut verò ex obiecto ſuo immediato ad religionem non pertinent, cuius actus ſunt illi interni, quibus immediatè Deo, & honor exhibetur, & ſe illi homo ſubijcit mẽte,& corpore; in quibuſque nihil ſuperflui reperiri poteſt, ſicut neque in actibus virtutum Theologicarum. Si quæ verò ſuperfluitas poteſt reperiri in diuino cultu, ea verſari debet circa actus externos dumtaxat, vel quia ea, quibus in cultu externo vtimur, de ſe non pertinent ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis Deo ſubijciatur; aut quod concupiſcentiæ carnis moderatè frænentur. Vt autem ſcias, quando ad hos fines externa noſtra ſpectent, habeto pro Regula Eccleſiæ inſtitutionem, aut conſuetudinem: nam ſi huic quadrent, vſus eorum non pertinebit ad ſuperfluum cultum: ſin minus, ſpectabit vtique. Ex quo infert Caietanus, & benè, quòd ſi aliquis, præter Eccleſiæ morem, ad interiorem deuotionem intenderet nouas cæremonias colendi Deũ ordinare; vitio ſuperflui cultus inuolueretur. Satis ſuperque cæremoniarum ſunt in vſu Eccleſiæ ad deuotionem excitandam aptiſsimarum: alias curioſius indagare ad ſuperfluum cultum ſpectat. Quapropter non ſunt damnandi ſancti Viri, qui ad excitandam deuotionem interiorem orabant ſecretò, modò genu flectentes, modò procumbentes, modò eleuatis manibus, aut expanſis in modum Crucis: vel quopiam alio modo ſimili: quia iſti orantium geſtus, & cæremonię in more Eccleſiæ ſunt. At verò innumera alia externa vſurpat in cultu Dei rude vulgus, quæ ad ſuperfluum cultum pertinent: v.g. Sabbathis non ſecare vngues, in reuerentiam Beatiſsimæ Virginis; non fila ducere: & alijs ſeruilibus occupari ſummò mane, & non veſpere; orare decies, & non pluries: neque minus genua flectere. Quæ omnia præter Eccleſiæ morem ſiunt, & ſatis ſuperſtitioſè, cultu nimirum impertinente, ac ſuperfluo.

D. Paul. *Caiet.*

Horum articulorum doctrina argumentis agitanda eſt, vt innoteſcat amplius. Et primò arguitur contra diuiſionem cultus veri Dei, in pernicioſum, & ſuperfluum. Quia omnis ſuperſtitio circa verum Deũ falſitatem continet ſaltem ex parte colentis; nam hoc ipſo quod ſuperſtitioſus cultus eſt, non eſt verus: ergo falſus; ac ex conſequenti pernicioſus. Ergo non eſt bona diuiſio: cùm diuiſum conuertatur cum vno membro diuidente. Secundò. Omnis ſuperſtitio continet ſuperfluum cultum: ergo non eſt vnum diuiſionis membrum. Probatur antecedens. Quia vt ex D. Tho. in Proœmio quæſtionis proximè præcedentis habuimus, in hoc differt ſuperſtitio ab irreligioſitate; quòd hæc per defectum; illa per exceſſum, & per aliquam circunſtantiam, quæ reddit cultum ſuperfluum, contrariantur religioni. Tertiò. Quia ijdem actus ſuperſtitionis ſub vtroque membro diuiſionis collocantur. Antecedens probatur. Quia in claſſe cultus ſuperflui, ponit D. Thom. illum, qui ad gloriam Dei non pertinet: talis certè eſt omnis cultus pernicioſus. Item ſub cultu ſuperfluo ponit illum, qui eſt præter Dei inſtitutionem, vel conſuetudinem communem: at hoc habet omnis cultus pernicioſus. Quarto probatur, membra illius diuiſionis non adæquare diuiſum. Etenim ſi quis exiſtimans ſe colere Deum, occidat filium ſuum, vt de Iepte legitur, cultus ille ſuperſtitioſus eſt, & peccatum per exceſſum; at non continetur ſub cultu mendaci, neque ex parte ſignificatæ rei, neque ex parte operantis: nec etiam ſub cultu ſuperfluo, quia valdè pernicioſus eſt: ergo. Quintò arguitur contra diuiſionem pernicioſi cultus poſitam à D. Thom. in ſecunda concluſione primi articuli, ſcilicèt, in pernicioſum, id eſt, mendacem ex parte rei ſignificatæ, & ex parte colentis. Videtur enim inſufficiens, quia cultus qui dicitur mendax ex parte colentis, ſuperfluus cultus apparet, non mendax: quia in hoc conſiſtit, quod colens exhibet cultum aliter quàm ſit à Chriſto inſtitutum, vel ab Eccleſia ordinatum, ſeu conſuetum: in quo etiam conſiſtere rationem cultus ſuperflui ait D. Thom. in ſecundo articulo.

Ad

Ad argumenta hæc continuò respondē- A
dum est. Nam doctrina D. Thom. & ab ipso satis comprobata, & à nobis explicata est. Ad primum respondetur, omnem cultum falsum esse falsitate quadam communi omni superstitioni, videlicet, quia per illum putatur, Deo exhiberi cultum in signum reuerentiæ, & venerationis: id tamen non fit, sed potiùs irreuerentia, & inhonoratio ei exhibetur. Sub hac ratione si consideretur cultus, potiùs dicitur illegitimus, quàm falsus: vel si appelles falsum, falsitas hæc in essendo erit, non in significando; sicut aurichalcum dicitur falsum aurum, id est non habens conditiones veri auri. Et ratione huius falsitatis non dicitur cultus pernicio- B
sus distingui à superfluo cultu; sed quia aliquam falsitatem in significando significare supponitur: vt patebit intuenti cultum Iudæorum nostris temporibus, qui nō dicitur falsitatem continere, eo quod falsus est, & nullus, ac illegitimus: sed quia supponit in operibus ipsis aliquam falsam significationem, in qua fundatus est. Hinc etiam patet ad secundum argumentum, concedēdo, omnem superstitionem posse dici superfluum cultum quadam generali ratione, vt argumentum probat. At D. Thom. & Theologi omnes non vsurpant in ea ge- C
nerali acceptione cultum superfluum: sed in speciali, nimirum ad significandum illum, qui inanis est, non propter mendaciū, sed propter quemcunque alium defectum; pernicios⁹ etenim cultus dicitur, qui non solùm inanis est, sed etiam mendax; superfluus autem vocatur, qui nimius est, & inanis absque mendacio speciali.

Ad tertium respondetur, illud membrū diuisionis, scilicèt superfluum cultum, & eius descriptionem, intelligendum esse cū exclusione, id est, ille cultus est superfluus, qui ad Dei gloriam, &c. non pertinet, id est qui hoc tantùm habet, non verò falsitatem includit. Et ideò quamuis pernicios⁹ cul- D
tus ad Dei gloriam non pertineat, quia tamen simul includit falsitatem, non est dicendus superfluus.

Quarto argumento moti quidam, cultū illum & similes inter superfluos cultus enumerant, quod tamen falsum esse existimo. Tùm quia huiusce modi cultus non debet computari inter inanes, qualis est superfluus cultus: tùm, quia apud D. Thom. cultus superfluus non est ille, qui fit contra Dei vel Ecclesiæ institutionē: sed qui præter eam. At cultus iste (de quo in argumento) contra Dei iussionem est: qui prohibuit sibi homines sacrificari, aut aliquid turpe in eius obsequium offerri. Quare ad argumentum dico, illum cultum, de quo in argumēto, esse pernicios⁹ cultum, & mendacem ex parte colentis, de quo latiùs, tuentes Caietani sententiam de cultu priuato mendaci ex parte colentis.

Circa quintum argumentum, nota primò differentiam inter cultum pernicios⁹ ex parte rei significatæ, & ex parte colentis: nam cultus ex parte rei significatæ tunc contingit, quando colens Deum vtitur vocibus, signis, aut cæremonijs, quæ ex se significatiua sunt alicuius falsitatis: & hoc dupliciter, vel contra veritatem fidei, vel contra veritatem coniunctam mysterijs fidei. Exemplum primi in Iudæo colente Deum cæremonijs veteris legis. Secundi in eo qui in priuatis colloquijs, existimans se promouere Dei cultum narrat miracula falsa; falsitas verò ex parte colentis tunc accidit quando licèt colens non vtatur vocibus, signis, aut rebus, quæ de se falsitatem significant; tamen colens falsarius est, quia nomine Ecclesiæ, aut Christi offert indebitum cultum, dicens expresse, vel implicitè, se nomine Christi, aut Ecclesiæ Deo exhibere cultum. Expresse quidem, vt si dicat, se eum exhibere cultum, Deo iubente, aut in nomine Ecclesiæ. Implicitè verò, quotiescunque quis Deo offert cultum indebitum, tanquam Christi minister: vt si quis concionator narret miracula fictitia: nam hoc ipso quòd è suggesto prædicat illa, vt publicus minister, & nomine Ecclesiæ, cēsendus est ea referre: aut si Clericus excōmunicatus sacrificium offert: quia talis oblatio semper nomine Ecclesiæ facienda esse intelligitur. Huiusmodi enim cultores falsarij sunt, quia voce, vel factis profitentur, se offerre cultum nomine Christi, aut Ecclesiæ, quod tamen falsum est. An verò ille, qui priuatè exhibet cultum ab Ecclesia prohibitum, falsarius censendus sit; & exhibere cultum pernicios⁹ ex parte colentis? statim dicemus.

Secundò aduertendum, membra istius diuisionis distingui, penes rationes diuersas iam explicatas. Nam in eodem actu superstitioso semper coniunguntur: v. g. ille qui fingit se esse Sacerdotem, & sacrificiū offerre simulat, superstitios⁹ est pernicios⁹ ex parte rei significatæ; nam verba, quæ profert: *Hoc est corpus meum*: falsæ significationis sunt, quia ibi re vera non adest cor-

pus

pus Chriſti, quod ibi adeſſe affirmat: & etiam ex parte ipſius colentis pernicioſe offert, & falſariè, gerendo ſe vt Chriſti miniſtrum, & nomine eius offerendo. Idem videtur dicendum de Cõcionatore, & Doctore, qui fidem confirmare nititur, aut cultum Dei promouere, narrando falſa miracula, qui ſuperſtitioſus, mendax eſt ex parte rei ſignificatæ: quia res, quæ profertur, nõ ita ſe habet ſicut per verba, aut ſcripta ſignificatur. Et præterea ex parte colentis, quia vt Chriſti miniſter, ac ex conſequenti nomine Eccleſiæ eum cultum exercet. Et ſic de alijs iudicato.

Tertiò. Notanda eſt differentia inter cultum ſuperſtitioſum ex parte colentis, & inter cultum ſuperfluum: quam colligit Caietanus ex D. Tho. videlicet: pernicioſum ex parte colentis neceſſe eſſe quòd ſit contra Eccleſiæ inſtitutionem, aut prohibitionem: at verò cultus merè ſuperfluus, de quo agit D. Thom. in 2. art. non eſt contra, ſed præter Eccleſiæ conſtitutionem, vel cõſuetudinem. Et ſi obijcias eundem Doctorem ſanctum addidiſſe, vel contra communem conſuetudinem, quæ pro lege habenda eſt ſummo modo, intelligendus eſt de conſuetudine, quæ non habet vim præcepti: ſed deberet obſeruari quaſi eſſet lex. Hinc infertur, cultum pernicioſum contrariari veritati; & ideò pernicioſum: ſuperfluum verò vtilitati, ac proinde malum: & ideò veniale, niſi propter contemptum, vel ſi adiungatur præceptum: & ex hoc patet. Ad argumentum quintum negatur antecedens, & eius probatio, non enim conſiſtit falſitas cultus pernicioſi ex parte colentis in hoc, quòd aliter exhibeatur, aut præter Eccleſiæ conſtitutionem: ſed in hoc quòd contra exhibeatur, vt declaratum eſt.

Caietan.

Caietan.

Addit Caietanus, hunc cultum pernicioſum ex parte colentis, non ſolùm reperiri in cultu communi, ſed etiam in priuato: in quo miniſter offert Deo cultum prohibitum, ſed nomine ſuo. Et nititur autoritate D. Thom. dicentis, hanc falſitatem præcipuè inueniri in cultu communi. Dicendo autem *præcipuè*, etiam inſinuauit reperiri in cultu priuato. Affertq; Caietanus aliquot exempla. Primum eſt. Si quis ieiunet die Dominica contra Eccleſiæ prohibitionem. Secundum exemplum Caietani eſt. Si quis Dominicam oratione omninò priuata intentione dicat, excludens Eccleſiam ab illius participatione. Tertium exemplum ponit in Summa, verbo, *Superſtitio*, de illo, qui falſas reliquias proponit colendas tanquam veras, aut in priuatis colloquijs falſa miracula narrat.

Hic modus Caietani non placet quibuſdã: vnde & illum multis labefactare conantur. Primò. Quia qui priuatè colit, in ſua propria perſona cultum exercet, & in hoc non mentitur: quia re vera ſuo nomine offert, & non alterius. Hoc enim eſt de ratione priuati cultus: ergo non eſt falſarius ille, qui ſic offert Deo cultũ. Probatur cõſeq. ex D. Thom. qui in hoc conſtituit cultum falſum ex parte colentis: nimirùm quia nomine Chriſti, aut Eccleſiæ offert. Secundò. Quia exempla poſita à Caietano nequaquã ſuæ ſententiæ fauent. Ieiunium die Dominica, ſi ex ſuperſtitione fiat, potiùs cõtinet falſitatẽ ex parte rei ſignificatæ, quã ex parte operantis: etenim qui ſic ieiunat, non in perſona Eccleſiæ ſe ieiunare ſimulat, ſed priuatum ieiunium exercet: ergo in hoc non mentitur; ac ex conſequenti non eſt cultus falſus ex parte operantis. Quòdſi ieiunet, vt illa cæremonia profiteatur, non eſſe colendam, vel credendam Chriſti reſurrectionem; ſicut ieiunabant Manichæi, & Priſcilianiſtæ, contra quos directè prohibitum eſt illum ieiunium: vt ait Leo in epiſto. 93. cap. 4. & ſumitur ex Melchiade in cap. *Ieiunia*, de conſecratione, diſt. 3. & ex Conc. Cæſar-Aug. cap. 2. in cap. *Ne quis*, eadem diſtinct. ſi ſic, inquam, aliquis ieiunet, certè mendax eſt: quia falſum ſignificat per illud factum. Hæc autem eſt falſitas ex parte rei ſignificatæ, non ex parte colentis: ergo. Secundum autem exemplum Caietani de priuatè orante per orationem Dominicam ferè eodem modo labefactatur, vel quia non peccat orans pro ſe ſolo, vel ſi peccat, non mendaci cultu: cùm non oret nomine alterius, ſed nomine proprio. In tertio etiam exemplo reperitur falſitas ex parte rei ſignificatæ, quia vtitur ſigno falſo: & rei non exiſtentis, ſaltem non eſt falſitas ex parte colentis: quia non nomine Eccleſiæ, ſed ſuo falſas reliquias proponit.

Caietan.

Ex his infertur contra Caietanum, illum cultum falſum ex parte colentis ſolùm reperiri in cultu communi, quia in priuato vnus non colit Deum nomine alterius; vt in hoc poſsit falſitatem adiungere: ſed vnuſquiſque in propria perſona colit. Et ad D. Thom. reſpondetur, illud aduerbiũ *præcipuè*, quòd addidit D. Tho. eſſe intelligendum largo modo; & idem ſignificat quod

quod maximè,& principaliter:certè iſti Au A
tores probabiliter loquuntur: ſed nobis ma
gis placet Caietani ſententia,ſcilicèt in cul
tu etiam priuato poſſe reperiri falſitatem
ex parte colentis, & hoc eſſe de mente D.
Thom.benè expendit Caietanus, & inter-
pretatio oppoſitum ſentientium voluntа-
ria eſt. Itē,quia cultus priuatus contra pro-
hibitionem Chriſti, aut Eccleſiæ, non eſt
cultus ſuperfluus, de quo in art. 2. affirmat
ſanctus Thomas eſſe præter, non contra,
prohibitionē Eccleſiæ:ergo eſt cultus per-
nicioſus ſaltem ex parte colentis.

Et vt argumentis in oppoſitum reſpon-
deamus aduertendum, dupliciter aliquem
colentem Deum, per opera de ſe non ſig- B
nificatiua cultus falſi,dici, & eſſe falſarium
in cultu. Vno modo,quia nomine Chriſti,
aut Eccleſiæ offert aliquem cultum, quem
nec Chriſtus, nec Eccleſia approbat. Iſtè
modus falſitatis ſolùm reperitur in cultu cō
D.Thom. muni, & ob id addidit D. Thom. præci-
puè reperiri in communi cultu, quia in eo
manifeſtè apparet ratio falſitatis, cùm colēs
fingat, ſe nomine alterius exhibere illum
cultum illegitimum,cùm tamen hoc falſum
ſit. Secundo modo: Quando quis priuatè
contra modum ab Eccleſia conſtitutum,
cultum offert: & in iſto etiam reperitur fal
ſitas ſignificationis:ſed aliquanto obſcuriùs
quàm in cultu communi, & alia diuerſa ra- C
tione : cùm enim colens Deum exterius,
exhibeat aliquod opus in ſignum reuerен-
tiæ erga Deum:hoc ipſo quod ipſe,vel Ec-
cleſia eius nomine, prohibet aliquod ſignū
cultus,is qui illo vtitur ipſofacto profitetur
eſſe falſæ ſignificationis, id eſt, diſcordan-
tis contrariè à ſignificatione veri cultus:vel
vt proprius loquamur ipſum colentem fal-
ſarium aliquo modo eſſe,quia vſurpat offi-
cium Eccleſiæ,ad quam ſpectat ſtatuere vel
approbare, aut verò reprobare ſigna exte-
riora cultus diuini. Et ſi obijcias inde ſequi,
cultum merè ſuperfluum debere dici per- D
nicioſum, quia non eſt approbatus ab Ec-
cleſia.Reſpondetur.Iſta reprobatio eſt pu-
rè negatiua,id eſt,non approbat: at quan-
do cultus prohibetur,eſt reprobatio poſiti-
ua,ex qua infertur falſitas ex parte colētis;
non verò ex reprobatione purè negatiua,
qualis in cultu merè ſuperfluo reperitur.
Declaratur hoc in ſignis ſeu teſſeris milita-
ribus,quibus vtentes milites non ſolùm di-
cebantur falſarij,quando falſam teſſeram no
mine ducis oſtendebant; verùm etiam quā-
do teſſera, aut ſigno prohibito pro vero
vtebantur: & non ſolus eſſet falſarius, qui
monetam(nomine Regis ementito) cude-
ret:verùm & ille qui contra præceptum Re
gis nouam adinueniret,quia vſurpat officiū
Regis,ad quem ſpectat adinuenire,vel ap-
probare legitimam monetam.Sic etiam di-
cendum eſt de cultu mendaci ex parte co-
lentis.

Ad ſecundum argumentum contra exē-
pla Caietani reſpondetur.Ad obiectionem
contrà exemplū de ieiunio in die Domini-
cà; fatemur; ſiquis ieiunaret illo die ad pro
fitendum errorem Manichæorum,aut alio-
rum Hæreticorum negantium Chriſti Re-
ſurrectionē, ille cultus eſſet pernicioſus ex
parte rei ſignificatæ, à qua diſcordat ſigni-
ficatio cultus. At verò cùm ſit prohibitum
tale ieiunium ab Eccleſia,non ſolùm contra
illos hæreticos,ſed vt lætemur,& abſtinea-
mus à luctu in die illo dicato Reſurrectioni
Dominicæ, non eſt cultus pernicioſus ex
parte rei ſignificatæ, ſed potiùs ex parte co
lentis cultu priuato;prohibito tamen ab Ec
cleſia.Ad reliquas impugnationes patet ex
dictis ad primum argumentum contra Ca-
ietanum.

Demùm, vt vltimam manum imponа-
mus huic quæſtioni, explanandum eſt quā
do cultus ſuperſtitioſus circa verum Deum,
ſit peccatum mortale in indiuiduo?quia om
nis ſuperſtitioſus cultus (vt potè oppoſitus
religioni) peccatum mortale eſt ex gene-
re ſuo. In qua re

Dico primò. Omnis cultus pernicioſus
ex parte rei ſignificatæ, ferè ſemper mor-
tale eſt etiam in indiuiduo.Probatur. Quia
ferè ſemper mendax eſt in materia fidei,
aut religionis, vt ex Auguſtino attulit D.
Thom,in 1.art. At omne mendacium per- D.Thom.
nicioſum ferè ſemper peccatum mortale
eſt, ac proinde illud afferre ad colendum
Deum iniurioſum ipſi eſt. Huius rei ſupe-
rius multa adduximus exempla: præcipuè
in cultu Iudæorum modernorum per cæ-
remonias veteris legis: in quo cultu grauі-
ter Deum inhonorant,vt adnotauit Ambro
ſius,Pſal.118.circa illa verba, *Statue ſeruo* Ambroſ.
tuo eloquium tuum. Item,ſi Gentilis modò
offerret vitulum Deo, ignorans culpabili-
ter non eſſe modò vllum ſacrificium, præ-
ter ſacrificiū altaris.At verò ſicut mendaciū
aliquod pernicioſum in materia leui poteſt
eſſe veniale:ſic & cultus mendax ex parte
rei ſignificatæ: v. g. ſi aliquis ob indiſcre-
tam humilitatem in confeſsione diceret
peccatum veniale non commiſſum: etiam

pecca-

peccatum veniale committeret ſuperſtitionis, quia materia leuis eſt: ſecus ſi mentiretur in materia graui mortaliter, aut in tota materia Sacramenti, quia tunc peccaret lethaliter, propter materiæ grauitatem.

Dico ſecundò. Cultus pernicioſus ex parte colentis, quando fit ex nomine Chriſti, aut Eccleſiæ, ſemper peccatum mortale eſt. Etenim grauis iniuria fit ipſis, ſi mendaciter aſſeratur, tam Chriſtum, quàm Eccleſiã, vel minimũ cultum indebitum offerre, vel iubere offerri. Ad hoc genus ſuperſtitionis reducit Caietanus abuſum cæremoniarum Eccleſiæ, vel rerum ſacrarum Eccleſiæ, trãſferendo eas ad vanas ſignificationes: de quibus in c. quicunque. 26. q. 5. ſimiliter, ſi quis falſis teſtimonijs aut miraculis colere Deũ intendat. Nec te terreat, Lector optime, ſi hæ actiones videantur fieri contra fidem, vel fidei confeſsionem, maximè ſi ad fidem confirmandam fiant, aut verò ſacrilegia cẽſeantur: quia bene ſtat in eodem actu plures, & plurium vitiorum deformitates reperiri ſecundùm diuerſas conſiderationes.

Dico tertiò. Quando cultus indebitus nõ fit expreſſe nomine Chriſti, aut Eccleſiæ, ſed contra Eccleſiæ prohibitionem: interdum eſt peccatum mortale, ſi prohibitio ſit in materia graui, & ſi in materia leui veniale. Exemplum primi. Si quis ad Chriſti imitationem, putet ſe rectè offerre calicem nõ mixtum aqua, aut ſine ſacris veſtibus. Exẽplum ſecundi. Siquis cãtilenas iocales parui momenti exhibeat in Dei cultum.

Dico quartò. Qui exercet cultum purè ſuperfluum, iuxta dicta in 2. art. peccat venialiter, niſi adſit contemptus: v. g. qui in Miſſa, vel Officio diuino accidentales ritus non ſeruat, vel pro ſua deuotione alios adiungit. Ita Caietanus hic, & in Summa, verbo, *Superſtitio*, & Nauarrus in Man. cap. 24. *Caieta. Nauar.*

Dico vltimò. Siue iſta peccata mortalia indebiti cultus erga Deum differant ſpecie, ſiue non, tamen ſunt manifeſtanda in confeſsione: vel quia ſupponunt aliquando peccata diuerſarum ſpecierum, vel quia aliter nequibunt à confeſſario medicari; vel quia aliàs non poterit de his rectum iudicium ſumere; aut verò quia in materia morali cenſentur quaſi diuerſæ ſpeciei, ſicut in materia ſacrilegij, & alibi etiam ſæpè dicemus.

Et hæc dicta ſint de pernicioſo, ac ſuperfluo cultu veri Dei. Quorum vtrunque rectè taxauit Seruator noſter Ioan. 4. dicens: *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.* Adorationem in veritate oppoſuit cultui pernicioſo, qui habet admixtam falſitatem. Adorationem in ſpiritu oppoſuit cultui ſuperfluo eo quod non habet commenſurationem ad ſpiritum, id eſt, ad interiorem deuotionem excitandam iuxta morem Eccleſiæ, aut proborum. *Ioan. 4.*

QVÆSTIO XCIIII.

DE IDOLATRIA.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm idolatria rectè ponatur ſpecies ſuperſtitionis?

3. diſt. 9. q. 1. ar. 1. q. 3. ad. 3. Et 3. contra cap. 120.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quod idolatria non ponatur rectè ſpecies ſuperſtitionis. Sicut enim hæretici ſunt infideles, ita & dolatræ. Sed hæreſis eſt ſpecies infidelitatis, vt ſuprà habitum eſt: ergo idolatria, non autem ſuperſtitionis.

2 ¶ Præterea. Latria pertinet ad virtutem religionis, cui opponitur superstitio. Sed idolatria videtur vniuocè dici cum ea latria, quæ ad veram religionem pertinet. Sicut enim appetitus falsæ beatitudinis cum appetitu veræ beatitudinis vniuocè dicitur, ita cultus falsorum deorum, qui dicitur idolatria, vniuocè videtur dici cum cultu veri Dei, qui est latria veræ religionis. Ergo idolatria non est species superstitionis.

3 ¶ Præterea. Illud quod nihil est, non potest esse alicuius generis species: sed idolatria nihil esse videtur: dicit enim Apostolus primæ ad Corinth. 8. Scimus quia nihil est idolũ in mũdo. Et infrà. 10. Quid ergo dico quòd idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? quasi dicat: non immolare autem idolis propriè ad idolatriá pertinet. Ergo idolatria, quasi nihil existens non potest esse superstitionis species.

4 ¶ Præterea. Ad superstitionem pertinet exhibere cultum diuinum cui non debetur. Sed cultus diuinus sicut non debetur idolis, ita nec alijs creaturis. Vnde ad Ro. 1. Quidam vituperantur de hoc quòd coluerunt, & seruierunt potiùs creaturis, quàm creatori: ergo inconuenienter huiusmodi superstitionis species idolatria nominatur: sed deberet potiùs nominari latria creaturæ.

¶ Sed contra est, quòd Actor. 17. dicitur, quòd Paulus cùm Athenis spectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, videns idolatriæ deditam ciuitatem, & postea dixit: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos vos video: ergo idolatria ad superstitionem pertinet.

¶ Respondeo dicendum, quod sicut suprà dictum est, ad superstitionem pertinet excedere debitum modũ diuini cultus. Quod quidẽ præcipuè fit, quando diuinus cultus exhibetur cui non debet exhiberi, debet autem exhiberi soli summo Deo, scilicèt increato, vt suprà habitum est, cum de religione ageretur. Et ideò cuicunq; creaturę diuinus cultus exhibeatur, superstitiosum est. Huiusmodi autẽ cultus diuinus sicut creaturę insensibili exhibebatur per aliqua sensibilia signa, putà sacrificia, ludos, & alia huiusmodi: ita etiam è cõuerso exhibebatur creaturæ repræsentatæ per aliquam sensibilem formã, seu figuram, quæ idolum dicitur. Diuersimodè tamẽ cultus diuinus idolis exhibebatur. Quidã enim per quandam nefariam artem imagines quasdam cõstruebant, quę virtute dęmonum aliquos certos effectus habebant. Vnde putabãt in ipsis imaginibus esse aliquid diuinitatis: & per consequens, quod diuinus cultus eis deberetur. Et hæc fuit opinio Herm. Trimeg. vt Aug. dicit

Quæst. 92. art. 1.

Quæst. 81. art. 1.

In alijs nõ habetur ly conuerso.

Li. 8. c. 23. tom. 5.

dicit in octauo de ciuitate Dei. Alij verò non exhibebant cultum diuinitatis ipſis imaginibus, ſed creaturis, quarum erant imagines. Et vtrunque horum tangit Apoſtolus ad Rom. 1. Nã quãtũ ad primũ dicit: Mutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & voluctũ, & quadrupedum, & ſerpentum. Quantum autem ad ſecundum ſubdit: Coluerunt, & ſeruierunt potiùs creaturę, quàm creatori. Horum tamen fuit triplex opinio. Quidam enim æſtimabant quoſdam homines Deos fuiſſe, quos per eorum imagines colebant: ſicut Iouem, Mercurium, & alios huiuſmodi. Quidã verò æſtimabant totum mundũ eſſe vnum Deum, nõ propter corporalẽ ſubſtantiã, ſed propter animã, quam Deum eſſe credebãt, dicentes Deum nihil aliud eſſe quàm animam motu, & ratione mundum gubernantẽ. Sicut homo dicitur ſapiens propter animã, non propter corpus. Vnde putabant toti mundo, & omnibus partibus eius eſſe cultum diuinitatis exhibẽdũ: cœlo, aëris, aquæ, & omnibus huiuſmodi partibus. Et ad hæc referebant nomina, & imagines ſuorũ Deorũm, ſicut Varro dicebat: vt narrat Aug. in 7. de ciuit. Dei. Alij verò, ſcilicèt Platonici, poſuerunt vnum eſſe ſummum Deũ cauſam omnium: poſt quem ponebant eſſe ſubſtantias quaſdã ſpirituales à ſũmo Deo creatas, quas Deos nominabãt, participatione ſcilicet diuinitatis: nos autẽ eos Angelos dicimus. Poſt quos ponebant animas cœleſtium corporum, & ſub his dæmones: quos dicebãt eſſe aërea quædam animalia: & ſub his ponebant animas hominum, quas per virtutis meritum ad deorũ, vel dęmonum ſocietatem aſſumi credebant, & his omnibus cultum diuinitatis exhibebant, vt Aug. narrat in 18. de Ciuita. Dei. Has autem duas vltimas opiniones dicebant pertinere ad Phyſicam Theologiã, quã Philoſophi conſiderabant in mundo, & docebant in Scholis. Aliã verò de cultu hominum, dicebant pertinere ad Theologiam fabularem, quæ ſecundùm figmenta Poëtarum repræſentabatur in theatris. Aliam verò opinionẽ de imaginibus, dicebant pertinere ad ciuilẽ Theologiã, quæ per Põtifices celebrabatur in tẽplis. Omnia autem hæc ad ſuperſtitionem idolatriæ pertinebant. Vnde Auguſt. dicit in ſecundo de doctrina Chriſtia. Superſtitioſum eſt quicquid inſtitutum ab hominibus eſt ad faciẽnda, & colenda idola, vel pertinens ad colendum, ſicut Deum, creaturam, partẽmve vllam creaturæ.

Lib. 18. ca. 14. to. 5.

Li. 2. c. 20. in princip. to. 3.

Lib. 7. c. 16 & c. 6. to. 5

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdũ, quòd ſicut religio nõ eſt fides, ſed fidei proteſtatio per aliqua exteriora ſigna, ita ſuperſtitio

est quædam fidelitatis protestatio per exteriorem cultum: quã quidem protestationem nomẽ idolatriæ significat: non autem nomen hæresis, sed solùm falsam opinionem. Et ideò hæresis est species infidelitatis. Sed idolatria est species superstitionis. A

¶ Ad secundum dicendũ, quòd nomen latriæ, dupliciter potest accipi. Vno enim modo significat humanum actum, ad cultum Dei pertinentem. Et secundùm hoc non variatur significatio huius nominis latria, cuicunq; exhibeatur: quia illud cui exhibetur non cadit, secundùm hoc, in eius diffinitione. Et secundùm hoc latria vniuocè dicetur, secũdùm hoc, quod pertinet ad veram religionẽ, & secundũ quod pertinet ad idolatriã. Sicut solutio tributi vniuocèdicitur siue exhibeatur vero Regi, siue falso. Alio modo accipitur latria prout est idẽ rẽligioni. Et sic cũ sit virtus, de ratione eius est quòd cultus diuinus exhibeatur ei cui debet exhiberi. Et secundùm hoc latria æquiuocè dicitur de latria veræ religionis, & de idolatria. Sicut prudentia æquiuocè dicitur de prudentia, quæ est virtus: & de prudentia, quæ est carnis. B C D

¶ Ad tertium dicendum, quòd Apostolus intelligit idolum nihil esse in mũdo, quia imagines illæ, quæ idola dicebantur non erant animatæ, aut aliquam virtutem diuinitatis habẽtes, sicut Hermes ponebat: quasi esset aliquid compositum ex spiritu, & corpore. Et similiter intelligendum est, quòd idolis non est aliquid immolatũ: quia per huiusmodi immolationẽ carnes immolatitię aliquã sanctificationẽ nõ cõsequebãtur, vt Gẽtiles putabant: neq; aliquam immunditiam, vt putabant Iudæi.

¶ Ad quartum dicendũ, quòd ex communi cõsuetudine, qua creaturas quascunque colebãt Gentiles sub quibusdam imaginibus, impositum est hoc nomẽ idolatria ad significandum quẽcunque cultum creaturæ, etiam si sine imaginibus fieret.

Summa Articuli.

CONclusio est affirmatiua. Probat D. Thom. Cuicunque creaturæ cultus exhibeatur, ad superstitionem pertinet: sed idolatria contingit, quando diuinus cultus tribuitur creaturæ: ergo idolatria species superstitionis est. Minor non ponitur à Doctore Angelico, quia supponitur vt res clara pertinens ad quid nominis idolatriæ. Maior probatur. Superstitio accidit per excessum in modo debito diuini cultus, vt suprà dictum est. Iste autem debitus modus potissimè consistit in hoc, quod soli Deo summo increato exhibeatur diuinus cultus: ergo si creaturæ exhibeatur, quod fit in idolatria, superstitiosa res est. Alia multa adiungit D. Thom. de idolatria, & idolatrarum modis, quæ nos fusius in suis locis inseremus. Et hæc de litera D. Thom.

De idolatria multa carptim scripsêre Patres: præsertim Tertullianus in lib. de idolatria, & in apologetico, & Cyprianus oratione contra idola, Athanasius de vanitate idolorum, Iustinus in oratione Parænetica, Clemens Alexandrinus in adhortatoria ad gentes, & alij obiter: & passim Lactantius Firmian. lib. 1. institut. à cap. 9. ad fi-

Tertul. Cyprianus. Athanas. Iustinus. Clem. Ale. Lactantius

Athenago. Arnobius. Auguſt. ad finem vſque,& toto 2.lib.& 6. Athenagoras in apologia pro Chriſtianis, Arnob. aduerſus gentes,& D. Aug. edidit viginti, & vnum libros, quos de Ciuitate Dei inſcripſit mira ſapientia refertos.

Profligata idolatria ferè à toto orbe, Chriſti in mundum aduentu, fortaſsis alicui videbitur ſuperuacanea diſputatio iſthæc; mutabit tamen ſententiam ſi aduertat, pleraſque Orientis Regiones hac eſſe peſte infectas, quarum conuerſioni Religioſi viri ſummoperè anhelant. Tùm maximè,quia decet Chriſtianum Doctorem, non ſolum eius, quæ in nobis eſt fidei reddere rationem: verùm & cõtradicentes, aut qui aliquando contradixerunt arguere; ac confutare infideles, inter quos non anguſtiorem locum tenent idolatræ.

DISPVTATIO. I.

De idolatriæ etymologia.

IDolatria à duplici dictione Græca deriuata eſt, *Latria* ſcilicèt, & *idolum*. Latriam autem pro cultu ſiue ſeruitute ſoli Deo debita vſurpari, ſuperius quæſt. 84.art. 1. fuſe docuimus. Idolum verò quid ſignificet modo dicendum eſt. Eſt autem idolum idem quod ſimulacrum,ſeu figuratũ,vt adnotauit Tertullianus lib.contra idolatriam,cap. & Iſidorus lib.8.etymol.cap.vlt. vnde idolatria, id eſt,ſimulacrorum ſeruitus ſeu cultus, vel potiùs diuinus cultus exhibitus ſimulacris: non quia idolatria, quæ vna ſpecies ſuperſtitionis eſt, comprehendat dumtaxat culturam idolorum: nam etiam ſe extendit ad cultum diuinum exhibitum creaturæ, ſiue in,ſiue extra idolum:quinimò cultus ſuperſtitioſus creaturarum antiquior eſt, quàm idolorum,vt poſteà videbimus. Dictus eſt autem omnis creaturæ cultus idolatria, quia famoſior,& frequentior fuit in cultu idolorum,vt rectè adnotauit D.Thom.ad 4.& Tertullianus pulchrè hanc extenſionẽ idolatriæ ad omnem cultum ſuperſtitioſum creaturæ, etiam ſi fiat ſine idolo, indicauit lib.de idolatria,cap. 3. dicens, idolum aliquando dici retrò non erat,prius quàm huius monſtri artifices non ebulliſſent, ſola templa,& vacuæ ędes erant, ſicut in hodiernum quibuſdam locis vetuſtatis veſtigia permanent: tamen idolatria agebatur non iſto nomine,ſed in iſto opere; nam & hodie extra templũ, & ſine idolo agi poteſt.

Tertul. Iſidor.

D. Thom. Tertul.

At vbi artifices ſtatuarum, & imaginum, & omnis generis ſimulacrorũ diabolus ſæculo intulit,rude illud negotium humanæ calamitatis, & nomen de idolis conſequutum eſt,& profectum.

Aduerte tamẽ cum D.Tho.1.ad Cor.Iecti.1.& Abul.Exod.20.q.3.& Theodor. q. 58.in Exod.38.hoc eſſe diſcrimen inter ſimilitudinem ſeu ſimulacrum, & inter idolum:nam ſimilitudo,& ſimulacrum, eſt alicuius rei ſubſiſtentis imago, ſeu effigies, vt Solis,Lunæ,Stellarum,hominum,belluarũ, reptilium,piſcium,& ſimilium.At verò idolum eſt effigies rei non ſubſiſtentis,vt cùm Græci effingunt Sphingas,Tritonas, Centauros,AEgyptij homines canino vultu,Bucephalos;tales imagines rerum non exiſtẽtium idola vocantur: & quia perſæpè Gentiles huiuſmodi effigies,vt Deos colebant: ideò quilibet cultus creaturarumvocatus eſt à fidelibus per contemptum, & irriſionẽ, idolatria, ſumpta etymologia ab ineptiori cultu; & tranſlato vocabulo ad omnem ſuperſtitioſum cultũ creaturæ datũ.Huiuſmodi autẽ monſtruoſa idola multa legũtur apud prophanos Autores.Amõ Libicus depingebatur humano corpore,ſed cornibus arietinis.Aeſculapius dicitur aduectꝰ eſſe ex Epidauro in figura ſerpẽtis,& ibi cultus in ea ſpecie monſtruoſa.Plura de monſtruoſis ſtatuis Deorũ apud Indos refert Acoſta Ieſuita in hiſt.mora.India. Itaque idolũ eſt effigies rei monſtruoſæ non exiſtentis. Et quia Gẽtiles ſæpe colebant Deos ſuos ſub his effigiebus:omnia ſimulacra etiã hominũ & virorũ brutorũ,repræſentantia Deos falſos,idola vocabãtur:autverò ad denotandũ, quaſcũq; Deorum effigies repræſentare id quod re vera nõ eſt.Nã cum Gẽtiles propone bãt colẽdas ſtatuas Veneris,aut Palladis, illa ſigna idola erant: quia repræſentabant Deos generis fœmenini, quales Dij nec ſũt nec eſſe poſsũt,atq; adeò imagines falſæ, vt potè rerũ nõ exiſtentiũ,erant, vel ad denotandũ nullius eſſe momẽti,aut efficacię omnia creaturarũ ſimulacra,quæ ſibi proponebãt venerãda.Gentiles,vocantur à Fidelibus idola. Ad hoc fit alluſsio à D. Paulo loco citato dicente,*Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*.Cui teſtimonio aliud ſimile adducit D.Hieron.in cap.7.Oſeæ ad probandum idolum nihil eſſe. Nam Eſther 14. ſecundùm Septuaginta,dicitur:*Ne tradas ſceptrũ tuum his qui non ſunt*,id eſt,idolis. Et Eſai. 41.ad idolatras verba faciens eadem phraſi vtitur dicens: *Ecce vos eſtis ex nihilo, &*

D. Thom; Abulen. Theodoret.

Acoſta.

D. Paul.

D.Hieron.

Eſther.

Eſaiæ.

opus veſtrum,id eſt,idola,*ex eo quod non eſt*, A
Paralip. & 1.Paralipome.16.*Omnes Dij populorum, idola*,hoc eſt,*vanitas, & inaniæ*. Nam vis iſta eſt vocis Hebraicæ, *El il*,vnde Caietanus
Caietan. vertit idola, id eſt, vacuitates, tùm in hoc loco,tùm in Pſalm.95.Hinc factum eſt vt apud Eccleſiaſticos ſcriptores,idola nuncupentur imagines vel rei inanis, & vanæ, quæ non eſt in rerum natura, vel rei falſæ, quæ iactatur vt Deus, & re vera non eſt. Græcis enim idola ſunt,quæ Latinis ſimulacra,aut ſpectra.Vnde monſtruoſę effigies, vanæ mortuorum vmbræ,inanium Deorũ ſtatuæ,idola à Græcis, à Latinis ſimulacra
Euſtatius. vocantur.Euſtatius lib.11.Odiſſeæ,idolum B eſſe ait,imaginem inanem:qualia ſunt ſpectra,& vmbræ mortuorum.At verò imagines, ijdem ſacri Scriptores ferè ſemper in bonam partem accipiunt pro effigiebus Dei,Angelorum,&Sanctorum cœli ciuiũ. Et certè ſi attentè legatur Scriptura ſacra, nullibi tribuit nomen idoli veræ imagini: ſed ſolùm ſimulacris Gentilium, quæ falſos Deos repræſentabant. Filius Dei vocatur imago Patris,Sapient.7.ad Coloſſen.1.
Sapient. ad Hebr.1. ſed nunquam vocatur idolum Patris:&3.Regum.7. dicitur, Salomonem feciſſe ad ornatum Templi imagines Cherubim ad ſimilitudinem hominum; item, C imagines leonum, boum, palmarum, &c. nec vnquam iſta vocantur idola, nimirũm, quia rerum verarum ſimilitudines erant. Quapropter in Synodo 7.actio.7. circa finem,præcipitur ne idolorũ nomine imagines appellentur; quia nomen imaginis abſolutè prolatum in bonam partem frequentius ſumitur,vt conſtat Gen.1.& 9.Sapien. 7. 1.ad Corint.11.Fateor in Tertuliano de idolatria,Lactantio,& alijs, nomen imaginis interdum attribui idolis, & ſimulacris. Modò verò ab hac vocabuli vſurpatione abſtinendum eſt: & ad eundem modum loquendum eſt de his nominibus, ſculptilia, D & ſimulacra, vt illa non tribuamus noſtris imaginibus: falſitatem enim, & deceptionẽ includunt,& in Scriptura ferè ſemper idola ſignificant. Et ideò Actor. 7. præcipitur Chriſtianis abſtinere à contaminatione
Paul. ſimulacrorum:& cap.21.inquit Paulus: *In-*
Pſalm. *tuens ſimulacra veſtra*,& Pſalm.103. *Simulacra gentium argentum, & aurum*: & ea-
Auguſt. dem voce vtitur Auguſt.ibidem,& contio. 2.in Pſal.103.Itaque idolatria eſt inanium, & falſorum numinum cultus:& hæc dicitur eſſe vna ſuperſtitionis ſpecies.

Hæc eadem ſuperſtitionis ſpecies,quæ à principio naſcentis Eccleſiæ idolatria nuncupata eſt; poſtea Paganiſmus,& idolatræ pagani vocari cœperũt, à temporibus Chriſtianorum Imperatorum Conſtantini, Iouiniani,& Valentiniani,Theodoſij,Gratiani, Arcadij,& Honorij; & antiqui Patres ab illo tempore in hac ſignificatione nomina hæc vſurpare cœperunt: vt videre licet frequenter apud Optatum Mileuitanum, *Auguſt.* Oroſium,Arnobium, Philaſtrium, & Auguſtinum. Satis ſit vnus eius locus 2.li. retract.c.23.qui vocat idolorum cultores, Paganos, ſicut Hebraici vocabant Gentiles omnes, qui ſui inſtituti non erant; & Græci Barbaros,quotquot Græci non erant.De vſu vocis nulla dubitatio eſt:de ratione originis res valdè dubia. Nam cùm Pagani à Pago,quem villam ruſticam Latini dicunt: quare idolatri dicantur Pagani, quaſi Pagũ *Philaſter.* incolentes, non apparet. Philaſter, lib. de hæreſibus,cap.3. Paganos ait eſſe dictos à quodam homine vocato Paganus, Rege potentiſsimo. Sed exiſtimo idolorum cultores multa poſt tempora vocatos fuiſſe Paganos:ac proinde ab eo Rege hanc nomenclaturam non acceperunt. D. Iſidorus *Iſidor.* lib.8.cap.10. etymol. *Pagani*, inquit, *dicti ſunt ex pagis Athenienſibus, ex quibus orti: ibi enim in locis agreſtibus,& villis, Gentiles lucos, idolaque ſua, & delubra conſtituerunt. Et ideò idolorum cultor cœpit appellari Paganus*. Sed nouior eſt hæc appellatio, quàm ſint Athenienſes.Alciatus in Parergis lib.1 *Alciat.* cap.13. ait, idolorum cultores dictos eſſe Paganos,eo quod non ſunt adſcripti Chriſtianæ militiæ.Ferè idem ait Beda Mar.15. *Beda.* &li. 6. in Lucam,c.23.Paganos ſcilicèt eſſe dictos à villis, quas Pagos Latini vocant, eo quod longè diſtent à ſuperna, & cœleſti ciuitate. Sed iſtæ etymologiæ myſticæ ſunt:nemò enim ignorat Paganos dici à Pagis;ſcilicèt Pagani, hoc eſt, ruſtici habitantes in villis,quæ Pagani dicuntur.Sed dubitamus, quare idolorum cultores vocẽtur Pagani?Etymologia obſcura eſt: & videtur dumtaxat à temporibus Chriſtianorum Imperatorum, Gentiles vocari ſolitos Paganos: fortaſsè eo quod Imperatores legibus claudi cœperant idolorum phana,& ſacra Gentilium prohiberi in oppidis:quare Pagos,villas, & agros adire cogebantur;& illic ſuos Deos colere,& ſuperſtitioſa ſua ſacra facere. Vrbibus igitur excluſi,in Pagis, & villis ſuos falſos Deos colebant,vnde & Pagani dicti ſunt. Theodo- *Theodoret.* retus li.3.hiſt. c.3. ſcribit, Conſtantinum Mag-

Magnum pugnaturum contra Maxentiũ tyrãnum iuſsiſſe, omnes ſuos milites nõ baptizatos baptizari, Gentiles autem, qui id facere recuſarent, domos ſuas redire. Ex quo veriſimile eſt, Gentiles cœpiſſe Paganos dici in ea ſignificatione, qua Iuriſconſulti vocabant Paganos omnes, qui erant immunes, & liberi à militia, vt conſtat ex Marcello l. quædam. ff. de pœnis, & l. 1. C. de militum teſtamentis. l. ſi ignoras. ff. locati. Sed quidquid ſit de etymologia vocabuli, certum eſt Gentiles vocari Paganos. Auguſtinus lib. 2. retract. c. 43. ait Deorum falſorum cultores, vſitato nomine Paganos vocari. *Auguſt.*

DISPVTATIO II.

Quotuplex ſit idolatria?

QVæ à me tractanda eſt ſine argumentorum turba: prænotando, idolatriam eſſe vnam ſpeciem atomam ſuperſtitionis; ac ſubinde indiuiſibilem in alias ſpecies, ſeu formales rationes. Quapropter ſi quæ multiplicitas in ea reperitur, aliunde quã ex ratione formali ſumenda eſt.

Sit igitur prima diuiſio idolatriæ; in eam quæ exercetur medijs ſimulacris; alteram quæ ſine ſimulacris: hæc antiquior fuit; à principio etenim, quando creaturarum cultus obrepſit, ſine ſimulacris exercebatur. Potiſsimè in hoc ferè omnes gentes ſuperſtitioſè conuenerunt: vt ſuperna corpora, quæ videntur, Solem, Lunam, reliquaq; aſtra, vt Deos colerent: decepti (vt reor) inſpecta eorum pulchritudine, & perpetuo motu, ac celeritate, & animaduerſa eorum virtute, & efficacia in gignendis, & tuendis corporibus inferioribus: vt intuitur Sapiẽ. 13. & teſtatur Plato in Cratilo inquiẽs: *Neque vlla ferè gens inuenta eſt, quæ aliud eſſe Deos, quã ipſa cœleſtia corpora primũ crediderit.* Idolatria quæ exercebatur cum ſimulacris ſolẽnior fuit, & per totã Gentilitatẽ vndequaq; diffuſa, & horum ſimulacrorum cultores bipartiti fuêre. Nam quidã iſta ſimulacra Deorũ falſorum conſtruebant per quandã nefariam artem, quæ virtute dæmoniorũ quoſdã effectus mirabiles efficiebat: ita vt mouere ſe, loqui, aut futura prædicere viderentur. Sic habet Valer. Max. lib. 1. ca. vlt. & inſinuatur Ezech. 21. & Zach. 10. vel reſponſa dare interrogatis, & huiuſmodi: & his deluſi miſeri idolatræ, putabant aliquid diuinitatis eis ineſſe, ac proinde eſſe colẽda diuino cultu. Ita ſentit Herm. Trime. vt ait D. Aug. 8. de Ciuit. c. 23. & c. 24. qui aiebat in hoc potiſsimùm extolli dignitatem hominum, vt poſsint ſibi Deos facere: alligãdo ſcilicet ſtatuis à ſe fabrefactis animas dæmonum, aut Angelorum: ita vt ſpiritus eſſent quaſi pro anima; ſtatuæ verò quaſi pro corpore. Huic non eſt diſsimilis Porphyrij error, qui in lib. de philoſophia oraculorum ſcribit, Deos hominibus indicare non modò familiaritatem ſuam, ſed etiã quibus capiantur, gaudeantque rebus, quibus deuinciantur, quibus cogantur, quos dies ſeruari oporteat, quos vitare, figuras ipſas ſimulacrorum cuiuſmodi eſſe deceat. Vt ex oraculis Hecatis oſtendit, quæ negat ſe poſſe contemnere ſignum, ære, vel argento, vel auro factum, & quo pacto fit aliter ex abſinthio, & muris ſanguine, & myrrha, & thure, & ſtorace conflandum docet. Alij verò ſimulacrorum cultores non exhibebãt cultum diuinitatis ipſis imaginibus: ſed creaturis, quarum erant imagines. Vtrunque colendi modum tetigit D. Paul. ad Roman. 1. nam quantum ad primum ait: *Mutauerunt gloriam incommutabilis Dei, in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Quantum ad ſecundum ait: *Coluerunt, & ſeruierunt potiùs creaturæ, quàm Creatori.* *Herm. Tri.* *Auguſt.* *Porphyr.* *Rom. 1.*

Alia diuiſio idolatriæ apponitur Exo. 20. vbi Dominus ad Hebr. ait: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ in cœlo eſt deſuper*: propter idolatriam, quæ exercebatur à Gentilibus erga Angelos, Solem, Lunam, & Stellas. *Et quæ eſt in terra deorſum*, propter idolatriã erga homines, animalia bruta, reptilia, & ſimilia, quæ colebant gẽtes. *Neq; eorũ, quæ ſunt in aquis ſub terra.* Ecce denotatur idolatria exhibita aquatilibus: licèt enim illo in tẽpore quo lex lata eſt, id eſt, in ſecunda ætate parũ verſare tur idolatria erga piſces, quia vſus nauigiorũ nondum increbuerat; tamen aliquos eſſe ex piſcibus pro dijs habitos narratur ab Abulen. Exod. 20. maximè duos. Primus Delphinus erat propter vectationem Arionis cytharedi: de qua fabula nihil dico, quia notiſsima, & ſcribitur ab Herod. in li. 1. Muſarum, Ouid. in Faſtis, & Plin. li. 9. & Gel. lib. 16. & Aeliano de animalibus; cuius etiã mẽtionem fecit Aug. lib. 1. de Ciuit. c. 14. Alij duo piſces eo quod Venus, & Cupido in pugna Deorũ, & Gigãtũ fugiẽtes à facie Tiphæi gigãtis, intrãtes flumẽ in eos piſces ſe *Exod. 20.* *Abul.* *Herodo.* *Ouidius.* *Plinius.* *Gelius.* *Auguſt.*

transformauerunt, & ideò fecerunt colere, & in duodecimo ſigno Zodiaci colocarunt: ſic fabulabantur illi homines cæci.

Sed mihi magis arridet, vt artificioſior diuiſio D. Thom. in hoc art. iuxta opinionem idolatrarum triplicem, circa falſos Deos, quos veros putauerunt. Quidam nãque fere innumeros putauerunt Deos, maximè quoſdam homines, quos per eorum imagines colebant, vt Iouem, Iunonem, &c. Alij nolentes credere homines eſſe Deos (& meritò, quia mortales, & facinoroſi) illa nomina Deorum accommodarunt diuerſis mundi partibus, Cœlum appellantes Iouem, Aërem Iunonem, Mare Neptunum, Terrã Plutonem, & ſimilia commẽti ſunt. Et modò multi Mythologi Chriſtiani conantur perſuadere Gentiles cordatos ſic ſenſiſſe. Sed hos, & illos lepidè irridet *Auguſt.* D. Auguſt. lib. 4. de Ciuitate, cap. 10. & lib. 7. cap. 15. ſicut cap. 11. eos qui aſſerebant Iouem eſſe dumtaxat Deum, cætera Deorum nomina eidem propter diuerſa munia attribui; non vt diuerſo ab eis, ſed vt fungenti diuerſis officijs. Alij errantes, ſed proprius ad veritatem accedentes, vnum Deum putauerunt, ipſumque totius mundi animam. Ita Platonici, Stoyci, Pythagorici; & his antiquiores Ionici Philoſophi dicunt Deum eſſe mentem ſuo motu, & virtute mundum gubernantem. Hos ſequutus *Virgil.* Virgilius 4. Georgicorum, & 6. Aen. ſic ait:

Principio cœlum, & terras, campoſq; liquẽtes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra,
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molẽ, & magno ſe corpore miſcet.
Inde pecudũ, hominũq; genus, vitæq; volantũ,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantũ non noxia corpora tardãt;
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; mẽbra.
Hinc metuũt, cupiuntq;, dolent, gaudentq; nec auras
Reſpiciunt, clauſæ tenebris, & carcere cæco.

Et ne quis dubitet quis nam eſſet ille ſpiritus qui tanta polleret poteſtate declarauit alio loco dicens:

Deum namque ire per omneis
Terrasq; tractuſq; maris, cœlumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenuis naſcentẽ arceſſere vitas.

Seru. Grãmat. Hæc fuſè declarat Seruius Grammaticus. Et tu Lector optime animaduerte hos aſſerentes Deum eſſe mundi animam, eo quod omnia implet, gubernat orbem, non longè à veritate abeſſe: fortaſſe audierant Moyſem reſonantem, Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram. Terra autem erat inanis, & vacua, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* *Geneſ. 1.*

Sed veritatis luce non plenè imbuti in varios deflexêre errores. Nam quidam Deũ eſſe mundi animam cenſentes, ipſum mundum ea informari, & ex ea, & mundo, vnũ animal componi dixerunt. Sed ineptè: cùm neque Deus anima ſit, neque corpus informet, vt palam fit in 1. p. D. Thom. q. 2. & Alcinoes Platonicus, quem refert Viues lib. 8. de Ciuitate, cap. 6. Hos ſequutus eſt: & Varro, vt ait D. Auguſtinus. 4. de Ciuit. cap. 31. ſed expreſsiùs. lib. 7. c. 6. refert Varronem dicentem, Deum eſſe mundi animam, & ipſam ſimul cum mundo vnum tantùm componere Deum. Et ſicut dicitur homo ſapiens, non propter corpus, ſed propter animam; ſic mundus dicitur Deus, non à corpore, ſed ab anima: & ne recederet à cultu plurium Deorum, quos ſui maiores ſectati ſunt, ait, toti mundo, & ſingulis eius partibus eſſe diuinitatis cultum exhibendum, ætheri, aeri, aquæ, & terræ: & ad hæc refert nomina, & imagines ſuorum Deorũ. *D. Thom. Viues. D. Augu.*

Plato verò proprius ad veritatem accedens, vnum dumtaxat eſſe Deum incorporeum, æternum, & non ab alio factum exiſtimauit: fortaſsè in illa ſua longa peregrinatione Syriaca edoctus à Moyſi libris, maximè ex illo Exod. 3. *Ego ſum qui ſum, & qui eſt miſit me ad vos.* Item in illud celebre nomen Dei: *Tetragrammaton*, ad Græcos tranſtulit duabus literis, vocando illum omne primum principium: ac illo nomine diſtinguens Creatorem à mundo. Nam in Timeo ſic ait: *Eſt igitur ſecundùm meam opinionem primò diſtinguendum quid ſit, O R*, id eſt, *ens, quod ſemper eſt, ortum verò non habet, & quid quod ortum habet, eſt autem nunquã, &c.* Platonem ſequuta eſt copia doctiſsimorum virorum diſcipulorum eius, præter id tantùm, quòd aliqui neutrum genus in maſculinum mutauerunt. Plato enim excellentiſsimum vniuerſi Autorem nominat Græcè, id eſt. quod eſt. At plurimi eius ſequaces appellant eum Græca voce, quæ Latinè ſonat: *Is qui eſt*, ſequuti ſcilicèt Septuaginta, qui pro nomine, *Tetragrammaton*, Exodi. 3. ponunt idem. At verò hoc non obſtante Plato, & eius diſcipuli Ethnici, putà Speuſippus, & Xenocrates, Plotinus, Iamblicus, Porphyrius, Apuleius, & huiuſ- *Plato. Exod. 3.*

huiusmodi plurimis esse facienda sacra putauerũt, nẽpe substantijs spiritualibus, quas Deos nominabãt, participatione diuinitatis eo quòd à Deo creatæ essent (nos vocamus Angelos) post quos ponebant animas cœlestium corporum, & sub his dæmones, quos dicebant esse aërea quædam animalia: & sub his ponebant animas hominum, quas per virtutis meritum ad Deorum, vel dæmonum societatem peruenire credebant, & his omnibus cultum diuinitatis exhibebant. *Plato.* Quod de Platone satis constat in libris de Republica, & legibus, vbi Dijs, dæmonibusque, & Heroibus sacra, & cæremonias fieri iubet, & in 8. & 10. de legibus illos nominat, quibus ciuitatis status, & fœlicitas, votis, comprecationibusque commendanda est.

Omnes has Deorum opiniones Varro (teste Augustino lib. 6. de Ciuitate cap. 5.) *Augustin.* ad tres reduxit differentias. Primam vocauit fabularem, quæ secundùm figmenta Poëtarum ob cultum Deorum repręsentabatur in theatris. Secunda vocabatur Physica, quia ex natura rerum desumebatur à Philosophis, & docebatur in Scholis, mediante aliquo discursu Philosophico, sed sophistico, quæ vt credo circa cœlos, astra, & huiusmodi versabatur, nulla facta mentione simulacrorum. Tertia ciuilis, quæ exercebatur à Pontificibus in templis, sacrificijs, & comprecationibus erga idola: fortasse quia putabantur habere aliquid diuinitatis, saltem per aliquam vnionem spirituum; de quibus Psalm. 96. *Omnes dij gentium dæmonia*; & *Psal. 96.* Paulus 1. ad Corinth. 10. *quæ immolant* *1. Cor. 10.* *gentes, dæmonijs immolant*, nimirum in idolis assistentibus, vt notauit Augustin. lib. 8. de *August.* Ciuitate cap. 24. & Eusebius lib. 4. de Præ- *Euseb.* par. Euang. cap. 6. & Lactantius lib. diuin. *Lactant.* instit. cap. 16.

Alia diuisio idolatriæ, & apprimè notanda pro multorum dicendorum explicatione est, in idolatriam interiorem, & exteriorẽ; neque in præsenti vocamus idolatriã interiorem, voluntatẽ colendi creaturã diuinis honoribus; hic enim actus potiùs diceretur propositum idolatrandi, quàm idolatria, & est fons, & origo cuiusuis cultus idolatrici. Sed idolatria interior est cultus diuinus exhibitus creaturæ, qui in actibus internis consumatur: vt si quis creaturæ offerat mentem, & omnia interiora sua; sicut per deuotionem veram exhiberi debet Deo. Idolatria verò exterior est cultus diuinus exhibitus creaturæ, qui in actibus externis consumatur, aut ad tales actus externos ordinatur: vt si quis sacrificet idolo, aut intendat sacrificare, & similia. Hæc diuisio adducitur à D. Thom. in articulo 2. sequenti in argumento, sed contra, & in corpore articuli, necessariòque debet acceptari ab omnibus. Aliæ diuisiones idolatriæ, vt in veram, & fictam, & similes inferius constituentur.

DISPVTATIO. III.

An idolatria sit species superstitionis distincta à cultu indebito veri Dei?

MOuetur quæstio propter quosdã Hęreticos sectarios, existimantes idolatriam non solùm versari in exhibendo cultum diuinum creaturis: verùm etiam in exhibendo cultum vero Deo sine Dei verbo, & mandato. Ita *Caluinus.* Caluinus lib. 1. institutionum cap. 11. vbi adiungit rem inauditam apud Patres, nimirum Iudæos cùm adorarunt vitulum in deserto, non creaturam aliquam, sed Deum verum voluisse adorare in illo simulacro visibili, & ideò idolatras effectos esse: quia illum cultum sine Dei verbo, & mandato exercuerint.

Secundò. Alij moderniores Hæretici co- *Iudic. 8.* nantur probari id ipsum ex testimonio Iudic. 8. vbi habetur Populum Israëliticum fornicatum fuisse, id est, idolatriam commisisse in Ephod, quod erat genus vestis sacerdotalis, quam permagnificè contexit Gedeon: non autem alia fornicatio seu idolatria ibi reperta fuit, nisi quod Populus ea veste vsus est extra tabernaculum; quod *August.* fas non erat, Deo prohibente, vt adnotauit Augustin. q. 41. in lib. Iudicum: fornicationem autem ibidem pro idolatria vsurpari cõpertum est ex phrasi Prophetarũ, hoc nomine eam interpellantium. Sæpe igitur idolatria non solùm ad cultum diuinũ creaturæ exhibitum se extendit: verùm & ad omnem cultum vero Deo indebitè collatum, scilicet, sine verbo, aut mandato Dei. *Hierem.*

Tertiò, res clara est Hierem. 2. Populo Israëlitico probro dari idolatrię peccatum: quando Propheta ait: *In omni colle sublimi, & in omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Certum itidem est, ait Lutheranus Herbrandus, de eo cultu ibi fieri sermo- *2. Paral. 33* nem, de quo 2. Paralipom. 33. scribitur, *Attamen adhuc Populus immolabat in ex-*

celſis Domino Deo ſuo. Ergo Propheta cenſet eſſe idolatricum cultum exhibitum vero Deo, ſed ob id illicitum quòd extra locum, quem Deus elegerat pro ſe colendo exhiberetur. Quartò. Idem Hierem. cap. 2. exprobrans idolatriam illius Populi ait, *Secundum numerum ciuitatum tuarũ erant dij Iuda*. At hoc non eſſe intelligendum de idolis, inde colligitur, quia non eſt veroſimile eſſe multiplicata in tanto numero, in quanto erant oppida Iudææ. Superſt ergo vt loquatur Propheta de idolatria, quam exercebant Iudæi, extruentes altaria, & immolantes Deo vero contra eius præceptum, qui iuſſerat nullibi præter quam in Tẽplo ſibi eſſe ſacrificandum.

Hierem. 2.

Hucuſq; nemo in dubium reuocauit, ido latriam ad ſolum cultum creaturarum pertinere: ſoli Hæretici Lutherani id demoliri conati ſunt: tum auiditate doctrinę antiquæ euertendæ, quod genuinum ipſis eſt: tum vt ſua commentitia definitione idolatriæ latenter ſternant viam ad propulſandum cultum, & multas cæremonias, quæ Eccleſia obſeruat ex traditione Apoſtolica, & Eccleſiæ Romanæ inſtitutione: tum tertiò vt in horum obſeruatione Catholicis notam idolatriæ imponant. At verò idolatriam duntaxat conſiſtere in exhibendo diuinum cultum creaturæ, luce clarius ſacræ Literæ teſtantur: præſertim Pſal. 105. Sapientiæ 13. 14. & 15. Hierem. 2. ad Rom. 1. & alibi ſæpe. Satis nobis ſit Apoſt. ad Rom. 1. qui idolatras deſcribens ait: *Coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori*. Et Sapiẽt. 14. *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut Regibus ſeruientes homines incommutabile nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt*. Ferè eiſdem verbis loquitur Hieremias. c. 2. Innumera teſtimonia poſſent adduci, vbi è regione ponitur cultus veri Dei cultui idolorum, Geneſ. 35. Exod. 23. Leuitici 19. 1. Regum. 7. 3. Reg. 11. Eſai. 44. Hierem. 35. Daniel. 14. Non minus ignobile teſtimonium nobis offert Apoſt. 1. ad Corinth. 8. inquiens: *Scimus, quia nihil eſt idolũ in mundo*: aperte declarans idolatriam verſari circa creaturam habitam vt Deum. Senſus namque eſt, idolum, ſiue aliæ creaturæ, quæ adorantur pro Deo, nihil omninò tale ſunt, quale falſò putantur: hoc eſt non ſunt Deus. Idem videre licet apud Tertullianum in lib. de idolatria in initio, & Cyprian. ad Fortunatum, de exhortatione martyrij: & expreſsius D. Auguſt. lib. 1. de Trinitate, cap. 6. *Idolatræ* (inquit) *dicuntur, qui ſimulacris eam ſeruitutem exhibent, quæ debetur Deo*. Deinde reijcitur illa ſectariorum definitio, nempe idolatriam eſſe cultũ Deo exhibitum ſine verbo & mandato Dei: ex ea namque ſequitur, omnem Dei cultum quacunque circuſtãtia vitioſum, eſſe idolatriã: v. g. orantem propter vanam gloriam, eſſe idolatram: iurantem ſine debita conſideratione: vouentem inconſideratè, imò omnẽ vouentem, quia non eſt in lege gratiæ mandatum Dei de emittendis votis: & omnem ſacrificantem vltroneè, quia de ſacrificando non eſt ſemper præceptum.

Pſal. 105. Sapient. 13 14. & 15. Hierem. 2. Ad Rom. 1

Geneſ. 35. Exod. 23. Leuit. 19. 1. Reg. 7. 3. Reg. 11. Eſai. 44. Hierem. 35 Daniel. 14 1. Corin. 8. Tertul. Cyprianus. Auguſt.

Supereſt argumentis Lutheranorum reſpondere: præmittendo nomine idolatriæ quandoque per metaphoram ſignificari quodcunque mortale peccatum, per quod à Deo receditur, ipſique creatura antefertur. *Vnuſquiſque* (ait Hieronimus Amos 2.) *adorans vitia ſua, atque peccata, Deum habere cœpit, à quo victus eſt, dicente Petro Apoſtolo: A quo enim quis ſuperatur huius & ſeruus eſt. Auarus aurum, guloſus venirem, libidinoſus penem, & Beelphegor colit laſciua mulier, quæ cùm ſit in delitijs mortua adorat venereas voluptates*. Loquitur Hieronymus de adoratione metaphoricè, ſicut & Apoſtolus ad Galatas cap. 5. appellans auaritiam idololatriam. Quod manifeſtè patet ex ſacris Literis, vbi idolatria ponitur ſpeciale peccatum ab auaritia, & reliquis omnibus diſtinctum: nam ſpeciali præcepto prohibetur Exodi 20. Deuteronomij 5. Leuitici 26. & ab alijs peccatis diſtinguitur. 1. ad Corinthios 6. ad Galatas 5. Apocalipſis 21. & 22. Actorum 17. Sic etiam loquitur metaphoricè Tertullianus libro contra idolatriam, cap. 1. vt ex eius verbis clarè colligitur.

2. Petri. 2.

Ad Galat. 5

Exod. 20. Deuter. 5. Leuiti. 26. 1. Corint. 6 Ad Gal. 5. Apocal. 21 22. Actor. 17. Tertul.

Secundò præmittendum, in ſacra Scriptura fornicationem vſurpari pro omni animæ receſſu à Deo per peccatum mortale. In Pſalmo ſeptuageſimo ſecundo. *Qui elongant ſe à te peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abſte*. Ita ibidem Auguſtinus. Et adiungit Regius Pſaltes: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*. Itaque quidquid amori caſto Dei, ſponſi animæ, contrarium eſt, fornicationem vocat per metaphoram iam tactam. Et idem notauit Arethas Apocalipſis decimo ſeptimo cap. & habetur ad Hebræos duodecimo cap. hoc ipſum: & idem adnotauit Auguſtinus libro primo de ſermone Domini in monte, capite 16. & lib. retract. cap. 19. & homil. 50. de verbis Domini.

Pſal. 72. Auguſt. Arethas. Hebr. 12. Auguſt.

Præci-

Præcipuè autem in ſacris literis ex eadem metaphora fornicatio accipitur pro idololatria, quoniam eo actu anima maximè recedit à Deo ſponſo ſuo per cultum Diaboli, & eidem ſe tradit corrumpendam. Huius metaphoricæ ſignificationis paſſim in ſacra Scriptura occurrit vſus, vt in Hieremia cap. 3. & in Ezechiele 16. inculcatur, & alibi ſæpiſſimè.

Hierem. 3.
Ezech. 16.

His poſitis ad primum Caluini reſpondetur, illius loci Exod. 33. intelligentiam, nullum neque ex inſanis Iudæis ſomniaſſe. Omnes in hoc conueniunt in illo loco populum Deum falſum, & idolum coluiſſe, non autem verum Deum ex preſsè haberi: expreſsius Pſal. 106. *Mutauerunt gloriam Dei in ſimilitudinem comedentis fœnum.* Ex quo infert Rabbi Salomon efformatum vitulum, aliqua vitalia opera exercuiſſe: ſicut in idolis alijs contingit: vt eſt reſponſa dare. Sed hoc figmentum eſt, & parum attinens ad noſtrum propoſitum: valde autem conducens id, quod ait Philo in vita Moyſi: *Oblati (inquit) veri Dei cœperunt emulari figmenta Ægyptiaca facto iuuenco aureo ad imitationem animalis eius Regionis ſacratiſsimi.* Fuit enim præcipuum numen apud AEgyptios Apis, qui in forma vituli apparebat, & colebatur, vt Auguſtinus latè ſcribit de Ciuitate Dei.

Pſal. 106.
Rabb. Salo.
Philo.
Auguſt.

Ad ſecundum teſtimonium ex libro Iudicum non vacat, nec opus eſt modò curioſius indagare quid ſit Ephot factum à Gedeone, quorſum, quáve intētione, ad quodque munus fecerit illud, an ipſe idolatrauerit in eo, necne? ſatis nobis ſit pro nunc, ſequi opinionem probabiliorem Abulenſis ſuper libro Iudicū, Ephod factum à Gedeone eſſe genus veſtimenti ſacerdotalis pretioſiſsimi, auroque contexti, vt Gedeon profecturus ad bellum, mediante ſacerdote ſacris induto, quæreret à Domino reſponſum, quod fieri extra Tabernaculum licebat. Quod verò noſtræ diſputationi cōuenit, illud eſt: an dicatur populus fornicatus in Ephod eo quod idolo immolauerit, an verò eo quod indebito modo Deo vero in eodē Ephod cultum exhibuerit? Diuus Auguſtin. q. 41. in lib. Iudicum dupliciter interpretatur eum locum. Primò, vt populus ille admiratus illius veſtimenti pulchritudinem, ſplendorem, ac elegantem formam, tanquam Deum, aut idolum, id coluerit: nam vt Diuus Auguſt. ait, ita erat auro contextum, vt erectum, inſtar idoli cuiuſdam ſtaret: idque exiſtimat inſinuari in

Abulenſ.
Auguſt.

A verbis illis: *Fecitq; Gedeon Ephod, & ſtatuit* (vt Septuaginta verterunt) *illud in ciuitate ſua Ephra.* Conſonat illud, quod Caietanus ſuper hunc locum ait, eſſe totum ex auro, & erat veluti lorica aurea ſtans in ſe ipſa. Et iuxta hanc expoſitionem, nihil fauet teſtimonium citatum Lutheranis: cùm fornicatio illa intelligatur idolatria erga idolum, non cultus erga verum Deum.

Caietanus.

Secundò exponit idem Auguſtinus, fornicationem illam in hoc potuiſſe conſiſtere, quòd populus illo veſtimento vteretur extra ſanctuarium: quod lege prohibebatur. Sed hæc fornicatio non appellabatur, B nec erat idolatria. Dicit Lutheranus, ſemper fornicatio in ſacris literis pro idolatria vſurpatur. Nequaquam hoc verum eſt; ſed aliquando pro quocunque alio peccato à Deo ſeparante, vt adnotaui. Non diſciplet tertia aliorum expoſitio: vt fornicatio populi facta fuerit per veram, & propriam idolatriā: quomodo autē id effecerint, poſtea in eodem cap. 8. repetitur, & declaratur, quando dicitur: *Poſtquam autem mortuus eſt Gedeon in ſenectute bona auerſi ſunt filij Iſraël, & fornicati ſunt in Baalim.* Itaq; mortuo Gedeone fornicatus eſt populus ille in Ephod: quomodo? cùm populus veſte illa abutebatur ad ſacrificandum Baal, & Baalim dijs C gentium, ſicut ex cap. 18. eiuſdem libri apparet, eiuſmodi veſtem ad ſacrificandum dijs vſurpari ſolitam fuiſſe.

Et ſi quæras, qua ratione dicitur hoc fuiſſe in ruinam Gedeoni, & domui eius? fortaſſe quia dedit occaſionem culpabilem, aut verò, quia calamitas familiæ Gedeonis, dicitur ruina Gedeonis more Scripturæ. Sic mors Isboſeth filij Saul dicitur 2. Regū 4. vltio de Saul: & paſſim hæc phraſis reperitur in Scriptura: & ea admiſſa expoſitione non probatur cultum veri Dei idolatriam eſſe, aut vocari.

2. Reg. 4.

D Ad tertium reſpondetur, tam populum Dei, quàm Gentilium ſolitum fuiſſe immolare in excelſis locis: Gentilem quidem idolis ſuis: Hebræum verò Deo vero, & quidē ante legem prohibentem ſub pœna mortis Leuiti. 17. & alibi, vt nemo immolaret extra Sanctuarium, nullum erat peccatum in excelſis immolare Deo vero: poſt illam verò prohibitionem peccatum erat, non idolatriæ, vt cenſent Hæretici Lutherani: ſed indebiti cultus veri Dei contra eius præceptum. Ob id taxantur multi Reges aliàs probi in hiſtoria Regum, eo quod excelſa nō abſtulerunt, illa quippe, in quibus populus

Leuit. 17.

Hebræus

Hebræus immolabat Deo suo contra Domini præceptum, non verò excelsa quibus vtebantur Gentiles in cultu idolorum. Si hęc enim cõseruassent neutiquam sacra Pagina eos commendaret vt probos viros, in nullo alio deficientes, nisi in hoc quod non vetuerunt populum immolare Deo suo in excelsis locis contra Domini iussionem: quod vel dissimulabant culpabiliter, vel neutiquam valebant resistere multitudini immolanti in altaribus à se cõstructis in locis excelsis, propter pigritiam eundi ad locum, vbi Sanctuarium erat.

Alia excelsa erant Gentilium, id est, altaria, seu phana in locis excelsis, & nemorosis constructa. Primò, quia Dijs quibusdam superis, ad denotandum eorum supra cæteros excellentiam aræ sublimes extollebantur: super quibus accẽdebant lumina, & victimæ cæsæ imponebantur. Sic Melanthes *Melanthes.* Græcus in lib. de sacrificijs. Oes autẽ mõs, Iouis mons appellatur: quoniam mons fuit antiquorum, vt altissimo Deo existenti in loco sublimi sacrificarent. Cuius appellationis reliquiæ vsque adhuc seruantur Barchinonæ Ciuitatis, ad Cathaloniam Hispaniæ partem pertinentis: nam mons quidã prope ciuitatem, & iuxta mare situs (*Monjoy*) vocatur, corrupto vocabulo mõs Iouis; fortasse quia antiquitus idolatræ eam regionẽ incolentes, in eo monte Aram, aut Phanum Ioui dicarunt. Sic etiam è Iouis ipsius iussu *Apollonius* sacra fiebant in montibus apud Apollonium Græcum lib. 2. Argonat.

Ingentem Iouis humentis tunc extruit aram.
Et sacra imponit in mõtibus: hic quoq; sacra,
Syrius accepit, sic Iupiter ipse volebat.

Quia & Apollini aram in litore erexerũt Argonautæ: atque cùm mons ibi nullus esset: sublimem illam fecerunt, vt in his ait idem Poëta.

Iustaque soluentes in primo ereximus aram
Litore sublimem.

consonat Latinum nomen *altare*, id est alta ara.

Secun da causa inductiua Gentilium, vt in excelsis locis ac nemorosis, Dijs suis imolarent; ea fuit: quia pleraque eorum sacra turpitudinibus plena erant, vt sacra Priapi, & *August.* Vestæ, ac Veneris, de quibus Augustinus lib. 6. de Ciuitate cap. 9. & lib. 2. cap. 4. & lib. 7. capit. 21. & 22. vt ergo occultarentur idolatræ suis turpibus vacantes, phana & altaria ad ea sacra celebranda erigebant in locis altis, nemorosis, dumetis, ac densitate arborum refertis. Quod si intra ciuitatem celebrabantur: aræ intra subterranea, & loca obscura extruebantur, vt colligitur expresse 3. Regum 15. vbi narratur de Rege bono Asa, qui destructis idolis quæ sibi accersierant Iudæi: *Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in loco eius, quem consecrauerat: subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron: excelsa autem non abstulit*: illa nimirum in quibus populus Hebræus immolabat Deo suo: nam purgatis idolorũ sordibus, & his demolitis; omnia eorum phana destruxisse palàm fit, in quibus populus idolatriam exercebat ante Asa tempora. Et de istis idolorum phanis, & altaribus excelsis intelliguntur verba Hieremiæ citata in argumento, *in omni colle sublimi, &c.* quibus exprobrat populo illi cultũ Deorum alienorum in excelsis, & nemorosis locis, sicut alij Prophetæ fecerunt, Esai. cap. 57. Ezech. 6. de quo etiam 4. Regũ 14. 16. 2. Paralipome. 28. Certè qui attentè legerit Hieremiam in eo capite neutiquam poterit negare ibi Hebræos reprehendere de cultu falsorum Deorum in excelsis: & apertius 3. Regum 14. *Et fecit Iudas malum coram Domino, & irritauerunt eum super omnibus quæ fecerant Patres eorum; ædificauerunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos super omnem collẽ excelsum, & subter omnem arborem frõdosam, sed effæminati fuerũt in terra, fecerunt q; omnes abominationes gentium, &c.* Ex quo facilè colliges Hieremiã damnare illum cultum vt idolatricum, quo populus Dei sacrificabat idolis: non verò illum, quo immolabat Deo suo in excelsis; vt volunt impij Nouatores: quamuis negandum non sit, & hunc cultum ob circunstantiam loci prophani esse illicitum. Postquã enim Deus Deuterono. 12. iusserat aras, & *Deuter. 12.* lucos gentium in nemorosis locis ac excelsis collibus constructos deleri: illicò adiecit. *Nec facietis ita Domino Deo vestro, sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo Holocausta, & victimas vestras, &c.* Quare ad argumentum concessa maiore, negatur minor. Nusquam enim in sacra pagina immolationem populi Deo vero, vocatam idolatriam reperitur: quin potius oppositum colligitur ex loco citato 3. Reg. 15. & 2. Paral. 13. *2. Para. 13.* vbi narratur omninò abolita idolatria per Manassem: dicitur tamen excelsa nõ abstuliss: vbi ex professo distinguitur idolatria

tria ab illo peccato immolandi Deo vero in excelſis. Expende, pie lector, Hiſtoriam, & videbis vera eſſe quæ dicimus, nulloque fundamento firmo Lutheranicam ſententiam fulciri.

Ad vltimum ſimiliter reſpondetur Hieremiam in eo capite nequaquã verba facere de peccatõ populi immolantis Deo ſuo in excelſis, ſed de immolatione idolorum, vt patet ex eodem capite; & multis verbis ibi poſitis, & cap. 11. eiuſdem Prophetæ id ipſum planius inſinuatur. Itaque populus ille adeò corruptus erat adoratione idolorum, vt nulla reperiretur ciuitas Iuda, quæ non extruxiſſet idolis altaria. Maneat igitur certum, cultum illegitimum veri Dei, licèt peccatum ſit religioni oppoſitum, & ſuperſtitionis ſpecies, diuerſa tamen ab idolatria, quæ ſolũ circa creaturas verſatur, ac idola.

DISPVTATIO IIII.

AN Hæretici, & Infideles, qui colũt vnũ Deũ, verumtamẽ in attribuendo ei vel ea attributa quæ ab ipſo aliena ſunt, vel in adimendo illa, quæ ei cõueniunt ſint idolatræ? v.g. Samaritani, qui colebant Deum Hebræorum, exiſtimantes alios eſſe etiam Deos, quos itidem colebant: Hæretici Arriani, qui colunt Deum in tribus perſonis, ſed cenſentes Filium eſſe minorem Patre. Item illi, qui colebant Deum, at negabant eius prouidentiam in gubernationem hominum, dicentes: *Circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat.* Dubitatur itaque, an iſti ſint dicendi idolatræ, & cultus eorum idolatricus?

Et videtur vera pars affirmatiua ex multis locis veteris teſtamenti. Vbi Deus execrans idolatriam ait ad populũ ſuum: *Non habebis Deos alienos coram me*, Exod. 20. & alibi ſæpe. Deos alienos, ſcilicet à veritate, ideſt falſos: ſed qui colit Deum quantumlibet perfectionibus eum credat refertum, ſi vnam imperfectionem ei credat ineſſe, putà quod corporeus, vt Antropomorphitę; quod improuidus, vt Priſcilianiſtæ; quod habet alios compares, aut compoſsibiles Deos, vt Samaritani, non colit verũ Deũ, ſed falſum: Deus enim corporeus, aut improuidus, aut paris poteſtatis cũ alijs Dijs, non eſt verus Deus: ergo idolatra cenſendus eſt. Confirmatur ex dicto Chriſti Domini ad Samaritanam, Ioan. 4. *Nos colimus quod ſcimus, vos colitis quod neſcitis.* Senſus eſt, nos Iudæi colimus Deum ſcibilẽ, quia verum, non enim ſcitur niſi verum: vos Samaritani etiam quando colitis Deum Hebræorum, (de hoc enim erat ſermo quando adorabatur à Samaritanis in templo cõſtructo in monte Garizim Deo Abrahã cõſecrato) adoratis Deum chymericum, non ſcibilem; quia falſus Deus: etenim Deum, qui à vobis colitur, exiſtimatis habere alios compares, aut compoſsibiles Deos. Igitur idolatræ cenſendi erant, vtpote adorantes falſum Deum.

Secundò. Diuus Auguſtinus de vera Religione cap. 38. errores ac hæreſes videtur inter idolatriæ genera enumerare, ſicut etiam Hieronymus cap. 44. ſuper Eſai. *Eſt* (inquit Auguſtinus) *alius deterior cultus ſimulachrorum, quod phantaſmata ſua homines colunt, & quidquid animo errante cum ſuperbia vel tumore cogitando imaginati ſunt, religionis nomine obſeruant*: & q. 29. ſuper Ioſuẽ, *Quiſquis* (inquit) *cogitat Deum qualis non eſt: alienum vtiq; Deum, & falſum in cogitatione portat.* Dicet quiſpiam, loquutiones has metaphoricas eſſe, ſicut nuper explicuimus D. Hieron. in caput ſecundum Amos. Contrà: nam ſecluſa metaphora, qui non bene ſentit de Deo, aut eum aliqua ex parte imperfectum putat: non credit verũ Deum, ſed falſum; quem ipſe ſibi perſuadet: ergo neque colit verum Deum, ſed falſum; quia cultus ex Fide naſcitur. Qua ratione motus Lactantius lib. 1. diuin. inſtit. ca. 19. negat factum eſſe vnquam, vt quis colẽs aliquem falſum Deum, verum aliquando colat, aut colere poſsit, quoniam ſi honor idem tribuitur alijs: ipſe omninò non colitur, &c.

Auguſt. *Hieron.* *Lactant.*

Tertiò arguitur, rationibus iam præiactis in teſtimonijs allatis. Qui colit falſum Deũ idolatra eſt, ſed Infideles, qui putant Deũ carere aliqua perfectione, aut habere aliquã imperfectionem, colunt falſum Deum: ergo, &c.

Quartò. Id colunt Infideles, (de quibus ſupra) quod credunt, ſed Deus ab ipſis creditus, eſt falſus Deus: ergo eum colunt, ac proinde idolatræ ſunt. Maior probatur, tũ quia idolatria ſicut quæuis ſuperſtitio, eſt quædam Infidelitatis proteſtatio: tum quia ex opinione, fide, aut exiſtimatione erga Deum, naſcitur cultus erga eundem, talem namque quiſquam Deum colit, qualem credit.

In oppoſitum eſt, communis ſenſus Doctorum

ctorum, qui Hæreticos non confundunt cũ Idolatris; quin potius asserunt eos colere verum Deum.

Secundò. Si omnis eorum cultus esset idolatria, quia versatur circa falsum Deum, quem ipsi opinantur, etiam omnis eorum actio esset peccatum: quia referretur pari ratione ad falsum Deum: quod damnatur à Concilio Tridentino sess. 6. can. 7. & 8. de quo disputatur 2. 2. q. 10. art. 4. & nos huic parti adhæremus.

Sed vt dissoluamus argumenta facta in disputationis initio, præmittendum, Religionẽ habere pro obiecto cui offertur cultus, Deum, sub ratione excellentis cuiusdã principij supra omnem creaturam, vt latè enarrauimus supra q. 81. & si hoc in aliquo cultu obseruetur, colitur verus Deus: quamuis aliunde propter defectum alicuius circunstantiæ, cultus iste vitiari possit. Secundò aduertendum, quòd is qui tenetur errore aliquo infidelitatis erga Deum: potest operari in suo cultu dupliciter. Vno modo procedens in cultu illo ex errore infidelitatis, intendens intentione actuali, vel virtuali perseuerante, eum Deum colere, quem credit, & non alium. Secundo modo potest procedere in suo cultu, non ex errore infidelitatis, sed absolutè volens Deum verum colere: qui non est alius nisi principium excellens supra omnem creaturam. Si primo modo, idolatra est: quia error quo erga Deum imbuitur, in rationem obiecti transit: & ita non verum Deum, sed falsum colit. At verò secundo modo, Deum verum colit, neque idolatra est: quin potius bonus est cultus ille ex obiecto, nisi aliunde vitietur. Errores autem subiecti non influunt aliquam malitiam in cultu: quia concomitanter se habent, & habitualiter dumtaxat afficiunt subiectum: sicut reliqua eorundem infidelium opera, quæ posse esse bona ex obiecto, nisi ab infidelitate proficiscantur, censet tota Theologorum Schola cum D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 3. Ex his patet ad argumenta. *D. Thom.*

Respondetur, notando quare Dij gentium vocentur in sacra Scriptura Dij alieni. Alieni scilicet, & extranei à vera religione Iudæorum. Alieni, quia alienigenæ, & gentes extraneæ sanguini Iudæorum, huiusmodi Deos colerent. Alieni, quia cùm re vera essent Dæmones, mentes, atque animos hominum à veri Dei cognitione, & cultu abalienabant. Alieni, quia simulabant se beneuolos, & beneficos homini, cùm essent humano generi alieniſsimi, & hostes acerrimi. Alieni, quia Dei nomen, & perfectiones nullo modo eis conueniebant: vt egregiè ait Hieremias cap. 10. Et in hoc sensu alieni Dij, & falsi Dij idem sunt: in quo procedit primum argumentum. Ad quod respondetur negando minorem: nisi talis cultus procedat ab infidelitatis errore: non est autem id semper necessarium; quinimò si non actualiter cogitet de cultu Deo exhibendo sub ea ratione erronea, cultus ipse suapte natura fertur in verũ Deum, qui est obiectum illius cultus proportionatũ; falsus verò Deus quasi obiectum violentum, & improportionatum. *Hiere. 10.*

Ad confirmationem respõdetur contrapositionem cultus Samaritanorum, & Iudæorum à Christo Domino factam, esse intelligendam à toto genere; ad hunc modũ: In cultu nostro (id est Iudæorum) ait Dominus, semper colitur verus Deus, in cultu verò vestro (id est Samaritanorum) non ita, sed colitis falsum: nimirum quando cultus ex infidelitate proficiscebatur: non autem negaret, quin quando Deorum falsorum obliti Deum colerent, ille cultus erga Deũ verum versaretur.

Ad secundum respondetur, Augustinum & alios Patres, si qui eo modo loquendi vtantur, interpretandos esse, quando cultus Hæreticorum ex infidelitate erga Deum promanat, sicut sæpe promanare credendũ est: tunc enim Hæretici peiori idolatria polluuntur, quàm simulacrorum cultores: tum quia reluctantur fidei susceptæ: tum quia neque Deum colunt, neque creaturam: etenim ille Deus fictitius, & ab Hæreticis cogitatus, neque creaturæ nomen meretur, cũ non extet in rerum natura: sed figmentum quoddam colunt, ac si adorarent Sphingẽ, aut Chymeram. Pariter est interpretandus Tertullianus, aut si eius dicta interpretationem hanc non admittunt, reijciendus est, quia per excessum loquitur. Ad tertium negatur minor, nisi cultus ex infidelitate procedat.

Ad quartum pariter respondetur, negando maiorem, si vniuersim esse veram contendatur. Ad probationem dicitur, quandoque cultum nasci ex ea falsa opinione: & tunc huiusmodi cultum inter idolatrias computari, non inficiamur. At verò sæpe ex ea falsa existimatione non procedit: & tunc nequaquam idolatria censeri debet.

(?)

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrùm idolatria sit peccatum?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd idolatria non sit peccatum: Nihil enim est peccatum quod vera fides in cultum Dei assumit. Sed vera fides imagines quasdã assumit ad diuinum cultum. Nam & in tabernaculo erant imagines Cherubin, vt legitur Exod. 25. Et in Ecclesia quædã imagines ponũtur, quas fideles adorant. Ergo idolatria, secundùm quam idola adorãtur, non est peccatum.

2 ¶ Præterea, Cuilibet superiori est reuerentia exhibenda. Sed Angeli, & animæ Sanctorũ sunt nobis superiores. Ergo si eis exhibeatur reuerentia per aliquẽ cultum vel sacrificiorum, vel aliquorum huiusmodi, non erit peccatum.

3 ¶ Præterea, Summus Deus interiori cultu mẽtis est colẽdus, secundùm illud Ioan. 4. Deum oportet adorare in spiritu & veritate. Et Augustꝰ. dicit in Enchiridio: quòd Deus colitur Fide, Spe, & Charitate. Potest autẽ cõtingere quòd aliquis exterius idola colat, interius tamen à vera fide non discedat. Ergo videtur quòd sine præiudicio diuini cultus possit aliquis exterius idola colere.

¶ SED CONTRA est, quòd A Exod. 20. dicitur: Non adorabis ea, scilicet exterius, neque coles, scilicet interius, vt glossa exponit. Et loquitur de sculptilibus & imaginibus. Ergo peccatum est idolis exteriorem, vel interiorem cultum exhibere.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd circa hoc aliqui dupliciter errauerunt. B Quidam enim putauerunt quòd offerre sacrificium, & alia ad latriam pertinẽtia, non solùm summo Deo, sed etiam alijs supradictis esset debitum, & per se bonum, eo quòd cuilibet superiori naturæ diuinam reuerentiam exhibendam putãt, quasi Deo propinquiori: sed hoc irrationabiliter dicitur: nam etsi omnes superiores reuereri debeamus, non tamẽ eadem reuerentia omnibus debetur: C sed aliquid speciale summo Deo debetur, qui singulari ratione omnes excellit: & hoc est latriæ cultus. Nec potest dici, sicut quidam putauerunt, hæc visibilia sacrificia dijs alijs cõgrue re: illi verò summo Deo tanquã meliori meliora, scilicet, puræ mentis officia, quia vt Aug. di- D cit in 10. de Ciuit. Dei, exteriora sacrificia ita sunt signa interiorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum: quocirca sicut orantes atque laudantes ad eũ dirigimus significantes voces, cui tamen res ipsas in corde quas significamus offerimus: ita sacrificantes non alteri visibile

Enchir. c. 3. to. 3. Quæstio.

Li. 10. c. 19 circa princ. to. 5. Quæstio.

bile sacrificium offerendū esse nouerimus, quàm ei cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificiū nosipsi esse debemus. Alij verò æstimauerunt latriæ cultū exteriorem, non esse idolis exhibēdum tāquam per se bonum, aut opportunum, sed tanquam vulgari consuetudine consonum, vt Aug. in 6. de Ciui. Dei, introducit Senecam dicentem: Sic, inquit, adorabimus, vt & meminerimus huiusmodi cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere. Et in lib. de vera religione, Augustin. dicit non esse religionem à Philosophis quęrendam, qui eadem sacra recipiebāt cum populis, & de suorum Deorum natura ac summo bono diuersas contrariasq; sententias in Scholis personabant. Et hūc etiam errorē sequuti sunt quidam hæretici, asserentes nō esse periculosum, si quis persecutionis tempore deprehensus exterius idola colat: dum tamē fidem in mente seruet. Sed hoc apparet manifestè falsum: nam cùm exterior cultus sit signum interioris cultus, sicut est pernicioſum mendacium, si quis verbis asserat cōtrarium eius quod per veram fidem tenet in corde: ita etiam est pernicioſa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id quod sentit in mente. Vnde Aug. dicit contra Senecā in 6. de Ciuita. Dei, quod eo dānabilius colebat idola, quo illa quæ mendaciter agebat, sic ageret, vt eum populus veraciter agere existimaret.

Li. 6. c. 10. to. 5.

Capit. 5. in princ. to. 1.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd neque in veteris legis tabernaculo seu templo, neque etiam nunc imagines in Ecclesia instituuntur, vt eis cultus latriæ exhibeatur: sed ad quandam significationem, vt per huiusmodi imagines mentibus hominum imprimatur, & confirmetur fides de excellentia Angelorum, & Sanctorum. Secus autem est de imagine Christi, cui ratione diuinitatis latria debetur, vt dicetur in Tertio.

5. p. q. 25. arti. 3. In corp. art.

¶ Ad secundum, & tertium patet responsio per ea, quæ dicta sunt.

Summa Articuli.

Conclusio est affirmatiua, & probatur Exod. 20. *Non adorabis idola*, scilicet, exterius, *neque coles*, scilicet interius, vt dicit glossa, in corpore verò articuli refutat quorundam contra conclusionem errores; quos quia fusius indicabo, modò non in compendium redigo.

Exod. 20.

Doctor Sanctus in corpore articuli, non probat ratione conclusionem, præter solitū morem: eo quod ex quæstionibus præcedentibus, & maximè ex q. 81. & ar. 1. huius quæstionis, luce clarius apparet veritas conclusionis, & fusius id ipsum manifestat tertio contra gentes cap. 120. Ratio autem potissima, ad quam cæteræ reducuntur, in hūc procedit modum. Per idolatriam cultus Deo debitus aufertur ab eo, & ad creaturā transfertur: ergo peccatum est. Cōsequentia notissima est: etenim si id quod vni homini debitum est, & proprium, ab eo aufertur, & ad alium transfertur, iniquitas est: ergo à fortiori si cultus, & honor Deo debitus, ab eo in creaturam transfertur, impietas est. Antecedens prioris argumenti clarum est, quia idolatria, vt vidimus in præcedenti

denti articulo in exhibēdo creaturæ honores diuinos Deo debitos, cōſiſtit. Quod ſi teſtimonia ſacræ Scripturæ, præter citatū, deſideras; in Deuter. 6. c. ſcriptū eſt. *Dominū Deū tuū adorabis, & illi ſoli ſeruies*: Exod. 20. *Non habebis Deos alienos corā me*. Deuteron. 32. *Videte quod ego ſum ſolus, & non ſit alius Deus præter me*.

Deut. 6.
Exod. 20.
Deut. 32.

Circa hunc articulū multæ ſunt exoluendæ difficultates, multi refutandi errores: quod eo firmius, & exactius præſtabimus, ſi ex ipſamet definitione idololatriæ, veritatis indaginem deſumpſerimus: quapropter eā ob oculos proponere decreui; eiuſque ſingulas particulas explanare: quod ſi pro dignitate effecero, nō dubito quin omnes dubitationes, & calumniæ contra doctrinam Catholicam Angelici Doctoris euaneſcent.

Igitur idolatria eſt vitiū ſuperſtitionis, quo creaturæ exhibetur cultus ſeu diuinus honor. Hæc definitio idololatriæ ab omnibus acceptata nunquāque refutata, niſi noſtro tēpore ab Hæreticis ſectarijs: (vt vidimus) ſed (rūpantur, ſcilicet) cōmunis animi cōceptio Patrū eſt. Tertullian. in lib. de idolatria in principio: *Idolatria* (inquit) *Deo fraudē facit, honores illi ſuos negans, & conferēs alijs vt fraudi etiā contumeliā conungat.* Gregor. Nazianz. oratione in Chriſti Natiuitatem poſt mediū, idolatriā eſſe, inquit, adorationis à Deo ad creaturas trāslationē. Auguſt. lib. 1. de Trinit. *Iubemur* (inquit) *non ſeruire creaturæ, ſed creatori: non eo modo quo iubemur per charitatem ſeruire inuicē, ſed eo modo quo tantùm Deo ſeruitur.* Vnde idolatræ inquit dicūtur, qui ſimulachris eā ſeruitutem exhibēt, quæ debetur Deo. Ambroſius in cap. 5. ad Epheſ. *Idolatria Dei honorificentiā vſurpat, & vendicat creaturæ.* Et ſimilia paſsim apud Patres expreſsè appro-

Tertul.
Greg. Naz.
Auguſt.
Ambroſ.

bantes noſtrā definitionem: in qua omnia ſunt perſpicua, præterquā quomodo diſcriminentur honores, & diuini cultus, ab his qui nō ſunt diuini, & Deo debiti. Pro cuius explicatione aduertendū, honorē, & cultū diuinū dici eum, qui ſoli Deo debetur. Hic autē bifariā conſideratur: aut ex natura rei, aut ex aliquo adiūcto, & quidē in cultu externo ille honor, & cultus ſoli Deo debitus, ac proinde diuinus eſt: qui prouenit ratione alicuius ſenſibilis ſigni; quod ad ſolū Deū honorandum appropriatum eſt. Et in vocibus, oratio ſoli Deo cōueniens tale ſignum ſenſibile eſt, vt illa, Deus miſerere mei, aut da mihi gratiam tuā, &c. In rebus verò ego non aliud agnoſco, niſi ſolum ſacrificiū ab omni gēte, & natione ad ſolum Deū honorandum, & colendum inſtitutū, vt vidimus, & probauimus latè ſuperius q. 85. ar. 2. Quidam idem dicunt de pectoris tunſione, ſed non eſt mihi certū. Eſt autem valde ſine hæſitatione, eum qui quomodocunque creaturæ ſacrificiū offerret, eſſe idolatram, imò & eum qui honoraret, & coleret creaturam eo genere cultus, qui ex more Patriæ ſoli Deo dicatus eſſet.

A

Alia ſunt ſigna ſenſibilia ad exhibendum honorē indifferēter Deo, & creaturæ deſtinata: vt genuflexiones, proſtrationes, & ſimilia: quibus quandoque honoramus, Deū quandoq; creaturas dignitate præcellentes, & ab his non promanat honos, aut diuinus cultus ex natura rei, ſed per aliud, id eſt, ex adiunctis: videlicet quando is qui his ſignis vtitur erga creaturā, id facit, vel quia credit, aut exiſtimat creaturā eſſe Deū, aut aliquid diuinitatis habere: quod ad infidelitatē pertinet: aut verò licèt hoc non credat, motus tamen paſsione aliqua amoris, odij, aut timoris, vult creaturā, quam ſcit eſſe creaturam, honorare ac ſi eſſet Deus. Itē ſi vtatur eo ſigno indifferēti ad colendam creaturā, & Deum, eo tēpore, & his circunſtantijs, vt cenſeatur cultus diuinus exhibitus creaturæ: v.g. qui ſi quis à Tyranno inuitatus, vt corā idolo genuflecteret, ei cōniueret: certè idolatra eſſet, quāuis nō crederet eſſe Deū, aut aliquid diuinitatis habere, nec haberet animum colendi vt Deū: quia attentis illis circunſtantijs, hīc & nunc colit idolū ſicut Deum verum: etenim petitioni annuens, ſicut petitio de cultu idolatrico intelligebatur: ſic & reſponſio ſeu factū de eodem cultu intelligēdū venit: de quo latius inferius. In cultu verò interno quidā aſſerūt actum deuotionis, oblationē & huiuſmodi, nequaquā poſſe erga creaturam verſari ſine idolatriæ crimine, quia cùm anima à ſolo Deo creata ſit, ei ſoli offerri, & ſubmitti debet. Ego verò licèt exiſtimem ſoli Deo eſſe ſubmittendū, vt creatori, & conſeruatori, &c. non tamen video quare Sanctis, Angelis, & hominibus nō offerri poſsit, nō vt creatoribus, aut cōſeruatoribus, ſed vt dignitate præcellentibus. Itē quia ſtriges quādo diabolo, quē ſciunt eſſe diabolum, interius ſeu exterius offerūt animā ſuam, mentē, aut interiora ſua, quāuis grauiter peccēt, nō cenſentur idolatræ: ergo non ſemper pertinet ad honorē diuinū, animā Deo offerre, ſicut ſacrificiū: aliàs quicunque taliter offerens, idolatra eſſet. Ille igitur actus internus idolatria erit, per quē exhibetur creaturæ honos debitus

B

C

bitus Deo ex natura rei, aut ex more gentium: quòd ſi honos ſit indifferens ad Deum, & creaturas, ſi exhibeatur creaturæ animo eam colendi ſicut verum Deum, idolatria eſt. Hoc autem poteſt tripliciter contingere. Primò quando ille animus ſeu intentio habetur expreſsè, & actualiter. Secundo modo virtualiter, ſcilicet, ex vi prioris intentionis, ea ſcilicet qua quis ſtatuiſſet creaturã colere ſicut Deum. Tertio modo implicitè, quia vult facere aliquid, vnde colligitur ſe velle creaturæ honores diuinos exhibere, vt in eo qui cogitur corã idolo genuflectere, aut alio affectu ductus id facit: ſicut Seneca qui irridens interius idola, vt tamen morẽ gereret vulgo, idola colebat, vt refert Auguſt. 6. de ciuit. ca. 6. *Auguſt.*

Secundo loco refellendi ſunt errores, qui circa idolatriã emerſere, atque in primis aduertere oportet, fuiſſe quoſdã idolatras (qui & modò non deſunt) multos Deos colẽtes, & enormiter errantes circa pluralitatẽ Deorũ: horum error ferè per totũ orbem graſſatus eſt, ſed iam poſt Chriſti Domini aduẽtum magna ex parte ſopitus.

Alij verò fuerunt idolatræ, qui agnoſcentes vnum dũtaxat eſſe Deum: alijs ab ipſo, nẽpe creaturis quibuſdã excellentibus, honores diuinos eſſe deferẽdos cẽſuerũt. Nos verò breuiter vtroſque refutabimus. In priorũ verò impugnatione ſi res pro dignitate eſſet tractanda, integros nõ exiguos codices perficeremus, ſicut & perfecerunt Patres vicini primitiuę Eccleſiæ Chriſtianorũ: quando idolatria vigebat magnãque aduerſus Chriſticolas cõcitauerat perſecutionem. *Tertul.* Speciatim egregiã nauarũt operã Tertul. in *Hieron.* lib. Apologetico aduerſus gẽtes, de quo ait D. Hieron. Epiſt. ad Magnũ cunctam ſæculi cõtinere diſciplinã, & in lib. cõtra idolatriã, & patres citati in principio huius quæſtionis. Igitur idolatræ illi priores confutan *D. Tho.* di eſſent, oſtendendo vnicũ eſſe dumtaxat Deũ: quod præclarè fecit D. Tho. 1. p. q. 2. *Lactant.* ar. 3. & 4. ad quẽ locũ remittimus auidũ Lectorẽ: Lactantius ítẽ lib. 1. diuinarum inſtitutionum à capite 3. vſque ad 8. eleganter idem adſtruit.

Hancque aſſertionẽ, & ſectam plurium Deorũ ineptã eſſe, & inſanã probatur. Primò ex ipſa eorũ multiplicitate: nã rogo vt quid tot Dij multiplicantur à Paganis? Dicent, vt mũdus iſte benè regatur ac gubernetur, dum vnus Deus aëri, alter mari, alius montibus, alius collibus, &c. præficitur: ergo iam ſinguli imbecilles ſunt, non valentes hanc mundanam molem gubernare: ergo A nullus eorum Deus eſt: etenim Deus vnde quaque perfectus eſt, cui nec deſunt vires, aut robur, nec poteſtas ad quidquid voluerit perficiendum. Hoc ſi à Deo tollas non erit Deus. Dicent vtique quẽlibet hoc poſſe habere; tamen diuerſa munia ab inuicem diuiſa. Vt quid hæc diuiſio, ſi integra, & abſoluta poteſtas eſt apud vnum? Numquid, ne vnus tot officijs occupatus laſſetur? Qui laſſatur Deus non eſt. Numquid cum iſtorum Deorum volũtas ad diuerſos fines pro penderet, mundana hæc moles non turbaretur? & turbatam fingunt: dũ Aeolus vẽ- B torum Deus, mare turbat, rates Troianorum pene demergit, è contra Neptunus, ſedat turbatum mare. Quod ſi vnus alterius officium vſurpet: rixæ, & diſcordiæ non deerunt. De illis nanque legitur apud Homerum in certamen deueniſſe, dum alij *Homerus.* Troiam tueri, alij euertendam curarent. Hoc ipſum confirmatur argumento Xeno *Xenophon.* phonis Colophonij, ſi plures Dij ſunt, aut pari, aut impari potentia: Si ſunt quidem impares: multi imbecilles ab aliorum fortiorum iuuamine pendere neceſſe eſt, illiſque ſubijci, quod à Deo alienum eſt. Sin omnes pares exiſtant, nollenſque alium volentem impediat, res neque fieri, neque non fieri poterit, quod nequit ſine riſu intelligi. Di- C ces: erit ſumma concordia: quin imò vt ex eorum hiſtorijs colligitur ſummæ rixæ ac diſcordiæ; & niſi fortuna fauerit vni, nequa quã aduerſus alterum prævalebit, quia par in parem non habet poteſtatẽ; & tunc fortuna Dijs dominabitur, & Deus deberet dici, cùm tamen neque ipſa, neque ipſi, Dij ſint.

Itẽ hanc eandem imbecillitatem Deorũ ipſi Gentiles faſsi ſunt, dũ cuilibet rei perficiendæ innumeros aſsignarunt Deos, quos *Auguſt.* colerent: refert Aug. de ciuit. 4. c. 8. ſata frumenta quandiu ſub terra eſſent cõmendabant Deæ Seiæ: cũ verò extra glebã; Deæ D Segetiæ: frumentis vero collectis, vt tutò ſeruarentur Deã Tutelinã præfecerunt, Proſerpinam frumentis germinantibus. Deum Nodotũ, geniculis nodiſque cultorũ. Deã Volutinã in volucris foliculorũ: cùm folicu li pateſcunt, vt ab ea exeant Deã Patelenã: florentibus frumentis Deã Floram: lacteſcẽtibus Deã Lacturtiã: matureſcentibus Deã Matutã: cùm runcãtur, id eſt, à terra auferũtur Deã Runcinã. O imbecillitas Deorum, quorũ tanta turba neceſſaria eſt, vt vnã ſpicam frumenti in horreum condas! Et certè non ſunt Dij: nam Deus verus ſicut mundum condidit ex nihilo, ſic ſe ſolo po-

lo potens eſt gubernare, & gubernat.

Secundò. Dij iſti multiplices, aut æterni fuerunt, aut in tempore nati: non æterni, etenim ante Saturnum, & Iouē nullū Deū celebrauit Gentilitas, vt antiquiſsimus Ter
Tertul. tullianus docet, Apologetico, c. 10. & ipſi Gentiles fatentur. Saturnū autem non eſſe æternum, & conſequenter neque Iouē eius filium, inde colligimus, quia ex ipſis Hiſtoriographis Paganis eius originē didicimus, hominem nempe natum ex hominibus. Ita
Diodorus DiodorusGræcus, Terſius, Caſius, Seuerus,
Taſius. Cornelius Nepos citati à Tertul. Apolog. c.
Caſius. 10. à Lactāt. lib. 1. c. 13. à Iuſti. Mart. Dicūt
Seuerus. idolatræ Saturnū eſſe filium cœli, & terræ:
Cornel. Nepos. ergo iam non eſt æternus, ſed in tēpore natus. Si aſſerant idolatræ in tēpore natū: ante
Lactant. ipſum nonne mundus iſte eaſdem viciſſitu-
Iuſtinus. dines temporū, eoſdem terræ fructus parturiebat, eiſdem cœli pluuijs, ac influentijs potiebatur? Vtique. Vt quid ergo iſtis Dijs eguit Mundus, cum ſine ipſis gubernaretur? Dicent, quia adinuenerūt modū viuēdi politicum: nam antea barbarè homines degebant. Et ad hoc munus, vt quid fingūtur Dij? nam homines mortales præſtare poterant, & de facto præſtarunt, & modò multa adinuenīūt, quæ apprimè conducūt ad vitā politicè tranſigendā: & tamē neq; ſunt Dij, neq; habiti vt Dij. Sed ſi concedatur eos homines fuiſſe in tēpore natos, ſicut fateri neceſſe eſt: rurſus rogo aut mortales, aut immortales? Quidam Pagani eos immortales dixerunt, vt Virgil. lib. 1. AEneid. de Ioue
Virgil. Deorum Principe.

O qui res hominumq́, Deūmq́,
Æternis regis imperijs, & fulmine terres.

Orpheus. Et Orpheus in Hymnis.

Iupiter ô venerande, Iupiter ſempiterne.

Sed hoc figmentū eſt cum veritate pugnās: ſi enim genitus à Saturno, & matre Rhea, vt ipſi Pagani aiūt, quomodo immortalis habendus eſt; cùm natura ita comparatum ſit, vt quæ per generationem carnalem producuntur mortalia ſunt. Generationē namq; carnalem naturæ oppifex adinuenit, vt ſpecies rerum, quarū indiuidua interitui obnoxia ſunt, conſeruaret. Quodſi aliqua indiuidua immortalia ſunt, vt aſtra, ac ſydera, nequaquam per generationē carnalem in lucē prodiêre. Dicent Pagani: ſuapte natura homines mortales erāt, ſed immortalitate donati ſunt. A quo? nam ille immortalitatis largitor potiore iure vt Deus habēdus, & colēdus eſſet. Item ſi immortales eſſent tam mares, quàm fœminæ filios immortales genuiſsēt: & ſimiliter Dij eorum filij aliós filios, quos omnes ſuperſtites, vtpote immortales totus eos mūdus capere nō poſſet, nec eſſent Magiſtratus, & Imperia pro eis ſufficientia, & niſi ocioſi, ac deſides viuere mallent, cerdones, & agricolas, & fabros Deos haberemus.

Sed age eorundem Paganorū teſtimonia afferamus, afferentiū eos homines mortales extitiſſe. Plautus in Proœmio Amphitrion. introducit Mercurium vocantē ſuum Iouē Deorum Principem mortalem his verbis:

Mirari non æquum, ſibi ſi prætimet, *Plautus.*
Atque ego quoque, & qui filius ſum Iouis
Contagione meæ matris metuo malum:
Etenim ille quoties huc iuſſu venio (malū,
Iupiter, non minus quā noſtrū quiuis formidat
Humana matre natus, humano patre.

Hinc ſumitur argumentum: ſi ipſe vt cæteri natus eſt homines, mortalis erit ſicut & cæteri, ſiquidem omnes quotquot naſcuntur interire neceſſe eſt (vt diximus) imò & ſepultum eſſe Cretæ Luciani teſtimonio, qui ait: *Cretenſes non ſolùm natum apud ſe, & ſepultum Iouem teſtantur, ſed etiam ſepulchrū eius oſtendunt.* Et Epiphanius in Anchorato *Epiphan.* aſſerit, ſuis temporibus in Iaſio monte Cretæ ſepulchrum Iouis monſtrari ſolitum. Idē affirmat Calimachus in Hymnis. Quod de Ioue Deorum principe argumentabamur, de alijs imbecillioribus cōcludi neceſſe eſt.

Ad hæc accedit hoſce Gentiliū Deos ab ipſis narrari, quādoq; dormire, quādoq; potationib⁹, ac cōuiuijs indulgere, & ſæpe Veneris ſtimulis exagitari: at his miſerijs premi alienum eſt ab habēte diuinā naturā, genuinumq́, hominū mortalium, ac imbecillium, cùm ſomnū, & epulas ob corporis imbecillitatē requiri nemo ignoret: eo quod ille ad labores corpus reficiat: hæ ad naturæ vim conſeruandam requirantur. Quod egregiè agnouit Alexander ille Macedo, qui adulatoribus ſibi dicentibus eſſe Deū, reſpondit, ſe lōge diuerſa à natura diuina experiri, cū & ſomno, ac cibo egeret, ac Venereas titillationes ſentiret. Quod ſi his neceſſarijs ad vitam Dij iſti egebāt ne deficerent, & ad libidinē excitabantur, quomodo immortales eſſe poterāt? Nequaquā. Mitto modò quòd ſæpe iſti Dij ab hominibus narrātur vulnerati. Iuno ab Hercule narratur vulnerata ab Homero lib. 4. prima Illiada. Et Pluto ab *Homerus.* eodem Hercule. Mars fuit ab Ephialte in vincula coniectus. Venus à Diomede vulnerata ſagitta; eo quod filiū ſuum AEneam ab eodem Diomede penè interfectum rapere voluiſſet. Martem tredecim menſibus in

vinculis penè consumptum, & AEsculapiũ à Ioue fulmine esse necatum. His conuicti sapientiores quidam Pagani affirmãt, Deos istos mortales esse, ac mortem subijsse, sed post mortem Deos esse factos. Hos egregiè redarguit Tertullian. in Apologetico c. 11. Tum quia ille à quo Dij facti sunt potius esset vt Deus colendus: tum quia quorsum eos fecit Deos? quia eorum opera indigebat? nequaquam; quia multis ante seculis non indiguit his Dijs ad gubernationẽ orbis: ergo neque tẽpore eorũ, aut post eorũ mortẽ expectaret à mortuis auxiliũ. Dicẽt propter eorũ egregia gesta. Certè adeò impia ac scelesta, vt propterea mererentur in carcerem infernarum pœnarum detrudi; tantùm abest vt inter Deos essent referẽdi.

Tertul.

Tertiò. Illi quorum mores flagitiosi, & impuri, nequaquã Dij esse possunt, neque vt Dij honorari debent: quia alienũ est valde à natura diuina sceleribus vacare, aut spurcitijs commaculari, cũ ea ipsa puniat Deus, imò & quiuis Magistratus reipublicæ mediocriter institutę: sed illi homines quos Pagani colebant vt Deos, fuerunt flagitiosissimi, multis vitijs enormibus inuoluti: ergo nequaquã vt Dij habendi, neque honorãdi: quin potius vituperandi ac puniẽdi. Omnia nota sunt præter assumptionem, id est, minorẽ propositionem, quæ luce clarior erit legentibus ipsorũ Paganorum literas. Et vt à Ioue quem dicunt esse Deorum principẽ, ac propterea nuncupauêre optimum maximũ incipientes: Quis vnquam repertus fuit flagitiosior? nemo. Ipse latronum dux & alitor, vt colligitur ex Virgilio lib. 8. & Tibullus lib. 1.

Tibullus.

Nũc Ioue sub domino cædes & vulnera sæper,
Nunc mare, nunc lethi mille repente viæ.

Ipse prope parricida: nã eum patrẽ perse quutũ virilibus exsecasse, literæ omnes Paganorũ testantur. Ipse incestuosus in sororẽ, quam constuprauit per fraudẽ, & postea vxorem duxit, quod nullus ignorat. Ipse in cestuosior in matrẽ. Nam Athenagoras (referente Iustino Martyre Apologetico 1.) ad Senatũ Romanum ait, *ex matre Rhea, & ex filia prolẽ suscepit*. Et Arnobius lib. 5. etiã ne in matrẽ, etiã ne in filia efferati pectoris appetitionibus adhinniit. Adulteria innumera exercuit. Vnde quidam Poëta Græcus sic Latinè:

Arnob.

Fit Taurus, Cignus, Satirusq́, aurũq́ ob amorẽ
Europæ, Lædes, Antiopæ, Danaes.

Lucianus in Dialogo de Mercurio, & Sole, ipsum notat vt adulterorũ autorẽ, neque his cõtentus Ganimedẽ suę ætatis pulcherrimũ adolescẽtẽ in delitijs habuisse creditus est. Quid dicã de Dea Venere, quæ artẽ meretriciã legitur docuisse, à Sole cõpressam, atque à Neptuno, Adonidem habuisse in delitijs, à quo & Priapũ peperit, Marti adhæsisse deluso suo marito Vulcano. Quid de Mercurio latrocinijs, ac fraudibus occupato: nonne de ipso eius cultores asserũt, Thiresiæ subripuisse boues: Marti gladiũ: Vulcano forcipẽ: Neptuno tridentẽ: Apollini arcũ, & sagittas: Veneri cestũ: Iouis sceptrũ? Nõ vacat dicere per singula de moribus perditissimis eorũ, quos cæca Gentilitas coluit vt Deos: cũ erubescere deberet eos nominare. Ad vos, ô Pagani, meus cõuertitur sermo, si hæc flagitia quæ de Dijs vestris narrantur, patribus aut matribus vestris imputarẽtur, nõne tristitia, & pudore afficeremini: talesque vos habuisse parẽtes doleretis? Magis vos erubescere dignum est, quod tales Deos colatis, & honoribus diuinis prosequamini. Hoc probrũ obijcit, hoc dicterio deri sit sancta Agatha Quintianũ Sicilię præsidẽ hortantẽ ad sacrificia Deorum. *Sit* (inquit Agatha) *vxor tua, vt Dea tua Venus, & tu sicut Deus tuꝰ Iuppiter*: & Quintianus hoc dicto cõmotus, iussit eã vt iniurioſam sibi alapis cedi: cui Agatha, *miror te virũ prudentẽ ad tantã stultitiã deuolutum: vt illos dicas Deos, quorũ vitã nec tu, nec vxor tua vellis imitari*. Scio quid Pagani quidã respondeãt, hæc quæ de Dijs dicuntur, Poëtæ fabulantur: ipsi enim probi viri fuêre. Fateor, aliqua Poëtæ de illis finxerunt: nimirum quæ potestatis diuinæ videbantur: nõ verò illa, quæ ipsi vt homines gessere, quod clarũ fiet ex apponẽdis. Narraturi nanq; nuptias Iouis cũ sorore, vt incestũ Dei sui quodãmodo excusarẽt, finxerũt, eũ sororẽ Iunonẽ deperijsse, cuius concubitũ cũ palã petere non auderet, Iunone existente sola in quodam agro Corinthorũ, Iuppiter se in cuculũ cõuertit, & tremens ad genua Iunonis aduolauit, cuius illa misserta, ob frigoris enim iniuriã tremere existimabat, sub vestibus texit, qui postea Iuppiter factꝰ illã vitiauit, & in vxorẽ duxit. Quod in cuculũ conuersus, sit, figmentũ Poëtarũ: quod fori coierit, omnes eius cultores, asserũt. Itẽ Danaẽ violaturus Iuppiter aureos nũmos largiter in sinũ eius effudit: at Poëtæ qui quasi de Deo loquebantur, ne autoritatẽ creditæ maiestatis infringerent, finxerunt ipsum in aureo imbre delapsum, sed ipsam Danaẽm cõ pressisse non fingunt, quia ita accidit: &

Lucianus.

sic

ſic de alijs Deorum ſtupris, latrocinijs, ac fla
gitijs dicendum erit. Hoc etiam argumento
exploduntur Pagani, qui cultum Deorũ in
Theatris reiecerunt vt fabularẽ: cultum ve
rò, qui eis à Pontificibus exhibebatur in
phanis admiſſerunt, quẽ vocauerunt ciuilẽ:
etenim ipſimet Dij qui inducebãtur in Thea
tris, colebãtur in phanis: ſed illi indigni erãt
honore, nedũ cultu diuino: ergo neq; colẽ-
Auguſt. di eſſent in phanis, latius Aug. 6. de ciuit. c.
6. & 7. Item 4. Eorum Deorum ſacra, vtpo
te crudelia, interdum quãdoque obſcœna,
& ſæpe ridicula, inſaniã idolatrorũ detegit
in his Dijs colẽdis. Crudelia quidẽ; nãſæpe
Virgil. Dijs homines mactabantur: Virgil. lib. 10.
Quatuor hic iuuenes totidẽ quos educat vfens,
Viuentes rapit, inferis quos immolet vmbris,
Captiuoq; rogi perfundat ſanguine flammas.

Et Dionyſ. Alicarn. lib. 1. Saturn. ma-
Dion. Alic. ctari homines narrat, & Plutarc. in libello
Plutarc. de ſuperſtitione ait Carthaginenſes ſponte
liberos eidem Deo mactare. Qui verò libe-
ros non haberent, à patribus emebant, aſta-
bant parentes, qui ſi lachrymauiſſent, aut in
gemuiſſent, ſine honore vitam in poſterũ
degebant: ac nihilominus mactabantur filij,
atque ante ſtatuam Saturni, omnia tibijs, &
tympanis perſonabant: ne puerorum dum
mactarentur exaudiri poſſet clamor, aut ge
mitus. Hunc modum ſacrificandi vſurpaſſe
Hebræos ſacra Scriptura teſtatur, Deut. 12.
Deut. 12. *Omnes* (inquit) *abominationes, quas aduerſa-*
tur Dominus fecerunt, Dijs ſuis offerentes
filios, & filias, & comburentes igni: &
Hierem. 7. Hieremiæ 7. *ædificauerunt excelſa To-*
phet, quæ eſt in valle filij Enon, vt incenderẽt
filios ſuos, & filias ſuas igni, quæ non præcepi,
neque cogitaui in corde meo; nempe tan-
quam rem indignam Deo vero. Super quẽ
Lyra. locum Nicolaus de Lyra ſic ait. *Tophet, id*
eſt, Idolo moloch, & ſecundùm quod dicit hic
Rabbi Salomon tympanum ſeu tympanizatio-
nem, eo quod in ritu illius idoli fiebat tympa-
nizatio: erat enim illud idolum æreum, & in-
terius concauum, & intra concauitatem illam
fiebat ignis fortis, & quando idolum erat ig-
nitum, ponebatur puer qui offerebatur in mani
bus eius, & tunc ſacerdotes percutiebant forti-
ter tympana, ne parentes pueri audirent cla-
morem pueri, & ne compaterentur, & vt cre-
derent ſine dolore corporis, animam euolaſſe.
Et iſtud eſt valde horribile, ſcilicet, innocen-
tem ad venerationem idoli ſic interficere. Simi
le quid narratur ab Hiſpanis nouum orbem
luſtrantibus, fuiſſe in vſu apud idolatras
quoſdam. Multa alia ſacrificia impia, at-

A que nefanda hominum morte celebrarunt
idolatræ, quæ ſub religionis prætextu ad
infandas cædes præcipites agebantur. De
qua re poterit videri Lilius Giraldus, qui *Girald.*
multa huiuſmodi enarrat Synthagmate
17. Hiſtoriæ Deorum, & Natalis Comes in
mythologia lib. 1. c. 18.

De ſacrificijs verò obſcœnis idem Au-
tor multa enarrat. De Priapo Diuus Augu- *Auguſtinus*
ſtinus in libro 6. de Ciuitate Dei capite 9.
B ait: *Quid hoc dicam cum ibi ſit, & Priapus ni*
mirum maſculus, ſuper cuius immaniſſimum,
& turpiſſimum facinum ſedere noua nupta
iubebatur: vt earum pudicitiam Deus prior
delibaſſe videretur. Et obſcœniora ſacra
eidem dicabantur, vt colligitur ex 3. Reg.
15. & 2. Paralipom. 15. vbi narratur Re-
gem amouiſſe matrem ſuam ne eſſet prin-
ceps in feſtis turpiſſimis Priapi. Et narrat
Corinthi ſupra mille proſtitutas in tem-
plo Veneris aſsidue degere: & inflammata
libidine quæſtui meretricio operam dediſ-
ſe, velut ſacrorum miniſtras Deæ famu-
lari ſolitas. Demum confirmat hoc: nam ſa-
crificabatur Priapo aſinus, Phœbo equus,
Veneri viſcera canis ob quaſdam puden-
das cauſas. Et ſacra Bachi obſcœniſſima nar
C rat Alexander ab Alexandro libro Ge-
nialium dierum capite 19. & ſacra Cere-
ris cum difficultate admittebantur, quia
obſcœniſſima erant. De ſacrificijs ridicu-
lis illorum falſorum Deorum multa poſ-
ſent afferri ex hiſtorijs prophanis, quæ
omitto conſulens breuitati: interim viden-
dus eſt Natalis Comes libro 1. capite 15.
circa finem.

Ac demum improbatur cultus iſte Deo-
rum multiplicium ex neglectu ſapientio-
rum ex Gentilibus, qui ipſos non eſſe co-
lendos cenſuerunt. Socrates in irriſionem
D Deorum per quercum, & hircum, & ca-
nem iurabat, & ob id morte mulctatus eſt,
vt conſtat ex Iuſtino Martyre Apologe- *Iuſtinus.*
tico 1. & 2. Lactantio libro 5. capite 14. *Lactant.*
Euſebio de præparatione Euangelica li- *Euſeb.*
bro 3. capite 14. Ioſepho contra Apion. li- *Ioſephus.*
bro 2. aut potius 3. & poſtea Athenienſes
pœnitentia ducti ſtatuam in templo illi
collocarunt. Similiter & Deos iſtos irriſit
Diogenes, vt autor eſt Tertullianus in Apo *Tertul.*
logetico capite 14. & de Diagora idem *Epiphan.*
refert Epiphanius Hæreſi 33. de quo fa-
ceta in Herculem narratur irriſio. Nam
cum in diuerſorio quodam nulla eſſet
ſibi materia ad coquendam cœnam præ-
ter Herculis idolum, *Age* (inquit) *Her-*

cules , certamen nobis obies decimumtertium , & excoquito lentem. Ac deniq; ferè
Auguſt. de omnibus Philoſophis, ait Auguſtinus libro 6. de ciultate ca. 6. ſi non liberè prædicando, ſaltem vtcunque in diſputationibus muſitando, hos Deorum cultus ſe improba
Varro. re teſtati ſunt. Varro itidē, qui doctiſsimus tempore Ciceronis habebatur, licet Deos, & eorum cultum non irriſerit ; improbat tamen Deorum multitudinem : appellans fabularem , & ciuilem ; at eſſe retinendam propter vulgi opinionem de Dijs: denique totam illam Deorum turbam conatur adaptare mundi partibus, cœlo ſcilicet, igni, aëri, &c. fruſtra & in caſſum, quia figmenta illa Deorum (quamuis rūpatur) non eſt poſſibile partibus mundi compaginare, neque partes ipſas figmētis ipſis adaptare: vt egre
Auguſt. giè adnotauit Auguſt. de Ciuitate lib. 7. ca. 5. vſque in finem, quem videre moneo auidum Lectorem. Nec eſt minus inanis labor quorundam Chriſtianorum noſtri temporis id conantium, quaſi fabulæ illæ Deorū, myſteria eſſent Prophetarum.

Igitur nobis non eſt niſi vnus Deus, qui cœlum & terram, viſibilia ac inuiſibilia cōdidit, non imbecillis, ſed omnipotens, qui ſic adminiſtrat , ac gubernat omnia, quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere, & agere motus ſinat: quamuis enim nihil poſſint ſine ipſo , non tamen ſunt vlla quod ipſe eſt, qui diuinis honoribus dignus eſt, quibus nequaquā cætera debent gaudere ſine idolatriæ peccato , de quo ſatis dictum eſt, quando erga plures verſatur Deos.

Supereſt dicere de crimine idolatriæ, in quo tenebantur etiam hi qui vnum Deum dumtaxat eſſe credebant. Et primus ſe offert Varro : qui vt ſuperius diximus Deum eſſe vnum & animā mundi putabat: omnes verò orbis partes eſſe quaſi corpus illius animæ, qui Deus eſt; ac proinde toti mundo, & ſingulis eius partibus, cultum diuinū, ac honores diuinos eſſe exhibendos. Poſitio prior iſtius Varronis, & ſequacium ſtulta eſt , & valdè à veritate deuians. Quod
D. Tho. egregiè oſtendit D. Thom. 1. p. q. 3. ar. 8. Id autem quod inde infert de culto diuino ſingulis mundi partibus exhibendo , confutat idem ſanctus Doctor , tertio contra gentes cap. 120. & nos ſic: nam vel admiſſo, quod Deus eſſet mundi anima , vel ea ſola omnes mundi partes animantur, vel vltra eam animam, quæ vna eſt, ſingulis partibus, ſua eſt propria anima. Si primū : cū ea anima vna ſolaſit , & vnus ſolus Deus erit : ergo vni ſolo Deo cultus diuinitatis exhibetur. Si ſecundum dicatur : omnes illæ animæ partium neceſſariò ordinantur ſub anima totius : eadem enim eſt proportio perfectionum , & perfectibilium : ergo illi tantum animæ dandus eſt diuinus cultus. Probatur conſequentia, quia quādo plures ſubſtantiæ intellectuales ſunt ordinatæ, illi tantum debetur cultus diuinus, qui ſummum locum inter eas tenet. Igitur non eſt exhibendus diuinus cultus ſingulis mundi partibus, ſed ſoli toti. Confirmatur, quia etiam admiſſa hac poſitione falſa de Deo animante mundum formaliter , alienum à ratione eſt , hominem debere diuinum cultum omnibus corporibus inferioribus ſe: quod ſi Varro negaret, illam animam communem toti mundo , apertius confutatur eius error, quia ſuprema pars mundi habebit animam propriam nobiliorem , cui ſoli deberetur diuinus cultus.

Contra iſtas confutationes, & ſimiles ſe offert argumentum . Eadem veneratione, & cultu, quo colitur anima Petri , colitur eius corpus; nempe dulia; & qua veneratione colitur Petrus, quia ſapiēs, colitur & corpus eius; & eadem veneratione qua colitur perſona, coluntur eius partes: v. g. Deoſculor pedes ſummi Pontificis , quia illius partes ſunt, & manus Regis, quia illius mēbra, & vt dicitur in 3. p. eadem adoratione qua adoratur Chriſtus , nempe latria , adoratur eius humanitas : ergo pari ratione admiſſo quod Deus eſſet anima mundi , ſingulæ partes venerandæ eſſent eodem cultu , ſcilicet diuino , quo ipſa anima , quæ Deus eſſe perhibetur. Reſpondetur. Varro ille Romanus volens effugere apertas rationes contra multiplicium Deorum cultus, cui vacabat populus Romanus , vt eum defenderet , & excuſaret , recurrit ad ponendum vnum Deum , qui eſſet anima mundi (rectè diceret ſi agnoſceret Conditorem, Rectorem, & Gubernatorem mundi) ex cuius animæ participatione partes mundi phyſicas Deos eſſe dixit, nominaq; Deorum falſorum tranſtulit ad mundi partes, vocās AEthera Iouem, aërem Iunonē, &c. & eos eſſe colendos cultu diuino aſſeruit. Cuius rei falſitas noſtra ratione cōuincitur, quod verò omnes mundi partes concolerētur eodē cultu, quo ipſe Deus, (ſi eſſet eorū anima) nō negat ſanctus Doctor. Neq; iſte concultus, ſcilicet, partiū in toto ſufficit ad aſtruendum cultū, quē appetiuit Varro introducere, nēpe vt coleretur aër ſub nomine Iu-

ne Iunonis, ignis ſub nomine Iouis, & ſimilia, non tantum vt partes illius totius animati à Deo, ſed ſub propriis ſingularum partium formis: vt quædam per ſe ſubſiſtẽtia, ſeparatim ab illo compoſito, quod fingebat Varro ex Deo, & mundi partibus: quodſi priorem modum colendi, ſeu concolendi partes voluiſſet ſtatuere, licèt enormiter errauerit in aſſerendo Deum eſſe mũdi animam, & partes mundi comparari ad Deum, vt corpus ad animam: tamen non ita irrationabiliter erga cultum, ſicut Plato, vt etiam aduertit D. Thomas. Hac poſitione Varronis irrationabilior eſt error Hermetis de colendis imaginibus: eo quod ipſe ait, habent adiunctam vim quandam ex coporibus cœleſtibus in eas influentibus: tum quia corporibus cœleſtibus non debetur cultus diuinus, vt ſtatim videbimus: ergo neque ipſis imaginibus. Tum, quia anima rationalis nobilior eſt corporibus cœleſtibus: & tamen ipſi non debetur diuinus cultus. Tum tertiò, quia ridiculum eſt, vt factor ſuo effectui det cultum diuinum: iſtæ autẽ imagines effectæ ab hominibus ſunt.

Secundo loco occurrit explodendus Plato, & multi eius diſcipuli, qui licèt benè ſenſerint de Deo, & vnitate eius, ipſum primum rerum principium agnoſcentes, ſummumque rerum gubernatorem, & moderatorem: tamen enormius quàm Varro errarunt, cenſentes cultum diuinum, ac honores eſſe poſt illum quibuſdam ſubſtantijs ſpiritualibus à Deo productis exhibendos: & has vocabant Deos propter participationem diuinitatis: & huiuſmodi ſubſtantias partiebantur in intelligentias, quas nos Angelos vocamus. Et deinde ſecundo loco animas cœleſtium corporum, quę animata eſſe putauêre. Tertio loco Dæmones, quos vnitos eſſe corporibus aëreis crediderũt. Quarto loco conſtituebant animas hominum, quas per virtutis meritum ad Deorum, vel Dæmonum ſocietatem aſſumi credebant: & his omnibus cultum diuinitatis exhibebant: vt refert Diuus Thom. art. 1. ex Auguſtino lib. 8. de Ciuitate, cap. 12. vbi & Vies citat loca, vbi Plato id ſenſit. Hanc poſitionem refutat multis D. Thomas, 3. contra gentes. cap. 120. & efficacius in hoc art. etenim quamuis ſubſtantijs Deo propinquioribus ſecundùm naturam cultus, & honor debeatur, niſi ſua prauitate hoc debito priuentur; tamen honores diuini, ac cultus ſoli excellentiæ diuinæ maieſtatis debitus, neutiquam alicui creaturæ, quantumuis excellenti exhibendus eſt, niſi ſummum Deũ ſuo vellis priuare honore, & in creaturas transferre, quod magnum piaculum ſolum lumen naturale ſufficiẽs eſt oſtendere. Tertius error relatus ab Auguſt. lib. 10. de Ciuitate, cap. 19. tacito nomine autorum quorundam ſentientium, ſacrificium inuiſibile quo quis offert Deo mentem, & eius purificatæ officium, Deo ſummo vt omnium meliori eſſe offerẽda: at ſacrificia viſibilia alijs Dijs inferioribus. Iſthæc poſitio & irrationabilis eſt, & contradictionem implicat: etenim ſacrificium externum, & viſibile ſignum eſt interioris, & inuiſibilis ſacrificij, non minus, quàm voces ſignificatiuæ rerũ, quas ſignificat: ergo implicat alicui offerri ſacrificia externa, & viſibilia, quin eidem interna, & inuiſibilia offerantur. Quocirca ait Auguſt. *Sicut orantes, atque laudantes ad Deum dirigimus ſignificantes voces, cui tamen res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus: ita ſacrificantes non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe nouerimus, quàm ei cuius in cordibus noſtris inuiſibile ſacrificium nos ipſi eſſe debemus.*

Auguſt.

Auguſt.

DISPVTATIO III.

An præfati idolatræ potuerint excuſari ex ignorantia ab idolatriæ crimine?



T videtur vera pars affirmatiua: nam idolatria ortum habet ex ignoratione vnius veri Dei. Sed multi Gentilium ignorarunt vnũ verum Deum ſine culpa ſua: ergo idolatria inde ſequuta non illis imputabitur ad culpam: quia ignorantes inculpabiliter idolatrarunt. Minor probatur. Cognitio certa vnius veri Dei non poteſt haberi, niſi per Dei reuelationem, aut magiſterium, aut doctrinam ſapientum, aut per demonſtrationem: his omnibus medijs potuerunt carere Gentiles abſque culpa ſua. Et de reuelatione, & magiſterio aliorum res comperta eſt. Non enim omnibus Deus reuelauit, aut miſit qui docerent, & propulſarent eam ignorantiam. Et de demonſtratione probatur primò: quia demonſtratio quod Deus ſit, non eſt omnibus peruia, & ſapientibus difficilis admodum: vt teſtatur Plato, referente Apuleyo de Deo Socratis. Platonis verba hæc ſunt: *Deum quidem mueniſſe, haud facile eſt; intelle-*

Plato.

xisse autem, id est, comprehendisse quidditatem impossibile. Et idem in Timeo: *Autorem* (inquit) *& parentem huius vniuersitatis inuenire operosum est: & inuentum haberi non potest, vt in vulgus commodis efferas verbis.* Et in Parmenide idem dicit eleganter, ac

D. Tho. fusius. Idem videtur docere D. Thom. 1. p. q. 2. ar. 2. quando inquit, Deum esse, nō esse per se notum quoad nos: ergo plebei homines, & rude vulgus excusantur ab hac demonstratione habenda per se ipsos, tanquā à re difficili habita. Confirmatur: nam multi ex nostris Theologis inferius citandi docent hucusque non esse demonstratū quod Deus sit, atque adeò nec quod vnus sit: ergo omnes Gentiles excusabuntur ab huiusmodi demonstrationibus habendis; & consequenter ab idolatria. Secundò: multi excusantur à peccato infidelitatis propter ignorantiam: vt ait D. Thom. 2. 2. q. 10. ergo & à crimine idolatriæ, quæ fere semper

D. Tho. ab infidelitate nascitur. Tertiò: multos idolatras legimus saluatos fuisse: vt de Traiano, & alijs legitur: ergo huiuscemodi excusandi sunt à crimine idolatriæ, cuius nunquam pœnituerunt: ne asseramus homines in peccato mortali decedentes, salutē cōsequutos fuisse. Quartò: qui virtute astrorū & eorū influentia ad aliquod vitium inclinantur, excusandi sunt ab eo crimine, sed sunt quędam gentes, maxime illæ quæ sunt in parte terrarū Syriæ profundę, ac Idumææ Regionis terræque Iudæorum, que virtute & efficacia Martis, & Arietis, quę illi Regioni prę sident, procliuæ sunt ad idolatriam: vt notat Ptolemęus inquadripartito lib. 2. c. de 2.

Ptolem. 4. Mundi: ergo isti excusabuntur ab idolo-

Rom. 1. latria. In oppositū est D. Paulus ad Rom. 1. dicens idolatras esse inexcusabiles.

Pro decisione primò assero, cognitionē vnius veri Dei sufficientem ad inducendā mortalibus obligationem colendi Deum, & cauendi à peccato idolatriæ, non necessariò debere esse vndequaque perfectam, sine vllo admixto errore, sed sat erit cognitio quædam generalis de Deo, quod sit principium omnium rerum, excedens omnia, à quo omnia dependent, & gubernantur: siue ea cognitio habeatur per Dei reuelationem, siue per sapientum magisterium, siue per demonstrationem, siue per rationem probabilem: & quidem quando ea cognitio habetur per reuelationem, aut magisterium, aut demonstrationem, res clara est, & amplius manifestabitur in asserto sequenti. Quod verò sufficiat ea cognitio, quæ per rationem probabilē habetur; probatur, quia tunc fit euidenter credibile, Deum illum sic cognitum esse colendum: & cultum sibi debitum non esse pro alijs vsurpandum: ergo ne homo erret, aut deficiat in re tanti momenti, id præstare tenetur; maximè quia non erit ratio aliqua in oppositum, quæ faciat illud euidenter credibile; imò satis esse iudico, si homo agnoscat per sindereſis dictamen esse aliquem superiorem legislatorem, cui se debeat subijcere: vt quidam dicunt de puero peruenire ad rationis vsum.

Dico secundò. Philosophi Gentilium, illi scilicet, qui agnouerunt Deum esse vnum dumtaxat, nequeunt excusari, tum à crimine idolatriæ, tum ab omissione colēdi vnū verum Deum: quorum Philosophorū magnum numerum recensēt Augustinus de Ci *Augusti.* uitate lib. 8. cap. 9. Probatur dictum quoad vtrāque partem. Nam habita ratione vnius veri Dei, qualem habuerunt multi Philosophi Gentilium, putà quod ipse esset primū principium, parens & gubernator omniū rerum: statim lumen naturæ dictat, nos ei debere subijci, ipsumque honorare tanquā præcellens quid super omnia; à quo pendent omnia eius effecta, in esse fieri, ac cōseruari, & eodem lumine dictante, cognoscitur honorem diuinum ei debitum nequaquā ad alios præterquā ad ipsum transferendum esse. Quis enim intellectus dubitare potest, sublimioribus esse cultum sublimiorem deferendum? & cultum cuique debitum non esse erga alienum transferendum? ac proinde cultum esse exhibendum Deo cognito, vt primum principium excedens, à quo dependēt omnia? insuper non licere cultum ei appropriatum alteri adaptare sine crimine impietatis?

Secundò probatur idem dictum quoad vtranque partem, ex D. Paulo ad Rom. 1. *Rom. 1.* vbi loquens de Philosophis Gentilium, qui habuerunt cognitionem vnius veri Dei (vt aduertit D. Thom. lect. 6.) ait: *Ita vt sint inexcusabiles, quia cùm cognouissent Deum* (loquitur de his, qui habuerunt notitiam veri Dei) *non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt,* (ecce amissionem diuini cultus, à quo nō excusantur,) *& mutauerūt gloriā incorruptibilis Dei in similitudinē imaginis corruptibilis hominis & volucrū, &c.* En crimē idolatriæ, à quo nō excusantur. Hoc testimonio probatur nostrū dictum esse de fide tenēdū quoad vtranq; partē. Sed quid de alijs qui non agnouerunt verum Deum?

Dico

Dico tertiò. Etiam idolatræ, qui non habuerunt notitiam veri Dei, non excuſandi ſunt à crimine idolatriæ, Et quidem ſi ſermo ſit de idolatria, quæ exhibebatur hominibus, aut alijs creaturis inferioribus, quas colebat Gentilitas, res peruia eſt cuiq; intellectum habenti, non eſſe colendos vt Deos, homines imbecilles, obſcœnos, & flagitioſos, quos Gentilitas colebat: quin potiùs lumen naturæ dictat eos eſſe dignos irriſione, & vituperio, vt ſuperius late deduxi: inſuper tales cultores eſſe vecordes, ſtolidos, ac inſanos, huiuſcemodi honores eis diuinos exhibentes. Si verò ſit ſermo de alijs ſubſtantijs, quæ ſupra hominem credebantur, vt aſtra, luminaria, aut intelligentias, ſeu Angelos, adhuc probatur dictum noſtrum. Ex cognitione vnius veri Dei ſtatim promanat dictamen rationis naturalis, eum ſcilicèt eſſe colendum: nulliq́ue alij honorem ſibi debitum eſſe exhibendum. Sed idolatræ non excuſantur per ignorantiam à cognitione vnius veri Dei: ergo neque à cultu eius, aut idolatriæ crimine erga creaturas quaſcunque. Maior nota eſt ex dictis in præcedenti aſſerto. Probatur autem minor. Quia cognitio vnius veri Dei, qualem diximus in primo aſſerto ſufficere ad inferendum, Deum eſſe colendum, & idolatriam cauendam cuique peruia eſt, ſaltem per rationem probabilem: vt patet ex his, quæ à Diuo Thoma, & eius interpretibus dicuntur. 1. p. q. 2. & q. 11. art. 3. Secundò Sapient. 13. reprehenduntur idolatræ, qui ob id tale crimen incurrerint, quia caruerunt culpabiliter cognitione vnius Dei. Ait enim: *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ, poterat creator horum cognoſcibiliter videri*: & multa alia eleganter in eodem capite ad id probandum inculcat. Ex quo infertur, noſtrum aſſertum eſſe de fide. An verò poſſet reperiri aliquis homo rudiſsimus, qui pro aliquo breuiſsimo tempore laboraret ignorantia inuincibili vnius Dei, & pro eo tempore poſſet excuſari ab idolatriæ crimine? Andreas de Vega lib. 6. in Concil. Trinent. ca. 20. affirmat. Sed mihi dubium eſt, à quo diſcutiendo ſupersedeo.

D. Thom. *Sapien. 13.* *Vega.*

Tertiò idem dictum probatur, etiam ſi admittamus homines habere inculpabilem ignorantiam vnius veri Dei; nam vel idolatria erga cultum plurium Deorum ortum habet ex eò, quod idolatræ credunt, eos quibus cultum diuinum exhibent, eſſe veros Deos: aut ex eo quod credunt, eſſe creaturas, aut effectus alicuius ſuperioris naturæ: quodcunque horum contingat, neceſſe eſt adeſſe ignorantiam culpabilem: ergo iſthæc idolatria etiam culpabilis, nec excuſari poterit per ignorantiã. Probatur minor, quia cuiq; ex rudi vulgo aſſumpto modiciſsimè, imo fermè ſine vllo diſcurſu peruiũ eſt, nequaquã poſſe eſſe plures Deos: cuius rei demonſtrationem ſuperius in ſecunda diſputatione attuli ex D. Thom. 1. p. q. 11. art. 3, & non minus cuique manifeſtum eſt, creaturis non eſſe exhibendos honores diuinos: vt in prima diſputatione huius articuli demonſtratiuè probaui demonſtratione facili. Quare non poſſum non mirari Platonem ſentientem Deum eſſe principium, & cauſam omnium rerum, earumq; prouidum gubernatorẽ, adeò fœdè lapſum in errorem tam irrationabilem, & repudiatu facilem: ſcilicèt quaſdam intellectuales creaturas eſſe colendas diuinu cultu; eiſque honores diuinos exhibendos, in quo natura criminis idolatrici conſiſtit. Et ſi quiſpiã interroget, quomodo idolatræ, maximè Philoſophi, res tam peruias lumini naturali ignorauerunt? Reſpõdeo. Quia excęcauit eos malitia eorũ. De Philoſophis verò ait Apoſtolus vbi ſup. *Quia euanuerunt in cogitationibus ſuis.* In quantũ in ſe ipſis, & nõ in Deo fiduciam habebant: ſibi, & non Deo bona ſua adſcribentes; inflati namque ſuperbiæ ſpiritu, obſcuratum eſt inſipiens cor eorũ, & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, vt ait idem Apoſtolus.

D. Thom. *Paulus.*

Ad argumenta in principio poſita reſpondetur, negando minorem. Ad probationem ſimiliter negando minorem: cognitio enim Dei, quæ ſufficiens eſt ad cauendam idolatriam, de qua in primo aſſerto, non potuit ignorari ſine culpa à Paganis; quia ſaltem per rationem probabilem à creaturis deſumptam poterant illum cognoſcere: & inde inferre, ei eſſe exhibendos honores diuinos, & nulli alteri. Imò & demonſtratiuè poterant hæc omnia agnoſci, vt ait D. Thom. in 1. p. loco citato. Fateor haſce demonſtrationes longos expectare diſcurſus: & ideò ex defectu huius cognitionis demonſtratiuæ, non ego infero inexcuſabilem eſſe idolatriam: ſed ex defectu cognitionis Dei explicitæ, aut implicitæ, & in generali, qualis dicitur in omni perueniente ad vſum rationis, ex mente D. Thom. 1. 2. q. 69. art. 6. in corpore, & ad tertium, vel in particulari habita per rationem probabilem.

D. Thom.

Pro ſolutione confirmationis notandum

est: neminem orthodoxorum in dubium re uocasse: an ea cognitio de Deo, quæ necessaria est, vt quilibet mortalium ei teneatur cultum, & obsequium præstare, vt primæ omnium rerum causæ, & gubernatori: & à cultu falsorum Deorum abstinere, sit in promptu cuilibet hominum, si per ipsos nō steterit: siue ea cognitio habeatur per demonstrationem, siue quocunq; alio modo, vt latiùs dixi in primo asserto. Maximè autem hæc cognitio comparatur ex inspectione, & consideratione effectuū Dei. Probatur hoc tanquam de fide certum, ex illo Sapientiæ. 13. vbi tanquam vani, & impij reprehenduntur illi, qui, *De his*, inquit, *quæ videntur bona*, id est, ex creaturis; *non potuerint intelligere eum qui est: neque operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex*. Et infrà: *A magnitudine speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Et paulò post: *Iterum neque his debet ignosci: si enim tantùm potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum; quomodo huius Dominum facilius non inuenerunt?* Et ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, ita vt sint inexcusabiles*. Quod etiã Plato in Sympos. naturali lumine ductus rationis intellexit, cùm dixit: *Ex pulchritudine omnium rerum creatarum pulchritudinem quandam admirandam diuinæ naturæ repente conspicio*. Et melius quàm Plato, D. Dionysius 7. cap. de diuinis nominibus, ait, Deum cognosci ex creaturarū omnium ordinatissima dispositione, Damascenus lib. 1 fid. orthod. cap. 1. *Notitia Dei est omnibus natura insita*: & cap. 1. & 3. *Neque id aliquis ratione vtens ignorare potest*. Augustt. tractat. 106. in Ioan. Ecce in his testimonijs asseruntur omnes homines inexcusabiles à vitio idolatriæ; eo quod sua culpa ignorarūt, Deum esse omnium rerum creatorem: quã cognitionem possent habere ex creaturis. Quòd itaque omnibus esse in prõptu cognitionem vnius Dei, nisi sua culpa id velint ignorare omnes Catholici confitentur. An verò ea cognitio sit demonstratiua? tres apud eosdem reperio sententias. Prima est negatiua, hanc tenet Henricus Gand. in sua summa art. 22. q. 2. Scotus in 1. d. 2. quæst. 2. Ocham in 1. d. 3. q. 3. & Gabriel. 4. ibidem, q. 4. & Olchot super Sapient. 13. lecti. 154. quamuis lectione 155. in oppositum videatur inclinare. Quod si hos vrgeas: ergo omnes illi, quibus lumen supernaturale fidei non effulsit, à crimine idolatriæ excusandi erunt, quia non habuerunt ex naturæ viribus cognitionem vnius veri Dei. Negabũt, vt reor, consequentiam: etenim vt autor est Augustt. 18. de Ciuitate cap. 38. ante omnes Philosophos Græcos, vel Barbaros, Prophetæ Dei præcesserunt, qui verbo, vel scripto Dei notitiam homines docuerunt: & ideò vnum Deum esse à mundi exordio per Adamum, & filios eius extitit prædicatum. Cui dicto quidam assensum præbuêre: & quidam dissenserunt, saltem post diluuium. Homines igitur, maximè Philosophi, audientes Deum esse; & à Dei cultoribus fuisse prædicatum, poterant ex regimine mundi, rerum vniformi gubernatione, rationabiliter, & valde probabiliter asseruisse Deum esse, qua cognitione rationabili, & valde probabili lumen rationis dictat, eum Deum esse colendum: eiusque cultum nulli creaturæ esse communicandum: ne in materia religionis, quæ res tanti momenti est, homines deficerent: quod verò quidam caruerũt ea cognitione, sua malitia fuit in causa, & illa ignorantia eis imputatur ad culpam: & consequenter idolatria inde subsequuta. Et si instes an excusabitur homo in siluis nutritus, qui nihil prorsus audiuit de oraculis Prophetarum, aut de cognitione veri Dei? Respondent. Si iste talis operetur secundùm rectam rationem, attenta ratione naturali, Deus ei communicabit notitiam de vero Deo sufficientem, vt possit, & teneatur Deum verè colere, & idolatriam fugere, vel per inspirationem internam, vel per Doctorem, sicut legitur fecisse Cornelio per Petrum, & Damari per Paulum. Nõ improbabiliter respõdent, suppo sita sua falsissima assertione, de qua statim.

Secunda sententia è regione opposita affirmat, Deum esse, omnibus esse per se notum, itaque adeò peruium, sicut omne totum est maius sua parte: Quodlibet est, vel non est. Hanc tuentur Anselmus in prosologio, cap. 3. & 4. Albert. 1. par. tractat. 4. membr. 2. & Abulens. quæst. 2. in 5. c. Exo.

Tertia sententia media D. Thom. 1. p. q. 2. art. 1. Deum existere esse per se notum secundùm se; non tamen quoad nos. Hoc est dicere, egere hanc propositionem, *Deus est*, non modico discursu, vt demonstretur esse tamen demonstrabilem, & de facto demonstrari. Hæc sententia vera est, & eam tuentur omnes D. Thom. discipuli, ac Durand. in 1. d. 3. q. 3. & Ricardus q. 2. Secunda verò non improbabilis. Prima verò, meo iudicio erronea, & fortasis plus quam erronea, propter testimonia allata ex sacra Scriptura

Sapien. 13.
Rom. 1.
Plato.
D. Dion.
Damasc.
Augustt.
Henr. Gan.
Scotus.
Ocham.
Gabriel.
Olchot.
Augustt.
Anselm.
Albert.
Abul.
D. Thom.
Durand.
Ricardus.

ptura, quæ ſi bene expendantur, vix cum proprietate explicari poterunt, niſi aſſeratur demonſtrabile eſſe, quod Deus ſit. Et propter innumera Sanctorum teſtimonia, qui id aſſerunt, à quibus ſuperſedemus, remittentes Lectorem ad art. 1. q. 2. 1. partis: vbi hæc res propriam ſedem habet. Igitur ad confirmationem reſpondetur illos Theologos valdè erraſſe. Secundò reſpondetur. Etiam admiſſo illo errore, non valet conſequentia: quia cognitio Dei etiam non demonſtratiua) quam diximus eſſe cuique ex viribus naturæ peruiam (ſufficiens fuit vt in retam ſeria homines nè deficerent, tenerentur Deum vnum colere, & à plurium Deorum cultu abſtinere.

Ad ſecundum reſpondetur, duplicem eſſe infidelitatem: vnam quæ eſt priuatio fidei ſupernaturalis erga Deum autorem gratiæ, & ab hac aliqui per ignorantiam excuſabantur in tempore, quo Paganiſmus vigebat. Altera eſt priuatio cognitionis vnius Dei, vt autor naturæ eſt gubernator, ac præmiator bonorum operum: & hæc ex viribus naturæ habere poteſt. Quare nullus ab hac excuſatur, & multo minus à crimine idolatriæ, quod non licere, ipſum naturæ lumen cuique oſtendit, vt ſuperius docuimus. Quare ad ſecundum admiſſo antecedenti, iuxta mentem D. Thomæ loquentis de infidelitate, quæ priuatio eſt fidei ſupernaturalis, negatur conſequentia, propter rationem traditam.

Ad tertium reſpondetur, Traianum, & quoſcunque alios, qui crimine idolatriæ obuoluti mortui ſunt, damnatos fuiſſe, nec hiſtoriæ oppoſitum dicenti adhibenda fides eſt. At verò illa admiſſa, reſpondetur, ex Dei munere reuocatos eſſe ad vitam, & agnita veritate fidei, expulſaq; idolorum caligine, pœnituiſſe delictorum commiſſorū, & ſic venia obtenta in cœlum euolaſſe: nec tamen inde aliquid contra noſtra aſſerta colligitur. Sed de hac re latiùs ſuprà.

Abulen. Circa quartum argumentum nota, Abulenſem ſuper librum Iudicum. q. 15. inter alia dixiſſe; populum Iſraël ad idolatriam eſſe inclinatum ex influentia aſtrorum, quæ in illa Regione præ cæteris dominantur, Aries ſcilicèt, & Mars, quæ inclinant ad proditionem, & inconſtantiam maximè erga Deum. E contrario autem illi, quibus Iuppiter, & Sagittarius præſunt, opera religionis magis diligunt, & conſtantiores in cultu Dei ſunt, & hoc quia Iuppiter religioni, id eſt, cultui Dei præeſt: & huiuſmodi eſt Hiſpania, cui Sagittarius, & Iuppiter dominantur, vt ait Ptolemæus in quadripartito lib. 2. cap. de. 14. parte terrarum, & ob hoc vt communiter non eſt aliqua natio, in qua tantùm viris Eccleſiaſticis obediatur, & prompto animo fiant, quæ pertinent ad ritus colendi Deum. Hæc Abulenſis, qui non ita fidenter profert prædicta. Ego verò fidenter ea falſa eſſe exiſtimo: Etenim quamuis non diffitear propter influxum aſtrorum magis eſſe propenſos ad iram: in illa verò ad manſuetudinem; & ſic de alijs affectionibus, erga quas (vt potè corporales) aliquantulum pollent aſtrorum influentiæ: at verò in ordine ad religionis affectum, qui purè ſpiritualis eſt, & pendens à ſolo libero arbitrio, non video quid poſſint aſtra. Igitur ad argumentum primò negatur maior, quia eſto homines quidam ad aliqua vitia procliuiores ſint, quàm alij ex influentia Planetarum: ſed tamen vir ſapiens, vt in prouerbio eſt, dominabitur aſtris: maximè in his quæ libero arbitrio ſubſunt. Et ideò ſi inclinationi prauæ ſuccumbant, neutiquā excuſandi ſunt. Secundò negatur minor: quia ad affectum religionis, qui purè ſpiritualis eſt, nihil conferunt aſtrorum influxus. *Ptolem.*

DISPVTATIO 1111.

An idololatria exterior excuſetur à crimine propter metum mortis, aut propter alia mala effugienda, ſiue aliquot bona comparanda?

ET videtur vera pars affirmatiua. Primò, quia Iehu ſimulauit ſe velle ſacrificare Baal. 4 Reg. 10. vt omnes ſacerdotes Baal occideret; imò interfuit Phano Baal, & fortaſsè aliqua præparauit pro ſacrificio ſolemni Baal, quod indixerat. Et approbatur ſimulatio à Diuo Hieronymo ad Galatas. 2. *Vtilem*, inquit, *ſimulationem eſſe ſumendam, in tempore Iehu Regis nos doceat exemplū, &c.* Adducitque exemplum Dauidis, quando immutauit faciem ſuam coram Achis. 1. Regum 21. & addit: *Nec mirum iuſtos homines aliqua ſimulare pro tempore ob ſuam, & aliorum vtilitatem, cùm & ipſe Dominus noſter non habens peccatum, nec carnem peccati, ſimula-* *D. Hieron.* 1. Reg. 21.

mulationem peccatricis carnis aſſumpſerit, vt condemnãs in carne peccatum, nos in ſe faceret iuſtitiam Dei. Hæc eadem Iehu ſimulatio approbatur ab Abulenſi 4. Regum. 10. q. 25. & quod plus vrget, ab ipſo Deo videtur approbari, dicente ad illum: *Quia ſtudioſè egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab, &c.* Ergo aliquãdo propter aliquem bonum finem excuſanda erit idolatria exterior.

Abulenſ.

Secundò. Propheta Eliſeus idolatriæ actum exteriorem ſimulatum videtur approbaſſe. Nã cùm Naamã 4. Regum. 5. cognita Deorum falſitate, ipſis abrenuntiaſſet: timens tamen iram Domini ſui, ſi fortè aliquando pergens cum eo ad templum idoli Remnõ, nõ adoraſſet idolum, ſicut & Rex, intra ſemetipſum decreuit ficte adorare: & hanc voluntatem ſuam Prophetæ explicuit, rogans vt pro ſe Deum Iſraël deprecaretur, ſi in hoc peccaret. Et Propheta qua ſi approbans hanc ſimulationem, reſpõdit, *Vade in pace*, ac ſi diceret: ſi verè, & ex animo non vis idolum Remnon adorare, ſed adorationem dumtaxat ſimulare; nihil eſt quod vereatis crimen idolatriæ incurriſſe.

4. Reg. 5.

Tertiò. Apoſtoli Petrus, & Paulus aliquãdo finxerunt, ſe ſeruare legis cæremonias, vt patet ad Galat. 2. Act. 16. & 21. & tamen eos excuſatos eſſe à crimine cultus falſi erga verum Deum, res indubitata eſt: ſicut eos non peccaſſe mortaliter poſt Spiritus ſancti aduentum: ergo pari ratione à crimine idololatriæ per fictionem, & ſimulationem poterunt excuſari fideles: quia tam cultus ſuperſtitioſus erga Deum verum, quàm erga falſos damnabilis eſt. Et ita cenſet Diuus Hieronymus ad Galat. 2. & epiſt. ad Auguſt. 11. qui vt informet ſuam ſententiam, adducit ferè omnia argumenta ſuprà poſita.

Ad Gal. 2. Actor. 16. & 21.

Hieronym. Auguſt.

Quartò: qui metu mortis, vel propter aliud emolumentum rationabile, fingit ſe colere idola, retinet veram fidem vnius Dei, & exoſum habet tùm idoli cultum, tùm infidelitatem: ergo non eſt cenſendus idolatra. Probatur conſequentia: Nam vt ſuperius dixi, quando abeſt animus colẽdi creaturas ſicut Deum verum, non incurritur idolatriæ crimen. Dices fortaſſe, quia huiuſcemodi ſimulator vtitur ſigno ſenſibili deputato ad colendum Deum verum, vt eo colat creaturam, quamuis ſecundùm quid repudiet cultum exhibere creaturæ, ſimpliciter vult colere. Non enim ſtat, vti ſigno illo, & non colere. Contra hoc argumentor primo. Aliquando contingit à tyranno exigi cultum idoli per ſigna ſenſibilia indifferentia ad cultum Dei, & ad cultum hominum: v. g. per genuflexionem coram idolo, aut aliam huiuſcemodi adorationem: ergo tunc ſaltem effugiendæ mortis cauſa, aut propter quid ſimile, licebit fingere idolatriam: v. g. licebit genuflectere coram idolo: ſed in mente illam genuflexionem in verum Deum dirigere, adorare ſtatuam Nabuchodonoſor, & adorationem in Deum conuertere. Probatur conſequentia. Quia iudicem interrogantem iniuſtè, aut tyrannicè licet decipere, vt ando verbis amphibologicis, quæ iuxta mẽtem iudicis falſa ſunt, iuxta mentem reſpondentis vera ſunt: ergo pari ratione licebit, tyrannum exigentem à fidelibus cultũ idolatricum per ſigna indifferentia ad cultum Dei, & hominum decipere: exhibendo cultum non idolo iuxta mentem tyranni, ſed vero Deo iuxta mentem fidelis, qui hac via vult euadere mortẽ iniuſtam ſibi intentatam.

Confirmatur. Si quis fidelis adeſſet in Mezelitis Sarracenorũ, aut in Phanis infidelium ſimul cũ idolatris, & metu mortis genuflecteret quando ipſi genuflectunt, aperiret caput quando ipſi diſcooperiunt, vt dent honorem ſuis Dijs, re vera idolatricũ actũ exerceret, & tamẽ excuſaretur à peccato idolatriæ, ſi intus in animo ſuo illa ſigna cultus ad verum Deum referret, nequaquam ad idolum: ergo aliquando idolatria exterior ſimulata excuſabitur à peccato. Maior patet, quia per illa ſigna idolatræ ſuis Dijs exhibent cultum idolatricum. Minor autem probatur: quia vt dictum eſt in præcedenti argumento, licitum eſt ſignis amphibologicis decipere tyrannum, aut iudicem iniquum. Et aduerte hanc confirmationem, & argumentum proximè factum procedere, ſuppoſito tunc non periclitari honorem Dei, neque vtilitatem proximi. Quo ſuppoſito

Arguitur ſextò, quia quando quis ſimulat idolatricum cultum, non peccat contra præceptum de non colendis idolis, aut creaturis alijs: ergo non imputabitur ad culpã. Probatur antecedens: quia per huiuſmodi cultum non intendit fidelis fidem ſuam negare, neque alienam profiteri, neque exhibere creaturis cultum diuinum: ſed tantùm in ea re ſpectat vtilitatẽ ſuam, vel aliorum: neque etiam huiuſmodi ſimulatio eſt tunc

contra

contra charitatem Dei, vel proximi, quia, vt ſupponimus, abeſt ſcandalum infirmorum, & ſubeſt cauſa, propter quam parũ curandum ſit præſentes idolatras exiſtimare huiuſcemodi ſimulationem eſſe infidelem.

Auguſt. Marcus Varro, referente Auguſtino per multa capita, & libros de ciuitate Dei, maximè lib. 4. cap. 31. & 32. & lib. 6. cap. 2. vſque ad octauum, & lib. 7. cap. 6. & alibi ſæpè, cognoſcens plurium Deorum vanitatẽ, putauit debere eorum cultum retineri ob populum in religione maiorum continendum: in quem, & ſequaces inuehitur Auguſtinus lib. 4. cap. 32. & lib. 6. cap. 9. in fine, quia decipere in religionis materia propriũ Dæmoniorum eſt, nec ijs mendacijs eſſet populus deliniendus.

Cicero etiam, dicente Lactantio lib. 2. de origine erroris cap. 3. agnoſcens Deorum vanitatem, & falſitatem, vt tamen populo applauderet, & fortè timens eum, idola colebat: aduerſus quem Lactantius: *Video te,* *Lactant.* inquit, *terrena, & manufacta venerari, vana eſſe intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipſi, quos tu ſtultiſſimos cõfiteris.* Quod *Auguſt.* etiam tetigit Auguſtinus lib. 4. c. 30. de ciuitate, & lib. 10. cap. 1. non diſſimilem inſipientiam adnotauit in Platonicis.

Seneca etiam agnoſcens verum, & vnum Deum, vt narrat Auguſt. lib. 6. de ciuit. cap. 10. ſic de cultu Deorum fatetur: *Adoraui-* *Seneca.* *mus,* inquit, *vt meminerimus huiuſmodi cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere:* & iterum: *Quæ omnia ſapiens ſeruabit tanquã legibus inſſa, non tanquam Dijs grata.* Et Au- *Auguſt.* guſtinus aduerſus illum: *Iſte quem Philoſophi tanquam liberum fecerunt, tamen quia illuſtris populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat; quia videlicet magnum aliquod eum Philoſophia docuerat, ne ſuperſtitioſus eſſet in mundo: ſed propter leges ciuium, moreſque hominum, non quidem ageret fingẽtem ſcœnicum in theatro, ſed imitaretur in templo, eo damnabilius, quod illa quæ mendaciter agebat ſic ageret, vt eum populus veraciter agere exiſtimaret.* Et de omnibus, aut *Auguſt.* pluribus Philoſophis agens D. Auguſtinus in lib. de vera & falſa religione, cap. 5. to. 1. ait, non eſſe religionẽ à Philoſophis quærendam, qui eadem ſacra recipiebant cum populis, & de Deorũ ſuorũ natura ac ſummo bono diuerſas contrariaſque ſententias in Scholis perſonabant. Et hunc etiam errorem ſequuti ſunt quidam hæretici, affirmantes non eſſe periculoſum, ſi quis perſequutionis tempore deprehenſus exterius idola colat, dum tamen fidem in mente ſeruet. Horum hæreticorum nomina non recenſet D. Thom. ſed tamen extitêre plurimi antiquiores. Elceſaitæ, referente Euſeb. lib. 6. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 28. ex origine: *Euſeb.* & Priſcilianiſtæ, teſte Auguſt. lib. de hæreſibus cap. 70. & Bogoniles, vt refert Zonar- *Auguſt.* ra in vita Alexij Imperatoris: item Anabaptiſtæ, teſte Sthaphileo in epitome Theo- *Zonarra.* logiæ Lutheri: & hæretici Libertini in no- *Sthaphil.* ſtro tempore, vt refert Caluinus in lib. edito contra eoſdem.

Hos omnes refutat Diuus Thom. in hoc art. iſta ratione. Nam cum exterior cultus ſit ſignũ interioris cultus; ſicut eſt pernicioſum, ſi quis verbis aſſerat contrarium eius, quod per veram fidem tenet in corde; ita etiam eſt pernicioſa falſitas, ſiquis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id quod ſentit in mente, vt aduerſus Senecam dixit Auguſtinus à nobis relatus. Adrianus in 4. *Adrian.* q. 1. de Baptiſmo ad quintum, ſentit eſſe licitum, idolatriam ſimulare in caſu quo ſcandalũ abſit, nec inſtet præceptum confitendi fidem. Exiſtimat autem inſtare, quotieſcunque aliquis interrogatur verbo, aut facto de propria fide, aut creditur non eſſe fidelis, vnde infirmi ſcandalizentur. Mouetur autoritate D. Hieronymi, & tribus prioribus argumentis factis in diſputationis initio.

Pro deciſione præmittendum eſt, in eo qui retinet veram fidem vnius Dei duplicem poſſe reperiri idolatriam exteriorem. Prima eſt, cùm quis mente retinens veram vnius Dei fidem, nihilominus aliquo prauo affectu ductus exhibet creaturis honorem diuinum. Secunda eſt, quando quis mente retinet veram fidem vnius Dei, & nequaquam intendit honorem, aut cultum diuinum creaturæ exhibere: ſed propter vitanda aliquot mala, aut comparanda aliqua bona, fingit ſe talem cultum exhibere.

Hoc ſuppoſito ſit prima aſſertio. Quamuis mente retineatur vera Dei fides, nunquam licet Dei cultum diuinum exhibere creaturæ, etiam vitandæ mortis cauſa. Probatur ratione relata à D. Thoma. Secundò. Exhibere cultum diuinum creaturæ eſt intrinſecè malum, & omni iure prohibitum, vt in principio articuli probaui demonſtratiuè, & teſtimonijs ſacræ Scripturæ: ergo nullo bono fine honeſtari poteſt. Confirmatur. Nõ licet irrogare iniuriam proximo adul-

adulterando,furando,occidendo,&c.quantumuis aliquis bonus finis apponatur: ergo potiori ratione id dicendum est de idolatria, qua maxima irrogatur Deo iniuria: huius generis idolatria vsi sunt illi Philosophi citati, quos diximus propter popularem plausum coluisse Deos,quos falsos, & irrisione dignos cognouerunt,&quidam etiam Christiani, qui metu mortis idolis sacrificarunt.Hæc conclusio de fide est aduersus præfatos hæreticos.

Secunda assertio.Propter mortem vitandam non licet absque idololatriæ crimine venerari externe creaturam aliquo sensibili signo, primò & per se ad cultum veri Dei ordinato:etiam si retineatur vera fides, & etiam si colens nullo modo intendat se per illud signum creaturam venerari. Explicatur conclusio,& probatur. Tyrannus minatur mortem Christiano nisi sacrificet idolis:Christianus verò, vt euadat mortem, exterius immolat,aut thus adolet idolo, fingens se velle idolum colere; mente autem idolum blasphemat;iste cultor,idolatriæ crimen incurrit. Probatur: exhibet honorem diuinum idolo: ergo idolatra est. Antecedens patet,quia sacrificia illa sunt suapte natura ordinata ad exhibendum honorem diuinum Deo:ergo quomodocunque in veneration̄em creaturæ conuertantur, honor diuinus debitus Deo,tribuitur creaturæ: in quo idolatriæ crimen consistit. Essetq; hoc crimen mendacium pernicioſum cõtra Dei honorem,scilicèt quod alter sit Deus,vt rectè dixit D.Thom. & Christus Dominus. Matth.10.*Qui negauerit me coram hominibus,negabo & ego eum coram Patre meo.*Expendo vocem illam,*coram hominibus,* quæ videtur referri ad cultum externum fictum.

Dicet quispiam. Fingit iste se colere idolum,& tamen non colit, sicut Dauid fingebat se esse insanum coram Achis.1.Reg.21. & tamen non erat.Contrà,& probatur secundò assertio nostra. Ista signa sensibilia primò,& per se, & ex natura sua deputata sunt ad exhibendum honorem Deo : ergo implicat vti illis erga idolum ,quin eidem exhibeatur honor diuinus,nec potest separare fidelis,quantumcunq; blasphemet interius idolum, ab istis signis præfatam significationem illis natiuam, & inseparabilẽ. Decipitur autem putans se fingere cultum, & re vera exhibet : sicut qui diceret mente se nolle adducere Deum in testem quando iurat aliquod falsum, decipitur : quia à iuramẽto inseparabilis est Dei testificatio.

Tertiò. Si quis interpellaret idolum dicens verbis expressis , Iupiter Deus meus adiuua me; quamuis conaretur fingere istã inuocationem,detestans interius Iouem,& omnes falsos Deos,vere idolatra esset; quia ab illis verbis inseparabilis est significatio exhibendi cultum diuinum idolo, sed sunt etiam quædam facta, vt sacrificare, quibus inseparabilis est significatio per ea exhibẽdi cultũ diuinũ idolo:ergo quidquid talis sacrificans fingeret pro effugiẽdo cultu idoli,non posset,sed idolatra verus est.

Quartò. Si per talem simulationem cultus effugeret idololatriæ crimen, maximè persequutionis tempore: Christiani fatigati à tyrannis infidelibus sæpè imprudenter egissent, non vtendo tali simulatione.Cõsequens est falsum:quia nullus vnquam ausus est talem simulare cultum absque idolatriæ macula,sed omnes viri fortes fortiter occubuêre, respuendo etiam exteriorem idolorum cultum,& ad id se esse obligatos censebant:ergo.Maior probatur:quia sæpè magni intererat pro catholicis defendẽdis, reficiendis,aut docendis, vt ille qui cogebatur idolatrare superstes esset per aliquot annos.Assertio nostra vt reor satis probata est contra Adrianum, & eam tenet Alexander Alensis 3.p.q.183.membro.2.& D.Antoninus 2.p.Theo.2.to .12.c.6. Summa Angelica, verbo infidelitas, num.9. Armilla, verbo,fides,num. 9. Sylvest. verbo, fides, q.5.Canet.5.q.3.art.2. & Bañes, Nauarrus in Manuali.cap.11.num.25.Et existimo ferè eadem certitudine esse nostram assertionem tenendam, atque priorem assertionẽ: nec ob id damno Adrianum virum catholicum cum alijs hæreticis.Tùm,quia hæretici absolutè aiebant esse licitum idolatrare metu mortis,retenta interius fide:tùm,quia esse licitum semper aiebant, simulare falsam religionem.Adrianus verò nec primum asseruit,nec secundum, nisi extra casum quo non instaret præceptum confitendi fidem propter Dei honorem astruendum,aut scãdalum proximorum vitandum. Insuper ait tale præceptum instare,quotiescunque verbo, aut facto fidelis interrogatur de propria fide.

Alensis. *Antonin.* *Sum.Ang.* *Armilla.* *Sylvester.* *Canet.* *Bañes.* *Nauarrus.*

Sed pro huius, & sequentium assertionum explicatione, nosse oportet signa sensibilia ad cultum exteriorem pertinentia esse in duplici differentia. Quædam cultui diuino deputata primò,& per se,illa scilicèt

licèt, quorum vſus adaptari non poteſt, niſi pro cultu diuino dumtaxat, inter quæ principem locum tenent ſacrificia, dicente Auguſtino lib. 10. de ciuitate cap. 14. *Sacrificium nullus hominum eſt, qui audeat dicere debere niſi Domino ſoli.* Quædam verò ſigna indifferentia ſunt ad cultum Dei, & cultum hominum, vel ad aliud, vt genuflexio, humi procumbere, adorare, & ſimilia. Dicimus ergo in aſſertione, quod qui prioris generis ſignis vtitur, neutiquam etiam in aliquo caſu poterit excuſari ab idolatriæ crimine, etiam ſi ſimulatè id faciat, ſi tamen ſimulatio ſerio fiat; ſecùs ioco: quapropter ſi ſolum repræſentationis cauſa id accidat, vt in Comœdijs, extra controuerſiam poſitum eſt, id licere, quia talis vſus illorum ſignorũ non ſignificat hiſtriones eum cultum idolis exhibere, ſed tantùm repræſentare cultum ab idolatris ſolitum exhiberi. Ex quo non naſcitur ſubſtractio honoris diuini, aut ſcandalum aſtantium, ſed neglectus, & irriſio falſorum Deorum. Sed adhuc rem hanc magis explico ſequentibus.

Auguſt.

Tertia aſſertio. Qui ſimulat ſe colere idolum ſigno aliquo indifferenti ad cultum Dei, & cultum hominum, vel ad cultũ Dei, & non cultum, ſigno illo permanenti in ſua indifferenti, & amphibologica ſignificatione, non peccat quantum eſt ex vi præcepti non idolatrandi: v.g. adeſt aliquis fidelis fortuitò in templo idoli, vbi Pagani genuflectunt coram ſuo idolo, & ipſe non rogatus neque compulſus, metuens tamen ne occidatur ſi agnitus ſit profeſſor fidei Chriſtianæ, genuflectit Deo vero, non committit idolatriæ crimen: quia genuflexio illa de ſe ſignum indifferens eſt ad cultum Dei, & hominum, & in caſu poſito non coarctatur, vt ad idolum referatur, aut applicetur. Item inuitatur Chriſtianus à Pagano ad cœnam amicabiliter, & apponit idolothyta nihil de cibi impia conſecratione dicens: quamuis id ſciat Chriſtianus poterit comedere ſine idololatriæ crimine, quia comeſtio illa indifferens ſignũ eſt ad colendum idolum veſcendo in idoli honorem, & ad ſatisfaciendum fami, & in caſu ſignũ illud permanet in ſua indifferenti ſignificatione. Probatur aſſertio. Quando quis vtitur illo ſigno indifferente non colit idolum, licèt fortaſsè ſimulet colere: ergo nõ eſt idolatra. Antecedens patet, quia cum illud ſignum, quo vtitur indifferens ſit, & permaneat ad cultum idoli, & non cultum, poteſt pro ſuo arbitratu illud determinare in quem voluerit vſum, atque adeò ſi non determinat in cultum idoli, ſed in alium finem, neutiquam idolatra cenſendus eſt: cùm abſit animus colendi idolum directè, aut indirectè, ſine quo animo idolatria nequit conſiſtere.

A

Secundò. Omnis ſimulatio licita ex hoc honeſtatur, quia ſimulans vtitur ſigno amphibologico in alio ſenſu, quàm videntes exiſtimant, vt patet in ſimulatione inſaniæ à Dauide coram Rege Achis: ergo etiam idem dicendum eſt de ſimulatione idololatriæ per vſum ſigni indifferentis, & permanentis in ſua indifferentia.

Tertiò. Licitum eſt vti verbis amphibologicis in ſenſu vero, ſed diuerſo à mente audientis propter vitanda mala, aut acquirẽ da bona: ergo etiam licet in materia religionis vti ſigno amphibologico ad cultum idoli, & ad non cultum, in alia ſignificatione diuerſa ab exiſtimatione aſtantium. Cõſultò dixi, vtentem præfatis ſignis indifferentibus non peccare, ex vi præcepti non colendi falſos Deos, id eſt, non peccare idololatriæ crimine, quia aliunde ex vi præcepti de confitendo fidem exterius, aut non colendo eandem, poterit etiam in his caſibus cõmitti graue peccatũ: Videlicet ſi ex hoc quod iſte ſimulatus cultus non reſpuitur, ſubtrahitur Deo honor debitus, aut vtilitas impendenda proximis, putà quia valde decet Dei honorem, quòd iſte ſimulans apertè confiteatur ſe eſſe verum Chriſti cultorem, aut quia infirmi aſtantes à fide cadent: ſed tamen peccatum hoc non erit idolatria, ſed contra præceptum de apertè pronuntianda fide. De quo latè Diuus Thomas, & eius interpretes ſupra q. 3. artic. 2.

B

C

D. Thom.

Quarta aſſertio. Qui ſimulat ſe idolum, aut creaturam colere ſigno aliquo ſenſibili indifferenti ad Dei cultum, & ad alios fines, ſed tamen determinato ex circunſtantijs ad falſi Dei cultum, idolatra eſt: etiam ſi id faciat animo effugiendi mortem. Hæc aſſertio non minus certa eſt, quàm ſecunda, & eiſdem rationibus probatur quibus & illa. At verò in dignoſcendo quando illa ſigna indifferentia manent in ſua indifferentia, quando verò, & ex quibus circunſtantijs determinentur ad falſi Dei cultum, hic labor, hoc opus eſt. Et de his latiùs in ſolutionibus argumentorum, modò ſatis ſit nobis ſcire, hanc determinationem poſſe fieri ex more, aut conſuetudine, aut fortaſsè ex lege: v.g. exigit tyrannus à Chriſtiano in deteſta-

D

testationem fidei Christianæ,&cultum ido li genuflectere coram eo: quamuis genuflexio ex natura sua indifferens sit ad cultum diuinum,& ad alia, tamen hic, & nunc determinatur ad diuinum cultum exhibendum idolo,quapropter fidelis qui hoc faceret idolatriæ crimen incurreret.

Supereſt ad argumenta in initio controuersiæ facta respondere, in quibus dissoluendis non modicam eruditionem capiemus.Ad primum Abulensis super illum locum.q.26. asserit peccatum Iehu tantùm fuisse officiosum mendacium, quod redūdauit in Dei honorem,& Synagogæ vtilitatem.Caietanus benè præsentit idololatrię crimen ibi posse prætexi: sed ait mendaciū illud quamuis ex genere suo esset pernicio sum,vt potè professio quodipse Iehu esset cultor Baal,sed ait ex intentione loquentis excusari à pernicie sui generis,id est,idolatriæ,& scandali, quia breuissimo tempore visuri erant omnes animum loquentis,& quod cesurum erat in diuinam gloriam, & interim neque sibi,neque alteri nocituram. Et D.Hieronymus non improbauit hoc Iehu factum.Cæterùm D.August.lib.contra mendacium cap.2. eam simulationem appellat impium mendacium; sicut si quis simulatè iuramento affirmaret, se occisurum Petrum:& ibidem damnat doctrinam eorum,qui dicunt licere diaboli cultum mentiri in corpore,quando Dei cultus seruatur in mente. Quo loco etsi in primis Augustinus loquatur contra Priscilianistas, qui & tempore necessitatis confitendi fidem, & per mendacium quoque formale dicebant licitum esse fidem propriam negare, & simulare alienam: tamen absque dubio improbat omnem simulationem in fide. Nec excusatio Caietani asserentis illud mendacium excusari à pernicie propter durationem breuissimam, placet: etenim quamuis fortasse excusaret illa duratio breuissima à pernicie in proximum, tamen quatenus erat mendacium pernicioſum erga Deum nequaquam poterat excusare mendacium illud.Per illud enim professus fuit se velle cultum diuinum exhibere Baal, namque peccata in Deum non pensantur ex modicitate temporis,neque ex paruitate damni proueniente ex modicitate temporis: sicut peccata in proximum aliquando iudicantur:v.g.odium Dei,&blasphemia in instanti consumantur, similiter & mendacium pernicioſum contra Dei honorem, quale fuit mendacium Iehu. Igitur ad argumentum respondetur, aliqualem cultum exhibuisse Baal,quando finxit illum velle colere,cultus autem idolorum neque simulatè licitus est,& D.Hieronym.Abulensi,& Caietano opponimus D. August. & multos alios inferius citandos, qui nequaquam excusant simulatos cultus idolorum. Ad aliud verò quod simulatio Iehu laudatur à Deo ipso respondetur, Dominum non laudasse quod Iehu simulauerit religionem Baal,sed quod omnes Sacerdotes Baal occiderit, & quod domum Achab funditus deleuerit. Hoc enim significatur illis verbis: *Quia studioſe egiſti,& ſuper domum Achab, filij tui vſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper Thronum Iſraël*, vt adnotauit August. vbi suprà. Illud verò quod adducitur de insania simulata à Dauid coram Achis, nihil probat.Non enim Dauid simulauit religionem falsam,sed stultitiam quandam:& multo minus Christus simulauit naturam peccatricem: aliud enim fuit assumere veram naturam qualem habent homines peccatores siue fideles sint,siue infideles,aliud autē simulare.

Ad secundum respondetur primò. Per illa verba, *Vade in pace*, quæ Eliseus dixit ad Naaman, non significatur approbatio consilij, quod Naaman ceperat adorandi in templo Remnon, simulando se adorare idolatricè, sicut dominus suus, sed significatur permissio: etenim non sperasse creditur Propheta posse illi persuadere incontempto domino suo vitare illam simulationem.Et hæc explicatio confirmatur ex eo, quod cum Naaman esset alioqui persuassus sibi id non licere, ipsum reliquit Eliseus in sua opinione, nec docuit, at alioquin docuisset,licere simulationem illam in tali casu.Sic enim in eo loco legimus dixisse Naaman ad Eliseum: *Hoc ſolùm eſt pro quo deprecaris Dominum pro ſeruo tuo,quando ingrediatur Dominus meus templum Remnon vt adoret,& illo innitente ſuper manum meam, ſi adorauero in templo Remnon adorante eo in eodē loco,vt ignoſcat mihi Dominus ſeruo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace*, id est, permisit ei vt id faceret, contentus videlicet pro illo tempore quod iam agnouerat Deum verum,& idolorum vanitatem, iuxta id quod antea ibidem dixerat: *Non faciet vltra ſeruus tuus holocauſtum, aut victimam Dijs alienis,niſi Domino*. Secundò respondetur cum Lyrano,Caietano, Abulensi in loco citato q.25.& alijs,illā adorationē,quæ non erat aliud quā genuflexio,de qua consulebat

Abulenſ.

Caietan.

Hierony.
Auguſt.

Lyran.
Caieta.
Abulen.

ſulebat Naaman, neque eſſe idolatricam, neque ſimulabatur vt idolatrica, atque adeo non erat mala, imò neque habebat ſpeciem mali. Singula probantur. Non erat idolatrica, quia non decreuerat eam facere ad imitationem Domini ſui colentis idolum ea actione: ſed tantùm decreuerat eam facere in obſequium Regis Syriæ innitentis ſuper corpus Naaman. Certum eſt quod vbicunque Rex genuflecteret, neceſſe erat Naaman, cui Rex nitebatur, genuflectere ſiue in templo, ſiue in platea, ſiue in agro: ſed extra templum erat actio obſequij, non cultus idoli: ergo pariter in templo cenſenda eſt actio obſequij tantùm. Quòd non haberet mali ſpeciem ratione loci, & temporis, probat Caietanus. Quia Naaman verbo, & facto ædificando ſummo Deo altare, illique ſacrificando, & profitendo publicè illum eſſe Deum, omnes agnoſcebant illum eſſe alienum ab omni idolatria, & ſuam genuflexionem non fieri ad imitationem idolatricæ adorationis Regiæ, ſed vt præſtaret obſequium Regi adoranti in templo Remnon. Itaque illa genuflexio, neque in ſe erat mala, neque habebat mali ſpeciem? & propterea Eliſeus non admonuit eum hanc eſſe peccatum, nec affirmauit ignoſcendum à Deo, ſed ait illi: *Vade in pace*: ac ſi diceret, te genuflectente in templo, non vt adores idolum, ſicut Rex adorare ſolet, ſed vt Regi præſtes obſequium ſolitum, non eſt cur timere debeas. Petijt autem ſibi hoc ignoſci, quia timebat ſibi ad culpam imputari; bonarum namque mentium eſt timere culpam vbi re vera non eſt, vt ait Gregorius. Et quamcunque expoſitionem ſequaris, argumentum non probat licere ſimulare veram idolatriam.

Gregor.

Ad tertium reſpondetur cum Diuo Thoma. 1.2. quæſtione. 103. articulo 4. Ad primum, negando antecedens, & negando eſſe verum quòd Diuus Hieronymus ibi aſſerit, non ſeruaſſe Apoſtolos legis cæremonias, ſed ſimulaſſe, quia talis obſeruatio mortifera erat: ſed potiùs cenſet cum Diuo Auguſtino eos ſeruaſſe verè cæremonias legis, & ſine vlla ſimulatione: at verò eo tempore licèt legalia mortua erant, non erat eorum obſeruatio mortifera, quia nondum ſufficienter promulgatum erat Euangelium Chriſti. Sed de hoc latiùs 1.2. loco citato. Ad quartum benè ibi reſponſum eſt.

D. Thom.

Pro ſolutione quinti argumenti, & ſequentium, duo, in quæ fere totum pondus huius controuerſiæ inclinat, decidenda ſunt. Primum. Vnde, & ex quibus circunſtantijs penſandum eſt aliquod ſignum ſenſibile de ſe indifferens ad cultum diuinum, & ad cultum hominum, ſiue non cultum, coarctari ad diuinum cultum exhibendum: res planè difficilis cognitu. Sit tamen regula indubitata apud omnes orthodoxos. Tyranno exigente, & vrgente, vt fidelis vtatur ſigno aliquo ſenſibili ad idoli, vel creaturæ alicuius cultum, quamuis illud ſignum de ſe indifferens, & amphibologicum ſit ad cultum exactum, vel ad aliud: cenſendum eſt illud ſignum determinari, & coarctari ad cultum idolatricum, & conſequenter illo vtentem eſſe verè idolatram, ac ſi vteretur ſacrificijs erga idola colenda. Non obſcurè hoc aſſerit Tertullianus libro de idolatria capit. 13. inquiens, *Enim verò, etſi ſimulaueris tentatus, addictus es certè, ſiue hac, ſiue illac reus es confuſionis in Deo. Qui autem confuſus fuerit ſuper me penès homines, & ego confundar ſuper illo (inquit Chriſtus) penès Patrem meum, qui eſt in cœlis.* Alijque Patres & Theologi hanc eandem regulam colligunt ex Matthæi 10. & Lucæ 9. inferius citandis. Et deinde probatur ratione, quia omnes tam fideles, quàm infideles cenſent, attentis præfatis circunſtantijs, vti illo ſigno ad idolatriam veram pertinere, & vtentem idolatram reputant: ergo ex his circunſtantijs determinatum eſt illud ſignum ad idolatricum cultum, & nequaquam in ſua indifferentia permanet. Conſequentia nota eſt, & antecedens probatur. Et quidem ſi ſermo fiat de infidelibus exigentibus illum cultum res comperta eſt, ob id namque vrgent, inſtant, torquent, quia per vſum huiuſmodi ſigni conantur extorquere à fidelibus profeſsionem ſectæ alienæ, & negationem propriæ. Fideles itidem cenſent illo ſigno vti, exigente tyranno pertinere ad idolatricum cultum, vti apparet ex eo quod pro repudiando vſum illius ſigni, tot inclyti Martyres mortem fortiter paſsi ſunt, eam multi non paſſuri, ſi non putarēt illud ſignum cultus hic, & nunc in caſu noſtræ regulæ ad obſequium, & honores diuinos exhibendos idolo, eſſe deputatū, & coarctatum. Atteſtatur etiam huic veritati Eleazarus, qui infertur 2. Machabæorum 6. Tyranno minitanti mortē, niſi comederet

Tertullian.

Matth. 10.
Lucæ. 9.

2. Mach. 6.

carnes porcinas obedire noluit: imò neque fingere se comedisse, magnum illud piaculu reputans: at si comestio illa maneret in sua indifferentia ad cultum, & non cultum non peccasset idolatriæ peccatum. Dices; non peccasset idololatriæ crimen, sed quia non seruasset legem certè peccasset, quia in communi existimatione omnium benè sentientium illa comestio hic, & nunc ordinabatur ad professionem rituum Gentilium. Quod si pertinaciter quis neget: saltem infertur ex circunstantijs, illam maducationem non mansisse in sua indifferenti significatione, quod contendimus probare quando signum assumitur ad cultum. Ex hac regula infertur, quod si tyrannus iuberet, vt sibi in signum deitatis omnes genuflecterent, & ipso sedente in throno, vt omnes adstantes hoc obsequium præstarent, quidam Christianus inter cæteros coram tyranno genuflecteret, quamuis non haberet animum exhibendi cultum diuinum, sed alias Regi debitum, esset verè idolatra, quia genuflexio illa determinata est, & coarctata ad diuinum cultum exhibendum homini ex illa iussione tyranni. Et si roget quispiam, an hæc indifferentia signa extra casum istius regulæ coarctentur ad exhibendos honores diuinos creaturæ? Respondetur affirmatiuè: nempè ex more, aut consuetudine, aut lege, quæ semper restringat ea signa ad cultum idolatricum, in qua re iudicio prudentium orthodoxorum standum erit, & nos infrà aliqua tangemus.

Secundum notabile scitu dignum in hac materia est. Quare iudice iniustè interrogante quempiam, liceat interrogato, verbis amphibologicis vti, & sic deludere hostem, & id ipsum non liceat fidelibus, quando coguntur vti signis, quæ amphibologica sunt. Et augetur difficultas. Verba amphibologica manèt in sua amphibologia iudice interrogante iniustè, nec ex ea iniustitia determinantur ad sensum quo iudex iniquus interrogat: ergo signa sensibilia indifferentia de se ad cultum exhibendum idolo, & ad alios fines, etiam si vrgeat tyrannus non sunt coarctanda ad cultum idolatricum, iuxta quam significationem tyrannicè exigit cultum, sed poterunt fideles in alia significatione his vti signis. Hoc argumentum conantur quidam soluere, sed meo iudicio nihil proficiunt. Veram solutionem censeo negando consequentiam. Nam Deus Optimus Maximus sic adeo vult suos milites esse fortes, ferreos, & quasi adamantinos, vt nunquam terga vertant insultantibus, & simul interrogantibus, etiamsi aliàs simulatione possent euadere eorum tormenta. Et nequaquam fert suos cultores interrogatos, etiam tyrannicè, de propria fide, aut coactos ad professionem alienæ, vel leuiter simulare, aut diuerticula quærere vtendo amphibologijs aliàs licitis in alijs materijs: tum propter dignitatem, & excellentiam religionis, cui attestatur intrepida confessio, etiam quando aliàs simulatione posset tyrannus deludi: *Ad Reges, & Præsides ducemini propter me*, ait Christus, Matthæi. 10. flagellandos, scilicet, & occidendos. Sed hæc tractio erit in testimonium illis, explicat Abulensis super illum locum quæstione. 100. id est ad testificandum, quod Religio Christiana tam immaculata, tam inclyta est, vt neque simulatè abneganda sit, instante persequutore: nam vt ait Cyrillus Ioannis 01. *Cum causæ articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ab hac vitâ migrandum: comminante mortem persequutore, ibi oderis in hoc mundo animam tuam, intrepidè mortem subeundo, vt in vitam æternam custodias eam.* Tùm ne Deo subtrahatur honor debitus, aut proximis vtilitas. Subtrahetur autem si tyranno interrogante, aut vrgente, fideles suffugia quærant, quia religio, & autor eius vilis, aut ignobilis iudicabitur ab infidelibus. Quod colligunt Theologi, & Patres ex illo Matthæi 10. *Qui me confessus fuerit, &c. Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego cũ coram Patre meo.* Ita Abulensis ibidem, quæstion. 111. & 129. Quod siquis dicat deludere tyrannum non esse negationem Christi: qui sic obijcit audiat Christum Lucæ. 9. *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, & & qui perdiderit animam suam propter me saluam faciet illam*: & paucis interiectis subiecit: *Nam qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.* In prioribus verbis potissimè de his qui pro fide torquentur sermo est, vt ait Euthymius, & consequenter in posterioribus. Quorũ sensus est. Qui me erubuerit, vel fidem negando, aut alienam etiam simulatè protestando, hunc filius hominis erubescit, &c. Itaque exigente tyranno professionem fidei alienæ, siue

Matth. 10. *Abulen.* *Cyrillus.* *Matth. 10.* *Abul.* *Lucæ. 9.* *Euthym.*

verbis

verbis, siue signis alijs, nequaquam vult Deus suos cultores terga vertere, diuerticula quærere, simulatione vlla vti, & propterea signa illa, quæ exiguntur à tyranno in cultum, vel professionem idoli, & vult intelligenda esse iuxta tyranni mentem, & fortiter respuenda. Hæc autem ratio non militat in alijs materijs, quæ ad religionem non pertinent, quia vsus simulationis non subtrahit Deo honorem, nec proximis vtilitatem, nec Deus præcipit non esse fugiendam tyrannidem iuditis Iniqui mediante simulatione, & vsu vocum amphibologicarum. Igitur ad quintum argumentum negatur cosequentia. Ad probationem etiam negatur consequentia, propter discrimen à nobis modò assignatum. Et aduerte in casu regulæ nostræ, signum illum indifferens ad cultum Dei, & ad alium finem determinari ad idoli cultum ex Deo volente, vt illo vtens erga idolum censeatur idolo cultum exhiberi diuinum; vel vt formalius loquamur ex more fidelium, & infidelium prouenit illa determinatio, licèt occasionaliter, & tanquam conditio sine qua non, interrogatio, aut coactio iniusta tyranni præsupponatur. Ad confirmationem negatur minor, & ad probationem negatur consequentia.

Ad sextũ, quo mouetur Adrianus, & alij negatur antecedes, quando signum ex circunstantijs determinatur ad idolatricum cultum: tunc namque duplex violatur præceptum, videlicet præceptum negatiuum non negandi fidem, quæ non solum negatur voce, sed etiam signo profitente alienam fidem, quale esse diximus quodcunque postulatum à tyranno ad profitendam alienam secta. Violatur etiam præceptum de non colendis creaturis cultũ diuino: & quando signum ex circunstantijs determinatur ad idoli cultum, etiam si determinatio ortum habeat à tyrannide, vti illo, idolatrare est: quod si simulans dicat se nolle colere idolum, sed mortem effugere, decipitur, sicut qui vellet se liberare à morte per iuramentum falsum, non intendens adducere Deũ in testem, ipse se decipit, putans se non facere quod re vera facit.

DISPVTATIO V. PRINCIPALIS.

An propter vitandam mortem licitum sit communicare cum infidelibus in operibus infidelitatis sine crimine idolatriæ?

IMO generatim inuestigatur, quando licita sit, aut illicita communicatio cum infidelibus. Et videtur quod nunquam licita sit. Primò ex Apostolo 2. ad Corinthios 6. dicente: *Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis? &c.* Ecce prohibet Apostolus fidelibus omnem communicationem cum infidelibus. In oppositum est ipse Apostolus 1. ad Corinthios. 9. dicens: *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, vt eos qui sub lege erant lucrifacerem, &c.* 2.Corint.6. 1.Corint.9.

Pro decisione dico primò. Communicare cum infidelibus in his, quæ ad vitam politicè transigendam attinent, non est illicitum. Patet hoc ex argumento in oppositum, & ex Tertulliano de idololatria cap. 18. *Conuiuamus*, inquit, *cum omnibus, collætemur ex communione naturæ, non superstitionis pares anima sumus: non disciplina compossessores mundi, non erroris.* Hoc intelligitur attento solo iure diuino: nam Ecclesia prohibuit communicationem etiam politicam cum hæreticis, & apostatis, quia sunt ab Ecclesia excommunicati. Quod tamen intelligendum est iuxta tenorem Extrauagantis, *Ad euitandam*. Vbi aduerte ex Nauarro in Manuali capit. 27. numero 35. illud de crimine notorio propter quod incurritur excommunicatio, non esse in vsu, nisi quoad percussionem clerici, & ideò licet conuersari cum hæreticis in Germania commorantibus. Et præterea, quia multitudo hæreticorum, & necessitas excusat, vt adnotauit idem Nauarrus ibidem, & lib. 1. consiliorum, consi. 1. quæstio. 24. Præterea hoc primum dictum intelligendum est, nisi fideles sint simplices, aut imbe- Tertullia. Nauarrus.

imbecilli in fide, de quorum peruersione probabiliter timeri possit: tunc enim illicita est talis communicatio etiam in operibus politicis, vt ait Diuus Thomas. 2.2. quæstione 10. articulo. 9. & probat testimonijs veteris legis Deuteronom. 7. Leuit. 15. & Glossa ordinaria.

Dico secundò. In operibus pertinentibus ad infidelitatem non est licitum communicare cum idolatris, aut alijs infidelibus. Patet ex testimonio allato in argumento primo, quod intelligendum est de communicatione in operibus infidelitatis. At testimonium allatum in argumento in oppositum de politicis: per quæ patet ad argumenta.

Quando autem communicatio isthæc sit in operibus fidelitatis, vel politicis, operæpretium erit scire, maximè pro fidelibus peregrinantibus apud Iudæos, Sarracenos, vel idolatras. Et ideò mouendæ sunt quædam dubitationes annexæ præfatæ quintæ Disputationi generali. Sit

DVBITATIO 1.

De communicatione cum infidelibus in vestitu proprio ipsorum.

ET videtur esse licitum Christianis degentibus, aut peregrinantibus apud Turcas, aut Idolatras, seu Iudæos, vti vestibus proprijs infidelium, quibus religionis ergo vtuntur, vt distinguantur à cæteris, quæ sectam suam non profitentur, & sic occultati manus effugiant impiorum. Quis enim condemnare ausit tot Christianos, qui hac arte solent deludere hostes infideles, maximè belli tempore?

In oppositum est, nam per talem vsum vestium, infideles suam falsam sectam profitentur, & eo suos falsos Deos se venerari existimant: ergo talis vsus vestium ad idolatriam spectat.

Si omnia, quæ in hac dubitatione tanguntur, essent discutienda, nempè, an omittere signum vsitatum pro religione profitenda, peccatum sit contra præceptum de confessione fidei, aut de ea non abneganda? Item, an vti signo distinctiuo, quo vtuntur fideles, sit profiteri eorum fidem? prolixa esset terenda via, sed missa facimus prædicta pro articulo secundo quæstionis tertiæ huius partis Diui Thomæ. Sed hic dumtaxat agemus, an sit peccatum idolatriæ vti signo sensibili à Republica Gentilium instituto ad colendum idola, aut verò ad discernendum fideles ab infidelibus, quo etiam vtuntur infideles ad aliqualem suæ sectæ cultum?

Cui dubitationi vt satisfaciamus, præmittendum est, vestem, seu quodlibet aliud sensibile signum tripliciter vsurpari consuetudine, aut lege, in aliqua natione, aut Prouincia. Primo modo ad exhibendum cultum autori alicuius sectæ: huius generis signa sunt vestes sacerdotales apud Ecclesiæ ministros, calices, & similia. Sarraceni etiam dicuntur habere vestes deputatas pro suis sacrificijs, & superstitiosis ritibus peragendis, putà imagines Mahumeti, aut Lunæ in honorem ipsius Mahomat insignitas. Idolatræ etiam suis sacris celebrandis, vestes, vasa, instrumenta, & peculiarem suppellectilem deputata habuêre, & modò habent in Regionibus, vbi reliquiæ idolatriæ remanserunt. Secundo modo signa sensibilia sunt in vsu apud nationes, vt politicè distinguantur. Habet enim vnaquæque natio peculiares notas, quibus ab alijs nationibus distinguatur, putà specialem modum ornatus in vestibus, peculiare idioma, seu linguagium, siue signa illa sint in vsu ex placito hominum, aut ex lege: Galli ex lege dicuntur deferre fasciam bombycinam albam in bello, Hispani verò rubeam, & sic de alijs. Tertio modo sunt in vsu aliquot signa ex lege instituente ea, distinguendæ religionis gratia. Ponit exemplum Caietanus in Persis Mahumetanis, *Caieta.* qui vtuntur toallia alba in capite, ipsi vocant, *Turbante*, vt sic religione distinguantur à Christianis, & Turcis: & in Italia distinguuntur Iudæi à Christianis, eo quod lege cautum est, vt Iudæi vtantur Birreto coloris pallidi. Hoc præmisso, dico primo. Fideles qui effugiendæ mortis causa vterentur signis illis prioris generis, idolatriæ crimen absque dubio incurrerent. Probatur, quia ex lege, & more ab omnibus recepto, illa signa sunt deputata ad idolatricum cultum, & nulli alteri vsui deseruiunt: ergo illis vtentes idolatræ erunt, non minus quàm si idolis sacrificarent: insuper peccarent contra præceptum de non neganda fide, siue quod in idem reddit de nō profitendo alienam. Qui curiosè velit vestium idolis dicatarum antiquitatem noscere, legat Tertullianum de idololatria, cap. 18. *Tertulli.*

Dico

Dico ſecundò. Fidelis qui vteretur ſignis ſecundi generis, putà veſtibus propriis infidelium, quibus politicè diſtinguuntur fideles ab infidelibus, non ea ratione, qua diuerſam Religionem profitentur, ſed qua ratione ad diuerſas nationes pertinent, nec idolatriæ crimen committerent, neque tranſgrediuntur præceptum confeſsionis fidei. Ita Tertullianus vbi ſuprà. *Quemadmodum enim & Ioſeph, qui ſeruus fuerat, & Daniel, qui per captiuitatem ſtatum verterat, ciuitatem Babyloniam, & Ægyptum ſunt conſequuti per habitum barbaricæ ingenuitatis, ſic penes nos quoque fidelis, ſi neceſſe fuerit, poterit, & pueris prætexta concedi, & puellis ſtola natiuitatis inſignia.* Probatur. Quia ea ſigna non ſunt diſtinctiua religionis, ſed nationis: ergo ijs vtentes fideles non obiiciunt aliquem ſectæ autorem, neque profitentur alienam ſectam: ſed tantum teſtantur ſe ad diuerſas nationes pertinere. Confirmatur exemplo Diui Sebaſtiani, qui chlamyde militari vtebatur, quā nō vtebantur Chriſtiani, vt ſic ignotus Chriſtianus melius Chriſtianos confortaret. Ex his infertur, licitum eſſe in bello, ſiue nauali, ſiue terreſtri, indui veſtibus Sarracenorum, eorum vexilla, ac ſermones vſurpare, vel ad effugienda damna, quæ ab eis timentur, vel ad eos imparatos nihil tale formidantes capiendos. Etenim ſigna hæc nequaquam ad cultum pertinent, ſed ad diſtinctionem nationum. Et præterea, quia huiuſcemodi fraudes militares ad genus militandi prudens ſpectant, ſunt veluti quædam ſtratagemata ducum, & militum, quibus proinde ſimulato vti aduerſus hoſtes licitum in bello eſt. Quod ſi infideles religionis gratia, in ſuis vexillis depictas imagines Iouis, Martis, aut Mahumeti depictas deferunt, nequaquam licitum eſt fidelibus eas ſuis vexillis affigere, iuxta dicta in primo aſſerto.

Circa vſum ſignorum tertij generis, nempè quæ diſtinctiua ſunt infidelium à fidelibus; putà Birretum pallidum, quod eſt ſignum Iudæorum in Italia, toballia alba in capite pro Perſis Mahumetanis, & ſimilia, Dominus Caietanus ſuprà quæſtione tertia, articulo ſecundo, cenſet, præfatum vſum etiam ad vitandam mortem non eſſe licitum, quia vtentes his profitentur alienam ſectam fatentes ipſo facto ſe eſſe Iudæos, Sarracenos, vel alicuius falſæ ſectæ profeſſores, quod eſt negare fidem. Probatur hæc ſententia. Nam qui verbis diceret ſe eſſe Iudæum, Gentilem, aut Sarracenum, peccaret mortaliter contra præceptum de non neganda fide: ſed vtens præfatis ſignis profitetur alienam, & falſam ſectam: ergo peccabit mortaliter. Dicet quiſpiam. Verba illa, *Iudæus ſum*, *Sarracenus ſum*, in ſua perfida ſignificatione ſemper manent, vſus verò illorum non itidem: quia fideles ad euadendam mortem poſſunt eis vti ſecluſo ſcandalo. Contrà hoc arguitur ſecundò. Quando quis compelleretur à tyranno vti illis ſignis in odium noſtræ fidei, & ad profitendam ſuam ſectam: imò quocunque alio ſigno etiam indifferenti, non liceret vti his ſignis etiam propter vitam ſeruandam. Sed in caſu noſtri aſſerti plus quam interrogatio, aut compulſio interuenit, dum exitur à lege, vel conſuetudine ne quis vtatur illis ſignis, niſi ad profitendam ſuam ſectam: ergo vtentes mortaliter delinquent. Antecedens notum eſt ex dictis, & ex Eleazari facto, ſecundi Machabeorum, qui compellente tyranno edere carnes porcinas (quæ comeſtio poterat ad alium finem ordinari, quàm ad profeſsionem ritus Gentilici) noluit tamen comedere, neque ſimulaſſe comediſſe, certò ſciens in eo caſu comeſtionem illam eſſe profeſsionem ſectæ Gentilium, & abnegationem veræ religionis. 2. *Machab.*

Tertio. Lex illa iubens ſolos infideles illis veſtibus, aut ſignis vti, ſiue tyrannica ſit, ſiue iuſta: ſi tamen eſt in viridi obſeruantia (& idem dico de conſuetudine) determinat hic, & nunc illorum ſignorum vſum, vt ſit profeſsio ſectæ impiæ: ergo qui vtuntur his ſignis peccant: ſient profitentes impiam fidem. Conſequentia nota eſt ex præcedentibus. Antecedens verò probatur, quia vtentes eam profeſsionem ſignificantes ex lege, placito, aut conſuetudine obtinuerunt ſignificare eam profeſsionem impiam. Ergo ex eiſdem cauſis facta obtinuerunt determinari ad eandem ſignificationem. Hæc ſententia Caietani re vera valdè probabilis eſt, quam amplectuntur multi. Nihilominus

Caietan.

Dico tertiò. Quando ex vſu illorum ſignorum tertij generis, Deo debitus honos ſubtrahitur, aut ſcandalum proximorum ſequitur, non licet fidelibus illis ſignis vti, abſque piaculo mortali,

contra præceptum affirmatiuum de confeſ- A
ſione exteriore fidei, quod in prædictis caſibus obligat ex mente omnium Theologorum. Non ſolùm autem cenſetur cadere ſub eo præcepto confiteri fidem poſitiuo actu directo, ſed etiam poſitiuo actu, reſpuendo omnem actum etiam ſimulatum qui apparere poteſt profeſsio alienæ fidei. In hoc omnes conueniunt: ſed explicandum eſt, quando Deo ſubtrahitur debitus honor ex occultatione fidei, ſiue tacendo, ſiue non reſpuendo vſum præfatorum ſignorum? Similiter quando dicatur ob id imminere ſcandalum proximorum? Reſpondetur. Deo ſubtrahere honorem erga fidei confeſsionem non contingit ex eo quod B
abſtinetur ab aliquo actu, ex quo potuiſſet redundare honor in Deum: ſic enim confeſsio fidei ſemper eſſet in præcepto, contra communem ſenſum Theologorum, maximè D. Thom. ſuprà q. 3. art. 2. ad tertium: cùm confeſsio fidei aliquando ſit in conſilio, & poſſet parere Deo gloriam: ſubtrahi ergo honorem Deo in propoſito eſt, Deum vel affici ignominia, vel etiam in aliquo caſu negligi magnum aliquem honorem Dei, qui ex fidei confeſsione potuiſſet ad illum peruenire. Quare illud verbum ſubtrahendi vſurpatum à Diuo Thom. & alijs Theologis capiendum eſt in hac materia C
contrarie, vel priuatiuè in caſu quo opportunitas ſe offerebat augendi maximè Dei honorem. Quando autem aliquid iſtorum eueniat ex omiſsione confeſsionis fidei, iam nos diximus aliqua circa ſolutionem quinti, & ſexti argumenti: & modò dicimus iudicio prudentum in particularibus eſſe decernendum. Scandalum autem proximorum tunc imminet ex eo confitendo fidem, quando per confeſsionem alicuius perſonæ magnæ autoritatis traherentur ad fidem, & aliàs non: vel quando fideles ſi non adſit talis confeſsio mutabunt in fide. Quando autem hoc contingat, ſimiliter iudicio prudentum ſtandum eſt. Quod ſi quiſpiam roget, an in caſu huius tertij dicti vtentes his ſignis ſint idolatræ? Videtur quod ſic, quia qui profitetur alienam fidem, idolatra eſt, ſed iſti ex eo peccant, quia profitentur alienam ſectam: ergo, &c. Reſpondetur. Non ſunt idolatræ, quia vbi non adeſt cultus non eſt idolatria: hic non reperitur vllus cultus: ergo, &c. Item falſum eſt, hos profiteri alienam fidem, ſed ideò peccant, quia non reſpuunt ſimulatam profeſsionem impiæ fidei contra præ- A
ceptum de confeſsione fidei. Tertiò: nõ omnis profeſsio impiæ fidei pertinet ad idolatriam, vt quando quis dicit ſe eſſe Iudæum, aut Paganum.

Dico quartò. In alijs caſibus, videlicet quando nec Deo ſubtrahitur honor, nec proximis datur ſcandalum, licet fidelibus vti prædictis ſignis tertij generis ad vitam tuendam, aut magnum aliquod malum vitandum: verbi gratia, duram captiuitatem. Probatur. Talis vſus vel illicitus eſt quia alij credẽt vtentes illis ſignis profiteri ſectam impiam, vel quia re vera eam profitentur, lege, & conſuetudine determinante ea ſigna ad talem profeſsionem: B
neutrum iſtorum verum eſt: ergo, &c. Probatur minor, quoad priorem partem: quia de hoc parum curandum eſt quod alij hoc exiſtiment, ſi aliàs non ſubtrahitur honor Deo, vel proximi vtilitas, vt ſuperius docebamus, & ipſemet Caietanus fatetur ſæpè contingere. Et non tenetur quis impedire quominus alij putant ipſum eſſe infidelem, ſicut de Beato Sebaſtiano refertur, quando occultabat Chriſtianiſmum ſub veſte militari. Quoad ſecundam partem affirmat minorem Caietanus, vbi & loquens de ſigno diſtinctiuo Iudæorum dicit, quòd quamuis non ſit C
illud ſignum inſtitutum ad profeſsionem fidei Iudaicæ; includit tamen profeſsionem illius, ita quod conſtet omnem vtentem illum profiteri ſe Iudæum tali ſigno. Sed probatur hoc falſum, nam lex, vel conſuetudo quod illis ſignis vtantur tantùm infideles ad diſtinctionem religionis, vel iuſta eſt, aut iniuſta. Si iniuſta eſt, ad nihil obligat; ſi eſt iuſta, non obligat, niſi regulariter, & vt plurimum, quando cauſa grauis illam negligendi non ſubeſt, vt ipſemet Caietanus de alijs legibus humanis fatetur. Igitur cùm in propoſito non agatur de Dei honore, aut D
proximi vtilitate; & ex alia parte ad effugiendam mortem vſus ille ordinetur, nequaquam lex, aut conſuetudo obligabit quempiam vti illis ſignis ad profitendam religionem impiam, ſed poterit ſic volens euadere vti vt fidem ſuam occultet, non vt profiteatur alienam. Secundò. Iſti vtentes his ſignis, aut peccant contra præceptum affirmatiuum de confeſsione externa fidei: & hoc non, quia illud tantùm obligat in caſu proximè præcedentis aſſerti. Aut peccant contra præceptum negatiuum de non neganda fide,

aut

aut non profitendi aliena, & hoc in præcedenti ratione impugnauimus. Tertiò. Reges Catholici, qui omnia ſua deducunt ad trutinam virorum ſapientum ſine vllo cõſcientiæ ſcrupulo mittunt exploratores, qui res Turcicas diligenter cõſiderent, pergunt autem induti veſtibus illius nationis, & inſigniti his ſignis, quibus ad diſtinguendas religiones Turcæ vtuntur, quos tamẽ, & Reges, ac eorum conſiliarios damnare valdè durum eſt.

Ad primum Caietani contra hoc aſſertũ benè ibi reſponſum eſt. Ad ſecundum negatur minor contra Caietanum: etenim lex aut conſuetudo præfatæ nihil interrogant, nec abſolutè dicuntur compellere in omni euentu, ſed perſcribunt modum confitendi fidem, vt plurimum, & regulariter, ſicut dictum eſt: itaque ſi adſit cauſa vehemens omittendi aliquando tale ſignũ, nec vrgeat alioquin neceſsitas vtendi talibus ſignis ex diuino præcepto confitendi fidem, probabilius iudicamus tunc licere fidẽ celare, nõ vtendo talibus ſignis lege, aut conſuetudine præſcriptis.

Ad tertium. Negatur legem, aut conſuetudinem in eo caſu determinare ea ſigna, vt eorum vſus ſit profeſsio fidei impiæ: imò neque in caſu dicti tertij, quia ſicut non obligat lex illa, aut conſuetudo, niſi vt in plurimum, & regulariter, ſcilicèt quando non agitur de effugienda morte: ſic nec determinat vſum illorum ſignorum ad profitendam fidem impiam, niſi regulariter, & vt plurimum, & in caſu effugiendæ mortis manent illa ſigna in ſua indifferentia, ac ſi non eſſet lex, vel conſuetudo. Quare ad argumentum in forma negatur antecedens. Ad probationem negatur conſequentia. Diſcrimen inter placitum, ſeu legem circa voces, & circa facta: nam impoſitis vocibus ſemel pro omni euentu retinent ſuam ſignificationem, niſi ex condicto Reipublicæ deponerentur, ſecùs accidit in alijs ſignis, quæ lege imponuntur ad ſignificandum, aut conſuetudine: nam in caſu aliquo magnæ neceſsitatis non cenſentur ſignificare ea, ad quæ ſignificanda ſunt impoſita: eo quod leges humanæ, & conſuetudines, quæ habent vim legis, non obligant cũ mortis periculo, ſed regulariter, & vt plurimum.

(.?.)

A

B

C

D

DVBITATIO II.

Quintæ diſputationi generali annexa. De ingreſſu in templa infidelium, & de aſsiſtentia eorum ſacris, & ſimilibus.

DIco primò. Secluſo ſcandalo, aut Dei honoris læſione ingredi Synagogas Iudæorum, Phana idolatrarũ, MeZquitas Sarracenorum, etiam citra neceſsitatem effugiendæ mortis, aut cuiuſuis alterius mali euacuandi, non eſt peccatum contra confeſsionem fidei, aut religionis cultum. Probatur. Quia ingreſſus ille communis eſt infidelibus, & fidelibus: illis religionis cauſa, iſtis curioſè videndi res nouas cupiditate: ergo & ingreſſu non peccatur contra religionis cultum, aut fidei confeſsionem. Eadem ratione probatur non inuolui præfatis criminibus, qui ad ſpectandum tantum eorum feſtis, & contionibus, & cœtibus interſunt, ſi tamen ſcandalum caueatur, quod eueniet, ſi fideles infirmi putent, fideles aſsiſtentes Paganorum ſacris cum eis paganizare, aut ipſi Pagani cenſeant perſonam fidelem magnæ autoritatis eorum infidelitati conniuere, ex quo fiat eorum conuerſio ad fidem difficilior. Item ſi timetur fideles aſsiſtentes in fide nutaturos. Quapropter cenſeo non eſſe immunes ab hoc periculo fideles plebeios intereſſentes contionibus hæreticorum: ſecus eſt de viris ſapientibus, qui eorum contionibus interſunt, vt inde capiant agnitionem ſuorum errorum, quos agnitos poſſunt facilius refutare. Præterea fideles infirmi deberent timere imbecillitati ſuæ fidei, qua fortè in conuentibus præfatis impiorum blaſphemantibus nomen Dei, aut Chriſti non auderent ſe opponere, eorum impietatem exprobrando.

Dico ſecundò. Non licet communicare infidelibus, eorum feſta ſacra, & ſolemnia concelebrando, aut eis quoquo modo adiuuando. Quare meritò inuehitur Tertullianus vbi ſuprà capit. 15. in eos fideles, qui in ſolemnitatibus Deorum, iubente Principe, ornabant fores, aut feneſtras lucernis, ac laureis ramis. Probatur: quia hoc idolatriæ cooperatio eſt, non ſunt autem dumtaxat culpandi ij qui talia agunt, verùm qui conſentiunt facientibus. *Tertullia.*

Meritò autem sciscitabitur quispiam, an fœminę Christianæ captiuæ apud Sarracenos, aut idolatras liceat dominæ suæ infidelis caudam vestium gestando genuflectere, quando hera sua genuflectit, aut adorat in idolorum phano? Ratio dubitandi est, quia genuflexio fœminæ captiuæ fit, quando hera sua genuflectit, aut procumbit coram idolo in eius delubro: sed genuflexio, aut procubitus dominæ suæ est actus manifeste idolatricus: ergo similiter genuflexio ancillæ. Respondetur tamē, eā genuflexionem ancillæ Christianæ (nisi ipsa ineptè referat in idolum) non esse idolatricam, neq; vllo pacto illicitam; sicut re vera est genuflexio heræ suæ: quia genuflexio dominæ ad idolum refertur, & mente, & ex circunstantia: at genuflexio ancillæ ad obsequiū solitum præstari dominæ suæ. Prior actio idolatrica est; secunda obsequij ancillæ ad dominam: quod si aliquam speciem mali videtur habere prorsus tollitur ex notorietate professionis Christianæ illius ancillæ, & obsequij præstari soliti. Probatur quod dicimus, nam extra phanum idoli genuflecten te domina coram Rege, & ancilla similiter, non esset actio idolatrica, sed obsequiosa: ergo idem dicēdum est, si fiat intra phanum. Secundò: nam pari ratione excusauimus à peccato Naaman volentem genuflectere in templo Remnon, eo quod Rege Asyriæ innitente super humeros Naaman, non poterat ipse sine Regis offensa, & inurbanitatis incursione, non genuflectere, quando ipse Rex adorans idola genuflectebat inni xus ipsi Naaman: erat enim mos apud Reges Asyrios incedere innixi proceribus sibi propinquioribus: sicut apud nos consueuerunt nobiles fœminæ innixæ brachijs famulorum. Hinc patet ad argumentum. Etenim illa actio Christianæ captiuæ non erat ad imitationem heræ suæ, vt ad idolum referebatur, sed erat actio obsequij debiti.

Sed quid si Christianus sub habitu Sarracenico occultatus esset in idolorū phano, timens autem ne agnitus Christianus occideretur, infidelibus genuflectentibus ipse genuflecteret? Respondeo, hoc dupliciter posse fieri, etiam secluso scandalo, & quamuis honor Dei non periclitaretur: vno modo communicando, & comparticipando eorum ritibus: putà quia sicut ipsi audito nomine Mahumeti genuflecterent, sic & ipse genuflecteret: & sicut ipsi audito Alcorano assurgerent, similiter & ipse faceret: & tunc citra dubium Christianus ille, & A professor sectæ alienæ, & idolatra esset. Probatur, tū quia eæ actiones hic, & nunc determinantur ad idolatricū cultū: tum quia nō possumus in eis aliam rationem considerare nisi imitationem, & communicationem in cæremonijs infidelium, at verò si in ingressu templi omnes genuflecterent, & ipse genuflecteret semel, non referens illam genuflexionem idolo, sed Deo vero, fortasis propter effugiendam mortem, posset à peccato idololatriæ excusari, secluso scandalo, & contēptu honoris diuini. Probatur, quia sicut ingressus in templū idolorum cō B munis est fidelibus, & infidelibus & ex eo nō colligitur ingredientem idola colere: sic & genuflexio separatim cōmunis est fideli bus, & infidelibus. Secundò, quia illa genuflexio facta semel in ingressu templi, non est imitatio, nec habet vnde colligat quis, es se imitationē ritus infidelium: ergo manet in sua indifferentia ac si fieret extra tēplū.

DVBITATIO III.

Quintæ disputationi generali annexa. De communicatione fidelium cum infidelibus in victu, & cibis idolis immolatis. C

RES hæc controuersa est, temporibus Apostolorum, & ætate proximè sequenti, quando pauci Christiani inter multos Gentiles degebant, vt videre licet apud Apostol. 1. ad Corinth. 8. & 10. an Christianis liceret comedere idolothyta, id est, cibos idolis immolatos? Qua in re ex doctrina Apostoli 1. Co. 8. & 10.

Dico primò, nequaquam licitum esse fidelibus vesci idolothytis in honorem idoli, sicut & Gentes faciebant. Ita D. Paulus vbi supra maxime capite 10. *Quæ immolant* D *Gētes* (ait Paulus) *Dæmonijs immolant, & nō Deo: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* Item Patres vicini temporibus Apostolorum, Irenęus libro 1. capite 1. circa medium Origenes libro 8. contra Celsum, Cyprianus in sermone de lapsis. Quid testimonijs opus est in re tam clara, cùm honor idoli quomodocunque exhibeatur ipsissima idolatria est? *Irenæus. Origenes. Cyprian.*

Dico secundò, idolothytis vesci secluso scandalo proximorum, aut substractione diuini honoris, nullum peccatum est.

Prio-

Priorem partem approbat Diuus Paulus. 1. ad Corinth. 10. illis verbis: *Omne quod in macello venit manducate, nihil enim interrogantes propter conscientiam, Domini est terra, & plenitudo eius.* Quod alibi expressiùs dicitur: *Omnis enim creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, &c.* Et ratione probatur. Nã immolata idolis suapte natura ordinata sunt ad hominum sustentationem, & ex hoc quod idolis immolentur, nec acquirunt benedictionem, neque maledictionem, quia vt ait Paulus ad hoc propositum: *Scimus, quia idolum nihil est, & immolatum idolis nihil est*, id est, nullam virtutem salubrem, aut noxiam ex immolatione acquirit, sed in sua natura permanet: ergo per se loquendo idolothytis vesci nullum peccatum est, neque participatio criminis cum infidelibus. Secundam dicti partem approbat, & exaggerat idem Apostolus locis citatis, maxime c. 10. *Si quis infidelium*, ait Apostolus, *vocat vos ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicauit, & propter conscientiam, conscientiam autem dico, non tuã, sed alterius.* Sed explicare oportet quando hoc contingat scandalum. Accidit namque, quãdo adstantes epulis sciunt comedentẽ idolothyta benè agnoscere illos cibos fuisse idolis immolatos: nam fideles infirmi, & plebei putabũt comedentem id facere in honorem idoli, & fortasse ad idem faciendum incitabuntur, aut in fide nutabunt, credentes eum qui vescitur idolothytis ad infidelitatem conuersum: item infideles adstantes idem existimabunt: quapropter non licet comedere propter scandalum, nisi vescens sit in extrema necessitate constitutus; cui poterit occurrere, quidquid sit de scandalo aliorum, siue illa necessitas sit famis causa, siue quia non vescens si deprehendatur esse Christianus occidetur, vt superius dixi circa tertiam assertionem. Quod si scandalum non oriatur, aut quando oriri timetur remoueatur, etiam si vescens idolothytis sciat cibos fuisse idolis immolatos sine vllo crimine pascitur illis, vt expressè colligitur ex Apostolo vbi suprà.

Paulus.

Dubiolo præfato affine est aliud, an nostris hisce temporibus quando recentiores hæretici damnant à carnibus abstinentiam diebus Quadragesimalibus, aut ferijs sextis, liceat viris Catholicis itinerantibus per hęreticorum prouincias, ne deprehensi, & aniti esse de numero Catholicorum occidantur, comedere carnes in diebus Quadragesimalibus, aut Veneris? Nec hoc discrimẽ inaniter timetur. Solent enim hæretici, vt refertur, hospitijs asssistere illis diebus, vt ex eo signo explorare possint, qui Catholici sint, qui verò hæretici. Cui dubitationculæ satisfacio dicens, eum Catholicum qui hospitatorem afferentẽ carnes in prefatis diebus potest decipere, aliquas prætexendo excusationes quare carnibus non vescatur, nequaquam peccare: quinimò etiam si excusationes mendaces sint non erunt mendacia illa pernicioſa. At verò si excusationes non suppetant, nec admittendæ credũtur, licitum est carnibus vesci illis diebus sine vllo peccato ad vitandam mortem, vel quidpiam simile malum. Probatur. Leges humanæ non obligant cum vitæ discrimine, nisi earum transgressio vergat in magnũ boni communis detrimentum, vt communiter tenetur à Diui Thomæ interpretibus. 1.2.q.96.art.4. sed lex de abstinentia carnium in dictis diebus humana est: ergo, &c. Confirmatur. Nam & leges diuinæ positiuæ id ipsum habẽt: etenim 1. Machab. 2. legitur Mathatiam legem de feriando diebus Sabbathi non obseruasse belli tempore. Et Dauid 1. Regum. 21. panes propositionis comedit tempore grauissimæ necessitatis, quos comedere laicos prohibebat lex diuina.

1. Mach. 2.

1. Reg. 21.

Dicet quispiam: esto lex abstinentiæ nõ violetur, sed tamen violatur præceptum de confitenda, aut non zelanda fide, siue de non profitenda secta hæreticorum, quę omnia ibi reperiuntur; maximè, quia ipsi hæretici ex eo signo dignoscere volunt Catholicos, putantes si vescantur carnibus Catholicos nõ esse, sin minus Catholicos esse. Respond. Abstinere à carnibus in diebus ab Ecclesia prohibitis nõ esse certũ signũ professionis Catholicæ, nã multi Catholici eis vescuntur in eisdem diebus, quidã infirmitatis, quidã verò voluptatis gratia. Similiter comedere carnes illis diebus, non est certũ symbolum hæreticorum, nam ipsi poterũt abstinere ab eis nullo habitu respectu ad Ecclesiasticas leges circa delectum ciborũ. Quod verò hæretici velint illo signo Catholicos explorare, ex malitia eorum prouenit: non quia abstinentia, aut comestio certum symbolum sit Catholicæ professionis, quare Catholici ad effugiendam mortem sine peccato poterunt comedere carnes, peregrinantes per Prouincias hæreticorum.

corum. Et propter consimilem rationē poterit Sacerdos interrogatus, an sit Sacerdos? & Monachus, an sit Monachus? id negare sine transgressione præcepti confessionis fidei: quia ad negationem sacerdotij, aut monachismi non sequitur negatio fidei veræ, nisi ex malitia Hæreticorum interrogantiū, erit tamen mendacium officiosum.

Multo aliter dicendum est, si tyrannicè in odium legis Ecclesiasticæ, & consequenter nostræ fidei, compellantur orthodoxi vetitos cibos comedere: tunc enim fortiter mors subeūda est, potius quam eis cibis vesci; non propter transgressionem abstinētiæ vitandam, sed quia instat præceptū confessionis fidei, & potestatis eius ad ferendas leges circa ciborum delectum. Propter quod
2. Machab. 6. Eleazarus fortiter occubuit, non consentiēs simulationi suasæ ab amicis vt fingeret se comedisse carnes porcinas vt tyrānus iusserat.

DVBITATIO IIII.

De communicatione fidelium cum infidelibus in negotiationibus, commertijs, & contractibus.

QVam non esse vniuersaliter prohibitam, stando in iure naturali, aut diuino nemo est qui ambigat: aliàs, vt ait Apostolus 1. ad Corinth. 5. vbi
1. Corint. 5. esset magna infidelium multitudo, vt in locis vbi idolatria viget, oporteret de hoc mūdo exire. Quod in dubium vertitur est: An liceat communicare cum infidelibus in operibus infidelitatis, suppeditando videlicet illis venditione, aut alio quouis genere cōmutationis, ea quibus constat eos abusuros ad cultum superstitiosum suæ sectæ? v. g. vendendo Iudæis agnum instante Paschatis tempore, aut idolum alicui Gentili.

Et videtur pars negatiua vera. Primò ex
Tertul. Tertulliano lib. de idololatria, cap. 11. vbi vehemēter inuehitur aduersus eos, qui quæstus gratia mercimonia vendunt infidelibus necessaria ad cultum idolorum. Secundò, quia cooperator ad malum aliquod, eiusdē criminis reus est cum operatore: iuxta illud *Non solùm sunt digni morte qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Sed infidelis vtentes rebus sibi venditis ad cultum superstitiosum, violatores religionis sunt: ergo & vendentes.

Caietanus Dubitationem hanc Caietanus determinat 2.2. q. 10. art. 4. & distinguit: nam res, quæ infidelibus venditur, aut quoquo modo porrigitur, de se determinata est ad vsum superstitiosum, vt idolum, vestis sacerdotalis, & huiusmodi: & tunc ait has res vendere infidelibus peccatum esse contra religionem. Probat ex Diuo Thoma infra q. 169. art. 2. ad 4. Aut verò res illæ sunt indeterminatæ ad bonū, & malum vsum, vt herbæ, flores, animalia, &c. & tunc si has res vendat ea intentione, vt infideles his vtantur ad superstitionem, esse peccatum contra religionem planum est: quia est directè cooperari superstitioni infidelium. Si verò non hac intentione vendant, sed scientes his abusuros infideles ad superstitiosum cultum, ait nullum esse peccatum. Probat, quia sic vendens non cooperatur ad malum directe, neque indirectè: ergo nequaquam peccare dicendus est. Antecedens quoad primam partem probatur: quia res illæ indifferentes sunt ad bonum, & malum vsum, & ex parte voluntatis abest consensus, vt infideles habeant opportuna ad sacra sua, quia non ea intentione vendit, sed tantùm vt vendat merces suas. Quoad secundam partem probatur idem antecedens, quoniā voluntarium indirectè tunc in proposito accidit, quando quis potest prohibere malū vsum rei indifferentis, & tenetur: hoc autem non ita se habet in præsenti: quia licèt posset prohibere, tamen ad vendentem nō spectat prohibere ritus illos: & ideò potest exequi ius suum vendendi, aut quocunque modo largiendi res suas, quæ possunt habere bonum vsum: aliàs necesse esset eos, qui aliquas merces vendunt, semper esse solicitos, vtrum emptor sit eis bene vel male vsurus. Ex eisdem principijs colligere licebit, non licere Synagogas Iudæorum, phana Gentilium, aut delubra Sarracenorū, quæ Mezquitas vocant, ædificare, aut reficere; item neque sculpere, aut pingere sal sos Deos, Martem, Venerem, &c. quia hæc ad malum vsum per se deputata sunt. Vnde
Tertul. Tertul. in libro de idololatria, cap. 4. *Omnis idoli artifex eiusdem, & vnius est criminis.* Et paulò post: *Quicquid idolatra committit, in artificem quemcunq; & cuiuscunq; idoli, deputetur necesse est.*

HæcCaietani sententia ab omnibus post illius tempora approbatur, vno excepto Gregorio de Valencia in 2.2. quæstion. 10. disputation. 1. puncto 5. qui ait, Caietanum non attigisse id, ex quo ista quæstio explicanda est. Et argumentatur contra illum. Primò, quia quando Caietanus ait quasdam esse res determinatas ad malum vsum, vel loqui-

D. Thom.

Valencia.

loquitur de determinatione ex natura rei, & tunc nulla res eſt prorſus determinata ad malum vſum: nam & idolo poteſt infidelis rectè vti, ad comburendum nimirum, vel ad memoriã, &c. Aut loquitur de determinatione morali, quæ nimirum oritur ex propoſito voluntatis hamanæ deſtinantis rẽ ad malũ vſum: & tunc res omnis qua certò ſcit infidelem eſſe abuſurum (ſicut ponimus in caſu) dici poteſt ad malum vſum determinata. Fortaſſe poſſet quis dicere pro Caietano: quod res prioris generis, vt idolum, non ſolùm determinantur ad malum vſum per voluntatem ipſius, cui conferuntur: ſed etiam per voluntatem aliorum eas inſtituentium ad malos vſus. Contra hoc obijcit præfatus autor, hoc eſſe per accidẽs in noſtro propoſito, ſatis nãque eſt, quod res ex propoſito voluntatis alicuius, vel aliquorũ ſit deſtinata ad malũ vſum. Prob. nã ſi illicitũ eſt ſuppeditare infideli rẽ ex inſtituto aliorum determinatam ad malum vſum; ideò illicitũ eſt, quoniam inde fit certum, quod ſequitur illius malus vſus: hoc autem cum etiam certum ſit (vt ponimus) quãdo ex ſola voluntate accipientis res deſtinatur ad malum vſum: illicitum quoque erit in eo caſu ſuppeditare rem: ſi vt vult Caietanus eſt quæſtio explicanda ex illa determinatione. Iſte ergo autor aliter ad quęſtionem reſpondet, diſtinguendo de cauſa qua inducitur aliquis, vt rem ſuppeditet infideli: nam vel illa eſt rationabilis propter neceſsitatem aliquam, &c. vel non. Si eſt rationabilis, licitum erit ſuppeditare infideli rem quãcunque quouis modo deſtinatam ad malum vſum. Ratio eſt: quoniam non tenetur quis cum notabili detrimento conſulere ſpirituali indemnitati alterius: ſed poteſt commoditatem ſuam expectando, negligere lapſum alterius ſpiritualem: atque adeò tunc non cooperabitur alteri, ita indirectè vt peccet: nam etſi potuiſſet vitare alterius lapſum, nõ tenetur tunc. Si verò quis non habeat cauſam rationabilem, cur ſuppeditet rem infideli, qua is eſt abuſurus, peccabit ſuppeditando, cuiuſcunque conditionis res ſuerit. Ratio eſt: quoniam ex charitate tenetur quilibet, quantum in ſe eſt, impedire peccatum proximi, ſi hoc poteſt abſque notabili detrimento ſuo: atque ita in propoſito caſu tenetur abſtinere à tali ſuppeditatione, & ſi non faciat cooperabitur indirectè, & peccabit.

Deſiderarem ab hoc autore ſcire, quod eſſet, & cuius qualitatis illud detrimentum, vnde iudicandum eſt cauſam eſſe rationabilem, vel irrationabilem, qua inducantur fideles ad ſuppeditandum infidelibus eas res quibus ſciunt vſuros ad ſuperſtitioſum cultum? fortaſsis non intelligit extremam neceſsitatem, vel graue, ſed aliam; putà quod fideles non commodè vendẽt merces ſuas; vel quidpiam ſimile. Et hoc poteſt colligi ex his quæ in materia de vſura ait idem autor diſputat. 5. Huius opinio mihi non probatur, in eo potiſsimè quòd aſſerit fidelibus licere ob mediocrem neceſsitatem vendere infidelibus idola, ſtolas Sacerdotales, & alia inſtrumẽta de ſe determinata ad vſum ſuperſtitioſum. Prob. autem nunquam eſſe licitum, primò ex D. Tho. id aſſerente expreſsè infra quæſt. 169. ar. 2. ad 4. Reſpondet præfatus Valentia D. Thom. dotrinã eſſe intelligendam de eo qui huiuſmodi res ſuppeditat ea intentione, vt alteri ipſis abutantur. Et confirmatur hæc expoſitio D. Thom. nam ait tales directè cooperari ad malum: nequit autem intelligi hac directa cooperatio ſine prædicta intentione. Bone Deus! quàm longè abeſt à mente D. Thom. hæc expoſitio, condemnat enim ibi artes & artifices, qui verſantur circa res, quarum non poteſt eſſe bonus vſus, vt idola emant, neque artes eſſe licitas, neque artificum vſus, nullam faciens mentionem de mala eorum intentione: nam ſub ea ratione quàm plures alias artes, & artifices condemnaret: quæ tamen in eodem loco approbat; nec citatur fideliter ſanctus Doctor. Non enim ait tales artifices idolorũ cooperari directè ad malum: ſed directè præbere alijs occaſionẽ peccandi: & eſtò hoc idẽ ſit, nõ aduertit præfatus autor dupliciter directè aliquẽ cooperari poſſe ad malum vſum: vno modo, præbẽdo alteri rẽ ea intentione, vt is qui accipit, male vtatur ea, ſiue res ſit determinata ad malũ vſum, ſiue non. Secũdo modo ſuppeditando rem ad malũ vſum deſtinatam de ſe, & tunc quamuis ſuppeditans putet ſe habere bonam intentionem, decipitur: quia malam habet offerendo alteri inſtrumenta peccandi, vt ſuperius docuimus de eo qui offert ſacrificium idolo ſimulatè, & non intendendo illud colere. Et iſto ſecundo modo directè cooperatur cultui ſuperſtitioſo, vendens infideli idola, aut ſtolam Sacerdotalem. Et ſic eſt intelligendus Sylueſter verbo infidelitas, quæſt. 4. vbi loquens de artificibus idolorum ait, eos peccare quando ea fabricant intentione ſuperſtitioſi cultus: ex quibus verbis videtur colligi,

A B C D

D. Tho. *Valentia.* *Syluester.*

ligi, quod aliquando fabricant ea ſine hac intentione. Sed vide quod ſubdit: *Sed non eſt ratio quare alia cauſa fiant*, ac ſi diceret, facere ea habet annexam hanc intentionem ſuperſtitioſi cultus, & pariter diceret, vendere ea, habere eandem intentionem annexam. Non enim video, ſi licet vendere, quare non liceat ad vendendum facere: quod ſi non licet facere, neque licet vendere. Sed quidquid ſit de Sylueſtro, qui in principio dubij non loquitur de rebus deſtinatis ad malum: ſententia D. Tho. aperte fauet Caietano, & nobis.

Secundò, ex ſentētia illius moderni ſequitur: fideles poſſe adiuuare infideles in ſuis ſuperſtitioſis ritibus: verbi gratia, ſi fidelis manibus victum quærat, poterit fabricare idola, iugulare victimas, ignem præparare, & ſupponere. Probatur, quia nihil iſtorum de ſe determinatur ad ſuperſtitioſum cultum, cùm iuxta mentem iſtius nulla res per ſe determinata ſit ad malum vſum; & ex alia parte rationabilis adeſt cauſa id faciendi, nēpe vt quærat ſibi victum. Conſequens autem quàm ſit abſurdum de ſe patet, & perdoctè docet Tertullianus libro de idolatria à capite 3. vſq; ad octauū, vbi eiuſdem criminis reos eſſe ait idolorum artifices, atque ipſos idolorum cultores, nec excuſari permittit, quia ipſi artifices neque colunt, neque ob aliud faciunt niſi vt ſibi victum quæritent. Item Eccleſia octaua die Nouembris celebrat Martyrium ſanctorū Claudij, Nicoſtrati, & ſociorum, qui necati ſunt, quia noluerunt ſimulachra Gentilibus facere, cùm eſſent peritiſsimi ſtatuarij.

Tertul.

Tertiò etiam ſequitur fidelem volentem vendere imaginem Crucifixi, aut Diuæ Virginis, vt ſibi & ſuis prouideat alimoniam: ſi non reperiat emptorem niſi infidelem, quē ſcit emere, vt contumelioſe tractet eas imagines, poſſe licitè eas vendere infideli illi: conſequens duriſsimum eſt: ergo, &c. Probatur autem ſequela, quia ex mente præfati autoris in his rebus vendendis, ſi adſit rationabilis cauſa, qua inducatur quis ad vēdendum res ſuas, negligendus eſt malus vſus ementis. Dicet fortaſſe, id eſſe intelligendum, quando ritus infidelium tolerantur à Republica: At illi ritus quibus admiſcetur blaſphemia, aut ludibria erga res veré ſacras noſtræ Religionis, non tolerantur ab Eccleſia. Contrà: ſit caſus, & argumentum procedat in illis locis, vbi dominantur infideles, qui (velint nolint fideles) tolerantur in omnibus ſuis ritibus.

Ad argumenta, quæ iſte Doctor obijcit contra Caietanum, reſp. dando ſecundum membrum. Etenim illa deſtinatio aliquarū rerum ad ſuperſtitioſum vſum ex volūtate praua, non illius qui illa re modo malè vtitur: (nam multis ante ſeculis hæc deſtinatio facta eſt ab inuentoribus ſuperſtitioſi cultus,) ſed à voluntate primò inſtituentiū, & deſtinantium eas res ad ſuperſtitioſum cultum accedente conſenſu, & approbatione totius Reipublicæ; quæ admiſit illas res nullos alios per ſe habere vſus, niſi ſuperſtitioſos illos, de quibus agimus, quemadmodum voces deſtinatæ ſunt ad ſuas proprias ſignificationes, & nō ad alias: nō ex natura rei, ſed ex impoſitione approbata ab habente autoritatem, & vſu recepta apud eam nationem, quæ illis vocibus vtitur. Et quando obijcit, hoc eſſe per accidens, negatur, ſed per ſe in materia morali: & ad probationem negatur maior, ſi vt iacet intelligatur. Pro quo nota, quod dupliciter ſequitur malus vſus alicuius rei in propoſito de quo agimus: vno modo tantum ex parte accipientis rem indifferentem ad bonum, & malum vſum: verbi gratia, agnum, & eo vtentis ad cultum Iudaicum: & tunc malus vſus tantùm tribuitur accipienti, non verò ſuppeditanti. Secundo modo: tam ex parte ſuppeditantis rem, quàm ex parte accipientis; & hoc dupliciter. Primo modo, quando quis ſuppeditat infideli rem indifferentem ad bonum, & malum vſum, ſed ea intentione, vt infidelis ea re vtatur ad ſuperſtitioſum cultum; & tunc malus vſus tribuitur tā ſuppeditanti, quàm accipienti. Secundo modo: quando quis ſuppeditat infideli rem per ſe determinatam ad ſuperſtitioſum cultum, non ea intentione vt illa abutatur, ſed tamen ſciens ea abuſurum: & in hoc caſu ſuperſtitioſus, & malus vſus, vtrique tam fideli, quā infideli tribuitur. Quod infideli tribuatur clarum eſt: quod verò fideli, probatur; quia exhibet rem quæ ſecum affert ſuperſtitioſum vſum, & cui annexus eſt ille malus vſus, vt ſi traderet venenum mortiferum nullis bonis vſibus aptum. Igitur ad argumentum negatur maior, ſed quia ſcitur ſubſequūturum malum vſum tam ex parte accipientis, & vtentis re ad malum vſum, quàm ex parte ſuppeditantis eam rem: quæ cum per ſe ſit deſtinata, & inſtituta ad malum vſum, & illum habeat annexum, ipſe qui ſuppeditat reus eſt illius mali vſus, ſeclus eſt in eo, qui ſuppeditat rem indifferentem ad bonum, & malum vſum, ſi non

ordinet

ordinet suam suppeditationem ad eum ma A
lum vsum.

Ad argumenta verò in principio facta respondetur. Ad Tertullianum, in illo libro vt patebit legenti multa commemorat inter actiones idolatricas, quæ re vera eo vacant crimine: verbi gratia, vti vestibus magnificis pertinentibus ad dignitates, & magistratus, adesse spectaculis, solemnizare natales dies Imperatorum, & similia, quæ non esse idolatricas actiones compertum est. Quibus etiam aliquando indulsere sancti Viri, vt Daniel, & Iosepli, sed ipse Tertullianus degens tempore primitiuæ Ecclesiæ, quando fideles abstinebant à Pompis, magistratibus, vestibus pretiosis, ad quæ obtinenda anhelabant idotræ; zelo simplicitatis Christianæ, illo in tempore in victu, vestitu, & omni cõuersatione suadebat abstinere fideles ab his quibus infideles incũbebant: vocans actiones idolatricas, id est, quibus valde vtebantur idolatræ: vel fortassis vocat idolatricas actiones; quia in his miscebantur aliqua ad infidelitatis vsum pertinentia.

Ad secundum negatur consequentia: quando res sunt indifferentes ad bonum, & C
malum vsum, tunc enim fideles eas venden tes infidelibus, scientes eis abusuros, tãtum participant in contractu emptionis, & venditionis, non verò in superstitioso vsu, vtpote qui vtuntur iure suo emendi, & vendendi res indifferentes: tum etiam, quia ad eos non spectat prohibere infidelium malum vsum erga suos ritus.

Sed adhuc sententia Caietani, & nostra maioribus argumentis discutienda est. Primum sit: nam in capite *Iudæi*, & capite *consuluit*. de Iudæis, & Cod. de Iudæis l. vltima conceditur Iudeis reparare suas Synagogas: ergo artifices fideles poterunt eis suas ope- D
ras in tali ministerio præstare: ac proinde licitum erit res prioris generis eis suppeditare. Secundò. Is qui possidet rem, quæ potest bonis ac malis vsibus accõmodari, potest distrahere eam suppeditãdo cuicunque; etiãsi sciat eũ ipsa male vsurum. Sed nulla res in mundo est, quæ non possit aliquibus bonis vsibus accommodari: ergo semper, & quamcunque rem etiam prioris generis poterit fidelis vendere infideli, quamuis sciat ea abusurum. Maior videtur nota. Ex eo enim asseruimus res indifferentes ad bonũ, & malum vsum posse conferri infidelibus, quamuis sciamus eis abusuros. Minor verò probatur, quia *Omnis creatura Dei bona est*, vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 4. ac proinde *Paulus.*
ad bonos vsus conducens. Dices. Sunt quædam res ad malum vsum ex cõdicto Reipublicæ destinatę. Contrà, nam etiam istarum rerum determinatio ad malum, nequiuit adeò rigurosè fieri, quin multis vsibus bonis manerent aptæ: verbi gratia, idola lignea ad combustionem, omnes falsorũ Deorum imagines ad ornatum, & memoriam alicuius antiquitatis. Nec refert dicere, ad hos vsus destinari per accidẽs, vsus enim in istis rebus reperti sufficiunt, vt non omninò dicantur determinatæ ad malum; & vt vendens eas dicatur vendere res, quæ pos- B
sunt adaptari bonis vsibus. Tum quia potius isti vsus sunt sæpe magis connaturales rebus istis, quàm illi mali, ad quos dicuntur destinatæ: verbi gratia, vestes sacerdotales, vt homines ipsis induti protegantur à frigore: ergo potius aptitudo ad hos vsus dicenda est conuenire his rebus per se: aptitudo verò ad malos vsus per accidens. Confirmatur; nam de facto istæ res prioris generis, fiunt, venduntur, emuntur sine vllo peccato suppeditantis ea: ergo accommodabiles sunt bonis vsibus: alias nunquam liceret eas alijs suppeditare. Sicut si esset aliquod venenum mortiferũ, quod nulli bono vsui posset deseruire, id alicui suppeditare quoquomodo semper illicitum esset. Antecedens patet, quia modò aurifices multa simulachra effingunt, ac vendunt, & torquibus aureis appendunt, modò Martem, modò Cupidinẽ. Pictores itidem iam Venerem, iam Palladem, interdum Iunonem depingunt pro ornatu aularum: quos omnes asserere superstitiosos, aut idolatras non est æquum. Cõfirmatur secundò. Istæ res quæ sunt instrumenta superstitiosi cultus, vt idola, si vendantur infideli, cesentur applicata superstitiosis vsibus: si vendantur fidelibus non itidem, sed bonis enumeratis vsibus: ergo ex institutione earum ad malos vsus nõ est perpendendum, an sit licitum ea vendere, & quoquo modo commutare? sed ex voluntate expressa vtentium eis: si infidelis sit emens, præsumitur ea emere in malos vsus, & non licebit ei vendere: si verò fidelis, non erit contra illum præsumptio hæc, & licebit ei vendere.

Tertiò argumentor contra id quod diximus, nempe res quarum est bonus vsus licere infidelibus vendere, etiamsi fidelis vendens sciat infideles ea re ad suum superstitiosum cultum abusuros. Si quis vendat venenum, aut gladium ameti furioso, aut arma

bellica

bellica tempore iniusti belli, sciens empto res his male vsuros, peccat: ergo fideles, qui vendũt infidelibus eas res, quarum de se est bonus vsus, sciens infideles his rebus abusuros ad suum cultum superstitiosum peccant, & cooperantur superstitioni infidelium. Respondebit quispiam negando consequentiam: quia quando peccatum est cõtra iustitiam proximi, tenemur ex charitate defendere proximum, qui patitur iniuriam; sed tamen quando peccatum dumtaxat contra Deum committitur, non tenetur fidelis impedire: maximè quando à Republica illud crimen toleratur. Item etiam quando ad impediendum huiusce modi peccatum, debet se homo priuare aliqua actione, vel vtilitate sibi licita, non tenetur impedire. Quartò contra hanc responsionem. Si quis fidelis vendat imagines Christi, aut Sanctorum, putà imaginem crucifixi Christi infidelibus, sciens ea abusuros comminuendo, expuendo, vel alio cuicunque ludibrio exponendo, cooperatur blasphemiæ infidelium, cui aliàs tenebatur obstare, etiã cum vitæ discrimine: ergo si vendat rẽ quãtumuis boni vsus, qua scit infideles esse abusuros ad superstitiosum cultum, reus erit superstitiosi cultus, & cooperabitur infidelium peccato.

Quintò. Vnusquisque tenetur lege charitatis prospicere bono spirituali proximi, & vitare peccata ipsius, si id potest efficere absque notabili detrimento suo (vt in materia de charitate dicitur) ergo is qui scit infideles ad superstitiosũ cultũ emere aliqua, tenebitur saltem ex charitate non vendere, aut quouis alio modo suppeditare, quando non incurritur ex hoc aliquod notabile nocumentum: v. g. venditor, qui potest distrahere merces suas vendendo alijs, præter quàm Paganis, quando scit eos re empta abusuros ad superstitiosum cultum. Probatur consequentia: quia sic arcebit infideles à peccato superstitiosi cultus. Dicet quis. Infideles parati sunt ad cultum superstitiosum exercendum. Verum est: sed quotiescunq; illum exercent, de nouo peccant: & hæc noua peccata tenetur fidelis vitare ex charitate: si tamen id præstare potest sine notabili detrimento suo: sicut mulier pudica, quæ si vãdat ad Ecclesiam scit iuuenem impudicissimum in eius amorem insanum exarsurum, si sine notabili detrimento potest continere se domi, tenetur.

Ad primum: quidam illas Decretales interpretantur de Synagogis, quæ sunt speciales domus ad habitandum. Sed hæc expositio aliena est à mente Pontificum, vt patebit legenti: quia iuxta interpretationem datam etiam possunt Iudæi nouas ædificare Synagogas, quod ibidem prohibetur, sicut & reparare veteres in maiori amplitudine, altitudine, ac pretiositate, quod similiter non permittitur. Verus sensus illius decreti est, permissos esse Iudæos veteres Synagogas reparare per se ipsos, non labore, ac opere fidelium: quodsi permitantur fideles id efficere, meminisse oportet ex permissione non inferri approbationem operis: multa namque mala permittuntur.

Ad secundum benè ibi respondetur. Artificiata vt sic nullum vsum habent, nisi illũ ad quem ex voluntate inuentoris ordinantur, accedente tamen consensu, & approbatione Reipublicæ; vt sic consuetudo quasi in alteram naturam vertatur: quodsi aliquando alijs vsibus accommodentur id per accidens est, id est non ex institutione, quã vt artificiata habent, sed aliunde, & quasi materialiter: v. g. quando idola lignea sunt, aut marmorea, vel propter aliquid simile. Quapropter quotiescunque alicui suppeditantur, per se, id est attenta institutione eorum, ad malum cooperatur suppeditans; per accidens verò excusatur à crimine: quia ex circunstantijs nascitur, vt illa artificiata non veniant in vsum, secundùm suam institutionem, & determinationem ad superstitiosum cultum: & hoc liquidò apparebit, si aduertas, artes fabricandi ea artificiata superstitiosa, illicitas esse. Igitur ad replicas secundi argumenti respondetur. Ad primã negando istæ artificiata superstitiosa per se manere apta bonis vsibus, sed tantùm per accidens, & quasi materialiter. Ad secundã respondetur. Si hæc instrumenta superstitiosa considerentur vt artificiata sunt, per se destinantur ad vsum superstitiosum. Cætera verò materialia sunt, & materialiter, & quasi per accidens considerantur. Ad confirmationem respondetur, negando antecedens, si illæ res artificiatæ per se considerẽtur: semper enim per se est illicitum, isto pacto eas suppeditare. Si verò considerentur per accidens, ratione alicuius materialis, vel extrinseci, conceditur antecedens, sed negatur consequentia. Fateor tamen, si modò essent aliqui artifices, qui nihil aliud scirent operari, nisi instrumenta superstitionis: verbi gratia, idola, stolas

facer-

Sacerdotales, & similia, non essent ferendi: & artes eorum essent illicitæ in omni casu, & hinc colligitur istorum per se esse vsum malũ. Quod statuarij ac pictores sculpant, aut pingant isthæc, pro aliquo vsu accidentario, peccatũ nõ est superstitionis: essent tamẽ relegãdę similes sculpturæ, aut picturę à Christiana Republica, quia multorũ malorũ occasionem præstant: obscœnitatis nempe, aut prophanitatis: & vt minimum, sapiunt mores Gentilicos. Ad secundã confirmationem negatur antecedens: quin potius ista instrumenta superstitionis siue vendantur fidelibus, siue infidelibus, per se censenda sunt esse applicata superstitioso cultui. Per accidens verò est, quod interdum quando fidelibus venduntur ad vsus quosdam per accidens, non vtantur eis, pro vsu eorum per se illis conuenienti.

Ad tertium benè ibi respondetur. Ad quartum negatur consequentia: nam blasphemias formales, & expressas Dei, tenetur quis pro virili vitare: fortasse obligante præcepto confessionis fidei, aut honorandi Deum: blasphemias verò virtuales, quales sunt superstitiosi cultus, nõ itidem. Quinto argumento conuincuntur quidam, vt existiment, vendentes, aut suppeditantes infidelibus res posterioris generis, quarum vsus est per se bonus, si tamen sciãt eis abusuros ad superstitiosum cultum, etsi non peccent contra religionem, peccant tamen contra proximi charitatem: dummodo possint abstinere à talisuppeditatione, sine notabili iactura sua. Ego vero dico: quotiescunque motiuum bonum, ad eam suppeditationem, siue illud habeat rationem boni honesti, siue vtilis, aut delectabilis, non peccare etiam contra charitatem. Itaque vendens res præfatas, non tenetur etiam lege charitatis proximi, priuare se commoditate vendendi, ne infidelis peccet abutendo rebus emptis ad superstitiosum cultum. Hoc dictum palam fit in petente ab vsurario parato ad vsuras, vt vacet ludis, aut comestionibus (de quo in materia de vsura) modò verò probatur: quia aliàs negotiandi ars releganda esset à Christianis in locis vbi multitudo infidelium commoratur: cùm semper Christianus venditor solicitus esse deberet, an venderet mercimonia sua infidelibus abusuris eis in suis ritibus, necne? maximè, instante tempore quo infideles sua sacrificia superstitiosa solent celebrare.

Quid si vendens, aut quouis alio modo suppeditans præfatas res infidelibus, quos scit eis abusuros nullo bono motiuo compulsus, aut ductus, id faciat? Respondetur: tunc re vera cooperabitur superstitioni, & contra charitatem proximi delinquet, ponens illi offendiculum peccati: etenim sublato omni motiuo habente aliquam rationem boni, necesse est habere expressam, aut implicitam intentionem, suppeditandi materiam superstitiosi cultus, quod est directè dare occasionẽ peccandi. Quorsum enim vendit nullo motiuo bono ductus, nisi vt emptori superstitioso cultui deseruiat? Igitur ad argumentum respondetur negando maiorem, si vt iacet intelligatur, cuius falsitas manifestatur in petente vsuras ab vsurario parato: etiam si vsurarijs pecunijs velit vti ad prodigos vsus. Secundò respondetur: quando venditor scit Paganum, aut Iudæum, vel Sarracenum, vsuros his mercibus, hic & nunc, ad superstitiosum cultum, quamuis non vendat, non liberatur à peccato superstitionis: quia voluntas eorum pro facto reputatur. Vnde admisso antecedenti, negatur consequentia: quia ex eo quòd non vendat illis infidelibus, non prospicit eorum saluti spirituali. Fateor tamen, quod si in aliqua Prouincia esset idololatria funditus euertenda, ex eo quod fideles non suppeditarent infidelibus necessaria ad idololatricum cultum: tunc tenerentur non suppeditare, nisi grauissimum incurrerent detrimentum: lege tamen qua tenẽtur augmẽto fidei prospicere, & fortasse quãdo scirent fideles aliquem infidelem à superstitione cessaturum, quia bonum illud præponderat maximæ commoditati venditionis: secus contingit in alijs casibus. Et hæc de hac quæstione difficili.

Non extra chorum saltaremus, si disputationem instituissemus, ad vindicandum cultum animarum sanctarum, & Angelorum ab idolatriæ crimine; quod orthodoxis obijciunt impij Lutherani. Sed de hac re disputãdum censui inferius quæstione 103. modò verò satis nobis sit cum Diuo Thoma in articulo hoc asserere: cultum quem nos sanctis hominibus, & Angelis exhibemus, non ad latriam pertinere, neque ad honores diuinos: quo fit, vt nullo modo idolatria censeri debeat; cuius essentia sita est in exhibendo diuinos honores creaturæ, sicut summo Deo, per latriæ virtutem: sed loco citato latius. D.Tho.

DIS-

DISPVTATIO VI. PRINCIPALIS.

An cultus, quem in more habet Ecclesia circa imagines sit idolatricus?

HAEC disputatio adhunc locum directè pertinet, indicataque est à D. Thom. in argum. 1. huius articuli, & est apprimè necessaria, quoniam eum vt talē ferè omne infidelium genus eiecit: Iudæi, Sarraceni, Hæreticique plurimi. Qui omnes ab orthodoxis Iconomachi, id est, imaginum destructores, siue expugnatores appellantur. Horum præcipua, & blasphema capita, longum esset recensere; auidus Lector poterit euoluere Bellarminum tom. 1. controuersia 7. lib. 2. c. 6. & Gabrielem Vazquez, è Societate Iesu lib. 2. de adoratione, disputat. 2. ca. 1, 2. & 3.

Bellarm. *Vazquez.*

In his Iconomachis expurgandis, & imaginibus defendendis, egregiè laborarūt Catholici Patres, ac Doctores: nos verò in tam vasta materia, & perutili, cupientes breuitatem cum sufficienti huius rei notitia componere, huic controuersiæ aliquot dubitationes præuias præmittemus, & affigemus.

DVBITATIO I.

De vsu imaginum absolutè, sit ne licitus, an illicitus? sit ne antiquus, an modernus? & ob quos fines retinendus?

MAhumetani, & quidam Iconomachi Imperatores sequentes Iudæos præcipuos expugnatores imaginum Christianorum, dicunt, iure diuino esse prohibitum omne imaginum genus. Ita refert Paulus Burgensis 2. additione ad Lyranum Exod. 20. sequūtur Vviclephistæ apud Vvaldensem tom. 3. titulo 19. capite 152. Argumentum desumitur pro his ex 20. cap. vbi iubet Deus: *Non facies tibi sculptibile: neque omnem similitudinem, &c.* Caluinus verò libro 5. institutionum asserit c. 11. quem sequuntur alij Hæretici, imagines non esse prohibitas absolutè, & simpliciter. *Possunt* (inquit) *depingi aliquot historiæ dumtaxat ad instruendum de rebus gestis.*

Burgensis. *Vvaldens.* *Exod. 20.* *Caluinus.*

Sit tamē nostrum assertum Catholicum. A principio nascentis Ecclesiæ vsque nunc, laudabiliter extitêre quamplures imagines, etiam sine indicatione alicuius historiæ.

Pro expositione huius dicti notandum est, imagines aliquando fabricari ad aliquam historiam sacram denotandam: verbi gratia, si depingatur Christus sedens super asinam, suis comitatus discipulis, Hierosolymam cum acclamatione turbarum ingrediens. Aliquando verò fabricantur solitariè sine vlla historiæ insinuatione: vt si depingatur Christus Dominus Crucifixus, aut Beata Virgo. Ait igitur Caluinus vbi supra, huiusce modi solitarias imagines ad nihil esse vtiles: ac proinde non fuisse in vsu primis quadringentis annis Ecclesiæ Christi. Cōtra quem Hæreticum, nostrum assertum firmatū est. Probaturque primò. Nam viuente Christo Domino, tres ipsius imagines esse factas, etiam extrà historiam, Historiographi fidedigni asserunt. Prima dicitur fuisse facta ab ipso Christo Domino, admouente linteum faciei suæ, quam misit Regi Agabaro. Ita narrat Euagrius libro 4. capite 26, & Metaphrastes, in vita Constantini Magni, & Damascenus libro 1. de imaginibus, & libro 4. fidei ca. 17. Testantur etiam Stephanus, & Adrianus Pontifices apud Iuonem 4. parte sui decreti capite 83. & in libro Adriani de imaginibus habetur in 3. tom. Conciliorum, & Nicephorus libro 2. Historiæ, capite 17. qui cum Euagrio addit, miracula ingentia fuisse facta ad illius imaginis præsentiam. Secunda est, quam apud Paneadem mulier liberata à fluxu sanguinis Christo dicauit, quam & Christus, & Apostoli sæpe viderunt: testis est Eusebius libro 7. historiæ capite 14. qui eam se vidisse asserit: meminit eiusdem Sozomenus lib. 5. cap. 20. Damascenus lib. 3. de imaginibus. Theophilact. in cap. 9. Matthæi: quam historiam recepit septima Synodus actio. 4. cuius meminit Nicephor. lib. 6. historiæ ca. 15. Tertia est, quam dicitur Nicodemus fecisse, & quæ postea à Iudæis lancea confossa, & ab ea sanguis profluxit, quo deliniti, multi mente, & corpore sanitati sunt. Historiam refert D. Athanasius in libello de Passione imaginis Domini, c. 4. & quāuis ab aliquibus dubitetur, an opusculum illud sit Athanasij non potest dubitari esse alicuius antiquissimi scriptoris veridici, siquidē citatur, vt antiquissima historia, & approbatur in septima Synodo act. 4.

Euagrius. *Metaphra.* *Damasc.* *Stephan.* *Adrian.* *Nicephor.* *Eusebius.* *Sozomen.* *Damasc.* *Theophil.* *Nicephor.* *Athanas.*

Præter

Præter has, communis traditio tenet, D. Lucam, Chriſti, & eius matris imagines pinxiſſe: meminit harum Theodorus Lector, qui ante mille annos extitit lib. 1. Collectanearum. Nicephorus lib. 2. hiſtoriæ cap. 43. & lib. 6. ca. 16. & lib. 14. c. 2. & Simeon Metaphraſtes in vita S. Lucæ. Hoc ipſum, vt vera traditio, à principio naſcētis Eccleſiæ, ad noſtra vſque tempora, habetur ex teſtimonijs Patrum, infra citandorum. Sed dicet Caluinus: quid vtilitatis reperitur in his imaginibus, quæ hiſtoriam non continēt, retinendis, ac conſeruādis, niſi oblectatio oculorum; ſicut in effigiebus Martis, aut Veneris? Reſpōdetur: vix reperiri in vſu Chriſtianorum aliquas imagines, quæ non contineant compendioſe hiſtoriam aliquā: v. g. puer Ieſus in ſinu Matris, in effigie viri alligati ad columnam, vel in Cruce pendentis. Secundò reſpondetur: eſtò imagines hæ nullam contineant hiſtoriam, earum retentio, magnas, & ingentes nobis confert vtilitates: ſcilicet, ad charitatem, & amorem erga Deum, & Sanctos excitandam, fouendā, & augendam: vt colligitur ex Gregor. lib. 7. Epiſt. 53. mittente imaginem Saluatoris Secundino, vt in amore eiuſdem Saluatoris inardeſceret. Secunda, ad excitandos intuētes ad imitationem, refricata memoria, geſtorum per imaginis prototypum. Hęc vtilitas commendatur ſeptima Synodo actione 6. extrema. Alias multas vtilitates conſultò omittimus: quia vel pertinent ad imaginū cultum, vel attingunt, de quo latior nobis habendus eſt ſermo. Modò tamen contendimus, licere depingere imagines, non ſolum eas, quę hiſtoriam continent, verùm & quæ nullam: eſtò non eſſent colendæ, vt inſaniunt Hæretici: quod licèt liquidò conſtet ex oſtenſione facta circa ſeriem continuatam, erga imaginum vſum, à principio Eccleſiæ ad noſtrā vſque tempora; tamen probatur ratione: Quia vſus imaginum Chriſti, & Sanctorum, vel eſt intrinſecè malus, ex natura rei, vel quia prohibitus lege poſitiua, diuina, aut humana; vel tertiò, quia inductiuus eſt ſcandali, aut periculi circa idolatriæ crimē: nihil iſtorū verū eſt: ergo, &c. Si primum: cur ergo depingere res prophanas nō eſt intrinſecè malum, & depingere res ſacras malum erit? niſi velis dā nare artem ſculpendi, aut pingendi, quod ineptum eſt. Secundum membrum clarum etiam eſt, ſi ſit ſermo de lege humana prohibente imaginum vſum, quæ nullibi talis extat: de lege verò diuina, in nouo Teſtamento clarius eſt non haberi: quin imò traditione, & vſu Eccleſiæ colligimus, vſum imaginum eſſe licitum. Quod attinet verò ad legem in veteri teſtamento, vel nulla talis fuit, aut ſi fuit (de quo infra) cæremonialis extitit. Vnde in lege gratiæ nullam obligationem inducit. Tertium membrum factum, de ſe patet: quia ſimili ratione probaretur, ſolem, lunā, & reliqua aſtra, ad vſum hominum mala eſſe, quia præcipua idolatriæ occaſio ab eis deſumpſit originem. Itē, quia modò non extat tale periculum, aut occaſio: cuius rationem ſtatim reddemus.

Theodor. *Nicephor.* *Simeō Met.* *Gregor.*

DVBITATIO II.

Annexa controuerſiæ ſextæ. Ea eſt: An licitum ſit imagines rerum ſacrarum in templis collocare?

QVidam Hæretici antiqui, & moderni id execrantur: ſpecialius Caluinus lib. 5. inſtitutionum ca. 11. conatur id probare, ac ſui ſequaces, primò: quia primis quadringētis annis nō fuerunt imagines in templis Chriſtianorum. Secundò: ex Concilio Eliberitano. can. 36. *Placuit* (inquit Concilium) *in Eccleſia picturas non eſſe debere: ne quod colitur, aut adoratur in parietibus depingatur.* Tertiò: ex Auguſt. Epiſtol. 49. dicente: *cum in ſedibus locantur,* (imagines nempe) *honorabili ſublimitate, vt à precantibus, atque immolantibus attendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum, atque ſenſuū, quamuis ſenſu, & anima careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere ac ſpirare videantur.* Et in Pſal. 130. ait: *Plus valent ſimulacra ad curuandam infœlicem animam, quàm ad corrigendā.* Quartò: ex Epiphanio Epiſt. ad Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, vbi circa finem dicit, eſſe cōtra Scripturarum autoritatem, quod in Eccleſia pēdeat imago hominis: & loquitur de imagine, quam ipſe dicit fuiſſe Chriſti, vel Sancti alicuius. Quintò: nam Adrianus Imperator, in gratiam Chriſtianorum iuſſit templa ędificari ſine imaginibus: vt refert AElius Lampidius, in vita Alexandri Imperatoris.

Caluinus. *Auguſt.* *Pſal. 130.* *Epiphan.* *Ælius. Lampid.*

Nihilominus ſit noſtrum aſſertum Catholicum: nuſquam melius, quàm in templis, imagines rerum ſacrarum collocantur. Probatur ex Eccleſiæ traditione, in collocandis hiſce imaginibus, in templis, & rebus ſacris. Tertullianus in lib. de Pudicitia

Tertul.

ante medium testatur, in sacris Calicibus Ecclesiæ Catholicæ, depictum fuisse Christum in forma Pastoris, ouem errātem suis humeris reportantem ad ouile: at calices in Ecclesia esse debent, & solent. Et in edicto Constantini, quod habetur in primo tomo Conciliorum, dicitur, Syluestrum, & Constantinum varia ædificasse templa: & in eis varias imagines collocasse, quos sequentes Pontifices imitati sunt, vt ex Damaso, & Platina constat: meminit etiam Eusebius libro 1. historiæ, cap. vlt. & lib. 17. ca. 14. imaginū Petri, & Pauli, quibus ferè à principio Ecclesia Romana in templis vsa est. Sozomenus lib. 5. c. 20. & Nicephorus lib. 10. cap. 30. aiunt: Christi statuam, quæ fuerat apud Paneadem, in templum à Christianis introductam, circa annum Domini quingentesimum. Videndi sunt Basilius oratione in sanctum Barlaam, Nissenus oratione in Theodorum, Chrysosto. in Liturgia. D. August. lib. 1. de consensu Euangelistarum c. 10. & lib. 22. contra Faustum c. 73. Greg. lib. Epistolarū Epist. 9. Adrian. lib. pro imaginibus (habetur post septimam Synodū) circa finem refert, plures Pontifices antiquissimos, templa picturis exornasse. Item probatur ex septima, & octaua Synodis crebrè hoc adstruentibus, & id ipsum egit Concilium Romanum sub Gregorio III.

Eusebius. *Sozomen.* *Nicephor.* *Basilius.* *Nissenus.* *Chrysost.* *August.* *Gregor.* *Adrian.*

Deinde rationibus palam fit nostrum assertum: nam quæso, vbi honestius, ac decentius imagines sacrarum rerum collocantur, quā in locis sacris? Quod pretiosius tēplorum ornamentū, quàm imagines? Denique Chrysost. Hom. 36. in priorē ad Corinthios dicit tēplum Christianorū esse quasi Regiā cœli: sicut ergo templum est imago cœli: ita decet vt in ipso templo sint imagines eorum, qui sunt in cœlo.

Chrysost.

Ad primū Caluini, ex dictis dubitatione antecedenti, & hac eadē, & ex testimonijs infra citandis pro cultu imaginū, apparebit, quā gratis mentitur Caluinus, dicens ante primos quingentos annos imagines in templis non fuisse. Ad secundū ex Concilio Illiberitano variè Catholici respōdent. Quidā vt Alanus Copus Dialogo 5. c. 16. & Ayala de traditionib. par. 3. c. de antiquitate imaginū & Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ annotatione 247. tēpore scilicet Cōcilij illius populus Hispanus ad idolatriā declinabat: sic adeò, vt Patres illius Concilij, iudicarēt, non posse illi obuiam iri, nisi ad tēpus iuberent omnes imagines è tēplis tollere. Hęc

Alanus. *Ayala.* *Sixtus Sen.*

A solutio desumpta est ex Ivone Carnotēsi, in suo decreto p. 3. cap. 40. sed rationi adhibitæ à Concilio, hæc expositio non bene adaptatur. Dicitur enim, *ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*, nam si ad vitādam idololatriam, aut abusum aliquem cultus iuberet Synodus auferre imagines: eodem modo præciperet eas auferre, quæ in tabulis, vel in alia materia depinguntur: cùm tamen tantùm egerit mentionem de his, quę parietibus depinguntur.

Secunda expositio est, tempore illius Concilij persequutionem tyrannorum in B Christianos grassari, vt ex eodem Concilio colligitur, atque adeò necessarium erat Christianos fugientes secū deferre sacras imagines, aut occultare: ne in templis manentes ludibrijs eas afficerent Gentiles. Id autem nequaquam fieri poterat, si in parietibus templi depingerentur: benè autem si in tabulis, aut in materia aliqua sculperentur. Concilium ergo nec prohibuit cultū, nec omnem vsum imaginum; sed dumtaxat eas in parietibus non affigi instituit: & quæ antea erant depictę abradi voluit. Hanc expositionem sequuntur Alanus vbi supra, Sāderus lib. 2. de adoratione imaginum, c. 4. Hæc C autem interpretatio non admodum videtur quibusdam quadrare rationi, quæ adhibetur à Concilio, dicente: *Placuit imagines in Ecclesia esse non debere, ne id quod adoratur in parietibus depingatur.* Si tamen prædicta expositio vera esset, potius diceret Synodus: Placuit in parietibus Ecclesiæ imagines non depingi, ne Tyrannis ludibrio esse possint. Sed ni fallor, hunc sensum voluit exprimere Concilij, quando ait: *ne id quod adoratur*, id est: res sacræ in parietibus non depingantur: nimirum, quia in parietibus depictæ, irrisioni, & ludibrijs ethnicorum manerent expositæ.

Alanus. *Sanderus.*

D Tertia expositio, quam tradit Ayala vbi supra, & alij, huiusmodi est: in eo Canone solùm prohiberi imagines rerum sacrarum in parietibus depictarum, non verò eas quæ in tabellis, aut ex alia materia fabricarētur: eo quod indecens visum fuit Concilio, res sacras in parietibus seu muris Ecclesiæ depingi. Tum quia situ, aut humiditate à parietibus conceptis, aut tectorio facilè decustrato, deformātur, atque interdū potius ad risum, quā ad deuotionem excitant oculos intuentiū: tum quia iniuria temporum parietes obruunt; aut verò bellis grassantibus templa prophanis vsibus adaptantur: & tūc necesse est imagines cum irreuerentia in

parieti-

parietibus permanere. Hæc expositio bona est, & ratio Canonis ei quadrare videtur. Sed quid moramur in expositionibus Concilij illius enumerandis? nonne satius esset cum quibusdam respondere, Concilium illud fuisse Prouinciale, & ius Episcoporum tantùm, neque legitimè congregatum, neq; à summo Pontifice approbatum? Quinimò sicut errauit in alijs (vt multi obseruarunt) non mirũ est in imaginum cultu, & collocatione in templis, errasse. Vnde Canus lib. 5. de locis cap. 4. post sextam conclusionem, de hoc eodem Concilio loquens, ait, ea parte qua errauit, semper à Catholicis explosum fuisse. Ad tertium respondetur, Augustinum, si attentè inspiciatur, loqui contra gentium idola, *in* quibus Pagani aliquid diuinitatis esse putabant: at verò verba illa non militant in Christianorum imaginibus: quia Christiani, qui nihil eis *inesse* diuinitatis sciunt, totam rationem adorationis, seu cultus in exemplar referunt sine vllo periculo indebiti cultus.

Canus.

Ad quartum ex D. Epiphanij testimonio Catholici varie respondẽt: non displicet id quod multi dicunt, illa verba inserta esse ab Hæreticis Epistolæ citatæ Epiphanij; cuius rei multas afferunt coniecturas: verbi gratia, tituli diuersitas, & quia post finitam Epistolam, adiuncta sunt illa verba. Item tertiò, quia in septima Synodo actio. 6. conuincuntur duo alia similia loca scriptis D. Epiphanij inserta esse: & alia huiusmodi, quæ videre licet in Alano vbi supra cap. 20. & in alijs modernis. Secundò respõdetur: imaginem illam depictam in velo, quod Epiphanius scidit fuisse alicuius hominis prophani, qui vt sanctus colebatur. Ita Marian. Victorinus in annotatione ad Epistolã Epiphanij in 2. to. Hieronymi vt ex Epi. 60. ex verbis ipsius licet colligere: *Inuenit velum pendens in foribus Ecclesiæ, tinctum, atque depictum; & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cuiusdam (non enim meminit cuius imago fuerit,)* &c. id est: imaginem non Christi (ait) sed quasi Christi, aut Sancti: cum tamen esset prophani hominis. Illa autem verba, per parenthesim adiecta, nõ ideò addita sunt, vt significaret se non potuisse discernere, an esset imago Christi, vel alterius Sancti, nam si eam deposuit, & abscidit non erat id iudicatu difficile: sed vt indicaret se scire non potuisse cuiusnam hominis prophani illa esset imago: quare parenthesis non debet referri ad illud: *Christi vel Sancti cuiusdam*, sed ad illud, *hominis imagi-*

Marian.

A *nem.* Secunda coniectura, quia incolæ illius loci murmurarunt contra Epiphanium ob imaginis scissionem dicentes: si scindere voluerat, iustum erat vt aliud daret velũ, & mutaret; quibus auditis, Epiphanius promisit se daturum, & cessauit murmuratio, quæ certè non cessasset, neque populus ille fidelis contetus esset veli alterius promissione, sed indignè ferrent, quod Christi aut Sancti imaginem irreuerenter, & blasphemè tractasset: maximè, quia eo in tẽpore in Ecclesia Græca imagines fuêre habitæ in magna veneratione: vt refert septima Synodus actione 6. tom. 1. in fine. Tertiò respondetur cum Damasceno oratione prima B de imaginibus. Vna hirundo non facit ver, neque vnius Doctoris autoritas totius Ecclesiæ consuetudinem debet euertere. Sed certè vir sanctus Epiphanius nequaquam Iconomachus censeri debet: neque huius criminis insimulatus à suo riuali Episcopo Hierosolymitano, qui multa alia ei obiecit, neque à sanctis Patribus sibi contemporaneis, Basilio, vtroque Gregorio, de hoc notatus vnquam fuit.

Damasc.

Ad quintum respõdetur, Adrianum iussisse templa fieri sine simulachris Gentiliũ, non sine imaginibus Christianorum; etenim tunc temporis Christiani nolebant C orare in templis Gentiliũ, quia plena erant idolis; & ideò Adrianus iussit eis fieri templa sine eiusmodi idolis. Quod colligere licet ex eodem Lampridio, vocante ea simulachra minima, quo nomine non appellantur imagines, nisi proponantur adorandæ pro Dijs.

DVBITATIO III.

Annexa sextæ disputationi principali est: an in lege veteri omnis imaginum vsus fuerit à Deo sublatus, illo primo præcepto Exod. 20. an verò tantùm prohibitus sit imaginum vsus ad colendum eas, sicut Iudæi sua colebant idola? D

DE qua re inter Catholicos duas repe rio sententias. Prima affirmat, illo præcepto fabricationẽ omnẽ imaginũ, & statuarũ esse prohibitã, ne populus ille ad idolatriã propẽsissimus, in id genus crimẽ laberetur: vt indicauit Eleazarus apud Euseb. lib. 8. de præparatione Euãgelica. Et insinuatur Deuter. 4. *Nõ vidistis* (inquit) *aliquam simulationem in die, qua loquutus est vobis Dominus in Oreb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptã similitudinẽ?* Hãc sentẽtiã sequuntur multi. Paludanus

Euseb. Deut. 4.

Henric. *Catherin.* *Ayala.* *Domi. Sot.* *Alanus.* *Clitouæus.* *Damasc.* *Iosephus.* *Origenes.*

in 3. dist. 9. q. 1. ar. 2. Henricus quodlib. 10. quæstio. 6. Ambrosius Catherinus in opusculo de adoratione imaginum parũ ab initio. Martinus de Ayala in tractatu de traditionibus 3. parte, Dominicus de Soto lib. 2. de iustitia q. 4. arti. 2. Alanus Copus in 4. Dialogo cap. 15. post mediũ. Clitouæus in lib. 4. de fide cap. 17. & Damascen. oratione prima de imaginibus videtur expresse fauere huic sententiæ. Et Iosephus lib. 2. contra Apianum satis ante medium. Origenes libro 4. contra Celsum apertius quàm cæteri loquens de Iudæis, ait: *Apud quos nullum aliud numen erat receptum, quàm Deus, huius vniuersitatis præses, procul ablegatis omnibus simulachrorum opificibus: nam in ciuitate eorum nullus pictor admittebatur, nullus statuarius, legibus totum hoc genus arcẽtibus, ne qua occasio præberetur hominibus crassis, nè ve animi eorum à cultu Dei auocarentur.*

Beda. *Aurelianẽ.* *D. Tho.* *Caiet.* *Sanderus.* *Castro.* *Turrian.* *Pamelius.*

Secunda sententia affirmat, nunquã neque in lege veteri, imaginum picturam, aut sculpturam statuarum, imò neque ipsarum debitũ cultum, sed solum idololatriæ adorationẽ fuisse prohibitam: ne scilicet eas populus cultu diuino adoraret, sicut Gentiles sua idola. Huius sententiæ est Beda in libro de Tẽplo Salomonis c. 19. Ioan. Aurelian. lib. 1. de cultu imaginũ in 5. to. Bibliothecę sacræ. D. Tho. 3. p. q. 25. ar. 3. ad 1. Caietan. Exod. 20. Sander. lib. 1. de imaginib. c. 17. Castro de Hæres. verbo imago, hæres. 1. Turria. lib. 3. de character. dogmaticis longè ante finẽ. Pamelius in annotationibus ad secundum librũ Tertulliani contra Marcionem n. 141. Prob. 1. ex ipso contextu sacræ Scripturæ Exod. 20. *Non facietis Deos argẽteos: nec Deos aureos facietis vobis*, & subditur, *vt adoretis ea*, planè insinuans in alios vsus imagines depingi posse. Secundo: quia Deus iussit Numer. 11. depingi serpẽtem æneum. & Exod. 25. duas figuras Cherubinorum fabricari iuxta arcæ latera. Dicũt Iudæi, ipse Deus qui iussit nullã in illo populo depingi imaginem, iussit præfatas fieri: ac proinde in suo præcepto dispensauit.

Exod. 20. 25.

3. Reg. 6. 7.

Contra hoc argumentor. Nam Salomon. 3. Reg. 6. posuit sine vlla dispensatione duas alias Cherubinorũ statuas ex lignis oliuarum, & c. 7. dicitur posuisse in tẽplo Boum, Leonũ, & Cherubinorũ, Palmarũ, & malorũ granatorũ figuras. De qua re nõ fuit vnquã reprehensus: & imaginẽ Cæsaris in numismatibus sculptã, omnes Iudęi receperũt, ne mine reclamante. Pulchrè cõfirmant quod dictũ est, verba Leontij in 5. lib. Apologiæ

Leontius.

pro Christianis. Quare referũtur in septima Synodo actione quarta. *At dices mihi* (inquit Leõtius) *Moysi à Deo iussum est, vt huiusmodi sculptilia in tẽplo ponẽda curaret. Ego sane hoc ipsum etiã dico: sed Salomõ inde digressus plura in tẽplo apposuit, quæ tamẽ Deus nõ mandauerat: quæ nec tabernaculũ testimonij habuit nec tẽplum, quod vidit Ezechiel, nõ tamen à Deo in crimen vocatus est Salomon: Nam in gloriam Dei, quemadmodum & nos, eiusmodi effigies excogitauit.*

Exod. 31. & 34. *Deut. 4. 9. & 10.*

Tertiò, quia dato quod in illis verbis Exod. 20. esset præceptum de nõ fabricanda vlla imagine, etiã extra adorationis vsum, certè non decẽ præcepta, sed vndecim essent Decalogi, quod cõtra sacrã Scripturam diceretur, id asseuerantem, Exod. 31. & 34. Deut. 4. 9. & 10. Respondẽt autores oppositæ sentẽtię: Totũ illud præceptũ, præcipiẽs de Dei cultu retinendo, & alio vitãdo, & de non fabricandis imaginibus, vnũ conflare præceptũ, quia ad vna virtutem Religionis spectat, & transgressio ad idẽ peccatũ sacrilegij. Contrà, & sit quartũ argumentũ: quia cũ illud præceptũ de non fabricandis imaginibus, (si extaret) cæremoniale esset (aliàs si naturale esset neque Deus in eo dispensaret) nequaquã ad primum præceptũ pertinere posset: quia omnia præcepta Decalogi naturalia esse, præter tertiũ de sanctificatione Sabbathi, cõmunis sententia est, & asserit Irenæus lib. 4. aduersus Hæreses ca. 31. & Aug. lib. 19. contra Faustũ c. 18. & lib. 3. cõtra duas Epist. Pelagij c. 4. post medium.

Ireneus. *Augustin.*

Vtraq; sententia probabilis est. Hæc posterior magis mihi arridet, quamuis enim in populo Israëlitico, quando religiosa obseruantia vigebat, nullus extiterit vsus imaginis Dei, vt asserit D. Tho. loco citato; tamẽ nullũ credo fuisse cæremoniale præceptũ de non fabricandis, aut habendis imaginibus, sed dũtaxat præceptũ Exod. 20. prohibuit eas in ordine ad cultũ, & adorationẽ, id est: ne colerẽtur, sicut populus Gẽtilicus sua idola adorare, & colere solebat. Quã interpretationẽ ex ipso textu licet colligere. Aduertendũ tamẽ, quod sicut præcepto nõ fornicandi, prohibetur cõsequenter, nequis se exponat periculo fornicandi, ita illo præcepto naturali de non faciendis imaginibus, ad colendas eas more Gentilico, ac idolatrico, prohibetur non facere eas exponendo se periculo idolatriæ more Paganorum. Istud autem periculum ingens, ac morale, erat vulgo Hebræo ad idololatriam propensissimo, si vteretur imaginibus rerum

Exod. 20.

sacra-

ſacrarũ fabricatarũ, modo accõmodato adorationi. Quod ſi fabrica imaginũ, nõ erat accommodata adorationi, aut cultui latrię, nullũ erat periculũ, nulloq; Hebręi vrgebãtur præcepto nõ habendi, aut fabricandi imagines: modus autẽ accommodatus adorationi erat: v. g. ſi imago ſeorſum in ſublimi loco collocaretur: ſi erecta, & in capſula collocata, vel quid ſimile, quia huiuſcemodi imagines, populo valde propẽſo ad idolatriã, non modicũ periculum, & occaſionẽ idolãtrandi præberent. At verò, ſi imagines fabricarentur vt appendices, & in ornamentũ operis, non videntur eſſe efformatæ modo adorationi accõmodato: ac proinde nullũ periculum idololatriæ ex earũ formatione populo ingerebatur. Hinc colligitur, duos Cherubinos ex auro fuſili, ac Altareos duos, ex lignis oliuarũ fabricatos fuiſſe, nulla interueniente diſpenſatione præcepti: quia facti ſunt veluti appendices arcæ teſtamenti, & in eius ornamentũ. Id autẽ quod in ornamẽtũ alicuius figuræ ponitur, non excitat ad ſui adorationẽ. Oculi nanque, ac mens, in principalẽ effigiem, nõ in figuras appendices feruntur. Quòd autẽ nullum ex his periculũ idololatriæ immineret, ex ipſo Cherubinorũ ſitu, & poſitione non erit difficile inueſtigare. Duo enim priores ex auro fuſili, ſuis alis obũbrabant propitiatoriũ, quod ad arcæ maieſtatẽ, & ad Dei gloriam, quæ per arcã repræſentabatur, conducebãt. Duo verò poſteriores ex oliuarum lignis (licet ab arca aliquantulum ſeparati) alis extenſis ipſam eandẽ arcam tremendã magis, ac venerandam reddebant. Quare non erãt inſitu, & poſitione, quę excitarent intuentes ad ſui adorationẽ; ſed erãt vt ornamẽtũ ipſius arcæ. Modus iſte dicendi non abhor
Tertullian. ret à verbis Tertulliani lib. 2. cõtra Marcionem c. 22. & idẽ etiam dicendum de imaginibus boum, leunculorũ, ac palmarum, &c. quos in ornamentum fabricatorũ operum effigiauit Salomon: ac de imagine Cæſaris, in numiſmate ſculpta, in qua nullũ idolatrię periculũ erat. Idem dico de ſerpente æneo, quando à Deo iuſſus eſt fieri propter ſanitatem recuperandã eius aſpectu, non propter adorationem. At poſtea, labente tẽpore, quando finis fabricationis ſerpentis e memoria excidit Iudæorum, periculum idolatriæ pullulauit, & ob id ſanctus Ezechias illum æneum ſerpentem comminuit, & in puluerem minutiſsimos redactum, in alueũ torrentis Cedron coniecit.

Igitur præceptum primum, ac iuris natu
A rale erat, de non habendis, aut fabricandis ſimilitudinibus, vt adorarentur cultu latrię, ſicut idola gentium: aut verò quãdo ex earum fabricatione periculum oritur idolatriæ: fit autem mihi veroſimile, quòd, ſicut modò in Republicis Chriſtianis benè inſtitutis edicto cauetur, ne quis lucubrationes quaſcũque prælo mandet, ſine approbatione publicæ poteſtatis, ne impia dogmata euulgẽtur: ſic in Republica Hebræorũ ex eius iuſſu, ac legib⁹, nullus artifex poterat aliquã imaginẽ, ſimilitudinémve ſculpere aut
B pingere, niſi à ſummo Sacerdote, aut Regia poteſtate decerneretur, nullũ inde periculũ idololatriæ conflari, attẽtis effigiebus, & earũ poſitione, ac ſitu ſicut ſuprà dicebamus: quod inſinuat Ioſeph. citatus. Et fortaſ *Ioſephus.*
ſe cùm iſthæc approbatio, & examen rigoroſè fieret, ne præberetur vulgo idololatrię occaſio: pauci ſtatuarij, aut pictores in illo populo reperiebantur. Quod indicauit Origenes vbi ſupra, licèt aliter explicari poſsit à rectè conſiderantibus: loquitur enim de pictoribus, aut ſtatuarijs idolorum, de quibus antea loquutus fuerat.

Ex his liquidò apparet argumentum ini
C tio poſitum Exod. 20. nõ confutare vſum pingendi, aut habendi imagines, qui vſque modò ſeruatur in Eccleſia Chriſti: nã ſi aſſeras cum priore ſententia, prohibitã fuiſſe illis verbis: *Omnem imaginum fabricationẽ, etiam extra cultum, & adorationem*; reſpõdetur, illud præceptum cæremoniale fuiſſe in hac parte, ac proinde in lege gratiæ ceſſaſſe: & meritò: quia iã tot patefactis myſterijs, & tam plenè erudito populo circa diuina, nõ eſt vllum periculũ idololatriæ in vſu imaginũ; quale erat in populo Hebræorum ſub vmbra legis dẽgẽte. Eleganter Damaſ. *Damaſc.*
oratione prima de imaginibus. *Iudæi* (inquit) *quando ad ſimulachra erãt propẽſiores*
D *hæc iuſſa ſunt: nos autẽ, quibus, (vt Theologicè loquar) datũ eſt, vt ſuperſtitioſum errorẽ fugiẽtes, & veritatẽ cognoſcentes, purè cum Deo verſemur, eiq; ſoli ſeruiamus, infantiãque prætereũtes in virũ perfectũ euadamus: non ſumus amplius ſub Pedagogo*: id eſt, ſub eo ſtatu legis vbi periculum erat idololatriæ in pingendis imaginibus, propter modicam vulgi myſteriorum notitiam. Od id enim inter alia, vocatur ſtatus ille legis pedagogia.

Si verò ſequamur ſecundam ſententiam, ad argumentum reſp. ibidem non prohiberi abſolutè vſum imaginum; ſed dumtaxat in ordine ad adorationem, qualẽ ethni-

ci suis idolis exhibebant, aut verò propter vitandum periculum idololatriæ, quod cessasse in tempore gratiæ iam docuimus.

DVBITATIO IIII.

Annexa disputationi sextæ principali. De cultu imaginum. Ea est, an imagines rerum sacrarum colendæ sint, & adorandæ?

ET vt dubitationis titulum percipias, aduertere oportet, in præsentiarum nos intelligere nomen, adorationis, non in pressa, ac stricta significatione, de qua in quæstione de adoratione latè diximus; sed vsurpamus vocabulum, pro quacunque veneratione, reuerentia, aut submissione, quocunque nomine appelletur; siue ea sit genuflexio, capitis nudatio, salutatio, amplexus, osculum, vel quiduis simile. Sic explicat Tharasius in Epistol. ad Imperatores, quæ habetur actione septima, Epiphanius in septima Synodo actione 6. & Adrianus. Præcipuè tamen agetur de adoratione, quia de ea expressè loquuntur Concilia. *Tharasius. Epiphan. Adrian.*

Rursus aduertere oportet modò tantùm cum Hæreticis esse ineundam disputationem, qui negant omnem imaginum cultum, non cum Catholicis, qui vnanimiter conueniunt imagines esse adorandas, ac colendas: de modo verò adorationis, & cultus variè sentiunt: de quo disputabimus dubitatione sequenti.

Quibus præmissis, argumentabimur ad probandum, eas nequaquam esse colendas. Et argumentor primò pro parte affirmatiua ex sacra Scriptura: nam Exod. 20. dicitur: *Non facies tibi sculptibile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum, quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles.* Ac iterum: *Non facies tibi idolum.* Idem penè eisdem verbis habetur Deuteron. 4. & 5. & Leuitici 26. *Non facietis vobis idolum, & sculptibile, nec titulos erigetis: nec insignem lapidem ponetis in terra vestra:* & 4. Regum 18. sanctus Ezechias confregit serpentem æneum ad vitandam idololatriam. Ad Roman. 1. *Et mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis: quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quam creatori.* *Exod. 20.* *Deut. 4. & 5.* *4. Reg. 18.* *Rom. 1.*

Respondent Catholici. In his sacris Literis, & similibus reprehenditur cultus, qui tribuitur simulachris, tanquam Dijs. Argumentor secundò, ex tribus Concilijs Constantinopoli. sub Leone Iconomacho, teste Paulo Diacono li. 21. & ex alio Constantinopolitano sub Constantino Copronimo, teste eodē Paulo lib. 22. rerum Romanarum, ambæ hæ Synodi diffinierunt imagines esse abolendas ad idolatriam euitandam. Tertia Synodus fuit Francofordiensis, quæ reiecit septimam Synodum Generalem approbantem imaginum cultum. Ita quàm plurimi Historiographi. Tertiò ex quatuor libris Caroli Magni cōtra imagines. Quartò ex testimonijs Patrū, nam Irenæus lib. 1. ca. 24. ponit inter Hæreses Carpocratis, quòd coleret imaginē Christi, & Pauli, Epiphanius Hæres. 79. ait Hæreticos esse, qui imaginem Beatæ Virginis circunferunt, & colūt: Hieronymus, Daniēl 3. *Cultores Dei* (ait) *imagines adorare non debent.* Ambrosius in oratione funebri in Theodosium, *inuenit* (inquit) *Helena crucem Domini, Regem adorauit, non lignum vtique: quia hic Gentilis est error, & vanitas impiorum; sed adorauit illum, qui pependit in ligno.* Augustinus de moribus Ecclesiæ ca. 36. *Non* (inquit) *picturarum adorationes:* & Epistol. 109. c. 11. *Nulla Dei imago coli debet, ni si illa, quæ hoc est, quod ipsum, scilicet, Verbũ suum.* Et Lactantius 2. lib. institutionum c. 2. inuehitur acerbè in omnia simulachra, etiam Dei. Gregor. lib. Epistolarum Epist. 54. & 109. & lib. 9. Epistol. 9. dicit imagines adorandas non esse. *Pau. Diac.* *Irenæus.* *Epiphan.* *Hieron.* *Ambros.* *Augusti.* *Lactant.* *Gregor.*

Quintò argumentor ratione, nam ex imaginibus magna desumitur idolatrandi occasio, & existimandi imaginibus esse diuinitatem alligatam, pari ferè forma, qua putauit Hermes Trismegistrus statuis alligari. Item, quia ad superstitionem spectat, quod multi Christiani faciunt in cultu imaginum capta ex ipsis occasione; spem scilicet in eis reponendo, imagines vnius, & eiusdem rei magis frequētando, ac venerando: Nā cum vna, & eadē sit res per imagines diuersas repręsentata, si tribuitur vni maior cultus, quā alteri, hoc certè non aliunde prouenit, nisi quia imaginibus ipsis aliquā adesse diuinitatē putant: nā cur peregrinātur aliqui magno labore ad quandā imaginē D. Virginis, aut Crucifixi adorandam; cùm habeant domi suæ fortè meliores, & pulchriores?

Nullus

Nullus Hæreticorum eſt, qui non exe-
cretur imaginum cultum, & adorationem,
ſed diuerſis vijs: quidam cenſentes eas eſſe
omninò euertendas, ac comburendas, vt
Leo Iconomachus, & Conſtantinus Co-
pronimus, Imperatores impij, ſequentes Iu
dæos, ac Sarracenos. Alij, licèt eas domi, aut
priuatè permittant, nequaquam eas in tem-
plis collocari ſinunt, vt Caluiniſtæ: contra
quos dubitatione præcedenti. Alij, vt Lu-
therani, intra templa collocari permittunt:
Epiphan. ſed dūtaxat ornatus cauſa. Alij, quos refert
ſeptima Synodus, & Epiphanius ibidem
actione 6. non ſolùm ad ornatum in tem-
plis collocabant, ſed etiam ad excitandam
memoriam exemplaris: at verò aiebant,
quodcunque honoris, aut reuerentiæ ſignū
eis exhiberetur, ad idololatriam ſpectare.

Noſtra tamen aſſertio Catholica eſt: Ima
gines vbique honorificè eſſe tractandas, co
lendas, ac adorandas. Hæc aſſertio ſecun-
dùm fidem amplectenda eſt, quæ licèt non
ſit expreſsè in ſacra Scriptura, eſt tamen
Damaſc. traditio Apoſtolica, vt ait Damaſcenus 4.
de fide, cap. 17. habet tamen imaginum v-
ſus fundamentum in ſacris Literis, vbi ha-
Pſalm. 38. betur res ſacras eſſe in veneratione haben-
das, imò & adorandas, Pſalm. 98. *Adorate
ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt:*
vbi ad literam fit ſermo de arca teſtamenti,
vt communis fert interpretatio: nec ſolùm
arcam, ſed etiam menſam, propitiatorium,
totumque tabernaculum, adorata fuiſſe à
populo Iſraelitico, teſtatur ſeptima Syno.
Damaſc. action. 3. & Damaſcen. lib. 4. cap. 17. & Au-
Auguſt. guſt. lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 9. & li. 3.
de Trinitate, cap. 10. dicit, ſacra ſigna fuiſſe
honore digna, inter quæ numerat ſerpentē
æneum: & idem dicit de vaſis ſacris, cont. 2.
in Pſal. 113. Et Exod. 3. Dominus ad Moy-
ſem: *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt:* & iu-
betur Moyſes ſoluere calciamenta in ſignū
honoris, & reuerentiæ. Tunc eſt argumen-
tum: ſi iſtæ res inanimes propter habitudi-
nem ad Deum, & eius cultum in honore ha
bentur: ergo imagines repræſentantes per-
ſonas ſacras, putà Chriſtum, aut eius matrē,
& ipſæ ſacræ dicendæ ſunt, & colendæ, ac
D. Thom. venerationē habendæ: vt rectè docuit D.
Thomas 2. 2. q. 99. art. 3.

Secundò, ex diffinitione ſeptimæ Syno-
di, vbi approbatur cultus imaginum veluti
Eccleſiæ traditio: & actio. 2. & 3. habentur
epiſtolæ Synodicæ, in quibus tota Eccleſia
Græca, & Latina in hac veritate conueniūt.
in 6. Synodo, can. 73. & 82. & 8. Synod. can.
A 3. & in Concilio Rom. ſub Gregor. III. circa annum Domini 733. & in Concil. Florēt. ſeſs. 5. vbi citat ſeptimam Synod. in habēdis imaginibus celebrem: & demum in Concil. Trident. ſeſs. 25. cap. 2. Tertiò, ex vſu Eccle ſiæ ab initio eiuſdem naſcentis, vt probaui ſup. dubit. 1. multis adhibitis hiſtorijs, vbi ſe rè ſemper fit mentiò, nō ſolùm imaginum, verùm & illorum cultus. Quartò: teſtimo-
nijs Patrum, quorum teſtimonia plurima
congerit Damaſc. orat. 1. 2. & 3. de imagin. *Damaſc.*
ex quibus colligitur cultum imaginū ad tra
ditionem Apoſtolicam pertinere. Quintò:
ex multis miraculis, quæ geſta ſunt à Deo
ad teſtificandū ſibi placere imaginū adora-
B tionē, & cultū. Multa referuntur in ſeptima
Synodo, actio. 4. in Epiſt. Germani Patriar-
chæ ad Thomā, & per totam actionē, ex lib.
Athanaſij, & Leontij Epiſcopi, & actione
Leontius. quinta circa finem. Memoria verò dignum
Athanaſ. eſt illud, quod refert Euſebius lib. 7. cap. 19.
Euſeb. de imagine, quam Deo dicauit Emorrhoiſa,
circa cuius baſsim oriebatur herba quędam
ignota, quæ vbi vſq; ad fimbriā veſtimenti
ipſius ſtatuæ creuiſſet, mirabilē virtutē ſanā
di omnes morbos habebat. Addit verò So-
Sozomen. zomenus lib. 5. c. 20. & Theophil. in cap. 9.
Theophil. Matthæi, cùm Iulianus Apoſtata inde ſtatuā
C amouiſſet, & ſuam impoſuiſſet illicò igne
de cœlo demiſſo caput ſtatuæ abſciſsū fuiſ-
ſe. Hoc quidē memorabile eſt miraculū ad
confirmandā fidē imaginū, imò & ad vlciſ-
cendā impietatē eorum, qui eas inhonori-
ficè tractant. Sed obiter notate Hæretico-
rum impudentiam, id quod dicimus ſtatuæ
Iuliani accidiſſe, tribuunt Centuriatores
ſtatuæ Chriſti.

Sextò ratione probatur. Honor imagi-
nis in prototypum redundat, tam in re-
bus ſacris, quàm in rebus prophanis, vt
Baſilius. in ſeptima Synodo ſæpe dicitur, & ex Ba-
Ambroſ. ſilio lib. de Spiritu ſancto. cap. 18. & Am-
D broſio ſermone 10. in Pſalmum 118. Et
videtur eſſe principium quaſi naturæ lu-
mine notum, non ſolùm perſonas excel-
lentes in ſe, ſed etiam in ſuis, honorandas
eſſe: in ſuis (inquam) propinquis, ſeruis,
imaginibus, &c. ergo imagines rerum ſacra-
rū, maximè Dei, & Chriſti in ſummis hono
ribus ſunt habendæ. Fateor modò inter
Chriſtianos iam obtinuiſſe, vt perſonæ
prophanæ non colantur in ſuis imagini-
bus, vt vſus ſacrarum imaginum in cultu,
& adoratione, ab alijs prophanis ſequeſtre-
tur: at verò adhuc in vſu permanſit, vt ſcelus
ſit imaginibus inclytorum, nedum Sanctorū

iniuriam, aut contumeliam inferre: quia ea iniuria in prototypi contumeliam cedere videtur: quod videre licet ex Nicephoro libro 2. de Historia cap. 43. de vindicta, quam desumpsit Theodosius ob malè tractatam Imperatricis imaginem. *Nicephor.*

Superest ad argumenta respõdere: ad primum benè ibi responsum est. Ad secundum resp. illud Concilium Constantinopolitadum sub Leone esse commentitium, atque etiam acephalè fuisse celebratum. Secũdò, admisso fuisse congregatum; fuit Conciliabulum congregatum sine autoritate Papæ, neque vnquam sequuta est approbatio. Idem etiam dico de secundo illo Constantinopolitano, quod quidam vocant Ephesiumtertium: idcircò concursum prophanorum vocauit Zonaras, Cedrenus verò impium: septima verò Synodus Nicena execrabilem, prophanam, & adulterinam Synodum. Ad illud verò, quod obijcitur ex Concilio Francofordiensi, mirum est quàm variè à Catholicis respondeatur: modò non vacat per ea discurrere, mihi certius est illã Synodum nihil contra adorationem imaginum diffiniisse, quæ illic assumuntur, id sonantia supposititia sunt, vt videre licet apud Alanum Copum Dialogo 4. cap. 18. & 19. & Dialogo 5. c. 12. & 13. & apud Surium tom. 3. Conciliorum in præfatione ad Concilium Francofordiense: quod si copiosiorem tractatum desideras, vide Robertum Bellarminium in 2. tom. cont. cap. 8. & Gabriel. Vazquez lib. 2. de adoratione disp. 7. Ad tertium resp. libros illos, qui appellantur Carolini, falso esse adscriptos pijssimo Imperatori Carolo Magno, cuius tempore habitæ sunt in veneratione imagines in Occidente. De qua re vide Sanderum lib. 2. de imaginibus c. 1. & Alanum Copum Dialogo 4. cap. 19. Bellarminium 2. libro de Concilijs cap. 8. Gabrielem Vazquez 2. lib. de adoratione cap. 6. disput. 6. *Zonaras. Cedrenus. Alanus. Surius. Bellarm. Vazquez. Sanderus. Alanus.*

Denique respondetur. Estò illud figmẽtum Hæreticorum verum esset, quid ad Imperatores definire res fidei? nihil profectò. Ad quintum ex testimonijs Patrum respõdetur: ad Irenæum respondet Feuardentius annotatione 15. ideò eum errorem adscribi Carpocrati, quia vt ex textu colligitur, imaginem Christi inter alias Philosophorum imagines haberet, ac more Gentilico, non Christiano coleret, nempe sacrificãdo, & similia ethnicavsu faciendo, vt adnotauit Epiphanius Hæres. 7. Ad Epiphanium: eum reprehendere Collyridianos, *Feuardent. Epiphan.*

A non quòd imaginem Beatæ Virginis, & ipsam Virginem honorarent, sed quòd haberent pro Dea, eique sacrificium offerrent. Ad Diuum Hieronymum: ipsum loqui de statuis Regum, quæ habebantur pro Dijs, & honore diuino afficiebantur: vt habetur Daniel. 3. Ad diuum Ambrosiũ: eius sensum esse, Crucem non esse propter se adorandam; sed propter Christum, qui in ea pependit. Vnde statim subdit; *Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regio leuauit, vt Crux Domini in Regibus adoraretur.* Ad diuum Augustinum: eo in loco non inue- *Daniel. 3.*

B hi aduersus imaginum adoratores, sed aduersus quosdam Christianos, qui imagines super sepulchra positas, more Gentilico adorabant, edentes, & bibentes, quæ ibi ritu Gentium apponebantur: ita Alanus Dialogo quarto cap. 7. Ad Diuum Gregorium: de eo nequaquam in dubium verti debet, quin sit maximus assertor cultus imaginũ; vt patet ex Epist. 9. 53. & 109. Sed loquitur aduersus eos, qui more Gentilico pro Dijs imagines venerabantur. Ad Tertullianũ: loqui de simulachris Gentilium; & licèt in discursu videatur etiam nostrarum imaginũ cultum damnare, per excessum loquitur iuxta morem suum, qui non sine timore legendus est à Catholicis: vt notauit Hie- *Alanus.*

C ronymus in translatione Eusebij de temporibus sub Constantio.

Ad quartũ negatur ex adoratione imaginũ Christianos sumere occasionem idolatriæ; quia videlicet sæpè ac sæpius edocti sunt à Cõcilijs, ac Patribus nullãhabere diuinitatẽ; nullaq; ipsis alligata numina: sed effectũ sub missioni serga imagines in prototypa referri. Negatur similiter, ideò cultum vnius imaginis magis frequentari, aut in pretio haberi; quia habeat plus diuinitatis, quàm alia: sed quia Deus per vnam operatur miracula, & non per aliam, vel quia antiquior, aut à

D viro sancto depicta, aut quia magis affabrè depicta, vel propter quid simile excitans ad maiorem deuotionem.

DVBITATIO V.

Annexa sextæ disputationi principali est: Quo genere cultus imagines colendæ sint, vt vitetur idolatriæ crimen?

HAEC dubitatio inter catholicos agitatur, qui in veritate orthodoxa de colendis imaginibus, ac adorandis vnanimiter

miter conſpirarunt. Quæſtio ſatis perdifficilis, & quæ ob id multorum torſit ingenia. In qua dilucidanda libet varias Catholicorum referre ſententias.

Durand. Maior. Gerſon. Prima eſt Durandi in 3. d. 9. q. 2. num. 10. & 14. & Maioris, ibi quæſtio. vnica, Gerſon. alphabetico 12. litera N. aſſerentium, imagines non adorari propriè, ſed improprie, & abuſiuè. Nam cùm ſint incapaces adorationis, quæ ad illas verè terminetur: tamen quia referunt res adoratione dignas, quæ per recordationem in præſentia imaginum adorantur, ideò abuſiuè, & improprie adorari dicuntur. Idem docet Olchot Sapient. 13. lect. 153. & Picus Mirandulanus in apologetico, q. 3. in eam inclinat Caſtro, verbo, imago, hæreſ. 1. circa fin. Probari poteſt hæc ſententia. Primò, ex ſeptima Synodo, actione. 2. vbi loquens de Cruce Dominica, ait: *Non ipſum lignum adoratur, ſed quod in ligno ad contemplandum datur, atque ita per recordationem veneratio exhibetur.* Similia habentur actione 3. & in Cõcil. Sene. cap. 14. & Maguntino cap. 41. & apud Ivonem tertia parte ſui decreti, ca. 41. ex Gregor. lib. 7. epiſt. 53. & 109. vbi per recordationem explicat hanc adorationẽ, ita vt tota ad prototypum tendat: & in hoc ſenſu in lib. 9. epiſt. 9. ſimpliciter negat eſſe adorandas imagines, licèt propter inſtructionem retinendas dicit: & eodem modo loquitur Damaſcenus lib. 4. cap. 17.

Olchot. Pic. Mira. Caſtro. Gregor. Damaſc.

Secunda ſententia è regione oppoſita, cenſet non ſolùm imagines rerum ſacrarũ adorari debere, verùm & eodem adorationis genere, quo exempla, eadem itaque imago Dei, aut Chriſti, adoratione latriæ adoranda eſt, ſicut & Deus, aut Chriſtus: imago Diuæ Virginis hyperduliæ, ſicut ipſa Deipara, & ſic de alijs: quinimò eodem motu, quo exemplar adoratur, adorari oportet eius imaginem. Hæc eſt expreſſa Diui Thomæ ſententia 3. p. q. 25. art. 3. 4. & 5. Caietani, & omnium diſcipulorum D. Thom. ibidem. Eandem tenent ferè omnes antiqui Doctores Scholaſtici Albertus, Bonauent. Ricard. idem D. Thom. Paludan. Capreol. Almai. Maior. Marſilius, in 3. diſt. 9. Tho. Vvaldenſ. tom. 3. cap. 156. num. 6. & 7. Ferrara 3. contra gentes, c. 120. Sotus lib. 2. de iuſtitia. q. 4. art. 2. in fine, Turrecremata, ca. *Venerabiles*, de conſecratione, diſt. 3. Diuus Antoninus 3. p. tit. 12. cap. 9. §. 4. Hierony. Angeſtus contra Lutherum, cenſura 10. ad tertiam obiectionem hæreticorum, Clitoueus in propugnaculo Eccleſ. lib. 1. ca. 10.

D. Thom. Caieta. Marſilius. Tho. Vval. Ferrara. Sotus. Turrecre. Antonin. Hier. Ang. Clitoueus.

Iacobus Payua lib. 9. orthodoxorum explicationum. §. *At Kemnitius*, Fräciſcus Turrianus lib. 1. pro Canonibus Apoſtolorum, cap. 25. & lib. 3. de dogmaticis caracteribus, ſatis ante medium.

Iaco. Pay. Turrian.

Hæc ſententia probatur. Primò ex Diuo Damaſceno lib. 4. fidei orthodox. cap. 17. qui refert Baſilium dicentem: *Honor imaginis ad prototypum peruenit*: ergo ſi ipſum exemplar, putà Deus, aut Chriſtus, adoratur adoratione latriæ, etiam ipſa eorum imago: & idem dicendum, ſi exemplar adoratur adoratione hyperduliæ, ita & imago: & Ambroſius lib. de incarnationis Dominici Sacramento, cap. 7. ait: *Num cũ in Chriſto imaginem Dei, & Crucem adoramus, videmus eũ?* ergo eadem adoratione, nempè latriæ, colimus diuinitatem Chriſti, & eius Crucem. Hieronymus epiſt. de obitu Paulæ: *Proſtrata*, inquit, *ante Crucem, quaſi pendentem Dominum videret, adorabat.* Secundò D. Tho. 3. p. vbi ſuprà, loquens de imagine Chriſti, ait eſſe adorandam adoratione latriæ, ex aſſerto Ariſtotelis lib. de memoria, & reminiſcentia, cap. 2. dicentis, eundem eſſe motũ in imaginem, vt imago eſt, & in rem cuius eſt imago: ergo eodem adorationis motu adoramus imaginem Chriſti, & ipſum Chriſtum. Tertiò. Id, vnde ſumitur adorationis qualitas, eſt ratio, ſiue excellentia, propter quam res adoratur: ſed ratio, cur imago adoratur, non eſt aliud, quàm excellentia exemplaris: ergo idem honor omninò, qui debetur exemplari, tribuendus eſt eius imagini. Quartò. Qui imaginem Regis contumelia afficeret, haberetur reus læſæ Maieſtatis, ac ſi in ipſum Regem contumelias obijceret: ergo qui imaginem Regis coleret cultu debito, eodem honore proſequeretur imaginem Regis, & Regem: quia contrariorũ, nempè honoris, & contumeliæ, eadem ratio habenda eſt. Alia plura pro hac ſententia adducemus in reſolutione huius dubitationis.

Damaſc. Ambroſ. Hierony. D. Thom.

Tertia ſententia affirmat, imagines ſeclu ſo ordine ad prototypum non eſſe adorandas: at verò cum ordine ad prototypa eſſe adorandas adoratione quadam peculiari, quæ habeat pro termino proximo, & integro imagines ipſas, in quibus exemplaria adorantur: eam tamen adorationem, quæ exhibetur imaginibus, affirmat hæc ſententia neutiquam eſſe eandem, neque æqualẽ adorationi exemplaris, ſed multo inferiorem, quã proinde honorariam vocat. Itaq; iuxta hanc ſententiam, imaginibus Chriſti,

aut Dei, neutiquam adoratio latriæ exhibēda est, sed alia adoratio inferior. Hanc sententiam sequuntur Ambrosius Catherinus in opusc. de adoratione imaginum, conclusione 6. & 7. & Martinus Peresius de Ayala in lib. de traditionibus, 3. p. cap. *Quali honore imagines venerandæ sint*. Probatur primò ex septima Synodo generali, act. 7. in definitione fid. *Definimus*, inquit, *cū omni diligētia, & cura venerādas, & sanctas imagines ad modum, & formam viuificantis crucis dedicandas, & colendas in templis, &c.* Et paulò post, *Quo, scilicet per hanc imaginum inspectionem, omnes, qui contemplantur ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant, illisque salutationem, & honorariam adorationem exhibeant: non secundùm fidem nostram veram latriam, quæ soli naturæ diuinæ competit, sed quemadmodū typo venerandæ, & viuificantis Crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris, oblationibus suffituum, & luminarium, reuerenter accedimus.* In quo testimonio palam apparet imaginibus etiam Christi, quale est viuificæ Crucis signum, non esse exhibendam latriam, eamque asseritur soli naturæ diuinæ conuenire. Item eidem opponitur adoratio quædam, quæ in sola oblatione suffituum, & luminaribus accensis, & alijs id genus signis consistit: ergo iuxta Concilij definitionem imagines non sunt adorandæ eadem adoratione cum exemplari, sed alia inferiori: nam si eadem adoretur Crux Christi, & signum illius, latria etiam sicut ipse Christus coleretur.

Catherin. Mart. Per.

Secundò. Concilium comparat adorationem imaginum, etiam Christi, & ipsius Trinitatis, cultui, & reuerentię, quam exhibemus libro Euangeliorum, & vasis sacris. At hæc omnia non adoramus cultu latriæ, nec vllus reperietur, qui tale dixerit, sed inferiore quadam honoraria adoratione veneramur: ergo & imagines non eadem adoratione exemplaris, sed inferiori, ac proinde distincta, sunt adorandæ. Hanc verò inferiorem adorationem tribuendam esse imaginibus, etiam quando in ipsis exemplaria adoramus, patet ex verbis, quæ subdit statim Synodus: *Imaginis enim honor in prototypum refertur, & qui adorat imaginem, in ea quoque adorat descriptum argumentum.* Si autē Synodus latriæ adorationem imaginibus cōcederet, eam certè tribueret, quādo in eis & cū eis exemplar ipsum adoratur. Adeò validū, & efficax hoc testimoniū cōtra sententiā D. Tho. visum est, vt dixerint aliqui, si S. Tho. eā Synodum legisset (nondū enim suo tempore Latinitate donata fuerat) nunquā docuisset eandē adoratione cū exēplari imagines esse colendas. Id ipsum colligi videtur aperte ex Adria. in scripto de imagini. quod habetur 2. to. epist. Pontific. inter epist. Adria. in responsione ad reprehēsionē ex c. 9. & in responsione ad vlti. vbi ferè eadē, quę retulimus ex Cōcilio, profert, nisi quod veram culturam vocat Adria. quā septima Synodus verā latriam appellat, eamq; veram culturam negat imaginibus. Idē asserit Tharas. Patriarcha act. 2. & respōdet: Synodus sic credit, & sic docet, id ipsum habetur in act. 3. ex verbis Constantini Constātiæ Episcopi, & in act. 6. to. 2. Epipha. Diaconus nomine totius Synodi idem docet. Ex quibus testimonijs planè colligitur, imagines non eodem cultu, quo exemplar colendas esse; etiam si imagines Christi sint, qui adoratur latria. Sed omniū apertissimū testimonium videtur esse eiusdē Epiphanij in eadem act. 6. in breui quadam demonstratione de vtilitate imaginum, vbi duplicē videtur designare adorationem. Alterā latrię, & hanc tribuit exemplari, alteram inferiorem, & simplicē pro imaginibus. Verba illius sunt: *Quapropter non indignas habemus eas* (scilicèt imagines) *honore, salutatione, & veneratione, debitamq; adorationem illis dare debemus. Siue igitur placebit salutationem, siue adorationem appellare, idē profectò erit, modò sciamus excludi latriam. Hæc enim est alia à simplici adoratione.* Cùm ergo Epiphanius distinguat latriam à simplici adoratione, & simplicem solùm tribuat imagini, latriā verò exemplari, si sit Christus, vel Trinitas; sequitur ex ipsius sententia, imagines non eadem adoratione, sed alia quàm exemplar adorari. Idem conātur præfati Autores probare ex testimonio D. Augustini epist. 109. c. 11. & Damasceni oratione 1. & 3. de imaginibus, & Irenæi lib. 1. cap. 24. sed hæc testimonia iam explicuimus in prædicta dubitatione in solutione ad quintum.

Adrian. Tharasius. Epip. Dia. Augustin. Irenæus.

Tertiò probatur ratione. Imago quomodocūq; consideretur, siue pro materiali, siue pro formali, siue in actu signato, siue vt exercēs imaginis actū est res distincta à suo exēplari, & lōgè inferior dignitate: ergo nō est adoranda eadē adoratione, qua exemplar, sed multo inferiore. Respondet Caieta. Imaginē Christi, vt imago Christi est, esse Christum quoad formalem, & materialem rationem terminandi adorationem, quia adoratio terminatur ad Christū in ipsa imagine.

Caietan.

Contra

Contra hoc est argumentum: nam quamuis fiat reduplicatio, semper imago Christi etiam vt imago Christi, nequaquam est ipse Christus, sed res distincta ab eo, habens omninò esse creatum, & in se solùm est figura, vel relatio: ergo quomodocunque consideretur, est distincta res à Christo, & inferior illo, atque adeò minore adoratione digna. Dicet quispiam, argumentum probare inesse rei imaginem non identificari cum suo prototypo, non autē inesse repræsentatiuo, quod sufficit, vt imago, & eius exemplar, eadem adoratione colatur. Contra hoc replicatur. Nam esse isto pacto imaginem idem quod suum exemplar, est esse idem secundùm quid, nam illud esse repræsentatiuum est quoddam esse diminutum comparatum ad verum esse exemplaris: ergo adoratio, quæ debetur imagini secundùm illud diminutum esse, non erit æqualis ei, quę debetur exemplari: nam adorationes proportionari debent rebus adoratis, quantoq; excellentior est res adorata, tanto præstantior ei debetur adoratio. Confirmatur: quia ratio adorandi imaginem exemplar est: ergo non eadem adoratione coluntur, quia causa, & causatum valde differunt.

Quartò. Non possumus eodem actu velle finem, & media: ergo neque adorare imaginem, & exemplar, quæ se habent velut medium, & finis. Antecedens probatur. Quia actus voluntatis circa finem dicitur intentio, circa media verò electio: durante autem intentione finis variatur electio mediorum. Item, quia obiectum mediorum est bonum vtile, & amor illi correspondens est amor concupiscentiæ; amor autem finis est amicitiæ: ergo sunt distincti actus. Vltimò. Quia durum esset, & tyrannicum exigere æqualem adorationem fieri statuæ Regis, & ipsi Regi: ergo non minus durum est eadem adoratione afficere imaginem, & eius prototypon. Multa alia argumenta pro hac sententia omittimus, vel quia ad proposita reducuntur; vel quia ex dicendis non erit difficile ea diluere.

Quarta opinio media est inter secundā, & tertiam. Asseuerat enim cum secūda imagines posse adorari eodem actu simul cum exemplari, & cum tertia ait posse diuerso actu adorari, quàm exemplar.

Pro huius sententiæ explicatione notandum est, bifariam aliquid adorari posse. Vno modo, per se, quando illud est tota materia, & terminus adorationis, quod fit vel ratione sui, vt cùm Rex honoratur ratione suæ Regiæ dignitatis, vel ratione alterius, vt cùm legatus Regis colitur, eo quod minister Regis est: tunc legatus est tota materia, & terminus honoris, quia ipse solus est, qui honoratur, ratione tamen dignitatis, quæ illi accrescit, eo quòd legatus Regis est. Vnde ipse Rex est ratio honorandi legatum, etiā si non sit qui honoratur: & sicut proximus diligitur ex charitate, vt materia, & terminus integer amoris, etiam si propter Deum ametur: Deus autem non est terminus illius amoris, sed ratio amandi proximum: & sicut in electione mediorum, quæ distinguitur ab intentione finis, res volita est medium, quod à fine distinguitur, finis tamen nō est res volita, sed ratio volendi: sic etiam imagines interdum adorantur per se, vt tota materia, & terminus adorationis diuisæ ab exemplari, quod simul cum eis, & in eis, non adoratur directe, & vt quod, sed ratio est adorandi imaginem. Et hanc adorationem vocat sententia hæc relatiuam, quia fertur in imaginem relatam ad exemplar, quamuis ipsum exemplar nō adoretur, vt quod. Alio modo adoratur aliquid per aliud, in quo est dignitas, & excellentia, sic adoratur pars cum toto, purpura cum Rege, corpus cum anima, humanitas Christi cum diuinitate; sic adoratur imago quoties cum exemplari coniuncta adoratur: & ab hac adoratione non excluditur exemplar; sed simul est quod adoratur, & quo adoratur imago, id est, ratio adorandi imaginem. Istam sententiam defendunt Sanderus lib. 2. de imaginibus cap. vlt. Albertus Pigius lib. 8. contra Erasmum, Robertus Bellarminus tom. 1. controuersia 7. lib. 2. cap. 20. vsque ad 25. & Franciscus Suarez 3. p. q. 25. art. 3. disputatione 54. sectione 4. & 5. & isti, præcipuè Bellarminus ait, istum modum adorandi imaginē simul cum exemplari esse adorationem impropriam, esseque rarò in vsu: quia quod per accidens adoratur impropriè colitur. Alterum verò adorandi modum, per se alio motu ab exemplari, dicunt esse propriam adorationem, & esse in frequenti vsu fidelium: & hi putant sic conciliare sententiam D. Thom. & antiquorum asserentium, imaginem eadem adoratione coli, qua eius exemplar, cum septima Synodo, in qua inferior adoratio quàm latria assignatur imaginibus, etiam Christi. Primam partē probant eisdem argumentis, quibus secunda sententia; secundam verò illis, quibus tertia fulcitur. Et quia tota huius rei contentio inter hos, & Thomistas est, an detur adoratio

Sanderus. Albe. Pig. Bellarm. Suarez.

tio imaginis per se,id est,non adorato prototypo, Thomistis negantibus,his vero asserentibus, probat Suarez partem affirmatiuam argumentis subijciendis.

Primum.Potentia potest tendere in obiectum materiale propter aliud,etiam si directè non tendat in obiectum formale, seu rationem propter quam:ergo potest tendere in imaginem tãquam in obiectum,quod absque eo quod formaliter, & expresse tẽdat in exemplar, quod est obiectum quo, seu ratio formalis tendendi in imaginem. Antecedens probatur in actibus intellectus,& voluntatis.Etenim potest quispiam credere vnum articulum reuelatum, absque eo quod credatur illo eodem actu Deum reuelasse,& esse primam veritatem,quod est ratio credendi,quamuis necessariò requiratur,aliquo actu præcedenti credidisse Deũ, qui verax est, reuelasse: ergo potest quis imaginem adorare,absque eo quod illo eodem actu adoretur exemplar formaliter, & vt obiectum adoratum,quamuis non possit absque eo quod virtualiter adoretur:cum sit finis, & ratio propter quam adoratur imago. Simile argumentum desumitur ex actu scientiæ, qui non directè fertur super præmissas,& principia tanquam super obiectum quod,sed præexistente cognitione præmissarum, fertur super conclusionem, quæ ex prẽmissis infertur.Idem etiam probatur in actibus voluntatis, nam pura electio medij directè,&formaliter nõ versatur circa finem propter quem eligit media: ergo potest voluntas adorare imaginem, sine eo quod eodem actu formaliter adoret exẽplar,propter quod adorat imaginem.Antecedens probatur: nam poterit quis amare proximum propter Deum,absque eo quod eodem actu Deus formaliter ametur,sed solùm virtualiter: ita quo sensu dixit Paulus ad Rom.11.*Qui diligit proximum legem impiebit*. Confirmatur.Quia hæc duo obiecta volita,imago,scilicet, & exemplar, nõ sunt necessario connexa, sed sufficit concipere vnum in ordine ad aliud: ergo, quamuis possit adorari imago cum exemplari eodẽ actu,poterit etiam adorari alio actu distincto,quod sæpè contingit,putà quando non considerantur imago, & exemplar per modum vnius adæquati, & totalis obiecti, sed consideratur imago in confuso,& quasi cõceptu quodam generali, tanquam res quædam sacra, seu dicata diuino cultui.

Rom. 11.

Et notandum est præfatum Suarez trifariam imaginem considerare:vno modo, in actu exercito,id est, vt exercet imaginis actum,quod est suum exemplar repræsentare.Secundo modo, vt res quædam naturalis aut artificialis est,putà,vt est lignea,sic; vel sic depicta.Tertio modo,vt est quędam res sacra,id est,dicata diuino cultui,& in honorem Dei,vel sanctorum instituta.Et ne videatur discedere à Diuo Thom.qui duas tãtum acceptiones imaginis considerauit, & agnouit,ait, hanc posteriorem acceptionẽ imaginis,ad priorem quoda modo reduci, quia in ea imago consideratur vt imago, nõ quidem in actu exercito, id est, quod actu exerceat officium repræsentandi exemplar; sed tantùm specificatiue, seu relatiue, quia consideratur imago, vt est quædam res habens relationem ad tale exemplar, à quo participat quãdam sanctificationem, & quasi consecrationem saltem per denominationem extrinsecam.Priore modo eadem adoratione colitur,qua suum exemplar.Secundo modo nullum fundat genus adorationis. Tertio modo per se adoratur, non adorato exemplari, sine vllo peccato.

Argumentatur secundò. Imagines hoc ipso quod ad Deum,vel Sanctos repræsentandos sunt dicatæ, etiam diuino cultui deputatæ sunt,vt docet D.Thom. 2. 2. q. 99. ar.2.& 3.ergo habent dignitatem,&sanctificationem rerum sacrarum,& tanquam res sacrę sunt adorabiles.Probatur consequentia.Propria imaginis sanctificatio omni imagini conueniens(vt mittamus modo benedictionem, & sacrationem quandam cæremonialem,qua solent quædam imagines benedici)consistit in repræsentatione personæ sacræ,ad quam habet respectum ex hoc præcisè,quod illius similitudinem gerit, & vice illius substituitur, vt significauit Anastasius 7.Synodo actione 4.sed ex vi huius repræsentationis,&institutionis,habet imago aptitudinem ad eos sacros vsus, ad quos conferre possit:ergo hoc sufficit, vt tanquã res sacra sit venerabilis, etiam non adorato prototypo,& ideò in septima Synodo, de imaginibus simpliciter dicitur esse veneratione dignas.

D. Thom.

Anastas.

Tertio.Quia illud fundamentum contrariæ sententiæ,videlicet,res inanimatas, aut irrationales non esse adorationis capaces, non adorato exemplari,falsum omnino est; quod colligitur primò ex sacris literis,Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, vbi sermo erat de propitiatorio,aut quod verius est,de arca testamenti. Secundo , ex septima Synodo dicente:

Psalm. 98.

Ima-

Imagines adorabiles, & venerabiles, & earum adoratio comparatur cum adoratione ſacrarum veſtium, calicis, libri Euangeliorũ, & ſimilium. Tertiò: id ratione colligitur, quia licèt res inanimata non ſit adorabilis propter ſe, eſt tamen adorabilis in ſe propter aliud, & tunc affectus adorationis terminatur ad ipſam, vt in ſe verè adoratam. Hæc & alia accumulat præfatus Suarez magna verborum multiplicatione. Sed hæc ſufficiant, quibus ſi ſatisfiat, cæteris non eſt difficile ſatisfacere.

Quinta ſententia affirmat cum D. Tho. & eius ſequacibus, imaginem, & exemplar, non adorari diuerſo motu, ſed vno, & eodem: inſuper contra Autores tertiæ, & quartæ ſententiæ, ait, non poſſe ſecũdùm ſe imaginem adorari, non ſimul adorato exemplari, niſi ſtultitiæ, aut idolatriæ inſimulentur adoratores. Aſſeuerat tamen quid peculiare, videlicet, non aliter, neque alia ratione adorari imagines, niſi quia coram eis, & circa illas exhibentur externa ſigna honoris, vt genuflexio, deoſculatio, inclinatio, aut capitis apertio, vel ſimilia: affectus tamen interior, inquiunt, quatenus eſt affectus honorandi, ſeu exhibendi ſignum reuerentiæ, & ſeruitutis, nullo modo dirigitur ad imaginem, ſed ſolùm ad prototypon tanquam ad vnicum adorationis obiectum. Explicatur ſententia hæc à ſuis Autoribus: nam actus adorationis externæ (de qua ſermo fit) duobus cõſtat, & perficitur; vnum eſt nota exterior ſubmiſſionis, vt genuflexio, &c. alterum eſt ſubmiſſionis affectus, quo quis ex apprehenſione excellentiæ dignitatis, alicui excellenti notam illam vult exhibere, ſine quo nota exterior non eſſet adoratio, & cultus, cùm poſſet quandoque fieri ioci, aut irriſionis cauſa. Hæc autem duo præfata non ſunt duo adorationes, aut cultus, ſed ex vtroque vnus actus reuerentiæ, & honoris conſtat, ſicut in vniuerſum, actus virtutis, interiore, & exteriore conſtituitur: quãdo ergo adorantur imagines iſto vnico actu, adorantur ſimul cum prototypo. Sed ait ſententia hęc: Nota illa exterior dumtaxat imagini exhibetur: affectus verò ſubmiſſionis nequaquam, neque ipſa eadem ſubmiſſionis nota, ſed totum hoc in prototypon transfertur, qui ſolus dignus eſt ſubmiſſione animi, & affectu ſeruitutis. Probatur hæc ſententia. Primò. Quia imago, & quæuis res inanimata non eſt vllo modo capax affectus ſubmiſſionis, & ſeruitutis, ſed ſolùm erga illum verſatur, quem quis apprehendit ſibi ſuperiorem, & excellentia præditum: nam minori, qui nulla ratione poteſt vt maior apprehendi, nemò ſe ſubijcit: ergo multo minus creaturæ inanimatæ, & irrationali, qualis eſt imago: imò qui ei notam exhiberet ſubmiſſionis ex affectu illo veræ ſeruitutis peruerſè ageret, & genus quoddam ſuperſtitionis, vel idolatriæ comitteret. Secundò mouẽtur iſti Autores teſtimonio ſeptimæ Synodi, actione 7. vbi negatur imaginibus, etiam Chriſti, latria, quã interpretantur, affectum ſeruitutis, & ſubmiſſionis, vel notam eiuſdem ſubmiſſionis ex prædicto affectu promanantem.

Hanc ſententiam expreſsè tenet Payua lib. 9. orthodoxarum explicationum, per totum, præſertim. §. de imaginibus, verſiculo, *At Kemnitius*, vbi inter alia ſic ait: *Quamquam ſi corporis motus, externamq; venerationem ſpectes, imago ipſa colatur: animus certè qui pietatis, religionisq; ſedes eſt, nihil minus, quàm lignũ, colores, atque imaginem intuetur, ſed totus in re, quam imago refert poſitus eſt.* Vnde infertur, non pugnantia dicere qui ſe imaginem adorare affirmauerit, & negauerit: nam adorat corpore, animum verò in ſolum exemplar defixum habet. Eandem ſententiam expreſsè ſequitur Gabriel Vazquez è Societate Ieſu, lib. de adoratione, ſæpè, præſertim lib. 2. cap. 12. 14. & 15. Fauent interdum Vvaldenſis, Turrianus. *Payua.* *Vazquez.*

Nobis tamen tenenda eſt, ac ſequenda ſententia antiquorum Doctorum, præcipuè D. Thom. quam eſſe etiam ſacræ Synodi oſtendemus, quæ tantùm conſtituit duas conſiderationes imaginis. Prima eſt, vt res quædam eſt: & explicat Caietanus; hæc cõſideratio non eſt ſolùm imaginis ſecundũ materiam, putà, vt lignea, vel marmorea, verùm etiam ſecundùm formam, id eſt, vt eſt ſimilitudo, & relatio quædam repræſentans ſe ipſam, & exercens in ſe ipſum actum imaginis, ſiue ſecundùm rem, quæ eſt materia, ſiue ſecundùm rem, quæ eſt forma. Secundo modo conſideratur, vt imago eſt: explicat Caietanus, vt exercet actum imaginis, hoc eſt, non vt in ea terminatur cognitio, ſed vt repræſentat nobis rem, cuius eſt imago. Ait ergo D. Thom. imagini ſecundùm priorem conſiderationem nulla reuerentia exhibetur, quia reuerentia non niſi rationali naturæ exhibetur: at ſecundùm poſteriorem conſiderationem eadem adoratione colitur imago, qua eius exemplar, vt colligitur ex Ariſtotel. lib. de memoria, & reminiſcentia, cap. 2. Itaque ſecundùm ſententiam *Caietan.*

tiam D. Thom. non colitur imago alia adoratione, quàm ea, qua colitur exẽplar, quod si exemplar Christus est, aut Trinitas, tam imago, quàm exemplar, latria colitur.

Hæc sententia D. Tho. varie explicatur ab eius discipulis, quidam ipsum interpretantur distinguentes de identitate adorationis imaginis, & exemplaris: nam si sit sermo ex parte habitus, quia videlicet vtraque adoratio ab eodem habitu procedit, quia in eodem motiuo fundatur, fatentur esse eandem adorationem imaginis, & exemplaris: si verò sit sermo de identitate actus id negant, sed dumtaxat sunt valdè similes, eo quod differunt tanquam perfectum, & imperfectum, vel sicut dilectio Dei, & proximi respectu habitus charitatis. Ita explicat *Cordubens.* Antonius Cordubensis lib. 1. q. Theol. q. 5. dubio. 4. Sed quamuis ipse putet se sequi D. Thomam, re vera longè alienus est ab *Caietan.* eius mente. Caietanus, & alij aliter explicant, de quorum expositione infrà dicendum est: modò tamen, quid de hac re ego sentiam per assertiones sequentes explanabo.

Prima assertio. Sententia Durandi, & aliorum qui asserunt imagines impropriè, & abusiuè adorari, ob id tantùm, quia nos in recordationem exemplarium inducunt, quæ adoratione digna sunt, & adorantur: sententia, inquã, hæc temeraria est, & sapit hæresim Iconomachorum. Probatur prior assertionis pars: Nam quamplura Concilia definierunt, & sancti Patres assenserunt, imagines esse adorandas ex traditione seruata à tempore Apostolorum vsque ad nostra tempora, vt in superioribus demonstrauimus multis: sed quod impropriè, & abusiuè adoratur nõ simpliciter adoratur: ergo asserere imagines dumtaxat impropriè, & abusiuè adorari, ingens temeritas est, opposita definitioni Conciliorum, & Patrum doctrinæ. Confirmatur. Quia Concilia definierunt imagines esse adorandas: at Concilia non definiunt propositiones in sensu improprio, & abusiuo.

Secunda pars probatur. Quia quidam hæretici (quos possumus appellare, semi-Iconomachos) extiterunt tempore septimæ Synodi generalis, qui imagines in templis admittebant tùm ad ornatum, tùm ad excitandam memoriam exemplarium, quæ à fidelibus adorarentur. Hos refert Epipha. in act. 7. eiusdem Synodi, & sacra Synodus dãnat, & hos sequuti sunt hæretici Lutherani: at isti nò vererentur dicere imagines abusiuè adorari, sicut Durãdus, & sequaces; siquidẽ abusiuè adorari, est in memoriã adducere, & recordationẽm, exemplaria, quæ adorantur: ergo sententia hæc eadẽ est, aut ferè, cũ errore istorũ semi-Iconomachorũ. Cõsultò dixi mitiùs, quàm alij (sapit hæresim) quia re vera sententia Durandi ab errore præfato differt multùm. Illi enim hæretici, qui retinebant imagines in templis tantùm ob recordationem exemplarium, nequaquã patiebantur vllam, nec exteriorem reuerẽtiam exhiberi illis, non osculum, non salutationẽm, non genuflexionẽ, neque aliam huiusmodi venerationis notam, sed erecti, & capite aperto assistebant imaginibus, ac B si coram imaginibus prophanis adstarent. Durandus verò, Holcot, Castro, & alij Autores primæ sententiæ, omnem hanc reuerentiæ notam imaginibus exhibebant, licet assererent hoc ad impropriam adorationẽ, & abusiuam pertinere, quod nos nequaquã approbamus.

Secũda assert. Licitè, & sanctè colũtur imagines eadẽ numero adoratione, qua eadem exẽplaria. Itaq; Christi, & Trinitatis imagines colũtur latria, sicut earum prototypa: B. Virginis imago hyperdulia, sicut ipsa B. Virgo. Probat. ex Synod. generalibus, Nic. 2. & Triden. vbi sæpè dicitur, imaginis honorem ad exẽplar transire, certè tanquã ad terminũ adorationis, quod fieri nequit nisi eadẽ adoratione imagines, & earũ exẽplaria colantur. Synodorum expressa verba inferius adducemus. Secundò probat. ex Patribus. D. Athan. contra Arrianos, & refertur act. 4 7. Synodi: *Athanas.* *Qui adorat imaginem, is Regem adorat, nam illius formam, & speciem imago continet.* Et actio. eadem Tharas. sic ait: *Tharasius.* *Hæc sanè rerum natura docet, quod honor imagini exhibitus ad ipsum fontem primum referatur, quo modo & contumelia.* Et Nicephorus Cõ- *Nicephor.* stantino in dialogo, qui inscribitur, orthodoxus Latinitati donatus à Francis. Turria. D lib. 1. pro Canonibus Apostolorum ca. 25. introducit hæreticũ interrogantẽ, vbi scriptũ sit de adoranda Christi imagine, & respõdet: *Vbi scriptum est adorandũ esse Christum, siquidem inseparabilis est à prototypo effigies.* nimirũ in adoratione: & post pauca: *Imago Christi habet cõmunicationem nominis, & honoris, atque adorationis cũ prototypo.* Innumera sunt Sanctorũ, ac Patrũ testimonia, quæ d ipsum comprobant, quorum aliqua adducemus circa tertiam assertionem.

c Tertiò probatur rationibus. Prima sit, partes physicæ cum toto eodem adorationis

motu

motu adorantur: nam quando Regem adoramus, eius caput ac certa membra coadoramus, imò & purpuram, qua amictus eſt, thronum in quo ſedet, & quæcunque illi quouis modo coniuncta: ſed imago confertur cum exemplari, vt pars cum toto, & ſicut purpura cum Rege, vt eleganter docuit
Theopha. Theophanes Epiſcopus Nicæ, relatus à Turriano lib. de caracteribus dogmaticis: ergo imago cum exemplari eodem motu coadoratur. Hanc rationem tetigit Caietanus, &
Caietan. *D. Thom.* D. Thom. expreſsit 3. p. q. 25. art. 1. & prius
Damaſc. Damaſcenus, oratione 1. de imaginibus. *Quemadmodum*, inquit, *purpura, & ſericum, & quod ex his veſtimentum conficitur, per ſe nihil aliud ſunt niſi tenue quoddam operimentum, quod tamen ſi Rex induerit, honoris, quo præſtat Rex ipſum quoque particeps fit: ita res ex materia conſtantes, per ſe quidem adorandæ non ſunt: at ſi gratia plenus ſit is, quem illæ referunt, pro fidei proportione, ipſæ quoque participes fiunt.* Et clarius lib. 4. de fide ca. 12. *Quamobrem*, ait, *omnia, quæ Deo dicata ſunt, ita adoramus, vt cultum, ac venerationem ad eum referamus.*

Aduertendum tamen, hunc imagines adorandi modum communem eſſe imaginibus, & alijs rebus ſacris, vt teſtatur Baſilius
Baſilius. lib. de Sacramento ad Amphilochium cap. 10. relatus in actione 4. ſeptimæ Synodi. Et ipſa ſeptima Synodus in definitione fidei,
Ayala. actione 7. Sed aduerſus hoc obijcit Ayala, & alij tertiæ ſententiæ ſectatores: nam veſtis Regia, thronus, & huiuſmodi, quando ſunt coniuncta Regi realiter cum eo vnum componunt, ſaltem accidentaliter, ipſumq; quodammodo contingunt, & ideo coadorari poſſunt cum Rege vna, & eadem adoratione. Quod ſi ſeparentur à Rege nequaquã coli poſſunt eadẽ adoratione, ſicut de Chriſti humanitate aſſerit Epiphanius in Ancho-
Epiphan. rato: at verò imago cum ſemper ſeparata ſit à ſuo exemplari, neque vnum accidentariè componat cum eo, nequaquam colitur, niſi tanquam res quædam ſacra ratione eius, quod repræſentat, propter quod aliquã venerationem meretur. Ayalæ obijcimus te-
Leontius. ſtimonium Leontij in dialog. 5. contra Iu-
Damaſc. dæos, cuius meminit Damaſcenus oratione 3. de imaginibus, & refertur in 7. Synodo actione 4. vbi ſic dicitur: *Quemadmodum etiam Iacob accipiens à filijs ſuis veſtem ſanguine conſperſam Ioſeph cum lachrymis oſculatus eſt, ſuiſq; oculis circumpoſuit, non ipſam veſtem honorando, aut diligendo fecit, ſed per eam arbitratus eſt ſe Ioſeph oſculari, & in manibus habere, ſic Chriſtiani omnes imagines Chriſti, aut Apoſtoli, aut Martyris tenentes noſtraq; carne oſculantes, animo videmur nobis ipſum Chriſtum, aut Martyrem amplecti.* Et Leontius non curat, an ipſa veſtis coniuncta ſit cum eo, quem veneramur, & diligimus, vt eodem affectu, & motu cum ipſo poſsimus ipſum oſculari, & reuereri. Et idẽ docet de imagine, nam quamuis, vt veſtis cum eo, qui eam induebat, & vt imago cum exemplari adoretur, debeat vnum cum ipſo componere, non tamen neceſſe eſt id fieri reali coniunctione, & vnione, ſed ſatis eſt ſi ſola cogitatione fiat: affectus enim adorationis ſequitur rem, vt apprehenſam cogitatione, quare niſi etiam imago coniungeretur exemplari, & cum ipſo ſaltem cogitatione faceret vnum, non poſſet adorari. Et idẽ dico de Chriſti humanitate, quæ coniũcta Verbo coadoratur: & dato ſepararetur realiter, ſi tamẽ apprehẽderetur vt aliquid, quod vnitũ fuit Verbo diuino, eadẽ adoratione poſſet coli, qua Verbum. Et Epiphanius citatus intelligendus eſt, ſi ſeruaretur modus, quo humanitas coli ſolet ſimul cum ſuppoſito.

Igitur nos aſſerimus, imaginem cum ſuo exemplari eadem adoratione poſſe adorari, eo adorationis modo, quo ſuppoſitum ſimul cum adiunctis colitur: v.g. partes ſingulæ cum toto, purpura cum Rege, & in hoc adorandi modo imago dumtaxat conſideratur, vt res quædam ſacra eſt coniuncta cum exemplari ſacro: coniungitur autem vt eſt eius ſimilitudo, etiam ſi conſideretur in actu ſignato. Nihilominus ratione peculiari, quæ de imagine procedit, & non de alijs rebus ſacris, eadem concluſio probatur: imago ſe offert nobis pro ſe, & ſuo exemplari, imò in eſſe repræſentatiuo idẽtificatur cum exemplari: ergo eadem adoratione adorari debet. Hanc rationem mihi elicere videor ex Diuo Athanaſio in li-
Athan. *Damaſc.* bro contra Arrianos, & refert illum Damaſcenus in oratione 3. de imaginibus, in hunc modum: *In imagine ſpecies, & forma Regis, & in Rege ſpecies eſt imaginis, expreſſa eſt in imagine Regis ſimilitudo, vt qui videt imaginem, in ipſa Regem aſpiciat, & qui Regem videt, intelligat hunc eſſe illum, qui in ea ſit expreſſus imagine, & quia non differt ſimilitudo, idcircò poſt conſpectam imaginem volenti Regem intueri, imago dixerit: Ego, & Rex vnum ſumus.* Et poſt pauca: *Qui enim adorat imaginem, is Regem adorat, nam illius formã, & ſpeciem imago continet*: ergo ex ſententia

Atha-

Athanaſij eadē adoratione adoratur imago, & exemplar propter vnitatem in eſſe repreſentatiuo, quia poteſt dicere imago, vt ait Athanaſ. ego & Rex vnum ſumus, & ideò eadem adoratione colenda, & Nicephorus citatus in orthodoxo, non diſsimili methodo procedit, dicens: *Deus & homo dicitur Chriſtus, imago verò eius ſignificatione nominis dicitur Chriſtus, non autem natura diuinitatis, & humanitatis, habetq; communionem nominis, & honoris, atque adorationis, cū prototypo*: & Greg. Niſſen. lib. de opific. homi. cap. 4. dicit, imaginem expreſſam alicuius Regis ex conſuetudine Regem appellari.

Nicepho. *Niſſenus.*

Tertia ratio, quæ non multum differt à ſecunda, formalius tamen, & à priori rationē noſtræ aſſertionis reddens, habet in hunc modum. Teſte Ariſtot. de memor. & reminiſc. c. 2. idem eſt motus in imaginem, & in rem cuius eſt imago: ergo idem eſt adorationis motus in imaginem depictam, & exemplar, quod repræſentat. Hæc ratio D. Thom. eſt in 3. p. q. 25. art. 3. & omnium diſcipulorū eius, ab omnibusq; habetur celebris in Scholis, quam conantur aduerſarij euertere multis aduerſus eā iactis telis. Primò aiunt quidam, illud antecedens aſſumptum nequaquam in Ariſt. haberi. Ita Ayala vbi ſup. & Gabr. Vazq. de adorat. lib. 2. diſput. 8. in c. 7. in alium retorquet ſenſum, ſed neſcio qua cōtradicendi cupiditate, cū expreſsè habeatur in Ariſtot. id quod D. Tho. docet, nempè duplicē ſpectari in imagine motum, vnū vt in rem quandā, alterū vt in imaginem. Prior motus in imagine diſtinctus eſt à motu in exēplar. Alter verò eſt vnus, & idem cū eo, qui in exēplar fertur.

Ariſtotel. *D. Thom.* *Ayala.* *Vazquez.*

Secundò. Illud ſimile phantaſmatis ad rē, cuius eſt ſimilitudo nequaquā adaptari poteſt imagini depictæ: eo quod in imaginem exteriorē fertur cognoſcens propria cognitione, & in exēplar alia diſtincta, quia imago exterior ſignū inſtrumentale eſt, atque adeò duplici notitia, ſcilicet ſui, & exemplati ſuū ſignificandi munus explet. Secus cō tingit in phantaſmate, in quod ſenſus nō fertur, vt in rem cognitam, ſed phantaſma ſolū eſt ratio cognoſcendi: in exēplar verò, vt in id, quod cognoſcitur: & ideò vna cognitione dumtaxat: ergo neque licet colligere vnitatem motus in imaginem exteriorem, & eius exemplar, ex vnitate motus in phātaſma, & eius exemplar: imò benè deprehenditur antecedentis falſitas in imagine exteriore, & eius exemplari, quod ſi alicubi verum habet, id erit in imagine interiore, qualis eſt phantaſma, aut verbū mentis. Cōfirmatur. Si aliquis vellet aſſerere imaginē exteriorem eſſe tantum id, quo exemplar cognoſcitur, aut adoratur, vt per omnia aſsimilaretur phantaſmati, adhuc peius ſequitur inconueniens, nam aſſerentes imaginem non eſſe id, quod adoratur, incidere neceſſe eſt in errorem quorundam Iconomachorum dicentium imagines retinendas tantū ob recordationem, nō propter adorationē. Tertiò obijcit Durandus, nam aliud eſt motus in imaginem, & rem eſſe vnum, aliud eſt imaginem, & rem vnum eſſe. Primum habetur ex litera Ariſtotelis, non autem ſecundum: nam ſunt correlatiua, quæ licèt ſimul apprehendantur, dicuntur tamen, & ſunt diuerſa; quòd ſi diuerſa ſunt adoratio cuilibet ſeorſum debetur, maximè quia diuerſæ rationis ſunt. Caietanus in explicanda hac ratione nimis ſubtiliter procedit, ſed verè meo iudicio, & ait bifariam poſſe imaginem conſiderari: primò, vt res quædam eſt in ſe, & iſto pacto non ſolùm conſideratur materia ex qua fabricata eſt, ſed forma quoque, & colores, lineamenta, imò etiam relatio ad exemplar, ſiue illa ſit rationis, ſiue realis, & iſto pacto aſſerit non neceſſarium eſſe, vt idem motus intellectus, ac voluntatis feratur in imaginem, & exemplar. Poteſt enim intellectus, & affectus ſiſtere in ipſa imagine ſecundùm ſe, quia poteſt alicui placere imago, quod ſcitè expreſſa ſit, & quod optimè repræſentet ſuum exemplar, & ſimul diſplicere, aut odio habere ipſum exēplar, aut forte illius non recordari. Secundò conſideratur imago quatenus officium imaginis exercet, hoc eſt, quatenus nos ducit in notitiam exemplaris; cuius actus, & motus, nempè cogitationis, ratio formalis eſt ipſum exemplar: ac ſi dicat terminum formalem, quem ipſa reſpicit; conditioverò eſt imago, quia per illam in exemplar ferimur: hoc autem modo idem eſt motus tam intellectus, quàm voluntatis in imaginem, & in exemplar, nec animus ſiſtit in imagine per ſe, ſicut in priore imaginis conſideratione.

Durand. *Caietan.*

Sed contra Caietanum argumentor quartò. Non enim explicat qualis, & quis ſit ille actus, quem eſſe eundem in imaginem, & exemplar aſſeruerat Diuus Thomas cum tota antiquorum Doctorum Schola: etenim vel ille actus, qui dicitur eſſe idem, vel eſt intellectus, aut voluntatis: non intellectus, nam ſi quis videt imaginem depictam, & ex illius cognitione venit in cognitionem, aut

aut recordationem exemplaris; non eſt in intelligente eadem notitia imaginis, & exẽplaris, ſed diuerſa: videlicet, vna qua cognoſcit imaginem, alia qua per imaginem exemplar cognoſcit, quæ interdum eſt recordatio, cum tamen notitia imaginis recordatio non ſit, ſed ſimplex quædam notitia. Hæc probatur ex definitione ſigni inſtrumentalis, qualis eſt imago, quod mediante duplici notitia ducit nos in cognitionem ſui ſignati, ſecùs contingit in imagine interiore, quæ non eſt id, quod cognoſcitur, vt dicebam in argumen. 2.

Quod verò non poſsit eſſe idem motus voluntatis in imaginem, & exemplar, patet, quia non eodem amore proſequimur imaginem, & rem, cuius eſt imago, vt ipſe Caietanus fatetur, & res clara eſt; nam benè ſtat diligere imaginem, & odire exemplar. Item, quia relatiua ſimul cognitione ſunt, non autem ſimul amantur; nam licet pater, & filius ſimul cognoſcantur, ſtat amare patrem, & odio habere filium: ergo ex opere intellectus erga imaginem, & eius exemplar, non licet idem colligere in opere voluntatis, quale adoratio eſt. Dices. Eſt actus religionis, & obſequij, id eſt, ſubmiſsionis. Contrà: nam iſte non terminatur ad imaginem ſed ad rem; obſequij enim, & ſubmiſſionis res inanimatæ non ſunt capaces, vt fuſius aſſertione ſequẽti oſtendemus. Quin tò: quia Caietanus ſubijcit hæc verba: *Ideò Chriſtus, cuius eſt imago, eſt ratio, quod imago eius adoretur, & eſſe Chriſtum in imagine eſt conditio in qua ratio adorandi mouet ad adorandum, & terminat adorationem: & propterea non adhibetur honor adorationis creaturæ, ſed creatori: quia non exhibetur conditioni adoratæ rei, ſed rationi adorandi, quæ eſt ipſe Chriſtus.* Hæc Caietanus. Ex quibus videtur apertè colligi totum motum adorationis ita ad exemplar referri, vt nihil illius, imaginem, quæ eſt conditio adorationis, attingat; quod eſt incidere in ſententiã quorundam Iconomachorum, qui imagines tãtùm ob recordationem conſeruabant.

Ad hæc argumenta cõtra proceſſum D. Tho. & Caiet. cõtinuò reſpondendũ eſt, ſed præmittere oportet bifariam poſſe exhiberi imagini adorationẽ eandem, quæ eius exẽplari confertur: vno modo, conſiderando imaginem, vt quid (ſaltem cogitatione) coniunctum cum ſuo prototypo, videlicet, cõſiderando imaginem in actu ſignato, vt dicitur, id eſt, vt eſt ſimilitudo quædã ſui exẽplaris; quãuis non exerceat actũ imaginis, & iſto pacto, eodem adorationis motu, quo ſuũ exemplar adorari debet, inſtar adoratio nis vnius, quæ exhibetur Regi, & eius veſti Chriſto, & eius humanitati, calicibus, & alijs rebus ſacris: & quamuis iſte vnus motus in imaginem, & eius prototypum in momento temporis perficiatur, tamen, vt melius percipias quomodo fiat, de eo loquendum eſt, ac ſi in diuerſis morulis perageretur. Etenim apprehenſo prototypo per intellectum, ſimul & eius excellentia, ratione cuius dignus eſt veneratione, ac honore, voluntas vult, ac proponit ſe ei ſubijcere interius, exteriuſq; hoc eſt, cupit eum adorare; & ex hoc propoſito, ſiue voluntatis actu dimanat, vt homo prorumpat in actualem adorationem prototypi, & imaginis: prototypi quidem, vt termini primarij per ſe, & potiſsimè intenti: imaginis verò, vt alicuius coniuncti cum eodem prototypo, ac ſubinde termini ſecundarij: non quod ſint diuerſi termini formaliter, ſed quia duæ res cùm ſint ſimul coadorantur, & quod alij dicunt prototypum per ſe, imago verò per accidens adoratur.

Secundo modo exhibetur honor idem, ac eadem adoratio imagini, & eius exemplari, conſiderando imaginem non vt quid coniunctum cum ſuo exemplari, ſed potiùs vt vnum cum ipſo in eſſe repræſentatiuo, quod aiunt, id eſt, vt exercet actum imaginis. Et poſſemus claritatis gratia tripliciter conſiderare imaginem. Primo modo ſecundũ materiã, colores, ac lineamenta; & ſic nullus ei debetur cultus. Secundo modo, vt eſt ſimilitudo ſui exẽplaris in actu ſignato, quod dicitur: & ſic poteſt apprehendi, vt quid cõiunctum cũ ſuo exẽplari: & ſub hac cõſideratione coadorari cum ſuo prototypo, ſicut coadoratur purpura cum Rege. Tertio modo, vt exercet actum imaginis: & ſic non eſt quid coniunctum cum ſuo exemplari, ſed potiùs vnum cum illo in eſſe repræſentatiuo, & iſto pacto adoratur imago eadẽ adoratione numero, qua ſuꝰ prototypus. Progreſſus verò iſtius adoratio nis noſtro modo intelligẽdi perficitur, ſic: Obijcitur imago ſenſui ſecundùm colores, ac lineamenta, & deinde intellectus apprehendit illã, vt mediũ ad cognoſcendũ eius exẽplar, imò vt ipſiſsimũ exẽplar, in quod veluti trãsformatur, & cognito exẽplari per imaginẽ, intellectꝰ iudicat illud ſignũ honore, ac adoratione dignũ, & vt talevolũtati ponit: volũtas autẽ vult, & iubet adorare, homo autẽ adorat in imagine relucẽs exẽplar,

ſeu quod idem eſt, adorando imaginem, adorat exemplar, quia in eſſe repręſentatiuo idem ſunt (vt notauimus ſuprà ex Athana. lib. contra Arrianos) in iſto modo adorandi licèt poſſemus diſtinguere terminum primarium ac ſecundarium: formalius tamen loquimur ſi vnum dumtaxat cõſideremus, nempè exemplar identificatum cum imagine, ſeu imaginem identificatam cum exemplari. Et hic modus adorandi imagines perfectiſsimus omnium eſt, in quo non tam adoratur imago, quàm exemplar, neque animus adorantis ita intentus eſt in imaginem, quaſi in aliquod diuerſum ab exemplari, quod non obſcurè videtur indicaſſe Niſſenus citatus ab Adriano in Epiſt. ad Imperatores, quæ eſt in 2. actione ſeptimæ Synodi in hunc modum: *Nam qui imginem aſpicit, quæ ex arte per diuerſos colores in tabula eſt expreſſa, non ex pictura, & colorum tinctura ſimilitudinem accipit: ſed ad contemplationẽ primi exemplaris animum reducit.* Et Thomas Vvaldenſis id ipſum clarius expreſsit tom. 2. de Sacramentalibus, cap. 156. num. 6. his verbis: *Sicut enim qui viderit imaginem alicuius, videt eum cuius eſt imago, eo ſcilicèt intuitu: ita quod penè obliuiſcitur imaginis, dum prima contemplationis inſtantia rapitur in ſignatum, & ſic vident multi quoſdam veſtitos, qui interrogati de colore veſtis ignorant, quia toti ferebantur in hominem: ita qui adorant imaginem, eum adorant cuius eſt imago.* Et Baſilius lib. de Sacramento infrà citandus, *quia Rex*, inquit, *dicitur Regis imago.*

Niſſenus. *Tho. Vva.* *Baſilius.*

Igitur ex duobus modis præfatis, adorantur imagines eodem adorationis motu, quo eadem exemplaria: inter quos multa reperiuntur diſcrimina. Primum, nam prior modus adorandi imagines, communis eſt vaſis, ac libris ſacris, reliquijs, ac alijs huiuſmodi; poſterior verò peculiaris eſt ſolis imaginibus. Prior modus adorationis fundatur in cõiunctione imaginis cum ſuo prototypo, ſicut thronus, aut veſtis Regia cum Rege: poſterior non in coniunctione, ſed in vnitate imaginis cum ſuo prototypo fundatur.

His præſuppoſitis. Ad primum contra proceſſum D. Thom. ibi benè reſponſum eſt. Ad ſecundum reſp. Fatemur imaginem exteriorem, & phantaſma, non in omnibus adæquari: nam phantaſma, vt res quædã eſt, tantum cognoſcitur cognitione reflexa; imago autem exterior cognitione directa. Rurſus imaginis externæ præcedit cognitio ſenſus: phantaſmatis, non itidem: at verò aſsimilantur in hoc, quod ſicut vnus tantùm motus eſt in phantaſma, & rem cuius eſt, ſic intellectus eodem motu cognoſcit imaginẽ vt exercet munus, & officiũ imaginis, & rẽ cuius eſt imago. Similiter, & idem eſt motus adorationis in imaginẽ, vt officium imaginis exercet, & in eius exemplar: imò & quidem eodem adorationis motu, aiunt, adorari poſſe phantaſma Chriſti in Cruce pendentis, atque ipſum Chriſtũ: licet talis modus adorandi non ſit in vſu propter inſtabilitatem phantaſmatis, quod verò præceſſerit alia notitia ſolius imaginis, necne parum retulerit: nam ſicut ex ſubiecto, & prædicato ſeorſum cognitis, proprijs notitijs, reſultat vera propoſitio, quæ poteſt vnica notitia cognoſci: ita quamuis in principio formetur vnica notitia imaginis, & alia exemplaris, poteſt poſtea conferendo vnum cum alio, cognoſci eſſe vnitatem quandam inter vtrunque, & conſequenter adorari vnico actu, cuius autem potentia ſtatim dicemus.

Ad confirmationem reſpõdetur. Multò verius eſt phantaſma, & verbum mentis, nõ ſolùm eſſe rationem cognoſcendi, verùm etiam obiectum immediatius cognitũ. Hęc eſt ſententia D. Thom. 4. contra Gentes, c. 11. & de potentia, q. 9. art. 5. Secundò reſpondetur. Dato phantaſma non eſſe obiectum, quod cognitione directa agnoſcitur, ſicut & verbum mentis: adhuc aliter ſentiẽdum eſt in adorationis motu, cuius obiectũ primarium prototypus imaginis eſt; ſecundarium ipſa imago, quia omne coniunctum obiecto primario pariter cum eo adoratur vt quod. Quòd ſi conſideres imaginem idẽ cum prototypo, in vtrunq; fertur, vt quod. Itaque diuerſa ratio eſt potentiæ apprehenſiuæ, & appetitiuæ: nam apprehenſiua cognitione directa nõ apprehendit omnia, quæ ſuo obiecto, quando cognoſcitur, coniunguntur: at appetitiua benè in omnia coniuncta fertur, aut in ea quæ vnum cum ſuo obiecto reputantur: cognitio autem phantaſmatis ad potentiam apprehẽſiuam pertinet; adoratio verò ad appetitiuam. Aduertium ex Durando inferius dicemus reſpõdentes argumentis pro tertia ſententia.

D. Thom.

Ad quartum, quatenus conatur probare illum actum non eſſe amoris, concedimus intentum: quatenus autem intendit infirmare diſcurſum D. Thom. procedentis ex operibus intellectus ad opera voluntatis. Reſpon. propoſitionem Ariſt. *Idẽ eſt motus, &c.* habere verum non ſolùm in motibus partis apprehenſiuæ, verùm & appetitiuæ: dummodo in illis, quæ ad vtranq; pertinẽt,

vnum

vnum ſit ratio cognoſcendi, vel volendi aliud: & ideò, quia relatiua ſic habent, vt vnũ ſit ratio cognoſcendi aliud, & ſimul natura: ideò idem eſt motus cognitionis erga vtrũque: at verò, quia vnum non eſt ratio amandi alterum, non eodem actu amantur: at verò actus adorationis nõ eſt actus amoris, ſed ſubmiſsionis, & obſequij, pertinentis ad voluntatem, & quia exemplar eſt ratio huius obſequij erga imaginem, ideò eodem actu adorantur, & coluntur. Quomodo autem imago ſit huius capax dicemus reſpondentes ad argumenta quintæ ſententiæ.

Ad quintum reſpond. concedendo Caietanum obſcurè præbuiſſe occaſionẽ ſentiẽdi, ipſum non benè ſenſiſſe de adoratione imaginum: debuiſſent tamen Caietani ſuggilatores animaduertiſſe virum doctiſsimũ in eiuſdẽ articuli cõmẽtarijs, ſæpè ſtabiliſſe verã ac propriam imaginum adorationẽ: quare dico imaginem appellaſſe, cõditionẽ adorãtis, nõ quia obiectum non ſit, ſed quia nõ eſt ratio terminandi adorationẽ: hæc enim eſt excellentia exẽplaris adorati. Quãdo autẽ dicitur: *Honor nõ exhibetur conditioni adoratæ rei*, id eſt imagini, ſenſus eſt non exhiberi, vt terminovltimo, ac præcipuo adorationis: hic enim exemplar eſt, eo quod honor ille non ſiſtit in imagine, ſed per imaginem, & in imagine ad prototypum tranſit. Ferè eodem modo exponendus eſt Alphonſus de Caſtro, verb. *Imago*, hæreſi prima circa finem, vbi ſic loquitur: *Demq; adoratio ipſa, etſi corã Cruce ſit, mẽs tamẽ noſtra ad ſolũ id fertur, quod Crux ipſa repræſentat.*

Caſtro.

Tertia aſſertio. Vſq; adeo verũ eſt, imagines adorari propter eorũ exẽplaria, vt nequeant adorari per ſe, niſi adoratis earũ exẽplaribus. Itaq; ipſæ nõ poſſunt eſſe terminus adorationis cuiuſpiã, niſi ſimul ſit terminus qui adoratur, ipſum exẽplar. Hæc aſſertio aduerſatur 3. & 4. ſentẽtiæ Autoribus: eſt tamẽ D. Th. 3 p. loco cit. qui nõ agnouit aliũ modũ adorãdi imagines, niſi ſimul adoratis earũ exẽplaribus. Probat. ex eodẽ teſtimonio Nice. Syno. quo aduerſarij ſuã cõfirmare ſententiã nituntur. Nã in 7. act. in definit. fid. ſic habetur. *Regia via incedẽtes, & Sanctorũ noſtrorum, & diuinorum Patrũ doctrinæ inſiſtẽtes, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua Spiritus ſãctus habitat, traditiones obſeruãtes, &c.* Paulò poſt redditur definitionis ratio in hũc modũ: *Imaginis enim honor in prototypũ reſultat: & qui adorat imagmẽ, in ea quoq; adorat deſcriptum argumentum.* Ecce expreſſe Concilium loquitur de adoratione, qua

D. Thom.

A & imago, & in illa exemplar adoratur, quod appellauit, *Deſcriptum argumentum*, & etiã colligitur apertè ex ratione definitionis, quia ſcilicẽt, idem honor imaginis in prototypum reſultat. Quæ verba (velint, nolint, qui aduerſantur huic noſtræ aſſertioni) nequeunt commodè intelligi, niſi de adoratione imaginis ſimul cum adorato exemplari: ergo adoratio imaginum definita à Concilio, ea ſola eſt, qua ſimul cum imaginibus exemplaria adorantur; nõ illa quæ fingitur à præfatis Autoribus: aliàs ratio adducta à Cõcilio non probaret intentum, cũ ratio probatiua, & id quod probatur eiuſdẽ rationis

B dicuntur eſſe: quaſi dicat Concilium, debetur imagini ſua veneratio, quia debetur exemplari; & qui adorat imaginem, adorat in ea deſcriptum exemplar. Hoc teſtimonium in fauorem noſtræ aſſertionis poſſemus plus expendere. Sed accedat ſacra Tridentina Synodus, ſeſ. 25. decreto de imaginibus, habens in hunc modum: *Imagines porrò in templis, præſertim habendas, & retinendas, eiſq; debitum honorem, & venerationem impartiendam, non quod credatur aliqua ineſſe in his diuinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, vt per imagines, quas oſculamur, &*

Conc. Trid. ſeſ. 25.

C *coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos quorum illæ ſimilitudinem gerunt.* Ecce ſacra Synodus duo docet: & quod imagines debent adorari, & quod non poſſunt adorari præciſè ab exemplari: vnicam tantùm rationẽ adorationis docet, cùm dicit, nullam in eis ineſſe diuinitatem, vel virtutem propter quam ſint adorandæ; & ſubdit pro ratione: *Quoniam honor imaginis ad prototypum trãſit*: nimirum tanquam ad terminum: & expreſsiùs: *Vt per imagines coram quibus procumbimus Chriſtum adoremus, & Sanctos.* Ec

D ce definitur in hac adoratione non ſolum imagines, verùm & prototypa adorari.

Sed obijciunt aduerſarij dicentes, benè poſſe exemplar ſimul cum imagine adorari: & hoc probat noſtra ratio: at non probat imaginem non poſſe adorari per ſe, & præciſa ab exemplari, vel ex hominis libertate conſiderantis imaginem ſine exemplari, vel quia occurrit aliquid mouens ad conſiderationem vnius, & non alterius: verbi gratia, viſa imagine Chriſti, etiam ſi illa apprehendatur, vt res ſacra, & reuerenter tractanda, non tamen ſemper ſtatim cogitamus explicitè, & formaliter de

Christo in ea repræsentato, ac diuinitate illius propter quam summa veneratione digna est: & tunc imago adorabitur, non adorato prototypo. Respondetur. Si imago (vt imago est) consideretur, nequit apprehendi, nisi apprehenso exemplari: imò si apprehendatur vt res sacra, & reuerenter tractanda, si apprehensio sit imaginis, vt similitudo talis rei est, non potest apprehendi sine exemplari, sicut vnum correlatiuum nequit cognosci, altero non cognito. Quod in ordine ad adorationem esse necessarium probatur. Nam imagini nulla ineſt sanctitas, aut virtus præterquam exemplaris, cui adoratio defertur, vt definiuit Concilium Tridentinū: ergo imago non nisi ex recordatione prototypi, & affectu erga ipsum, atque ea dumtaxat ratione, quia honor ipsius in prototypum transit, est adoranda; ac proinde nulla ratione adorari potest, nisi simul cum exemplari per se primò adorato. Consequentia prior habetur in septima Synodo, & Tridētino. Secūda colligitur, quia non est credendum aliam esse rationem adorationis præter eam, quàm præfatæ Synodi docuerunt.

Secundò obijciunt aduersarij. Sancti honorantur propter Deum, & honor Sanctorum in ipsum Deum transit, vt habetur in septima Synodo actione 4. in Dialo. Leōtij, vbi dicitur: *Qui Martyrem colit, Deum ipsum colit: qui Matrem illius adorat, ipsi honorē assignat.* Sed huiusce modi adoratio verè & propriè terminatur ad ipsos Sanctos, etiam si expresè Dei non recordemur: ergo etiam si honor imaginis in prototypon trāseat, potest imago per se adorari: ita quod adoratio non transeat in prototypon tanquam in terminum.

Respondetur, negando consequentiam. Ratio discriminis est: quia Sancti in se habent sanctitatem, virtutem, aut excellentiam, ratione cuius digni sunt adoratione: ita quod ipsi sint terminus totalis adorationis duliæ, etiam si expresè Dei non recordemur: & tunc eatenus dicitur honorē Sāctorum in Deum resultare, quatenus honor Sanctorum ipsi gratus est, quæ resultantia quædam remota est, & larga acceptio; & non quia Deus ipse, vt terminus adorationis colatur. Phrasis est in sacra Scriptura vsitata Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Aliter loquendum est de imaginibus, quibus nulla ineſt virtus, aut sanctitas præter eam, quæ ab exemplari participant: & ideò non nisi ex recordatione exemplaris, & ex affectu erga ipsum, & (vt in Concilijs citatis dicitur) ea dumtaxat ratione, quia honos earum in prototypon transit, venerandæ sunt. Dicet aliquis, honorem imaginis in prototypon transire, dupliciter contingit: vno modo, tanquam in terminū primarium adorationis, adoratum eadem adoratione, qua & imago. Secundo modo: non tanquam in terminum, sed tanquam in rationem, & motiuum adorationis, à quo habet imago, vt adoratione digna sit. Primum modum censet tertia sententia impossibilem, quarta possibilem, sed vtraq; posteriorem admittit, & nos reprobamus vt impossibilem sine nota aut idolatriæ, aut fatuitatis, vt infra dicetur. Et modò probatur secū dò ex testimonio Basilij in lib. de Sacramēto, ad Amphilochium cap. 18. quod citat Damascen. oratione 1. & 3. de imaginibus, & Ioannes Vicetenens Ecclesiæ Orientalis in 7. Synodo actione 4. vbi postquam reprehenderat falsam Synodum Constantinopolitanam sub Copronimo asserentem: *Qui imaginem Christi adorat, in duo Christū diuidit*: probat falsitatem ex Basil. loco proximè citato dicente: *Quia Rex etiam dicitur Regis imago, & non duo Reges, neq; enim imperium scinditur, neq; gloria diuiditur: quemadmodum principatus, & potestas vna est, quæ nobis dominatur, sic etiā & glorificatio à nobis vna est, & nō multæ, propterea quod imaginis honor ad exēplar transit.* En Basil. ex vno imperio, & gloria vnam dumtaxat ponit adorationem imaginis Christi, & ipsius Christi: quare præfatus Ioannes adiecit hęc verba: *Vnde & Beatus Pater,* scilicèt Basilius, *iudicauit non esse duas adorationes, sed vnam ipsius imaginis, & primi exemplaris.* Autores verò tertiæ, & quartæ sententiæ, duas adorationes introducunt. Circa quod testimonium aduertat prouidus Lector, quomodo apud Basilium, honorem imaginis transire ad prototypum, tanquam ad terminum intelligendum est. Aduertat itidem eadē verba apud præfata Concilia eodem pacto intelligenda esse, cùm Concilium Nicenum ex Basilio, & Tridentinum ex Niceno relata verba desumpserint: atque adeò nō duas adorationes admittant in imaginem, & eius exemplar, sed vnam dumtaxat. Hoc ipsum amplius probatur ex testimonijs suprà allatis Sanctorum, pro secunda assertione, quæ benè expendit Vazquez de adoratione li. 2. disp. 8. cap. 4. 5. & 6.

Matth. 25.

Basilius. Damasc. Ioā. Vice.

Vazquez.

Secūdò probatur nostra assertio ratione: nulla res inanimata, aut irrationalis secundū se est

ſe eſt capax reuerentiæ, aut honoris, niſi ſimul cum rationali honoretur, aut colatur: ſed imago eſt res inanimata, & irrationalis: ergo ſine exemplari; quantumuis vt imago conſideretur, non eſt honoris, aut reuerentiæ capax. Omnes propoſitiones huius ſyllogiſmi apertæ ſunt: ſed maior, de qua poteſt quis dubitare probatur, quia honor, & cultus, teſtimonium eſt excellentiæ alicuius; præcipuè honor collatus per adorationem, eſt teſtificatio ſubiectionis adorantis erga adoratum: ſed imago cõſiderata ſine ſuo exẽplari longè inferior eſt ſuo adoratore: ergo ſine ſuo exemplari adorari non poteſt, neque coli. Probatur conſequentia, quia nullam participat virtutem, aut ſanctitatem ab exemplari deriuatam, ratione cuius efficiatur ſuperior adoratore, ſed ſemper manet inferior, & conſequenter nequaquam adorari poteſt.

Reſpondẽt aduerſarij, argumentum equiuocatione laborare: ſolum enim conuincit imaginem, vt potè inanimatam, & irrationalem, non poſſe adorari propter ſe ipſam, ſed neceſſarium eſſe, vt tota eius adoratio nitatur, & deſumatur ex natura rationali excellenti, & excedente ipſum adoratorem: at verò ratio non conuincit, quod illa adoratione ſit neceſſarium adorari eius prototypon, tanquam obiectum, quod directè adoratur. Et confirmant exemplo Legati Regis, quem per ſe coli, ac adorari non adorato Rege benè ſtat, imò & auctioribus honoribus eum proſequi, quia Legatus Regis eſt: ergo idẽ poſsibile eſt fieri circa imaginem.

Sed contra iſtam ſolutionem vehementius inſtatur. Nam cùm imago adoratur per ſe, ipſo prototypo non adorato, vt aſſeuerant Autores tertiæ, & quartæ ſententiæ, vel habet aliquam excellentiam à prototypo participatam, qua efficitur ſuperior adoratore, vel adhuc manet illo inferior: nõ primum, quia certè adhuc manet inanimis, & irrationalis, atque adeo homine inferior. Si des ſecundum: quomodo ergo poſſibile eſt ab homine, qui valdè excellit eam adorari?

Sed adhuc obijciet quis, nam eodem argumento videtur probari nunquam imaginem poſſe ab homine adorari, quia ſiue adoretur ſimul cum prototypo ſiue nõ, ſemper adoratore ſuo inferior manet ſine vita, ſenſu, aut ratione. Reſpondetur, longè diuerſam rationem intercedere: nam quando adoratur imago, non adorato prototypo; non poteſt fingi vbi adoratio colloceur, niſi in imagine ipſa; eũ autẽ adoratio includat intrinſecè animum ſubmiſſum rei adoratæ, vt vidimus in materia de adoratione, huiuſmodi autem animus non poſſet reſidere in re inanimata, & irrationali (niſi ſtultitiæ veſimus notare adoratorem, aut aliquando idolatriæ) hinc fit, vt nequeat adoratio ſoli imagini conuenire, non adorato ſimul prototypo: at verò quando ſimul cũ imagine prototypus adoratur, animus ille ſubmiſſus adoratoris in exemplari collocatur præcipuè, & in id intentus eſt: in imaginem verò tantùm vt in quid coadoratum exemplari, & (vt quidam aiunt) per accidens, & ob id nõ neceſſe eſt, eſſe illud coadoratum, rationalis naturæ; ſat fuerit adoratum principale eſſe rationale, ſicut ſi calceus Regis adoretur per ſe non adorato Rege ſtultitia eſſet, & adorare Regem, ſimul adorando calceum, quo calceatus eſt, obſequium rationabile eſſet. Diſcrimen ergo naſcitur ex adoratione, & coadoratione: nam adoratio non poteſt verſari circa rem inanimẽ, aut irrationalem, ſecùs contingit in coadoratione. Mitto modo, quòd imago tunc exercet actum imaginis, quando ſimul cum prototypo adoratur: vt autem exercet talẽ actum, vnum eſt, & cenſetur eſſe cum prototypo, & eiuſdem naturæ cum illo, & conſequenter rationalis naturæ cenſetur eſſe, ſicut ipſe prototypus: quare non exhibetur adoratio rei irrationali, quando ſimul cum exemplari adoratur.

Simile verò adductum de Regis Legato, quo exiſtimant aduerſarij triumphare, re benè perſpecta non eſt ad rem. Quia Legatus vt homo, ſubiectum adorabile eſt, & ex eo quod miniſter Regis eſt fungens eius vicibus, accreſcit illi quædam dignitas, ac excellentia à Rege deriuata, ratione cuius alij ei ſe ſubijciunt, & eum ſuperiorem agnoſcunt, quod aliàs non facerent: & ideò per ſe poteſt adorari, & coli etiam ſi Rex in ipſo non adoretur. Secùs autem accidit in imagine, aut quauis alia re inanimata, vt purpura, in quam nulla dignitas deriuatur ab exemplari, quæ faciat ipſam ſubiectum per ſe adorabile, quare circa ipſam ſolam nequit adoratio verſari, ſed dumtaxat quando ſimul cum exemplari adoratur, & tunc vna, & eadem adoratione coluntur exemplar, & imago, vt aſſerit Diuus Thomas, & ſequaces.

Tertiò. Imago, & in vniuerſum quæcunque res rationis expers, non eſt capax iniuriæ, ſine re ratione pollenti, in quam iniuria tranſeat: ergo eodem modo dicendum eſt, honorem, aut cultum nequaquam poſſe exhiberi imagini, aut cuiuis rei carenti ratione, niſi tranſeat in rem aliquam rationalem. Conſequentia probatur, quia ſubiectum, quod vnius contrarij non eſt capax, neque eſſe poteſt alterius. Maior nota eſt lumine naturæ, & de imagine expreſsè aſſeuerat Adrianus de imaginibus, cap. 8. verſus finem: *Neſcis quoniam ſi quis imaginem Imperatoris iniuriauerit, primæ formæ dignitati affert iniuriam*. Et in ſeptima Synodo actione 2. in Epiſtola ad Imperatores refert idem Adrianus, Chryſoſtomum homilia im Parab. de ſemente: *Neſcis*, inquit, *quod quicunque ex ligno, & coloribus imagini, conuicia dicit, illum non damnari veluti in rem animatam, ſed contra Regem ipſum dixerit?* Similiter loquitur Tharaſius ſeptima Synodo, actio. 4.

Adrian. *Chryſoſt.* *Tharaſius.*

Reſpondent aduerſarij, concedendo iniuriam factam imagini, poſſe aliquando virtualiter in exemplar tranſire, vt in terminum; non tamen id contingere ſemper. Poteſt enim fieri aliquando, vt imagini irrogetur iniuria, ſine expreſſa intentione iniuriam inferendi exemplari, vt ſi quis hæreticus, qui ſe venerari profitetur Chriſtum, & ex irreuerentia circa res ſacras, vel ex errore Iconomachiæ, quo imbutus eſt, male tractet imagines: tunc iniuria non tranſit in exemplar, vt in obiectum quod, licèt illi fiat iniuria in obliquo: quia imaginem ſuam iniuria afficit. Hæc ſolutio falſum aſſumit, neutiquam enim compleri poteſt ratio iniuriæ erga imagines, niſi ſimul refundatur in exemplatum, vt iniuriatum. Fateor eſſe aliquale diſcrimen inter honorem, & iniuriam, iam prætactum, videlicet ad rationem peccati iniurioſi contra religionem, aut duliam, ſicut non requiritur expreſſa, & formalis intentio iniuriandi exemplar alicuius imaginis, vt in caſu poſito, ita neque requiritur, vt expreſſa, ac formali intentione iniuria ad exemplar tranſeat: ſat eſt virtualiter tranſire: ſecùs eſt in adorationis actu, qui nullo modo reperiri poteſt erga imaginem niſi expreſsè, & formaliter adoretur exemplar. Nam bonum ex integra cauſa conſurgit; malum ex particulari defectu, & ideò plus requiritur, vt aliquis actus virtutis ſit, quàm vitij. Igitur ex hac aſſertione habemus, vnam tantum adorationem eſſe imaginis, & exemplaris, tam contra tertiam, quàm contra quartam ſententias iam relatas.

Quarta aſſertio. Eſtò eſſet verum poſſe imagines adorari per ſe, id eſt non adoratis exemplaribus, adhuc tamen modus ille adorationis admiſſus ab Autoribus quartæ ſententiæ, vt poſsibilis, & à nobis vt neceſſarius approbatus, ſcilicèt de adorandis imaginibus eadem adoratione, qua earum exemplaria, eſt magis vſitatus in Eccleſia Dei, magis conformis definitionibus Conciliorum, magiſque rationabilis, ac proprius. Hæc aſſertio eſt contra præfatos, & probantur ſingulæ eius partes. Prima. Nam pius vſus fidelium erga imaginum adorationem eſt, coram ipſis genuflectendo, procumbendo, aut quid ſimile faciendo, in prototypon potiſsimè animum intendere, vt illum adorent, eique ſe ſubijciant, ab eoque auxilium implorent: adoratio verò imaginum in ipſis ſiſtendo, non adorato prototypo, vix in vſu fidelium eſt. Certè mos fidelium crebrior, & vſitatior hic eſt, ad imagines accurrere, vt in eis, aut per eas prototypa adorent, neceſsitates pandant, remedium implorent, vt quilibet interrogatus fatebitur: vix aut nunquam, vt in imaginibus adoratio ſiſtat, adoraturi accedunt.

Secunda pars probatur; ſcilicèt illum adorandi modum eſſe magis conformem definitionibus Conciliorum. Nam in Concilio ſecundo Niceno hic adorandi modus definitus eſt, vt patet ex ipſius verbis iam citatis. Maximè, quia reddens rationem adorationis definitæ, ait: *Quia honor imaginis in prototypon tranſit, & qui adorat imaginem, in ea quoque adorat deſcriptum argumentum.* Quæ verba vix, aut nullo modo poſſunt adaptari illi adorationi imaginum, quæ in ipſis ſiſtit, & quam aduerſarij fingunt.

Secundo. Definitio Concilij, vel loquitur de modo adorandi imagines per ſe, ſine exemplari; (vt fingunt Autores, contra quos ſtatuitur aſſertio) vel de modo adorandi imagines ſimul cum exemplari, vt nos aſſerimus; vel de vtroque. Non de prio re, vt palam fit ex verbis Concilij citatis & ponderatis: ſi de ſecundo, habemus intentum: non de vtroque, quod aſſerere tenentur Autores quartæ ſententiæ: tùm propter rationes allatas: tùm quia eum adorandi

randi modum Patres Concilij definierunt, ad quem ſtabiliendum, in actionibus, quæ definitionem præceſſerunt, tot teſtimonia attulerunt. Hic enim mos ſeruatur in definiendis rebus fidei, vt prius iaciantur fundamenta, quibus innixi Patres definiunt dogmata fidei. Sed Patres Nicenæ Synodi per multas actiones, attulerunt ſem per teſtimonia ad confirmandam adorationem imaginum cum exemplari, vel abſolutam earum adorationem; non verò ad ſtabiliendum eam, quæ circa eas præciſo exemplari verſaretur: ergo quando poſtea in ſeptima actione definierunt adorationem imaginum, definitio intelligenda eſt de ea adoratione, quæ fit ſimul cum exemplari, non verò de ea ſola, quæ verſatur circa ſolas imagines, cuius Patres antea non meminerant. Confirmatur. Nam Eccleſia idcircò exigit à fidelibus adorationem imaginum, vt mente adorent earum exemplaria, in ipſaque deuotione, ac tota mente ferantur: ergo circa adorationem imaginum ſimul cum exemplari præcipuè adorato, verſatur Concilij definitio. Nam illa excogitata ab aduerſarijs, vix in vſu reperitur fidelium; imò vt probauimus impoſsibilis eſt ſine vitio ſtultitiæ. Idem colligere licet ex definitione Synodi Tridentinæ; quam mutuata eſt ex Nicena, vt ipſa fatetur. Vltima verò pars ex præcedentibus colligitur. Quis enim audeat aſſerere modum adorandi imagines apud fideles crebriorem, vtiliorem, vſitatiorem, ac à Concilijs ſtabilitũ, ac definitum eſſe improprium? nemo niſi deſipiat: nam Concilia non definiunt propoſitiones in ſenſu improprio. Ad illud verò, quod præfatos quartæ ſententiæ Autores fefellit, ſcilicet quando imagines adorantur ſimul cũ exemplari, per accidens adorantur: ergo impropriè: reſpondetur: modus iſte dicẽdi, per accidens adorantur, ſic debet intelligi; id eſt, per aliud, vel (quod idem eſt) ratione alterius. Hoc autem non arguit improprietatem adorationis, ſed negat adorationem ratione excellentiæ propriæ, & reſidentis in re adorata. Sic adoratur Chriſti humanitas, veſtis Regia, pars cum toto, quæ omnia propriſsimè adorantur.

Quinta aſſertio. Illa ſententia quinta à nobis relata ex Payua, & alijs, in eo quod aſſerit imaginibus ſolùm exhiberi id, quod externum eſt adorationis, non autem affectus ſubmiſsionis, aut ſeruitutis: aliena eſt à mente D. Thomæ, & omninò falſa. Prima pars probatur, quia D. Thom. nõn ſolùm aſſerit motum adorationis imaginis, & exẽplaris, non eſſe duas adorationes (quod præfata ſententia fatetur) verùm etiam vno, & eodem motu adorari exemplar, & imaginẽ propter exemplar; ita quod integer motus adorationis exhibetur exemplari, & idemmet integer confertur etiam imagini propter exemplar. Quod ſit hæc mens D. Tho. patet, quia inquit, eadem latria, qua adoratur Chriſtus, adorari eius imaginem. Secunda pars probatur primò. Quia ſi hoc bene inſpiciatur, eſt incidere in opinionem Durandi, & aliorum, quos ſuſpectos de errore circa adorationem imaginum cenſuimus: etenim illi non negabant eſſe exhibenda ſigna externa adorationis, & honoris imaginibus: quia tamen cætera, quæ adorationem complent, nempe ſigna reuerentiæ, & ſeruitutis affectus, negabant imaginibus conuenire, ideò aiebant eas impropriè, & abuſiuè adorari. Neſcio certè quomodo non ſint pares ſententiæ iſtæ, niſi quia Durandus, & ſectatores, illam exhibitionem externam honoris tantùm, non reputant adorationem veram, at Autores iſtius quintæ ſententiæ aiunt eſſe ſimpliciter, & propriè adorationem, non tamen ſummam, quæ haberi poteſt.

Secundò, magis ad rem. Signa quæcunq; honorifica honoris, non ſunt adoratio, niſi procedant ex intentione colendi, aut exhibendi honorẽ, & ſubmiſsionem rei adoratæ. Quò fit, vt idem ſignum externũ ex diuerſa intentione, diuerſam rationem adorationis induat: ergo ſola exterior actio adoratiua, quã ſolã exhiberi imaginibus iſta ſententia aſſerit, ſine intẽtione colendi nõ erit adoratio: atq; adeò iuxta ſententiam iſtorũ Autorum, nequaquam dicendum eſt imagines ſimpliciter adorari, quod non eſt Catholicũ dogma. Maior nota eſt ex dictis in materia de adoratione, & fauet Leõtius in dialogo cont. Iudæos citatus in act. 4. 7. Syno. dicens, in omni adoratione intentionem ipſam requiri, & exputari, id eſt, ſpectari, & conſiderari debere. Confirmatur. Quia in materia de adoratione docuimus nullam reperiri adorationem, imò neque verum cultum, ſine intentione colendi. Reſpondent illam actionem externam imagini exhibitam, intrinſecè claudere ſimplicem affectum, ſeu voluntatem conferendi imagini ſignum illud, aut notam honoris ſeu ſubmiſsionis: non verò procedit ex affectu, ſeu intentione ſeruitutis, aut ſubmiſsio-

missionis erga imaginem, sed erga exemplar eius; & hoc sufficit, vt adoratio dicatur, & sit, quia adoratio præcipuè in externa actione cõsistit. Vnde sicut verè dicimur osculari imagines, & genuflectere coram illis: ita dicimur simpliciter eas adorare, quia volumus tales actiones exercere: sufficit etiam si intentio submissionis, & seruitutis ad eas imagines non referatur. At verò hæc responsio non euacuat argumenti vim, quia adoratio, vt docuimus in materia de adoratione, signũ, & emphasis est honoris; nimirũ rei quæ adoratur: ergo si per actionem externam, putà genuflexionẽ, osculum, & similia, non exhibetur honor pro manans ex volũtate colendi imaginẽ, sed ex voluntate colendi prototypũ: dicetur quidem adoratio prototypi, sed non imaginis. Consequẽtia probatur. Quia adoratio non est signum alieni honoris, sed proprium eius quod honoratur. Secundò ad idem arguitur: qui osculatur imaginem, aut genuflectit coram ea rogo an velit ei exhibere adorationem, exercendo erga illam, eam actionem externam, quæ est honoris signum, tanquã signũ honoris, & reuerentiæ debitæ imagini; vel dumtaxat vult exhibere illam actionẽ, quæ est signum honoris, non in signum quod adorans reuereatur, & colat imaginẽ ipsam, sed tantùm prototypum? Si detur primum: necessariò erga imaginem debet versari voluntas colendi eam, & honorandi honore submissiuo; quia hęc voluntas intrinseca est adorationi, vel intrinsecè prærequiritur ad eam: quod tamen negant Autores quintæ sentẽtiæ. Si secundum detur, exercetur quidem erga imaginem signum honoris, materialiter tamen; & neutiquam adoratio imaginis dicenda est, quæ oriri necessariò debet ex voluntate, & affectu submissionis erga rem adoratam. Scio posse ad hoc responderi, hoc ipsum quod est velle exhibere imagini signum exterius honoris, procedẽs ex affectu submissionis erga exemplar, esse voluntatem colendi imaginem, non tamen supremo cultu, qualis erga prototypon exercetur, qui claudit, vel præsupponit voluntatem, & affectum submissionis erga illum. Contra hoc argumentor. Illa res adoratur, cui honos submissionis exercetur: sed iuxta mentem istorum Autorum honos ille submissionis, & seruitutis non exhibetur imagini nisi tantùm materialiter; scilicèt illud signum, quod solet esse signum illius honoris: ergo imago non propriè adoratur. Probatur maior: quia adoratio nequit intelligi, nisi rei adoratæ exhibeatur honor seruitutis, aut subiectionis: etenim adorare, est alicui vt præexcellenti notam submissionis conferre. Dicent fortè, non esse necessariũ ad adorationem, vt intentio submissionis, & reuerentiæ, & exterior actio ad idem referatur; sed sat est intentionem illam submissionis, ad exemplar referri, actionem verò externam adorandi ad imaginem. Sed iam istam responsionem explosimus, quia res quæpiam neutiquam adorari dicetur, nisi ei dẽ honor ille submissionis intrinsecè clausus in adoratione exhibeatur, quod verò alteri exhibeatur parum refert ad eius adorationem. Id ipsum à simili confirmatur, nam si quis ex sola intentione humiliandi se, ac submittendi se Deo, terram deosculatur (sicut moris est apud rude vulgus, quando in Ecclesia ad Deum porrigunt preces) tunc nequaquam verè, ac propriè dicuntur terram adorare, sed solum Deum, quia tantùm materialiter exercent actionem illam erga terram, ex intentione cultus, & submissionis erga solum Deum. Ergo vt actio habeat rationem adorationis, respectu illius, circa quam proximè exercetur, non sufficit simplex voluntas exercendi huiusce modi actionem circa talem rem ex intentione submissionis, & cultus erga aliam, sed necesse est, vt talis intentio se extendat ad omnem rem, quæ propriè adorari dicitur.

Ex his omnibus colligitur veritas sententiæ Diui Thomæ, & antiquorum ferè omnium, imagines scilicèt non adorari secundùm se, non adorato exemplari, neque diuerso motu ab eo, quo exemplaria adorantur; sed vno, & eodem, non tantùm secundùm externam actionem, sed etiam secundùm veram, & propriam internam voluntatem exhibendi honorem, & cultum eisdem imaginibus. Quam sententiam, vt piam, veram, ac sacrorum Conciliorum definitioni conformiorem, libenter sequimur, ac acceptamus.

Huic dubitationi affigitur alia dubitatiuncula, & meritò. An id, quod dictum est de imaginum adoratione, locum habeat in alijs modis religiosi cultus? hoc est, an sicut imagines adorantur, eodem modo quo eorum prototypa, sic ad eas orationes fundantur, vota emittantur, laudes intimentur, sacrificia offerantur, quæ ad ea, quorum sunt imagines, exerceri solent?

Et videtur vera pars affirmatiua, quia affectus seruitutis, & subiectionis, aliàs non

non debitus rei inanimatæ, & irrationali, exhibetur imagini loco prototypi, quatenus in ipſa repræſentatur, & hoc importatur nomine adorationis: ergo pari ratione, quæcunque alia ratio cultus, conferetur imagini, quatenus in ea, coram ea, & per eam colitur idē prototypus. Confirmatur. Adoratio ſecundariò poteſt ad imaginem terminari, quia eſt quid coniunctum prototypo, aut vnum in eſſe repræſentatiuo: ergo pari ratione laus, vota, deprecatio, & alia pertinentia ad cultum, imò & ſacrificium, ſi imago Chriſti ſit, aut Trinitatis. Confirmatur ſecundò: nam Eccleſia ad crucē fundit preces in Hymno Paſſionis.

O Crux aue ſpes vnica
Hoc Paſſionis tempore.
Auge pijs iuſtitiam,
Reiſque dona veniam.

Pro deciſione dico primò: Sacrificium nequaquam poteſt imaginibus, etiam Chriſti, aut Trinitatis offerri. Ita docuerunt contra quoſdam Hæreticos, Irenæus lib. 1. cap. 24. Epiphanius Hæreſ. 27. & 29. & 79. Auguſtinus Hæreſ. 7. Secundò, quia nuſquam fideles auſi ſunt hoc genere cultus vti erga imagines; cuius ratio reddi poteſt, quia ſacrificium, cæremonia quædam ſacra eſt, in more omnium nationum, inſtituta in recognitionem ſupremi dominij diuini. Quæ recognitio neque etiam vices Dei tenenti, aut Deum repræſentanti, communicari ſolet, neque debet.

Irenæus. *Epiphan.* *Auguſt.*

Explicatur hoc à ſimili. Actus charitatis communicatur proximis, quando propter Deum amantur: at actus iſte ſupremus charitatis, ſcilicet, diligere amatum ſuper omnia, ſoli Deo communicabilis eſt; quia inter actus charitatis excellentiſsimus eſt. Itē adoratio Regia, & honores Regij communicantur Legato Regis: verbi gratia, iuxta Reginam ſedere, & ſimilia: at oſculare Reginam, ſic Regi debetur, vt nulli Legato cōmunicetur. Sic dicendum eſt in præſentia, ſacrificium, quia eſt cæremonia, & cultus excellentiſsimus ſoli Deo aſsignatus, nulli alteri, niſi Deo communicabilis eſt, quidquid ſit de alijs cultibus. Quapropter inter ſacrificandum oblationes ſuffituum, aut cereorum accenſiones, non incongruè imaginibus fiunt, vt dicitur in ſeptima Synodo, actione ſeptima.

Secundò dico. Vota, laudes, & huiuſmodi nequaquam referri poſſunt ad imagines, neque etiam concomitanter cum prototypis, aut tāquam ad aliquid coniunctum cum ipſis eo modo quo diximus imagines adorari; quia iſte actus & ſimiles, vt notauit Scotus in 3. diſtinct. 9. §. vltimo. ita referuntur ad perſonam intelligentem, vt talis eſt præciſe, quod per illos ſolum colantur illæ perſonę, ad quas diriguntur, non autem imagines, ac veſtes, vel ſimilia. Confirmatur: nam Concilium Tridentinum ſeſſione citata de imaginibus, poſtquam dixerat eſſe adorandas, ſubiunxit: *Non quod ab eis ſit aliquid petendum*: id eſt, quod fiduciā imaginibus ſit figenda; nam petitio, & fiducia, ſunt ex illis actibus, qui præciſè reſpiciunt perſonā intelligentem: ſecus eſt de adoratione vt ex vſu patet. Nec propterea dānamus pias perſonas, qui imaginibus porrigūt ſuas preces, ac ſi ipſis prototypis colloquerentur: tùm quia cenſendæ ſunt colloqui prototypis coram imaginibus, quæ exemplarium memoriam excitarunt: tum quia vt ſtatim dicemus, in huiuſcemodi petitionibus aliquid adorationis admiſcetur, quam tribuendam eſſe imaginibus ſupra docuimus. Et ſi quiſpiam roget verbis citatis Cōcilij Tridentini, an ſecundùm fidem certum ſit imaginibus non eſſe preces porrigendas? Reſpondetur, multum conforme eſſe definitioni præfatæ: At verò ſi quis aſſereret non eſſe hoc ſimpliciter definitum, ſed cum addito poſito ab eodem Concilio, ſcilicet, *more Gentilium*: quod additum licèt immediatè affigatur illis verbis: *Non eſſe ponendam fiduciam in imaginibus*; & ſubiungitur, *more Gentilium*, tamen non improbabiliter etiam referenda ſunt ad illa verba, *non eſſe, ſcilicet, ab imaginibus aliquid petendum more Gentilium*: & ſenſus eſt, non eſſe ab eis aliquid petēdum; quaſi in eis aliquid eſſet diuinitatis; ſic enim cenſebant de ſuis idolis Gentiles, fideles verò nequaquam. Ita Magiſter Medina, & Cabrera 3. p. q. 25. ar. 3. diſput. 3. in reſponſione ad 6. argumentum primæ opinionis. Sed planior ſenſus eſt non eſſe fundendas preces, petendo aliquid ab imaginibus. Ex his patet ad argumēta in initio poſita, & ad primam confirmationem negando conſequentiam.

Scotus. *Medina.* *Cabrera.*

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, orationem eam ad Chriſtum Cruci affixum dirigi, qui nomine Crucis ſignificatur, per metonimiam, qua continēs pro contento accipitur: alloquutio verò illa in eodem Hymno.

Sola digna tu fuiſti
Ferre ſecli pretium, &c.

per proſopopeiā intelligenda eſt, ſicut multa alia

ta alia in ſacris Literis, vt eſt illud: *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.*

D. Thom. Et ſi obijcias D. Thomam 3.p.q.25.art.4 in argumento ſed contra, dicentem, ibi ad Crucem fieri ſermonem: aduerte in petitione duo conſiderari, ſcilicet petitionem, & quēdam honorem illa fuſa petitione exhibitum. Si conſideretur vt petitio, nequaquam ad imaginem dirigi poteſt: ſi verò vt honoratio ſecus: cultus enim,& adoratio latius patet,& extenditur ad omnē rē, cui homo reuerentiā qualēcunq; exhibet. Eſt ſimile cū aliquis genuflectēs corā Pontifice, pedem deoſculans,ab eo aliquid poſcit: petitio ad ſolam perſonam dirigitur; adoratio verò etiam ad veſtem, vel calceum.

Supereſt reſpondere ad argumenta earū ſententiarum,quas repudiauimus. Ad argumentum primæ ſententiæ deſumptum ex teſtimonio Patrum, qui videntur negare adorationem eſſe imaginibus exhibendā: reſpondetur, eſſe interpretandos de adoratione imaginum, eo modo, quo Gentiles ſua idola colebant,in eis ſcilicet ſiſtendo,& ac ſi in eis eſſent aliqua numina venerando: quod colligimus: tum ex eorum verbis: tū quia ijdem Patres alijs in locis egregij aſſertores extitêre cultus debiti imaginibus: maxime Diuus Gregorius in eiſdem locis. Illud verò quod ſcribit ad Serenum,imagines fuiſſe retinēdas nō propter cultū,aut adorationē:loquebatur de adoratione quadā Gētilica,qua abutebātur Sereni dioeceſani, &ob id reprehēdit, quia fregit: populo enim inſtructo in legitima adoratione imaginum, poſſet vſus earum conſeruatarum renouari.

Ad argumenta tertiæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum quidem, cui innititur totum fundamentum omnium, qui opinantur peculiarem adorationem eſſe tribuendam imaginibus, diſtinctam ab adoratione exemplaris; reſpond. Concilia, & Patres citatos, negantes latriam eſſe exhibendam imaginibus, nomine latriæ, aut veræ culturæ, intelligere adorationem exhibitam imaginibus propter aliam diuinitatem quam ipſis credamus ineſſe, ſicut Gentes credebant de ſuis idolis, ſed honorem hunc reſeruandum eſſe exemplaribus,quæ in ipſis imaginibus adoramus. Hanc autem eſſe legitimā Conciliorum, & Patrum explicationem colligimus. Primò, quia ei quadrat aptiſsimè ſubiuncta ratio à Synodo Nicena: nempe *quia honor imaginis ad exemplar refertur, & qui adorat imaginem, in ea quoque adorat deſcriptum argumentum.* Quæ verba ſatis vio

A lenter applicantur ab autoribus, qui finxerunt illam adorationem, quam honorariam vocant, quæ verſatur circa ſolas imagines. Secundò, quia ſic videtur explicuiſſe Nicenam Synodū, Conciliū Tridentinū ſeſs.25. quod fuiſſe quaſi cōmentariū Niceni ipſum met Tridentinū aſſerit, dum ait, ſuam definitionem de adoratione imaginum, hauſiſſe ex Nicena Synodo. Explicatio itaq; eſt: Si illis verbis citatis ex Concilio Niceno: *Non autem ſecundùm fidem veram latriam;* adiungantur illa verba Tridentini: *Vt Gentes dicebant, exiſtimantes ipſis imaginibus ineſſe diuinitatem.* Et hæc fuit conſideratio D.
B Thomæ dicentis,eandem adorationem cōferri imagini, ac exemplari,& nullam imagini ex ſe, & propter ſe: ita vt ratio adorationis ex imagine deſumatur. Tertiò colligitur idem, ex eo quod Concilium Nicenum, ac Tridentinum eam adorationem Gentium tributam ſuis idolis, voluit euertere in adoratione imaginum: adoratio autem idolorum ipſis exhibebatur vt habētibus intra ſe numina vera,ac deitatē: ob idq; hanc negauerunt præfata Cōcilia imaginibus:eā verò,quę illis confertur propter exē plaria ſtatuerunt. Vnde in Conc.Niceno 2. acti.5.ſic dicitur: *Non igitur lineæ, imagini,*
C *aut picturæ cultū exhibemus, adoram⁹q́* (vide licet tāquā diuinitatē habēti) *ſed Chriſtū Dominū glorificamus.* Et in Trident. *Per imagines,quas oſculamur,& corā quibus caput aperimus,& procūbimus,Chriſtū adoramus.* Iuxta hāc interpretationē ſunt explanandi Patres, negantes adorationem latriæ imaginibus, eamq; reſeruantes pro prototypis ſuis.

Hæc explicatio legitima eſt: ſolùm explicandum ſupereſt, quare imaginis Chriſti, aut Trinitatis adoratio, negetur eſſe latriam, aut perfectam culturam, cùm tamen ſit eadem cum adoratione prototypi, iuxta D.Tho.ſententiam? Reſp.quia id quod eſt a-
D nima,& ſpiritus adorationis externæ, in adoratione imaginis non conſiſtit,ſed in adoratione prototypi: anima,& ſpiritus adorationis, ſubiectio Dei, & affectus ſeruitutis eſt: hic primariò,præcipuè,&vltimatè in ſolū Deū refertur,& ideò latria vera dicitur,& cultus in ſpiritu:adoratio verò, quæ exhibetur imagini,non ſic, ſed illi quod corporale eſt exhibetur,quod ſpiritus eſt,& anima adorationis, à prototypo participatur. Itaq; adoratio imaginis Chriſti,aut Trinitatis dicitur,nō eſſe vera latria cōparatiuè ad adorationē,quæ prototypo defertur: ſicut adoratores noui teſtamenti dicūtur veri adorato- *Ioann.4.*

res,

res, non quod adoratores veteris teſtamenti eſſent falſi adoratores; ſed comparatiuè, id eſt potiores, & meliores adoratores.

Ad illud verò, quod adducitur in ſecundo argumento, de cultu Euangeliorum, aut ſacrorum vaſorum. Reſp. ferè idem eſſe ſentiendum atque de imaginum cultu, eaque eſſe adoranda eodem actu, quo Deus ipſe cuius honori dicata ſunt. Aduertendum tamen, non eſſe in more conſtitutum omni cultus genere coli, quo ipſe Deus, imò neque ita ſacrato cultu quo imagines, tū propter arctiorem coniunctionem imaginis Dei ad Deum: tum propter expreſsiorem ſignificationem imaginum: quo fit vt coram imaginibus Chriſti, & Trinitatis genuflectamus, non coram vaſis ſacris: coram imagine pectus tundimus, non coram libris Euangeliorum, &c. At verò oſculamur Euangelia, ac vaſa ſacra, ac veneramur, & tunc eodem motu, quo veneramur ea, veneramur & Deum, vel Chriſtum; quapropter licèt adoratio harum rerum adducta ſit à Concilio ad confirmandam adorationem imaginum; non in omnibus ſequenda eſt ſimilitudo, ſed in hoc tantùm; quia ſicut Euangelia, aut vaſa ſacra non coluntur propter ſe, ſed propter ea quorū cultui dicata ſunt: ita & imagines non propter ſe adorandæ ſunt, ſed propter exemplaria: ad hoc enim dumtaxat ſtabiliendum, Concilium Nicenum eam attulit ſimilitudinem; & fortaſsis in huiuſcemodi rebus verum habet tertia ſententia, non verò in imaginibus, quæ vicem tenent ſui exemplaris, & vnum cum eo computantur, vt vidimus, vnde non mirum quod eodem actu colantur.

Ad tertiū ſolutiones ibidem datæ bonæ ſunt, ac tenēdæ: Ad vltimā verò replicā reſpō. negando conſequentiā, quæ vires haberet ſi imago, & prototypus ſeorſum adorarentur diuerſis adorationibus: cùm autem vna & eadem adorentur, imbecillis eſt cōſequentia illa, & argumentum dumtaxat probat imaginem inferiori modo participare eam adorationem, qua prototypus colitur; at huiuſmodi inferioritas non conſiſtit in eo quod inferiori adoratione imaginem veneremur; ſed in eo quod tota, & eadem, ac vnica adoratio, quæ exemplari conuenit inferiori modo, imagini conueniat, videlicet exemplari propter ſe, & vt rationi adorandi: imagini verò non propter ſe, neque vt rationi adorandi, ſed vt rei adoratæ propter aliud: itaque imago includitur in termino adorationis. Et aduerte, adorationē imaginis, & prototypi eſſe vnam, & in ſe æqualem, quamuis inæqualiter illis conueniat: exemplari propter ſe, vt eſt ratio adorādi; imagini verò propter exemplar. Nec nouū & inſolitum eſt vnum & idem, à diuerſis inęqualiter, & totaliter participari: nōne anima tota eſt in qualibet corporis parte, nobilius tamē in corde, quàm in naribus, & alijs partibus? Ita adoratio tota attribuitur imagini, totaque exemplari, ſed nobilius exemplari. Ex quo colliges adorationem imaginis eſſe reſpectiuam, & abſoluram, reſpectu diuerſorum; nam reſpectu exemplaris, quod abſolutè propter ſuam excellentiam eſt honore dignum, dicitur abſoluta; reſpectu vero imaginis, quæ non eſt digna cultu propter ſe, ſed propter extrinſecam excellentiam exemplaris, dicitur reſpectiua.

Ad confirmationem tertij negatur conſequentia, imò quia exemplar eſt ratio adorandi imaginem, & ſub hac ratione cauſa adorationis eius, propterea eodem actu adorationis coluntur: ſicut quia lux eſt ratio videndi colores, eadem viſione videtur lux, & color: & quia verbum mentis eſt ratio cognoſcendi rem ad extra, eodem actu intellectus cognoſcuntur: & quia finis eſt ratio volendi media eodem prorſus actu amari poſſunt.

Ad quartum reſp. Si voluntas ſeorſum feratur in medium, & finem, diſtincti actus ſunt; ſi verò velit medium propter finem, eodem actu, qui reſpectu medij dicitur electio, reſpectu finis intentio. Vnde non mirum quod adoratio eadem, verſetur circa imaginem, & exēplar; ſed reſpectu exēplaris abſoluta eſt, reſpectu verò imaginis reſpectiua, vt explicuimus. Ad vltimum negatur antecedens. Etenim licèt eodem motu adoretur imago Regis, & ipſe Rex, ille tamen motus perfectius participatur à Rege, quàm ab imagine; à Rege propter ſuam excellentiam, & dignitatem, ab imagine, quia ſimilitudo Regis eſt, & vices eius gerit. Idem exemplificare licet in Legato Regis.

Ad argumenta quartę opinionis reſpon. ad primum ex doctore Suarez negatur antecedens: etenim potentia non poteſt ferri in obiectum materiale, niſi in formale directè tendat. Exēplum eſt in viſu, qui nequit videre colores, niſi videat ſimul lucem, quę obiectum formale eſt. Ad probationem antecedentis, quod attinet ad fidei actum, negatur aliquem poſſe credere articulum fidei

dei, niſi ſimul eodem actu formaliter, vel virtualiter credat Deum reuelaſſe: ſimiliter neque aſſentiri concluſioni propter præmiſſas, niſi eodem actu præmiſsis aſſentiatur formaliter, aut virtualiter. Idem dicimus de actibus voluntatis: nequit enim reperiri electio medij propter finem, niſi eodē actu ametur finis; ſimiliter neque amari proximus propter Deū, niſi formaliter aut virtualiter ametur Deus. Dicet quis. Hoc ipſum dicit quarta opinio, videlicet poſſe adorari imaginem non adorato prototypo actualiter, & formaliter; quod verò adoretur virtualiter non negat. Reſpōdetur. Nequaquam hoc concedit, aliàs deberet concedere adorationem in imagine non terminari ac ſiſtere, ſed in adorato virtualiter.

Secundò reſpondetur (quidquid ſit de veritate antecedentis) negando conſequentiam, eo quod omnia illa allata pro veritate antecedentis, in ſe habent, nec ſunt incapacia, vt ad illa terminetur potentia, etiam ſecluſa illa ratione formali obiecti, ſub qua potentia vel habitus ad ea terminantur: verbi gratia, articulus fidei Deum eſſe trinum & vnum, obiectum eſt credulitatis; quòd verò credatur fide diuina, hoc habet ex reuelatione diuina, credita etiam formaliter, aut virtualiter. Similiter concluſio de ſe habet, vt poſſet ab intellectu cognoſci: quòd verò ſcientificè cognoſcatur, habet ex præmiſsis cognitis formaliter aut virtualiter. Itidem proximus capax amoris de ſe eſt: quod verò ametur ex charitate, habet ex eo quòd Deus formaliter, aut virtualiter eodē actu amatur. Secus philoſophandum eſt in imagine, quæ cum nullius adorationis de ſe capax ſit (vt ſupra intulimus) nullo modo poteſt adorari, niſi intra ſe habeat exemplar adoratum vt quod. Itaque prefati actus dependent à ſuis rationibus formalibus actu, aut virtute exiſtentibus: adoratio verò imaginis pendet ab adoratione actuali prototypi, ſicut viſio colorum dependet ab actuali viſione lucis; & ſicut colores niſi internam habeant lucem nullius ſunt capaces viſionis, ſic neque imagines vllius ſunt capaces adorationis, niſi intra ſe habeant exemplar adoratūvt quod, à cuius excellentia habent & ipſæ eodem actu coadorari, etiam vt obiectum quod adoratur.

Quod ſi quiſpiam adhuc inſtet, poſſe cōtingere vt imago apprehendatur ſine vlla recordatione prototypi, vel ex inaduertentia, aut obliuione, vel quia vnum ſine altero concipi poteſt; & tunc certè non adorabitur prototypus, ſed ſola imago ex relatione virtuali ad prototypon. Reſpond. Nemo prudenter poteſt apprehendere imaginem in ordine ad adorationem, niſi apprehenſo prototypo in particulari, aut in confuſo, & in generali. Ratio eſt, quia imago de ſe nullius adorationis capax eſt niſi intra ſe habeat prototypon, quod ſi tantùm in generali apprehendatur, putà vt res quædam ſacra eſt, aut imago rei ſacræ, ſub ea ratione generali neceſſe eſt adorari prototypum: ſin verò in particulari vt huius imago eſt, etiam in particulari apprehendere & adorare prototypon. Et aduertendum valde eſt phraſim illā vſurpatam à Concilijs & Patribus, *Imago adoratur propter exemplar ſuum*, non eſſe ſic intelligēdam, vt vox illa *propter* dicat dumtaxat rationem cauſæ finalis; ſicut quando proximus diligitur propter Deū: ſed etiam dicit rationem cauſæ formalis, quæ eſt intrinſeca: quia ipſum exemplar concipitur intra imaginem, quæ adoratur, & ita eſt ratio adorādi, vt vtrumque, ſcilicet, imago & exemplar, ſimul ſpecificent actum adorationis. Eſto exemplū in actu cuiuſuis virtutis, qui ſtudioſus eſt ſimpliciter propter charitatē, tanquā propter formam, vt dicitur ſupra q. 23. art. 8. nō ſolū quia actus charitatis dirigit actus aliarum virtutum ad eiuſdem charitatis finem, verùm etiā (& potiſsimè) quia ipſa participatio paſsiua imperij ſui recipitur intranee in actibus aliarum virtutum. Non diſsimiliter prototypus non eſt ſolùm finis, & ratio motiua adorandi imagines (vt ait quarta ſententia) verùm etiam formalis, quatenus intra ipſam imaginem apprehenditur eſſe, vt ſit imagini ratio, quare adoretur, & adoratio prototypi, quatenus ab imagine participatur, conſtituit imaginem in eſſe adorabilis. Nō eſt igitur in imagine aliqua ratio ab exemplari diſtincta, propter quam adoretur, ſed eadem prototypi excellentia eſt, ve luti actus, & forma, ratione cuius adoratur imago; vnde imago ratione exēplaris quod in ipſa repræſentatur, terminat adorationē, & vtrunque ſimul adoratur; quamuis ratione, & modo diuerſo: videlicet exemplar propter ſe, imago verò propter exemplar. Ad confirmationem reſpond. imaginem cōſideratam in eſſe rei cuiuſdam, non eſſe connexam cum ſuo exemplari, ſed vt ſic non eſt adorationis capax: at verò ſi conſideretur vt imago, ideſt, vt exercet imaginis officium, neceſſariam habet cōnexionē,

imò

imò vnitatem; ſic adeò vt imago nequeat concipi, nec adorari, niſi adorato ſuo exẽplari, cuius adoratio participatur ab imagine, & nullo alio modo participari poteſt. Ad ſecundam reſpond. imagines non habere aliam ſacrationem, ratione cuius dicantur, & ſint adorandæ, niſi eam, quam participant à prototypo ſimul adorato: eo verò non adorato, non ſunt vllius adorationis capaces. Quare negatur vltima conſequentia.

Ad quintum reſpond. negando antecedens, ad omnes eius probationes, dicimus nos concedere, imagines, & alias res ſacras eſſe adoratione dignas: quod verò adorentur ſine eo quod adoretur earum prototypus, non probatur, quare ſi adorarentur, dicimus idem eſſe ac ſi truncus, aut ſtipites adorentur, quod ſuperſtitioſum, & ſtultum eſt.

Ad argumenta quintæ ſententiæ, quatenus contra noſtram quintam aſſertionem procedunt: Ad primum: res inanimatas, aut inferiores homine, fatemur non eſſe ſecundum ſe illius ſubmiſſionis, & affectus ſeruitutis capaces: at verò qua ratione coniuncte ſunt cum re excellente, quæ excellentior adoratore eſt, negatur eſſe illius affectus incapaces. maximè imagines hanc habent capacitatem, quatenus in illis eſt intraneum earum exemplar, cuius vices gerunt, & cum quo in eſſe repræſentatiuo identificãtur. Exemplum eſt in Legato Regis, qui licèt ſecundùm ſe ſit incapax honoris Regij, vt Regis vicem gerit, eiſdem colitur honoribus, quibus & Rex; licèt diuerſo modo: Rex propter ſe, Legatus verò propter Regem. Ad ſecundum reſpond. interpretantes definitionem ſeptimæ Synodi, ſicut in ſolutione ad primum tertiæ ſententiæ, interpretati ſumus.

His ita conſtitutis pro defenſione imaginum, ac declaratione legitimæ earum adorationis, eſt

DVBITATIO VI.

An cultus imaginum idolatricus ſit?

FIT videtur idolatricum eſſe. Primò idololatriæ crimen in colendo creaturas diuinis honoribus conſiſtit, vt in ar. 1. huius quæſtionis docuimus: ſed imagines creaturæ ſunt: ergo qui eas adorant idolatriæ vtio inuolu ntur. Dices eas adorari non propter ſe, ſed propter prototypa.

Contrà ſecundò: nam etiam Gentiles dicebant ſe adorare idola, vt eis, & per ea adorarent eos homines vel ſpiritus, quos Deos putabant; & tamen non ideò ab idololatriæ crimine excuſantur: ergo neque Chriſtiani excuſabuntur ab eodem crimine, ex eo quod adorant imagines propter excellentiam ſuorum exemplarium, & eam adorationem ad exemplaria referunt. Argumentum hoc Hæreticorum eſt (referente Gregorio Papa Epiſt. ad Germanum Conſtãtinopolitanum, quæ habetur in ſeptima Synodo actione 4.) Maior verò probatur ex Euſebio libro 8. de Præparatione Euangelica capite 3. dicente: *Adorant idola vt imagines eorum, qui nonnihil ad vitam contulêre.* & lib. 3. ca. 3. multa congerit ad hoc propoſitum. Idem affirmat Athanaſius libro contra idola Gentium. Lactantius libro 1. diuinarum inſtitutionum cap. 15. lib. 2. cap. 2. Cyprianus lib. de idolorum vanitate. Auguſt. con. 2. in Pſal. 103. circa illa verba. *Simulachra gentium argentum, & aurum*, & in Epiſ. 43. Sic ſenſerunt & ipſi Gentiles, nam referẽte Nicephoro lib. Hiſtoriarũ 12. c. 25 & Sozomeno lib. 7. cap. 15. Olympius Sophiſta Gentilis dum conſolaretur Gentiles, quorum idola Chriſtiani confregerant, inquit, *Simulachra erant ex materia corruptioni obnoxia, ideò comminui potuerunt: quæ verò in eis erant cæleſtes poteſtates in cælum euolarunt.* [Gregor. Euſeb. Athanaſ. Lactant. Cyprian. Auguſt. Nicephor. Sozomen.]

Tertiò, quia incredibile eſt homines in tantam cæcitatem deueniſſe, vt ligna, & lapides propter ſe digna adoratione eſſe crederent: ergo colebant hæc propter rationẽ extrinſecam: & tamen non ſine idololatriæ crimine. Quartò arguit Caluinus lib. 1. inſtitutionum cap. 11. §. 9. & 10. Iudæos & Gentiles non habuiſſe ſimulachra pro Dijs, ſed in ſimulachris Deum verum coluiſſe; & tamen reprehenduntur, quia Deus non patitur ſuum cultum communicari imaginibus: & idem dicit de cultu Sanctorum: quod verò Iudæi nõ habuerint ſimulachra pro Dijs, ſed Deum verum in idolis coluerint, probat Caluinus, quia Exod. 32. populus dicebat de vitulo aureo, *Iſti ſunt Dij tui Iſraël qui te eduxerunt de terra Ægypti*: vbi fatentur ſe in vitulo colere eum Deum, qui eos eduxerat de terra AEgypti, & Aaron ibidem celebraturus ſolemnitatem vituli ait voce preconis: *Cras ſolemnitas Domini eſt.* [Caluinus.]

in

in Hebræo, *Adonai*. Idem videre licet Iudicum 7.

Quod etiam Gentiles Deum verum colerent in idolis, autor eſt Auguſt. Pſal. 103. Itaque ait Caluinus: *Siue Deum, ſiue creaturam tibi in ſimulachro repræſentes, vbi veneratione aliqua proſterneris, ſuperſtitione aliqua faſcinatus es* Et paulò poſt: *Neque intereſt* (ait) *idolum ne ſimpliciter homines colãt, an Deum in idolo? Hæc ſemper idolatria eſt, cùm idolo qualicunque colore exhibentur diuini honores.* *Auguſt.*

Sit tamen noſtra aſſertio indubitata, & orthodoxa. Adoratio imaginum, quæ eſt in vſu Eccleſiæ Dei, nequaquam cenſenda eſt idolatriæ crimen. Patet aſſertio ex præcedentibus. Deinde. Idolatria eſt cultus diuinus, ac honor exhibitus creaturæ ſicut vero Deo, vt patet in art. 1. huius quæſtionis ex mente D. Thomæ, imò & omnium orthodoxorum: ſed adoratio imaginum, quæ eſt in Eccleſia Chriſti, non eſt huiuſmodi: ergo neutiquam idololatria cenſenda eſt. Probatur minor, aduertendo imagines, quas Eccleſia colit, vel eſſe Chriſti, aut Trinitatis, aut verò ſanctorum hominum, & Angelorum. Tunc probatur minor, ſi ſermo ſit de imaginibus Dei, aut Verbi incarnati. Primò, quia huiuſcemodi cultus, & adoratio nõ attribuitur imagini, ſicut vero Deo, nec propter aliquam diuinitatẽ, quæ ei inſit, ſed propter exemplar quod repræſentat, ad quod vltimatè terminatur adoratio. Sic adoratur Legatus Regis, & ei tribuuntur honores Regij, ſine vllo læſæ maieſtatis crimine, propter Regem, quem repræſentat, & cuius vices gerit: & ſimiliter coadoratur thronus Regis, veſtis, purpura, & huiuſmodi. Itaq; adorare creaturam, & colere honore diuino quatenus repræſentat Deum, non eſt idololatria, quia hoc potius eſt exhibere honores diuinos Deo, creaturæ autem quatenus Dei vicẽ gerit, & eũ repræſentat: imò quatenus vnũ cenſentur cum Deo in eſſe repræſentatiuo, ſicut re vera imagines Dei cum eo vnũ eſſe cẽſentur: ergo talis cultus imaginũ nõ exhibetur eis quaſi Dij ſint. Siverò imagines ſint hominũ ſanctorũ, aut Angelorũ, multo certius eſt haſce adorationes non pertinere ad idolatriæ crimen, cum neq; ipſe cultus exẽplarium exhibeatur creaturis ſicut Deo. Dices. Spectat ad vitium, quod idolodulia appellari poteſt, eo quod cultus duliæ debitus Sanctis, Angelis, & hominibus, imaginibus exhibetur. Reſpond. negando illatum, quia exhibere cultũ duliæ rebus inanimatis quatenus repræſentãt, aut cõnectũtur his rebus quæ duliæ honore dignæ ſunt: & ita quod nõ ipſis imaginibus propter ſe, ſed propter ſua prototypa honor ille deferatur, non eſt idolodulia, ſed vera dulia.

Hinc patet ſolutio ad primũ argumentũ. Quancunq; enim ſequaris viam opinandi Catholicorum, adorationem imaginũ non eſſe idololatriam comprobabis. Durandus namq; & ſequaces negãt propriã adorationẽ imaginũ, & conſequenter ab idololatria excuſantur. Alij verò, qui cenſent imagines non adorari eodem cultu, quo prototypum, ſed inferiori, facilè effugiunt argumẽta Hæreticorum: nos verò etiam facillimè reſpondemus ex dictis circa noſtræ aſſertionis probationem, quæ repetere inutile iudicamus.

Pro ſolutione ſecundi notandum eſt ex Auguſt. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, c. 6. & 7. omnem idololatriam per ſimulachra exercitam, ad duo capita reduci: quia vel Gentes ſimulachra ipſa manufacta, vt Deos habebant, vel ſi aliqui eorum prudentiores, vt ſigna interpretari conabantur, ad creaturas colendas ordinabant. Idem ferè quæſt. 116. in Geneſi. Euſebius lib. 5. de præparatione cap. 15. ex prioribus idolorum cultoribus quidam ipſis idolis quaſdam ſupernas poteſtates coniunctas eſſe putabant, arte dæmonum decepti, quorum ope reſponſa dabantur de futuris euentibus, interdum exteriores quidam effectus fiebant. Vnde Auguſt. concion. 2. in Pſal. 113. ait: *Sine vno aliquo habitatore eſſe non putant*. Alij verò rudiores, etiam ipſa ſimulachra lignea, aut lapidea, etiam ſine aſsiſtentia dæmonum, diuinitatẽ habere exiſtimabant, & vt Deos abſolutè adorabant: in tantam cæcitatem prolapſi traditione Pontificum decipientium eos, & conſuetudine diuturna à ſuis maioribus accepta; Deo id permittẽte, imò & propter eorum peccata, tradente eos in reprobum ſenſum (vt ait Apoſtolus ad Roman. 1.) & (quod non minori conſideratione dignum eſt) illis temporibus lumen fidei, & gratiæ exiguè communicabatur hominibus; quorum quidam adeò hebetes erant, vt vix quid nomine Dei ſignificaretur, conciperent. Ex hac diuiſione ortum habuit in ſacris Literis, idola vocari interdum lapides, & ligna. Actor. 19. *Quia non ſunt Dij, qui manibus fiũt*. Interdũ dæmonia: Deuteron. 32. *Immolauerunt Dæmonijs, & non Deo*: & infra, *quæ immolant Gentes, dæmo-*

Auguſt. *Euſebius.* *Auguſt.* *Rom. 1.* *Actor. 19.* *Deuter. 32.*

dæmonijs. Illi verò cultores idolorum, qui tantùm colebant ſimulachra, vt ſigna ſuorum prototyporum, pauciſsimi erant, & etiam idolatræ cenſendi ſunt.

Igitur ad argumentum ſecundum, admiſſa maiore propoſitione, vt vera, in quibuſdam paucis idolatris, & conceſſa minore, negatur conſequentia; exponentes diſcrimen inter noſtrarum imaginum, & idolorum adorationem: vnde colligitur hanc eſſe idololatriam, illam verò non: etenim Gentiles erigebant ſtatuas, & ſimulachra prauis hominibus, aut dæmonibus dignis blaſphemia, non adoratione: & ea ſimulachra, vel creaturas in eis repræſentatas, propter ſe colebant vt diuina numina; primaſque cauſas aliquorum ſaltem effectuũ temporalium; vt ſupra vidimus, cũ de diuerſitate Deorum falſorum ageremus. Inſuper credebant, omnes eos, quos vt Deos venerabantur, eſſe corporeos, & per eas ſtatuas propriè repræſentari, quibus etiam ſacrificia, & diuinos honores exhibebant; cultus verò noſtrarum imaginum, lõgè à ſimulachrorũ diſtat; quia per eas tantum colimus perſonas veneratione dignas: tum quia ipſas imagines non propter ſe adoramus: ſed totum earum cultum in prototypa vltimatè referimus; quod ſi prototypa, Sancti, Angeli, aut homines ſunt; non credimus eſſe ſuprema numina, neque eis diuinos honores exhibemus; ſed vnamquamque rem, in ſuo grãdu, & ordine veneramur: omnia in Dei cultum, & honorem referendo. Egregiè Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 6. *Auguſt.* *Ille cultus* (inquit) *qui videtur ſub rebus ac ſignis corporalibus, ſi ad vnius Dei cultum referatur longè à Gentium more & ſuperſtitione diſtat*. Item quia nos non credimus Deum eſſe corporeum. Quod ſi imagines corporeas aliquando depingimus, non ex errore, aut falſa opinione, ſed vt per viſibilem imaginem, nos qui corporei ſumus, ad inuiſibilium amorem, & venerationem rapiamur.

Sed vrgent Hæretici dicentes: eſtò non ſit in adoratione imaginum apertus idolatricus cultus, ſæpe tamen miſcetur apud rudè vulgus adorantes imagines, ac ſi audirẽt, & ſentirent, ac diuinitatem participarent: cuius ſignum eſt; quia illas orant, & qui magis propinquant, magis ſe exaudiri exiſtimant; & cenſent vnam imaginem eiuſdem rei maiorem habere excellentiam, ac poteſtatem; & ideò libentius eam viſitaturi accedunt. Iam huic obiectioni partim ſupe- A rius ſatisfecimus: modò verò dicimus, propter prauum quorundam vſum; nec veritas doctrinæ de adoratione imaginum deſerenda, nec bonus vſus auferendus eſt. Secundò, quia periculum præfatum in adoratione imaginum, non eſt commune in Eccleſia Dei, quod ſi aliquando obrepſerit ex negligentia paſtorum, aut verò ex defectu doctrinæ in aliquibus reperiatur ignorantia aliqua, aut ſuperſtitio, id per accidens erit. Nec propterea vniuerſa Eccleſia priuanda eſt multis, ac egregijs vtilitatibus, ex vſu imaginum prouenientibus, de quibus ſupra latè egimus, & reſpondimus ad duo ſigna allata. Modò verò dicimus populum fidelem B coram imaginibus orare, quia in eis prototypa apprehendũt, ac venerantur, ſicut ſupra docuimus: anhelãt verò ad eas proprius accedere, vt magis ad deuotionem excitentur, & commodius illas veneratione proſequãtur; magis verò ad quaſdã, quàm ad alias afficiuntur; quia vel propter antiquitatem, vel propter artificis ſanctitatem, vel propter aliquid ſimile, maiorem deuotionem excitant: aut denique quia interdum, Deo diſponente, maiora beneficia conferuntur per aliquã imaginem, ſeu ad eius preſentiã. Pudeãt igitur Hæretici calũniari vſum Eccle C ſiæ circa adorationem imaginum, propter vnũ, aut alterum malum vſum: & ſciant beneuolè interpretari ea, quæ ex deuotione, aut fide facta, in bonam partem interpretanda veniunt. Ad tertium patet ex dictis circa ſecundum.

Ad quartum negatur Iudæos ac Gentiles non coluiſſe idola pro Dijs: & de Iudæis liquidò conſtat: nam omninò obliti veri Dei, qui eos eduxit de terra AEgypti, vitulum adorauerunt conflatilem, fortaſſe Apim, quem viderant in forma vituli nigri maculis albis in AEgypto adorari vt præcipuum Deum, re vera ipſi adorauerunt; D Exod. 32. & re vera obliti ſunt Dei Iſraël, *Exod. 32.* qui libertatem à captiuitate illis contulerat. Vnde Aaron ad populum: *Hi ſunt Dij tui Iſraël qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Et ibidem. *Immolarunt dæmonijs, & non Deo, & iterum, Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui*. Quod autem Gentiles quampluries eadem idola pro Dijs coluerint, certò certius eſt. Sapiẽt. *Sapien. 13.* 13. dicitur. *Qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum, & argentum, artis inuentionem, & ſimilitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ. Aut ſi quis artifex faber de ſylua lignum re-*

ctum

ctum ſecuerit, & huius doctè eradat omnem corticem, & arte ſua vſus, diligenter fabricet vas inutile, in conuerſationem vitæ, reliquijs autem huius operis ad præparationem eſcæ abutatur, & reliquum horum, quod ad nullum vſum facit lignum curuum, & verticibus plenum ſculpat diligenter per vacuitatem ſuam, & per ſcientiam ſuæ artis figuret illud, & aſſimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo eſt perliniens: & faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro ne forte cadat, proſpiciens illi, ſciens quoniam non poteſt adiuuare ſe, imago enim eſt, & opus eſt illi adiutorium. Et de ſubſtantia ſua, & de filijs ſuis, & de nuptijs votum faciens inquirit. Non erubeſcit loqui cum illo, qui ſine anima eſt, & proſanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum. Daniel 5. *Bibebant, & laudabant Deos ſuos, aureos, & argenteos.* De quo late Tertullianus in Apologetico cap. 12. Athanaſius oratione in idola. Adeò ſtupidi erant multi decepti à Pontificibus ſuis, & à mirabilibus quę dęmonia incluſa in idolis operabantur: egregiè D. Thom. 3. par. quęſt. 25. artic. 3. ad ſecundum, ſcilicet, Gētiles pro Dijs habuiſſe ipſamet ſimulachra, putātes in illis numen aliquod latere, cum illis reſponſa darent, vel ſaltem in his coluiſſe, & pro Dijs dæmonem, aut perditiſsimos homines habuiſſe: vtrumque verò longè eſt ab vſu & ritu Eccleſię in colendis imaginibus, eo quod nihil excellētiæ, aut diuinitatis in ipſis conſtituunt, neque vllam creaturam in Dei, aut Chriſti imaginibus colunt; in imaginibus verò Sanctorum ipſos Sanctos vt Dei ſeruos.

Tertul. *Athanaſ.* *D. Tho.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm idolatria ſit grauiſsimum peccatorum?

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd idolatria non ſit grauiſsimū peccatorum. Peſsimum enim opponitur optimo, vt dicitur 8. Ethi. Sed cultus interior qui conſiſtit in fide, ſpe, & charitate, eſt melior quàm cultus exterior. Ergo infidelitas, deſperatio, & odium Dei, quæ opponuntur cultui interiori, ſunt grauiora peccata, quàm idolatria, quæ opponitur cultui exteriori.

2 ¶ Præterea. Tanto aliquod peccatum grauius eſt, quanto magis eſt contra Deum. Sed directius aliquis videtur contra Deum agere blaſphemando, vel fidem impugnando, quàm cultum Dei alij exhibēdo, quod pertinet ad idolatriam. Ergo blaſphemia vel impugnatio fidei, eſt grauius peccatum quàm idolatria.

3 ¶ Præterea. Minora mala maioribus malis puniri videntur. Sed peccatum idolatriæ punitum eſt peccato contra naturā, vt dicitur ad Rom. 1. ergo peccatum contra naturam eſt grauius peccato idolatriæ.

4 ¶ Præterea, Auguſt. dicit 20. contra Fauſtum: Neque vos, ſcilicet Manichæos, Paganos dicimus, aut ſchiſma Paganorum, ſed cum eis habere quādam ſimilitudinem, eo quòd multos colatis Deos. Verùm in hoc eſſe eis longè deteriores, quòd illi ea colunt quæ ſunt, ſed pro Dijs colenda non ſunt: vos autem ea colitis quæ omninò non ſunt. Ergo vitium Hæreticæ prauitatis eſt grauius quàm idolatria.

Li. 20. cōtra Fauſtū c. 5. & 9. circ. princ. c. 6

5 ¶ Præterea, Super illud ad

Galat.

1. 2. q. 102. ar. 3. ad 11. Et mal. qu. 2. ar. 10. Li. 8. c. 10. circa princ.

Galat. 4. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, dicit gloſ. Hieronym. legis obſeruantia, cui deditiitunc erant, erat peccatum pene par ſeruituti idolorum, cui ante conuerſionem vacauerant. Non ergo peccatum idolatriæ eſt grauiſsimum.

Id habet in ſentent. gl. interlinealis in hoc loco.

¶ SED CONTRA eſt, quod Leuit. 15. ſuper illud quod dicitur de immunditia mulieris patientis fluxum ſanguinis: dicit gloſa. Omne peccatum eſt immunditia animi, ſed idolatria maximè.

Gloſ. ordin. ſuper illud: Docebitis filios Iſraël, vt caueant immunditias.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd grauitas alicuius peccati poteſt attendi dupliciter. Vno modo, ex parte ipſius peccati, & ſic peccatum idolatriæ grauiſsimum eſt. Sicut enim in terrena Republica grauiſsimũ eſſe videtur, quòd aliquis honorem Regium alteri impendat, quàm vero Regi (quia, quantum in ſe eſt, totum Reipublicę perturbat ordinem) ita in peccatis quæ cõtra Deum committuntur, quæ tamen ſunt maxima, grauiſsimum eſſe videtur, quòd aliquis honorem diuinum creaturę impendat: quia, quantum eſt in ſe, facit alium Deum in mundo, minuens principatum diuinũ. Alio modo poteſt attendi grauitas peccati ex parte ipſius peccantis, ſicut dicitur grauius eſſe peccatum eius qui peccat ſcienter, quàm eius qui peccat ignoranter. Et ſecundùm hoc nihil prohibet grauius pecare Hæreticos, qui ſcienter corrumpunt fidem quam acceperunt, quàm idolatras ignoranter peccantes. Et ſimiliter etiã aliqua alia peccata poſſunt eſſe maiora propter maiorem contemptum peccantis.

D. 716.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd idolatria præſupponit interiorem infidelitatem, & adijcit exterius indebitum cultum. Si verò ſit exterior tãtùm idolatria abſque interiori infidelitate, additur culpa falſitatis, vt prius dictum eſt. *Ar. præced.*

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd idolatria includit magnam blaſphemiam, in quantũ Deo ſubtrahitur dominij ſingularitas, & fidem opere impugnat idolatria.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quia de ratione pœnæ eſt, quòd ſit contra voluntatem: peccatũ per quod aliud punitur, oportet eſſe magis manifeſtum, vt ex hoc homo ſibi ipſi, & alijs deteſtabilis reddatur: non autem oportet quòd ſit grauius. Et ſecundùm hoc peccatum, quod eſt contra naturam, minus eſt peccatum quàm idolatriæ. Sed quia eſt manifeſtius, ponitur quaſi conueniens pœna peccati idolatriæ, vt ſcilicet ſicut homo per idolatriam peruertit ordinem diuini honoris, ita per peccatum cõtra naturã,

propriè naturæ confusibilem peruersitatem patiatur.

D.703. & 716. ¶ Ad quartum dicendū, quòd hæresis Manichæorum, etiam quantum ad genus peccati, grauior est quàm peccatum aliorū idolatrarum, quia magis derogant diuino honori, ponentes duos Deos contrarios, & multa vana fabulosa de Deo fingentes. Secus autem est de alijs Hæreticis, qui vnum Deum confitentur, & eum solum colunt.

¶ Ad quintum dicendum, quòd obseruatio legis tempore gratiæ, non est omninò æqualis idolatriæ, secundùm genus peccati, sed penè æqualis: quia vtrumque est species pestiferæ superstitionis.

Summa Textus.

PRima conclusio. Si idolatria consideretur ex parte ipsius peccati, grauissimum est omnium peccatorū. Probatur. Sicut enim in Republica, qui honorē Regium alteri quàm Regi impendit; quantum in se est, alterum creat, & veri Regis minuit principatum, & ob id grauissimum peccatum committit, quia quantum in se est totum Reipublicæ perturbat ordinem: ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur (quæ omnium maxima sunt) grauissimum est id per quod creaturæ diuinus honos exhibetur: quia quantum in se est, facit alium Deum, in mundo minuens diuinum principatum.

Secunda cōclusio. Si grauitas peccati expendatur ex parte peccantis; nihil prohibet aliqua peccata esse grauiora idololatria. Et ratio est, quia alijs peccatis minoris malitiæ quàm idolatria, tot possunt accumulari circunstantiæ aggrauantes, vt idololatriam in malitia superent: v.g. grauius peccant Hæretici, qui sciēter corrumpunt fidem, quam acceperunt, quàm idolatræ ignoranter peccantes. Et similiter alia peccata possunt esse maiora propter maiorem contemptum peccantis.

DISPVTATIO I.

De veritate primæ conclusionis Diui Thomæ.

IT videtur esse falsam, primò ex eodē D. Tho. supra quæst. 20. articulo 3. vbi asserit omnium peccatorum grauissima esse, quæ cōtra virtutes Theologicas cōmittuntur: at idolatria religioni opponitur: ergo. Et confirmatur: nam pessimum opponitur optimo. Aristot. 8. Ethicor. cap. 10. Sed virtutes Theologicæ, Fides, Spes, & Charitas, sunt omnium optimæ: ergo infidelitas, desperatio, & odium Dei, quæ his opponuntur, grauiora peccata sunt, quàm idololatria. D.Tho.

Secundò. Odium Dei opponitur amori Dei in seipso, idololatria verò exteriori cultui Dei. Rursus, odium Dei quantum in se est, tollit diuinum esse: idololatria verò minuit illud odium Dei, annullat Deum, idololatria æqualem illi dat: ergo ex genere suo, odium Dei grauius peccatum est. Confirmatur ex D. Thom. supra quæstione 34. artic. 2. vbi simpliciter asseuerat, odium Dei esse omnium peccatorum grauissimum. Tertiò. Idololatria exterior, quæ perpetratur sine infidelitate interiore, qualem commisit Marcellinus, non est ita graue peccatum, sicut infidelitas interior: etenim infidelitas interior subruit omnia virtutum fundamenta, ac subinde magis elongat à Deo, quàm idololatria exterior tantùm. Augustſt.

Quartò. Augustinus 2. contra Faustum, capite. 5. & 9. tom. 6. sic ait: *nec vos* (videlicet Manichæos) *Paganos dicimus, aut schisma Paganorum, sed cum eis habere quandam similitudinem, eo quod multos colatis Deos; verum in hoc esse eis longè deteriores, quod illi ea colunt, quæ sunt, sed pro Dijs colenda non sunt: vos autem ea colitis, quæ omninò non sunt*: ergo vitium Hæreticæ prauitatis est grauius, quàm idololatria.

In oppositum est Diuus Thomas in hoc articulo & 1. 2. quæstione 102. articulo 5. ad 11. & quæstionibus de malo, quæstione 2. art. 10. in corpore, & colligitur ex sacris

Lite-

Literis, in quibus adeò exaggeratur idololatriæ iniquitas, ac increpantur idolatræ verbis grauiſsimis, vt hoc peccati genus nequeat dici non eſſe omnium grauiſsimum.

Pſal.105. Pſalm.105. Eſai.1. & 44. Hierem.2. & 16.
Eſaiæ.1. Ezechiel.6. & 14. Oſee.8. Amos.2. Micheas
& 44. 1. & alibi ſæpe, & ratio D. Thomæ id ip-
Hierem.2. ſum oſtendit.
& 16.
Ezech.6.
Oſee.8.
Amos.2.
Micheæ.1.

Dominus Caietanus vt his reſpondeat, aduertit idolatriam ſecundùm genus ſuum, vltra malitiam in cultu, claudere in ſe infidelitatem, & odium Dei, quoniam vtriuſque eſt proteſtatio. De odio oſtendit: *Caietanus.* Nam idola colens, quantum in ſe eſt, tollit à Deo ſuam ſingularem excellentiam, qua ſolus eſt Deus: hæc autem eſt ſua deitas; quod ad odium Dei ſpectat: & negat huiuſmodi ſingularitatem; quod ad infidelitatem pertinet: & propterea grauius peccatum ſecundum ſe. Res enim clara eſt, peccatum includens aliud eſſe ipſo grauius. Hæc Caietanus.

Sed contra iſtam ſententiam, maximè contra expoſitionem Caietani, ſe offerunt non exilia argumenta. Primum eſt. Grauitas peccatorum maior non deſumitur ex odio Dei participatiuè, ſiue interpretatiuè, ſed ex formali odio Dei: at ratio allata à Caietano, & explicatio eius, quatenus aſſerit idololatriam includere ex ſua ratione odium Dei, procedit de odio Dei participatiuè, ſeu interpretatiuè: ergo inde non benè colligit idolatriam eſſe grauius peccatum, quàm odium Dei, & quàm cætera peccata. Maior nota eſt, quia omne peccatum mortale includit hoc modo odium Dei, quatenus includit auerſionem à Deo, & vltimum finem ponit in creatura: vt Diuus Thomas docet ſupra, quæſtione 34. ar-
D. Thom. ticulo ſecundo. Minor verò, in qua eſt difficultas probatur multipliciter. Primò, quia ſicut religio non reſpicit immediatè Deum, ſed cultum Dei, ita idololatria ei oppoſita non reſpicit immediatè auerſionem, & execrationem Dei, ſed mediatè: ergo odium, quod ibi includitur, non eſt formale, quod immediatè terminatur ad Deum, multo aliter quàm interpretatiuum, quod mediatè, & per aliud reſpicit Deum, per conuerſionem ſcilicet ad creaturam. Secundò probatur eadem minor: Nam gradus idolatriæ ſuptemus, & explicatior, qualis inter Paganos reperiebatur, licèt ab infidelitate procederet, non tamen ex odio Dei formali: nam vel idololatria ignorat omninò verum Deum, & ita non

A poteſt propriè, & formaliter illum odio habere; quia voluntas non fertur in rem incognitam, vel cognoſcit aliquo modo Deum ſupremum, errat tamen credendo eſſe alios Deos dignos diuino cultu: & tunc quamuis non repugnet odiſſe ſupremum Deum, id tamen neceſſarium non eſt, vt colat inferiores Deos, vt per ſe notum videtur; & de Platone, ac alijs Philoſophis Auguſtinus refert. Nec etiam in alio gradu idolatriæ, quando ſcilicet quis ſine intellectus infidelitate vult alteri quàm Deo, tribuere diuinum honorem, vt eum ſibi habeat propitium: non, inquam, in
B hoc idolatriæ gradu odium Dei, licèt præcedere poſsit, neceſſarium eſt: nam poteſt quiſpiam velle tribuere diuinum honorem ei, quem ſcit non eſſe verum Deũ, propter aliqua motiua temporalia ſine formali odio Dei: & idem argumentum fit in gradu, qui verſatur circa idolatriam merè exteriorem.

Ad hæc videtur Caietanus reſpondere, ad expendẽdam maiorem grauitãtem peccatorum ex genere ſuo, non debere fieri
C comparando ſummum vnius extremi, cum alio non ſummo alterius extremi: ſic autem proceditur in argumentis poſitis, nam fit comparatio odij Dei in ſummo gradu, putà quo quis vellet Deũ totaliter non eſſe, ad idolatriam quamcunq; :& ſic odium Dei grauius eſt: ſed oportet comparare idolatriam omnium peſsimam, quæ procedit ex odio Dei peruerſiſsimo, & iſto pacto grauius peccatum eſt idololatria, quia vltra malitiam in genere cultus includit illud peſsimum odium Dei. Contra hoc

Tertiò arguitur: Nam quod idololatria imperetur ex odio Dei non tollit diſtinctionem idololatriæ ab odio Dei, neque confundit malitias, vt patet in furto facto propter mœchiam, & in omnibus alijs
D actibus imperantibus, & imperatis. Quartò ad idem: nam quod aliquando idolatria procedat ex infidelitate, aut odio Dei formali, non ob id dicetur ex ſuo genere ſuperare illa in grauitate: tum, quia hoc non ſemper contingit: tum, quia quando accidit, augmentum illud erit extenſiuũ, quod non facit peccata ex genere ſuo eſſe magis aut minus grauia, niſi forſitan ex parte peccantis, grauius extenſiuè peccat, plura peccata committendo, quàm vnum tantùm.

His, & ſimilibus aliqui perſuaſi, inter quos eſt Franciſcus Suarez in lib. 2. de ſu- *Suarez.*

perſtitione capite 6. tenet falſum eſſe idolatriam ex ſuo genere eſſe grauius peccatum, quàm ea, quæ formaliter contraria ſunt virtutibus Theologicis; putà infidelitas, deſperatio, & odium Dei: & Diuum Thomam in oppoſitum dicentem, explicat, eſſe intelligendum comparatiuè ad vitia oppoſita virtutibus moralibus. Sed explicatio hæc eſt contra eiuſdem Doctoris Sancti mentem, vt patebit legenti quæ in hoc articulo dicit, & in ſolutione primi & quarti argumenti; quod benè aduertens præfatus Autor aliam adhibet explicationem, videlicet eſſe intelligendum de grauitate peccatorum extenſiua, quam maiorem habet idolatria, quàm alia vitia ex conſortio aliorum vitiorum, & propter periculum incidendi in alia peccata, vt dicitur Sapient. 14. Sed cum hæc grauitas extenſiua conſideretur ex parte operantis, non ex genere ſuo (vt idem autor fatetur) & Diuus Thomas expreſſè in prima concluſione conſideraverit ipſam non ex parte operantis, ſed ex genere ſuo, & aſſeruerit eſſe maiorem in idolatria, quàm in cæteris vitijs etiam oppoſitis virtutibus Theologicis, hanc non admittit interpretationem; quod credo benè præuidiſſe citatum Autorem, ſed modeſtè oppoſitam ſententiam Diui Thomæ tenet. Quare nos Diui Thomæ ſectatores, pro deciſione

Sapien. 14.

Primò dicimus. Si conſiderentur peccata oppoſita virtutibus Theologicis, putà infidelitas, deſperatio, & odium Dei ſecundùm ſuas formales, & præciſas rationes, quodlibet eorum grauius eſt, quàm alia peccata, imò & quàm idololatria, conſiderata eius præciſa ratione, ideſt, in qua non communicat cum vitijs contra virtutes Theologicas (ſi tamen hæc præciſio poſsibilis eſt.) Hoc aſſertum nullus vt reor inficiabitur. Et probatur ratione Diui Thomæ ſupra quæſtione 20. articulo 3. inſuper & rationes allatæ contra primam concluſionem huius articuli id euidenter oſtendunt.

D. Thom.

Secundò dico. Idololatria ex genere ſuo, & conſiderata ratione ipſius peccati, grauius peccatum eſt, quàm odium Dei, & conſequenter quàm reliqua peccata. Probatur, quia ex genere ſuo, vltra malitiam contra religionem, includit odium Dei formale: ergo grauius peccatum eſt non tantùm extenſiuè, ſed intenſiuè ex ipſamet ratione idolatriæ. Antecedens oſtenditur à D. Tho. in articulo, & Caietanus benè explicat, quia quantum eſt de ſe proteſtatur, & facit alium Deum præter verum in mundo, & minuit veri Dei principatum; quod ad odium Dei formale ſpectat; vt videbimus in ſolutione argumentorum in oppoſitum factorum: & eadem ratio procedit de maiori grauitate idolatriæ ſupra infidelitatem, de quo inferius.

Caiet. *D. Tho.*

Et vt veritas huius antecedentis pateat, in quo tota huius rei difficultas incumbit; aduertendum eſt ex D. Thom. & Caietano ſupra quæſtio. 34. artic. 2. duplex eſſe Dei odium: quoddam, quo voluntas refutat, & auerſatur Deum ipſum vt ſibi diſconuenientem; & hoc dicitur abominationis odium. Secundum, quo voluntas vult aliquod malum Deo, aut vellet; & dicitur odium inimicitiæ: quo fit vt ille actus, quo voluntas expreſsè ac formaliter refugit, aut auerſatur Deum, aut aliquid Dei, aut vult, vel vellet aliquod malum Deo; talis actus odium formale Dei eſt. Ille verò actus quo voluntas non expreſsè, ac formaliter, & immediatè, modo præfato, ſe habet erga Deum, ſed implicitè, & mediatè, quatenus ſcilicet verſatur circa inordinatam delectationem, & quia ipſa habet annexam deordinationem à Deo illam prohibentem, ideò conſequenter vult ipſum Deum non eſſe prohibitorem, aut talis rei legiſlatorem, vel refugit, & auerſatur illum vt ſic; tunc inquam, talis actus odium Dei eſt interpretatiuè, ac participatiuè, non formaliter. Secundò notandū eſt, idem fermè eſſe, & pro eodem reputari, nolle Deum eſſe ſingulari honore proſequendum, ipſumque vt talem refugere, & auerſari, & alij à Deo, velle debitum ſoli Deo honorem, conferre. Similiter pro eodem reputatur velle Deo ſuam ſingularitatem naturæ diuinæ auferre: & velle alij à Deo, honorem diuinum, ſoli ipſi debitum, conferre. Sicut in humanis pro eodem reputantur, velle proximo rapinam ſuorum bonorum, & velle bona ſibi debita alteri, cui non debentur, conferre: & pro eodem reputantur velle Regi auferre ſuam ſingularitatem in regnando, & honores Regios, ac ſoli Regi debitos, aut tributa, alteri à Rege velle conferre. Hinc infero ad noſtrum propoſitum, qui nollet expreſsè, & formaliter, Deum eſſe proſequendum honoribus Diuinis, & eum vt talem fuga voluntatis auerſaretur, certè formaliter odio haberet

eum

eum : ergo eodem crimine formaliter inuolueretur, qui actu voluntatis vellet alij à Deo, honores diuinos conferre; quia ipſum vt ſingularem in honoribus diuinis refutaret, & auerſaretur. Etenim tam illud prius, quàm hoc poſterius, pro eodem reputantur; & illud prius ad odium Dei ſpectare compertum eſt. Similiter infero. Sicut ad odium formale Dei ſpectat, velle Deo ſuam ſingularitatem, vel in natura, vel in honoribus auferre; ſic velle alteri à Deo honores ſoli Deo debitos conferre, quia iſta duo pro eodem reputantur. A

Sed ad obiectiones factas contra dominum Caietanum, & nos, reſpondetur. Ad primam negando minorem. Et ad primam probationem, quę videtur deſumpta ex doctrina D. Thom. in loco nuper citato dicimus; religionem non dici mediatè terminari ad Deum, quia mediante actu alterius virtutis, à quo imperatur, ſed quia obiectum quod, non eſt Deus, ſed Dei cultus: cum quo tamen ſtat; quod expreſsè, & immediatè feratur in Deum in obliquo, & tanquam in obiectum cui. Similiter idololatria non fertur in Deum immediatè, tanquam in obiectum; ſed in creaturam reputatam Deum: at verò immediatè reſutat, & auerſatur verum Deum, & ei debitos honores diuinos, alteri tribuit: ex quo tamen non infertur, odium Dei ibi incluſum, eſſe interpretatiuum, & participatum. Pro quo adhuc amplius rimari oportet differentiam, inter odium Dei formale; & interpretatiuum: Nam ad rationem formalis odij non requiritur, vt voluntas feratur in Deum in recto, abominando illum ſine alio medio, ſed ſat eſt ferri in Deum expreſsè, & volendo à Deo auferre debitos honores, ſicut ſupra declarabam; odium verò interpretatiuum, commune omnibus peccatis, auertit à Deo ſecundum aliud volitum: & explicat D. Tho. vbi ſupra in quantum appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam deordinationem à Deo: vnde colligitur, odium Dei incluſum in idolatria non eſſe interpretatiuum, ſed formale. Fateor, formalius eſſe odium, quod immediatè contrariatur virtuti charitatis: cum hoc tamen ſtat, hoc odium, quod contrariatur quaſi mediatè eidem virtuti, formale eſſe, & propter eius incluſionem in idolatriam, dici grauius peccatum, quàm odium Dei. Itaque ad argumentum negatur conſequentia, quia vni virtutis actui, benè ſtat multa diuerſa vitia opponi: verbi gratia, velle alicui debitum reddere, ad iuſtitiam pertinet; velle autem eidem auferre bonum debitum, & ad iniuſtitiam, & ad odium proximi pertinet, vt ait D. Thom. vbi ſupra articulo 4. Sic in propoſito, Deũ velle colere, ad religionem ſpectat: at velle cultum Deo debitum creaturæ exſoluere, pertinet ad idololatriam, & ad odium Dei, quod in ipſa includitur. Et benè aduerte, ad auerſionem formalem non requiri, vt homo recedat à Deo quaſi in recto, ſed ſat eſt vt recedat expreſsè ab eo in obliquo, volendo ei ſubtrahere honorem debitum, vel conferendo alteri, quæ vt diximus pro eodem reputantur. B

Pro ſolutione ſecundæ probationis eiuſdem minoris, aduertere oportet, in magna verſari æquiuocatione, aut deceptione obijcientem, dum putat diuum Thomam, aut nos, aſſerere odium Dei formale includi in idolatria, tanquam imperans irreuerentiam idolatricam, quaſi odium Dei habeat vim intentionis mouentis, ad electionem idolatriæ ad ſatisfaciendum odio Dei; quod nos, neque Diuus Thomas ſomniamus, & ſub iſta conſideratione procedit, & habet vim probatio ſecunda illius minoris negatæ. Etenim in caſibus in eadem allatis, nequaquam poteſt eſſe, aut non eſt neceſſarium, idololatriam procedere ab odio Dei formali imperatiuè: ſed aſſerimus in illis caſibus, odium Dei formale (quale ſuperius deſcripſimus) eſſe imbibitum, & incluſum in ipſis actibus idolatricis; quia hoc ipſo quod quis colit cultu latriæ creaturam, ipſo facto quantum eſt de ſe, deſtruit ſingularem excellentiam Dei veri; & reddendo alteri honorem diuinum, aufert ab illo quod ſibi debitum eſt, & confert alteri; quod eſt formaliter odiſſe Deum vt dicebamus. Illud verò quod ex Caietano retulimus, de comparatione odij peſsimi contra Deum, ad idolatriam proœdentem ex eodem odio (qualis fortaſſe reperiri poſſet in idolatris, & deſperatis) intelligendum eſt, iuxta tenorem primi aſſerti, vel ſano modo, de quo latius in ſolutione ſecundi poſiti in initio huius diſputationis. C

Ad tertiam verò obiectionem reſpondetur, procedere de idololatria, vt imperatur ab odio Dei, quo modo nos non loquimur, quando aſſerimus eſſe grauius, D

quàm odium Dei, vt paulò ante dicebamus.

Similiter respondetur ad quartam obiectionem, & concedimus illud augmentum per modum imperatæ idolatriæ, esse extensiuum, & per accidens, sicut accidentale est, quod idolatria imperetur ab odio; potest enim imperari ab ira, vel ab alio vitio: nam quando ab infidelitate procedit, infidelitas videtur se habere tantùm dispositiuè, & quasi remouens prohibens potius, quàm imperatiuè. At verò extensio illa idolatriæ ad odium Dei formale, ratione cuius nos dicimus esse peccatū grauius, quàm omnia peccata, non est accidentalis, sed intrinsecè imbibita in idolatrico actu: & ideò ratione illius dicimus idololatriam esse grauius peccatum, quàm odium Dei.

Sed obijciet quispiam. Pari ratione qua asserimus idololatriam includere in sua ratione odium Dei formale, concedendum erit includere blasphemiam; quod tamen non videtur esse concedendum. D. Thom. in solutione ad secundum concedit illatū in quantū scilicet, per idololatriā Deo subtrahitur dominij singularitas. Quod si rursus obijcias. Formale odiū virtuti charitatis opponitur, sed nos asserimus idololatriam includere odium Dei formale, ergo charitati opponitur idololatria, non Religioni. Consequens à nullo admittitur: ergo. Respondetur, vtrique virtuti opponitur: non enim est nouum; aut inauditum, vnum & eundem actum vitij, pluribus virtutibus opponi: vt auferre ab homine honores debitos, peccatum est contra iustitiam, contra obseruantiam, & contra proximi charitatem.

Ex dictis non erit difficile argumentis propositis in principio disputationis respõdere. Ad primum respondetur, D. Thomam esse intelligendum, iuxta tenorem primi asserti; cum quo tamen stat idolatriam absolutè consideratam, secundùm omnia quæ includit, grauius peccatum esse, quàm cætera peccata, etiam ijs quæ opponuntur virtutibus Theologicis. Et eodem modo respondetur ad confirmationem. Ad secundum respondetur negando consequentiam: quamuis enim odium Dei in se ipso, superet odium Dei inclusum in idolatria, quia illud est formalius, & expressius, ac magis immediatius contra Deum; tamen excessus iste non est adeò magnus, quin ex alia parte idololatria A superet odium Dei in se ipso, quatenus includit malitiam ingentem contra Religionem, tribuendo diuinos honores, soli vero Deo debitos, falsis Dijs, qui non sunt, vel creaturæ sunt. Et hæc videtur melior solutio, quàm Caietani recurrentis ad idolatriam imperatam ab odio Dei, vt asserat esse grauiorem, quàm odium Dei: Nam illa accidentaliter grauior est, sicut accidentaliter imperatur; nos verò loquimur de idololatria secundùm ea, quæ ipsi per se, & ex natura sua conueniunt. Ad confirmationem respondetur, odium Dei esse grauius quocunque alio peccato, in B quo illud Dei odium non includitur, imò idololatria ideò esse grauissimum omnium dicitur, quia odium Dei includit.

In argumento tertio tangitur quædam dubitatiuncula: Vtrùm sit peccatum grauius idololatria exterior tantùm, sine interiore infidelitate, an verò infidelitas interior? nam D. Thom. hic ad primum videtur apertè asserere grauius peccatum esse idolatriam exteriorem: ait enim quod idolatria (nimirum interior) addit supra interiorem infidelitatem, quam præsupponit, cultum indebitum exterius; vbi apertè asseuerat idololatriam infidelium esse deterius peccatum, quàm infideli atem: & statim subdit: *Si verò sit tantum exterior idolatria absque interiore infidelitate, additur culpa falsitatis.* Vbi oportet aduertere ex mente D. Thom. grauius peccatum esse idolatriam exteriorem tantùm, quàm infidelitatem interiorem. Item insinuare videtur culpam falsitatis æquari infidelitati interiori. *D. Thom.*

C

In oppositum videtur esse: nam in idololatria exteriore tantùm non est nisi mendacium pernicioſum, quo quis non ex animo colit idola, vt Marcellinus egit: at nullum mendacium æquabile videtur infidelitati interiori, ergo idolatria exterior tantùm sine infidelitate, non est grauius peccatum, quàm interior infidelitas. D

Nihilominus pars affirmatiua D. Tho. in hoc articulo ad primum vera est. Pro cuius clariori cognitione aduertendum est: tam idololatriam exteriorem tantùm, quàm eam, quæ habet admixtam infidelitatem, in hoc conuenire, quod vtraque est infidelitatis protestatio, vt ait Diuus Thomas in articulo primo huius quæstionis: differunt autem multipliciter; nam idololatria exterior tantum

tum non procedit ab infidelitate interiore, neque eam præſupponit, ſicut idololatria abſoluta, qualis eſt Paganorum. Secundò, quia in idololatria exteriore tantùm reperitur mendacium perniciosum, non verò in idolatria abſoluta, vt D. Th. docuit art. præcedenti circa finem. Secundò aduertendū, hanc infidelitatis proteſtationem, non eſſe formaliter infidelitatem, infidelitas enim dicit falſam opinionem de Deo, pertinentē ad intellectum. At infidelitatis proteſtatio, cùm ſit actus oppoſitus Religioni ad volun tatem pertinet, ac proinde non eſt formaliter infidelitas: vt egregiè docuit D. Tho. in art. 1. huius quæſtionis ad primum, ac proinde idololatria, quæ formaliter conſiſtit in proteſtatione infidelitatis, non eſt formaliter infidelitas interior, licèt illam præſupponat: eſt tamen quid valde affine, vt de ſe liquidò patet.

D. Thom.

Hinc infero, idololatriam abſolutam, qualis Paganorum eſt, eſſe peccatum grauius, quàm infidelitas interior: quia ipſam præſupponit, & præterea addit proteſtationem infidelitatis, quam in ſuo conceptu claudit: quæ proteſtatio licèt non ſit infidelitas, illi æquiualet, aut ferè æquatur: inſuper & includit odium Dei, ſicut ſupra dicebamus. Secundò infero, idololatriam exteriorem tantùm, eſſe ex ſuo genere grauius peccatum, quàm infidelitatem interiorem, non quia illam præſupponat, aut ab ea procedat, neque quia illam formaliter includat in ſuo conceptu: ſed quia includit proteſtationem infidelitatis, quæ æquatur infidelitati, & vlterius addit falſitatem mendacij perniciosi: quod non mediocriter confirmant verba Auguſtini lib. 6. de Ciuitate, capite 10. aſſerentis: *Senecam eo damnabilius coluiſſe idola, quo illa, quæ mendaciter agebat, ſic ageret, vt eum Populus veraciter agere exiſtimaret.* Ad hæc accedit idolatriam exteriorem includere odium Dei, vt ſuperius docui. Tertiò infero. Si in idololatria conſideretur tantùm id, quod in ſuo formali conceptu includit: idololatriam exteriorem tantùm, eſſe grauius peccatum, quàm idololatriam infidelium: quod expreſsè aſſerit Diuus Auguſtinus citatus, & rationem reddidit: quia addit mendacium deceptorium in re tam seria, ac proinde perniciosum. Præterea probatur: Nam qui peccat ſine ignorantia, plus peccat, quàm qui ex ignorantia: ſed idolatra interior, qui ſimul putat creaturam eſſe Deum, atque adeò eſt infidelis, tribuit diuinos honores creaturæ ex ignorantia: idolatra verò exterior tantùm, qui timore, vel alio reſpectu inducitur ad hoc, vt velit creaturam diuinis honoribus proſequi, peccat ſine ignorantia: ergo plus peccat. Fateor quòd ſi in idololatria infidelium conſideremus adiunctam infidelitatem interiorem, à qua procedit, magis peccat infidelis idolatra, maximè negans Chriſti fidem, & habēs intus odium Dei, quàm idolatra tātùm exterior, colens idola metu, aut alio reſpectu inductus: ſed hoc non probat maiorem gra uitatem peccati, ex parte ipſius peccati, ſed ex parte peccantis, in quo maior deornatio reperitur: & proportionaliter loquendum eſt, de infidelitate interiori, quam putamus deterius peccatum eſſe ex parte peccantis, quàm idololatria exterior tantùm. Ad argumentum igitur in oppoſitum negatur maior, quia vltra mendacium perniciosum, quod includit idololatria exterior, includit etiam proteſtationem infidelitatis, & odium. Vnde multis modis ſuperat infidelitatem interiorem.

Ad quartum Diuus Thomas hîc reſpondet, hæreſim Manichæorum, etiam quantum ad genus peccati, grauiorem eſſe, quàm peccatum aliorum idolatrarum, quia magis derogant diuino honori ponentes duos Deos contrarios, & multa vana fabuloſa de Deo fingentes: ſecus autem eſt de alijs Hæreticis, qui vnum verum Deum confitentur, & eum ſolum colunt. Quæ Diui Thomæ verba, quatenus aſſerunt hæreſim Manichæorum eſſe grauiorem, quàm idololatria aliorum infidelium, Petrus Bergomenſis, dubio 716. dicit eſſe intelligenda, non ſecundùm ſe, ſed ex parte peccantis. Nihilominus expoſitio non quadrat textui: ait enim Diuus Thomas eſſe grauius peccatum etiam quantum ad genus peccati, & non ſolùm ex parte peccantis. Quare reſpondetur. Licèt idololatria comparata infidelitati interiori, ſit deterius vitium à toto genere ſuo, vt ſupra diximus: at verò cum hoc ſtat, aliquam infidelitatem, putà hæreſim Manichæorum eſſe deteriorem propter rationem allatam in argumenti ſolutione: dicitur autem eſſe peiorem ſecundùm genus ſuum, non in quantum hæreſis eſt, aut infidelitas, ſed quatenus talis modus infidelitatis eſt; qui genus eius appellatur, quia in ſua ratione includitur. Planior tamē ſenſus Auguſtini eſt, vteōparet cultūManichæorū cum cultu aliorum idolatrarum, & illum

D. Thom.

Bergomen.

Auguſt.

vocet deteriorem; quia colunt Deos fictos, & chimericos, qui non sunt: hunc verò non ita malum, quia colunt, ea quæ sunt in rerum natura, licèt Dij non sint; & sic nihil contra nos. An verò cultus Manichæorum, & aliorum Hæreticorum colentium Deum falsum, sit idololatria, iam disputaui in vltima dubitatione primi articuli huius quæstionis.

In vltima huius articuli parte meritò tractabitur de pœnis idolatrarum; & non loquimur de ijs, quibus Deus punire solet eos; quia hæ, Dei arbitrio, interdum acerbiores, interdum remissiores sunt: & semper acerbissimæ, vt patet Exod. 32. & alijs locis veteris testamenti, sed loquimur de pœnis Ecclesiastico iure impositis contra baptizatos, qui idolatriam commiserunt, quales sunt censuræ Ecclesiasticæ, quæ aduersus non baptizatos nullæ sunt. Rursus notandum homines baptizatos duobus modis posse idolatriam committere: vno modo, apostatando à fide ex infidelitate interius habita: secundo modo, absque infidelitate interiori, sed motos aliquo motiuo temporali, videlicet propter adulationem, siue ambitionem, siue tantùm fictè ex timore humano. Quando priori modo committitur idolatria, certum est eũ idolatram incurrere censuras latas in Apostatas, & Hæreticos: de quibus in 2.2.q.11. & 12. quia huiusmodi, apostatę sunt à fide, & profitentur exterius infidelitatem internam: nam contra Apostatas nullas specialiter legimus latas. At verò si idolatria secundo modo committatur est

Exod.32.

DVBITATIO VNICA.

An incurratur excommunicatio lata in Bulla Cœnæ contra Hæreticos, & Apostatas?

ET videtur vera pars affirmatiua. Primò. Huiusmodi idolatræ, simpliciter idolatrę sunt, propter actum exteriorem idolatrię, quem exercent: ergo censuras præfatas incurrunt. Antecedens manifestatur in muliere exosam habente libidinem, timore tamen perculsa permittit se cognosci, quæ verè fornicationem committit. Similiter seruus, qui compulsus à Domino, furatur. Secundò huiusmodi idolatræ, infidelitatis actum exercent voluntariè: ergo incurrunt censuras circa infideles latas. Probatur antecedens. Primò à simili; nam D. Petrus qui voce tenus negauit Christum infidelitatis actum exercuit: ergo & idolatra tantùm exterior. Tertiò. Præfati idolatræ, protestantur se esse infideles, quia vt ait D. Tho. in ar. 2. huius quæstionis ad primum, quæcunque idolatria, infidelitatis protestatio est: ergo excommunicationē latam contra infideles incurrunt. His argumentis persuasus Caie. in ar. 1. huius quæstionis hanc tuetur partem, & idem dixerat de eo, qui exercet aliquem infidelitatis actum tantùm externum, sine errore intellectus circa fidem, qualis fuit Petrus negans Christum. In oppositũ tamen est, quia huiusmodi idolatræ nõ sunt infideles propriè: ergo non incurrunt censuras contra infideles. Idē argumentũ fit de eo qui verũ infidelitatis actum exterius tantũ exercet. Cõfirmatur, quia pœnæ istæ potius restringẽdæ sunt, quàm ampliãdæ: cur ergo extendendæ sunt ad idolatras exteriores tantùm, qui propriè ac formaliter non sunt infideles? aut verò ad fidem negantes exterius, qui simpliciter non sunt infideles, sed secundũ quid? Hæc sententia magis mihi arridet, & est cõmunis Doctorũ: eam amplexãtur D. Antonin. 2. p. ti. 12. c. 6. Angelus, verbo, *apostasia*, num. 9. Syluest. eodem verbo, nu. 4. q. 1. vers. 2. & verbo, *Hæresis*, q. 6. vbi citat Alensem, & Tabiena, verbo, *apostasia*, nu. 6. §. 3. & verbo, *Hæreticus*, nu. 3. §. 2. Nauar, in Man. c. 11. nu. 27. Cardin. à Toleto in Explicatione Bullæ Cœnæ §. 1. conc. 2. Et opinio hæc valde notanda pro his qui exercẽtes aliquem infidelitatis externæ, aut idolatriæ actum, mente retinent veram fidem: verbi gratia, qui vt euadant mortem in ditione Sarracenorum dicunt non esse Christianos, aut in terris Hæreticorum execrantur summum Pontificem, aut in locis Gentilium idolis cultum exteriorem tantùm exhibent: hi enim licèt grauissimè peccent, non tamen incurrunt censuras contra infideles latas, vt egregiè adnotauit Chapeauillus in tractatu de casibus reseruatis. p. 2. q. 1.

D. Tho.

Caiet.

Antonin. Angel. Sylueſt. Tabien. Alenſ. Nauarr. Tolet.

Chapeauil.

Ad argumenta Caietani respondetur negando consequentiam, concesso antecedenti: quia excommunicatio in Bulla Cœnæ non est lata contra idolatras, sed contra infideles. Idololatria autem exterior tantùm, neque est formaliter infidelitas, neque eam præsupponit, aut includit. Ad secundum negatur antecedens. Ad probationem negatur etiam consequentia. Quia negatio Petri ad infidelitatem

tatem pertinet, non verò idolatria exterior, ſed ad ſuperſtitionem. Vel ſecundò reſpondetur negando antecedens probationis, ſi ſermo ſit de vera, & propria infidelitate, quæ in aſſenſu falſo erroris conſiſtit: & quamuis illa negatio ad infidelitatem ſecundùm quid pertineat, ea tamen non puniſ tur cenſuris, ſed infidelitas, quæ abſolutè, & ſimpliciter infidelitas eſt.

Ad tertium reſpondetur duplicem eſſe proteſtationem infidelitatis: quandam ad infidelitatem ſpectantem, vt quando quis aſſenſu intellectus fatetur aliquem errorem contra fidem, & hæc non reperitur in idolatria exteriore tantùm, neq; formaliter, neque præſuppoſitiuè. Altera verò eſt proteſtatio, non per verba, aut per intellectus aſſenſum, ſed per facta: & huiuſmodi reperitur in idolatria quacunque: ſed cùm hæc non ſignificetur nomine infidelitatis, non punitur cenſuris latis contra infideles.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm cauſa idololatriæ fuerit ex parte hominis?

2. *Diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 2. *Cor.* & 3. *cont. c.* 120 & *po. q.* 3. *art.* 4. *co.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quod cauſa idolatriæ non fuerit ex parte hominis. In homine enim nihil eſt niſi vel natura, vel virtus, vel culpa: ſed cauſa idolatriæ non potuit eſſe ex parte naturæ hominis: quin potiùs naturalis ratio hominis dictat, quòd ſit vnus Deus: & quòd nõ ſit mortuis cultus diuinus exhibendus, neque rebus inanimatis. Similiter etiam nec idolatria habet cauſam in homine ex parte virtutis, quia non poteſt arbor bona malos fructus facere, vt dicitur Matthæi ſeptimo. Neque etiam ex parte culpæ, quia vt dicitur Sapiẽtiæ decimoquarto. Infandorum idolorum cultura omnis mali eſt & initium, & finis: ergo idolatria non habet cauſam ex parte hominis.

2 ¶ Præterea. Ea quæ ex parte hominis cauſantur, omni tempore in hominibus inueniuntur. Non autem ſemper fuit idolatria, ſed in ſecunda ætate legitur eſſe adinuenta, vel à Nembroth, qui (vt dicitur) cogebat homines ignem adorare: vel à Nino, qui imaginem patris ſui Beli adorari fecit. Apud Græcos autem (vt Iſidorus refert) Prometheus primus ſimulachra hominum de luto finxit, Iudæi verò dicunt, quòd Iſmael primum ſimulachrum de luto fecit. Ceſſauit etiam in ſexta ætate idolatria ex magna parte. Ergo idolatria non habuit cauſam ex parte hominis.

Lib. 8. Etymol. ca. 11. paulò à pri.

3 ¶ Præterea. Auguſt. dicit 21. de Ciuitate Dei. Neque potuit primum, niſi in illis, ſcilicèt dæmonibus docẽtibus, diſci, quid quiſque illorum appetat, quid exhorreat, aut quo inuitetur nomine, aut quo cogatur: vnde magicæ artes, earumque artifices excreuerunt. Eadem autem ratio videtur eſſe de idolatria: ergo idolatriæ cauſa nõ eſt ex parte hominum.

Li. 21. c. 6. à me. illim. tom. 5.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Sapientiæ decimoquarto: Superuacuitas hominum hæc, ſcilicèt idola, adinuenit in orbem terrarum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd idolatriæ est duplex causa. Vna quidem dispositiua. Et hæc fuit ex parte hominum. Et hoc tripliciter. Primò quidem ex inordinatione affectus, prout scilicèt homines aliquem hominem vel nimis amantes, vel nimis venerantes, honorem diuinum ei impenderunt. Et hæc causa assignatur Sapient. 14. A cerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum quitunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit. Et ibidem etiam subditur, quòd homines aut affectui, aut Regibus deseruientes, incommunicabile nomen, scilicèt diuinitatis, lignis, & lapidibus imposuerunt. Secundò propter hoc quòd homo naturaliter de repræsentatione delectatur, vt Philosophus dicit in poëtria sua. Et ideò homines rudes à principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expressiuè factas, diuinitatis cultum eis impenderunt. Vnde dicitur Sapient. 13. Si quis artifex faber de sylua lignum rectũ secuerit, & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet imagini hominis, de substantia sua, & filijs, & nuptijs votum faciens, inquirit. Tertiò, propter ignorantiam veri Dei, cuius excellentiam homines non considerantes, quibusdam creaturis propter pulchritudinem, seu virtutem, diuinitatis cultum exhibuerunt. Vnde dicitur Sapi. 13. Neque operibus attendẽtes agnouerunt quis artifex esset, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut girum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, rectores orbis terrarum, Deos putauerunt. Alia autem causa idolatriæ fuit consummatiua ex parte dæmonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, & aliqua, quæ videbantur hominibus mirabilia, faciendo. Vnde & in Psalm. 95. dicitur: Omnes Dij gentium Dæmonia.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd causa dispositiua idolatriæ fuit ex parte naturæ hominis defectus, vel per ignorantiam intellectus, vel per inordinationem affectus, vt dictum est. Et hoc etiam ad culpam pertinet. Dicitur autem idolatria esse causa, initium, & finis omnis peccati: quia non est aliquod genus peccati, quod interdum idolatriam non producat, vel expressè inducendo per modum causæ, vel occasionem præbendo per modum initij, vel per modum finis, in quãtum peccata aliqua assumebantur in cultum idolorum: sicut occisiones hominum, & mutilationes membrorum, & alia huiusmodi. Et tamen aliqua peccata possunt idolatriam præ

Cap. 2. in princ. illius tom. 6.

In corp. ar.

cede-

cedere, quę ad ipsum hominem disponunt.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in prima ætate non fuit idolatria propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominum. In sexta autem ætate idolatria est excluſa per virtutem, & doctrinam Christi, qui de diabolo triumphauit.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de causa consummatiua idolatriæ.

Summa Textus.

PRima conclusio. Causa dispositiua, seu occasionalis idolatriæ ex parte hominis desumpta est, & contingit hoc tripliciter. Primo modo ex in ordinatione affectus circa obiectum idolatriæ, videlicet quia homines nimis amantes, aut plus nimio venerantes alios homines, diuinos eis honores impenderunt. Exemplum vtriusque habetur Sapient. 14. vbi narratur, quendam feciſſe sui filij defuncti imaginem, & ipsam vt Deum coluiſſe. Insuper homines sæpè adulantes suis Regibus honores diuinos eis exhibuiſſe, aut eorũ simulachris. Secundò. Sumpta occasione ex delectatione, à visione pulchrarum imaginũ, eis rude vulgus diuinitatis cultum exhibuerunt, vt insinuatur Sapient. 13. Tertiò propter ignorantiam veri Dei, cuius excellentiam homines non considerantes, quibusdam creaturis, vel propter pulchritudinem, vel propter influentiam in hæc inferiora, diuinos honores eis impẽderunt, vt dicitur Sapient. 14.

Sapien. 14.

Sapien. 13.

Sapien. 14.

Secunda conclusio. Causa idolatriæ consummatiua, ex parte dęmonum sumpta est, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, dando responsa in idolis, & faciendo aliqua, quæ hominibus mirabilia videbantur. Vnde & Psalm. 95. dicitur: *Omnes Dij Gentium Dæmonia.* Quod licèt appareat falsum, propter cultores idolorum, simul & veri Dei, quales erant Samaritani, & propter cultores astrorum, quæ dæmonia non erant: respondetur. Omnes Dij Gentium aut erant dæmonia, aut figmenta dæmoniaca, diabolo enim suadente, & tentante homines in idolatriam prolapsi sunt.

Psal. 95.

Pro expositione literæ D. Thom. aduertendum est, potissimam, & extensiorem causam dispositiuam, ac occasionalem, vnde idolatria amplius propagata fuit, ab ignorantia veri Dei, eiusque excellentiæ promanasse, adiuncta tamen cognitione confusa alicuius, vel aliquorum diuinorum numinum, quam esse inditam lumine naturæ mentibus omnium hominum, præclarè demonstrat D. Thom. sæpè, præcipuè, in quæstione præcedenti 85. art. 1. & addit Doctor sanctus, quod cùm omnes homines experiantur, se necessitatibus, aut ærumnis premi, in quibus subleuandis alterius, vel aliorum auxilio indigent, istum vel istos adiutores, & nullius auxilio indigentes, vt numina colunt, reuerentur, & honoribus diuinis prosequuntur, naturali quadã propensione, & ignorata vera, singulari, & vnica excellentia vnius veri Dei, huc atque illuc velut cæci diuertẽtes, creaturas vt Deos coluerunt, in quo cultu ratio idolatriæ consistit. Ex quo facilè perspicies, occasione sumpta à vera religione, multos in cultum falsorum Deorum prolapsos fuisse; est enim facilis, & occasionalis transitus à quibusdã virtutibus ad quædam vitia, sicut à magnanimitate ad superbiam, à parsimonia ad auaritiam, à zelo ad crudelitatem. Aliæ verò duæ causæ non ita frequentes fuêre.

D. Thom.

Nihilominus in gratiam eorum, qui humanioribus literis, & rerum antiquarum cognitione delectantur, originem idolatriæ ex antiquorum annalibus inuestigabimus; & in re antiquori, quàm geminum ouum (vt in Prouerbio dicitur) vix aliquid sine formidine asserentes, contenti testimonio Chronographorum probatorum, & verosimili narratione.

Et in primis inuestigandum qua ætate mundi idololatria inceperit: loquimur autem cum D. Thoma in hoc articulo de idolatria, siue sumatur strictè pro idolorum cultura, siue amplè pro quocunque diuino cultu creaturis exhibito. Et ante huius rei resolutionem, præmittere oportet ex Diuo Augustino in vltimo libro, & cap. de Ciuitate Dei, septem mundi ætates cõsidera-

D. Aug.

ſiderari: primam ab Adam vſque ad diluuium: ſecundam à diluuio vſque ad Abrabraham: tertiam ab Abraham vſque ad Dauid: quartam à Dauid vſque ad tranſmigrationem populi Dei in Babyloniam: quintam à tranſmigratione illa vſque ad Chriſti Domini natiuitatem: ſextam à Domini natiuitate, vſque ad diem Iudicij: ſeptimam à Iudicij die in æternum.

D.Thom. Diuus Thomas in ſolutione ad ſecundū huius articuli ait, in prima mundi ætate nōdum inuentam eſſe idolatriam. Etenim cū eſſet recens tunc memoria creationis mundi ab vno vero, & ſolo Deo (ſine qua ignorantia idolatria non eſt abſolutè loquendo) in illa ætate, neque idololatria exorta eſt, neque potuit conſiſtere. Hæc D. Thom. opinio aliquibus non placet, contra quam *Philo.* afferunt Philonem in lib. de Bibliorum antiquitatibus, dicentem, Regionem à Cain poſſeſſam, edoctam à fratricida, idola, & ſtatuas fabricaſſe. Et Genebrardus in Chronica circa annum Domini 325. lib. 1. ait, propterea Enos cœpiſſe ritibus, & cæremonijs peculiaribus colere Dominum, vt dicitur *Geneſ. 4.* Geneſ. 4. vt ſe opponeret idololatriæ, quæ iam ſerpere inceperat. *Tertullia.* Tertullianus lib. de idolatria huic ſententiæ fauet expreſſe.

Secundò. Quia punitio peccatorum, proportionari debet magnitudini criminum punitorum, ſed multā peccatorum colluuiē ſimul cum idolatria, punitam fuiſſe legimus, minore punitione, quàm fuerit illud vniuerſale diluuium ſuffocans vniuerſos, præter Noe familiam: ergo ante diluuium, homines illius ſæculi non ſolùm vitio carnis conſopiti, verùm & idolatriæ crimine cenſendi ſunt. Tertiò. Ab Adam vſque ad diluuium bis mille annos ſuprà centum quadraginta, & dies quatuor fuiſſe, Autores ſunt Septuaginta Interpretes, quos ſequutus eſt Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum cap. 12. vel ſecundùm veriorē chronologiam ex cap. quinto Geneſ. 1656. Sed in tanto temporis ſpatio, non eſt veroſimile homines non incidiſſe in idolatriæ crimen: tum quia poſt diluuium in multo breuiori tempore longè latèque graſſatum eſt, vt ſtatim dicemus: tùm etiam, propter pronitatem hominum ad huiuſmodi crimen, vt diximus.

Septuag. Clem. Ale. Geneſ. 5.

Res hæc caligine offuſa eſt, de qua nulla fit expreſſa mentio in ſacris Literis: Autores vero citatos in oppoſitum non video aliquo firmo fundamento, aut veroſimiliori niti. Ratio verò D. Thom. ad contrarium opinandum, mihi fit veroſimilior, quæ eſt expreſſa D. Cyrilli Alexandri. lib. 1. & 3. aduerſus Iulianum: & videtur inſinuari Sapient. 14. vbi dicitur idola neque fuiſſe ab initio, id eſt, in prima ætate, neque in æternum manſura. Et ad ſecundum in oppoſitū reſpondetur, non ſemper punitionem tēporalem correſpondere criminum grauitati, ſed interdum minora peccata grauius tēporaliter puniūtur, & fortaſsè ante diluuiū, carnalium peccatorum, & luxuriæ effrenatio plus inualuit, quàm in reliquis mundi ætatibus, ob quod punitos eſſe homines, illo vniuerſali cataclyſmo, ſacra Scriptura affirmat Geneſ. 6.

Cyri. Alex. Sapien. 14.

Geneſ. 6.

Ad tertium reſpondetur, homines illius primæ ætatis, eſſe in multo minore numero quàm in alijs, ipſoſque longiſsima duratione vitæ ferè attigiſſe mundi creationem: *Tam longa*, inquit Auguſtinus lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 8. *fuit vita illorum hominum primæ ætatis, vt qui minimum vixit ante diluuium ad ſeptingentos quinquaginta tres annos peruenirent: nam plures & nongentos annos etiam tranſierūt.* Iſtos autē omnes in memoria recēti habuiſſe mūdi exordia ab vno vero & ſingulari Deo, mihi fit pluſquam veroſimile, ac ſubinde ſententia D. Thom. veroſimilior.

Auguſt.

In ſecunda verò ætate idololatriam viguiſſe certiſsimum eſt, omneſq; Scriptores prophani, ad Aegyptios initium huius praui cultus referunt. Etenim cum impius Chā Noe filius in Aegypto regnaret, docuit accolas adorare cœli Aſtra, Solem, Lunam, & Stellas vt Deos, quod non fuit ſuaſu difficile in Regione, vbi propter defectum imbrium, & nubium, mira claritate ac pulchritudine perpetuò fulgent, & propter miros in terrā influxus eorundem aſtrorum: quin imò in hoc vnum omnium propè populorum ac gentium ſententiæ, in ſecunda ęta te conuenerunt, vt Solem, Lunam, reliquaque aſtra, ac ſuperna corpora, propter pulchritudinem, celeritatem, influētiam, Deos eſſe crediderint; ita Plato teſtatur in Cratillo: ſed præcipuè hos falſos Deos Aegyptij venerati ſunt propter rationem dictam. Hoc genus idolatriæ, & in eo omne, execrabatur ſanctus Iob vicinus Aegyptijs, ca. 31. dicens: *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, &c.* Quæ de idolatriæ reſpuitione omnes ſacræ Scripturæ interpretes declarant. Similiter Aegyptij elementa viſibilia, vt aërem, & ignem coluerunt; imò & Nilum flumen famoſum

Plato.

Iob. 31.

Aegyp-

Aegypti, cuius aquarum abundantia Aegypti Regio fertilis redditur, vt habetur Deuteron. 11. De Aegyptijs videtur loquutus Philon Sapient. 13. qui creditur eſſe Autor illius libri, & apud Aegyptios educatus, cũ ait: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, &c. ſed aut ignem, aut ſpiritum*, id eſt, aërem puriorem ſupremæ Regionis, *aut concitatum aërem*, Græcè celerem, id eſt, ventum qui vndequaque cõcitatè mouetur, *aut girum ſtellarum*, quæ in orbem voluuntur, *aut nimiam aquam*, Græcè vehementem, aut violentam, qualis erat alueus Nili, *aut Solem, aut Lunam rectores orbis putauerunt*. Hæc Philo, vt exiſtimo de Dijs Aegyptiorum, à quibus Hebræi (vt potè qui cum illis conuixerant multis annis, ac proinde propter diutinam cum Aegyptijs conuerſationem, eorum idolatriam didicerunt, quod non obſcurè indicauit Ezechiel cap. 23. & ibidem D. Hieronymus, ac Theodoretus) maximè mutuati ſunt cultum Aſtrorum, & Stellarum, quæ ſacra Scriptura vocat militiam cœli, Deuter. 4. *Ne fortè elatis oculis ad cœlum videas Solem, & Lunam, & omnia Aſtra cœli, & errore deceptus adores ea*: vbi habemus: *& omnia Aſtra cœli*, in Hebræo eſt: *& omnem militiam, ſiue exercitus cœli*, & cap. 17. *Et vadant, & ſeruiant Dijs alienis, & adorent eos, & Solem, & Lunam, & omnem militiam cœli; quæ non præcepi*. Atque ita intelligitur ſemper in ſacris literis cum reprehenditur idololatria filiorum Iſrael, vt 4. Regum 7. & 21. 2. Paralip. 33. Hierem. 19. & alibi ſæpè; dicitur autem, *Militia ſiue exercitus cœli*, quòd plurimæ ſint Stellæ, & ſicut exercitus ordine diſpoſitæ, & Luna, quæ huic multitudini præeſſe videbatur, inde Regina cœli abidolatris dicebatur Hierem. 7. *Et mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli*: & propter magnas vtilitates, quas ſuis influentijs affert germinationi plantarum: imò & omni agriculturæ, & propter fluxus & refluxus maris, quorum cauſa eſt, vt Dea colebatur, & vocabatur creatrix mundi, vt ait Euthymius in agricultura Chaldaica. Militiam autem ſæpè accipi pro exercitu, notũ eſt, vt Lucæ. 2. *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum*.

Deut. 11. *Philon.* *Ezech. 23.* *Hierony.* *Theodoret.* *Deutero. 4. & 17.* *4. Regũ. 7. & 21.* *2. Para. 33.* *Hiere. 19.* *Hierem. 7.* *Euthym.* *Lucæ. 2.*

Nec his Dijs contenti Aegyptij, vix animal vtile, aut nociuum reliquêre, quod non colerent vt Deum: v. g. canes, boues, oues, hircos, catos, anguillas, & ſimilia. Ita Herodotus in Euterpe, & Diodorus Siculus, Solinus, Auguſt. lib. 2. cap. 22. Euſebius de præparat. lib. 8. cap. 26. Theodor. de Euangelij cognitione, lib. 13. Ex his planus fiet locus Exod. 8. vbi Moyſes Pharaoni dicenti, vt populus Iſraeliticus in Aegypto ſacrificaret Deos ſuos, ait: *Non poteſt ita fieri. Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Deo noſtro?* ac ſi diceret nequaquam: *Quod ſi mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent*: locus difficilis etiam Auguſt. q. 28. in Exodum fit ex dictis planus. Nam per abominationes Aegyptiorum intelligi debent eius generis animalia, quorum cædem ſiue ad eſum, ſiue ad ſacrificium abominantur Aegyptij, quòd ea pro Dijs colerent. Huiuſcemodi autem animalia erant, quædam ex relatis, quæ ſacrificaturi erant Hebræi, putà oues, capræ, potiſsimè tauri, quos potiſsimè colebant Aegyptij ſub nomine Apis, & id genus alia; & ob eandem cauſam Aegyptij deteſtabantur paſtores ouium, vt dicitur Geneſ. 46. Iſtorum autem Aegyptiacorum Deorum cultum lepidè irridet Anaxandrides Rhodius Poëta Græcus verſu Græco Latinè ſic ſonat poema. Nam alloquens Aegyptios ait:

Haud eſſe vobiſcum queo cum milite
Concordibus nec moribus, nec legibus,
Per maxima interualla differentibus.
Bouem colis: Dijs ego macto bouem.
Tu maximum Deum anguillam putas: ego
Obſoniorum credidi ſuauiſſimum.
Carnes ſuillas tu canes: at gaudeo
His maximè. Canem colis, quem verbero
Edentem vbi deprehendo fortè obſonium.

Solinus; Auguſt. Euſebius. Theodorus. Exod. 8. *Geneſ. 46.* *Anaxand.*

Inſuper Crocodilum animal infeſtiſsimũ, quo Nilus abundat coluêre: ex auibus, ibices implorant contra ſerpentes, vt ait Plinius lib. 10. cap. 28. ex auibus vulpanſerem, ac phœnicem: ita Herodotus: ex piſcibus anguillam ſquamoſum oxirinchum. Inſuper his Dijs brutis addidêre multa herbarũ genera, vt teſtatur Iuuenalis, carpens Aegyptios, hoc modo:

Quis neſciat qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat,
Porrum, & cæpe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina!

Plinius. *Herodotus.* *Iuuenalis.*

Ac denique ijdem Aegyptij homines moribus perditiſsimis præditos, latrones, obſcœnos, iniurioſos vt Deos coluêre, Iouem, Saturnum, Martem, Mercurium, Venerẽ, & alios;

Herodotus. *Diod. Sicu.*

& aliorum ſceleratorum turbam. Aſsirios (ad quos Chaldæi pertinent) vicinos, & cõtemporaneos, aut ferè, Aegyptiorum; non multo poſt diluuium coluiſſe ignem, fama communis eſt, perſuadente, ac cogente Nẽ broth Rege potentiſsimo Aſsiriorum; imò & totius Aſsiæ, vt aſſerit D. Auguſt. lib. 16. *Auguſt.* de ciuitate Dei, cap. 17. aut propter elementi actiuitatem, ac vim, aut quia didicerat à ſuis maioribus mũdum ſicut diluuio perijt, ita igne abſumendum, ob idque ignem timens vt Deum cœpit colere, ſuoſque ſubditos iuſsit colere; hicq; vſus multo tempore apud Chaldæos permanſit.

Cuius antiquitatis memoria non medio crem lucem affert explanationi illius loci *Geneſ. 15.* Geneſ. 15. *Ego Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum*: vbi vox, *Hur*, (quæ nomen appellatiuum eſt, ſignificans ignem, & proprium, ſignificans ciuitatem quandam in terra Chaldæorum: *Hurien* enim Græcè, ciuitatem Chaldæorum ſonat, quæ nomine Chaldaico Camarine dicebatur; vt tradidit *Alex. Pol.* Alexander Polyhiſtor, Hiſtoriographus antiquiſsimus, & prophanus) duplicem ſubminiſtrat intelligentiam illius teſtimonij. Prima eſt, vt ſit ſenſus, eduxiſſe Deum de ciuitate illa vocata, Hur, apud Chaldæos, vt autor eſt Euſebius lib. 9. de præparatione *Euſebius.* Euangelica, ca. 4. & id Deum dixiſſe Abrahæ ad firmandam fiduciam obtinendi terram Chanaam promiſſam: nam ſubdit: *Vt darem tibi terram iſtam, & poſsideres eam.* Huic expoſitioni quadrat verſio ſeptuaginta Interpretum pro illo, *De Hur Chaldeorũ* transferens, *De Regione Chaldæorum*.

Secunda expoſitio, noſtro progreſſui magis conueniens, fundatur in quadam Hebræorum traditione, quam refert Lyranus: *Lyran.* ea eſt, Thare patrem Abrahæ adeò fuiſſe veſanum cultorem idolorum, vt etiam filium ſuum Abraham, quòd ab idololatria Chaldæorum vehementer abhorreret, detulerit ad Regem Nembroth, cuius ille iuſſu proiectus eſt in ignẽ, ſed inde, Deo mirabiliter eum conſeruante, illæſus exiuit. Hanc eandem traditionem Diuus Hieronymus in *D. Hieron.* traditionibus in Geneſim, licèt incipiat quaſi fabulam narrare, tandem ſubiungit: *Vera eſt igitur illa Hebræorum traditio, quod Abraham Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei ſit auxilio liberatus; & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus ætatis reputari, ex quo confeſſus eſt Deum, ſpernens idola Chaldæorum*. Hæc Hieronymus.

Igitur Deus inquiens: *Ego Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum*, voluit Abrahæ in memoriam reducere illud mirabile, & ingens beneficium educendi illum ex igne Chaldæorum, quia firma, & animoſa fide noluit ignem adorare, quẽ adorabant Chaldæi à tempore Nembroth.

Quidam hanc interpretationem reijciũt, vt innixam futili fundamento, nempè traditioni fabuloſæ. Ego verò licèt huiuſcemodi traditionibus Iudæorum, fabuloſis narrationibus abundantibus, non plenam adhibeo fidem, neque aliquibus circunſtantijs, quibus traditio ſupra poſita à Iudæis enarratur: v.g. quòd Aram frater Abrahæ, propter exiguam fidem igne conſumptus mortuus eſt, quòd Thare filios ſuos accuſauerat, eo quod nollent colere ignem, tradideritq; Regi Nembroth: tamen his, & ſimilibus reſecatis, vt fabuloſis, ſentio cum Hieronymo vbi ſuprà veram eſſe traditionem, cui conſonat Eſdras lib. 2. cap. 9. *Tu ipſe eſt* *Eſdr. 2. c. 9.* *Dominus Deus*, inquit Eſdras, *qui elegiſti Abraham, & eduxiſti eum de igne Chaldæorum, &c.* Hoc teſtimoniũ pro hac expoſitione valdè vrget; niſi velis interpretari ignem metaphoricè pro tribulatione, vt eſt illud: *Igne me examinaſti*, & alibi ſæpè. Sed expoſitioni ſecundæ non parum fauet Burgenſis in additione 1. ad Nicolaum de Ly- *Burgenſ.* ra ſuper caput hoc, Et expreſsè Rabbi Moy- *Rab. Moy.* ſes lib. de directione perplexorum p. 3. imò verò non diſplicet Auguſtino li. 16. de ci- *Auguſt.* uitate Dei cap. 16. quare non eſt ſpernenda. Ego verò veroſimile iudico, Abraham liberatum eſſe, vel ab incendio, quia noluit adorare ignem, aut à perſequutione, quæ illi aut familiæ ſuæ inferebatur, quia non colere volebant ignem Deum maximum Chaldæorum, & hoc vt minimum ſonãt verba relata ex cap. 9. 2. Eſdræ: nam dicere eſſe illa verba ab aliquo ſciolo inſerta textui (vt quidam dicunt) non approbo, ne derogem firmitati verſionis vulgatæ; quæ à ſacra Tridentina Synodo vndique approbatur.

Græci autem, qui Aegyptiorum, aliarumque nationum ſuperſtitionem ab Aegyptijs acceptam deriſerant: in multo peiores errores poſteà collapſi ſunt. Nam adulteros, latrones, ebrioſos, ac facinoroſos homines, qui multo erant brutis impuriores, Iouem, Venerem, Bachum, &c. pro Dijs coluerunt, & eorum execranda ſcelera in theatris recenſeri, pijſsimum exiſtimarunt.

Ad

Ad Græcos Athenienſes pertinebant, quorum memorabilem ritum non pœnitebit legere: tùm quia peculiaris illis fuit, tùm etiam quia de eo fit mentio in ſacra Scriptura. Ritus autem, ſeu profeſsio ſuæ ſuperſtitionis, in hunc habebat modum, Athenienſes vt potè Græci, quàmplures colebant Deos, & præter hos notos Deos in Regione Athica, multas aras ſine vllis ſtatuis erexerunt, hac ſola inſcriptione ſuperpoſita, ignoto Deo: ad quod videtur alluſiſſe Appollonius Tyanæus, vt recitat Suidas in ſuis hiſtorijs: *Moleſtus eſt*, inquit Appollonius, *de omnibus Dijs benè loqui, præſertim Athenis, vbi etiam ignotorum Deorum aræ dicatæ ſunt*. Huius ritus duæ cauſæ aſsignantur ab Oecumenio in Acta Apoſtolorum, ca. 17. Prima eſt, quòd Athenienſes Philippidem miſerant ad Lacedæmonios, nuncios oratum, vt venirent laturi ipſis auxilium, aduerſus Perſas Græciam inuadentes: qui cùm in itinere eſſent, ſpectrũ apparuit eis accuſans Athenienſes, quod ſe neglecto, alios Deos colerent, affirmabatque ſe eſſe Pana (quem Deum vocant) qui promiſit ſe eis aſſuturum auxilio: cum itaque victoria potiti eſſent Athenienſes templum illi erexerunt, inſuper & metuentes ne aliquis alius Deus incognitus, ab eis ſine honore relinqueretur, aram erexerunt cum inſcriptione præfata. Alij verò aiunt, peſtem quandam Athenis graſſatam fuiſſe, cùm igitur colerent eos, qui apud eos Dij habebãtur, nihil adiumenti ſenſerunt. Intelligentes itaque, quendam fortaſsè eſſe Deũ, quem ipſi abſque honore reliquiſſent, qui peſtẽ immiſiſſet: nouam extruxerunt aram cum eadem citata inſcriptione: cumque illi ſacrificarent ſtatim curati ſunt, paulò aliter narrat Diog. Laertius de vitis Philoſophorum in Epimedine, lib. 1. capit. 1. ſed ferè in idem reddit.

Appolloni. Suidas. *Oecume.* *Diog. Lae.*

Igitur D. Paulus cùm in Areopago (locus eſt iudicij apud Athenienſes) moraretur, inſpecta ara cum hac inſcriptione (ignoto Deo) occaſionem ſumpſit euangelizandi fidem apud Areopagitas. Hiſtoria ſic habet Actorum 17. *Stans*, inquit Lucas, *Diuus Paulus in medio Areopagi, ſic ait. Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video: præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inueni & aram in qua ſcriptũ erat (ignoto Deo) quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli, & terræ cũ ſit Dommus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia: fecitq; ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorũ, quærere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrûm: in ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt, ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, & argento, aut lapidi, ſculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum eſſe ſimile: & tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.* Hæc perorauit Paulus ad ſuadendam Chriſti diuinitatem. Circa quam cõtionem, maximè circa aram, ignoto Deo dicatam, aduertere oportet Hieronymum in epiſt. ad Titum cap. 1. ſic habere: *Inſcriptio autem aræ non ita erat vt Paulus aſſeruit (ignoto Deo) ſed ita; Dijs Aſiæ, Europæ, & Lybiæ, Dijs ignotis, & peregrinis, verum quia Paulus non pluribus indigebat ignotis, ſed vno tantùm ignoto Deo, ſingulari verbo vſus eſt, vt doceret illum eſſe ſuum Deum, quem Athenienſes in aræ titulo prænotaſſent, & cum rectè ſcientes colere deberent quẽ ignorantes venerabantur, & neſcire non poterant.* Hæc Hieronymus. Oecumeniusvbi ſuprà ſic eſſe inſcriptionem aræ, ait: *Dijs Aſiæ, Europæ, & Lybiæ, Deo ignoto, & peregrino.*

Actor. 17. *D. Hieron.* *Oecum.*

Hoc non mihi placet, maximè id quod dicit Diuus Hieronymus: tùm quia Diuus Paulus volens ex inſcriptione illa ſuadere Areopagitis, Athenienſium doctiſsimis, Chriſti Domini diuinitatem, & memoriter ſuorum ſacrorum apices retinentibus, non recitaſſet aliter inſcriptionem, quàm ſe haberet. Recitauit autem in ſingulari, ignoto Deo, non ignotis Dijs: ergo re vera inſcriptio erat, ignoto Deo: tùm etiam, quia cùm apud Lucianum Gentilis homo ſic iuret, *Per ignotum Athenis*, & non per ignotos: ac rurſus ex perſona Triphontis: *Nos autem illum Athenis ignotum, inuentum adorantes, & manus ad cœlum tollentes gratias illi agamus, vt qui digni facti fuerimus huiuſmodi poteſtati, atque virtuti ſubiecti eſſe:* compertum eſt aræ inſcriptione ſingulari numero haberi ignoto Deo, non ignotis Dijs. An verò vna ſola ara extiterit Athenis cum

hac

hac inſcriptione, an plures? non immoror, modo concedatur inſcriptionem in qualibet ara haberi (ignoto Deo) ex quibus vnã commemorat Apoſtolus ſe vidiſſe. Quod ſi ſciſciteris; an re vera illa ara dicata fuerit vni vero Deo noſtro; an verò falſis Dijs Gentium? Conſequenter dicitur, fuiſſe falſis Dijs dicatam, vt videtur colligi ex dictis ab Oecumenio; ſed D. Paulus hanc inſcriptionem à ſe conſpectam torſit in argumentum Euangelicæ prædicationis, vſus artificio eius loci; quem Rhetores locum à fortuitis vocant, cum ſcilicèt fortuitos quoſdã euentus conuertunt in argumentum eorũ, de quibus dicturi ſunt. *Oecum.*

Mihi verò magis arridet, eam aram Deo vero vnico eſſe dicatã, quia D. Paul. ait, verum Deum Athenienſes coluiſſe ſub nomine ignoti Dei. Igitur verè ita erat, & ara illo vero Deo dicata extitit: appellatus eſt autem ignotus Deus, quia cùm Athenienſes ſapientiores eſſent cæteris Græcis, propter Scholas, & Gymnaſia ſapientium, quibus ciuitas abundabat: certè quàmplures ex ipſis, intelligentes illorum falſorum inſaniam, ac turpitudinem: ac cognoſcentes verum Deum ſempiternum, ac optimis honoribus imbutum eſſe debere, benè intellexerunt, Deos, quos colebat Græcia, non eſſe veros Deos: eſſe verò Deum verum lumine rationis agnouerunt multi; quis autem eſſet ignorarunt, ac propterea deſiderio colendi illum, aram ei erexerunt cum inſcriptione, ignoto Deo. Aut verò harum ararum erectio inuenta fuit à Philoſophis quibuſdam Athenienſibus, agnoſcentibus lumine naturæ Deum verum, immortalem, incorporeum, autorem vniuerſi, & eius gubernatorem; ſicut de Platonicis ait Auguſt. lib. 8. de ciuitate Dei cap. 12. quem colere voluerunt ſub nomine ignoti Dei; quia in aperto non audebant cæteros abijcere, ne à populo, & cæteris Græcis morti traderentur, aut alio ſupplicio afficerentur: ſicut Socrates, de quo conſtat accuſatũ fuiſſe à Melito, eo quod reijceret Deos Athenienſium, & ob id morte punitus eſt ducentis octoginta & vna ſententijs. Et Anaxagoras, vt refert Ioſephus lib. 2. contra Apionem, ad mortem damnatus fuit, eo quod exiſtimantibus Athenienſibus, Solem eſſe Deum, ille ſaxum eſſe ignitum dixit, & eam ſubiret, niſi Pericles eius amicus, ac diſcipulus adiutorium præſtitiſſet. Prothagoras autem niſi fugiſſet citò, comprehenſus occiſus fuiſſet, eo quod de Dijs Athenienſium, an eſſent, reuocaſſet in dubium, edito libro huius argumenti: quapropter cùm ipſum è manibus eorum elapſum comprehendere non potuiſſent; libri eius publicè combuſti ſunt. Quod ſi magis placet, dicito; quòd ex ſententia aliquorum Philoſophorum antiquorum, vt Triſmegiſti apud Lactantium lib. 2. inſtitutionum cap. 9. aut Sybillarum, apud Tertullianum in apologetico cap. 46. Deus vnus erat inuiſibilis, imperceptibilis, innominatus, & ineffabilis, & ne cui numinum honores diuini deeſſe viderentur, aram eo titulo illi erexerunt; ad quos curioſe, & eruditè Diuus Paulus: *Quem vos ignorantes colitis ego annuncio vobis*, ac proinde vos ad veræ Religionis cultum inſtituo. Cætera verò quæ ſcribit Surius die nono Octobris ex Hilduino in Areopag. cõſultò omitto auido Lectori. Hæc de Græcorum Dijs. *Lactant. Tertullia. Surius.*

Romani verò poſteà Græcia ſubacta, quaſi captiuam Græcorum ſuperſtitionem circa Deorum cultum in patriam tranſtulerunt, cum & antea Græcorum ſacrorum ritus permultos haberent, & ſi quid ad plenam ſuperſtitionem deficeret, illud totum ex Hetruria ſæpius aſciuerunt: mirabile dictu, quot multiplicauerunt Deos; quoſdam mera adulatione inſtituerunt, vt ait Auguſtinus lib. 2. de ciuitate Dei capit. 15. quoſdam ab exteris mutuati ſunt; ita vt refert Blondus Hiſtoriographus plus quam triginta millia Deorum, Roma triumphans coluerit; nec mirum, quia præter magnam Deorum cateruam, ſingulis actibus, imò & ſingulis motibus, Deos diuerſos præfecerunt, vt narrat Auguſt. lib. 4. de Ciuitat. Dei cap. 16. *Auguſt. Blondus. Auguſt.*

Longum & operoſum nimis eſſet aliarum nationum Deos falſos enumerare: Aegyptiorum, Perſarum, ac Romanorum tantùm meminimus, quia hi principatus potiſsimi, ac celeberrimi totius orbis fuére. Hoc dumtaxat dicam, ſic impietatem, ac idolatriam orbem inuaſiſſe, vt penè totum occuparit, nullo ferè angulo relicto; nam quot ciuitates, tot & multiplicata numina, quinimò vni ciuitati innumera præfecta ſunt.

Dictorum occaſione, tertio loco inueſtigandum eſt, An ſic obcæcatus fuerit orbis, vt aliquo ſaltem modico tempore nullus verus Dei cultor extiterit, ſed omnes idololatriæ aut cultui falſorum Deorum indulſerint?

Pro

Pro deciſione huius dubitationis libet re
uocare totam hominum ſeriem in quatuor
tempora. Primum, ab eo quod incepit in
Adam vſque ad diluuium: ſecundum, à di-
luuio vſque ad Abraham: tertium, ab Abra-
ham vſque ad Chriſtum: quartum, à Chriſto
vſque in mundi finem: & quidem nullo vn
quam tempore defeciſſe vnius veri Dei
cultum etiam externum exiſtimo ita eſſe
certum, ſicut eſt veram Dei Eccleſiam nec
defeciſſe, nec poſſe deficere: quomodo autē
aut in quibus verus Dei cultus permanſerit
toto tēpore ſecli, difficile dicere, aut ferè im
poſsibile puto, ſed ſigillatim diſcutiendo ea
quæ contigerunt circa enarrata quatuor
tempora.

Dico primò. Ex ſacra Scriptura conſtat,
ab Adam vſque ad diluuium non defeciſſe
fidem vnius Dei, eiuſdemque externum
cultum. Hoc dictum in Abel, & Cain pa-
lam fit, quos ſacrificia Deo vero obtuliſſe
narrant ſacræ Literæ, & id ipſum accepiſſe
ab Adam patre, nulli dubium eſt, maximè,
quia ipſe caput, ac Doctor orbis conſtitu-
tus à Deo eſt. Idem fermè refertur de alijs
filijs Adami, maximè de Seth, & eius pro-
genie, quam enumerans ſacra Scriptura
vſque ad Noë, nihil ſapiens idolatriam de
eis pronuntiat: ſed potius verum Dei cul-
tum tribuit Enos, Enoch, & Noë. Quod ſi
obijcias Adamum, & Euam fidem amiſiſ-
ſe, & à Deo apoſtataſſe quando peccaue-
runt, vt videtur colligi Geneſ. 3. & autores
Geneſ. 3. ſunt Ambroſius lib. de Paradiſſo, cap. 6. Au-
Ambroſ. guſtinus, in enchiridion, cap. 45. & Proſ-
Auguſt. perus lib. de gratia Dei, contra Collatorem.
Proſper. At ſi demus amiſiſſe fidem, videtur ſequi a-
liquid creatum coluiſſe; adeò inſitum eſt
mentibus hominum, non eſſe ſine Deo ve-
ro, aut ficto quem colāt. Secundò ad idem.
Geneſ. 4. Nam in cap. 4. Geneſis dicitur de Enos fi-
lio Seth, ipſum cœpiſſe inuocare nomen
Domini: ergo ante ipſum nullus verus Dei
cultus extiterat. Ad hæc reſpondetur con-
tinuo. Ad primum. Protoparentes re ve-
ra non amiſiſſe fidem quando peccauerunt,
licèt fortaſsè non benè ſenſerint de Deo
ex ignorantia, quando crediderunt ſe futu-
ros ſicut Deos; non tamen creaturis cul-
tum diuinum exhibuerunt: in quo ratio
idololatriæ conſiſtit. Ad ſecundum reſ-
pondetur, clarum eſſe ante Enos fuiſſe
veram Dei inuocationem, verumque Dei
cultum externum in Adamo, & filijs, ſacri-
ficium offerentibus: dicitur autem Enos
cœpiſſe inuocare nomen Domini, vel quia
prius aſſumpſit munus hoc docendi alios
inuocare nomen Domini, vel quia inſtituit
peculiares preces, ritus, ac cæremonias in-
uocandi Deum.

Dico ſecundò. Ex ſacris Scripturis non
colligitur expreſsè à diluuio vſque ad A-
braham, apud aliquos ſemper perman-
ſiſſe vnius veri Dei cultum: exiſtimo au-
tem nunquam defuiſſe. Prior aſſerti pars
expreſsè habetur ab Auguſtino lib. 16.
de Ciuitate Dei, capit. 1. Quamuis enim
legatur in ſacris Literis: Noë cum filijs, ac
nuribus, qui in arca ſeruati ſunt, pietatem
erga Deum, ac cultum obſeruaſſe: de eo-
rum verò poſteris, id non habetur expreſ-
ſum. Secunda verò pars, veroſimiliter *Auguſt.*
colligitur ab Auguſtino, ex benedictione
filiorum duorum, ſcilicet Sem, & Iapheth,
quam ad eorum poſteros fuiſſe deriuatam
veroſimile eſt, nos verò certiſsimam puta-
mus: aliàs illo tempore non eſſet viſibi-
lis Eccleſia, quod pluſquam falſum cenſe-
mus.

Sed contra hoc ſe offert non contem-
nenda dubitatio. Nam ſi in aliquibus iſte
veri Dei cultus ſeruatus fuit, maximè in fa-
milia Thare, qui pater fuit Abraham: ita
Diuus Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 16. *Auguſt.*
cap. 11. & lib. 18. cap. 39. ait linguam He-
bræam, quæ ante diuiſionem linguarum
communis erat, poſt diuiſionem manſiſ-
ſe in ſola familia Heber: & inde argu-
mentatur, in ſolo Heber, & familia eius,
(quæ & familia Thare erat) remanſiſſe re-
ctam veri Dei fidem, religionem, ac pie-
tatem: quia confuſio linguarum pœna fuit
impietatis illorum hominum: quos ergo il-
la pœna non attigit, illos veroſimiliter cre-
ditur, impietatis illorum hominum non
fuiſſe participes. Thare autem fuiſſe ido-
latram, non leuibus coniecturis aliqui e-
xiſtimant, vt dicemus. Confirmatur.
Nam & ipſum Abrahamum ſeruiſſe Dijs
alienis, quidam affirmant: ergo nulli-
bi Dei cultus permanſit illo in tempo-
re.

Pro ſolutione tamen argumenti, quod
euincere nititur, Thare patrem Abra-
ham, fuiſſe idolatria deditum, aduerten-
dum eſt: duas de hac re eſſe oppoſitas
ſententias. Prima affirmatiua, quæ ful-
citur primò, traditione Hebræorum ſu-
prà citata, circa Abrahæ, & ſui fratris A-
ram, coniectionem in ignem, ad peti-
tionem ſui patris Thare. Secundò, teſti-
monio Epiphan. aduerſus hæreſes ſub initio *Epiphan.*

docentis, tempore Sarug, qui fuit auus Thare cœpisse idololatriam: imò & ait, Thare fuisse primum idolorum effictorem; propter quod punitus est Thare, morte filij sui Aran: *Nullus ex prioribus hominibus filius, inquit, ante patrem mortuus est, sed patres ante filios vitam finiebant, & filios successores relinquebant. Nec obijciat quispiam Abel, ille quippè non propria morte defunctus, sed à fratre interemptus est. Primus igitur Thare æmulum Deo per propriam versuciam, idolum commentus erexit. Sed similia his, quæ fecerat recepit, dum etiam ipse, per proprium filium, ad æmulationem prouocatus est. Vnde admiratione ducta diuina Scriptura hoc annotauit dicens, & mortuus est Aran in conspectu Thare patris sui.* Hæc Epiphanius. Idem ait Suidas ex testimonio Philonis in vocabulo Abraham, & voce Sarug, & quod plus vrget Ios. 24. Hebræis alloquutus sic ait: *Hæc dicit Dominus Deus Israel trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, seruieruntq; Dijs alienis.* Quid clarius potuit dici pro hac sententia: Oppositam sententiam negatiuam tenet Philo Iudæus in lib. de somnijs, vbi Thare inducit vt virum bonum, & desiderio perquestigandæ virtutis affectum: quod nequaquam faceret, si esset cultor Deorum falsorũ. Videnda sunt Philonis verba, quia elegantissimè loquitur. Diuus Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 13. huic sententiæ clarè consentit: quærens enim cur Thare discedens ex Chaldæa, & veniens Mesopotamiam, duxerit secum filium suum Abraham, & Loth neporem suum, & Saram nurum suam, non tamen detulit secum Nachor filium suum? Respondet Augustinus, Thare, cum alijs memoratis, fugisse idololatriam, & propter eam, persequutionem Chaldæorum: at verò Nachor idololatriæ deditus, in Chaldæa remansit, sed posteà & ipse, siue erroris pœnitendo, siue persequutionem passus, quod suspectus haberetur, inde migrauit in Mesopotamiam, vt habetur Genes. 22. Quod non exiliter confirmatur ex lib. Iudith, cap. 5. vbi hæc eadem causa redditur discessus Thare à Chaldæa, & migrationis ad Mesopotamiã. Huic sententiæ ego libenter adhærerem propter Diui Augustini autoritatem: nisi me vehementer premeret illud ex Iosue citatum testimonium, quod nonnulli potiùs inuoluunt conantes soluere. Sed meo iudicio parum proficiunt. Aiunt autem duo illic dici: vnum est maiores Hebræorum habitasse trans flumen ab initio; id est, in Chaldæa: illa verò vocula, *ab initio*, significat statim post linguarum diuisionem: alterum est, illos seruisse Dijs alienis. Illud prius, inquiũt pertinere ad omnes maiores Hebræorum, etiam ad ipsum Thare. Hoc autem posterius, de cultu Deorum alienorum, non ad ipsum Thare, sed ad alios qui eum præcesserant, pertinere. Sed certe hoc posterius ad Thare referri, nescio quomodo negari possit, & ita referunt omnes illius loci expositores, & apertius Theodoretus q. 18. in Iosue.

Alij verò ad concordiam conantur reducere has duas extremas sententias, dicentes Thare fuisse aliquando fidelem, aliquando cultorem falsorum Deorum: fidelem quidem, toto tempore quo in Chaldæa moratus est: sic adeo, vt propter cultum veri Dei persequutionem passus, è Chaldæa fugiens, in Mesopotamiam migrauerit: cultorem verò fuisse falsorũ Deorum, postquam Aran, seu Charram, ex Reman Mesopotamiæ vrbe habitationem elegit; in idololatriam verò cecidisse, vel consuetudine incolarum, vel aduentu Nachor filij sui ex Chaldæa, vel absentia Abrahami: ita Abulensis super caput 11. Genes. quæstio. 20. Et hæc concordia opinionum non displicet: videlicet Thare aliquando verum Dei cultorem, aliquando idolatram extitisse. Cæterùm existimo verosimilius, tempus idololatriæ referendum esse ad id, quo moratus est in Chaldæa, antequam Abraham ad annos discretionis peruenisset. Etenim cùm pater eius Nachor, & auus eius Sarug idololatriæ deditissimi essent; vt patet ex Suida, & alijs, & in Chaldæa vbi morabatur, idololatria vigebat, verosimilius videtur eum eidem studuisse, sicut accolæ suæ ciuitatis, & eius parentes: posteà verò eodem manente in Chaldæa, vel suasu Abrahami filij sui (vt tradit Suidas) vel Deo illuminante, respuit: & ab idololatria ad veri Dei cultum, & religionem se transtulit, propter quod persequutionem patiens à Chaldæis, coactus est fugere cum filio suo Abrahamo, ac nepote Loth, migrauitque in Mesopotamiam, vbi permansisse verum Dei cultorem, vsque ad mortem, probabilius credo: tùm, quia in eo testimonio citato ex Iosue insinuatur, cùm dicitur: *Thare, & Nachor habitasse trans flumen, & seruisse Dijs alienis.* Nimirum eo tẽpore, quo habitauerunt trans flumen, id est, in

Suidas. *Iosue 24.* *Theodoret.* *Abulen.* *August.* *Genes. 22.* *Iudith.*

In Chaldæa, ſeruierunt Dijs alienis: tùm, quia non eſt credibile Thare poſtquam agnouerat excellentiam Dei,& vnitatem,vanitatemque,ac figmenta plurium Deorum, ad tam inſanam,& cæcam religionem deuolutum, maximè viuente filio ſuo Abrahamo fideliſsimo, qui non ſemel, ſed pluries in vera religione eum inſtruxiſſe, credibile eſt: tùm tertiò, quia Diuus Chryſoſtomus Homilia 31.in Gen.ait Tharefuiſſe infidelẽ, prius quam ad Aram aduentaſſet. *Chryſoſt.*

Ad argumentum igitur contra ſecundum aſſertum reſpondetur, verum eſſe quod Auguſtinus ait, in ſola familia Thare permanſiſſe poſt diuiſionem linguarum, veram fidem,ac religionem. Tùm quia Abraham fideliſsimus Dei cultor, eius familiæ fuit: tùm, quia modicum illius tempus, antequam Abraham annos diſcretionis attingeret,pro nihilo reputatur.Secundò reſpondetur,illud Auguſtini dictum eſſe intelligendum, non de ſingulis hominibus ſeorſum conſideratis,ſed de familijs: itaque in nulla alia familia, permanſit verus Dei cultus, niſi in familia Heber, quod autem in ea defuerit verus Dei cultus, etiam ſi defeciſſet in Thare,non probatur.Quod ſi de ſingulis hominibus, ſeorſum conſideratis, ſermo ſit, in alijs familijs etiam reproborum, fuiſſe aliquos veri Dei cultores, non ambigeret Auguſtinus,qui lib. decimoſexto de Ciuitate Dei cap.10. ait: *Profectò credibilius eſt,& in filijs Sem, & Iapheth fuiſſe aliquos contemptores Dei,& in filijs Cham cultores Dei.* *D. Aug.*

In confirmatione argumenti, ſe inſinuat quæſtio,digna ſcitu:AnAbrahamus ſemper fuerit verus Dei cultor, an verò aliquando idolatra extiterit ? Quidã affirmant,eum aliquando idololatriæ vacaſſe: ita Genebrardus in ſua Chronologia: confirmatque ex Rabbinis Ioanam,& Hanina dicentibus,Abraham quadrageſimo octauo ætatis ſuæ anno idolatriam abijciſſe; verumque Deum cœpiſſe colere: idem tuetur Andreas Maſſius recens autor, ſuper ſæpius citatum caput Ioſue, & acerbè inuehitur in eos, qui oppoſitum ſentiunt:*Neque enim*,ait,*eos audire poſſum, qui magno conatu Abrahamum ab hoc idololatriæ turpiſsimo ſcelere vindicare (neſcio quibus argumentis) ſtudent: quaſi verò non tanto illuſtrior ſit Dei gratia, quæ illum eſt complexus, quanto ipſe fuit ſceleratior,minusque tanto dignus fauore.* Philo etiam apertis verbisaſſerit in libro, qui inſcribitur, *Abraham*,eum,quãto tempore in Chaldæa mãſit, Chaldæorum errore,idolatria, & ſuperſtitione fuiſſe imbutum. Hæc ſententia non parum videtur confirmari ex teſtimonio Ioſue ſæpè commemorato, vbi duo dicuntur: vnum eſt,patres Hebræorum habitaſſe trans flumen; alterum ſeruiſſe Dijs alienis.Inter illos autem patres nominatim poſuit Thare,Nachor, & Abrahã. Igitur ad eos tres debet referri quod dicitur,de habitatione trans fluuium, & de cultu Deorum alienorum. Quod ſi habitationem trans flumen tribus illis aſsignamus non eſt cur ſeruitutem Deorum alienorũ, eiſdem tribus non tribuamus. *Philo.*

Oppoſitam ſententiam, Abrahamũ ſcilicet nunquam ſuperſtitione idolatrica infectum fuiſſe,ſed ſemper verum Dei cultorẽ: affirmat Ioſephus 1.lib.antiquitatum, ſequitur etiam Suidas,in vocabulo *Abraham*, his verbis: *Abraham natus annos 14. Dei cognitione illuſtratus, patrem his verbis compellauit. Quid ſeducis homines per imagines lucri cauſa? Non eſt alius Deus,niſi cœleſtis ille totius mundi opifex. Itaque cùm videret homines, creaturæ cultum deferentes, vnum ipſe Deum animo religioſo exquirebat. Tandẽ illi Deus apparuit,& de terra ſua exire iuſsit,cuius ille præceptis obtemperans,ſumptis patris imaginibus,& ſimulachris,hiſq; partim combuſtis,partim cõfractis,patriam dereliquit.* Hæc Suidas. Hæc ſententia mihi magis arridet, quæ & confirmatur ex eo quod Abraham pater credentium dictus eſt,quod nequaquã fieret,niſi ſemper incontaminatus ſuperſtitionis idololatricæ labe fuiſſet.Conſonat illud quod Iudæi aſſerebãt Ioã.8.*Pater noſter Abrahã eſt, & nõ ex fornicatione nati ſumus.* id eſt, non ex idolorum cultoribus proceſſimus,quia principium ſui generis in Abraham conſtituebant. *Ioſephus. Suidas.*

Ad illud verò ex Ioſue citatũ teſtimoniũ, reſp.intelligi debere de Thare, & Nachor, ſiue ſumatur pro auo Abrahami,ſiue pro eius fratre, & de iſtis dicitur quod ſeruierunt Dijs alienis,& quia Abrahã electus eſt,&ſeruatus illæſus ab idololatria,poſteà ſubdit ſacer Tex.*Tuli ergo patrẽ veſtrũ Abrahã,&c.* Habemus ergo ex 2.aſſerto, à diluuio vſq; ad Abrahã nõ defuiſſe veri Dei cultores;inquirendum tamen reſtat de alijs tẽporibus.

Sit igitur tertium aſſertum. Certiſsimè colligitur ex ſacræ Scripturæ ſerie,à temporibus Abrahami vſque ad Chriſtum, non defuiſſe veri Dei cultores. Etenim poſtquam Deus apparuit Abrahamo,atque eum conſtituit caput, & parentem populi Hebraici

braici, quem ſibi Dominus elegit in plebē electam; manifeſtè populus ille, reiecta idolatria, Deum ſacrificijs, & cæremonijs impenſe coluit, vt patere poterit legenti ſacras Literas. Sed obijciet quiſpiam primò. Tempore Moyſis, totus populus à Deo apoſtatauit, coluitque vitulum, quem propoſuit Aaron dicens: *Iſti ſunt Dij tui Iſraël*, Exod. 32. Secundò. 3. Regum. 19. Elias ait ad Deum: *Relictus ſum ego ſolus*, id eſt, cæteri Deos alienos coluerunt. Tertiò. Eſai. 1. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſraël autē me nō cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum. Super quo percutiam vos vltra addentes prænaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Et Hieremiæ. 2. *Confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi & Reges eorū, & Principes eorum, & Sacerdotes, & Prophetæ dicentes ligno: Pater meus es tu. Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus.* Et 2. Paralipomenon. 15. *Tranſibunt dies multi in Iſraël ſine Deo vero, ſine Sacerdote, & Doctore, & ſine lege.*

Exod. 23. 3. *Reg.* 19. *Eſai.* 1. *Hierem.* 2. 2. *Paralip.*

Ad hæc omnia primò reſpondetur. Eſtò ita eſſet, vt omnis populus Hebræorum, aliquanto tempore idolatriæ vacauerit, inde tamen non infertur, in toto orbe defeciſſe aliquos veri Dei cultores: nam extra illum populum multi huiuſcemodi repertos eſſe habemus ex ſacris Literis, vt Melchiſedec, Iob. Secundò ſigillatim reſpondetur. Etenim neque in illo populo defecerunt vnquam veri Dei cultores. Ad primum nāque dicimus, tempore adorationis vituli, Moyſes, qui erat illius populi caput, & omnes Leuitæ, veri Dei cultores permanſerunt, vt habetur Exod. 32. Ad ſecundum ipſe Dominus reſpondit Eliæ: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.* Ad tertium Auguſt. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 12. & lib. contra Donatiſtas poſt collationem, cap. 20. reſpondet, Prophetas, & Apoſtolos aliquando reprehendere vniuerſum populum, quaſi nemo ſit bonus, cùm tamen multi ſint: & è contrario interdum conſolari omnes, quaſi omnes ſtudioſi ſint; cùm ſint permulti iniqui: verbi gratia, Ezechiel. 3. dicitur: *Omnis domus Iſraël attrita fronte eſt, & duro corde*, & tamen cap. 9. dicitur, *ſigna Thau*

Exod. 32. *Auguſt.* *Ezechie.* 3.

A *ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctas abominationes, quæ ſunt in medio Iſraël.* Sic interpretari licet teſtimonia adducta ex Prophetis, in argumento, loquuntur enim reprehendentes totum populum de idololatria, non quia non eſſent aliqui Dei cultores, ſed quia multi in hoc ſcelus dilabebantur. Illud verò ex Paralipomenon fortaſsè debet intelligi de tempore legis Gratiæ, quod ſi mauis, de Regno Iſraël non de Regno Iuda.

Vltimum aſſertum. A Chriſto vſque ad finem mundi non deficient veri Dei cultores: hoc eſt de fide, ſicut Eccleſiam Chriſti non poſſe deficere. Sed ſi quiſpiam obijciat illud Daniel. 9. *Deficiet hoſtia, & ſacrificium.* Lucæ 18. *Filius cum venerit, putas ne inueniet fidem in terra?* Secundæ ad Theſſalonicenſes 2. *Niſi venerit diſceſſio primū, & reuelatus fuerit homo peccati.* Qubus in locis apertè videtur dici cultum veri Dei defecturum aliquando.

B *Daniel.* 9. *Lucæ.* 18. 2. *Ad Teſſalon.* 2.

Reſpondetur tamen, prænotando illud Daniel citatum teſtimonium declarari ab Hilario cap. 25. in Matth. & ab Apollinario, apud Hieronymum Daniel. 9. de tempore Antichriſti: quorum declaratio mihi valdè diſplicet, quia inde infertur, Eccleſiam fore, vt aliquando deficiat. Quare melius interpretabimur de euerſione Hieruſalem, & ceſſatione ſacrificij Iudæorum. Ita Chryſoſtomus, & Theophilactus, & Hieronymus in cap. 24. Matthæi. Auguſtinus in epiſtola 80. ad Eſichium. Euſebius lib. 8. demonſtrationis Euangelicæ, cap. 2. Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum. Tertullianus lib. contra Iudæos, cap. 5. Iulius Africanus apud Hieronymum in cap. 9. Danielis, & eſt communis opinio Hebræorum.

C *Hilarius.* *Apollinar.* *Chryſoſt.* *Theophi.* *Hierony.* *Auguſt.* *Euſebius.* *Tertullian.* *Iul. Afri.*

Ad illud Lucæ 18. reſpondetur non loqui de fide ſimpliciter, ſed de eximia quadam fide, quæ in paucis modò reperitur, & in paucis reperietur illis diebus. Ita exponit Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, & Auguſt. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 13. Quod ſi mauis dicito, loqui Dominum de fide abſoluta, & velle docere, paucos futuros fideles, tempore Antichriſti, non tamen nullos: ita Theophilactus. Ad illud Pauli reſpond. diſceſsionis nomine, intelligi Antichriſtum: ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophilactus, & Auguſtinus, lib. 20. de Ciuitate Dei. c. 9. quē appellari diſceſsionē, per metonymiā dicunt, quia erit cauſa, vt multi diſcedant à Chri-

D *Hierony.* *Auguſt.* *Theophi.* *Chryſoſt.* *Theodoret.* *Oecum.* *Theophila.* *Auguſt.*

Chriſto. Vel dicito per diſceſsionem intelligi defectionem à Romano Imperio. Ita Ambroſius, Sedulius, & Primarius. Vel tertiò intellige, diſceſsionem ab Eccleſia, non generalem, ſed particularem, id eſt, non omnium, ſed multorum, vel omnium quidem, ſed occultorum hæreticorum, qui ſe Antichriſto adiungent.

Ambroſ. *Sedulius.* *Primarius.*

De origine Idolorum.

QVarto loco tractandum eſt de origine idolatriæ, ſtrictè ſumpta pro cultu falſorum Deorum medijs ſimulachris, præmittendo ex Platone citato in Cratillo, & alijs: ferè omnes nationes quãdo in initio prolapſæ ſunt in ſuperſtitionẽ falſorum Deorum, coluiſſe ſtellas, aſtra, & elementa in ſe ipſis, nullis vtentes ſimulachris, imò & alias creaturas. Ita Euſebius li. 1. de præparat. Euangel. referens Platonem, & Porphirium: nec obſtat dictum Sapien. 14. vbi dicitur: *Initium fornicationis, idolorum inuentio*: quia ibi loquebatur Sapiens contra quoſdam qui ſolemni ritu, ſua ætate, vel circiter, ſacrificabant ſimulachris. De Perſis refert Herodotus, Græcus Hiſtoriographus, & antiquiſsimus in Clio his verbis Latinitate donatis: *Iſtis verò* (nempè Perſis) *ſancitum eſt, vt in altiſsimas montiũ vertices aſcendentes, Ioui ſacrificent: Iouem, vniuerſum cœli ambitum appellantes: ſacrificant & Soli, & Lunæ, & telluri, & igni, & aquæ, & ventis: his enim ſolis vt ſacrificent, antiqua obtinuit conſuetudo.* Hi cum antiquã ſuperſtitionem retinerent, nouos Græcorum Deos irridentes, vbi Xerxes cum exercitu Græciam traiecciſſet, omnia Deorum Græciæ templa ſuadentibus ſuis Magis, cõbuſſerunt, & conſequenter idola. Vnde idẽ Herodotus in Clio ſic ait: *Perſæ (vt ego cognoui) his legibus vtuntur, imagines quidem, & templa, & aras non erigunt pro ſuis inſtitutis, ſed & illos, quibus hæc faciunt, accuſant inſaniæ.* Multis tamen poſteà decurſis annorum curriculis, ait Clemens Alexandrinus in oratione adhortatoria ad Gentes, eos, imagines hominum formæ ſimiles, coluiſſe: oſtendit idem Beroſius in tertio Chaldaicorum, cum hoc introduxiſſet Artaxerxes, Darij filij Ochij filius.

Herodotus. *Beroſius.*

De Romanis verò, ait Varr. referente Augu. li. 4. de Ciuit. Dei c. 31. pluſquã annos cẽtũ & ſeptuaginta, Deos ſine ſimulachro coluiſſe: *Quod ſi adhuc*, inquit, *mãſiſſent, caſtius*

Auguſt.

A *Dij obſeruarentur.* Et Tertul. lib. de idol. c. 3. *Idolum aliquando retro non erat*: & in apolo. c. 25. *Nam etſi à Numa*, inquit, *concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulachris, aut templis res diuina apud Romanos conſtabat*: & apertius Plutarchus in vita Numæ. At verò poſteà in omnes nationes, hic cultus falſorum Deorum in ſimulachris, in maiorem hominum perniciem, adinuẽtus eſt, partim ſuaſu dæmonum, qui cauſa conſummatiua idololatriæ, à D. Tho. in ar. dicitur: partim propter inordinatum amorem hominum erga alios homines; quos vt Deos in ſuis ſtatuis, & effigiebus coluerũt, partim propter delectationem, quam homi

B nes capiunt ex aſpectu imaginum, maximè ſculptilium, quæ ſi affabrè ſculptæ ſint, viuentia quæque valdè exprimunt, vt idem ſanctus Doctor attigit hic: cui inuentioni non parum iuuant artificum eas fabricantiũ cupiditas, quæſtus, ac lucri, vt colligitur Actor. 19. Nam Paulo ſuadente abijcere idola, & Deum verum colere, ait ſacer Textus: *Facta eſt illo tempore turbatio non minima de via Domini, Demetrius enim quidam nomine argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum, quos conuocans, ad eos qui erant huiuſmodi opifices dixit: Viri ſcitis, quia de hoc artificio*

C *eſt nobis acquiſitio, & videtis, & auditis, quia non ſolum Epheſi, ſed pene totius Aſiæ, Paulus hic ſuadens auertit multam turbam dicens: Quoniam non ſunt Dij qui manibus fiunt. Nõ ſolum autem nobis hæc periclitabitur pars in redargutionem venire, ſed & magnum Dianæ tẽplum in nihilũ reputabitur, &c.* Aedes autẽ iſtas Dianæ, de quorum artificio Demetrius & alij argentarij quæſtũ ſibi parabant, nihil aliud eſſe reor, quàm ipſas Dianæ ſtatiũ culas, cum ſuis ædiculis, ſeu locamentis, quę in Dianæ templo à Paganis offerri, colligitur ex Cæſare de bello ciuili cap. 3.

Tertullia. *D. Thom.* *Actor. 19.* *Cæſar.*

D Quis autem primus inuentor idolorum fuerit, non eſt facile certò diffinire. Iudæi aiunt, referente hic Diuo Thoma, & Iſidoro etymologiar. cap. vltimo, priorem feciſſe de luto ſimulachrum, Iſmaelem. Fortaſsè ludus ille Iſmaelis cum Iſaac, qui valdè diſplicuit Saræ, Geneſi 22. erat adoratio idolorum, quæ Iſmael ex luto formauerat, quam docebat Iſmael Iſaacum fratrem ſuum, propter quod narratur Sara vehementer indignata, in eodem capite. Quam expoſitionem fouet Lyranus ibidem. Sed quidquid ſit de expoſitione huius loci: ergo veroſimile iudico,

D. Thom. *Iſidorus.* *Geneſ. 22.* *Lyranus.*

idola ex luto formata, siue illa primùm Ismael effinxerit, siue non: priora fuisse, quã
Plinius. ex alia materia fabre facta ex mente Plinij lib. 34. cap. 7. dicentis: *Plastica ars prius fuit, quàm statuaria*: & idem lib. 35. cap. 12. &
Athenag. Athenagoras apologia pro Christianis narrat de Core, Corinthiæ hanc artem adinuenisse: cum enim amore cuiusdam viri teneretur, circumlineauit eius dormientis in pariete vmbram: deinde eius similitudine nihil euariante delectata, circumscriptionem eius ineffictam latè adimpleuit. Quo respexit
Epiphan. Epiphanius in principio Panarij operum, dum per fliginam scientiam primum imagines effictas, scribit.

Alij idolorum originem ad Aegyptios re B ferunt, quod non sit incredibile, cum apud eos incepisse, & viguisse falsorum Deorum cultum, communis opinio est, vt sup. diximus: & Hermes Trimeg. referente August.
Hermes. lib. 8. de Ciuit. Dei c. 23. appellauit Aegyptũ imaginem cœli, & mundi totius tẽplum. Et ex Aegyptijs Sirophanes, vir ditissimus, dicitur simulachrum prius efformasse: nam cum haberet filium vnigenitum, quem immoderatè diligebat, qui vita functus est, pater eius simulachrum in domo sua collocauit, vt eo viso, doloris acerbitatem deliniret: & familia Sirophanis in adulationẽ domini flores offerebat, ac serta plectebat, & C odoramenta succendebat coram ea statua: & videntes famuli quomodo placerent patri, videnti diuinos sui filij simulachro deferri honores, si fortè aliquod punitione dignum crimen admittebant, ad simulachrum sicut ad asylum confugientes veniam impetrabant, quo viso cæteri Aegyptij statuas effingere, ac adorare cœperunt. Ita narrat
D. Fulgen. D. Fulgentius in lib. 1. Mytholo. c. 1. & adducit quendam Diophanem Lacedemoniũ qui de antiquitatibus scripsit. Idem etiam re
Magister. fert Magister in historia Scholastica cap. 2. Alij à Nino Assiriorum Rege, idolorũ formationem, & cultum initium sumpsisse affirmant; inde verò ad alias nationes hanc D impiam superstitionem deriuatã esse. Quã
Magister. historiam narrat Magister in historia Scholastica super caput secundum Genes. dicens Ninum Regem Assiriorum, vita functo Belo patre suo, in solatium doloris, imaginẽ patris fecit, quam tanto prosequutus est honore, vt quibusuis reis ad idolum confugientibus libenter parcebat, propter quod cœperunt homines illi simulachro diuinos honores impendere, à principio genuflectendo, procumbendo, & similia faciendo, A oblationes florum, & suffituum exhibendo; postea verò sacrificia pecorum, & armentorum, imò & hominum captiuorum mactando, iubente, & applaudente Nino, quasi pater eius inter diuos relatus esset, vt ait Hieronimus super caput 46. Huius Re- *D. Hieron.*
gis exemplo (quod vehementer solet subditos permouere) cæteri non solum Dijs suis, verùm & sibi dilectis vita functis, simu lachra colenda dedicauerũt: & hinc idolorum formatio, & adoratio in alias nationes, & Regna diffundi cœpit. Quis autem fuerit iste Belus pater Nini; & quo tempore regnauerit, nihil ferè certi habemus in tanta Autorum varietate, quorum aliquos
referam, nam omnes vix possibile. Bero- *Berosius.*
sius Chaldæus, quem protulit Ioannes An- *Ioã. Anni.*
nius lib. 5. antiquitatum, ait, primum Babyloniorum Regem fuisse Saturnum, qui à diluuio anno centesimo trigesimo primo regnare cœpit; secundum fuisse eius filium Iouem Belum, cui successit filius Ninus, qui primus omnium templum Belo patri, & matri Iunoni, & Rheæ auiæ, statuas in medio Babylonis erexit. Sed iste Autor valdè dubiæ fidei ab omnibus censetur, eo quod tantam antiquitatem ostentans, nuper à sepulchro suscitatus est ab Annio. Plus posset hoc confirmari ex Suida, *Suidas.*
& Eusebio lib. 9. de præparatione Euange- *Eusebius.*
lica cap. 4. dicentibus; Belum apud Assirios dici Saturnum: & Hieronymo in il- *Hierony.*
lud Esaiæ 46. *Confractus est Bel*, quem Græci, Belum, id est, Saturnum, vocant. Sed idem Hieronymus ex propria sententia pronuntians quis fuerit iste Belus, super caput secundum Oseæ, ait, Ninum, qui primus regnauit in Asia, & vrbem sui nominis condidit, quæ Niniue, siue Ninus dicta est, filium fuisse Beli, maritumque Semiramis, &c. *Hinc*, inquit, *in tantam peruenit gloriam, vt patrem suum Belum referret in Deum, qui Hebraicè dicitur, Baal*: & in multis Prophetis, maximèque in Daniele, & iuxta Theodotionem sub idolo Babylonis hoc appellatur Noæ, &c.

Alij verò hanc Diui Hieronymi sententiam approbantes, ex ea colligunt Belum illum Nini patrem, sic vocatum apud Græcos, eundem esse, quem Historia sacra appellat Genes. 10. Nembroth. Etenim si ve- *Genes. 10.*
rum est quod ait Hieronymus citatus Ninum primũ regnasse in tota Asia, Nẽbroth proximè ante illum in Babylone, quam cõdidit, regnasse necesse est, eiusq; esse patrẽ, aliàs multi medij intercessissent Reges inter

Ninum

Ninum, & Nembroth: cuius rei coniecturam ſumunt ex morum Beli, & Nembroth, ſimilitudine: vterque namque ferus, vterq; regnandi cupidus, vterque eodem ferè tẽpore in Babylone regnaſſe, tradunt multi: ſed hoc diuinare potius eſt per altiſsimas tenebras. Certè ego magis fido D. Auguſt. dicenti lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 3. in hæc verba: *Cuius, ſcilicèt Regni Nembroth, imitũ erat illa nobiliſsima Babylon ciuitas*: & poſt pauca: *Quod verò dictum eſt de terra illa, id eſt de terra Sanaar, quæ pertinebat ad Regnũ Nẽbroth, exiſſe Aſaar, & ædificaſſe Niniuem, longè poſteà factum eſt, quod ex hac occaſione perſtrinxit propter nobilitatem Regni Aſſiriorum, quod mirabiliter dilatauit Ninus Beli filius.* Hæc Auguſt. & paulò inferius dicit Ninum non proceſsiſſe à Gigante Nembroth, ex exorto Achan filio nomine, ſed à Sem eiuſdem nomine filio. Ex quibus apertè colligitur Belum Nini patrem, non eſſe eum, qui in ſacra Scriptura appellatur Nẽbroth.

D. Augu.

At verò ſiue Belus fuerit idem qui Nembroth, ſiue non, communis ſententia eſt, à Nino, filio Beli, primum initium ſumpſiſſe idololatriam. Ita cenſet Diuus Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. & 3. contra Iulianum, dicens, poſt diluuium amplius ducentos annos initium ſumpſiſſe à patre Regis Nini, quem ipſe nominat Arbelum. Idem ſentit Iſidorus vbi ſuprà, Holcoth, & Ianſenius Sap. 14. Grego. ſuper illud Lucæ 11. *In Beelzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia.*

Cyril. Ale.

Iſidorus. Holcoth. Ianſenius. Gregor.

Hæc opinio mihi magis probatur. Primò, quia Iſmael ex Hebræis, Sirophanes ex Aegyptijs, & ſiqui alij enarrabũtur inuẽtores idolorum, ex Romanis, aut Græcis, poſteriores fuêre, quã Ninus, qui cõmuniter dicitur, ſuo patri Belo ſimulachrum erexiſſe: ergo ille primus inuentor eſt idolorum. Antecedens patet ex Aug. lib. 16. de Ciuit. Dei c. 17. dicente, Ninum defuncto Belo patre regnaſſe quinquaginta duos annos, & habebat in Regno quadraginta tres annos quando natus eſt Abraham, qui erat annus circiter milleſimus ducenteſimus ante conditã Romam. Idem dicit Euſebius in Chronicis, & multi alij. Secundò, non leue argumentũ ſumitur, aut obſcura coniectura, ex eo quod pleraq; idola variarũ nationum, & præcipuè Orientaliũ, ex hoc Belo, qui in ſacra Scriptura dicitur, Bel, vel Beel, appellationẽ duxerint; vna aut altera literula mutata, vt obſeruauit Hieron. citatus Oſeæ 2. Nam idolũ Moabitarũ vocabatur Beelphegor. Nu. 25. eo quod coleretur in monte Phegor, cuius fit mentio Num. 23. idolum verò Tyriorũ, ac Sydoniorũ (vt ait Hieron. Oſeæ 2. & Ioſe. 9. antiquit. c. 6.) vocatũ eſt Baal. Iud. 6. & 3. Reg. 18. & Belial, cuius fit mentio ſæpè in ſacra Scriptura, & Baal Sanes, id eſt, princeps cœli, appellatum eſt idolum Punicorũ, vt ait Aug. q. 16. ſu. lib. Iudi. Baalim verò plurale eſt, quod illo in loco Iudicum accipitur pro multis idolis Baal, quæ in diuerſis locis colebantur, vt notauit Aug. vbi ſup. & idolum Acharonitarum appellatũ eſt Beelzebub. 4. Reg. 1. à muſcis (Zebud enim muſcam ſonat) quæ ad multitudinem ſacrificiorum, corã idolo factorum in odore mactatorum pecorum aduolabant; quare vt illi ſupremum ſuorum Deorum Beelzebub vocabant: ita Iudæi in eorum odium, & irriſionem, principem dæmoniorum appellabant eodem nomine, Lucæ 11. *In Beelzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia.* Nec mirum eſt, idolum Aſsiriorum in tot locis cultum eſſe: cùm enim Aſsiriorum Monarchia prima fuerit, & inclyta, alias nationes in ſuorum Deorum cultum adduxêre: vnde Nahum capite tertio de Niniue Metropoli Aſsiriorum, fundata à primo inuentore idolorum Nino dicitur: *Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficijs ſuis.* Hinc poteris agnoſcere interpretationem multorum locorum ſacræ Scripturæ, vbi horum idolorum mentio fit.

Num. 27. Ioſephus. Iudic. 6. 3. Reg. 18. Auguſt. 4. Reg. 1. Luc. 11. Nahum. 3.

Sed contra hanc expoſitionem de primo idolorum inuentore, non infimum argumentum ſumitur ex cap. 14. libri Sapientiæ, vbi non ad Ninum erigentem ſtatuam patri ſuo, refertur inuentio idolorum; ſed ad quendam alium, qui eam filio ſuo vita immatura defuncto dicauit: quem eſſe Sirophanem, ſuperius relatum, quidam affirmant. Verba Sapientis ſunt: *Superuacuitas hominum adinuenit idola in orbem terrarum, acerbo enim luctu dolens pater, ſibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi mortuus homo fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra, & ſacrificia. Deinde interueniente tempore conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Reſpondetur

Sapien. 14.

Euſebius.

Hieron. Oſeæ 2.

Ianſeni. cum Ianſenio ſuper iſtud caput, Sapientem dumtaxat hoc locovoluiſſe ſignificare, initium idololatriæ proceſsiſſe ab inordinato pieratis affectu, quod apud varias gentes diuerſimodè factum eſt: apud quoſdam patre extruente imaginem filij: apud alios è contra. Secundò reſpondetur, Autorem huius libri, qui Philo eſſe creditur à Diuo Hieronymo, nutritum apud Aegyptios, apud eoſdem idololatriæ initium deſignauit, ex Sirophane præfato: cùm hoc tamen ſtat, apud Aſsirios Ninum primum idolorum inuentorem extitiſſe. Quis autem iſtorum præceſſerit, non inueni, tempus natiuitatis Nini ex Chronologis antiquiſsimã eſſe nouimus: quo verò tempore Sirophanes natus fuerit ignoramus, & ob id cũ cõmuni opinione tenemus, Ninum dediſſe initium ſimulachrorum cultui: apud Græcos autem, cum eorum Monarchia poſterior exiterit, & ab Aegyptijs idolatriam acceperint, non reuocatur in dubium nõ eſſe ſimulachra ab eis inuẽta: fuiſſe autem apud Græcos Prometheum, qui primum ſimulachrum hominũ de luto finxit, autor eſt Iſidorus lib. 8. ethi. c. 11. & ante illum Lactantius. Sed eſtò ita ſit (nam de Prometheo pleraque dicuntur fabuloſè) non potuit præcedere Ninum, Regem priorem Abrahamo: Prometheum autem fuiſſe contemporaneũ Moyſis, affirmat Auguſt. lib. 18. de Ciuit. Dei c. 8. Atq; adeò infertur initium idolorum non prodijſſe à Græcis; apud quos tamen valdè viguit idolorum plaſmatio, & obſeruantia, vt luculenter adnotauit Tertullianus in apolog. aduerſus Gentes c. 25. vbi agens de idolatria Romanorum, ait: *Etſi à Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nõ dum tamen aut ſimulachris, aut templis res diuina apud Romanos conſtabat: frugi religio, & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cœlo, ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & ndor ex illis, & Deus ipſe nuſquam: nondũ enim tunc ingenia Græcorũ, atque Tuſcorum fingendis ſimulachris vrbem mundauerant.* Hæc Tertullianus, cuius doctrinæ fidem præbent tot ſtatuarij inſignes in Græcia nutriti, quorum multos recenſent Athenagoras, oratione pro Chriſtianis, & Plinius li. 34. & Lactan. li. 2. diuin. inſt.

Iſidor. Lactant. *Auguſt.* *Tertullian.* *Athenag. Plinius.*

Romanorum autem principatus, Græcorum Regno ſucceſsit, non minus in opibus, & imperio, quàm idololatriæ impietate: & hi ſubiugato ferè toto orbe, omnium nationum idola in patriam aſportarunt, vbi quàm maximè viguit idololatria, & pluſquã apud omnes nationes creuit. Quis autẽ cœperit apud Romanos idola introducere, cum initio ſui Imperij eis caruerint, incertum eſt. Plinium lego lib. 34. cap. 4. in hæc verba: *Romæ ſimulachrum ex ære factum Cereri primum reperio ex peculio Sp. Caſſij, quem Regnum affectantẽ pater ipſius interemerat.* *Plinius.*

De Idolorum differentia.

QVinto loco de idolorum differentia, ac varietate, dicendum cenſui; non quidem conſiderando eam, penes Deorum falſorum numerum, quia pene infinitus eſt; nec penes materiæ diuerſitatem, quia extra artem procedit, & ferè impertinens cõſideratio eſt, vt egregiè adnotauit Tirtullianus lib. de idolatria cap. 3. *Neque enim intereſt,* inquit, *an plaſtes effingat? an cælator ſculpat? an phrygio detexat? quia nec de materia refert, an gypſo, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum.* *Tertullia.*

Ad artificioſam igitur methodum, tractationem reducentes, penes formam, & finẽ idolorum, aliquot eorum differentias ſubijciemus. Prima differentia expendetur ex formatione, aut informitate idolorum; etenim primus idolorum cultus, ad res inanimes, & irrationales, putà ad arbores annoſas, ad lapides impolitos, & huiuſmodi, quæ loco Deorum falſorum colebantur, dirigebatur. Fortaſsè ad hæc alluſio fit Hier. 2. vbi de hoc genere cultus idolatrici reprehẽditur populus Iſraël: *Sub omni ligno frondoſo,* inquit Propheta, *tu proſternebaris meretrix:* & poſt aliqua: *Dicebam ligno, Pater meus es tu, & lapidi, tu me genuiſti.* De arboribus multa in monumentis Gentilium, & vſque ad noſtra tempora perdurauit apud Indos Peruianos, referente Acoſta Ieſuita lib. 5. de hiſtoria Indorum, cap. 5. Lapides verò impolitos, vicem idolorum obtinuiſſe, ſæpè narratur: & Abulen. Leui. 26. ait fuiſſe Chananæis lapides pro idolis: & de alijs nationibus idem inſinuat Arnobius, qui de ſe ipſo loquens, quando tenebatur Paganiſmi erroribus in 1. li. aduer. Gent. ſic ait: *Si quãdo cõſpexerã lubricatum lapidem ex oliuæ mguine irrigatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar, & beneficia poſcebam, nihil ſentiens de trunco.* Igitur paulo poſt inchoatum falſorum Deorum cultum, eorum vice ſubrogabantur lapides rudes, ac impoliti, quibus Pagani diuinos exhibebant honores, iſti autem lapides ſic erecti, vice falſorum Deorum, tituli vocantur, *Acoſta.* *Hierem. 2.* *Abulen.* *Arnob.*

Leuit.

Leuit. 26. Leuit 26. *Non facietis inquit Dominus vobis idolum, & sculptibile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis ea.* Idolum, & sculptibile, vocantur statuæ in honorem Deorum falsorum fabricatæ: tituli appellantur lapides erecti loco statuarum sculptarum, in reuerentiam falsorum Deorum; lapis insignis est magnus aliquis lapis, affabrè expolitus, & in modum statuæ redactus, vt communiter dicitur. Sed certè lapis statua factus sub nomine sculptibilis comprehenditur, quare existimo fieri allusionem ad morem cæcæ Gentilitatis, quæ non solùm affabrè expolitos aut pulchrè effigiatos lapides, in similitudinem hominum, aut brutorum colebat: verùm etiam impolitos, ac rudes, in quibus aliquod magnum apparebat: verbi gratia, in quantitate, in situ, aut eminentia, vt ingentes scopulos, saxa prominentia, eos præsertim, qui erant ad terminãdos agros defixi, quos aliquid diuinitatis habere putabant.

Sicul. Flac. Quo tendit Siculus Flaccus cum ait: *Cum tèrminos disponerent, ipsos quidem lapides in terram collocabant proximè ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant; vnguento, & velaminibus, ac coronis, eos ornabant:* vel fortassis (in idem reddit) allusio fit ad Deum celebrem apud Gentiles, qui vocabatur Terminus: etenim Numa Pompilius Rex Romanus, & ante ipsum (vt reor) alij Pagani, cum & publicum agrum populi Romani, & priuatum vniuscuiusque certis limitibus distinxisset; sacellum erexit Deo Termino in colle Tarpeyo: hic Deus saxũ ingens erat, & saxa reliqui omnes agrorum, & publici & priuatorum termini, quos qui statuto dimouisset loco, eũ hominem sine fraude liceret occidere. Hæc ex Plutarcho, & Dionysio, & alia fabella quomodo statua Termini, noluit Ioui cedere; de quo ibidem. Hi sunt tituli à Deo prohibiti, loco citato ex Leuitico; nam alij ex citati in memoriam alicuius rei insignis, non prohibebantur: verbi gratia ille, quem erexit Absalon 2. Regum 18. qui à Iosepho 7. antiquitatum dicitur fuisse columna marmorea. Et ille lapis erectus à Iacobo Genes. 28. in signum mirificæ visionis, & memoriã promissionis diuinæ, ad eum factæ. Mitto modò quòd titulus aliquando accipitur pro inscriptione, quę rei superponitur, vt innotescat omnibus, quid sit, aut qualis, sicut titulus cruci affixus, de quo Ioann. 19.

Plutar. Dionys. *2. Reg. 18.* *Iosephus.* *Genes. 28.*

Illis temporibus nascentis idololatriæ transactis, cœperunt impij idolorum cultores, imagines suorum Deorum depingere, & præcipuè statuas eorum sculpere, sed rudi quadam ac imperfecta repræsentatione; sicut artificiata antequam ars extremos apices attigerit, prodire solent: nam ante Dædali tempora, statuæ sine manibus, vel pedibus, vel oculis effingebantur; primus Dædalus deficientes partes suffecit; & hinc fortè habuit ortum rumor dicentium Dædalum fecisse simulachra, quæ mouerentur, nimirum, quia effigiauit eas cum pedibus, cùm ante illum sine pedibus formarentur: quod indicauit Euripides in Hecuba.

Si sit mihi vox; brachijs si robora,
Si vel manibus, comisve, si ingressu pedum,
Vel Dædali arte, vel Deũm cuiuspiam.

Et Plato in decipiente.

Dicas moueri cuncta sanè Dedala, &
Videre simulachra.

Primus enim omniũ Dædalus oculos formauit, & crura, ac manus fecit, cũ antiquiores statuarij oculos clausos, demissasque manus, ac lateribus annexas fabricarent. Alij dicũt primos Rhodios statuas fecisse, quæ vt ait Aristarchus vagarẽtur, atque quod prius *Aristarch.* essent rudes, non tamen ad perfectam, & absolutam artem sculpendarum statuarum peruentum fuerat etiam Dædali tempore. Scribit enim Pausanias in Corinthiacis, *Pausan.* Dædali opera rudia fuisse, neque aspectu decora, sed tamen quæ diuinitatem quandam præ se ferrent. Post Dædali verò tempora, ars pictoria, & statuaria, in magnam perfectionem euecta est: maximè in depingendis, ac sculpendis Deorũ simulachris, imperantibus Græcis, & Romanis, quorum tempore insignes artifices floruêre, vt ex Græciæ ac Romæ monumentis, & reliquijs constat.

Secunda differentia idolorum desumitur ex modo colendi ea: vel quia ipsa idola, aliquid diuinitatis in se habere existimabãtur, vel quia ad falsos Deos per ea repræsentatos cultus referebatur. De quo satis superque dixi superius, circa articulum secundũ, in solutione ad secundum dubitationis cuiusdam postremæ, pro defensione imaginum Christianorum. Dumtaxat libet superaddere, Paganos ferè omnes in tantam cæcitatem peruenisse; vt ipsa simulachra pro Dijs adorarent: partim Deo permittente, ad puniẽda eorum scelera, partim dæmonum opera, ac instigatione, qui magnũ lucrum in perniciem hominum, ex tam insano, ac impio cultu, se reportaturos certò sciebant. Id autem non fuit suasu difficile,

præſertim rudioribus per ſtatuas, & in ſtatuis mirabilia, & inuſitata operando, præcipuè reſponſa de rebus incognitis dando, dæmonibus loquentibus, per idola: cùm enim ſcire incognita, ſpeciatim futura contingentia, ad Deum ſpectet, videntes Pagani idola eos inſtruere de his, quæ non ſunt hominibus peruia, exiſtimabant aliqua pollere diuinitate: & hinc ortum habuêre oracula, id eſt delubra Deorum falſorum, vbi dæmones ſua reſponſa dabant interrogantibus aliquando per idola, quæ loqui videbantur: vt de Dodonæo oraculo refertur ab Herodoto lib. 2. & 4. Tito Liuio lib. 8. & alijs. Aliquando per mulieres facer dotiſſas, quæ Phythoniſſæ dicuntur, 1. Regum 28. vt refertur de oraculo Delphico omnium celeberrimo, de quo Homerus lib. 8. Odiſeæ. Strabo lib. 9. Tullius de diuination. lib. 2. Plinius lib. 4. cap. 7. & D. Fulgentius in Mythologijs. lib. 1. Qui verò cupit ſcire alia oracula Deorum falſorum, legat Clementem Alex. in adhortatoria ad Gentes, pagina 14. & deinceps: & eius Scholiaſtem Gentianum Hebertum ibidem.

Herodotus. *Titus Liu.* *1. Reg. 28.* *Homerus.* *Strabo.* *Tullius.* *Plinius.* *Fulgent.* *Clem. Ale.* *Gentianus.*

De idololatriæ per Chriſtum deſtructione, circa finem quintæ ætatis Mundi.

TOto terrarum orbe, idololatriæ inſania, ac cæcitate occupato, præter paucos legis naturæ cultores veri Dei, ac Populũ Iſraeliticum, qui ſæpè, ac ſæpius in eiuſdem ſceleris fecibus ſe ſe immerſerant, vt paſſim teſtantur ſacræ Literæ, Deus Optimus Maximus cœlitus ad ſalutem vtriuſque Populi, Gentilis ſcilicet, & Iudaici, Filium ſuum, carnem factum, in terras miſit, ad diſpellendas altiſſimas tenebras, quæ circa veri Dei agnitionem, terram inuaſerant, ad extirpandum multiplicium Deorum ſuperſtitioſiſſimum cultum, ad euertendas eorum inſanas, ac impias ſtatuas, idolaque omninò conterenda. Et hoc eſt, quod D. Thomas ait in ſolutione ad ſecundum huius quarti articuli. *In ſexta ætate* (inquit) *idololatria eſt excluſa per virtutem, & doctrinam Chriſti, qui de diabolo triumphauit.* Idem de ſe ipſo Chriſtus Dominus ait Ioannis. 12. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Explicat Cyrillus lib. 10. in Ioann. cap. 48. de eiectione diaboli à principatu mundi, quem habebat, dum ſe ſuaſerat adorari idolorum cultu. Et Lucæ 11. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſsidet: cùm autem fortior illo ſuperuenerit, vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, &c.* quod maximè cõpletum eſt in euerſione idolorum. Id ipſum prædixerat Eſai. cap. 2. vbi poſtquam enarrauerat fœlicem ſtatum tempore aduentus Chriſti, ſubiecit: *Et elevabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus conterentur.* Et poſt pauca: *Et proijciet homo idola argenti ſui, quæ fecerat ſibi vt adoraret talpas, & veſpertiliones.* Quem locum ferè omnes Sancti interpretantur de idololatriæ ceſſatione per Chriſti Domini aduentum. Ita Euſebius Pamphil. libr. 1. de præparat. Euangel. cap. 1. & lib. 2. demonſtrat. Euangel. cap. 37. & Auguſt. de conſenſu Euangeliſtarum, libr. 1. cap. 27. & contra Fauſtum Manich. li. 13. c. 9. Tertul. aduerſus Iudæos, cap. de claritate Gentium per Chriſtum.

Eſai. 2. *Euſebius.* *Auguſt.* *Tertulli.*

Idem prophetatũ fuerat ab eodem Eſaia, cap. 19. his verbis: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem*, id eſt carnem puriſsimã aſſumet (vt omnes Patres interpretantur) *& ingredietur Ægyptum, & cõmouebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabeſcet in medio eius.* Euſebius lib. 6. demonſtrationis Euangelicæ, capite. 20. hoc teſtimonium verſans ait: *Hi, qui prius incolebant Ægyptum, praui, vitioſiq; dæmones, per multa ſæcula in ſimulachris latitantes, cùm ſenſiſſent nouam quandam, diuinamq; virtutem ad ſe acceſsiſſe, illicò commoti ſunt, corq; eorum, & vis intelligendi intrinſecus in ipſis conuicta ſunt, & fugati ſunt ab eadem virtute, quæ vi effugere eos compellebat, & ignis inſtar, ineffabili quadam ratione adducebat: & tunc quidem inuiſibiliter dæmones talia paſsi ſunt; cum Saluator noſter in Ægyptum cum viſibili corpore peruenit.* Et Athanaſius de incarnatione Verbi ſic fatur: *Quis iuſtorum, aut Regum in Ægyptum deſcendit, & eius deſcenſu idola in Ægypto ceciderunt? Abraham deſcendit: nihilominus tamen idololatria vbique viguit. Natus eſt ibi Moyſes, neque illi ceſsit religionis error.* Et inferius: *Ægyptiorum ſuperſtitio non quieuiſſet, niſi Dominus omnium in corpore quaſi in nube vectus, eo deſcendiſſet, & idolorum errores compeſcuiſſet.* Item in vitis Patrum (quod opus Euagrij eſſe creditur) ſic dicitur: *Vidimus & alium ſanctum virum, nomine Apollonij, apud Thebaidem in finibus Hermopolis: ad quam ciuitatem Saluatorem cum Maria, & Ioſeph de Iudæa finibus veniſſe tradunt ſecũdùm prophetiam Eſaiæ. Vidimus ergo ibi & templũ ipſum, in quod ingreſſo Saluatore*

Eſai. 19. *Euſebius.* *Athanaſ.*

D. Thom. *Ioann. 12.* *Cyrillus.* *Lucæ. 11.*

tore, corruisse omnia idola in terram, & commuta esse, commemorabantur. Hæc sunt quæ dicuntur ab Euagrio.

Hanc AEgyptiacorum simulachrorum euersionem videtur quasi diuinasse, & de ea doluisse quidam magni nominis apud idolatras, vt refert D. Augustin. lib 81. de ciuitate Dei capite 23. & alia ad hoc conducentia poteris videre apud eundem de diuinatione dæmonum capite 9. & sic interpretantur plerique sanctorum Patrum. Circa quæ testimonia, & similia primò nota, ad verificandum hæc testimonia, non esse necessarium, introeunte Iesu in AEgyptum, omnia AEgypti idola corruisse; sed aliqua: non solum in signum, quod ille aduenisset, verum & potissimè, quod ipse per se, & per suos Apostolos, erat idolatriam euersurus quasi totaliter, & magna ex parte: sic enim intelligendæ sunt prophetiæ allatæ, & similes. Eandem ruinam idolorum AEgypti, ad Christi aduentum, prædixerat Ezechiel capite 30. dicens, *Hæc dicit Dominus; & disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis, & dux de terra Ægypti non erit*. Et Sophonias capite 2. aduersus Moabitas ait. *Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum viri de loco suo*: & Zachariæ 13. idem habetur. Circa quæ testimonia, & similia aduertendum, est præfatã idolorum deiectionem non esse dumtaxat referendam ad idola AEgypti, aut Moab, aut verò ad earum tantum nationũ simulachra, ad quas comminatio prophetica dirigebatur expressè, sed etiam ad omnium Gentium idola: quod colligo ex regula, ad intelligendam sacram Scripturam: in Prophetis sæpè prophetiæ comminationem dirigi à principio in specialem gentem, & postea terminari ad totum orbem. Ita Driedo lib. 3. de Ecclesiasticis dogmatibus tractat. 3. cap. 2. in fine. Iansenius itidem cap. 123. August. Psalm. 88. ita fit in præfatis locis: prophetia dirigebatur expressè, & à principio ad Aegyptos, & Soph. 2. ad Moabitas: illud verò quod subditur de idolorum proiectione, ad omnem orbem: quod potissimè habetur ex communi sensu Patrum ita explanantium prædictas prophetias. Quod si cupis testimonium propheticum, in quo expressè ad omnes nationes dicatur de idolorum euersione per Messiæ aduentum, audi Zachariam capite 13. dicentem. *In die illa* (id est, tempore legis gratiæ, *erit fons patens* (nimirum Messias, vt Sancti interpretantur) *domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris*, (id est populi Iudaici) *& menstruatæ*, (id est Gentilici,) *& erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomen idolorũ de terra, & non memorabuntur vltra, &c.* Eodem tempore quo fons iste, qui Christus est, ostensus Gentilibus idolorum cultoribus, (vt ait Arillus) omnibus ad Euangeliũ concurrentibus, idolorum cultus sublatus est, & Pseudo-Prophetæ vatesque à dæmonibus afflati cessarunt: & oracula toto orbe celeberrima conticuerunt. De idolorum comminutione, & ruina, extat illustre testimonium Dionis Romani Historiographi lib. 37. *In Capitolio* (narrat Dio) *multæ statuæ de cœlo tactæ, liquefactaque fluxerant, deiectaq; erant: tum alia simulachra, tùm Iouis columnæ insistens: præterea imago lupæ, cum Remo ac Romulo consecrata, ceciderat, literæ etiam, in columnis in quibus leges scribebantur, confusæ atq; obliteratæ erãt*. Hæc Dio: anno ab vrbe condita, sexcentesimo nonagesimo; sequenti autem, natus est Augustus, vt tradit Suetonius in Octauio cap. 5. Hæc verò, & alia dicta Pagani nescientes eo in tempore nasciturum esse Christum, qui idololatriam euerteret, ac nouas Leges præscriberet, ad alios sensus accommodabant: nos verò Christiani, vaticinijs Prophetarum eruditi, ad euersionẽ idololatriæ per Christum, & eius doctrinam, scitè ac verè appropriamus: de oraculorũ verò silentio, circa Christi Natiuitatem multa referuntur ab autoribus Prophanis. De Apollinis Delphici, toto orbe terrarum oraculo celeberrimo, ait pulchrè Cicero lib. 2. de Diuinatione; *Sed quod caput est, cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, nõ modo nostra ætate, sed iam diu, vt iam nihil possit esse contemptius? Hoc loco cum vrgentur, euanuisse aiunt vetustate vim loci, vnde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata, oracula ederet; de vino aut salmento, putes loqui, quæ euanescunt vetustate*. Hæc Cicero. Cui, si audientes Gentiles essent, de falsitate, aut vanitate Deorum, dicam cum Arnobio aduersus Gentes lib. 3. perorata causa fuisset. Sed quæ nam esset causa tanti silentij, in Apolline obmutescente, ipse licèt inuitus, effari coactus est: Cùm enim Augustus ei sacrificaret Hecatomben, id est, inclytum quoddam sacrificium, hæc tandem responsa (vt ferunt) ab eo exemit.

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cædem sede iubet, tristemq; redire sub orcum:

Aris

Augusti. Ezech. 30. Sophon. 2. Zachar. 13. Driedo. Iansen. August. Sophon. 2. Zachar. 13. Arillus. Dio. Rom. Sueton.

Aris ergo dehinc, tacitus abscedito nostris. Ad hæc addunt, Augustum Romam reuersum, aram in Capitolio erexisse, hac inscriptione notatam, *ara primogeniti Dei.* Hæc Niceph. Suidas. Cedrenus. Nicephorus, Historiæ lib. 1. cap. 17. & Suidas in historia, verbo *Augustus*. Cedrenus in compendio historiarum.

Nec solùm oraculum Delphicum tacuisse, tempore nati Christi; verùm & omnia fermè alia, ex Plutarcho patet, qui libellum edidit, de defectu oraculorum, quæ iam defecerant sua ætate, ideſt, imperante Traiano: cuius defectionis causam volens reddere, multa risu digna, & tanto viro indigna dicit; nec mirum, quia lumine veræ fidei carebat. Vera igitur causa fuit, dæmones oraculorum inuentores, & habitatores, sciẽtes, aut coniectantes ex prædictionibus Prophetarũ, aut versibus Sybillinis, Dei filium vel esse præsentem in carne, aut appropinquare, eius aduentum perhorruisse; & præ timore, aut fortasse iussu Dei obmutuisse, nec solita responsa dedisse. Nec mirum, nam ipsi Luc. 4. dicunt. *Iesu, vt quid venisti perdere nos?* & infra, *exhibant autem dæmonia clamantia, & dicentia, quia tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.*

Plutarc. Lucæ 14.

A Ex his quæ dicta sunt perspicies quã doctè ac piè D. Thom. in solutione secundi argumenti huius articuli, docuerit idololatriã in sexta ætate esse exclusam per virtutem, & doctrinam Christi. Quod non esse intelligendum (ait Caietanus) pro omni parte sextæ ætatis perfectè, sed quoniam magna ex parte excluſa est. Et quidem apud Hebræos iam nulla idololatriæ vestigia extare, communis sententia est: apud eos verò qui Europam, Asiam, Africamque incolunt vix vllus relictus est angulus, vbi vexillum Crucis non erectum fuerit, fideique Christianæ doctrina prædicata, eliminata omni idolorum spurcitia. Et nouissimè nostris tẽporibus, Dei misericordia, ac ministerio Hispanorum in magna Americæ parte, (quæ dimidium orbis occupat) fides Christi longè latèque propagata est. Ac deniq; in eadem sexta ætate, reliquiæ Paganorum ac Iudæorum conuertentur: nos verò quibus effulsit illuminatio Euangelij; gloriæ Christi, gratias ingentes Deo agamus, qui Patres nostros eduxit ab idololatriæ tenebris, in admirabile lumen suum, per Iesum Christum Filium eius, qui cum Patre & Spiritu sancto, viuit & regnat Deus, per infinita sæculorum sæcula.

B

AD QVÆSTIONEM XCV. INTRODVCTIO.

TOTA, aut ferè tota malitia dęmoniaca, magia imbutorũ, (de qua in sequentibus quæstionibus agendum est) nititur inuocationi, seu pacto hominum cum dæmonibus; vt eorum ope, quædam mira C efficiant, quæ vel facultatem hominũ transcendunt; vel videntur transcendere. Quare, vt expeditior fiat ingressus ad præfatas quæstiones, aliquot præmittere decreui disputationes præambulas: quas non mediocrem lucem, & eruditionem dicendis, reor allaturas.

Et in primis supponere oportet vt rem indubitatam, veneficos incãtatores, ariolos, augures,

augures, aruspices, lamias, sagas, striges, sortianas (siue quocunque alio nomine appelles hominum genus superstitiosum, & magiæ dæmoniacæ deditū) sæpe efficere quædam opera mira, ac insolita, quæ re vera superant, vel videntur hominum cæterorum superare facultatem, & vires. Huic fundamento experientia testimonium perhibet, codices, ac annales antiqui, & moderni fidem faciunt. De his multa sparsim in mediū
Cle. Rom. afferemus: sufficiat modò testimonium Clementis Romani lib. 1. recognitionum, & libro 6. constit. Apostolicarum, de Simone famoso mago, dicentis: *eum ex aëre nouum hominem creasse, quibus volebat inuisibilem factum, saxa quasi lutum penetrasse, statuas animasse, in igne positum nō arsisse, duas velut Ianum facies habentem se ostendisse, in ouē, aut capram se immutasse, in aëre sublatū volasse, aurum plurimum exhibuisse, repente Reges facere, eosque deijcere potuisse, falci præcepisse vt ipsa iret, & meteret, camq; iuisse, & decuplo plus cæteris mesuisse: eundem (cū esset aliquādo Selenæ meretrix in turre quadā, & accurrisset ingens multitudo ad eam videndam, turrimq; cinxisset) adstantium coronam feciisse, vt illa per cunctas fenestras turris illius, omni simul populo prospicere, & procumbere videretur. Denique quod pueri incorrupti violenter necati animam adiuramentis euocasset.* Hæc Clemens, quibus addit Anasta-
Anastas. sius Nissenus q. 23. in sacram Scripturam. *Statuas* (inquit) *faciebat ambulare, in igne volutatus non vrebatur, in aëre volabat, & ex lapidibus panes faciebat, serpens fiebat, & in aliquas alias bestias transformabatur, duas habebat facies, in aurum conuertebatur, in conuiuijs exhibebat spectra, omnis generis vasa, quæ erant in ædibus, faciebat videri tanquam quæ sua sponte mouerentur ad ministerium, ijs qui portabant non visis, efficiebat vt multæ vmbræ eum præcederent, quas dicebat esse animas defunctorum.* Igitur multa miranda fieri à dæmonibus, & Magis, dæmoniorum ope non est qui dubitet, modum verò quo hæc fiant oportet inquirere?

(?)

A

DISPVTATIO I.

Qua potestate, aut cuius auxilio nisi, hi magi impij efficiant ea mirabilia, quæ hominum excedunt, aut videntur excedere potestatem?

B

ET videtur id proficisci ex naturali quorundam hominum complexione. De Psylis, qui habitant Lidiæ, & de Marsis in Italia, narrat Plinius lib. 7. cap. 2. serpentes sine noxa *Plinius.* attrectare, & odore soporare: & D. August. *August.* libro 14. de Ciuitate ca. 2. narrat mira quædam opera quorundam hominum, quæ nō nisi à naturali eorum complexione dimanare poterant. Et Albertus Magnus in lib. *Albertus.* de moribus animalium (ait) se vidisse in Germania duos pueros fratres, quorum altero iuxta domorum ostia incedente, omnia ostia versus latus illius sinistrum aperiebantur, quamuis clausa essent; idemque contingebat alteri puero illius fratri, versus latus eius dextrum. Et dicit id vidisse multos, negatque id referri posse in aliud, quàm in proprietatem occultam, quæ vtrique eorum à cœlorum influxu indita est.

C

Prima assertio sit. Multos effectus admirandos, ac insolitos efficiunt quandoque homines, virtute agentium naturaliū ad operandū applicatorū, aut verò virtute, & præstantia in artificiatis fabricādis, quorum causas, cùm vix pauci penetrent, admirationē parit eorum effectio, & interdum suspicionē auxilij dæmoniaci implorati. Probatur prima pars, quia in rebus naturalibus, sunt proprietates admirabiles occultę ad efficiēdum mirabiles effectus, interdun simplici applicatione, interdum diuersarum rerum admixtione, & alijs modis: ergo homines hæc callentes, & his vtentes, mirabiles citra dubium efficient effectus. Antecedens ostē-
D ditur aliquibus mirandis naturæ proprietatibus allatis. Ad hoc propositum D. August. *August.* lib. 21. de Ciuitate cap. 4. 5. & 6. adducit multa de pauonum carne non putrescente, de paleis niues conseruantibus, & vice versa fructus maturantibus, de calce, quę cùm ignitam in se vim habeat, aquarum infusione non olei accenditur, de agrigentino sale, qui liquatur igne, aqua vero induratur, & crepi-

crepitat: de Epiri fonte, & magnete, & similibus. Item Opianus lib. 3. Cyneg. scribit sonum tympani ex Lupina pelle, aliud tympanum ex Agnina tensum, disrumpere. Et multi, inter quos Tertullianus lib. 3. cap. vlt. de pœnitentia, & Hieronymus in Ecclesiastem, dixerunt dyctamo eso ceruos sagittas expellere, & Chelidonia hirundines suis pullis visum restituere. De Psylisq; & Marsis serpentes contrectantibus, & lacessentibus sine noxa, & odore soporantibus, tradit Plinius lib. 7. cap. 2. & idem de Pici Martij herba, obturamenta nidorum explodente, narrat idem lib. 10. cap. 18. imò & seras ferreas aperire vulgò dicitur. Et de Remora pisciculo semipedali, detinente nauis ingentis impetum, idem Plinius lib. 32. cap. 11. & Arist. lib. 2. de histor. animal. cap. 14. & cap. 6. Tobiæ de felle piscis Callyonimi, valere ad expellendam albuginem oculorum. Denique innumeros possemus referre effectus mirabiles, & insolitos vi, ac proprietate rerum naturalium editos. Vide, si placet, Sirenum libr. 9. de fato, Fracastorium lib. de sympathia, & antipathia, Ioannem Langum epist. 33. Certè si in naturalibus rebus, tot mirabiles, & paucis notæ proprietates inueniuntur, cur earum rerum vsu homines edocti, siue à bono, siue à malo genio, siue experientia ductrice, mirabiles effectus non patrabunt.

Opianus. *Tertullia.* *D. Hieron.* *Plinius.* *Aristotel.* *Tobiæ. 7.* *Sirenus.* *Fracastor.* *Ioānes Langus.*

Idem iudiciū sumito, de effectibus quibusdam artificiatis, quæ in admirationem rapuerunt videntes, existimantes non posse in tantum fastigium artem peruenire: cū tamen totum eorum effectuum mirabile artificium, principijs Geometricis, Arithmeticis, vel Astronomicis niteretur. Horum effectuum exempla sint, Sphæra illa Archimedis, apud Claudianum. De qua Cicero lib. 9. Tusculan. & 2. lib. de natura Deorum, dicit omnium cœlestium conuersiones suis motibus clarissimè, & perfectissimè repræsentare: cuius sphæræ aliquale specimen dicitur exhibuisse Italum artificem, nomine Ianelum. Et de eodem Archimede refert Plutarchus in Marcello, in Syracusarum obsidione per specula naues cōbussisse, & tot machinas adinuenisse, vt dicerent Romani se non contra homines, sed contra Deos pugnare. Item in admirationem rapuit Grecos quædam columba lignea volans fabricata ab Archita. Ita Gellius lib. 10. noctium. Non fuêre dissimilia Leonis Imperatoris auiculæ aureæ cantantes. Ita Glicas in annalibus. Et Boethij æreæ volantes, & cantilantes, ac serpentes ænei sibillantes. Ita Politianus in Panepistemone. De beato Isidoro refertur miro artificio fabricasse duas lucernas, quarum vnam iussit apponi ad caput sui sepulchri, alteram circa pedes, quæ nunquam fuêre extinctæ, aut consumptæ per ducentos annos, & inde sublatæ nescio quo successu: ita maiores nostri Hispani, & Iacobus de Boragine in vita eiusdem Isidori. Et Romæ tempore Caroli Magni, in sepulchro cuiusdam Gentilis candela accensa ante Christi aduentum, quæ nec aqua, nec aëre potuit extingui, quousque terebrato lychno aër subintrauit: ita Helinandus in Chronicis, & Ioannes Aegydius Çamorensis. Et alia multa his similia ab Historiographis narrantur.

Politian. *Gellius.* *Glicas.*

Secunda pars assertionis nota est: & ideò Philosophi multi antiqui, auidissimè rerum occultas proprietates inquisierūt: inter quos Democritus, Pythagoras, Empedocles, Plato, Aristot. lib. integro edito de admirandis auditionibus: & ex nostris Albertus Magnus, & alij, qui Magiæ physicæ, seu naturali, incubuerunt. Est autem hæc Magia, vt notarunt Proclus lib. de Magia, & Psellus de dæmonibus, cognitio quædam arcanorum naturæ, qua cœlorum, ac syderum fluxus, & sympathijs, atque antipathijs rerum singularum obseruatis, suo tempore, loco, ac modo, rebus applicantur; & mirandi quidam effectus perficiuntur, qui causarum ignaris præstigiosi, vel miraculosi videntur. Hac scientia fuisse peritos tres Magos Euangelicos, volunt quidam; eaque imbutum fuisse Salomonem, non obscurè tradit sacra Scriptura, 3. Regum. 4. *Et disputauit* (Salomon) *de lignis, à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur à pariete, & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* Vbi nota cum D. Hieronymo, non fieri mentionem de exorcismis, aut incantationibus. De quibus multa Iosephus lib. 8. de antiquitatibus, capite. 2. fortè quia ea composuit quando deditus idolatriæ, incantationibus deseruiebat.

Plato. *Aristot.* *Albertus.* *Proclus.* *Psellus.* *3. Reg. 4.* *D. Hieron.* *Iosephus.*

Ex his infertur corollarium apprimè notandum pro sequentibus, non decere virum sapientem præcipitare sententiam vt videns per quosdam fieri effectus insolitos, & mirabiles, asserat vi pacti dæmoniaci fieri: potest enim contingere, vt mediante concursu & applicatione agentium & passiuorum naturalium, aut ope artificis præstantissimi fiant. Fateor has duas magias, artifi-

artificialem, & naturalem, secundùm se laudabiles, assumi sæpè vt duo velamina, quibus magia diabolica occultari solet: quia magi sola rerum naturalium aut artificialium efficacitate, non valentes consequi optatos effectus, ad dæmonum auxilia imploranda recurrunt. Non dissimiliter fecêre quidam scriptores moderni, nomine sonantes Christum, reipsa superstitiosi magi, qui in suis operibus auspicantes à magiæ naturalis documẽtis, ad diabolica, & vana, prolapsi sunt, & ideò eorum libros prohibuit Ecclesia, inter quos nomino Anselmum Parmensem, Ciechum Esculanum, Petrum de Abono, Cornelium Agrippam, ac Paracelsum, Hæreticos: ad quos fermè declinant Cardanus de subtilitate, & varietate, & Ioannes Baptista à Porta in suo libello de magia, qui & alij multi Germanię, vbi officium defensionis fidei non viget, libere à magia naturali ad dæmoniacam in multis dilabuntur.

Ex hac assertione, & corollario, respondetur ad argumenta in principio posita; Psylos, & Marsos habere proprietatem quãdam, & qualitatem exitialem serpentibus. Similiter, & alij homines (de quibus August.) habebant quasdam indiuiduales conditiones, ratione quarum illas inusitatas operationes efficiebant. Quod nos non negamus, sed potius asserimus: sed dubitatio est de omni operatione mirabili magorum. De quo

Secunda assertio sit. Multos effectus mirabiles ac insolitos efficiũt magi, qui nequaquam reduci possunt ad virtutem operatricem causarum naturalium, aut artificialiũ. Huiusmodi ferè sunt omnia quæ narrantur de Simone, & Apollonio famosis magis. Huiusmodi etiam sunt prædicere occulta, aut futura, thesaurosque absconditos reuelare, facere statuas loqui, & similia, quæ ex vna parte superant humanas vires, ex alia causarum naturalium efficacitatẽ, eo quod necessariò ab operante per intellectum procedere debent. Hanc assertionem acutè satis & copiosè probat D. Thom. 3. contra gentes capite 104. Sed nunquid ad genios malos hi effectus reducendi sunt?

D.Thõ.

DISPVTATIO II.

An magorum opera miranda ad dæmones reducenda sint?

ET videtur non omnia magorũ miranda opera esse reducenda ad dæmonum efficaciã patrocinantiũ magis. Primò ex Auicena dicente: *Si homo esset secundùm intellectum bene dispositus, & supra materiam eleuatus, res cunctæ materiales, cœlestes, & terrenæ, simplices, ac mixtæ, obedirẽt ei ad nutum: ac proinde nil mirabile eius excederet facultatem.* Nõ longè absunt ab hac sententia, Fulginas, & alij medici, confingentes quoddam temperamentum æqualitatis, & humorum, & qualitatum actiuarum ad põdus mixtione, quo temperamento, qui sit præditus, posse miracula efficere asseuerant. Secundò. Deus hominibus sceleratis largitur gratias gratis datas: vt opera, quæ vires humanas, imò & angelicas excedunt, operentur diuina virtute adiuti: de quo latè superius egi circa articulum secundum quæstionis nonagesimæ, & palàm fit in gratia sanitatũ, ac dono linguarum: ergò de magis operantibus mirifica nõ est inconueniẽs asserere. Dicet quis. Gratijs gratis datis à Deo qui accipit, non vtitur in malum finem: at isti magi operibus mirandis in malos fines vtũtur, nempe ad maleficiandos homines, ad occulta prodendum, ad decipiendum. Cõtrà, quia hoc per accidẽs est gratiarũ datarũ gratis receptioni: quibus praui homines aliquando prauè vtuntur, sicut accidit Claudiæ virgini Vestali, quã Dei virtute adiutã fatetur sanctus Thomas quæstione 6. de põtentia articulo 5. ad 5. aquam in vaso perforato à Tibere portasse sine effusione; & tamen in honorem Deæ Vestæ id hæc fœmina fecit, cui suam virginitatem sacrauerat. Tertiò. Hæc opera miranda possunt referri in patrocinium bonorum Angelorum: ergo in eos potiùs quàm in dæmones referenda sunt, maximè quando per ea opera aliquod beneficium præstatur: verbi gratia sanitas præter communem cursum naturæ, dissoluere maleficia, reuelare thesauros in visceribus terræ existentes. Prob. consequentia, quia id possunt efficere boni Angeli, & auidiores sunt nostrarum vtilitatum, quàm dæmones.

Auicen.

Fulginas.

D.Thom.

Sit

Sit tamen nostra assertio. Magi opera mi A randa quæ efficiunt excedentia suas vires, nequaquam Dei virtute, aut Angelorum bonorum ea peragunt, sed virtute communicata à dæmonibus: ipsi enim sunt qui ea mediantibus magis operantur. Prior assertionis pars est cõtra quosdam, qui moti secundo argumento (sed blasphemè) opera magorum Deo adscribunt, vt operãtur principaliter mediante gratia gratis data, miraculorum, linguarum, &c. Sed probatur ex do
D. Thom. ctrina D. Thom. de potentia quæstione 6. artic. 5. nam gratiam faciendi res mirabiles communicat Deus in testimonium veritatis, & commune bonum: sed si magis B communicaret Deus gratiam faciendi eas res mirabiles, quæ excedunt eorum facultates, esset testis falsitatis: putà suorum dogmatum, suorum rituum, suorum scelerum: ergo non est id credendum de Dei bonitate, & æquitate. Consimili ratione negauimus supra dogmatizatoribus Hæreticæ prauitatis, Deum non communicare donum miracula faciendi. Secundò. Deus, & Ecclesia seuerè prohibent huiusmodi magorum opera: ergo ad ea efficienda non dat suas gratias. Tertiò. Qui operantur ex dono C gratiæ gratis datæ, ad certum tempus, occasionem, & cæremonias, non restringuntur: sicut magi, qui si vel minimo deficiant, nihil efficiunt. Quartò. Vsus gratiarum nõ habetur habitualiter, vt supra docuimus, neque traduntur hæ gratiæ per disciplinam & præcepta: at magi quoties libet, factis certis cæremonijs (quæ potius inuocationes dæmonum sunt) operantur, & suos discipulos magiæ artem docent, & auditores magistrorum sequentes præcepta, quæ Magistri, eadem operantur. Secunda pars assertionis est contra quosdam Platonicos Iambicum, Porphirium, Plotinum, Proclum, D & Iulianum apostatam; & contra alios modernos, qui horum magorum opera, si ad aliquod bonum ordinentur, aiunt esse Angelorum opera: sin minus dæmonum. Ita Gli
Glicas. Nizetas. cas, Nizetas, & alij. Horum sententia plusquam falsa est. Et probatur primò ex quodam art. Parisiẽsi dicente: *Quod boni Angeli includantur in lapidibus, & consecrent imagines, vel vestimenta, aut alia faciant, quæ in istis artibus continentur* (magijs scilicet) *error.* Secundò quia in iure Canonico vniuersaliter vetatur horũ magorũ ars, vt videre licet causa 26. Tertiò ratione. Nam Angeli horum magicorum effectores, exhibẽt se adorandos, imò & præcipiunt: iubent si- bi sacrificia offerri: quod certè non facerẽt, neque permitterent boni Angeli. Quartò, quia istorum magorum ars indifferenter dirigitur ad inferenda mala per furta, adulteria, neces, &c. & ad bona conferenda. Misc cent itidem multa mẽdacia, & deceptiones, vtuntur etiam imperio, & minis rerum impossibilium, vt superius retulimus: at nullum horum tribuendum est Angelis sanctis. Tertia assertionis pars colligitur à sufficienti diuisione; nam si opera præfata nequeunt fieri nisi ab operante per intellectum; non ab homine, quia eius facultatem superant; non à Deo, aut bonis Angelis, vt probauimus; neque ab animabus separatis, de quo inferius: ergo à dæmone necesse est fieri, qui ex certo inito fœdere cum magis, vocatus adest, vt ea opera perficiat.

Pro primi argumenti responsione, confutandæ essent opiniones, seu potius deliria Auicenæ, & Fulginatis; sed quia nullo apparenti fundamento nituntur, refutationem huius relinquo Michaeli de Medina *Mic. à Me.* in lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7. secundi verò, Sybillano Decade 3. peregrinarũ *Sybillan.* quæst. q. 3. ca. 8. Ad secundum, non inficiamur possibile esse vt Deus magis gratias alicui quot gratis datas communicet: maximè miraculorum, & fortè id fecit quando ex circunstantijs expediebat ad bonum Religionis, & Dei gloriam: sic fortè accidit Claudiæ Virgini idolatræ, ad testificandum, & promouendum bonum castitatis; cæterum id rarò contingit, aut fortè nunquam, propter rationes allatas in probatione nostræ assertionis: per hoc tamen non negamus, quin magi operentur quædam mira, valde similia his, quæ sancti homines, & Angeli, virtute à Deo accepta, efficiunt; quando suas naturales vires excedunt: de quo statim. Ad 3. respondetur non esse negandum bonos Angelos communicare aliquando suam potestatem, & homines adiuuare, vt alijs beneficia sanitatum largiantur, consiliorum, &c. Sed hoc non faciunt vt magi ad ostentationem, vel sicut dæmones, vt colantur ab hominibus: sed solùm propter Dei gloriam, & cõmodum hominum, & ideò ferè semper occultis modis. Quare opera magorum, quæ indifferenter diriguntur ad bona, & mala præstanda, imò tandem ad exitium inferendum, non Deo, neque Angelis adiuuantibus adscribenda sunt vt actoribus, sed dæmonibus.

(?)

DIS-

DISPVTATIO III.

De modo, ideſt, de via, ac operationibus, quibus dæmones, ſiue per ſe ipſos, ſiue ad inuocationem magorum, opera miranda efficiunt.

PRO deciſione præmittendum, præfata opera neceſſariò debere perfici per actionem tranſeuntem in exteram materiam: ſiue ea actio ſit ſubſtantialis, vt generatio, ſiue accidentalis, vt motus localis, alteratio, augmentatio. Rurſus ea operatione, vel ſiunt miranda opera immediate ſine vlla alia media actione, vel mediatè, ideſt, mediante alia actione, quæ à priori ortum habet, & ad quam conſequitur. His ſuppoſitis

Primò dico. Quidquid factibile eſt per motum localem immediatè poſſunt dæmones efficere. Prob. primò, quia materia corporalis obedit Angelis ad nutū in ordine ad localē motum, vt demonſtrat D. Tho. 1. p. q. 110. art. 3. & locis nuper citatis. Poſſunt autem quamplurima miranda efficere per talem motū, ſicut & ipſe motus localis eorum admirandus eſt, multis excedens hominum ac rerū aliarum corporearum locales motus. Eſt enim diuerſæ rationis, ac qualitatis, & æquiuocè motus in ordine ad illos. Vnde & poſſunt dæmones naturali ſua virtute tranſire continuè per medium, & poſſunt tranſire de extremo ad extremum non pertranſito medio: ac proinde poterunt ab vno loco ad alium valde diſtantem velociſsimè moueri, & tempore ferè imperceptibili, imò æquè velociter ad diſtantē, & ad propinquum: de qua re 1. p. q. 53. nihilominus quando corpora mouent id neceſſario debēt fieri motu continuo medium pertranſeundo: & licèt poſsit fieri ab eis motus citiſsimus, & in breui temporis ſpatio: aliqua tamen temporis mora neceſſaria eſt, & tanto maior, quanto extrema motus diſtantiora ſunt.

Hinc, videlicet ex motu locali, poſſumus aſsignare rationē multorum effectuum admirandorum, & quæ humanam fidem excedere viderentur, niſi accederet autoritas dicentium, & experientia idem comprobaret. Primò. Poſſunt dæmones homines, bruta, & alia corpora, ab vno loco in alium, quantumuis diſtantem, in modico temporis ſpatio transferre. Dæmon Chriſtum Dominum à deſerto vſque ad pinnaculum templi portauit, vt Diuus Gregorius in Homilia, & alij poſt eum aſſerunt: & Angelus bonus portauit Habacuc per longa terrarum ſpatia, Danielis 8. nec Scriptura aut Sancti adſcribunt hoc virtuti ſpeciali Dei, ſed naturæ, & virtuti naturali motiuæ Angeli, quæ in malis conſeruatur vſque adhuc: noſtri etiam temporis magi crebrò ad longinqua loca à dæmone feruntur, quinimo & alios ſecum, volantes per aëra in caballo fremente, ideſt, dæmone ſub forma caballi, per aëra deſerunt, monitos primum ne ſigno crucis ſe muniant, ſicut narratur ſæpe apud Sprengerum, & Sylueſtrum lib. 1. capite 14. puncto. 4. & hiſtoria Eccleſiaſtica in vita Diui Petri narrat, Simonem Magum à dæmonibus inuiſibiliter per aëra euectum eſſe in ſublime, quaſi aſcendentem in cœlum: inde tamen precibus Beati Petri ad Deum fuſis deiectus eſt in terram. Secundò. Per localem motum poſſunt ignem ex ſuperiori aëris parte in terram demittere, in perniciem hominum; item turbulentos, & vehementes ventos, quibus magna ſubruāt ædificia. Ita habetur Iob 1. Poſſunt etiam dæmones per motum localem grauiſſimos in mari ventorum impetus, procellas, & varias tempeſtates excitare, vel aquas maris ab imo ſurſum commouendo, vel per concitatiſsimos ventos: poſſunt itidem ingentes facere terremotus, vel includendo vehementem aliquem ventum in cauernis terræ, vel incluſum in illis vehementius agitando. Ad hunc modum reor eſſe dicendū, de aliquibus mirandis magorum circa ventos excitādos. Ericus Rex Gothorum quocumque verteret pileum, inde proſperum ventum eliciebat, nimirum dæmone mouente ventum ad ſignum pilei moti. Ita Ioānes Magnus lib. 17. hiſtoriæ Gothorū, & Olaus Magnus lib. 1. c. 1. & lib. 3. c. 18. de lappis finnis & Biarnis narrat, eſſe ſolitos vendere ventos nauigantibus, dæmonibus, ſcilicet, eos accerſientibus propter pactum cum ea gente initum. Et ad eum fermè modum fieri potuit, quod narrat Philoſtratus lib. 3. ca. 3. de duobus dolijs, quæ vidit Apollonius apud Indos: quæ cum aperiebantur imbres, & ventos emittebant: clauſa verò, cohibebant: & quod Gentiles fabulātur de AEolo Deo ventorum: dæmo-

nes efficiebant, vt illi sub nomine Æoli co lerent. Tertio. Possunt dæmones subitò res præsentes è conspectu adstantium subtrahere, atque isto pacto reddere inuisibiles. Ita dicitur de Apollonio, qui cum esset in conspectu Domitiani Imperatoris, repentè ex omniũ oculis recessit, & quasi euanuit: sed longè alibi inuentus est: quod est manifestum signum, à diabolo asportatum esse. Quartò. Potest dæmõ facere vt statuę, vel aliæ res inanimatæ ambulent quasi motu progressiuo, dæmone, scilicet, eas mouente. Sic fiebat illud quod refertur à Philostrato lib. 3. c. 8. cũ enim Apollonius, & Hiarcha, & alij Brachmanes mẽsæ accubuissent; Tripodes lapides sua sponte fuisse motos, & ab æreis pincernis calices in gyrum circumlatos esse, certa mensura vinum, & aquam miscentes, & cyathos offerentes conuiuijs. Quintò. Possunt per eundem motũ facere vt statuæ, arbores, & bruta more hominum loquantur; exemplũ in simulachro Iunonis. Ita Valerius Maximus lib. 1. ca. vltimo, & illud de vlmo salutante Apolloniũ, vt ait Philostratus, quæ non fuêre veræ voces vt infra videbimus, sed soni eis similes in aëre formati. Denique multa alia miranda faciunt dæmones medio locali motu, in quo potentissimi sunt, & nos sparsim addu cemus in sequentibus.

Philostr. *Valerius.*

Altera dæmoniorum actio mediata est consequens ad localem eorum motum, in quo potentissimi sunt, & per hanc possunt quidquid causæ naturales possunt, eas applicando per localem motum, vt operentur iuxta naturalem modum suum, & actiuitatem, & sic operantur miranda, quæ hominum operationem exuperant. Primò, quia noua, & inusitata sunt hominibus. Secundò, quia modus operandi eis occultus. Tertiò, quia dæmones nouerunt virtutes occultas rerum, latentes in quibusdam rebus, putà aquis, succis, gemmis, lapidibus, herbis, lignis, & animalibus, quin imò in ipso hominis corpore operum admirabilium effectrices, & accommodata nouerunt applicãdi tempora. Quartò. Sicut homines variè, temperando, & modificando res naturales, possunt effectus naturales producere, quos per se naturales causæ nunquam produxissent, vt patet in distillationibus aquarum, in arborum incisionibus, in ciborum condimentis, in pharmacorum confectionibus: ita dæmones, qui artificiores sunt hominibus, solertiæ, & artificij, ac confectionum vix est quod ignorent, propter assiduam experientiam, & obseruationem eorum, quæ Angeli, & homines ab initio mũdi patrarunt, sic aptè concinnari, & componere ac miscere possunt causas naturales, vt effectus mirabiliores producant: quos causæ illæ naturales nunquam per se produxissent. Ac denique, quia vt ait D. Tho. 3. contra Gentes, ca. 103. cum Angeli, vel dæmones vtuntur causis naturalibus ad aliquos producendos effectus, vtuntur eis tanquam instrumentis: ex instrumento autem procedit effectus, non tantùm eius virtuti respondens, sed multò etiam præstantior, & perfectior, respondens, scilicet, virtuti principalis agentis, à quo instrumẽtum mouetur ad operandum: quemadmodum securis non tantùm secat, sed etiam facit lectum, vel mensam, vel hominis statuam, vt est instrumentum hominis ex arte operantis, & calor naturalis, qui est in semine, vel in animali, non solùm calefacit, & rarefacit, ac segregat; sed etiam generat sanguinem, carnes, & ossa in virtute animæ, vel animalis, cuius est instrumentum. Simili ratione, causæ naturales interdum producunt effectus præstantiores suis ipsarum virtutibus; ex eo quod sunt instrumenta Angelorum, vel dæmonum, à quibus mouentur, & reguntur.

D. Thom.

DISPVTATIO IIII.

Quæ non possunt Angeli, & dæmones, neque magi, eorum ope, efficere?

IAM in primis hoc iaciendum est fundamentum ad quæstionem decidendam apprimè necessarium; neque Angelos, neque spiritus, neque magos posse ordinem naturæ, aut leges vniuersi, quas Deus ad gubernationem orbis fixit, inuertere, aut immutare; siue sermo sit de potestate per motum localem (quæ est actio immediata dæmonis) siue de applicatione actiuorum, & passiuorum per alterationem, aut corruptionem, generationémve, quæ sunt eius actiones mediatæ. Itaque non possunt quidquam quod naturam superet, & proinde non valent efficere aliquid, quo ordo, aut lex gubernationis vniuersi immutetur: hæc enim potestas solius Dei est, vt causæ principalis, & earum creaturarum, quibus Deus vt instrumentis, eam communicat per donum miraculorum patrandorum. Hæc assertio

sertio est contra veteres Poëtas, qui inducunt magos minitantes se totum naturæ ordinem subuertere posse: sed iactantia superba, & sine fundamento. Nostra verò assertio approbatur à tota Theologorum Schola, præcipuè à Diuo August. libr. 3. de Trinitate, & à Diuo Tho. lib. 3. contra Gentes, cap. 102. & quæst. 16. de malo. art. 9. ad 2. & probatur ex Apostolo ad Hebræos 2. *Non subiecit Deus Angelis orbem terræ futurum.* Sic interpretatur D. Chrysostomus, Theophil. & Diuus Thomas, quos sequitur Ribera, quamuis alij de nouo mundo dicãt testimonium esse intelligendum. Sed melius probatur ratione, quia pars neque inclinationem, neq; potestatem habere debet ad subuertendum totum: pars enim propter totum est. Ex præfata assertione quamplura deducuntur. Primum. Non poterunt dæmones cœlorum, aut syderum motus sistere, neque eorum cursus retro agere, vel mutare, aut velocius quàm modò mouere. Probatur, quia esset ordinem à Deo præstitum orbi inuertere. Quapropter illam magorũ iactantiam minitantium se Lunam posse à cœlo deturbare: inane delirium iudicato. Si fabulis delectaris, poteris videre non illepidam de Arcadibus putantibus, dum Luna ecclipsaretur esse epotam ab asino, apud Ludouicum Viues commentarijs, super 10. lib. de Ciuitate, cap. 4.

T *D. Tho. August.* *Hebr. 2.* *Chrysost. Theophila. Ribera.* *Vines.*

Secundum. Non valent dæmones, neq; Angeli integrum elementum de suo loco naturali ad alium transferre, neque partes, quibus integratur Mundus, auferre, aut ex suo exturbare loco: quia esset ordinem vniuersi immutare. Dubitas forte, an hæc non possint, quia carent ad id efficiendum virtute motiua? an verò quia à Deo prohibentur, ne destruatur orbis? D. Thom. conformior prior dubitationis pars: nam in quæst. de malo, vbi supra ait, quod idem est naturalis motus totius, & partis, non tamen eadem vis sufficit ad mouendum totum, quæ mouet partem. Vnde licèt dæmones possint mouere aliquam partem terræ, non sequitur, quod possint mouere totam terram, quia hoc non est proportionatum potentiæ ipsorum, vt mutent ordinem elementorum mundi. Hinc poteris colligere motiuam potentiã Angeli, nõ solùm respicere molis quãtitatẽ, sed potius inclinationẽ rei mouendæ.

Tertium. Non poterũt vacuũ producere, neq; in tota aëris regione, neq; in minimo spatio: quia ordo vniuersi, quod oportet esse contiguum lationibus superioribus de-

A strueretur. Quartum. Neque corpus de extremo ad extremum transferre non transito medio, neque in instanti mouere, neq; corpus longe à se distãs, putà Angelus existẽs in Oriente, non poterit mouere corpus in Occidente extans, quia positio hæc extra suæ actiuitatis sphæram continetur, neque quantalibet celeritate mouere, quia vis motiua dæmonibus limitata est certis limitib⁹, & licèt attenta sua naturali virtute, possent animas separatas localiter quo vellent deferre, tamen à Deo prohibentur.

Quintum. Non possunt aliquid ex nihilo producere, neque annihilare, quia hoc solius Dei omnipotentiæ reseruatur. Sextum. B Dæmones, aut magi non valent per localem motum immediatè producere aliquam formam substantialem, siue accidentalem, nec magis corpoream, & permanentem. Dixi, corpoream, quia aliquod lumen intelligibile possunt communicare. Dixi, permanentem, quia fortè aliquam formam accidentalem debilis entitatis cum motu locali citò interituræ, & ad eum sequutæ, poterunt subiecto motabili imprimere. Ex assertione sequitur, non posse producere equos, boues, aut alia animalia perfecta: quia hæc nisi à generante eiusdem speciei, produci non valent. Sequitur etiam non posse carnem, sanguinem, ossa, & huiusmodi partes integrales viuentium efficere, quia à principio viuenti vitæ alicuius generis, prodire ne necesse est. Probatur nostra assertio ratione D. Thomæ. 1. p. q. 110. art. 2. omne quod fit à sibi simile fit, sed compositum est id, quod fit, non forma: ergo nequit aliquid corporale fieri nisi ab agente composito ex materia, & forma (cuius compositionis dæmones expertes sunt), aut ab eo, qui eminenter continet formam, & materiam, qualis est solus Deus. Sic igitur omnis informatio materiæ, vel est à Deo immediatè, D vel ab aliquo agente corporali: non autem immediatè ab Angelo. De hac re D. Tho. 3. contra Gentes, cap. 103. & q. de dæmonib. art. 9. & alibi sæpe: nec possunt exercere opera vere vitalia, vt loqui, comedere, audire, quia hæc necessariò sunt à principio vitali intrinseco. D. Thom. 1. part. q. 51. articulo 3.

C *D. Thom.* *D. Thom.*

Septimum. Neq; ex qualibet re naturali possunt facere quãlibet, quia non possunt, vt dicebamus immediatè formã introducere, vt autẽ mediatè possint, necessariũ est aptas dispositiones agentium, & patientium naturalium præcedere: nulla verò res est,

quæ capax ſit omnium diſpoſitionum requiſitarum ad ſingulas formas.

His modò dictis proximè accedit octauum aſſertum. Nequeunt dæmones, neque magi eorum ope, corpora perfectæ alicuius ſpeciei in aliâ ſpeciem transformare. Dixi, perfectæ ſpeciei, quia ſicut naturaliter fortè fieri poteſt, vt animalia quædã imperfecta in alia tranſmutentur, de quo Ariſtot. libro 5. Hiſtor. animal. capite 19. & Plinius libro 11. naturalis hiſtoriæ capite 22. ita dæmones applicatione cauſarum naturalium poſſent efficere. Probatur aſſertum ex Auguſt. libro 18. de Ciuitate, capite 18. & de ſpiritu, & litera capite 28. Quod dupliciter poteſt intelligi. Primo modo, vt ex anima, & corpore vnius animalis fiat alterius ſpeciei animal: verbi gratia ex equo elephantus. Secundo modo, vt ex homine, aut equo fiat canis, aut lapis, per hoc quod forma præcedentis compoſiti informet corpus pertinens ad indiuiduum alterius ſpeciei. Vterque modus naturæ impoſsibilis, prior impoſsibilior: maxime ſi ex homine eſſet efficienda bellua, aliàs anima rationalis corrumperetur, neque immortalis eſſet: res aliena non ſolùm ab orthodoxa fide, verum & lumini rationis diſſona. Item, quia hoc eſſet fingere tranſubſtantiationem quandam in rebus, dum vna in alteram conuerteretur: quod (præterquam in Euchariſtia virtute diuina) non admittunt ſapientes ſcientia ſeculari; neque orthodoxus quiſpiam. Secundi autem modi impoſsibilitas oſtenditur; quia quælibet forma ſubſtantialis, vt ſuum eſſe tribuat informando, requirit peculiares, & ſibi conuenientes diſpoſitiones, & organizationem corporis propriam: eſt enim actus corporis phyſici organici (Ariſto. 2. de Anima) ergo neque anima humana corpus ferinum, vel ferina humanum informare poterit ſecundũ naturæ ordinẽ. Quod ſi obijcias Nabuchodonoſorem conuerſum in bouem, Danielis 4. & vxorem Loth in ſtatuam ſalis, reſponſio in promptu eſt, id factum eſſe diuina virtute; nos de virtute naturali dæmonum oppoſitum aſſeueramus. Mitto modò, quod multi ex Patribus negant eum Regem formam bouis accepiſſe, imò neque effigiem bouinam; ſed dum taxat ita eſſe mente alienatum, vt ſe bouẽ crederet. Alij fortè probabilius vt Gregorius lib. 5. Moral cap. 8. affectiones illius Regis in bouis temperamentum commutatas, figuram etiam humanam quodam modo in bouinam degeneraſſe, ſenſuſque internos ſimiles brutorum ſenſibus. Vnde factum eſt, vt inſtar quadrupedis incideret, & fœno veſceretur, & homines fugeret, & in deſerto moraretur. Diuina vero virtute factum eſt ſub tali temperamento, & habitudine corporis, rationalem animam perſeuerare, vt pœnitendo reſipiſceret. Conuerſionem autem vxoris Loth factam fuiſſe per Angelos malos, ex Dei iuſſione, & virtute diuina, non diſplicet D. Tho. de malo q. 16. ar. 9. ad 3. vbi negat dæmones poſſe propria virtute corpora vnius ſpeciei in aliam transformare: non poſſunt etiam dæmones quantitatem corporum ſic mutare, vt penetratio partium ſequatur. Prob. ex doctrina Philoſophi, & D. Tho. dicentium ſecundum naturæ ordinem non poſſe eſſe partium, aut corporalium dimenſionum penetrationem. Hinc fit vt nequeat dæmon facere, vt ſtriges in forma cati, aut muſtellæ per rimulam, & multo minus foribus clauſis ingrediantur cameram, vt ipſæ mentiuntur: & propter eandem rationem puto non poſſe dæmones duo corpora ponere in eodem loco. Nõ poſſunt dæmones facere, vt homo reſurgat, & multò minus cætera quæcumq; viuentia, & non viuentia, ſi ſemel corrũpantur. Prob. Id dicitur reſurgere quod idẽ numero tam ſecundum formam quã ſecundũ materiam iterum reproducitur: at hoc non poteſt fieri facultate virtutis creatæ, quia vt ait Ariſt. à priuatione ad habitũ non eſt poſſibilis regreſſus, 5. phyſicor. & 2. de generatione: ergo. Prob. & declaratur minor, nam quando moriũtur bruta, animæ eorum moriuntur, & totaliter deſinunt eſſe, quando etiã non viuentia corrumpuntur, eorũ forma deſinit eſſe: ergo cũ natura non poſsit reparare idẽ numero, non poterit facere, vt forma amiſſa, aliud corpus, vel præcedens informet, quod informauerat, quia quod non eſt nihil poterit operari.

De homine verò poterat magis dubitari, quia eius natura propinquior eſt reſurrectioni, propter animæ immortalitatẽ, & incorruptibilitatem. Sed probatur, dæmones, aut Angelos id non poſſe: tũ quia naturæ viribus nõ conceditur regreſſus à priuatione ad habitũ: tũ quia anima humana ſeparata ſemel à corpore, vel informabit corpus, quod antea habitauerat, vel aliud: neutrũ poſsibile eſt per naturæ vires: etenim modus naturalis vniendi animã corpori, ne ceſſariò debet fieri per generationẽ corporis animæq; creationẽ, aut infuſionẽ. Corpus

Ariſtot. Plinius. *Auguſt.* *Ariſt.* *Daniel. 4.* *Gregor.* *D. Tho.* *Ariſt.*

pus autem vt adaptetur animæ semel sepa-
ratæ, neutiquam naturaliter generari posſi-
bile est; quia absunt disposiciones, scilicet,
conuenienstemperamentum, calor natura-
lis, ac viuificus, spiritus animales, & natura-
les, verus atque humanus sanguis. Has por-
rò atque alias res (sine quibus corpus huma-
nũ animæ rationalis capax esse nõ potest)
nõ potest dæmõ, neque vlla naturalis causa
præstare corpori humano, cum carũ rerũ na
turalis, & propria causa sit, primò quidẽ, na-
turalis virtus seminalis, & formatrix huma-
ni corporis, postea verò naturalis virtus ani
mæ sensitiuæ, & vegetatiuæ, quę cum ab ani
ma sint, non possunt eam reunire volente
dæmone. Ex his infertur, resurrectiones
mortuorum, quæ à magis factæ narrantur:
vel esse fabulosas, vel tantùm simulate atq;
in specie esse factas à dæmonibus. Obij-
ciũt nobis, naturaliter muscas submersas re-
uiuiscere si in cineribus tepidis ponantur,
apes si succo nepetæ perfundantur, pelli-
canum pullos mortuos proprio sanguine ad
vitam restituere, leunculos quoq; mortuos
voce, & spiritu parentum vita donari: ergo
& opera dæmonum, qui possunt quidquid
causæ naturales, poterunt animalia resurge-
re. Respondetur. Etto esset verum corpora
brutorum mortuorum posse viuificari, non
proprie dicerentur resurgere, quia alia dis-
tincta informarentur forma: & sic nõ essent
eadem animalia. Ad rigurosam verò resur-
rectionem necesse est, vt idem numero viuens, quod mortuum fuerat, viuificetur. Se-
cũdò resp. animalia perfecta vita functa ne-
que etiam posse sub diuersa forma, & in eo-
dem corpore viuificari: quia cùm hæc viui
ficatio fieri debeat per generationem viuẽ-
tis perfecti: nisi mediantibus dispositioni-
bus ab eodem viuente effectis, (quod non
potest fieri in corpore corrupto) nequibit
effectus produci. Quare si quando talia ani-
malia videntur aliquando reuiuiscere: pe-
nitus mortua non fuêre, sed mortuis simi-
lia. Sicut quædam animalia, quæ certis anni
temporibus quasi mortua iacent, & postea
in initio veris excitantur, & quasi reuiuis-
cere apparent, vt accidit glîribus, vrsis, &
passeri vitulino, apud Mexicum. At verò
animalia, quæ ex putrefactione nascuntur,
cùm vitam amiserunt, poterunt à dæmõ-
ne viuificari, naturalibus remedijs adhibi-
tis, ipse enim nouit calorem, & dispositiones ad hoc requisitas congerere quæ cũ
paucæ sint, & sine agente proximo indu-
ci possint virtute cœlorum, non mirum

A vt corpus præmortuum de nouo informetur. Sed tamen proprie non erit idem animal mortuum, & viuificatum, quia licèt materia fortasse possit esse eadem, si nõ-
dum corrupta totaliter erat: tamen anima, quæ ex eius potentia denuo educetur, non erit eadem numero cum ea quæ corruptâ fuerat & desierat esse. Maneat ergo certum dæmones non posse facere, vt homines aut alia animalia resurgant, quia hoc soli potentiæ Dei reseruatur. Sed dubitas, an dæ-
mones possint animas separatas loco moue re etiam coactas? Respondetur affirmati-
uè, si sermo sit de potestate naturali, tamen
B secundùm legem à Deo statutam hoc eis
nõ permittitur, quia in animas sanctas non habent potestatem, quod de cœlestibus est clarum, & certum de animabus purgatorij: decretum enim diuinum est, vt inde non exeant donec soluant, & tunc rectè tendant in cœlum; quod si fortè aliquando aliqua illarum inde permittitur exire, fit ex speciali Dei dispensatione sine adiutorio dæmonum: animæ verò inferni ita ibi alligatę sunt, vt nec sua, nec dæmonum voluntate inde exire valeant, propter Dei decretum eas ibi puniendas destinans: cuius nõ mediocre testimonium perhibet diuitis epulonis exẽplum Lucæ 16. Ex dictis infero falsum esse quod ait Iustinus Dialogo cum Triphone de potestate dæmonum reuocandi animas etiam iustorum.

C Vltimò nequeunt aliquam formam substantialem etiam præuijs dispositionibus in instanti producere: quia applicatio præuiarum dispositionum, cum per motum localem fiat, à dæmone nequit fieri in instanti, nec etiam possunt quantumuis paruo tempore, aut mora æquali quidquid volunt perficere: nam causæ naturales quarum actione mediante has formas producunt, plus temporis ad vnam
D rem producendam, quàm ad aliam requirunt secundùm plures, aut perfectiores dispositiones vnius rei, quàm alterius. Hinc fit, vt vermes, locustas, mures, & huiusmodi insecta, producere possunt: tum sine actione causarum naturalium particularium: tum in parua mora, eo quod dispositiones ad huiusmodi animalia imperfecta facilè coagulantur, & parua consumpta mora: tum quia naturaliter producuntur sine causarum naturalium efficientium concursu. Vnde quando dæmones ea efficiunt, ad eos tantùm spectat dispositiones procurare, & quia paucę sunt,

in parua temporis mora congregantur. A Cætera verò viuentia perfecta nequeunt producere, etiam mediantibus causis proximis naturalibus, nisi in tempore congruẽti, vt gignantur, & multo minus in statu perfecto: verbi gratia, ad generandũ equos medio semine equino, indigent non modica temporis mora, & multo maiore, vt producant robustos equos. Denique non possunt immediatè efficere, vt causæ naturales applicatæ sufficienter ad agendum, non agant: hoc enim solius Dei est, & eorum qui virtute diuina id efficiunt: possunt tamen mediante motu locali alterius causę: B v. g. si adamantem adhibeas, impedietur magnes ne ferrum trahat.

DISPVTATIO V.

An effectus isti mirandi, quos dæmones, & magos posse producere diximus, veri sint, an dumtaxat apparentes?

ANTE primò pro tituli elucidatione aduertendũ, in dubium nõ verti, an aliquid dęmones possint efficere, aut per localem motum, aut alias mutationes ad eum consequentes. Etenim si eas operationes verè possunt efficere vt posse definimus, & easdem ad terminum verum seu obiectum terminare necesse est. Sed dubitatio est an hi effectus tales sint, quales appareant sensibus intuentium: & gratia exempli ante oculos ponamus, actionem præstigiosam, qua dæmones D. Antonium nitebantur decipere, in specie blandientium fœminarum; simulachra illa muliebria, vera simulachra erant, verè D immutabant visum, veri effectus erãt actionum, seu motus localis dæmonum, quo ea depingebant: sed tamen apparebant esse verę fœminæ, cũ tamen essent tantùm illarum imagines inanes, & spectra decipientia oculos videntium. Sensus ergo dubitationis est, an omnia opera magorum, & dæmonũ, sint fucata, & deceptoria, oculos & sensus percipientium fallentia: ita vt aliud essent, & aliud apparerent? an verò aliqua essent, & talia qualia apparebant?

Disputatio hæc deciditur, dicendo: aliquos dæmonum effectus veros esse, nõ sensus decipientes, quales sunt apparentes; aliquos verò fucatos, præstigiosos, ac decep- torios, qui vnum sunt, aliud apparent. Prima pars assertionis ex capite 13. Deuteronomij colligitur, vbi Deus prædixit Hebræis futuros Pseudo-Prophetas, qui prædicerent futurum aliquod portentum, idque ita euenire, vt ab eis fuerat prænuntiatum: & Iustinus martyr in responsione ad quæstiones orthodoxorum de Apollonio Tyanæo affirmat quædã admirabilia vera fecisse, vt maris impetus, ferarũ incursiones, &c. Et D. August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 7. & 8. & lib. 83. quæstionum q. 79. expresse asserit magos facere posse, & fecisse multa admiranda opera, explicans illud Matth. 24. *Surgent Pseudo-Christi, & Pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et sequitur illum D. Thom. super istum D. Matthæi locum; & clarissimè 1. p. q. 114. art. 4. sic ait. *Sciendum tamen est, quod licèt eiusmodi opera dæmonum* (narrauerat aliqua quæ naturę humanæ facultatem excedunt) *quæ nobis videntur miracula ad veram rationem miraculi non pertingãt: sunt tamen quandoque res veræ, sicut magi Pharaonis per virtutem dæmonum veros serpentes, & ranas fecerunt; & quando ignis de cœlo cecidit, & familiam Iob vna cum gregibus pecorum vno impetu consumpsit, & turbo domum eijciens filios eius occidit: ea fuerunt opera Sathanæ non sanè phantastica, sed vera, vt docet D. Augustin. de ciuitate Dei.* Hæc D. Thom. Secundò ratione probatur, quia vt supra docuimus dæmones sæpe admiranda operantur, applicando actiua passiuis rerum naturalium: at certum est causas naturales si inuicem agant, & patiantur, effectus veros producere: ergo id ipsum dicendum est de dęmonibus, & magis operãtibus ministerio earundem causarum naturalium. Tertiò, quia aliquando reperti sunt artifices excellentes, qui opera miranda fecerunt, quæ rapiebant videntes in admirationẽ: ergo dæmones, & magi per eos multò mirabiliora possunt efficere; vtpote qui arte, ingenio, & experientia lõge superant artificiosissimos quosque homines. Antece dens palã fiet in Archimede Syracusano, mirabili artifice, qui ingentẽ nauẽ onerariã quã plurima hominũ turba magnis enisibus vix mouere poterat, hominibus insuper multis, magna sarcina & ingentibus ponderibus impositis, procul assidẽs, & quieta impellens manu, vi quadam cuiusdã machinæ ab Archimede compositæ, quasi tranquillo mari prolaberetur, ad se adduxit; & plures

Dent. 13.

Iust. mart.

August.

Matth. 24.

D. Thom.

plures alias machinas bellicas, quæ horrorem, & admirationem incutiebant, legitur
Plutarch. feciſſe. Ita Plutarchus in Marcello. Non minus mirabile opus fuit columba lignea facta ab Archita Pythagorico, vt refert Au-
Gellius. lus Gellius lib. 1. cap. 12. quæ ſic erat libramentis ſuſpenſa, & aëre certo quodam modo intus occultè incluſo, vt per aërem volitaret, ac ſi viua columba eſſet. Secunda pars aſſertionis perſpicua erit recolenti ea, quæ diximus miranda feciſſe Simonem Magum, quorum pleraque vana, & fucata erant, vt patet ex his, quæ diximus in diſputatione præcedenti, ſuperare facultatem dæmoniorum. Et de Apollonio Tyanæo Phi-
Philoſt. loſtratus in vita eius multa opera narrat ſtupenda, ſed ferè omnia præſtigioſa, & dumtaxat apparentia. Sed an ea miranda opera, quæ Magi Pharaonis fecêre conantes reſiſtere Moyſi, fuerint veri effectus, putà veri dracones, verus ſanguis, &c. an verò tantùm præſtigioſi, & apparentes? vetus, & li-
Auguſt. D. Thom. tigioſa quæſtio eſt. Ego libens amplector ſententiam Auguſt. li. 7. de Trinit. c. 7. & 8. & lib. 83. q. 79. D. Th. ſup. 24. cap. Matth. & 1. p. q. 114. a. 4. eos eſſe veros effectus, veros dracones, verum ſanguinem, &c. eandem
Caietanus. ſententiam ſequuntur moderni: videndus Caietan. Exod. 7. & nos alio properemus.

Secundò dico. Vt plurimum opera mirabilia Magorum, ac dæmonum, fucata, & apparentia dumtaxat ſunt. Ratio eſt, quia aliquando eos effectus veros producere nõ valent, vt pote omnipotentiæ Dei reſeruatos: v. g. ſuſcitare animas mortuorum; & vt occultent ſuam potentiam recurrunt ad deceptionem, & faciunt quædam præſtigioſa, quæ apparent pertinere ad mortuorum reſurrectiones: aliquãdoverò etſi aliquos poſſunt effectus veros producere, attẽta ſua naturali virtute, Deus non ſinit eos ea vti: & ſi Deus ſinat, ipſi nolunt veros producere, cõtenti apparentibus. Tum quia facilius fiunt per motum localem, nullis quæſitis virtutibus, & diſpoſitionibus cauſarum naturaliũ: tum quia amatores ſunt deceptionum, & ſi decipere valent ſimulachris, non largiuntur vera bona: ſi ſpectro ad Venerẽ alliciũt, non dant facultatem ad naturalem concubitum. Quo fit, vt quando dubitatur, an effectus ſit verus, an verò præſtigioſus, coniectura non leuis ſumatur ex prædictis, præſtigioſum eſſe: quando autem verum eſt, & certum, effectum vires dæmoniacas excedere: etiam valdè perſpicuum eſt præſtigioſum eſſe. Quando autem eas vires excedat habes ex dictis in præcedenti diſputatione.

Sed antequam ab hac diſputatione recedamus decidenda ſunt quædam dubiola ad idem pertinentia. Primum de effectibus mirandis, quæ Exodi capite ſeptimo narrantur facti à magis, ſcilicet virtute dæmonis virgas conuerſas in dracones, aquam in ſanguinem, ranas, &c. an fuerint illi effectus veri? an verò præſtigioſi, & dumtaxat apparentes? Duas oppoſitas ſententias reperio habentes ſingulæ illuſtres, & antiquos patronos, quos enumerat Benedictus Pererius ſuper dictum caput quæſtione 9. & 10. plauſibilior eſt Diui Auguſtini, & Diui Thomæ, vbi ſupra, aſſerentium fuiſſe veros dracones, verum ſanguinem, veras ranas: nec diſplicent Lyranus, & Abulenſis dicentes, eos dracones non eſſe arte magica repẽtè factos, ſed ope dæmonũ occultè è montibus allatos, vbi gradiebantur. *Exod. 7.* *Lyra.* *Abulenſ.*

Secundum dubium eſt, & celebre, de lamijs, Hiſpanè *Bruxas*, quæ dicuntur ferri à dæmone per aëra ad loca valde diſtantia: an hoc verè contingat? an ſolùm per phãtaſiæ illuſionem? Poſtremũ aſſerunt ferè omnes Iuris Canonici periti: fundantur in c. *Epiſcopi*, 26. q. 5. & in experientijs multis, quæ referuntur, quales ſunt relatæ ab Abul. in c. 13 Geneſ. q. 354. & Caietano infra quæſt. 95. articulo 3. de quibuſdam fœminis maleficis, quæ dicebant media quadam vnctione ferri ad loca valde diſtantia, in quibus ſimul cum alijs tripudijs, & choreis vacanter, omnis voluptatis genere perfrui: & tamen ad ſumendam experientiam ſe ſe coram alijs vnxerunt, & ſtatim graui ſopore correptæ in eodem loco iacuerunt, & poſtea ad ſe reuerſæ narrabant ad quæ loca, & conuiuia perductæ fuerint: vnde conuictæ ſunt non in re, ſed ſola illuſione phantaſiæ ea omnia illis accidiſſe. *Abulen.* *Caietanus.*

Secunda ſententia affirmat, has maleficas verè deferri ad loca diſtantia, & ibi multa turpia, & ſacrilega cum alijs, & cum ipſis dæmonibus in forma viſibili, interdum humana, interdum hircina, & ſimilibus, committere. Hæc eſt communis ſententia Iuris peritorum, ac Theologorum, vt ait Peña in Directo. commẽt. 68. eamq; ita tenaciter affirmat Abulenſis quæſt. 47. in cap. quartum Matth. vt dicat non poſſe ſine impudentia negari, cùm mille teſtes occurrant, qui harum rerum conſcij ſunt. Idem latè Sprengerus in Malleo, & Caſtro libro 1. de iuſta Hæreticorum punitione. cap. 16. & Paulus Grillandus de ſortilegijs, *Peña.* *Abulenſ.* *Sprenger.* *Caſtro.* *Grilland.*

quęſtione 7. & alij multi. De his item Iamijs dicitur ſæpe accidiſſe, vt in illis conuenticulis ad quę deferuntur, vt nonnullæ aliqua occaſione pauore affectæ, vel nomen Ieſu proferant, vel ſignu Crucis ſe muniant; & ſtatim congregatio diſſoluatur, & omnes diſpareant, ac dæmones fugiant, & ſolæ maneāt quæ ſigno ſacro vſæ ſunt, & eo in loco in quo eſſe putabant, ſe inueniant, ac peditesnon ſine anguſtia domum redire cogātur. De qua re multa Spreng. & Petrus Binsfeldus li. de confeſsione maleficorum prælud. 10. *Binsfeldus*

Exiſtimo iuxta vtramque ſententiam, ſæpe accidiſſe vt experientiæ allatæ teſtantur; & ad caput Epiſcopi allatum pro prima ſententia, conceſſo illud eſſe ſatis authenticum (quod quidam inficiantur) reſpondetur, quæ in illo capite dicuntur non eſſe generaliter accipienda, ſed applicanda ad eum dumtaxat caſum & materiam, de qua ibi erat ſermo: ſcilicet, de quibuſdā fœminis, quæ credebant eſſe aliquam Deam Dianam, quæ veram poteſtatem, & dominatum haberet, cuius virtute interdum per aëra equitando ferrentur, & ad illius obſequium, & ſeruitium vocarentur, cui etiam obediendum vt Deæ eſſe credebant. Itē quod de Herodiade illa cogitabant tanquam de fœmina, quæ reſurrexerat, & per aëra æquitaret omninò erroneum erat. Sic ergo in illa narratione multi errores includebantur; quod ſatis colligitur ex illis verbis textus: *Innumera multitudo hæc vera eſſe credunt, & credendo à recta fide deuiant: & errore Paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis, aut numinis extra vnum Deum arbitrantur*, & cætera videnda omninò: & ita huiuſmodi credulitas in illa materia ibi magis damnatur, quàm opus faciendi maleficia ex pacto cum dæmonibus, quamuis hoc etiam valde damnabile ſit. Sic interpretantur illum textum Doctores communiter, præcipuè Turrecremata ibi articulo 3. & Abulenſ. ſupra ad primum, & Sylueſt. verbo, *Hæreſis* 3. latè, & latius in opuſculo de ſtrigimag. Dæmon. quę mirandis, libro 2. capite 1. qui non ſine delectatione cupientis curioſa poterit videri. *Turrecr.* *Abulenſ.* *Sylueſt.*

DISPVTATIO VI.

De modo quo effectus quidam dæmoniaci dumtaxat apparentes veri appareant.

DIſputatio hæc nimis ſubtilis valde proficiet pro cognitione apparitionum, reuelationum; & cætera, maximè quæ à dæmonibus efficiuntur: & ideò detecturus inimici antiqui fraudes, quibus conatur homines deludere falſa pro veris oſtendendo; animaduerto huiuſcemodi præſtigia, deceptiones ſeu errores (hæc enim omnia pro eodē in præſentiarum vſurpo) poſſe circa ſenſus externos, & internos, & circa intellectum, & quodam modo voluntatem euenire.

De deceptione circa ſenſus externos?

DEceptio circa ſenſus externos (quæ proprie præſtigium appellatur) accidere poteſt ex parte obiecti, ex parte medij, & organi. Ponamus exemplum in potentia viſiua, quæ plures deceptionis modos patitur: ex parte obiecti decipit diabolus dupliciter, vel efformando nouum obiectum, quod vnum, cùm aliud appareat; vel iam efformatum variè collocando, aut mouendo, obiectum, inquam de nouo formando ex aëre, aut alio elemento, & illud oculis obijciendo: ſiue dæmones illud corpus phantaſticum aſſumant, ſiue illud circumponant alteri rei, vt aliter quàm res eſt appareat. Ad hunc modum deludere ſolet ac delusit ſæpe homines Verſipellis, vt teſtatur Auguſt. libro 18. de Ciuitate Dei capite 18. quando oſtendit ſocios Vliſis magica arte Circis mutatos in beſtias, & Arcades quando traſnatabant quoddam ſtagnum, conuerſos fuiſſe in lupos: & quod ſtabulariæ mulieres homines in iumenta conuertebant, & reſpondet D. Thom. quæſt. 16. de malo, articulo 9. ad 2. ex eodem Auguſt. omnes præfatas conuerſiones factas fuiſſe ſecundum phantaſticam apparitionē dęmoniorum: & aliquando Diuo Antonio, & alijs, in forma horribili Leonum, Serpentum, & aliarum ferarum, ei dæmones apparuiſſe legitur, vt terrerent. Aliquando in ſpecie *D. Tho.*

ſpecie pulchetrimæ mulieris, vt ad venerea allicerent, interdum oculis obijcierunt varias formas rerum inanimatarum, vt auri, argenti, gemmarum, vini, epularum. Extat huius effictionis, ſeu apparitionis famoſa narratio apud Philoſtratum lib. 4. de vita Apollonij, cap. 5. de quadam lamia, quæ Menippo iuueni, cui per pulchra effigie apparens, nubere ſe velle ſimulabat, ac plurimas opes, & pretioſa ornamenta, magnamque vini, & epularum copiam oſtentabat. At Apollonius miſeratus iuuenem, omnes eas res docuit eſſe inania ſimulachra, & imagines dumtaxat earum rerum, quas repræſentabant: quo dicto, totus ille apparatus ex omnium oculis euanuit, & vetula illa ſe eſſe lamiam confeſſa eſt. Hæc autem omnia, & ſimilia per ſolum localem motum poſſe effigiari probatur. Quia cuiuſuis rei corporalis ſimilitudo in figura, & colore conſiſtit, ſed hæc per ſolum localem motum fieri poſſunt: ergo & huiuſmodi imagines rerum, quibus dæmon decipere conatur homines, vt putent eſſe eas res, quas repræſentant. Minor probatur. Quia ſtatuarios per ſolum motum localem efficere figuram; imò ipſam, niſi per localem motum, addendo, ſubtrahendo, mutando, aut diſponendo, fieri non poſſe, certum eſt. Pictores itidem per ſolum localem motum colores admouendo res ita depingunt, vt interdum veræ, & naturales videantur, ſicut tradidit Plinius lib. 35. cap. 10. de vuis ita artificioſe à Zeuxide pictis perfectèque, ita naturales vuas repræſentantibus; vt ad earum eſum aues conuolarent. Quid non ad viuum repræſentauit dæmon, Zeuxide, & omnibus pictoribus, aut ſtatuarijs dexterior artifex? Maximè, quia condenſatione, & rarefactione poſſunt omne corpus figurare, & colorare, vt in nubibus experimur, & de alijs apparitionibus per hunc modum iudicandum eſt. Ex qua verò materia eiuſmodi ſimulachra fiant, communiter aſſerunt Theologi non ex terra, maximè quando dæmon vult ſtatim, aut citò euaneſcere: neque ex aqua, propter eandem rationem, neque ex igne, ne tangentes comburantur: ſed ex aëre, cuius ſignum eſt illud quod ſuperius latè dixi, nonnullos huiuſmodi ſpectra gladio ſecare, aut trũcare adnixos, nõ valuiſſe: quia partes aëris diuiſi ſtatim continuantur. Aëris tamen nomine omnem vaporem quantumcunque groſſum, & terreum intelligimus, maximè quando dæmones ſe exhibẽt incubos, aut ſuccubos, aëris tamen natura ſeruata, quod ibi faciunt dæmones ad alicuius rei proprietates ſignandas ſiue hominis, ſiue equi, vel huiuſmodi: dicuntur illa corpora ab eis aſſumpta, in quibus ſunt nõ vt animæ vegetantes, & viuificantes, ſed vt motores, inſtar nautæ in naui. Aliàs verò vbi talia corpora non ipſi effingunt ad aliquod ſignandum, ſed efficta à Deo vel à natura mouent; velut arrepticiorum membra non aſſumpta eiuſmodi corpora, ſed occupata dici conſueuêre: at iſto modo etiam decipiunt ſenſus externos, circumponendo aliquod corpus phantaſticũ corporivero, vt occultetur, aut alterius figuræ, & ſpeciei appareat eſſe quam eſt. Hæc dicta ſint ad oſtendendum aliquot mira, quæ à dęmonibus immediatè per motum localem fiunt, ex quibus non erit difficile in alijs quamplurimis diſcurrere, aut philoſophari.

Philoſtrat.

Plinius.

Interdum autem nullum ſimulachrum effingũt de nouo, ſed obiecto ſenſibili aliàs efformato variè motò, varias dæmones inducunt deceptiones: v.g. obiectorum ſenſibiliũ celeri agitatione, ſubita occultatione, varia collocatione, ſeparatione, vel conglutinatione latente, vt faciunt circulatores (Hiſpanè, *jugadores de paſſapaſſa*, Italicè, *Ceretani*) varijs ligaminibus, ſciphulis, globulis, &c. Aliquando per artem perſpectiuę certa quadam diſpoſitione obiecti in ordine ad oculum videntis. Si enim perſpectiuæ dediti homines, efficiunt, vt lineæ in tabula longa confuſo ordine ductæ, ſi è directo aſpiciantur lineæ rudes videntur & ſunt, ſi tamẽ aſpicis per foramẽ, aut tabula rotata ſpeciem reddunt alicuius artificioſæ imaginis, cur non hæc, & mirabiliora efficiet dæmon in omni arte peritiſsimus?

Ex parte medij aëris multi etiam deceptiones dæmoniacæ contingunt. Primò. Si dæmones impediant ne ſpecies ad oculum, vel ad alium ſenſum deferantur, quod non erit difficile, ſi inter ſenſum, & obiectum aliquod impeditiuum ſpecierum inijciant, & ſic totum obiectum, vel partem occultent. Secundò. Si medium aliqua qualitate afficiant, qua ſpecies per medium tranſeuntes, ſic afficiantur, vt obiectum non quale eſt repræſentent. Iſto modo velum nigrum, cuius ſpecies per feneſtellam vitream viridem tranſeunt viride apparet. Tertiò. Si medium circa ipſum obiectum ſpicetur res viſa aliter apparet quàm ſit. Hinc accidit vt ſi aëris intermedij vapores condenſentur: Lunam augeri, aut minui appareat. Quartò. Ex varia conformatione, vel multiplicatione ſpecierum

cierum ſenſibilium ab obiecto vſq; ad ſenſum emiſſarum: ad iſtum modum oculus videns res per quædam conſpicila artificioſe formata iuxta perſpectiuam artem, decipitur plures res videns, cùm vnicum tantum ſit obiectum viſum.

Famoſior deceptio, & quæ plus in admirationem rapit videntes, & audiētes, ea eſt, quando extra ſenſum nullum obiectum eſt quod actu ſentiatur, neque à dæmone effor matum, neque à natura productum: & tamē re vera ſenſus ita immutatur, ac ſi obiectum præſens eſſet: v. g. quando dæmones, aut Magi eorum ope præſtigioſe faciunt, vt mulier appareat equa, aut quando nullum ſenſibile obiectum adeſt, & tamen ſentitur aliquid, ac ſi re vera adeſſet, ſicut contingit interdum febricitantibus, qui vident in pariete ex aduerſo ſtante picturas, & imagines, quæ re vera non ſunt, neque res, quarum ſunt imagines, ibi adſunt.

Non defuerunt qui exiſtimarent iſtum præſtigij modum eſſe impoſsibilē; eo quod ſenſatio, maximè exterior non poteſt fieri à non ente, quia ſenſus in actu ab obiecto in actu immutari neceſſe eſt. Quod ſi quiſpiam dicat non eſſe obiectum ſecundùm ſuum eſſe reale, ſed ſecundùm ſuam ſimilitudinem, id eſt, ſpeciem, à qua actuatur ſenſus. Contra hoc arguitur ſuppoſito communi conſenſu Theologorum (de quo ſuprà) dæmonem nullam formam poſſe immediatè imprimere in potentias, niſi mediatè cōcurſu aliarum rerum naturalium: tūc ſic, vel illa ſpecies ortum habet, & emittitur à re, quæ vnum eſt, & apparet aliud: v. g. à muliere, quæ apparet equa, & hoc non, quia tātum eſt emiſsiua ſpeciei, quæ repræſentet mulierem, & non equam, niſi in eadē reponas duas formas ſubſtantiales, & duas figuras ad eas conſequentes, quod eſt impoſsibile. Et præterea illa res talis iudicaretur ab omnibus, quod quādoq; nō ſic euenire certū eſt, vel illa ſpecies eſt dutaxat in ſēſu, & hoc nō, quia ſenſus nō habet ſpeciē, niſi à rebus acceptā, ſupponimus autē in ſēſu nō extare rē, cuius ſpecies repræſētatiua eſt: quia neq; in aëre circunſtante eſt aliqua forma, vnde ortum habere poſsit, & à qua emittatur ſpecies, quæ ſenſum actuat, & informat, nā aër niſi per condenſationem non eſt receptiuus figu ræ. Tum, quia ſemper non eſt vnus & idem, neq; circa eam rem manet: tū, quia eſtò eſſet idē fluctuaret hinc, & inde, & nō poſſet in eo figura vlla manere. Dices, per condenſationem permanet ea figura. Contrà: nam ſequeretur eā rem talem videri ab omnibus adſtantibus, & omnes ludificari, quod tamē in præſtigijs nō accidit ſemper, ſed vno, aut duobus ludificatis, cæteri quandoq; nō ludificantur: ergo præſtigia prędata per dæmones fieri non poſſent. Reſpō. D. Tho. in 2. d. 8. q. vni. art. 5. ad 4. quod illa ſpecies dumtaxat eſt in ſenſu in caſibus poſitis, & hoc contingere poteſt dupliciter per dæmonū operationem. Primò, vt ſpecies, quæ ſunt in theſauro imaginationis ſeruatę, dæmonum operatione ad organa ſenſuum fluant, ſicut contingit in ſomno, excepto quod ad organa exteriora nō attingunt, quia ſunt ligata. Vnde quando ſpecies illæ contingunt organa ſenſus exterioris (quod poteſt fieri motione locali dæmonum) vniuntur, ac ſi res eſſent præſentes extra, & actu ſentirentur. Secundò eſſe poteſt ex immutatione organorum, quibus immutatis fallitur iudicium ſenſus, ſicut patet in eo, qui guſtum corruptum tenet, cui omnia videntur amara, quod dæmones facere poſſunt virtute quarundam rerum naturalium, ſicut ad euaporationem fumi herbæ cuiuſdam, trabes domus ſerpentes videntur, & multa eiuſmodi experimenta inueniuntur. Hæc D. Thom. qui profundè ſatis rem hanc explicat, ſed argumentis impetendus, vt eius doctrina manifeſtior ſit. *D. Thom.* *D. Thom.*

Et argumentor primò, & probatur nullo modo eſſe poſsibile præfatam præſtigiationē, nam teſte Ariſ. lib. 2. de anima c. 5. text. 52. & 59. hæc eſt differentia inter ſenſum & intellectum, quòd ille præſentiam obiecti requirit, hic verò non item: ergo nulla poteſt fieri ſenſatio, niſi præſente obiecto ſenſus, ac proinde ludificatio ſenſuum in abſentia obiecti nequaquam poſsibilis eſt. Confir. quia implicat ſenſum moueri niſi à ſuo obiecto: ergo quidquid dæmon operetur, & ſi non præſentat ſenſibus aliquod obiectū, nequaquam poterit mouere ad ſentiēdum. Anteced. patet, quia implicat paſsiuū moueri, niſi ab actiuo ſibi proportionato, neque potentiā extra ſuum obiectum vagari. Secundò. Si res abſens poteſt ſentiri à ſenſibus externis: ergo poterit animal ſine cibo nutriri, & ignis nō exiſtens tangi, & animal ab eo vri poterit, cymbalū non exiſtēs audiri, & eius ſono auditum lædi, & mel nō exiſtens guſtari. Confirmatur, quia ſequeretur dari duas propoſitiones contradictorias veras; eſſet enim ſimul verum, video Socratem currentem, ſiquidem in præſtigioſa viſione videtur vt currens, & video *Ariſtotel.*

non

non currentem, quia re vera non currit. Tertiò arguitur ad probandum nullam contingere deceptionem in ſenſibus externis, eo quod in abſentia obiecti percipiant illud per ſpecierum ſenſibilium fluxionē à theſauro imaginationis vſque ad organa ſenſuum: ac proinde modum primum præſtigiorum aſsignatum à D. Thom. non conſiſtere. Nam quando ſenſus percipit rem per propriā ſpeciē, & ſic per ſpeciē repræſentātur, quia illius imago eſt, non decipitur: ſed in eo priori modo aſsignato à D. Th. percipitur obiectū per propriam ſpeciē, ſicut per eam repræſentatur: ergo non eſt vlla deceptio. Confirmatur. Quia ſpecies ſenſuum iuxta præfatum modum D. Thom. abſtrahit à præſentia, & abſentia: ergo quamuis per illam ſpeciem non percipiatur obiectum vt præſens, non decipitur. Iudicare enim de præſentia, aut abſentia obiecti non pertinet ad ſenſus externos. Quartò. Quādo dæmon viſum ludificat, vt mulier appareat equa, duo reperiuntur, in quibus ludificatio cōſiſtit: agnitio ſcilicèt viſiua equæ, & occultatio mulieris coram videnti exiſtentis. At primum non pertinet ad ludificationē, ſed potius ad perfectionem viſus, qui ſpecie rei, quam cognoſcit, potiùs perficitur quàm ludificatur, vt in argumento proximè præcedenti probauimus: & ſecundum non poteſt conſiſtere iuxta primum modum D. Thom. ergo ille modus dicendi inſufficiens eſt. Probatur minor, quoad ſecundam partem, quia potētia viſiua ex hoc, quod actuetur vna ſpecie; quàmplures alias recipere non impeditur, vt experientia docet, quando plures res ſimul videmus: ergo quamuis in caſu poſito recipiat ſpeciem equæ per effluxionem ab imaginationis theſauro, non vetatur recipere ſpeciem mulieris in proſpectu adſtantis, & ſimul videre equam, ac mulierē. Ac proinde primus explicandi modus inſufficiens eſt, quia ex eo non colligitur occultatio mulieris, ſed apparitio equæ, vtrumque autem ſimul eſſe iuxta primum modum neceſſe eſt. Quintò. Quia iuxta primum illum modum non poterit percipi res ſub varia habitudine motus, aut ſitus, &c. putà currens, iacens, ſaliens, &c. ſed neceſſariò vniformiter, nam ſicut & ſpecies in imaginatione ſeruantur vniformiter in eſſe quieto, ſic quando defluunt ad organa ſenſuum vniformiter repræſentabunt res, quarum ſunt ſpecies, & conſequenter ille modus non explicat, quo modo à dæmone ludificentur ſenſus, vt potè qui multis, ac varijs modis percipiunt in præſtigijs res, erga quarum ſenſationem ludificantur.

Sexto. Quia iuxta eundem modum dæmones non valerent decipere ſenſus oſtendendo illis ignota, ſed tantùm nota; cùm tamen experientia docuerit, & Auguſt. lib. de ſpiritu, & anima, cap. 28. tom. 3. eos oſtendere hominibus formas notas, & ignotas. Probatur conſequutio: quia ſpecies, quæ in theſauro imaginationis ſeruantur, & dicimus fluere vſque ad organa ſenſuum, à rebus acceptæ fuēre, & ad ſenſus vſque delatæ, & à ſenſibus demum vſque ad imaginatiuam tranſmiſſæ, vt ibidem tanquam in loco theſauri conſeruarentur: ac proinde non niſi rerum notarum poterunt eſſe ſimilitudines. *Auguſt.*

Contra ſecundum modum, quo vtitur D. Thom. vt explicet qualiter ſenſus à dæmone ludificentur, putà propter organi læſionem, arguitur ſeptimò. Demus operatione dæmonum oculum læſum videre Leonem, qui neque præſens eſt, neque eius figura, in quo viſus valdè decipitur: tunc certe illa viſio nequit fieri ſine ſpecie Leonis Leonem repræſentante: & rogo vnde ſumitur illa ſpecies? Dices: fluit ab imaginatione: ergo iam confundimus ſecundū modum cū primo, dū ad ludificationem nō putamus ſufficere organi læſionem. Item arguitur præcipuè, vt probemus talem ludificationem eſſe impoſsibilem organo exiſtente læſo, nam viſus iudicat in hoc caſu de Leone, ſicut per illam ſpeciem repræſentatur: ergo nō eſt læſum organū, quia læſo organi nō inducit deceptionē, niſi quia potētia aliter iudicat de re, quā per ſpeciē repreſentatur, aliàs nō eſſet læſa, ſed ſana, & integra: quod ſi nō iudicat ſicut per ſpeciē Leonis repræſentatur, certè non percipit Leonem. Confirmatur. Quia quando dæmonum ludificatione mulier apparet equa, illa ſpecies, qua fit viſio, vel oritur à muliere adſtante; & hoc non, quia à muliere non prodit niſi ſpecies mulieris, non ab equa, quæ nulla extat. Dices, illa eſt ſpecies equæ, quæ fluit operatione dæmonum ab imaginatiua. Tunc redit argumentum poſitum, quia impoſsibile eſt per eam ſpeciem fieri viſionem equæ ab oculo læſo, quia ſi iudicat de equa ſicut per ſpeciem eius repræſentatur: ergo non eſt læſus. Si iudicat aliter, quàm per ſpeciem equæ repræſentatur, læſus quidem eſſet, quia hic eſt effectus organi læſi, ſed non intelligitur vnde habeat

habeat ſpeciem, à qua informetur, vt producat viſionem equæ ſine ſpecie equæ.

Fieri à dæmone ſenſuum exteriorum, & interiorum ludificationem, non eſt qui ignoret propter euidentia indicia, & experimenta, vt notauit Auguſt. lib. 83. quæſt. 12. experimentorum autem multitudinem poteris legere apud Guillielmum Pari. p. vltima de vniuerſo cap. 22. Modum autem id faciendi à ſufficienti diuiſione colligimus, ſcilicèt ex parte obiecti, ex parte medij, & organi: & Angelicus Doctor vbi ſuprà, præ cæteris profundius meditatus eſt, quomodo id accidat quando deceptio contingit ex parte ſpecierum ſenſibilium, & ex parte organi læſi: & ideò nos contenti reſolutione D. Tho. ad diſſoluenda argumenta, quæ cõtra illam facta ſunt properamus, animaduertẽtes non eſſe neceſſariũ, vt in omni præſtigioſa deceptione, vnus dumtaxat ex præfatis modis interueniat, putà ex parte obiecti, medij, aut organi, nam continget aliquam fieri ludificationem, in qua ſit neceſſe deceptionem ex parte omnium præfatorum præuenire, aliquando vnus tantùm modus ſufficiet. Rurſus præmittendum omnẽ diabolicam deceptionem neceſſariò originari in motu locali dæmonum, aut in alteratione, ad eundem localem motum conſequente, ſicut ſuprà latè docuimus. His poſitis

Ad primum argumentum reſpondetur, ex doctrina D. Thom. q. 16. de malo, ar. 11. ad 6. apprehenſionem ſenſitiuam hominis, natam eſſe immutari dupliciter: vno modo progrediendo à rebus ad animam: v. g. quãdo ſenſus immutatur ab obiecto extra ſenſum exiſtente, & iſte progreſſus naturalior & communior, iuxta quem intelligendus eſt Ariſtot. quando ait ſenſum non percipere obiectum niſi præſens. Secundo modo procedendo ab anima ad res, qui proceſſus reperitur in ſomniantibus, vt notat Ariſto. in lib. de ſomno & vigilia, cap. 3. aſſignans cauſam apparitionum, quæ in ſomnis fiunt, ait: quod cùm animal dormit deſcedente plurimo ſanguine ad principium ſenſitiuũ, id eſt, ſenſum communem, ſimul deſcendunt motus, & impreſsiones ex motionibus ſenſibilium relictæ, quæ in ſpiritibus ſenſualibus cõſeruantur, & ſenſitiuum principium mouent: ſic, vt apparitio quædam fiat, ac ſi tunc à rebus ipſis exterioribus immutaretur ſenſitiuum principium, & tanta eſſe poteſt humorum ſpirituumque commotio, vt etiam vigilantibus, huiuſmodi apparitiones fiant; ſicut in phreneticis, & melancholicis patet, & cõmentator Auerroes in ſuo tractatu de ſomno & vigilia, ait, nos in ſomnijs ſentire per quinque ſenſus ſenſibilia externa, licet abſentia: idque accidere redeuntibus ab internis ſenſibus ad externos, abſentium rerum imaginibus; ſicut enim in vigilia ſenſibilia externa mouent ſenſus externos, & hi ſenſum communem, is imaginatiuam, ſic inter ſomniandum conuerſo ordine, imaginatio mouet ſenſum communem, hic ſenſus externos. Cùm ergo dæmones poſsint quidquid nos motu locali poſſumus: non mirum quod dæmones idem poſſint, & percipere faciant obiectum abſens, ac ſi re vera præſens eſſet, vtendo proceſſu, qui dictus eſt fieri ab anima ad res, ſiue ab internis ad externa. Et hoc benè nota, pro apparitionibus, & ecſtaſibus. Ad confirmationem reſpondetur, in hoc progreſſu ab anima ad res, ſenſus mouetur à ſuo obiecto, non in eſſe entitatiuo, ſed in eſſe repreſentatiuo, id eſt, à ſua ſpecie; & hoc ſat eſt, vt obiectum ſentiatur, & vt dicatur moueri à ſuo actiuo proportionato, & potentiam non euagari extra ſuum obiectum.

Auerroes.

Ad ſecundum reſpondetur. Si ſermo ſit de proceſſu animæ ad res, non eſt inconueniens mel non exiſtens guſtari mediante ſua ſpecie guſtui inhærente. Item, quod ignis non exiſtens tactu ſentiatur, ſcilicèt per ſpecies qualitatum tangibilium ignis, quibus tamen ſpeciebus non dicetur animal vri, quia vſtio non fit niſi per calorem realiter inhærentem in re, quæ vritur. Nec implicat quod cymbalũ non exiſtens, per exiſtentes ſpecies ſoni audiatur; quibus tamen non ſequitur offendi auditum, quia hæc offenſio non ab ſpeciebus, aut ſono eſt, ſed à vehementi agitatione aëris, ſonum, ſpeciésve, deferentis. Secus dicendum eſt de nutritione ſine cibo, quia nutritio importat conuerſionem cibi in ſubſtantiam aliti, quę conuerſio ſi non adſit cibus nequit reperiri. Ad confirmationem reſpondetur, eas non eſſe contradictorias, ſed hę, video Socratem currentem, non video Socratem currentẽ; ex quibus negatiua falſa eſt in caſu præſtigioſæ viſionis.

Tertio argumento conuincuntur Alber. Mag. tra. 3. c. 5. de ani. & Apolli. in 2. de ani. q. 13. vt exiſtiment ſenſus non decipi circa proprium ſenſibile, quod tamen eſſe falſum iam ſupponimus in hac diſputatione, moti experimentis multis, & quia intellectus ſæpè dicitur ſenſum corrigere, certè errantem,

Albertus. Apollina.

tem, ac deceptum. Quare reſpondetur, deceptionem ſenſus nō in eo conſiſtere, quia aliter apprehendit rem, quàm per ſpeciem repræſentatur: ſed in eo quod apprehendit rem, ac ſi haberet aliquam qualitatem, quā re vera non habet, vt quando guſtus percipit rem dulcem, vt amaram, & in caſu argumenti, quia apprehendit rem vt preſentem, cum tamen abſens ſit. Sed de hoc latius ſtatim. Ad confirmationem conceſſo antecedenti in hoc ſenſu, quod interdum percipit rem præſentem, interdum abſentem, negatur conſequentia, quia quando percipit rem abſentem, ac ſi præſens eſſet: decipitur iudicans iudicio ſenſuali (quod forte non diſtinguitur ab ipſa ſenſatione, vt ad eam cōcurrit communis ſenſus) rem eſſe preſentē, & non eſt ita vt iudicat.

Ad quartum reſpondetur. Quando mulier apparet equa, aut quoduis aliud, id quod non eſt: ſenſus ludificatur in agnitione eius quod non eſt, & in occultatione rei, quę re vera præſens eſt, in priori, ſenſus percitur recipiēdo ſpeciem, nihilominus decipitur in iudicando rē aliter quam eſt: at verò occultatio rei, quæ re vera præſens eſt non ſufficienter fit ex eō quod defluat ab imaginatiua ſpecies rei, quæ non eſt præſens, vt argumentum probat, ſed neceſſariū eſt apponi aliquod obſtaculum, ne res præſens appareat, hoc autem apponetur vel interponendo aliquod corpus tenuiſsimum inter eam rem, & potentiam, vel quid ſimile: nec hoc eſt contra primum modum ludificationis, quem aſsignat D. Thom. iam enim monui aliquas ludificationes reperiri, vbi deceptio ſumitur non ſolum ex parte vnius modi, verūm & alios interuenire.

Ad quintum negatur antecedens; etenim ſicut quando motus fit à rebus ad animam, dantur ſpecies repræſentantes rem ſub diuerſa habitudine, ſic quando motus eſt ab anima ad res, eædem ſpecies conſeruatæ in theſauro imaginationis, defluunt operatione dæmonis vſque ad ſenſus externos cum ea habitudine, ſub qua dæmon vult repræſentare rem ſenſibus. Itaque illæ ſpecies cōſeruatæ in imaginatiua, vniformiter ſe habent in eſſendo, & diffoꝛmiter in repræſentandō. Ex eis vti vult dæmon ad repræſentandum rem ſub hac, vel illa habitudine; nec hoc debet videri impoſsibile cum id videamus accidere in ſomniantibus, qui per ſpecies ſeruatas in imaginationis theſauro, percipiunt res ſub diuerſis habitudinibus motus, vel quietis, ſitus, aut figuræ; quod ergo

A poteſt commotio naturalis humorū, poteſt dæmon ſimili motione vtens.

Ad ſextum reſpond. dupliciter poſſe intelligi aliquid eſſe ignotum: vno modo toteliter, & ſecundùm ſe, & ſecūdùm ſua principia; & iſto modo ignotum non poteſt dæmon homini oſtendere, neque ſenſatione exteriori, neque interiori phantaſiæ: non enim poteſt facere cæcum à natiuitate colores videre, aut ſurdum à natiuitate ſonos audire: & idem dico de imaginatione. Secundo modo dicitur aliquid ignotum ſecundùm ſpeciem totius: v. g. ſi quis imagi-
B netur montes aureos, aut eos videat decipiente dæmone. Hos enim nunquam vidit, & nullibi ſunt; & huiuſmodi ignota dæmon benè poteſt oſtendere, iuxta primum illum modum aſsignatum à D. Thom. nempè per fluxionem ſpecierū ab imaginatione, quia licèt nō ſit in ea vna ſpecies mōtis aurei, eſt tamen ſpecies montis & auri, quæ homo aliquando vidit. Ex quibus compoſitis & adiunctis, & defluentibus vſq; ad organa ſenſuum, facit dæmon videre montem aureum ignotum: imò & quancunque aliam rem fictitiam, quia ex ſpeciebus reconditis in imaginatione ſcit fabricare, & componere mira, vnde ſenſus decipiatur.

Circa ſeptimum argumentum, & eius
C confirmationem inquiritur res difficilis, videlicet: in quo conſiſtat, vel à quo promanet deceptio, ratione læſionis organorum? Et dico non conſiſtere in hoc quod ſenſus percipiat rem aliter quàm à parte rei ſe habet, nam ſine vlla læſione organi, per ſpeciem defluentem ab imaginatione vſque ad ſenſus externos, decipitur ſenſus ſentiens rem abſentem, ac ſi præſens eſſet. Conſiſtit ergo, vel promanat deceptio ratione læſionis organi, ex eo quod ſenſus læſus nō percipit rē ſicut per ſpeciem, qua informatur, repræſentatur: v g. oculi laborantes icteritia, decipiuntur ratione læſionis, dum omnia alba quæ vident, illis apparent pallida,
D eo quod alba non percipiunt, ſicut per ſpecies alborum repræſentantur. Idem dico de laborantibus ophtalmia, id eſt, lippitudine, qui ratione læſi organi non percipiunt omnia colorata ſub proprio colore, ſed ſub ſanguineo. Similiter guſtus læſus ab humore cholerico, percipit dulcia, vt amara. Et ſi roges vnde prouenit vt ſenſus ratione læſionis deuians ab attingēdo rē, ſicut per propriam ſpeciem repræſentatur, percipiant magis ſub hac, vel illa ratione obiecti, putà oculus ictericius ſub ratione pallidi, guſtus

cho-

cholericus ſub ratione amari? Reſpondetur: quia organum infectum eſt aliqua alteratiua qualitate: immutatiua interdum medij, interdum obiecti, tali, vel tali modo, & ideò determinatiua organi læſi: vt eſtò aberret ab attingendo rem obiectam, ſicut per ſpeciem propriam repræſentatur; attingat eam alia habitudine, & alio modo, ad quem qualitas illa determinat: & vt in exēplis poſitis permaneamus, quando oculus inficitur icteritia, & ei obijcitur nix alba, terminatur oculus ad videndum niuem, vt pallore veſtitam, eo quod aër circum circa oculos, & eorum concauitates exiſtens, immutatur ab icteritia, vt ſpecies illac tranſeũtes pallidæ fiant. Item, quando lingua, quæ eſt guſtus organũ, infecta eſt cholera, & guſtat mel dulce, determinatur guſtus ab humore cholerico, vt cibum, aliàs dulcem, guſtet vt amarum: quia ipſe cibus ab amaritudine linguæ inficitur, & amarus redditur. Non diſſimiliter eſſe dicendum cenſeo in poſita dubitatione, dæmonem ſcilicèt aliquando deceptionem ingerere ſenſibus, ex læſione organorum, eo quod ab ea naſcitur, vt ſenſus obiecta ſua non apprehendāt eo modo, quo per ſuas proprias ſpecies repræſentantur, quod frequenter contingit quando res aliquid ſunt, & aliud apparent, vt quando leo apparet homo, aut homo equus. Et ſi quiſpiam dicat: benè intelligitur organum læſum errare in attingendo rem, ſicut per ſuam ſpeciem repræſentatur; error enim deuiatio quædam eſt; ſed vix intelligitur quomodo, aut vnde determinetur ad attingendum hoc, & non illud: v.g. vnde determinatur, aut à quo, vt oculus læſus in proſpectu habens hominem, videat leonem, & non draconem, aut bouem. Dices, à qualitate læſiua organi, ſicut ſuprà dicebamus. Contrà: nam læſio illa per alterationē fit: at terminus alterationis non eſt figura, ſed qualitas: ergo per qualitatem læſiuam, non poteſt organum determinari ad videndum leonem, cùm oculi reſpiciant à directo hominem. Reſpondetur. Per alterationem poſſunt organa lædi, & etiam per motum localem, id eſt, per commotionem, ac agitationem humorum, ſicut accidit ebrijs, ac furioſis, qui credunt duplicem Solem, & geminas ſe cernere Thebas: ad hos verò motus ſequitur determinatio organi ſenſus per modificationem, & figurationem quādam virtualem medij, per quod ſenſatio fit, & non eſt impoſsibile: multa narrat Guilliel mus Pariſienſis p. vlt. de vniuerſo, cap. 22. *Guilliel.*

Et præcipuè ad noſtrum propoſitum ait, quod ſi de ſemine aſinino, & cera, fieret cādela, quæ ſola in conuiuio luceret, omnes in conclaui exiſtentes viderentur capita aſinorum habere. Et D. Tho. vbi ſuprà ait; per fumum quarundam herbarum videri omnes trabes domus ſerpentes: igitur non erit mirum ſi dæmon lædat organum aliqua qualitate rerum naturalium, vnde oriatur quod medium imbuatur tali figura virtuali, vt ad eam agnoſcendam organum læſum determinetur, maximè quando potentia tantùm intentionaliter mouetur: at verò quādo realiter, vt guſtus, & tactus, puto eam qualitatem infecti organi commiſceri obiecto guſtabili, aut tangibili, & ab ea commiſtione guſtus, & tactus errabundi, determinantur ad hos, vel illos ſapores, ad hæc vel illa tangibilia. Itaq; illa qualitas ſenſuum læſiua, & diſſipat organum, ac errare facit circa proprium obiectum, & ſimul determinat illud ad aliquid percipiendum. Ex his, niſi fallor, poteris reddere rationem multarum deceptionum, quæ à demone fiunt circa ſenſus externos: v.g. adſunt multi, qui quidquid conſpiciunt ſerpentes eſſe putāt, ludificatī à dæmone: mutatio medij in cauſa eſt, quæ frequētius oritur ex læſione oculorū: ſi verò quidā ludificētur, quidā non, à corruptione organorū eorū qui ludificātur, prouenit. At verò ſi omnes circa vnam rem tantū ludificētur, putà, quia hominē aſinum eſſe putāt: ſola læſio organi eā deceptionē nō inducit, ſed neceſſe eſt obiecto aliquā affigi qualitatē ratione cuius aliud appareat, quā ſit. Hæc ſatis ſint; nā numerare innumeros fallendi modos, quibus verſipellis hoſtis vtitur: penè impoſsibile mortalibus eſt. Sat ſit ſcire omnē hanc deceptionē prouenire, vel ex parte obiecti, vel ex parte medij, vel maximè ex parte organi, non ſolū læſi, vt modò dicebamus: ſed etiā aliquando impediti in membris ſuis obſtruſis per craſſos humores, ne ſpiritus ad organū perueniant: qua fortè ratione Angeli Sodomeos à oroaſia, ſeu à chriſia percuſſerunt Gen. 19. id fuit genus cæcitatis, qua Angelus ſiue bonus, ſiue malus, facit nobis celari non omnia, ſed quædam. *Geneſ. 19.*

De deceptione circa ſenſus internos

PAucà dicenda ſunt, eo quod ex dictis circa externos ferè omnia, quę in decipiendis internis contingunt, perſpicua ſunt: differunt enim dumtaxat ſecundū internū, & externū. Sicut ergo probauimus dæmo-

dęmones posse deceptionem ingerere sen sibus externis, quia corporei sunt, & omne corpus obedit Angelis ad nutum, quantum attinet ad motum localem: ita & probatur posse sensus internos deludere propter eandem rationem: & sicut deceptionem in sensibus externis diximus prouenire ex parte obiecti, medij, & organi: sic dicendum est sensuum internorum deceptionem prouenire ex parte obiecti, formando intra ventriculum cerebri, vbi phantasia residet, idola quædam, ad quæ attendēs phantasia multa agnoscat, & reuoluat, siue vera, siue fictitia. Sed potissimè vtitur dæmon deceptione proueniente ex parte specierum, ad phantasiam, seu imaginationem spectantium. B Non quidē potest dæmon phantasiam, aut imaginationem immutare, nouæ speciei impressione, vt ait D. Thom. 1. p. q. 111. art. 3. *D. Thom.* & communiter omnes Theologi: & ideò nō potest efficere, vt cæcus à natiuitate rectè de coloribus imaginetur, sed benè potest ex speciebus, quæ à sensibus ad imaginationem delatæ sunt, tot & tales commixtiones efficere, vt imaginetur homo res quas nunquam vidit: v. g. chimeram per speciem capræ, leonis & draconis, cōmixtas per solū motū localē, vel etiam cōcitatis humoribus, atq; affectionibus, vnde cōtingat imaginari lęta, aut tristia, quæ nunquā vidit, aut fuerūt: C vel sicut in amentibus, vel phreneticis videre est, ex humorum perturbatione varias eorum phantasiæ species deuoluere. Vtitur etiam dæmon phantasiæ læsione, assumendo humores suo instituto accommodatos, ex rerum natura, circum circa ventriculum phantasiæ affigendo, aut verò intra cerebrum intromittendo, vt quales vult ipse imaginationes homo in phantasia obuoluat, eaque se videre, & audire iudicet, quæ re vera, neque oculis, neque auribus vnquā hausit. Et hæc benè nota, quia hinc manant tot falsæ apparitiones, & ecstases, ac reuelationes, vt probè aduertit Victoria de Magia, num. 35, & ante eum Augu. de cura pro mortuis, c. 12, & ex parte tetigit Caiet. 2. 2. q. 95. art. 3. agens de superborum contemplatiuorum, & lamiarum deceptorijs imaginationibus, à dæmone immissis. *Victoria. Augustt. Caietan.*

De intellectus deceptione à dæmone.

AN intellectus humanus à dæmone possit decipi? non inutilis dubitatio est. Et videtur vera pars negatiua primò: A Quidquid dæmon potest efficere per motum localem, aut alterationem ad eum consequentem potest, vt suprà docuimus: sed intellectus non est mutabilis immediatè locali motu, & multò minus alteratione; quia incorporeus est: ergo in eum nihil dæmon potest. Cōfir. Ideò tot, & tanta potest dæmō in sensus internos, & externos, quia potētię corporales sunt, & organis corporalibus affixæ: at nihil horum intellectui quadrat: ergo in illum nihil dæmon potest. Secundo. Cognitio intellectiua secundùm duo fit, videlicet secundùm lumen intelligibile, & secundùm species intelligibiles: sed dæmon non potest mouere animam ad B cognitionem intelligibilem ex parte luminis intellectualis: tum, quia hoc præexistit homini à natura: tum, quia vt superius docuimus, nullam formam potest immediatè producere sine agentium naturalium actione per applicationem actiuorū, & passiuorum, quæ non habet locum in lumine intelligibili. Similiter etiam, neque ex parte specierum intelligibilium, propter eandem rationem, non enim valet eas producere: ergo non potest intellectum immutare, nedum decipere.

In hac re dico primò. Citra dubium decipere dæmon hominum intellectum potest, falsa, aut permixta falsis, docendo, loquutione sensibili, aut quouis alio modo visibili, suos conceptus manifestando. Assertio clara est, si enim hæc potest facere homo, vt decipiat alium hominem, cur nō hæc efficere valebit potens inimicus, maximè assumpto aliquo corpore? Sic conatus est decipere, sed frustra, Christum Dominum, sic sæpè decipit Magos, & maximè incubos, aut succubos.

Dico secundò. Dæmones inuisibiliter & immediatè, attenta sua naturali virtute, possunt mouere hominum intellectum eum illuminando. Hæc assertio probatur. Nam id D potest Angelus bonus, vt ait D. Thom. 1. p. q. 111. art. 1. & multis alijs locis: ergo & dæmō id poterit, quia in naturalibus æqualis sunt potestatis spiritus bonus, ac nequā, teste D. Dionysio, & assentientibus cunctis Theologis. Hæc autem illuminatio non consistit in productione alicuius formæ, vel noui luminis, sed lumen naturale iam præhabitum fortificando: virtus enim inferior coniuncta superiori fortior redditur, ad eum modum quo minus calidum ex adiunctione ad magis calidum robustius redditur: quòd egregiè explicat D. Thom. de ve- *D. Thom.* *D. Thom.*

ritate,

ritate, q. 11. art. 3. in corpore, & ad 3. sicque est intelligendus sanctus Doctor in 2. dist. 8. q. vni. art. 5. ad 6. quando ait, posse dæmones imprimere hominum intellectibus lumen intelligibile, non producendo, sed iã productum vigorando. Consultò dixi in assertione, id posse dæmones attenta sua natu rali virtute: nam considerata eorum malitia, & odio, quo homines prosequuntur, nunquam homines isto pacto illuminant. Ita D. Thom. vbi suprà, quæst. 16. de malo, & 1. 2. quæst. 80. & ratio est, quia isti hominum hostes, nullum bonum cupiunt hominibus, sed hostilia mala: ergo semper desiderant hominum intellectus obnubilare, tenebris offundere, in errorem inducere, ac decipere: ergo nunquam intellectum confortabũt lumine intelligibili, sicut possunt, ne eorum thecnæ, malæ artes, & doli lumine illustriori detegantur. Et si obijcias: dæmones scientias docent, secreta veritatis inspirant, sacra dogmata, quasi in momento addiscere faciunt, vt dicitur de Anabaptistis, qui sumpto poculo (dæmoniaco nempè) in sacræ Scripturæ lectione periti euadunt, ordinantes hæc omnia in malum, & deceptionem errorum: cur ergo id non efficient confortando scilicèt intellectum hominum, vt errores defendant, aut alia mala subtilius machinentur? Respondetur negando consequentiam: in casu enim antecedentis, magna latere potest erroris, ac deceptionis occasio, vt statim videbimus: eo quod commemorata in antecedenti, fiunt per apprehensionem, & receptionem specierum intelligibilium: quas ita cõcinnant, & commiscent dæmones, vt multa persuadeant falsa: at verò confortatio lumi nis intellectualis, sicut & ipsum lumen, pertinet ad iudicandum melius de apprehensis, quo iudicio relegatur omnis error, & deceptio; tantùm abest, vt inducatur, seu occultetur. Quare quamuis possent dæmones intellectum confortare modo prædicto, & eundem subtiliorem reddere ad omnes operationes suas præstandas per commodiores potentiarum sensitiuarum, quæ intellectui deseruiunt, dispositiones, humoribus scilicet densioribus per motum localem expulsis, vel agentium naturalium adhibitis medicamentis, vel spiritibus sensitiuis expurgatis, aut multiplicatis: quanto enim sensus dispositionibus nobilioribus afficiuntur, tanto perfectiora esse opera intellectus, necesse est: sed id non procurant humani generis hostes, sed in omninò opposita, & incõmoda incumbunt pro virili.

D. Thom.

Dico tertio. Dæmones possunt decipere intellectum hominum non immutando illum immediatè, sed mediatè. Prima pars lõgiore indiget discussione; modò breuiter: quia non est intelligere quemodo immediatè possit immutari ab erroneo iudicio. Secunda probatur: quia intellectus pro isto statu nequit moueri, nisi medijs phantasmatibus, quæ à sensibus ortum habuêre: sed in his phantasmatibus cõponendis possunt dæmones multas deceptiones, & fallacias obtendere: ergo. Maior perspicua erit si aduertas, intellectum, quamuis non sit alligatus alicui organo, neque suam operationem producat mediante organo, in ea tamen operatione dependere ab organo corporeo: quia vt dicitur in 3. de anima, phantasma est obiectum intellectus, sicut color est obiectum visus: phantasmata autem dependent à sensibus, à quibus ea recipiunt. Minor autẽ probatur, ex his quæ diximus posse dæmones circa phantasmata, quæ sic possunt adaptare, & commiscere, & commixta intellectui præsentare, vt intellectus apprehendat ea cogitata, quæ dæmones intellectum volunt percipere; siue vera sint, siue falsa.

Hinc patet solutio ad primum pro parte negatiua. Respondetur namque, tantùm probare, non posse intellectum directè moueri à dæmone: non autem probat non posse indirectè, & mediatè, vt modò dicebamus: & idem respondetur ad confirmationem. Ad secundum respondetur ex secundo, & tertio assertis, id est, non posse intellectum immutari à dæmonibus, per productionem noui luminis, aut alicuius alterius formæ: posse tamen per immissionem phantasmatum, seu specierum intelligibilium.

Ex his colligitur differentia inter intellectũ, & phantasiam, & alios sensus: nam sensus internos, & externos dæmones decipere possunt immediatè, immutãdo ipsos sensus, eos disturbando, aut lædendo, & faciẽdo eos errare à veritatis scopo; at intellectũ nequaquã immediatè decipere possunt, eũ immediatè mouendo, sed mediatè, & indirectè, ad modum expositũ. Est rursus altera differẽtia, nã phãtasia (velit nolit) cogi potest à dæmonibus, vt species sensatas versẽt, & obuoluat, ac de quibus ipsi voluerint imaginetur: at verò licet possunt intellectũ informare speciebus intelligibilibus, & phantasmatibus depuratis per operationem intelle-

tellectus agentis: non tamen possunt cogere, vt eis vtatur, & ijs mediantibus aliqua intelligat. Eo quod præter intellectum recipientem species, & obiectum cognoscibile, requiritur actualis intentio cognoscentis, vt cognoscere intendat: quæ actus est voluntatis; quæ cum non possit à dæmonibus immutari, vt statim dicemus, neque ipse intellectus, propter participatam à voluntate libertatem potest cogi: non solùm ad iudicandum, verùm neque ad apprehendendū ea, quæ dæmones suggerunt, sed existentibus aliquibus speciebus in phantasia, nō est necesse in eas intellectum intendere: at potest aciem suam ab eis diuertere, imò existentibus speciebus in memoria, seu intellectu, non est necesse conceptus formare actiue intelligendo, quia ad hoc intentio voluntatis requiritur. Doctrina est D. Tho. in q. 16. de malo, art. 11. ad 3. 4. & 5. & alibi sæpè.

De deceptione voluntatis.

ERror, & præstigium præcipuè ad potētias apprehēsiuas pertinet; deceptio autem etiam ad appetitiuas facultates spectat, quæ tunc dicentur decipi, quando mouentur, vt ament non amanda, & odio habeant non odienda. Hanc autem deceptionem non valent dæmones voluntati inferre ipsa renuente. Probatur: quia dæmones nequeunt mouere hominum voluntatem, neque directè, neq; indirectè: ergo nō possunt eam vllo pacto decipere. Prob. prima pars antecedentis, eo quod voluntas vt-diq; & omninò est independens à corpore. Quod vt planiùs percipiatur aduertendum est, esse quasdam hominum potentias depēdentes à corpore quantum ad actum, & quātum ad obiectum, cuiusmodi sunt sensus interiores, & exteriores, qui actum producūt mediante organo corporeo, & versantur circa obiecta corporea: & idem dico de appetitu sensitiuo. Aliæ potentiæ sunt dependentes à corpore duntaxat, quātum ad obiectum: huiusmodi est intellectus, qui non valet actum producere, nisi phantasmata illi quasi in ratione obiecti præsentetur, cùm oporteat intelligentem phantasmata speculari: at verò actus ipsius intellectus à corpore non pendet, quantum ad sui perfectionē; quia potentia est nullo indigens organo ad sui actus productionem. Aliæ potētiæ sunt omninò independentes à corpore quantū ad actum, & quantum ad obiectum. Hęc est voluntas humana, quantum ad actum quidem, quia nullo indiget organo ad sui actus elicientiam; quantum ad obiectum etiam, quia cùm nō moueatur ab obiecto, seu specie sumpta à re corporea, id est, phantasmate, sicut intellectus, sed à bono vero, vel apparenti, non pendet ab obiecto corporeo: ergo omninò independens est à corpore, ac proinde non potest directè ab extrinseca creatura moueri, neque decipi. Rursus. Voluntas, libera potentia est, nulli subiecta creaturæ; & consequenter suorum actuū domina: ergo à nulla creatura poterit directè moueri, aliàs ab ea creatura cogeretur: neque etiam indirectè, quia maximè ab obiecto, & hoc non est verum, etenim à nullo obiecto necessariò mouetur, nisi ab vltimo fine.

Hinc perspicies, dæmonum potentiam, in voluntatem multo minus vires suas exercere, quàm in intellectum: quia illam nequit directè, aut indirectè mouere: hunc verò mediatè, & indirectè mutare potest. Colliges etiam, dæmones non valere vllo pacto homines inuitos ad peccandum trahere: quia eorum voluntas nequit (velint, nolint) ab vlla creatura moueri.

Dico secundò. Quamuis dæmones non possint ad peccandum cogere, possunt multipliciter, & vehementer inclinare. Primò operando interius in phantasia, aut appetitu sensitiuo, vt habet D. Thom. 1. 2. q. 80. & de malo, q. 16. artic. 11. *D. Thom.* Modum autem isthæc faciendi percipies, si aduertas, quæ paulò ante diximus; nam dæmones per motionem spirituū in quibus sunt phātasmata, illa ad imaginationem deducunt, quæ vel alliciant concupiscentiam, vel irascibilem concitent, & sic indirectè inclinant intellectum ad iudicandum, & voluntatem ad volendum illud, quod ad peccati patrationem conducit. His addendum, eos posse humores in homine existentes mouere, & his inflammata parte sensitiua in actum peccati prona, ipsa voluntas acriter inclinatur, & quasi arripitur: sed nequaquam cogitur, sed vltroneè aliquando assentitur peccato.

Secundò. Ad peccatum possunt inducere, & inclinare per exteriora: verbi gratia: exterius suadendo: sic cum Seruatore nostro egit dæmon, loquens voce humana, Matthæ. 6. & nonnullos Sanctos, conatus est ad lapsum carnis inclinare, apparens in forma iuuencularum blandientium, *Matth. 6.*

vſque ad barbæ attrectationem, & eo deteriora. Item aliquot munera ficta offerendo exterius, vt D. Antonio argenteam menſam; & lamijs viros,& fœminas, ac carnales delitias: aut oſtendendo aliquot prouocatiua vera, quibus animus intuentis emolliatur, & ad malum prouocetur: vt ſi Eccleſiam adeunti, procuret occurſum fœminæ dilectæ, aut quod aliquid turpe videat, aut audiat,ac denique aliquod corpus,quod ardorem venereum excitet, intromittendo: poteſt enim homine dormiente, in ſtomachum cibos inferre,qui iram, aut concupiſcentiam moueant, aut vires genitales accendant,ſed his, & alijs nequaquam cogere poteſt ad peccandum, cùm homines ipſi valeant fortiter reſiſtere, nec occumbere, vt egregiè docet D. Thom. 1.2.q. 80. per totam,& D.Augu. ſerm.197. *Latrare*, inquit, *poteſt diabolus, ſolicitare poteſt, mordere omnimò non poteſt. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet,nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.* Cyrillus Hieroſolymitanus,catecheſi.4.illuminatorum: *Liberum*, ait, *arbitrium habet anima, & poteſt diabolus incitare, cogere autem præter voluntatem non poteſt.Subijcit tibi cogitationes fornicationis, ſi vis,probas; ſi nolis, improbas.* Et Caſsianus collatione 6.cap.8. ait: dæmones ita noſtris profectibus aduerſari, vt eos tantummodo incentores malorum, non etiam impulſores credamus. Hæc dicta ſint de deceptionibus, quibus dæmones illaqueare mortales contendunt, & de modo, quo eas operentur.

D.Thom. *D.Augu.* *Cyrillus.* *Caſsianus.*

DISPVTATIO VII.

Quibus ſignis, quibúſve notis deprehendatur, effectus iſtos mirabiles, qui à dæmonibus, vel à magis ope dæmonum fiunt, eſſe veros, an verò fucatos, & apparentes?

IN hac re dico primò. Ad intellectum præcipuè pertinet dijudicare de veritate, aut falſitate horum effectuum, id eſt, ſint ne veri an dumtaxat deceptorij,& apparentes. Aſſertum planum eſt, tum, quia licèt intellectus poſsit aliquo modo decipi quantum ad receptionem ſpecierum intelligibilium dimanantium à phantaſmatibus, vt in præcedenti diſputatione docuimus: tamen quantũ ad ſublationem, aut læſionem luminis intelligibilis,non poteſt; quo mediante lumine,habet intellectus dijudicare de veritate cuiuſuis entis. Tùm, quia inter alia intellectus munia, vnum eſt ſenſus errantes corrigere,quod nequibit fieri, niſi ad ipſum ſpectet apprehendere errores eorum.

Dico ſecundò. Si effectus factus à Mago, vel dæmone, iudicatur ab intellectu ſuperare facultatem totius naturæ creatæ: v. g. ſuſcitatio mortuorum,vel aliquid ſimile,de quibus diximus ſuperius in diſputatione quarta,infallibile ſignum eſt,eum effectum præſtigioſum,& apparentem dũtaxat eſſe.

Dico tertio. Quædam aliæ coniecturæ ſunt ad idem dignoſcendum; quædam ex duratione ſumptæ: nam ſi effectus citò euaneſcit,aut parum durat; coniectura non leuis eſt,fuiſſe fallacem,& fucatum: eo quod, quæ à natura ſunt diutius permanent,quàm quæ ab arte: item ſi celeritate nimia plus ſolito coaleſcit. Ac denique ex alijs circunſtantijs coniectura ſumenda eſt: hoc præoculis habentes,quod ſuperius docuimus diſputatione quinta, aſſerto ſecundo, opera miranda dæmonum,ac Magorum, vt plurimum fucata eſſe, & dumtaxat apparentia. Sed eſt digna ſcitu

DVBITATIO VNICA.

Vtrùm ipſimet ſenſus dijudicare valeant, an decipiantur in ſuis operationibus, necne?

ET quidem dubitatio non procedit quando deceptio prouenit ex organi læſione: quia ſi propter organi læſionem, aut diſſipationem deceptio procedit,nequibit legitimè de ea iudicare, ad quod iudicium integritas organi requiritur. Neque habet locum quæſtio,quando deceptio dimanat ex parte ſpeciei, putà, quia per propriam ſpeciem ab imaginatione defluentem, quia iudicium illud debet fieri ſpecie: quod ſi alicuius obiecti ſpecie propria informatur ſenſus, impoſsibile erit aliter,quàm per eam repræſentatur, iudicare. Totum ergo diſputationis pondus incumbit,quando deceptio prouenit ex parte obiecti ſenſationis,emẽtiti,ac efficti à dæmone,vel à Mago ope dæmonis,an ipſe ſenſus ſuamet ſenſatione,potens ſit ad dignoſcendum, vtrùm illud obiectum effictum ſit à dæmone,an à natura formatum. Vtrùm verum

rum ſit, an tãtùm apparens: v. g. videt quis ſpectrum mulieris pulchræ, dubitatur an ipſa ſpectri viſione facultas viſiua poſsit apprehendere, obiectum illud non eſſe veram mulierem, ſed dumtaxat apparentem.

Et videtur vera pars negatiua. Nam dæmoni facillimum eſt per motum localem, aut alterationis, applicando actiua paſsiuis, ſic effingere obiecta omnium ſenſuum, ac ſi à natura eſſent formata. Quod patet inductione facta in obiectis omnium ſenſuum: in viſus obiecto res clara eſt, ex innumeris fallacibus apparitionibus, quibus dæmon fefellit oculos intuentium: in auditus etiam obiecto non minus facile, fingendo voces humanas, & armoniam muſicam. Multa narrat Syluester de ſtrigimagis. lib. 2. cap. 5. puncto 3. ſe accepiſſe à quodam amico ſibi fidedigno: *Quidam*, ait Syluester, *in ciuitate Bononia fatis religioſus Sacerdos, mihi amicus, cui Hieronymo à Viola, ſeu Lyra nomen erat, quod eiuſcemodi inſtrumentum peroptimè tangeret, mihi ad annum Domini* 1500. *in hanc ſententiam retulit, ex Necromanticis, quidam mihi (inquit) cognitus dum me lyram tangere crebro videret, oſtendam (aiebat) aliquando meos pulſatores, & quam nihil ſcias videbis: cùmq; feſto quopiã ad tempus Quadrageſimale poſt cibum, ſanctum Michaëlem in Voſco, declinata ſemita per vineas, anguſto calle conſcenderemus, medio itinere laſsi quieuimus: cui ego: Quãdo illos, de quibus toties, pulſatores, auditurus ſum? Qui ſtatim quibuſdam in terra formatis, reſpice ait ſurſum, vidiq; in aëre quoddã permiciatium agmen, vt videbatur alis ludentium, & deſcendentium, ac deſcendẽdo creſcentiũ: quæ cum in terra ſtetêrũt, quindecim iuuenes pulcherrimi quindecim inſtrumenta muſicalia tangentes fuêre: tota verò intentione ferebar in eũ qui lyram tenebat, quo diù audito, viſum eſt mihi, quod in ea arte ſciẽ penitus nihil. His verò iuſſu Necromantis diſparentibus, & eo rurſus characteres effingẽte: denuo ſimilia, vt prius, ſed plura apparuêre; quæ dum in terra conſiſterent, fuerũt qui prius quindecim iuuenes pulſantes, & puellæ totidẽ cantantes, quibus (pareat, inquit, mihi Deus ſi in hoc pecco) aut pulchriores, aut in pulchritudine pares vidi nunquam.* Hæc ille. In obiecto etiam guſtus, & tactus, idem apparet, in caſu ſuperius allato, de conuiuio præſtigioſo in nuptijs Menippi cum lamia quadam, quod ſupra retulimus.

Sed quia circa ſenſum tactũs, præcipua difficultas eſt, vt videbimus argumẽto ſecundo ex c. 18. Gen. vbi habẽtur Angelos in figura virorum receptos ab Abrahamo lotione pedũ, nõ eſſe deprehẽſos, nõ habere veras carnes, ac oſſa. Tertiò. Omnia quæ in carne, & oſsibus reperiũtur à dæmone valent graphicè efformari, ac ſimulari, nempè oſsiũ durities, carnis mollities, tepor, ac ſuauis calor, qui tactu percipitur, & cæteræ tãgibiles qualitates: ergo quãuis veras carnes (quæ à principio viuente neceſſariò ſunt) nõ valeat producere: ſimulare tamen ac efformare, vt tactui tales appareãt, poterit efficere, ac ex cõ ſequẽti ſic tactũ fallere, vt ipſe nõ percipiat deceptionẽ. Confir. quia ſenſus viſus præſtantior potentia eſt: ergo minorem deceptionem patitur. His & alijs mouentur quidã moderni, vt exiſtiment non poſſe tactum percipere errorem ſui obiecti, nec minus patere deceptioni, quàm cæteri ſenſus.

Syluester.

In oppoſitum eſt dictũ Chriſti Domini, Luc. vlt. qui vt probaret ſuum corpus poſt reſurrectionem non eſſe phantaſticum, ſed naturale, ait Diſcipulis dubitantibus: *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Quæ ſuaſio nullius eſſet efficacię niſi per tactum diſcernatur inter veram, & ſimulatam carnem, inter veram, & ementita oſſa. Poſſet enim quis occurrere dicẽs: Etiam phantaſmata dæmoniaca habent carnem, & oſſa ſimulata, ac tãgibilia, ac palpabilia, ita vt deceptio per tactum nequeat deprehendi.

Luc. vlti.

Secundò. Magi, ac lamiæ, quæ cũ dæmonibus familiariter conuerſantur, maximè tactu pertinente ad generationem, faſſæ ſunt ſæpe, ſe cõqueſtas apud dæmones incubos, eorũ corpora aſſumpta, ſiue cadauera, ſiue aërea corpora formata, eſſe tactu frigida, & horrida, & dæmones reſpondiſſe, (vt refert Caiet. 2. 2. q. 95. art. 3. ex certa relatione earum) ſe non poſſe melius facere: ergo aliquid eſt in carne, & oſsibus tangibile, quod non poteſt perfectè obumbrari à dæmonibus, ita vt tactus omninò decipiatur.

Caietan.

Sit tamen aſſertum noſtrum. Poteſt dæmon ita omnes differentias coloris, ac lucidi, ac denique omnia, quæ ſpectant ad ſenſum viſus effigiare, vt omninò decipiatur apprehendens rem phantaſticam, & apparentẽ, vt naturalem, & veram, non valens per ſe ipſum percipere eam deceptionem. Hæc aſſertio non indiget probatione.

Secundum aſſertum. Circa obiectum auditus, ſic dæmon negotiari poteſt, vt potentia præfata omninò decipiatur, non valens percipere ſuam deceptionem. Probatur: quia obiectum auditus eſt ſonus, ſed dæ-

mon per localem motum, aut alterationem, poteſt efficere veros ſonos, & omnes eorum differentias, aut ſaltem ſimulare: ergo omnino ſic dicipi poteſt, vt ſuam deceptio nemnon deprehendat; ſed exiſtimet eos ſonos à cauſis naturalibus prouenire, non à dæmone. Aliqui excipiunt ab hac aſſertione voces humanas, quas aiunt dæmones non poſſe ita perfectè imitari, quin attente audiens effictas à dæmone, non percipiat eas voces non eſſe verè vitales, ſicut re vera non ſunt. Hi nituntur primò: quia ſagæ plurimæ comprehenſæ, faſſæ ſunt dæmones eas alloquentes, id efficere voce ſtridula, inſtar ſibili, confuſa, obſcura, debili, puſilla, & quaſi ex dolio per teſtam ruinoſam. Ita Remigius lib. 1. de monolatr. cap. 8. ergo ſignum eſt, eos non poſſe imitari perfectè voces humanas, aliàs perfectè obumbrarent, vt melius deciperent.

Remigius.

Secundò. Quia vt voces formentur (maximè humanæ, quæ magnam dearticulationem expoſcunt) quàmplurima inſtrumenta requiruntur, eorumque functiones plures, & difficiles: ergo nõ poterunt dæmones ita perfectè formare, quin deprehendatur non voces humanas eſſe, ſed fictas, & ſimulatas. Antecedens oſtenditur ex Philoſophis, & Anatomiſtis quamplurimis, maximè ex Veſallio lib. 7. de fabrica humani corporis, qui ad numerum quinarium reducunt interiora inſtrumenta vocum humanarum formandarum, pulmones thoracis, & intercoſtales muſculi, aſpera arteria, larynx, gargario. Pulmones ſeruiunt ad excipiendum aërem; & ideò ineſt eis raritas quædam, & mollities ſimilis ſpongijs, qua ſe contrahunt, & dilatant. Muſculi facultate motiua, qua pollent, ſiue thorax, ijs mediantibus compreſſum aërem diuerberant, & expellunt; alioqui neque vox, neque ſonus vllus eſſe poteſt. Aſpera arteria, eſt via quæ à faucibus ortum ducens, varijs compacta cartilaginibus, per collum in pulmones decurrit, & vt trahere ac reddere ſpiritum poſsit aſsiduè patet. Dicitur q; aſpera, ob inæqualitatem; ſicut & illæ, quæ à corde procedũt, & pulſum denũciant, leues nũcupatur. Larynx eſt ſuperior finis aſperæ arteriæ, laryngis verò ſummũ oſtiũ ne quid cibi, potúſve, per id dilabatur, contegit membrana cartilaginoſa, quibus larynx conſtat, linguæ aſsimilis, & ob id lingula vocatur. Hæc verò cum ſpiritum identidem reciprocamus, ſurſum erigitur. Gargalio, ſeu gurgulio eſt caruncula rotunda in extremo palati dependens, ſub qua eſt epiglotis ſeu vvula. His itaque inſtrumentis vox in hunc modum editur: muſculis thoracis, & intercoſtalibus, vehementer comprehenſus aër, e pulmonibus per arteriam vocalem confeſtim deducitur, qui anguſta via tractus, in aërem in arteria vſque ad laringem epiglotidis oppoſitum retentum, impingit. Hic ad guttur, ſummamq; arteriæ partem alliſus, ſonat; ac vocem effingit, quam ſi lingula oppoſita non eſſet formare non poſſet, quia totus ſine percuſsione prodiret: confert verò plurimum ad formandam vocem, gurgulio, & lingula, quia vox ad eas partes frangitur, & tẽperatur; ac pro varietate percuſsionum, diuerſæ vocum flexiones fiunt, præſertim vero gurgulio, quaſi plectrum ad ſuauitatem, & moderationem vocis conducit. Præter hæc commemorata inſtrumenta, alia plurimum ad dearticulandas voces conducunt; vt lingua, palatum, dentes, & labia, vt experientia teſte agnouimus. Tertiò. Suppoſita opinione eorum qui cenſent ipſummet auditus obiectũ verè, & realiter vſque ad auditus tympanum referri, eſt argumentum. In vocibus, præcipuè humanis, eſt quædam teneritudo ac mollitudo, delectans valdè auditum, eo quod à principio viuente proficiſcatur: hanc non poteſt perfectè imitari dæmon, cum non ſit vitale principium: ergo non ſic perfectè poterit ſimulare humanas voces, quin defectus imitationis, ab auditu hominis attenti, deprehendatur. Nihilominus cenſeo aſſertum noſtrum ſecundum ſine vlla exceptione eſſe firmandum in obiecto quocunque potentiæ auditiuæ. Et ad obiectionem in oppoſitum reſpondetur. Ad primam, quamuis dæmones per motum localem, & alterationes poſſunt perfectè effingere, & dearticulare voces humanas (quod & res inanimes poſſunt efficere, & efficiunt ſæpè, vt patet in tibijs, organis: & in cauis vallibus reſonat echo, quanto melius ſpiritus nequam id efficient?) tamen non ſemper ſinuntur facere quantum poſſunt; ſed confuſè ſatis, & imperfectè voces humanas edunt, Deo diſponente, vt auditus, qui eſt potentia conducens ad veritates naturales, & ſupernaturales recipiendas, non omninò decipiatur, ſed habeat vnde poſsit diſcernere, & deprehendere ſe aliquando decipi à dæmone, nempè ex voce confuſa, ſtridula, & puſilla, qua dæmones vtuntur, quia ſæpè alia expreſsiore, & magis articulata vti non permittuntur à

Veſallius.

Deo

Deo propter hominum bonum. Poſſent tamen attenta ſua naturali facultate, & aliquãdo id efficere non dubito.

Pari ratione philoſophandum reor circa obiectum viſus. Quamuis enim poſsint dæmones affabrè effigiare, & ementiri figuram cuiuſuis rei, imò aliquando Chriſti Domini; tamen ſemper, aut ferè ſemper, Deo cohibente potentiam dæmonum, in figura adeſt aliquis defectus, vnde deprehendatur effigiem eſſe fucatam, & opus eſſe dæmonum. Oſtendunt ſe humana figura ſæpè; ſed corpore atro, ſquallido, fœtente, & formidabili, aut ſaltem obſcuro, nigro, fœdoq; vultu, naribus vel deformiter ſimis, vel nimis aduncis, inſtar aquilæ, ore deformi, ocu B lis valdè intruſis, flammantibuſque, manibus, pedibuſq; obuncis, aut ad modum vulturis, ſtrigoſis brachijs, cruribuſq;, & villo fuſco plenis, tibijs caprinis, vel aſininis, aliquando vno pede, aut vtroque trũcato, denique ſtatura corporis nunquam iuſta, ac decora: ſed cui ſemper adſit aliquid inſolitum, vt ſic homines percipiant dæmonis fraudes, nec ſe ab huiuſmodi ſpectris ſinant deludi. Ad ſecundam obiectionem reſp. Ea omnia formandæ vocis inſtrumenta, & eorum functionem per motum localem, & alterationem ſi opus eſt, poteſt dæmon perfectè effigiare. Ad tertiam reſpondet. C nos non aſſerere veras voces poſſe à dæmonibus fabricari, quia loqui actio vitalis eſt, quàm in dæmone reperiri nõ poſſe aſſeruimus cum D. Tho. vbi ſup. ſed docemus *D. Thom.* eas poſſe tam perfectè ſimulare, vt nihil in vocibus humanis reperiatur, quod dæmon non poſsit per motum localem, aut alterationem, ſenſui præſentare; ac ſi veræ voces ei inſonarent: etiam admiſſa illa opinione, quam falſam reputamus.

Tertium aſſertum. Omnes tangibiles differentias poteſt dæmon ita perfectè fabricare, vt potentia tactiua nequeat obiectum D eſſe à dæmone apprehendere; præter quam carnes, & oſſa, neruos, & alia, quibus fabrica corporis viuentis conſtat, quæ perfectè ſimulare dæmonem, impoſsibile putamus. Secunda pars, circa quam difficultas incumbit, probatur argumentis factis in oppoſitum; præcipuè argumento primo deſumpto ex Diui Lucæ teſtimonio, cui conſonat *Ioan. 20.* Diuus Ioannes in 20. cap. ſui Euangelij, narrans apparitionem factam Diſcipulis, & Thomæ, quando erat cum illis. Præterea. Temperamentum carnis, oſsium, ac neruorum pertinet ad obiectum tactus; non enim A ſolùm percipit primas, & ſecundas qualitates, duritiem oſsium, mollitudinem carnium, ſed etiam temperamentum earum partium viuentium, maximè animalium: ſed huiuſmodi temperamentum non poteſt perfectè fabricari à dæmone: ergo quando id ſimulat, tactus ſimulationem percipiet (& loquimur de tactu, non excludendo à concomitante ſenſu communi, in omni ſenſuum externorum operatione.) Minor probatur: quia illud temperamentum conſiſtit non in ſola mixtione qualitatum tangibilium, non in duritie, aut mollitudine, ſed in temperie reſultante ex his, vt à principio vitali, & animato, proficiſcitur. Obijciet quis primò. Quia eandem tẽperaturam poſſumus in obiectis aliorum ſenſuũ fingere, & dicere, hanc vitaliter non poſſe fabricari à dæmone. Secundò. Eſtò ponatur in ſolo tactu, vt percipiatur non eſt neceſſe eſſe veram temperiem carnis, ſat eſt effictam, ſicut in alijs ſenſibus ſimulatus color ita percipitur ſicut verus; ſimulata vox humana, ſicut vera. Tertiò. Per fluxionem ſpeciei carnis à phantaſia ad tactum vſque poterit percipi caro, ac ſi re vera eſſet præſens, vt ſuprà dicebamus in diſputatione immediatè præcedenti. Reſpondetur ad primam obiectionem. Ad viſus, vel auditus obiectum non pertinet temperamentum ſubiecti, ſed ſolus color, aut ſonus; ſecùs ad obiectum tactus, imò & guſtus, qui percipiunt vt differentiam proprij obiecti temperamentum carnis, oſsium, &c. Ad ſecundam reſp. Obiecta viſus, auditus, & fortaſſe olfactus intentionaliter immutant, ſaltem non eſt neceſſe realiter potentias immutare: at verò guſtus, & potiſsimè tactus obiecta, vel non immutant intentionaliter (vt Medici volunt) aut ſi ita immutant, neceſſe eſt ſimul immutare realiter: per affixionem & impreſsionem realem cum organo præfatorum ſenſuum, guſtus ſcilicet, & tactus; & ideò niſi adſit, & illis iungatur verum carnis, aut oſsium, &c. temperamentum, non ſentient ſe immutari vera carne, & veris oſſibus. Doctrina eſt D. Thom. in 4. diſt. 8. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. & 2. Quomodo autem cum hoc ſaluetur, omne ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non cauſare ſenſationem, non eſt huius loci, ſed ad ſecundum librum de anima pertinet, nos alio properamus. Ad tertiam. Per ſolam effluxionem ſpecierum ad tactum, vel guſtum, qui eſt quidam tactus, nequeunt tangibilia percipi, vel quia nõ immutãt intẽtionaliter, *D. Thom.*

aut si ita immutant, etiam realiter imprimere sensorio necesse est. Secundo respondetur, nos duntaxat differere de decceptione proueniente ex parte obiecti, non verò ex parte medij, id est, speciei: sed præstat prior solutio. Vltimò probatur nostrum assertũ, carnes cadaueris nuper exanimis, magis accedunt ad veras hominis viuentis carnes, quàm carnes, quæ fingi possunt à dæmone per aëris condensationem, aut aliorum humorum alterationem; sed carnes cadaueris nõ esse veras carnes viuentis, affirmant experti se tactu percipere, propter defectum temperamenti à principio vitali proficiscentis: ergo multo melius percipiet carnes à dæmone non esse veras carnes. Ex dictis infertur non minorem ab hominibus capi delectationem in sensationibus obiectorũ à dæmone effictorum erga visum, auditum, & olfactum; quàm in sensatione obiectorũ harum potentiarum, si à natura producerentur: secus contingit in obiectis gustus, & tactus. Prima pars probatur. Quia æquè aut plus perfectè possunt trium præfatorum sensuum obiecta effingi à dæmone, quã à natura fabricari; & æquè aut plus perfectè immutare, vt nuper docui: ergo & delectare, quia appetitus sensitiuus, ad quem delectatio pertinet, sequitur in suo opere modum potentiarum apprehensiuarum sui obiecti. Secũda pars corollarij probatur op posita ratione, & quia sagæ ac lamiæ sæpè fassæ sunt se in coitu cum dæmone incubo, non sentire eam delectationem, quam cum viris experiuntur, nimirum propter scabrositatem, & defectum temperamenti vitalis instrumentorum, à dæmone effictorum. Rectè Caietanus 2.2.q.95. art. 3. *Est enim*, inquit, *tanto humanarum personarum commixtio naturalis delectabilior, quanto verum superexcedit verosimili.* Detinẽtur autem in his spurcitijs delectabiliter lamiæ propter alia quæ consequũtur ex communicatione cum dæmonibus, & quia deceptor hominũ dæmon, id quod deficit de temperamenti vitalis qualitate, supplet alijs voluptuosis spurcitijs. Quare quidam incubus dæmoni in figura pulchræ fœminæ, quàm Catherinam appellabat, captus, & igni statim tradendus, ridens diu, interrogatus de risus causa, dixit se recordari de lenocinijs, & blãditijs suæ Catherinæ (dæmonis succubi) & cum iam flamma occupabat, idem, inquit, faciam: ita refert Syluester lib. 2. de strigimagis, cap. 5. in fine.

Ad argumenta facta in principio dubitationis respondetur: ad primum concedendo intentum quoad omnes sensus, excepto gustu, & tactu propter argumenta facta in oppositum, & propter rationes allatas in tertio asserto: nec tamen negamus homines alijs affectionibus occupatos, vt Menipum captum amore illius sagæ, & illius pulchritudine ludificatum, de facto ac sæpè decipi in tactus, & gustus sensatione; sed homo attentus gustu, & tactu ea cibaria percipere vt inania. Ad secundum similiter respondetur. Abrahamum opinione illorum virorum præoccupatum, & diuinis intentum, ac nihil doli suspicantem, non mirum deceptum esse, etiam in lotione pedũ; posset tamen deprehendere errorem, si attentè attendisset. Mitto modò, quod ibi non dicitur expressè, an per se, an per famulos pedes Angelorum lauerit, imo neque an duntaxat aquam pro lotione obtulisset, facieda ab ipsismet hospitio receptis. Ad tertium respondetur, temperamentum verarum carnium, non posse perfectè simulari à dæmone, quia id necessariò debet esse à principio viuente intrinseco, & hoc à tactu perceptibile est, sicut calor naturalis vt sic, perceptibilis est per tactum, sed tamen impossibile est à dæmone ita perfectè per alterationem fieri, vt non percipiatur, vtrum calor fuerit naturalis, necne, per sensũ tactus.

Ad confirmationem respondetur, visum esse præstantiorem potentiam tactu propter maiorem immaterialitatem, & propter plures sui obiecti differentias, & propter alia: cæterùm tactus minus obnoxius decep tioni propter rationes allatas. Hæc disputata sint pro introductione quæstionis nonagesimæquintæ, & nonagesimæ sextæ, vbi agitur de diuinatione, & vana obseruatione, quorum criminum malitia ferè tota ortum habet, occasione sumpta ex potentia dæmonum ad mirabilia patranda.

(.?.)

QVAES-

QVÆSTIO XCV.

DE SVPERSTITIONE DIVINATIVA.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm diuinatio ſit peccatum?

2. diſtin. 5. q. 1. ar. 3. ad 4. Et 3. cõt. ca. 154. Et Iſai. 3. lc. 4. prin.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quod diuinatio non ſit peccatum. Diuinatio enim ab aliquo diuino nominatur. Sed ea, quæ ſunt diuina magis ad ſanctitatẽ pertinent, quàm ad peccatum. Ergo videtur quòd diuinatio non ſit peccatum.

Li. 1. ca. 1. tom. 1.

2 ¶ Præterea, Auguſtinus dixit in libro de liber. arbitr. Quis audeat dicere diſciplinam eſſe malum? Et iterum: Nullo modo dixerim aliquam intelligentiam malam eſſe poſſe. Sed aliquæ artes ſunt diuinatiuæ, vt patet per Philoſophum in lib. de memoria. Videtur etiam ipſa diuinatio ad aliquam intelligentiam veritatis pertinere. Ergo videtur, quòd diuinatio non ſit peccatum.

Parũ à pri. lib. tom. 2.

3 ¶ Præterea. Naturalis inclinatio non eſt ad aliquod malum, quia natura non inclinat niſi ad ſimile ſibi. Sed ex naturali inclinatione homines ſolicitantur prænoſcere futuros euentus, quod pertinet ad diuinationem: ergo diuinatio non eſt peccatum.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Deuteronom. 18. Non ſit qui pythones conſulat, neque diuinos. Et in decretis. 26. quæſtione 4. dicitur. Qui diuinationes expetunt, ſub regulis quinquennij iaceant ſecundùm gradus pœnitentiæ diffinitos.

26. qu. 5. c. qui diuinationes.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd nomine diuinationis intelligitur quædam prænuntiatio futurorum. Futura autem dupliciter prænoſci poſſunt. Vno quidem modo in ſuis cauſis. Alio mo-

do in ſe ipſis. Cauſæ autem futurorum tripliciter ſe habent. Quædam enim producunt ex neceſsitate, & ſemper ſuos effectus. Et huiuſmodi effectus futuri per certitudinem prænoſci, & prænunciari poſſunt ex conſideratione ſuarum cauſarum, ſicut Aſtrologi prænunciant eclipſes futuras. Quædam verò cauſæ producunt ſuos effectus non ex neceſſitate, & ſemper, ſed vt in pluribus: rarò tamen deficiunt. Et per huiuſmodi cauſas poſſunt prænoſci effectus futuri, non quidem per certitudinem, ſed per quandam coniecturam: ſicut Aſtrologi per conſiderationem Stellarum quædam prænoſcere, & prænunciare poſſunt de pluuijs, & ſiccitatibus, & Medici de ſanitate, vel morte. Quædam verò cauſæ ſunt, quæ ſi ſecundùm ſe conſiderentur, ſe habent ad vtrumlibet: quod præcipuè videtur de potentijs rationalibus, quæ ſe habent ad oppoſita ſecundùm Philoſophum. Et tales effectus, vel etiam ſi qui effectus vt in paucioribus caſu, accidunt ex naturalibus cauſis, per conſiderationem cauſarũ prænoſci non poſſunt: quia eorum cauſæ non habent inclinationem determinatam ad huiuſmodi effectus. Et ideò effectus huiuſmodi prænoſci non poſſunt, niſi in ſe ipſis conſiderentur. Homines autem in ſe ipſis huiuſmodi effectus conſiderare poſſunt ſolùm, dùm ſunt præſentes: ſicut cùm homo videt Sortem currere, & ambulare. Sed conſiderare huiuſmodi in ſe ipſis, antequam fiant, eſt Dei proprium: qui ſolus in ſua æternitate videt ea, quæ futura ſunt, quaſi præſentia, vt in primo habitum eſt. Vnde dicitur Iſai. 41. Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos. Si quis ergo huiuſmodi futura prænunciare, aut prænoſcere quocunque modo præſumſerit, niſi Deo reuelante, manifeſtè vſurpat ſibi quod Dei eſt, & ex hoc aliqui diuini dicuntur. Vnde dicit Iſidorus in libro Etymolog. Diuini dicti quaſi Deo pleni. Diuinitate enim ſe plenos ſimulant, & aſtutia quadam fraudulentiæ hominibus futura coniectant. Diuinatio ergo non dicitur, ſi quis prænunciet ea, quæ ex neceſsitate eueniunt, vel vt in pluribus, quæ humana ratione prænoſci poſſunt, neque etiam ſi quis futura alia contingentia, Deo reuelante, cognoſcat. Tunc enim non ipſe diuinat, id eſt, quod diuinum eſt facit, ſed magis quod diuinum eſt ſuſcipit. Tunc autem ſolùm dicitur

Q. 14. art. 13. & q. 57. art. 3. & q. 86. art. 4.

Li. 8. c. 9. à med. & refertur 26. q. 4. ca. igitur, circa princ.

Li. 9. Met. tex. 3. & 18 tom. 3.

citur diuinare, quando ſibi indebito modo vſurpat prænunciationem futurorum euentuum. Hoc autem conſtat eſſe peccatum. Vnde diuinatio ſemper eſt peccatum. Et propter hoc Hiero. dicit ſuper Michæam, quod diuinatio ſemper in malam partem accipitur.

A med. cõmentarij in c. 3. Mich. to. 6.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd diuinatio non dicitur ab ordinata participatione alicuius diuini: ſed ab indebita vſurpatione, vt dictum eſt.

In corp. ar.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd artes quædã ſunt ad prænoſcendum futuros euentus, qui ex neceſsitate, vel frequenter proueniunt, quæ ad diuinationem non pertinent. Sed ad alios futuros euentus cognoſcendos, non ſunt aliquæ veræ artes ſeu diſciplinæ, ſed fallaces & vanæ ex deceptione dæmonum introductæ, vt dicit Auguſtin. in 21. de Ciuitate Dei.

¶ Ad tertium dicendum, quòd homo habet naturalem inclinationem ad cognoſcendum futura ſecundùm modum humanum, non autem ſecundùm indebitum diuinationis modum.

Paraphraſis Articuli.

Deut. 18. Leuit. 20.

DIuus Thomas reſpondet quæſito vnica concluſione affirmatiua, probatur Deuteronom. 18. *Non ſit qui pythones conſulat, neque diuinos.* Leuit. 20. *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & formicata fuerit cum eis: ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui:* & in fine capitis: *Vir, ſiue mulier in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur,* &c. & Numer. 23. *non eſt augurium in Iacob, neque diuinatio in Iſraël,* numirum, quia grauiſsima ſunt ſcelera: & 4. Regum 17. de hlijs Iſraël ſceleratis ait ſacer textus, *& diuinationi inſeruiebant, vt facerent malum coram Domino:* & in iure Canonico ſæpe prohibentur diuinationes, 26. quæſt. 6. per multa capita, & non ita pridem à Sixto V. in extrauaganti de hoc peculiari. Ex diuinis præceptis, & Eccleſiæ iuſsionibus, diuinationes prohibentur, ſunt ergo peccata. *Num. 23. 4. Reg. 17.*

Id ipſum probat D. Thom. ratione, nam diuini ſunt, qui indebito modo futurorum euentum prænunciare, aut præcognoſcere præſumunt: ſed qui per certitudinẽ dicũt præcognoſcere, & annũciant futura, id efficiũt indebito modo, nẽpè vſurpãdo quod eſt Dei propriũ: ergo ſic diuinare ſemper eſt peccatũ. Maior habetur ex Iſidoro lib. 8. Etymologiar. c. 9. Minor verò probatur, & explicatur ab autore Angelico adducta doctrina ſolida, quã aliàs ſæpe tradiderat nẽpe futura dupliciter prænoſci poſſe: vno modo in ſuis cauſis, alio modo in ſe ipſis. Cauſę autẽ futurorum, tripliciter ſe habẽt: quędã enim producũt ex neceſsitate, & ſemper ſuos effectus; & ij præcognoſci, & prænũtiari poſſunt certitudine magna, ex conſideratione ſuarũ cauſarũ, quę in agendo nequeunt impediri à cauſis creatis, & ideò Aſtrologi prædicunt eclipſes futuras, & alios effectus neceſſariò prouenientes ex motibus cœleſtium orbium. Conſultò dixi, cauſas horum effectuum non poſſe impediri à cauſis creatis: quia à Deo nihil vetat impediri, prohibendo, vel ſubtrahendo ſuum concurſum neceſſarium, vt operentur: ſic fecit quando ſolem fecit ſiſtere tempore Ioſue, & retro cedere ętate Ezechię. Vnde attenta Dei potentia abſoluta, ex nullarum cauſarum conſideratione poſſunt præcognoſci vlla futura. D. autem Thomas loquitur attenta potentia Dei ordinaria, quæ ſinit cauſæ agere ſecundùm ordinem naturalem ſibi præſtitum. Sunt etiam quædam cauſæ, quę producunt ſuos effectus, non ex neceſsitate, & ſemper, ſed vt in pluribus; rarò tamen deficiunt: & per huiuſmodi cauſas poſſunt præcognoſci effectus futuri, non quidem per certitudinem, ſed per quandam coniecturam; ſicut Aſtrologi per conſiderationem ſtellarum, quædam præcognoſcere,

Iſidor.

cere, & prænuntiare poſſunt, de pluuijs, & ſiccitatibus; & Medici de ſanitate, vel morte. Iſthæc autem coniectura magis, aut minus appropinquat certitudini, quanto hæ cauſæ, magis, aut minus impediuntur ab alijs cauſis, vt producant ſuos effectus, aut magis, aut minus adiuuantur à concurſu aliarum cauſarum, ad effectionem ſuorum effectuum. Quare qui de his plus cognouerit, in iſtarum cauſarum influxu, plus accedet ad certam prædictionem ſuorum effectuū: nunquam tamen attinget omnimodam certitudinem. Aliæ verò ſunt cauſæ, quæ ſi ſecundùm ſe conſiderentur, ſe habent indifferenter ad oppoſitos effectus: huiuſmodi ſunt potentiæ rationales, vt intellectus, & voluntas, & effectus ab his producti, ſiue mediatè, ſiue immediatè: vt ſi qui effectus vt in pluribus caſu proueniunt ex naturalibus cauſis, per earum conſiderationem præcognoſci non poſſunt: quia eorum cauſæ non habent determinatam inclinationē ad huiuſmodi effectus. Exemplum ſit in voluntatibus liberis, quæ ſunt immediate à voluntate, & in combuſtione ligni, quæ eſt ab eadem voluntate mediatè, & caſu montis ſupra domum, & ſimilia neutiquam cognoſci poſſunt ex cognitione ſuarum cauſarum, ſi ſecundùm ſe conſiderentur. Et Caietanus expendit iſta vltima verba D. Thom. dicens, eum cautè dixiſſe, ſi ſecundùm ſe cōſiderentur: tum quia iſto modo conſideratę, cauſæ neutræ dicuntur: at quando cauſant, neceſſe eſt ad alteram partē inclinare: tum quia ex ipſis ſecundùm ſe conſideratis, non poſſunt effectus earum agnoſci: quia iſto pacto vel ſunt neutræ, vt potentiæ rationales, vel ad oppoſita caſualium, vt cauſæ naturales: & ſic non habent determinationem aliquam ad huiuſmodi effectus. Cum his tamen ſtat, per eaſdem cauſas præparatas, ſeu diſpoſitas, præcognoſci aliquo modo, abſque certitudine tamen, earum cauſarum effectus: v. g. in hominibus coniectari poteſt ex diſpoſitione naturæ, aut conſuetudinis, aut paſſionis, quid faciet in tali euē tu, citra certitudinem tamen: quia potentiæ rationales abſolutè liberæ ſunt, & vt communiter dicitur, vir ſapiens poterit aſtris dominari. Et de cauſis naturalibus ponit exemplum Caietanus in monſtri futuri cognitione, ex ſemine defectuoſo, & matrice id recipiente. Colligit ergo ſanctus Doctor ex dictis, futura contingentia, maximè ea, quæ à cauſis naturalibus rarò accidunt, aut à potentijs rationalibus prodeunt (intellige ſiue immediatè, ſiue mediatè) ex cognitione ſuarum cauſarum, neutiquam cognoſci per certitudinem poſſunt, niſi in ſe ipſis conſiderentur: quod hominibus, aut Angelis competere nō poteſt, eo quod non agnoſcunt effectus vt præſentes, niſi quando actualiter ſunt. Hoc autem, ſcilicet agnoſcere futura in ſe ipſis ante quam fiant, ſoli Deo reſeruatur: quia ſolus ipſe vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, & in ſua æternitate intuetur ea, quæ futura ſunt, quaſi præſentia, vt 1. parte, quæſtione. 14. artic. 13. & alibi ſæpe docetur. Ex eiſdem palam fit, veritas minoris aſſumptæ in ſyllogiſmo præfato, ſimul & conſequentiæ: videlicet eum, qui per certitudinem conatur prænoſſe, aut prædicere futura contingentia ante quam fiant, vſurpare id quod Dei proprium eſt: iuxta illud Eſai. 14. *Annuntiate quæ ventura ſunt, & dicemus quia Dij eſtis vos*, ac proinde peccare. Tandem D. Thomas corollarium infert, non diuinare eum, qui prædicit quæ ex neceſſitate eueniunt, aut in pluribus: quia hæc humana ratione ex ſuis cauſis agnoſci poſſunt: neque eum, qui alia contingentia, Deo reuelante, cognoſcit. Tum, quia non ipſe diuinat, id eſt quod diuinum eſt facit, ſed magis quod diuinum eſt ſuſcipit. Hoc clarius percipies in materia prophetiæ, vbi docemur Prophetas non prænuntiare ſibi reuelata, vt cauſas principales: ſed duntaxat vt inſtrumenta Dei, eis vtentis ad ſua miniſteria propallanda. Quod non obſcure indicant initialia verba, omnis ferè prophetiæ. *Hæc dicit Dominus. Factum eſt verbum Domini ad me, &c.*

Eſai. 14

Caietan.

Demum in calce paraphraſis aduerte, D. Thomam in hoc articulo non vndique malitiam diuinationis rimari, reſeruans nimirū pro ſequenti articulo perſcrutandam: in hoc autem, vt probet diuinationem eſſe peccatum, ſatis eſſe putauit, ſi id ex ſacris Literis, ac Canonibus probaſſet, & ex ea præcipua malitiæ radice in crimine diuinationis reperta, quia per eam ſibi arrogat creatura, quod creatoris proprium eſt.

De diuinationis etymologia & acceptione.

SI prophanos autores circa hanc materiam cōſulamus, præcipuè Ciceronem, diuinatio omnē prænotionem. & præ-

& prædictionem occultorum significat: deduciturque à diuinitate, (diuinatio namque idem est atque diuinitatis imitatio) eo quod apud omnes autores (qui in pretio sunt habiti) tam sacros quàm prophanos, diuinitate plenum, ac supra creaturarum conditionem censetur, occulta, maximè futura mere contingentia, prænosse, ac prædicere. Cicero lib. 1. de Diuinatione *cui* (inquit) *præstantissimæ rei nomen nostri* (*idest Latini*) *à Diuis, Græci*, (*vt Plato interpretatur*) *à furore duxerunt.* *Cicero.*

Istius autem diuinationis, seu prænotionis generaliter sumptæ tres sunt partes, quas D. Thom. attigit in articulo; quædam est diuinatio, seu diuina prænotio, quæ à Deo dimanat, & hominibus quandoque cõmunicatur, & vocatur prophetia. Altera est prænotio naturalis, quæ sumitur ex signis, vel causis naturalibus, & appellatur præsagium vel coniectatio, stricte sumptis vocabulis. Tertia est dæmoniaca prænotio futurorum, quæ deriuatur ex pacto tacito, vel expresso cũ dæmonibus; & hęc apud autores Ecclesiasticos retinuit sibi nomen diuinationis, nam in sacra Scriptura (vt adnotauit Hieronymus Michæ. 3.) semper diuinatio in malam partem accipitur, sicut prophetia in bona n, nisi ex adiuncto aliquo in malam trahatur, accipimus nos: ergo in hac quæstione diuinationem, non à participatione ordinata alicuius diuini, vt D. Thom. notauit ad primum, sed ab indebita vsurpatione alicuius diuini, quale est futura prædicere. Nihilominus aliqua tangemus de diuinatione cõmuniter sumpta pro quauis prænotione occultorum, imò & de alijs partibus, quas nuper retulimus. *Hieron.*

DISPVTATIO I.

An sit diuinatio, idest, futurorum euentuum, seu occultorum, prænotio, & prædictio?

MIrum est quàm variè senserunt Philosophi veteres. Epicurei omnem diuinationem deridebant dicentes eam esse nugas quasdã aniles, & diuinatores esse seductores, qui se diuinare fingebant, vt homines in Religionis officio continerẽt: nec mirum in hunc errorem incidisse, à peiore fumentem originem: negabant enim Deum esse, aut si erat, nihil res humanas curare, aut futura fortuita non cognoscere, vtpotè suapte natura penitus ignota.

E regione pronuntiabant Stoici, approbantes omnium diuinationum genera, quibus Gentes vtebantur, auguria, auspicia, oracula, omnem denique iudiciariam Astrologiam, quam scientiam Chaldæorum, & AEgyptiorum vocabant: nam Deus est, (quod illi multis argumentis probabant) cui in delitijs, & magna cura sunt homines; ac proinde ad eius erga homines benignitatem, & prouidentiam spectat, futuros eis euentus prædicere, nec quisquam si sapiat, potest dicere, Deum rerum futuros euentus ignorare; cùm omnia ab eo pendeant, existant, & fiant. Peripatetici vt refert Cicero in libris de diuinatione, omne genus diuinationis, vbi aliquid artis admiscetur, reijciebant; eiusmodi sunt auguria, auspicia, sortes, vaticinia ex astris; & similia: at concedebant id diuinationis genus, vbi nihil artis inuenitur, vt insomnia, oracula. Platonici vtrumque genus diuinationis receperunt, & alterius causam in dæmones, alterius in ipsam naturam reiecerunt; vt constat ex Platone in Dialogo de conuiuio, seu amore, & in Dialogo de natura. Pythagoras,) vt testatur Laertius) diuinatione per auguria vtebatur, & inter symbola scripsisse fertur: *Diuinationem omnem honora.* Respondetur igitur ad dubitationem. Non potest in dubium reuocari præsensionẽ, & prędictionẽ futurorũ esse, & fuisse; quã diuinationem generaliter sumptam, nomine diuinationis vocamus. Probatur ex sententia omnium Philosophorum præter Epicureos amentes, & Cynicos delitos. Secundò. Deum omnia futura præscire lumen naturale ostendit, & sacræ Literæ clamant, de quo 1. parte quæstione 14. articulo 13. Insuper Deus multa futura suis Prophetis prædixit, & eo reuelante multò antequam euenirent, præuiderunt, & cæteris prænuntiarunt: igitur non est ambigendum diuinationem fuisse, & esse. Mitto modò diuinationem naturalem, & dæmoniacam, de quibus sparsim in tota hac quæstione dicemus. *Cicero.* *Plato.*

(2)

DIS-

DISPVTATIO II.

An alicui naturæ creatæ inſit naturalis vis diuinandi, id eſt, futura, aut occulta prænoſcendi, & prædicendi?

AIdetur vera pars affirmatiua. Primò, nam animalia quædam ſunt ratione carentia, quæ multos euentus futuros agnoſcunt, & prænuntiant hominibus. Vnde illud Prophetæ: *Cognouit Miluus tempus ſuum, hirundo, & ciconia tẽpus aduentus ſui, &c.* Ergo idem potius de hominibus dicendum erit, quia perfectioris cognitionis ſunt. Secundo arguunt Stoici. Anima naturalẽ vim habet ſentiendi, & videndi præſentia, quæ dicitur ſenſus, & aliam ſentiendi præterita, quæ eſt memoria, qua præteritorum recordamur: ergo & aliam qua futura prænoſcamus, quæ ad diuinationem pertinet. Confirmatur ex Diuo Gregorio libro 4. Dialogorum cap. 26. *ipſa* (ait) *aliquando animarum vis, ſubtilitate quadam ſua, aliquid præuidet.*

Gregor.

Tertiò. Sunt quædam naturalia temperamenta, aut naturales diſpoſitiones, quibus homines ad prædicendùm futura diſponuntur: ergo à principijs naturalibus ortum habet diuinatio, id eſt, præſenſio, & prænuntiatio futurorum. Antecedens patet, primò in fatuis, & ſtupidis, de quibus Plato, & Ariſt. dixerunt, maiorem diſpoſitionem habere ad diuinandum, quàm hi, qui ſanæ mẽtis ſunt, & de facto ſæpe diuinare. Secũdò. Hi qui morti ſunt vicini, ſæpè diuinaſſe, autor eſt Plato in Apologia, dicens, Socratis nomine, eos qui morti proximi ſunt, diuinare ſolitos. Et Gregorius vbi ſupra cap. 26. & 27. quoſdam caſus proponit, quibus oſtendit moribundos aliqua futura prænoſſe, & prædicere. Tertiò. Furentes multa ſæpè diuinant, vt videtur dicere D. Auguſtin. lib. 12. de Geneſi ad literam capite 17. vbi quoſdam caſus commemorat eorum, qui febricitantes, & furentes, aliqua futura prædixerunt. Quartò. De melãcholicis dicitur, magis diuinare quàm cæteros.

Plat. *Ariſtot.* *Gregor.* *Auguſt.*

Pro deciſione dico primò. Nullæ naturæ creatæ poſsibile eſt ineſſe naturalem vim prænoſcendi, aut prædicendi certò, & infallibiliter futura, quæ non habent in natura determinatas cauſas ſui eſſe, qualia ſunt futura naturalia merè fortuita, & quæ à libero arbitrio pendent mediatè, aut immediatè. Probatur; quia præfata futura nequeunt infallibiliter cognoſci, niſi in ſe ipſis videantur, quod eſt Dei proprium, vt docuit D. Thom. in hoc articulo: ergo nulli creaturæ facultas hæc diuinatiua naturaliter ineſſe poteſt. *Nonnulli* (inquit Beatus Auguſtin. lib. 2. de Geneſi ad literam capite 13.) *ſentiunt vim quandam diuinationis eſſe in anima; ſed falſum id eſſe multa demonſtrant.*

Auguſt.

Secundò dico. Supernaturaliter interdum à Deo hæc facultas Angelis, & hominibus communicatur: nimirum ijs, quibus ſpiritum prophetiæ largiri dignatus eſt Deus.

Tertiò dico. Ad dignoſcenda futura quæ habent cauſas determinatas ſui eſſe, putà, quæ ſemper, aut in pluribus, ad eas conſequuntur, non eſt neceſſe à Deo ſupernaturaliter conferri aliquam vim; ſed ex principijs naturalibus poſſunt homines, & dæmones certitudine quadam probabili coniectari. Et hic modus coniectandi, diuinatio naturalis poteſt appellari, imò prophetiam naturalem appellat D. Thom. de veritate, quæſt. 12. articulo 3. & 4. & 2. 2. quæſt. 172. arti. 1. Ad iſtum modum Imperator in bello, & ciuilis Moderator in adminiſtranda Republica, Medicus in morbis curandis, agricola in ſerendo, & plantandis arbuſtis, nauta in ſoluenda à portu, aut retinenda naui, ex diuturna experientia, multa rerum obſeruatione; magna ſolertia, & prudentia rerum ſecundum naturam contingentium, futuros euentus diuinat, & coniectat.

D. Thom.

Ad argumenta in oppoſitum facta reſpõdetur. Ad primum. Animalia bruta, dũtaxat præſentiunt illa futura, quæ ex motu cœli pendent, ex cuius impreſsione mouetur eorum imaginatio ad aliquid agendum, & talis impreſsio in brutis magis viget quàm in hominibus, quia bruta (vt ait Damaſcenus lib. 2. cap. 27.) magis aguntur quàm agant: vnde impreſsiones corporum cœleſtium ſequuntur totaliter, non autem homo qui liberi arbitrij eſt: nec tamen ob id debent bruta dici diuinare, nec præſcire futura, quamuis ex actu eorum, homines futurorum ſignificationem accipiant: quia bruta non agunt ad ſignificationem futuri, quaſi rationem ſui operis agnoſcentia: ſed magis directa ab inſtinctu naturæ.

Damaſc.

Ad

Ad ſecundū negatur conſequentia, quoniam præterita, ſpecies ſui in anima reliquerunt, præſentia per ſe ipſa conſtant, vel in alio ſubſiſtunt: & ideò præſentia videmus, præterita meminimus, at futura merè fortuita neq; per ſe, neq; in cauſis determinatis ſunt: ergo certo ea diuinare nequimus. *D. Thom.* Ad confirmationem reſpondet D. Thom. de Veritate quæſt. 12. art. 3. ad 5. D. Gregoriū loqui de diuinatione, quæ à cauſis naturalibus procedit, iuxta dicta in aſſerto tertio. Ad tertium. Si ſit ſermo de heomantia, ideſt, de diuinatione, quæ Prophetia dicitur; negatur antecedens: ſi vero ſit ſermo de naturali diuinatione, non abnuimus eſſe quoſdam homines magis diſpoſitos ad diuinandum, id eſt, ad prædicendos euentus quoſdam naturales ex agnitione ſuarū cauſarum naturalium, cum quibus habent naturalē connexionē. Huiuſmodi ſunt homines in argumento cōmemorati; nā ſicut Bruta diuinatione naturali magis pollent quā homines, vtpotè, à quibus ſolent homines ſigna euentuum naturalium deſumere: piſces quidam ſolent nautis incautis tempeſtates præmonſtrare, aues agricolis, armenta bubulcis, pecora paſtoribus; nam datus eſt Brutis inſtinctus quidam naturæ pro prudentia: ſic inter homines, fatuis, & rudibus, ac amentibus data eſt diuinatio naturalis pro prudētia: cauſa huius eſt, quia ſicut Bruta maiorem habent affinitatem cum cauſis corporalibus; ſic inter homines hi qui fatui, & ſtupidi ſunt, parum diſident à Brutis in ſuis actionibus. De moribundis dicimus, ſi diuinant quæ per naturam ſciri non poſſunt, ea prænoſcunt, & prænuntiant Deo illuſtrante eorum mentes diuinitus; & hoc eſt quod loco citato probat Gregorius adductis tribus aut quatuor exemplis. *Geneſ. 41.* Sic legitur Iacob egiſſe Geneſi 41. iam morti appropinquans, ſicut & Moyſes Deuteron. 33. at verò ſi morituri prædicunt futura, quę certas cauſas naturales habent, id faciunt, quia aliquando ea hora impeditis ſenſuum motibus, mens ad intra colligitur, ac melius, & exactius contemplatur, quia varijs, & multiplicibus motibus ſenſuum, neque perturbatur, neque diſtrahitur. Eadem ratione fit vt moribūdi facilius, & citius aëris & corporum mutationes, quæ cæteros latēt ſentiant: verbi gratia, pluuiæ deſcenſum è cœlo, aëris ſerenitatem, ſolis æſtum, harum rerū, & ſimilium initia: morituri aliquando ſentiunt citius quam cęteri, quia eorum corpora, & ſenſus tactus, quem maximè vigere in corde, vrgente morte, credo, vires conatur aſſumere, ne vita amabili exuatur.

Deut. 33.

Quidam furorem propheticum poſuêre, ſicut & poëticum, & furioſos magis aptos ad prophetandum. Sed hic error apertus eſt confutandus in materia de prophetia: modò verò dicimus furentes videri ſæpe diuinare, quia loquaces ſunt, aliquando incidunt in id quod futurum eſt, velut qui ſæpè iaculando aliquando attingit ſcopum. Loquuntur omne dicibile, quia imaginationibus dēſis, & cralsis ac calore inſtigantur. Itē quia inſani ſunt non habent quam prudentia ſolet afferre timiditatem; & ideò nihil diſſimulant, nihil tacent, quidquid in buccam venerit depromunt: non mirum ſi aliquando dicant id quod futurum eſt. Itē qui furiunt, & inſaniūt, facilius à dæmonibus arripiuntur; quia plus habent imaginationū, & minus prudentiæ, & quidam ex illis accipiunt, & prænuntiant, & hoc eſt quod D. Auguſt. loco citato probat exemplis. Idem dico de melancholicis, facilius obſidentur à dæmonibus, & ea prædicunt, quæ per naturam parata iam ſunt, vt eueniant. Item facilius abſtrahūtur à ſenſibus, ac proinde pertinacius eorum mens contemplatur. Præterea facilius ſentiunt aëris, & corporum cœleſtium mutationes; & ideò facilius rerum futurarum per naturam contingentium, exordia ſentiunt. Hæc de diuinatione communiter ſumpta, ſed de dæmoniaca Diuus Thomas in articulo ſecundo quærit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm diuinatio ſit ſpecies ſuperſtitionis?

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd diuinatio non ſit ſpecies ſuperſtitionis. Idem enim non poteſt eſſe ſpecies diuerſorum generum. Sed diuinatio videtur eſſe ſpecies curioſitatis, vt Auguſtin. dicit in lib. de vera religione: ergo videtur quòd non ſit ſpecies ſuperſtitionis.

Infra ar. 3. cor. princ. Et 2. d. 15. q. 1. ar. 3. ad 4. Et 3. contra. c. 154. cap. 38. & præce. to. 1.

¶ Præ-

2 ¶ Præterea. Sicut religio eſt cultus debitus, ita ſuperſtitio eſt cultus indebitus. Sed diuinatio non videtur ad aliquem cultum indebitum pertinere. Ergo diuinatio non pertinet ad ſuperſtitionem.

3 ¶ Præterea. Superſtitio religioni opponitur. Sed in vera religione non inuenitur aliquid diuinationi per cõtrarium reſpondens. Ergo diuinatio non eſt ſpecies ſuperſtitionis.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Origenes dicit in Periarchon: *Homil.16. in Numer. à med.to.1* Eſt quædam operatio dæmonũ in miniſterio præſcientiæ: quæ artibus quibuſdam ab his, qui ſe dæmonibus mancipauerunt, nunc per ſortes, nunc per augu ria, nunc per cõtemplationem vmbrarum, comprehendi videtur. Hæc autem omnia operatione dæmonum fieri non dubito. Sed vt Auguſt. dicit in 2. *Lib.2.c.20 tom.3.* de Doct. Chriſt. Quicquid procedit ex ſocietate dæmonum, & hominũ ſuperſtitioſum eſt. Ergo diuinatio eſt ſpecies ſuperſtitionis.

¶ RESPONDEO dicendum, *Quæſt.92. art.1.& q. 94.art.1.* quod ſicut ſupra dictum eſt, ſuperſtitio importat indebitum cultum diuinitatis. Ad cultum autẽ Dei pertinet aliquid dupliciter. Vno modo cùm aliquid Deo offertur, vel ſacrificiũ, vel oblatio, vel aliquid huiuſmodi. *Quæſt.59. in præfat. & a.5.ad1.* Alio modo, cũ aliquid diuinum aſſumitur, ſicut ſupra dictũ eſt de iuramẽto. Et ideò ad ſuperſtitionẽ pertinet nõ ſolùm cũ ſacrificium dæmonibus offertur per idolatriã, ſed etiã cũ aliquis aſſumit auxiliũ dæmonũ ad aliquid faciendũ, vel cognoſcendũ. Omnis autẽ diuinatio ex operatione dæmonũ prouenit, vel quia expreſſe dæmones inuocãtur ad futura manifeſtãda, vel quia dæmones ingerũt ſe vanis inquiſitionibus futurorũ, vt mẽtes hominũ implicẽt vanitate. De qua vanitate dicitur in Pſal.39. Non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. Vana autẽ inquiſitio futurorum eſt, quando aliquis futurum prænoſcere tentat, vnde prænoſci non poteſt. Manifeſtũ eſt ergo quòd diuinatio ſpecies ſuperſtitionis eſt.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd diuinatio pertinet ad curioſitatem quantum ad finem intentum, qui eſt præcognitio futurorum. Sed pertinet ad ſuperſtitionem, quantum ad modum operationis.

¶ Ad ſecundum dicẽdũ, quòd huiuſmodi diuinatio pertinet ad cultum dæmonum, in quantum aliquis vtitur quodam pacto tacito, vel expreſſo cum dæmonibus.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd in noua lege mens hominis arcetur à temporalium ſolicitudine. Et ideò nõ eſt in noua lege aliquid inſtitutum ad præcognitionem futurorũ euentuũ de tem-

temporalibus rebus. In veteri autem lege, quæ promittebat terrena, erant conſultationes de futuris ad religionem pertinentibus. Vnde dicitur Iſai. 8. Et cùm dixerint ad vos, Quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui ſtridunt incantationibus ſuis, Subdit quaſi reſponſionem: Nunquid populus à Deo ſuo requiret viſione pro viuis & mortuis? Fuerunt tamen in nouo Teſtamento etiam aliqui Prophetæ ſpiritum habentes, qui multa de futuris euentibus prædixerunt.

Concluſio eſt affirmatiua.

PRobatio. Omnis diuinatio prouenit ex imploratione dæmonum, ad futura ſciendum: ſed omnis huiuſmodi imploratio cultus dæmonum eſt: ergo & ſuperſtitionis ſpecies, quæ exhibet cultum indebitum creaturæ. Maior probatur, quia in omni diuinatione, vel dæmones expreſſe inuocantur ad futura ſcienda, vel ingerunt ſe vanis inquiſitionibus futurorum, vt mentes hominum irretiant vanitatibus: vana autem inquiſitio futurorum eſt, quando aliquis futurum prænoſcere tentat, vnde prænoſci non poteſt. Minor ſyllogiſmi præfati probatur, quia ad cultum ſuperſtitioſum dæmonum ſpectat, non ſolùm cùm eis ſacrificium offertur, ſed etiam cùm aliquis aſſumit auxilium dæmonum ad aliquid faciendum, vel cognoſcendum; ſicut ad cultum Dei pertinet, non ſolùm cùm ſacrificium, aut oblatio offertur, ſed etiam cùm aſſumitur aliquid diuinum ad aliquem finem conſequendum. Sicut iuramentum præſtitum ad firmitatem contractuum, etiam ad cultum Dei ſpectat.

A

DISPVTATIO I.

An omnis diuinatio pertineat ad ſuperſtitionem?

B

IT videtur vera pars negatiua primò de vana inquiſitione futurorum, cuius vnum aut alterum ex exemplis multis ſumito. Iubetur aliquis tres perſonas cogitare, quarum vnã cupiat vxorem ducere; tunc tres ducunt ſulcos in cinere: ille autem iubetur ſingulis perſonis ſuum ſulcum eligere. Deinde iubetur auerſus ſtare, ne ſulcos videat, quos interea alter tamdiu forcipe oſtendit, donec eorum vnus ab eo ter eligatur; & quam fœminam ille ſulcus deſtinabat, ea ſpondetur ſibi vxor futura. Item eſt & alia vana inquiſitio, qua vtuntur aliquæ obſtetrices conijcientes per nodulos vmbilico, & ſecundis adhærentes, quoties puerpera ſit poſtmodum paritura. Hæc & ſimilia ad vanam inquiſitionem pertinet, cùm ex eo inquiratur ſucceſſus futurus, vnde vel cæci vident agnoſci non poſſe: nulla enim connexio, aut proportio inter hos effectus, & adhibitas vanas obſeruationes.

C

Sit igitur argumentum. Vana inquiſitio futurorum annumeratur in articulo inter diuinationes, & tamen ſi contineatur intra limites vanæ inquiſitionis, nullum includit cultũ dæmonũ: ſupponimus enim talẽ inquiſitorẽ vanũ neutiquã habere pactum cũ dæmone, neque explicitum neque implicitum; ſed potius omnem eius ſocietatem ac commercium exhorreſcere. Confirmatur,

D

quia multæ aliæ inquiſitiones vanę non includunt cultum dæmonum, ac ex conſequenti non pertinent ad ſuperſtitionem; ergo neque vana inquiſitio futurorum. Antecedens manifeſtat Caietanus exemplis: ſi quis quærat ſmaragdum in cerebro gallinæ, vanè inquirit, non tamen ob id colit dæmonem. Similiter & qui geometrica inquirit à Iure conſulto, aut conſilium de rebus grauioribus à puero, ſtultus eſt: nõ verò cultor dæmonum, imò neque pernicioſè peccans. Quod ſi neges conſequentiam, quia in cognitione futurorum vſurpatur quod Dei proprium eſt, quod ad ſuperſtitionem pertinet. Contrà primò, quia eſtò eſſet ſuperſtitio in hac inquiſitione prop-

ter

ter vsurpatam diuinam cognitionem, saltem non erit propter cultum dæmonis. Secundò, quia si quis ea futura vanè inquireret ab alio homine, qui non potest exhibere futurorum notitiam, adhuc non esset superstitiosus neq; in ordine ad Dei cultum, neque in ordine ad cultum diaboli.

Secundum argumentum sit. Nō est illicitum neque superstitiosum exquirere diuinationem bonorum à iactatione sortium, aut taxillorum, quæ vana inquisitio est, cùm nihil ibi sit, vnde cognosci queat, quid cui debeatur: ergo idem dicendum est de vana inquisitione aliorum futurorum. Confirmatur ex Gratiano 26 quæst. 2. Cano. *Sors* (inquit) *nō est aliquid mali, sed res in humana dubietate diuinam indicans voluntatē, subdit, tamen prohibetur fidelibus, ne sub specie diuinationis, ad antiquos idolatriæ cultus redirēt.* Et idē diceret Gratianus de alijs diuinationis speciebus, vbi tantùm vana interuenit inquisitio futurorum.

Gratian.

Tertiò. Inquisitio, & pronūtiatio aliquorum occultorum petita à dæmone, eorum quæ ipse potest certò scire: verbi gratia eorum quæ modò geruntur Constantinopoli secretorum furtorum, rerum perditarum, ad diuinationis vitium pertinet: non enim apparet ad quod aliud vitium spectet, & tamen non reponitur in specie superstitionis: ergo. Probatur minor, tum quia D. Th. in articulo præcedenti eā ad prænotionem, & prædictionem futurorū coarctauit: tum quia superstitionem diuinationis consistere asseruit in vsurpando cognitionem certam futurorum contingentium, quæ soli Deo conuenit: quam vsurpationem non reperiri in prædictione occultorum enumeratorum, & si quæ sunt alia, quæ dæmonis scire non superant, manifestum est.

Prima assertio. Omnis diuinatio futurorum, quæ fit per expressam dæmonis inuocationem, non solum ad societatem dæmoniacam pertinet: verùm etiam ad superstitionem. Prima pars nota fit in prima disputatione circa articulum quartum, vbi explicatur, in quo consistat dæmonis inuocatio tacita aut expressa, à quo modò supersedemus, ne eadem sæpius repetamus. Secunda probatur, quia sic inuocans dæmonem, eius auxilium implorat, & eius ope desiderat adiuuari: at hæc sine cultu dæmonis nequeunt fieri, ratione excellentiæ diuinæ affectatæ, & procuratæ à dæmone per talis auxilij largitionem: sicut enim Deus valde honoratur quando eius patrocinium implo ramus; iuxta illud: *inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*: sic & dæmon, qui simia Dei dicitur, affectat honorari vt Deus, per sui inuocationem, & auxilij collationem. Tum secundo, quia huiusmodi inuocatores dæmonum, inuocando ac implorando eorum auxilium, vel consilium; ipso facto protestantur se dæmonum ope indigentes, ac per hoc illis subiectos: omnis enim indigens, quatenus indigens, subijcitur illi, cuius opera indiget, propter quod Propheta (vt bene notat Caietanus) Deitatem ex nullius indigentia probat, dicens. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniā bonorum meorum non eges.* Et hæc ratio non solum procedit de diuinatione; verùm & de quocumque alio opere, in quo reperitur dæmonis inuocatio.

Caietan.

Secundò probatur specialiter diuinationem futurorum merè contingentium, per dæmonis inuocationem ad superstitionem pertinere: nam profiteri dæmonem esse agnitorem futurorum merè contingentium, est, ipsum vt Deum colere, quia agnitio talium soli Deo propria est: sed qui inuocat dæmonem ad futura cognoscenda, ipso facto profitetur dæmonem posse agnoscere futura merè contingentia, aliàs ab eo nō requireret: ergo, &c. Hæc ratio probat huiusmodi inuocatores dæmonum ad futura libera agnoscenda per certitudinem, non solum superstitiosos esse, verum & hæreticos, si credant dæmones horum cognitione pollere, quod dogma hæreticum est.

Secunda assertio. Omnis diuinatio futurorum per dæmonum inuocationem tacitam, ad superstitionem pertinet. Hæc certa est omnibus, qui priorem assertionem concedunt, & eisdem rationibus probatur. An verò diuinare per vanas obseruationes, sit tacita inuocatio dæmonum, necne? hic labor, hoc opus est, quibusdam affirmantibus, quibusdam negantibus. De quo statim.

Tertia assertio. Inquisitio futurorum per vanas obseruationes, si contineatur intra limites vanæ inquisitionis, nec pertinet ad societatem dæmoniacam, neque ad vitium superstitionis. Pro explicatione assertionis meminisse oportet ex D. Thom. eam dici inquisitionem vanam futurorum, quando aliquis futurum prænoscere tentat, vnde prænosci non potest: quæ ob id vana dicitur, quia non potest assequi intentum finem, qui est cognitio futurorum. Asserimus ergo in conclusione, quòd si quis sciens

D. Thom.

scíens has vel illas obseruationes nullius esse momenti, ac vtilitatis ad futura præno-scenda, his vtatur ioci causa, aut quia his vt desidiosi solent, vult occupari, exhorret-que omnem dæmonis amicitiam, ac pa-ctum; non fit reus criminis societatis dæ-moniacæ, neque superstitiosus est. Pro-batur, quia indulgere vanis vt vanæ sunt, tantùm spectat ad vanitatis crimen: ergo ta-lis inquisitor vanus, vtens inquisitionibus vanis, vt vanæ sunt, idest, non expectans ex ipsis notitiam futurorum euentuum, ni-si à casu; tantùm peccat venialiter peccato vanitatis. Quod intellige per se loquendo de vana inquisitione vt sic; nam aliquan-do propter periculum, poterit esse mor-tale peccatum, vt si quis ioci aut delectatio-nis causa vacet superstitiosis obseruantijs, quas scit institutas à dæmonibus, aut ma-gis, & inter eos conuentas, periculo se a-git, ne dæmon huiusce modi se immisceat, & paulatim se insinuando ad peiora prouo-cet, & ad peiora deducat.

Quarta assertio. Qui vtitur vanis obser-uationibus putans eas fore vtiles ad agni-tionem occultorum, aut futurorum euen-tuum: reus est societatis dæmoniacæ, ac superstitiosi cultus dæmonis. Probatur. Ta lis inquisitor implicitè sperat, ac inquirit à dæmone cognitionẽ futurorum: ergo reus est criminum præfatorum. Probatur an-tecedens, quia hæ obseruationes vanæ, se-cundùm se non sunt alicuius momenti, aut vtilitatis ad cognoscendos futuros euentus, vt supponimus: ergo talem, qualem cen-sentur habere, aut habent; id prouenit ex eo quod dæmon se illis ingerit, ac vim suam illis communicat: ergo vtens illis sperans fore vtiles, à dæmoniaca virtute eum effe-ctum spectat, ac proinde socius dæmo-niorum, & superstitiosus efficitur; sicut ille qui per inuocationem explicitam, aut implicitam eorum implorat opem. Nec satis est dicere, non expectari ab his vanis obseruantijs futurorum cognitionem, se-cundùm aliquam virtutem dæmoniacam, quæ se ibi admiscet; sed absolutè secun-dùm quandam virtutem secretam nobis in-cognitam: possent enim dicere isti inqui-sitores vani, quòd non inuocant, neque in-uocare intendunt dæmones, sed vti talibus, quia experiuntur ea esse vtilia ad cognitio-nem occultorum. Non, inquam, hæc res-ponsio vim nostræ rationis eneruat, quia ex quo dæmon ipse ingerit se, & ibi verè reperitur virtus dæmoniaca, nisi homo A vtens illis vanis, propter ignorantiam ex-cusetur: hoc ipso quod eis vtitur vt vtilibus, diabolicæ societati se miscet tacitè, & dat diabolo cultum, eius auxilium tacitè, & implicitè implorando, nimirum quia vult opus facere, vt vtile ad cognitionem occul-torum, quod nullius erit vtilitatis, nisi pro-pter admixtionem dæmonis, & eius vir-tutem ibi operantem. Debet enim vnus-quisque attendere non solùm quid expres-se in suis operibus contineatur, sed etiam quid tacitè inuoluatur. Hæc ex mente D. Thom. & eius commentatoris Caie-tani, & benè.

B Nihilominus, vt veritas innotescat am-plius, hæc assertio, & eius probatio aliqui-bus obiectionibus discutienda est. Prima, nam in probatione supponitur propter vtilitatem creditam, aut opinatam in eis va-nis, obseruationem ad cognitionem oc-cultorum, esse dæmoniacam, prouenien-tem à dæmone, se his vanis ingerente: quod tamen falsum est: nam posset credi esse à Deo, ad eum modum, quo in lege veteri expectabatur ex aquis maledictis adulterij, aut innocentiæ fœminæ potantis eas ma-nifestatio: & sicut ex lapidibus pretiosis, C qui appellabantur Vrim, & Thumin, res-ponsa euentuum futurorum, vel posset cre-di esse, & expectari à bonis Angelis nos edocentibus occulta: ergo non est cur ne-cessariò dicamus à dæmone se ingerente id prouenire. Confirmatur: nam vti sortibus consultorijs licitum est, vt infra videbimus: quia ex obseruatione earũ à Deo expecta-tur futuri cognitio: ergo etiã in istis vanis li cet à Deo expectare eandẽ cognitionẽ: & qui hanc expectationem haberet, non esset dicendus superstitiosus. Secunda obiectio: D nam ista dæmonum ingestio in vanis obser uationibus, vel prouenit ex parte operis, quod ex natura sua aduocatoriũ est dæmo-nis, vt se ingerat: hoc non, àlias omni vanæ obseruationi vt sic, se dæmõ ingereret, quod esse falsum in tertia assertione dix imus, vel ex parte operãtis prouenit, & neq; hoc dici posse videtur: quia eius intentio nequaquã dirigitur ad talem ingestionẽ, nec per pactũ explicitum, aut implicitum, quæ omnia in casu nostræ assertionis supponimus, inquirentem exhorrescere, & execrari, nec etiã prouenit necessariò ex parte dæmonis vo-lentis se ingerere, quotiescunque reperitur vsus vanarum obseruationum: tum quia li-cèt semel, aut iterum se ingerat: tamen semper se ingerere, sine fundamento di-

citur. Tum quia cum hoc pendeat ex libero arbitrio dæmonis, ſicut poteſt ſe ingerere, & interdum ingerit; interdum poteſt velle non ſe ingerere. Tum tertio, quia cùm hoc ſit cõſtitutum in eius libertate, ſiue vanæ ſint obſeruationes, ſiue non; poteſt pro ſuo arbitratu ſe ingerere, aut non ingerere. Confirmatur. Quamuis aliquis vtatur his vanis inquiſitionibus, vt præciſe vanæ ſunt, etiam ſi dæmon ſe his admiſceat, reſpondendo, vel aliquid faciendo; non cenſebitur tacitè inuocare dæmonem, vt in tertia aſſertione dictum eſt: ergo neque ſi vtatur eis vt vtilibus, non cenſebitur eum inuocare.

His non obſtantibus noſtra aſſertio, & D. Thom. non eſt deſerenda, ſed ad obiectiones illatas reſpondendum. Ad primam reſpondetur. Vtentes his vanis ad inquiſitionem futurorum, ſciunt, vel deberent ſcire has vanas obſeruationes non eſſe à Deo, neque ab eo vim accipere ad futurorum cognitionem. Tum quia ſæpè circa res futiles verſatur. Tum quia in lege gratiæ, ad euentus quoſque non eſt à Deo rebus corporalibus collata vis: paucissima ſunt quæ elegit Chriſtus Dominus, & fortè nulla ad euentus rerum prædicendos. Secus in lege veteri, cuius rationem diſcriminis adhibet *D. Thom.* D. Thom. ad 3. etenim in noua lege, mens hominum arcetur à temporalium ſolicitudine, & ideò nihil eſt in lege gratiæ inſtitutum ad præcognitionem futurorum euentuũ. Vnde diſcipulis ſciſcitãtibus Actorũ 1. *Actorum.* *Domine ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſraël?* reſpondit Dominus: *Non eſt veſtrũm noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Quaſi redarguere volens eos, quia plus quàm par erat in lege gratiæ, curioſi erant in inquirendis futuris euentibus. Ita interpretatur Sixtus Quintus in quadam extrauaganti. In veteri autem lege, quæ promittebat terrena, erant conſultationes de futuris ad religionem pertinentibus, & bonam Regni gubernationem. Tales erant inquiſitiones allatæ per Vrim, & Thumin, & per Ephot, & ſimilia, quæ cùm fuerint ex inſtituto Dei, non eſſent dicendæ eo in tempore vanæ obſeruationes, aut inquiſitiones: modò autem ceſſante veteri lege, eſſent plus quàm vanæ, & ad Iudaicũ ritum pertinentes. Nihilominus Chriſtus ſuam Eccleſiam hoc auxilio non deſtituit, relinquens ei prophetiæ ſpiritum, licèt non tam frequentem ſicut in ſynagoga: quia eius ceſſauerunt vmbræ per manifeſtationem Chriſti Ieſu, & Apoſtolorum, ac ſucceſſorum eius. Ad confirmationem reſpondetur. Sortes conſultorias ſi veſtiantur circũſtantijs neceſſarijs (de quo infra) non ſunt dicendæ vanæ inquiſitiones, nos autem in præſentia dumtaxat diſputamus de vſu vanarum obſeruationum, ad prænoſcenda occulta.

Ad ſecundam obiectionem reſpondetur vndique captari occaſionem à dæmone, ſe his vanis ingerendi, ſed potiſsime ex parte vtentis his vanis, reputantis ea vtilia ad futurorum cognitionem: & quamuis ſibi videatur omne reſpuere pactum, omnem abominari ſocietatem daemoniacam: mens tamen humana ſibi mentitur, ſeque miserè decipit, admittens quod prima facie videtur repudiare. Etenim vtens his vanis vt vtilibus ad occultorum cognitionem, ſcit, vel ſcire debet eam vtilitatem non à Deo prouenire, qui illa vana non inſtituit. Et idem dico de Angelis bonis, qui ſunt miniſtri eius, nec latum vnguem diſcedentes à voluntate eius: neque à cauſa naturali, quæ nulla poteſt eſſe reſpectu futurorum merè contingentium. Supereſt ergo vt promanet à dæmone ſe ingerente, & quod his vanis vtens, ab eodem ſperet implicitè eam occultorum cognitionem. Quòd verò dæmon ſe ingerat de facto, vel non ingerat, per accidens eſt, quia homines his vtentes vt vtilibus, ipſo vſu proteſtantur ſe à dæmone implorare; vt ſe ingerat: ſicut etiam per accidens eſt, quod dæmon expreſsè inuocatus aduenìat, vel non aduenìat: exiſtimo tamẽ hoſtem percupidum nocendi, & non negligentem captandi occaſiones, irretiendi animas: ferè ſemper ſe his vanis ingerere, vt honor diuinitatis circa occultorum cognitionem, quem ab initio ambiuit, ſibi ab hominibus exhibeatur. Ad confirmationem negatur conſequentia, quia vtens, cenſens ea vana eſſe vtilia, & ſcire debens non aliunde vtilitatem hãc prouenire, niſi ex dæmoniaca virtute: hoc ipſo quod eis vtitur, tacitè inuocat. An verò aliquãdo huiuſcemodi inquiſitiones vanæ à peccato excuſentur, & quomodo? inferius dicendum.

Dãmum circa iſtas inquiſitiones vanas, nota cum domino Caietano, maxima attentione penſandum, an ea media, quibus vtimur ad occulta cognoſcenda, ſufficientia ſint, vt ex eis agnitio occultorum deſumi poſsit; an verò inſufficientia, ne præcipitemus ſententiã, damnantes vt ſuperſtitioſa, quæ non ſunt: & ſic obijciamur irriſioni ſapien- *Caietan.*

sapientum, qui causas rerum callentes, ex eis à vulgo ignoratis, multa occulta ipsi colligunt, seu conijciunt: aut verò in aliud extremum declinantes, approbemus vt sufficientia media ad præfatam aghitionem, quę re vera non sunt: & sic eis vtentes, in superstitionis crimen incidamus.

Indicare tamen, an media aliqua sint sufficientia, vt eis cognitio occultorum desumi possit, nec ne? fateor rem difficilem. Circa quod in articulis sequentibus laborandum erit. Modo verò aduerte ex doctrina D. Thomæ in articulo 1. tribus modis *D.Thom.* posse contingere, vt vnum ex alio cognosci queat: primò, vt ex sua causa; secundò, vt ex suo effectu, tertiò, vt ex effectu suæ causæ, cum qua vtrumque habet connexionem. Primo modo Eclipsis: v.g. futura cognoscitur ex motu cœli. Secundo modo ignis; v. g. ex fumo. Tertio modo serenitas ex arcu cœlesti, quatenus videlicet eadem causa solet esse illius, & serenitatis. Quare quando dubitatur, vtrum aliquod medium sufficiens sit ad aliquod cognoscendum, ad hoc documentum recurrendum est, nam si sapientum iudicio apparet aliquo ex tribus his modis, vnum posse cognosci ex alio, non est damnanda vt superstitiosa talis inquisitio. Si autem iudicatur aliquo modo ex istis, vnum ex alio non posse agnosci, vana erit talis inquisitio: & si excedit limites vanitatis, quia inquirens putat esse vtilem, superstitiosa erit, propter tacitam dæmonis inuocationem, vt dictum est.

Quinta assertio. Inuocantes dæmonem expresse, aut tacitè, id est verbo, aut opere, ad sciendum aliqua occulta, quæ dæmonis scire non superant, in vitium superstitionis incidunt. Hæc assertio est contra quosdam modernos, qui licèt iudicent talem inuocationem esse peccatum initæ cum dæmone societatis: negant tamen id ad superstitionem pertinere. Ita P. Gregorius *Valencia.* de Valencia in commentarijs ad secundam secundæ Diui Thomæ, quæstione 12. de diuinatione, disputatione 6. puncto 3. Et *Delrius.* Martinus Delrio lib. 4. disquisitionum magicarum, capit. 2. quæstione 4. Mouentur, vt credo, argumento tertio: & citant pro *Pegna.* sua sententia Franciscum Pegna in Commentario 68. super tertiam partem directorij Inquisitorum: sed ille autor doctus non stat pro eis, quia tantùm contendit probare huiusmodi diuinationem non sapere hæresim manifestam, quod nos etiam non diffitemur, acturi de hac re inferius.

A Probatur tamen assertum nostrum ex Diuo August. in lib. 2. de Doctrina Christiana, capit. 20. tomo 3. *Quidquid* (inquit Augustinus) *procedit ex societate dæmonũ, & hominum, superstitiosum est.* Sed qui auxilio dæmonum prædicit ea, quæ dæmonis scire non superant, procedit ex societate dæmonum, & est eius criminis reus: ergo superstitiosus est. Et D. Thomas in hoc articulo *D.Thom.* vniuersaliter dicit ad superstitionem pertinere, cùm aliquis assumit auxilium dæmonis ad aliquid faciendum, vel cognoscendum: & in solutione ad secundum, ratione superstitionis colligit, in quantum aliquis B vtitur quodam pacto tacito, vel expresso cum dæmonibus: quod adesse quando quis ope dæmonum prænuntiat occulta, etiam quæ facultatem cognitiuam eorum non excedunt, palam est. Deinde probatur ratione. Omnis actus includens dæmonis cultum superstitio est, quæ in cultu indebito consistit: at diuinatio, seu prænuntiatio quorumcunq; occultorum ministerio dæmonum, inuoluit cultum dæmonum propter expressam, aut tacitam eorum inuocationem: ergo superstitio est, siue inuocentur ad edocenda quæ eorum facultatem agnoscitiuam superant, siue non superent. C

Confirmatur ratione insinuata à Caietano in fine huius art. nam in casu assertionis, imò in quacunque dæmonis inuocatione, dæmon responsurus affectat vsurpare aliquid de excellentia Dei, & de honore illi ab homine debito, in hoc saltem quod homo relicto Deo ad ipsum recurrat, & ipsi se subijciat tãquam indigens eius auxilio: ergo in hac affectatione excellentiæ homo illi cooperatur, inuestigando ab eo etiam quæ eius naturale acumen non excedunt. Mitto modò, quod se exponit periculo colendi illum expresso cultu.

D Secundò. Prophetia, & diuinatio superstitiosa, in materia conueniunt, licèt in alijs multis differant: sed Prophetia non solùm versatur circa futura, sed etiam circa præterita, ac præsentia, & circa ea, quæ ab hominibus aliàs poterant sciri, nedum à dæmonibus. Denique erga omnia occulta, vt docet Diuus Thomas de veritate, quæstione 12. artic. 2. Ergo circa eadem versatur diuinatio.

Sed vt inter hæc occulta scias discriminare, & diffinitionem diuinationis rectè constituere, operæ pretium duxi aliquot dicere de his, quę dæmones possunt agnosce-

re, & hominibus iudicare, & de his quæ A
poteſtatem ſuæ potentiæ cognoſcitiuæ ſuperant: inde enim percipiemus quod ſit obiectum diuinationis. Primò agnoſcunt ſe ipſos, reliquos Angelos bonos, ac malos, ac Deum ipſum aliquali cognitione. Secundò agnoſcunt dilucidè omnium rerum naturalium ſpecies, elementa, metalla, lapides, herbas, plantas, reptilia, & alia terræ animalia, aues, piſces, orbes, & motus cœlorum, omnes, & ſingulas ſtellas, conſtellationes, aſpectus cœleſtes, ac influxus, & omnium harum rerum virtutes, ac proprietates. Tertiò agnoſcere poſſunt omnia ſuppoſita cuiuſuis naturæ B
exiſtentia. Quartò agnoſcunt omnes res præſentes, etiam actiones, modò in actum exteriorem prodierint; etiam ſi hominibus ignotæ ſint, vt ſecreta, furta, res perditas, theſauros abſconditos, metalla ſubterranea, aurifodinas, & huiuſmodi, etiam ſi valde diſtantia ſint omnia hæc. Quintò omnia præterita dæmon agnoſcere poteſt, ac memoria tenere; quæ vel relatione aliena accepit, vel coram ipſo geſta fuêre, nec eius memoria multitudine, aut diuturnitate obliteratur, ſiue obruitur, & hæc enarrare ſibi facillimum erit. Sextò poteſt dæmon certò prænoſſe, & prædicere fu- C
turos euentus, qui à cauſis naturalibus neceſſarijs pendent, ita vt ab alijs cauſis naturalibus non valeant impediri; vt ſunt motus cœlorum, eclipſes, coniunctiones aſtrorum, & eiuſmodi: qui verò non neceſſariò, ſed vt plurimum tantùm euentiunt, eo quod poſſunt ab alijs cauſis naturalibus impediri, vt pluuiæ, nimbi, & ſimilia: hos euentus per coniecturas dumtaxat agnoſcit, & probabiliter tantùm prædicit. Septimò certiſsimè multos euentus futuros prædicit, quia ſcit eos ipſum facturum. Ita Auguſtin. 9. de Ciui- *Auguſt.*
tate, capite 22. verbi gratia, ſi Deo per- D
mittente dæmon fuerit autor alicuius peſtilentiæ, poterit prædicere tali die ceſſaturum, quia ab ea inferenda ipſe ceſſabit, idque poterit magus prænuntiare, ſi ex pacto, ad alicuius ſigni alicubi reconditi ſublationem, morbus deſinet graſſari. Octauò prædixit dæmon, & ſæpè per ſuos magos multa de fidei myſterijs futura: de Chriſti ortu, & miraculis, ac de idolatriæ euerſione, & ſimilibus, vt cùm Hermetem dæmones docuerũt Aegyptiorum ſuperſtitionem abolendam. Ita *Auguſt.*
Auguſtin. 8. de Ciuitate Dei, capite 23. &

cùm Apollo ſe cedere puero Hebræo dixit: & alia quæ videnda ſunt in Steucho Eugubino libro 3. de perem. Philoſophia, capite 14. Hæc autem prænuntiare potuit dæmon, non quia futurorum polleret ſcientia, ſed quia vel ex ſacris Literis Prophetarum id didicit, vel Deus, vel Angeli reuelarunt propter finem nobis occultum.

Sed nunquid omnia ſcire poteſt ac certò prædicere? Nequaquam: hoc ſolius Dei eſt: dæmon non certò agnoſcit, nec certò poteſt prædicere ea quæ ſunt omninò liberè futura; vt ſunt primò quæ dependent abſolutè à voluntate Dei, cuiuſmodi ſunt ſupernaturalia myſteria, mutationes, & Regnorum gubernationes, quia corda Principum in manu Dei ſunt, & quocunque Deus voluerit vertet illa. Secundò. Ea quæ pendent ex arbitrij libertate, vt quid ſim facturus, aut cogitaturus craſtina die. Tertiò. Quæ ſunt omninò, & propriè contingentia futura, quandiu illa non habent cauſam certam, & determinatam. Cuius egregiam rationem attulit D. Tho. in artic. 1. huius quæſtionis. Cogitationes humanas in animo manentes, & per nulla ſigna exterius prodeuntes, nequaquam valet agnoſcere. Et de hac dæmonum cognitione D. Thom. multis in locis fuſè, præcipuè 1. parte, à quæſtione quinquageſima quarta vſque ad quinquageſimam octauam. *D. Thom.*

Cum tamen noſſe certò futura merè cõtingentia, nec habentia cauſam determinatam, aut contingentia libera, vel cogitationes humanas in animo exiſtentes, ſolius Dei ſit; qui nouit futura in ſe ipſis, & cui ſunt manifeſta intima cordis: dæmon qui affectat diuinam excellentiam, cupit perſuadere hominibus ſe horum cognitione pollere, ac hominibus, quando libuerit annuntiare. Quam perſuaſionem vt ingerat varijs, ac vafris technis, & fraudibus vtitur. Primò multa futura contingentia, ac libera futura prædicit, non quia certò nouerit ea euentura, ſed quia acutius, & probabilius quàm homines de his coniectat. Etenim diuturna obſeruatione quam plurium annorum, ſibi experientiam acquiſiuit, non perdidit acumen ingenij Angelici, egregiè callet rerum naturalium facultates, & ad quid valeant, hominum voluntatem mediante appetitu ſenſitiuo inclinare nouit, omniumque hominum

com-

complexiones, & inclinationes, quid ex his, & illis vt plurimum ſequi ſoleat. Vnde fit vt ſæpe ſine errore dicat. Primò quid & quando homines ſint facturi, vel etiam quòd Deus hunc, vel illum populum ſit puniturus, quòd talis exercitus gladio, fame, peſtilentia affligendus ſit, quod talis à tali ſit occidendus, quod Princeps Regno pellendus: nam & hoc ex diligentia coniuratorum, negligentia, & incuria Principis, & ſimilibus poteſt colligere. Inſigne huius rei exemplum refert Nicetas Chron. libro 3. de quodam fanatico Baſilacio, qui (vt creditur) docente dæmone, Iſaacio excæcationem, & Regni amiſsionem prædixit. Et ita factū eſt degebat iſte Baſilacius prope Rhadeſtū, & habebatur à vulgo Prophe ta. *Cæterum* (ait Nicetas) *nihil veri, aut perſpicui de rebus futuris loquebatur; ſed verba confuſa, & perplexa fundebat, & quamuis ſæpè ridicula quædam miſceret, tamen turbam paſtorum, agricolarum, & remigum attrahebat; & mulierum ad ſe venientium mammis contrectatis, & talis exploratis obſcura promebat oracula; & ad pleraſque quæſtiones non reſpondebat, & ſuas diuinationes diſcurſationibus, & inſanis geſtibus peragebat. Adſtabant ei cognatæ aniculæ vecordes, & inſanæ, quæ conſultoribus explicabant, quid illi Baſilacij geſtus rerum futurarum deſignarent, & taciturnitatem vt ſapientem electionem interpretabantur. Is igitur homo (vt dixi) vates vulgo habebatur, & futura prædicere putabatur: à mulierculis præſertim, quibus turpes quæſtiones, & deformes veſtium implexiones, pro ludo, & ioco cordi erant: cordatis verò hominibus ineptus hiſtrio, & vetus ſiliccrnium videbatur. Erant etiam, qui eum Pythonico ſpiritu eſſe præditum haud obſcurè indicarent, quorum iudicijs ego maximè aſſentior.* Ita Nicetas, & ſubdit: *Imperatorem ad ſe venientem, neque vt tanta potentia præditum excepit, neque ſalutationi eius, (quæ erat Salue Pater Baſilaci) reſpondit; neque tacito nutu capitis, gratias egit, ſed huc atque illuc inſtar pulli equini, aut hominis furioſi, ſaltans, accedentibus malè dixit; nec ipſi quidem Imperatori parcens, vix tandem inquietis illis agitationibus omiſsis, ſcipione, quem manibus geſtabat, imaginis Imperatoris, quæ in eius oratoriæ cellæ pariete depicta erat, oculis eraſis, etiam pileum de capite illius auferre ſtudebat: quæ cùm feciſſet, Imperator, eo vt deliro deſpecto, diſceſsit. Vaticinium mox euentus comprobauit, quem poterat quicunque ſagaci prudentia præuidere (nedum dæmon) eum & Alexius diligentiſsimè fratris ruinam meditaretur, & Iſaacius inepta ſecuritate omnes delatores repelleret, hoc certè agnouit dæmon, & ſuum clientulum Baſilacium extimulauit, vt illo inſano facto inſinuaret, & ſic videretur vaticinari futuros euentus.*

Nicetas.

Secundò. Prædicit dæmon per ſe, vel per ſuos diuinos, multa de cogitationibus internis, non quia certò penetret; ſed quia in corpore ſolent hæc cogitata ſui ſigna relinquere. Vnde ſi ex motu vultus, vel membri alicuius, vel ex quauis alia mutatione, aut alio extrinſeco prodantur: melius ac certius quàm periti medici ex pulſu morbos, ex præfatis, aut ſimilibus indicijs internas animi cogitationes apprehendunt, & ſi non ſemper certò, ſemper tamen probabiliter coniectant. Quin imò cùm anima adeò coniuncta ſit corpori, quibus proinde maxima ſit communicatio, & reciproca motio actionum: vix reor reperiri aliquam mentis cogitationem, quin per aliqua ſigna corporea exterius prorrumpat, ac proinde pauciſsimas reperiri ſpiritibus malis occultas propter ingenij Angelici ſagacitatem penetrantis ea ſigna, & ex eis argutè colligentis quid quiſque in corde ſuo euoluat. Quamobrem cauendum eſt ne quis intimis ſuis cogitationibus fidat, quaſi neſciat perfidus hoſtis, quid homo intendat: interdum enim ipſe cogitatus ſuggerit, & inde eos ſaltem coniecturaliter, & probabiliter nouit.

Huic accedit, poſſe dæmonem phantaſiam phantaſmatibus immiſsis ſic vehementer turbare, vt vix homo ad aliud aduertere poſsit, vel aliud cogitare, quàm quod ab eo ſuggeſtum fuit. Ita fit, vt videatur diuinare quæ homo cogitat. Hac via Scotus Parmenſis Magus circa annum Domini milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum nonum gloriabatur ſe habere artem penetrandi cogitationes: aiebat enim, *cogita quod volueris, & cogitationem diuinabo*, ſcilicet, dæmon ſtatim importuniſsimam aliquam cogitationem de re nota mago, immittebat: quamuis, & alia via id poſſet prædicere, nimirum cùm inter intellectus, & phanſiæ operationem, tam arcta colligantia ſit, homine impenſè aliquid cogitante, phantaſia ab eo obiecto non eſt aliena. Quare dæmō qui videt ea quę phātaſia verſat, videbit ea quæ intellectus cogitat, ſaltē quando importunè

portunè circa vtramque dictam potentiam reuoluitur, ac volutatur. Quē actum præuidens quidam Dominicanus ſatis doctus deluſit magum coram Imperatore Carolo Quinto, diuertens ſuas cogitationes à ſuggeſtis, quæ in imaginatiua volutabantur: Sciebat nimirum homo ille doctus, motum appetitus ſenſitiui, & apprehenſionem phantaſticam ſecundum quod à ratione, & voluntate mouentur, non ſubiacere dæmonum cogitationi, licèt phantaſmata nouerit.

Tertiò. Valde diſtantia cum certo dæmō poſsit agnoſcere, & qua pollet celeritate, quæ in remotiſsimis regionibus geruntur, tam celeriter nuntiare poſsint, vt diu ante præcognita eſſe ab ignaris putentur. Sic Apollonius cum eſſet Epheſi exclamauit eo in tempore Romæ interfici Domitianū. (Ita Philoſtratus in eius vita.) Vnde magni ſibi opinionem diuinitatis apud vulgus cōparauit, quaſi futura agnoſceret, & prædiceret. Simile quid refert de quodam iuuene Gellius lib. 15. noctium Atticarum par. 18. & de alio Aimonius lib. 3. annalium ca. 22. Quod ſi plura cupis lege Grillandum de ſortilegijs, quæſt. 6. num. 3. Nicolaum Remigium libro 3. de monolatr. cap. 10. Michaelem à Medina libro 2. de recta in Deū fide capite 1. Binsfeldium in Rubrica. C. de malefic. & maleficia. notabili 10.

Gellius. *Aimonius.* *Grilland.* *Remig.* *Mic. Med* *Binsfeld.*

Denique dæmones affectantes futurorum cognitionem, qua ſe vident carere, fraudulenter quandoque exili ſono ſic ambiguè, aut perplexè reſpondent, vt vix intelligatur reſponſio; nimirum vt in quamcumque partem euentus inclinet, futura certò prædixiſſe putentur. Multa de hac re Cicero de diuinatione. Euſebius libro 6. præparatio. Euangelicæ, capite 10. Socrates libro 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 15. Grillandus quæſtione 6. numero 7. Satis ſit vnum proferre exemplum. Creſo oraculum reſpondet, Creſus Halyn tranſgreſſus maxima Regna perdet. Si viciſſet Cyrum, dixiſſet; hoc volebam, te copias omnes hoſtiles perditurum. Vincitur Creſus: hoc ait, volebam, te amiſſurum Regna ampliſſima.

Cicero. *Euſeb.* *Socrates.* *Grillandus.*

Ex dictis colliges diffinitionem diuinationis: Eſt enim quædam ſuperſtitionis ſpecies, in qua prænuntiantur occulta mediante inuocatione tacita, aut expreſſa dæmoniorum. Quod verò adiungantur huic crimini apoſtaſia à fide, blaſphemiæ, idolatrici cultus, ſacrificia, & huiuſmodi per accidens eſt diuinationi, quæ ſine his poteſt, & ſæpè conſumatur. Colliges etiam, diuinationem omni iure, naturali, ſcilicet, & humano eſſe prohibitam; ſicut & cultus diaboli, & ſocietas, quæ in omni diuinatione intrinſecè claudun-tur.

Ad argumenta in principio diſputationis facta reſpondetur. Ad primum ex dictis circa tertiam, & quartam aſſertionem, patet reſponſio; ſimiliter ad confirmationem. Ad ſecundum latius infra agentes de ſortibus, modò verò breuiter negamus conſequentiam, quoniam caſus fortuitus poteſt eſſe vtilis ex conuentione hominum ad tranſlationem dominij, vt patet in ludis fortunæ; non verò ad cognitionem futurorum, circa quam nihil operatur caſus fortuitus.

Circa confirmationis teſtimonium, poterat aliquis putare iure humano dumtaxat diuinationem eſſe prohibitam; alij verò omnem prædictionem futurorum ſubiacere pœnis poſitis in iure aduerſus diuinationem: nos media via incedimus aſſerentes, omnem diuinationem, quæ miniſterio dæmonum, aut quouis alio indebito modo patratur, eſſe prohibitam omni iure, naturali, diuino, ac humano, & eam dumtaxat pœnis ſacrorum Canonum & iuris Ciuilis eſſe ſubiectam. Cæterum eam diuinationem, quæ nititur medijs proportionatis ad coniectandum aliquot futura, iuxta ſapientium timoratæ conſcientiæ decretum, (quæ potius præſagium, quàm diuinatio dicenda eſt, nam diuinatio in ſacris Literis in malam partem pro ſuperſtitioſa ac vana accipitur ſemper) neutiquam damnandam eſſe cenſemus; neque ſubiectam pœnis iuris Pontificij, aut Canonici, vt latè, & egregiè oſtendit dominus Caietanus in hoc articulo. Quod ſi quandoque huiuſcemodi præſagia iubentur, aut monentur relegari; propter periculum labendi in ſuperſtitionem, id fit: de ſortibus autem, de quibus expreſsè loquitur Gratianus citatus, inferius latius dicemus.

Caietan.

Ad tertium reſpondetur ex dictis circa quintam aſſertionem, negando minorem. Ad primam probationem reſpondetur, diuinationem magis propriè verſari circa futura omninò libera aut non habentia cauſam determinatam, & inde nomen accepit. Hæc autem licèt ſint magis propriè & principalius materia diuinationis, non

ſunt

sunt tamen tota materia eius, quæ etiam A
versatur circa alia occulta, quæ dæmonis naturalem cognitionem non superant. Diuus autem Thomas, in primo articulo, vt ostenderet diuinationem esse peccatum, egit de diuinatione in ordine ad materiam principaliorem, & magis propriam: sicut in definitione prophetiæ & in etymologia tantùm fit expressa mentio futurorum, cum tamen extendatur ad præterita, imò & ad conclusiones scibiles, vt aduertit sanctus Doctor ex Gregorio. Ad secundam probationem respondetur cum Diuo Thoma, infra quæst. sequenti, art. 1. ad 3. Ex duplici capite expendere possumus rationem superstitionis in diuinatione. Primum ex vsurpatione diuinæ cuiusdam perfectionis, Dei propriæ: nempe cognoscere in se ipsis futura. Secundum, quia assumitur ministerium dæmonum, ad prædicanda quæque occulta. Quodlibet horum capitum seorsim sufficiens est ad constituendum diuinationem in specie superstitionis. Primum tantùm reperitur in diuinatione, quæ versatur circa cognitionem eorum, quæ dæmonis scire superant, & Dei propria est. Secundum verò in omni diuinatione, ex quo vniuersaliter sumitur malitia superstitionis diuinatiuæ, vt expresse ait Diuus Thomas in hoc articulo, in solutione ad 2.

An verò huiuscemodi diuinatio pertineat ad cultum latriæ datum dæmonibus, an verò ad cultum duliæ, siue hyperduliæ dubium est? Nos verò dicimus. Etiam si in hoc casu ad cultum pertineret duliæ, non ob id euaditur crimen superstitionis contra virtutem religionis. Cui aduersatur non solùm reddere creaturæ cultum latriæ, soli Deo debitum: verùm etiam cultum duliæ reddere dæmoni, inimico Dei, affectanti eius excellentiam. Secus esset si quis redderet homini duliæ cultum, etiam petendo ab eo cognitionem quorundam occultorũ, D
quæ eius cognitionem non superarẽt. Exẽplum sit in eo, qui amaret dæmonem, quia potentem, aut sagacem: non redderet dæmoni amorem Deo debitum, sed peccaret contra charitatem, quia amat Dei hostem, cui est in dictum perpetuum bellum.

DISPVTATIO II.

Sit ne diuinatio peccatum mortale, an veniale?

DIco primò. Omnis diuinatio superstitiosa est peccatum mortale ex genere suo. Probatur, quia vitium est oppositum religioni, & religio obligat ad sui obseruantiam sub reatu mortalis criminis, eo quod debitum inducit necessarium, vt integritas morum B
conseruetur: sicut dicit D. Thomas supra, *D. Thom.*
quæstione. 80. ergo diuinatio omnis superstitiosa, peccatum mortale est.

Dico secundò. Interdum excusantur diuinantes vel à peccato veniali, vel à mortali propter ignorantiam, de quo secundùm regulas communes ignorantiæ iudicandum est. Quare qui expressè inuocant dæmonem, siue verbo, siue facto, nunquam excusantur à mortali: verbo quidem, vt quando voce precantur dæmonem cognitionem occultorum: facto, quando aliqua faciunt, quæ sciunt esse conuenta inter dæmones, & homines, vt dæmon accurrat, C
& propalet quæsita: nullus enim Catholicorum, talem inuocationem non esse graue peccatum, posset prætexere: at verò difficilius iudicatur quando sit peccatum mortale, diuinatio illicita, quæ fit per vanam obseruationem dumtaxat, non interueniente pacto aliquo ex dictis.

Dico tertiò. Propter ignorantiam (si illa sit tanta, vt difficile sit eam vincere) vana inquisitio existimata vtilis, peccatum fiet veniale, quod de genere suo est mortale: v. g. si quis non satis doctus crederet, vti quibusdam vanis, proficere ad cognitionem occultorum, propter vim quandam secretam, quam ipse ignorat, peccatum veniale erit talis vsus: si tamen vtens paratus animo esset, non facere, si certus, vel ambiguus esset ibi adesse virtutem dæmoniacam: quin imò ab omni peccato excusandi essent, qui credulitatem hanc falsam ex consilio sapientis acceperunt, & propterea his vanitatibus se dederunt.

Dico quartò. In his vanis inquisitionibus occultorum, ignorantia crassa supina, qualis est ea, quæ attentis omnibus circunstantijs, facilè vinci posset, aut ignorantia affectata, cuiusmodi est eorum qui

refugiũt edoceri, an ista hæc obseruatio vana, sit peccatum diuinationis: hæc, inquam, ignorantia, à peccato mortali non excusat. Talem credo fuisse ignorantiam illius presbyteri, qui vt refertur extra de sortilegijs, cap. ex tuarum. in secreto cubiculo simul cum infami de arte magica, accessit inspecturus in astrolabio, ac cogniturus de re furto sublata Ecclesiæ, vt eam recuperaret: qui licèt sine dæmonis inuocatione, & ex simplicitate, ac zelo bonorũ suæ Ecclesiæ id fecerit: tamen à summo Pontifice dicitur magnam peccati maculam contraxisse: quia illa sua ignorantia, supina seu affectata videtur fuisse; dum in loco secreto, & cum infami ad eam inquisitionem se concluserit.

Dico quintò. Quando vanæ inquisitiones non excedunt limites vanitatis, putà quia his vtentes, credunt eas inutiles, & per eas potius intendunt se per iocũ oblectare, quàm cognitionem occultorum comparare: peccatum veniale vanitatis est. Sed caueat iste vanus ioculator periculũ labendi à vanitate in superstitionem, quia facile est dedito his vanis, vt vana sunt, credere aliquomodo esse vtilia ad occultorum cognitionem: quod ad superstitionem pertinere, in proximè præcedenti disputatione docuimus. Quamobrem non assentior his, qui dicunt has vanas inquisitiones aliquando pertinenere ad eutrapeliæ virtutem.

Sed nunquid diuinationis peccatum potest fieri veniale ex leuitate materiæ? Respondetur affirmatiuè. Sed in hoc crimine leuitas materiæ non expenditur ex rebus leuibus diuinatis, sed ex leui societate cum dæmone habita. Quare qui inuocat dæmonem siue tacitè siue expressè, ad occultorũ leuissimorum cognitionem habendam, peccat mortaliter, quia talis inuocatio ad perfectam vitæ socialis rationem pertinet: at verò qui dæmonem spontè occurrentem, interrogaret, quasi per transennam, de rebus quæ eius cognitionem non superant; & nõ vergeret agnitio in iniuriam tertij, tantùm peccaret venialiter: quia talis interrogatio pertineret ad imperfectam societatem cum dæmone: & hac ratione Caietanus supra quæstione 90. excusat à culpa lethali eos qui à dæmone possidente energumenos, interrogant curiosa aliqua. Denique nota, nos dumtaxat loqui de malitia diuinationis conueniente per se; nam per accidens ratione adiunctorum; plurimæ aliæ grauissimorum criminum rationes adiungi possent, & de facto in diuinatoribus adiunguntur, vt blasphemiæ, hæreses, apostasia à fide, idololatria, &c.

Caietan.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sit determinare plus diuinationis species?

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd nõ sit determinare plus diuinationis species. Vbi enim est vna ratio peccandi non videtur plures esse peccati species, sed in omni diuinatione est vna ratio peccandi, quia scilicet, vtitur aliquis pacto dæmonum ad cognoscendum futura. Ergo diuinationis non sunt plures species. *Opusc. 25. cap. 4.*

2 ¶ Præterea, Actus humanus speciẽ sortitur ex fine, vt suprà habitum est. Sed omnis diuinatio ordinatur ad vnum finem, scilicet, ad prænuntiationem futurorum. Ergo omnis diuinatio est vnius speciei. *Q. 92. ar. 2. Et 1. 2. q. 1. 11.*

3 ¶ Præterea, Signa non diuersificant speciem peccati. Siue enim aliquis detrahat verbis, vel scripto, vel nutu, est eadem species peccati. Sed diuinationes non videntur differre, nisi secundũ diuersa signa, ex quibus accipitur prænotitio futurorum. Ergo non sunt diuersæ diuinationis species.

¶ SED CONTRA est, quòd Isidorus in libro Etymol. enumerat diuersas species diuinationis. *Lib. 8. ca. 9.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum est, omnis diuinatio vtitur ad prænotitionẽ futu- *Ar. præce.*

futuri euentus aliquo dæmonum cõſilio, vel auxilio. Quod quidem, vel expreſsè imploratur, vel præter intentionem hominis ſe occultè dæmon ingerit ad prænuntiandum futura quædam, quæ hominibus ſunt ignota, eis autem cognita per modos, de quibus in primo dictum eſt. Dæmones autem expreſsè inuocati, ſolent futura prænuntiare multipliciter: quãdoq; quidem præſtigioſis quibuſdam apparitionibus ſe aſpectui, & auditui hominum ingerentes ad prænuntiandum futura: & hæc ſpecies vocatur præſtigium, ex eo quòd oculi hominum perſtringuntur. Quãdoque autem per ſomnia: & hæc vocatur diuinatio ſomniorum. Quandoq; verò per mortuorum aliquorum apparitionem, vel locutionem: & hæc ſpecies vocatur nigromantia, quia vt dicit Iſidor. lib. Etymol. nigrum Græcè mortuus, mantia verò diuinatio nuncupatur, quia quibuſdam præcantationibus, adhibito ſanguine, videntur reſuſcitati mortui diuinare, & ad interrogata reſpondere. Quandoque verò futura prænuntiant per homines viuos, ſicut in arreptitijs patet. Et hæc eſt diuinatio per Pythones. Et vt Iſid. dicit Pythones à Pythone Appolline ſunt dicti, qui dicebatur eſſe autor diuinandi. Quandoq; verò futura prænuntiant per aliquas figuras, vel ſigna, quæ in rebus inanimatis apparent, quæ quidem ſi appareãt in aliquo corpore terreſtri, putà in ligno, vel ferro, vel lapide polito, vocatur geomantia. Si autem in aqua, hydromantia. Si autem in aëre, aëromantia. Si autem in igne, pyromantia. Si autem in viſceribus animalium immolatorum in aris dæmonum, vocatur haruſpicium. Diuinatio autem, quæ fit abſque expreſſa dæmonum inuocatione, in duo genera diuiditur. Quorum primum eſt, quando ad prænoſcendum futura aliquid conſideramus in diſpoſitionibus aliquarum rerum. Et ſi quidem aliquis conetur futura prænoſcere ex conſideratione ſitus, & motus ſyderũ, hoc pertineret ad Aſtrologos, qui & genethliaci dicuntur, propter natalium cõſiderationes dierum. Si verò per motus, vel voces auium, ſeu quorumcunque animalium, ſiue per ſternutationes hominum, vel membrorum ſaltus, hoc pertinet generaliter ad augurium, quod dicitur à garritu auium, ſicut auſpiciũ ab inſpectione auium. Quorum primum pertinet ad aures, ſecundum ad oculos. In auibus enim huiuſmodi præcipuè conſiderari ſolent. Si verò huiuſmodi cõſideratio fiat circa verba hominum abſque intentione dicta, quã quis retorquet ad futurum

Alias petitione.

Q. 57. ar. 3.

Li. 8. ca. 9. parum ante medium.

Lib. 8. Ety. c. 9. à med.

quod vult prænoſcere, hoc vocatur omen. Et ſicut Valerius Maximus dicit, omnium obſeruatio aliquo contractu religioni annexa eſt, quoniam nō fortuito motu, ſed diuina prouidētia conſtare creditur: quæ fecit, vt Romanis deliberātibus vtrū ad alium locum migrarent, fortè eo tempore Centurio quidam exclamauit: Signifer ſtatue ſignum, hic optimè manebimus. Quam vocem auditā pro omine acceperunt, tranſeundi conſilium omittentes. Si autem conſiderentur aliquæ diſpoſitiones figurarum in aliquibus corporibus viſui occurrentes, erit alia diuinationis ſpecies. Nam ex lineamentis manus cōſideratis, diuinatio ſumpta, chiromantia vocatur, quaſi diuinatio manus. Chiros enim Græcè dicitur manus. Diuinatio verò ex quibuſdam ſignis in ſpatula alicuius animalis apparentibus, ſpatulamantia vocatur.

Li. 1. ca. 3. in princ.

¶ Ad ſecundum autem diuinationis genus, quod eſt ſine expreſſa dæmonum inuocatione, pertinet diuinatio, quæ fit ex conſideratione eorum, quæ eueniunt ex quibuſdam, quę ab hominibus ſeriò fiūt, ad aliquid occultum inquirendum, ſiue per protractionem punctorum quod pertinet ad artem geomātiæ, ſiue per conſiderationem figurarū, quæ proueniūt ex plūbo liquefacto in aqua proiecto, ſiue ex quibuſdāſchedulis ſcriptis, vel nō ſcriptis in occulto repoſitis, dū cōſideratur quis quā accipiat: vel etiam ex feſtucis inæqualibus propoſitis, quis maiorem, vel minorem accipiat, vel taxillorum proiectione, quis plura puncta proijciat, vel etiā dum conſideratur quid aperienti librum occurrat, quæ omnia ſortium nomen habent.

¶ Sic ergo patet ſimplex diuinationis genus, quorum primū eſt per manifeſtam dæmonum inuocationem, quod pertinet ad nigromanticos: ſecundum autem eſt per ſolam conſiderationem diſpoſitionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad augures: tertiū eſt, dū facimus aliquid, vt nobis manifeſtetur aliquid occultū, q̄ pertinet ad ſortes. Sub quolibet autē horūmul ta cōtinentur, vt patet ex dictis. *In cor. art.*

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd in omnibus prædictis eſt eadem generalis ratio peccandi, ſed non eadem ſpecialis. Multo enim grauius eſt dæmones inuocare, quàm aliqua facere quibus dignum ſit, vt ſe dæmones ingerant.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd cognitio futurorum, vel occultorum eſt vltimus finis, ex quo ſumitur generalis ratio diuinationis. Diſtinguuntur autem diuerſæ ſpecies ſecundùm propria obiecta, ſiue materias prout ſcilicèt in diuerſis rebus occul-

occultorum cognitio consideratur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd res quas diuinantes attendunt, considerantur ab eis, non sicut signa, quibus exprimant quod iam sciunt, sicut accidit in demonstratione, sed sicut principia cognoscendi. Manifestum est autem quòd diuersitas principiorum diuersificat speciem, etiam in scientijs demonstratiuis.

Summa Articuli.

CONclusio. Triplex diuinationis genus reperitur. Primũ per manifestã dæmonum inuocationem. Secundũ, per solam considerationem dispositionis, vel motus alterius rei. Tertium, dum facimus aliquid, vt nobis manifestetur aliquid occultum, quod pertinet ad sortes.

Secunda conclusio. Sub quolibet horum multa continentur, sub primo præstigium, quãdo dæmon apparet ad prænuntianda futura. Diuinatio somniorum, quando per somnia prædicit. Necromantia, quando per mortuorum apparitionem, aut locutionem. Diuinatio per Pythones, quando per homines viuos. Geomantia, quando per aliquas figuras vel signa ex corpore terrestri formata. Hydromantia, si per aquam. Aëromantia si per aërem. Pyromantia si per ignem. Aruspicium, si per viscera animalium immolatorum in aris dæmonum. Sub secũdo genere continentur diuinatio Astrologorum ex consideratione situs, & motus syderum. Auguriũ, si futura considerentur ex vocibus, vel alijs animalium motibus. Omen, si ex verbis hominum absque intentione dicta. Chiromantia, si ex lineis manuum. Spatulamantia, si ex his quæ apparent in animalium spatula. Sub tertio etiam continentur diuinatio, quæ fit ex his quæ fiunt ab homine, ad aliquid occultum inquirendum, quod multipliciter in sortibus contingit. Et de his omnibus sigillatim multa dicenda sunt.

A

B

C

D

DISPVTATIO VNICA.

An omnes isti diuinandi modi specie distinguantur, & an specie subalterna, vel atoma?

ET videtur non distingui specie, nec esse appellandas veras species, sed dumtaxat quasdam differentias, seu modos diuersos diuinationum. Primò. Tota malitia diuinationis sita est in hoc, quod quis vtitur societate, & pacto dæmonis ad agnoscenda futura, reliqua verò materialiter se habent: parũ enim retulerit quod per homines viuos, aut mortuos, per verba hominum, aut voces auium, ea societas, aut pactum ineatur: ergo non distinguũtur plures diuinationis species. Confirmatur. Nullus enim sapiens confessor à diuinatoribus in sacro tribunali interrogat, an fecerit pactum cum dæmonibus medio signo aëris, aut ignis, per auium garritus, an per hominum verba, &c. sed sat putat legitimæ confessioni, si pœnitens dicat se auxilio dæmonum futura conatum fuisse prænosse: ergo diuinatio non diuiditur in species, aliàs quælibet earum esset in confessione exprimenda, quod & permolestum & difficile dictu esset, cùm tot sint assignatæ in articulo à Diuo Thoma.

Secundò. Omnes isti diuinandi modi ad eundem finem ordinantur, putà cognitionem occultorum: ergo vnius speciei sunt: etenim actus humani, vt dicitur 1.2.q. 1. & 18. à fine potissimè speciem sortiuntur. Tertiò. Species vitiorum non variantur per implicitum, & explicitum, vt patet in simonia, & voluntate occidendi, ad quæ distinguenda specie, sufficit implicita, aut explicita voluntas: ergo idem dicendum est in diuinatione: siue enim fiat per expressam, siue per implicitam dæmonis inuocationem, eiusdem erit speciei: quod tamen D. Thom. inficiatur, cùm præcipuam distinctionem diuinationis, ex implicita, & explicita dæmonis inuocatione, sumat. Confirmatur, quia perfectum, & imperfectum in eodem genere, non variant speciem: ergo nec implicita, aut explicita inuocatio dæmonis in diuinatione.

Quartò probatur. Ea quæ sub illo triplici genere

genere diuinationis continentur non differre ſpecie, putà necromantia, hydromantia, &c. nam tantùm differunt quatenus in eis ad prædictionem occultorum, aſſumuntur diuerſa ſigna, vel conuenta inter dæmones, & Magos diuinatores, vel ab hominibus inuenta, quibus dæmones ſe ingerunt: per ſigna autem diuerſa non differunt ſpecies peccatorum. Detractio enim ſiue fiat verbo, vel ſcripto, aut nutu, eadem ſpecies peccati eſt; ſiue iuſſeris famulo verbo, ſcripto, aut nutu, vt occidat inimicum, eadem ſpecies vitij eſt: ergo idem dicendum eſt de diuinationis crimine. Reſpondet D. Th. ad tertium: *Res, quas diuinantes attendunt, conſiderantur ab eis, non ſicut ſigna, quibus exprimunt quodiam ſciunt, ſicut accidit in demonſtratione: ſed ſicut principia cognoſcendi. Manifeſtum eſt autem quod diuerſitas principiorum diuerſificat ſpeciem, etiam in ſcientijs demonſtratiuis.* Hæc Diuus Thomas. Sed contrà

D. Thom.

Arguitur quintò. Hæ res, quæ à diuinatoribus conſiderantur, nullam habent efficacitatem ad pariendam cognitionem occultorum: ſed dumtaxat ſunt quædam ſigna conuenta inter dæmones, & homines, quibus inſpectis dæmon accurrit, & prænuntiat occulta: ergo falſum eſt dicere, eas res habere rationem principiorum ad occulta agnoſcenda: quòd verò ipſi diuinatores decepti, putent ea eſſe vera principia præfatæ agnitionis, non cõſtituit ea vera principia: quinimò multi ex diuinatoribus benè ſciũt eas res eſſe merè ſigna, dæmonem verò negotium perficere ad eorum præſentiam, propter pactum initum.

Sextò. Iſtæ res obſeruatæ à diuinatoribus (ſiue appelles principia, ſiue ſigna) non habent diſtinctionem formalem, ſed dumtaxat materialem: ergo non conſtituunt ſpecies diſtinctas diuinationis: etenim diuerſitas formalis principiorum, eſt conſtitutiua ſpecierum, vt in ſcientijs patet. Antecedens probatur. Quia hæc diſtinctio formalis, vel ſumitur ex natura earum rerum, quæ conſiderantur, vt principia, vel ex beneplacito hominum, & dæmonum, qui ea pepigerunt, eſſe principia: non primum, quia vnde eſt quod quatuor elementa fundent diſtinctionem formalem ad agnitionem futurorum: & non eandem fundent multa mixta ſpecie diſtincta, quibus vtuntur ſæpè diuinatores? Quod ſi materialis eſt conſideratio mixtorum, cur non erit materialis elementorũ? Dices. Omnes res hæ reducuntur ad elementa, vt ad principia irreſolubilia in alia principia, & cur non reſoluuntur elementa ad corpus elementatum, & voces brutorum, & hominum, ad actiones animantiũ? Et quæ eſt ratio, ſub qua iſtæ agnitiones diſtinguũtur ſpecie, ſicut videmus reperiri in cognitione ſcientifica? Neque etiam poteſt dici ſecundum, videlicet eam diſtinctionẽ formalem non ſumi ex natura rerum conſideratarum pro agnitione futurorum, ſed ex placito hominum, & dæmonum, eas inſtituentium, vt principia cognitionis futurorum. Tùm, quia non conſiſtit formalis diuerſitas principiorum in placito inſtituentium; ſiue enim linguæ Græcæ, vel Latinæ vtaris vocibus, ad agnoſcendum aliquam veritatem, cognitio non diuerſificatur formaliter. Tùm, quia dæmones, & homines potuerunt inſtituere hæc, vel illa ſigna diuerſa, pro futurorum cognitione; ſed neutiquam diuerſitatem formalem inter ea conſtituere, quia hæc ex natura rerum ſumenda eſt. Tùm tertiò, quia ſi diuerſitas hæc formalis principiorum, ex placito dæmonum, & hominum ſumenda eſſet: eſſent ſine numero ſpecies diuinationis, quia pro arbitrio dæmonum multiplicari poſſunt diuerſa ſigna, imò de facto multiplicata ſunt, vt inferius videbimus.

Pro deciſione dico primò. Diuinatio quę fit per expreſſam dæmonis inuocationem, vt cùm quis inuocat dæmonem, vt ſibi futura manifeſtet, putà verbis implorando eius auxilium, aut faciendo aliquid, cui dæmon accurrit ex pacto inito, ſiue à ſe vocante, ſiue ab alio quem ſcit tale pactum pepigiſſe; eſt quædam ſuperſtitionis ſpecies, diſtincta à diuinatione, quæ fit per tacitam inuocationem: putà quando quis non habens intentionem dæmones inuocandi, vtitur vana inquiſitione, quam neſcit eſſe à dæmone, neque à pacto aliorum cum dæmone. Hoc aſſertum eſt D. Thom. in ſolutione ad primum, dicentis, *Multo grauius eſt dæmones inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum eſt, vt ſe dæmones ingerant.* Quæ verba licèt fortaſsè quis vellet explicare de maiori grauitate, non mutante ſpeciem: non tamen legitimè explicabit, ſed de ſpeciem variante; aliàs non ſatisfieret argumento, quod conabatur probare non adeſſe differentiam ſpecificam. Secundò probatur. Quia ſpecialior deformitas eſt inuocare expreſsè Dei hoſtem, quàm facere opus, cui ipſe ſe ingerat: ſicut in humanis, ſpecialis ratio eſt in ſubmiſsione, & inuocatione hoſtis Regij ei

D. Thom.

gij ei parantis insidias, atque ea quæ consistit in aliquo opere non inuocatorio, in quo idem hostis se occultat inscio operante: sicut clam furari, aut spectante domino; diuersæ species furti sunt: nimirum furtum, & rapina. Ex hoc asserto infertur harum specierum diuinationis differentiam, esse exprimendam in confessione, quæ veræ species distinctæ sunt, peccati diuinationis.

Dico secundò. In genere moris, id est, in ratione mali moralis, ac peccati, cęteræ species contentæ sub duabus in præcedenti asserto commemoratis, non sunt veræ species differentes, sed dumtaxat modi quidam varij diuinandi, ac proinde nō est necesse earum differentias in confessione explicare. Probatur. Non reperitur specialis deformitas contra rectam rationem in his varijs modis diuinandi. Quid enim specialis deformitatis est, in diuinatione per ignem, quæ non sit in diuinatione per aquam, astra, aërem, & e conuerso? & quid in diuinatione per auium cantus, quod non sit in hominum verbis?

Dico tertiò. Eas species enumeratas à D. Thom. in articulo, & contentas sub duabus illis subalternis speciebus commemoratis in primo asserto, esse veras, & distinctas species diuinationis, in genere naturæ, id est, vt præcognitiones quædam sunt, & prædictiones, probabile censeo. Hoc asserò præcipuè propter autoritatem D. Thom. non enim inuenio rationem efficacem, ad conuincendum asserentes oppositum. Nec potest glossari sanctus Doctor, dicendo, eum vocare species, diuersos diuinandi modos, vt constat ex solutione argumentorum, vbi loquitur de diuersitate specifica in rigore sumenda à principijs formalibus, à quibus dimanant diuersæ illæ species diuinationis: ex quo colligitur ratio pro nostro asserto, & amplius manifestabitur in solutionibus argumentorum.

D. Thom.

Ad primum, & eius confirmationem respondetur, probare nostrum secundum assertum, non tamen impugnare primum, quia in diuinatione, per inuocationem expressam dæmonum, non est eadem peccandi ratio, quæ in diuinatione per tacitam inuocationem, vt explicitum est.

Ad secundum respondetur. In duabus modò commemoratis speciebus, proximos fines, qui etiam refunduntur in rationem obiecti, distinctos esse: putà agnitio futurorum per expressam, aut tacitam inuocationem; at in cæteris speciebus non considerauimus distinctionem specificam penes fines, sicut in actibus humanis, sed sicut in cognitionibus, quorum distinctio sumitur ex distinctione principiorum formalium cognoscendi: tunc autem in cognitionibus sunt diuersa principia (ait Caietanus) quando non sunt resolubilia ad inuicem, nec ad alia vnius speciei constitutiua principia, & quia principia prænoscendi futura in speciebus diuinationis, putà per aërem, per ignem, per lineas, per voces, per sortem, non reducuntur, neque resoluuntur in aliqua principia specifica, sed generica, vt in substantiam, aut analogicam, qualis est accidentalis ratio: inde est, vt ea dicantur diuersa principia formalia prænoscendi futura, aut occulta: & constituere diuersas species diuinationis, in esse naturæ, id est, in esse prę-cognitionum, vt dictum est.

Caietan.

Ad tertium, quod contra primum assertum procedit, respondetur, Diuinationem per expressam dæmonum inuocationem, & per tacitam, quam vocant, non differre propriè penes explicitum, & implicitum intra eandem speciem: hoc enim modo differt inter diuinationem per inuocationem verbalem, & diuinationem, quæ fit facto aliquo inuocatorio, de quo scit vtens conuenisse inter eum, vel alios, & dæmones, & eo posito occurrat dæmones ad docenda futura: sed differre, quia in priori diuinatione, re vera inuocatur dæmon verbo, aut opere: in secunda verò nequaquam, sed ipse dæmon se ingerit. Vocatur autem à Doctoribus tacita inuocatio, quia homo teneatur eam cauere, eo quod regulariter dęmones se ingerunt. Secundò respondetur. Quando differentia penes implicitum, & explicitum, includit specialem deformitatem contra rationem, facit specie differre. Ita contingit in diuinationibus per expressam, aut tacitam inuocationem, vt in primo asserto explicui. At in ijs, quæ in tertio argumento allata sunt, non est specialis deformitas penes implicitum, & explicitum. Vnde nec mirum non inde manare distinctionem specificam. Ad quartum bene ibidem ex D. Thom.

Ad quintum. Fatemur signa conuenta inter dæmones, & diuinatores, non esse principia physica prænotionis futurorum, aut occultorum: sicut principia demonstrationis, assensus scientifici, cum quo habent naturalem connexionem: sed sunt principia effectiua moraliter, mouentia dæmonem

nem inuocatũ,vt per ſe, vel medio aliquo A inuolucro edoceat diuinatores ea, quæ inquirunt: ſicut ſigna conuenta inter ciuitatis proditorem,& ducem exercitus, ad quorũ oſtenſionem debet irruere in portas ciuitatis,quia apertæ erunt; non ſunt cauſæ phyſicæ irruptionis, aut apertionis valuarum, ſed morales moraliter mouentes. Nec D. Thom.negat media, quibus vtuntur diuinatores eſſe ſigna; ſunt equidem: ſed ait nõ aſſumi à diuinatoribus ſicut ſigna, quibus exprimant,quod iam ſciunt,ſicut accidit in demonſtratione: non autem negaret eſſe ſigna conuenta moraliter mouentia dæmones,ac proinde principia ad cognoſcendũ à B dæmone res quæſitas occultas.

In ſexto argumento inquiruntur duo. Primum. Quare ſpecies illæ relatæ à D. Thom.in art.3.v.g.geomantia, hydromantia,auſpicium,augurium,&c. diſtinguantur ſpecie, cùm principia, à quibus, & per quæ procedunt,reducibilia ſint ad vnum genus: putà corpus, aut vnum analogum,putà accidens,aut motum, vel quid ſimile? Secundũ eſt,quare non diſtinguantur ſpecie diuinationes, quæ aſſumunt pro principijs res diſtinctas ſpecie: v. g.aurum,argentum, cryſtallum, & huiuſmodi? Nam inquirere rationem formalem agnoſcendi in huiuſmodi non eſt facile; maximè cùm non debeat ſumi ex abſtratione à materia,ſicut in ſcientijs,quæ conſiderant ſeparata à materia. Diuinationesautem conſiderant obiecta in materia immerſa,& potiſſimè verſantur circa eorum ſingularia. Ad argumentum igitur reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dico. Ea media,à quibus, & per quæ diuinatores prænoſcunt occulta, habere rationem ſignorum,& principiorum ex placito dæmonum, & hominum ea inſtituentium: at verò, quod ex ipſis ſumatur diuerſitas ſpecifica principiorum ex natura conſiderata in ratione principij: & ideò di- D uinatio per aurum,per argentum, ac plumbum eiuſdem ſpeciei eſt: quia omnia iſta reducuntur ad quaſdam elementi terræ conditiones,qualitates,aut motus,ex quibus conatur diuinator occulta inueſtigare:v.g. ex imagine,quam eſſe plumbeam, argenteam, aut auream,parum ad rationem principij diuinationis conducit. Idem dico de diuinatione per garritum auium: ſiue illæ ſint gallinæ, ſiue coturnices. Itaque in geomantia, vnitas formalis principiorum,per quæ diuinatur,eſt elementum terræ attentis ſuis cõditionibus,& motibus,& ſimilibus. In augurio,garritus auium,& ſic de alijs, vt exẽplis adductis inferius circa ſingulas ſpecies immorantes monſtrabimus. Propter conſimilem rationem dicendum eſt, ſpecies has non reduci ad ſuperiorem gradum genericum, ita vt vna ſit tantùm ſpecies, quia licèt corpus in eſſe rei ſit genus,& quid ſuperius ad omnia elementa; tamen in eſſe principij diuinatiui, non eſt genus,ſed diuinationes per diuerſa elementa diſtinguẽtur ſpecie atoma, quia quodlibet elementorum fundat vnam rationem ſpecificam formalem diuinandi, medijs ſuis conditionibus, aut motibus, quæ conſiderantur in diuinationibus: cætera verò impertinenter ſe habent: & idem dico proportionaliter in alijs ſpeciebus, de quibus ſigillatim dicere decreui.

De præſtigio, ſpecie diuinationis prima.

PRæſtigium in ampla,& adæquata ſignificatione, omnem illuſionem, quæ circa ſenſus verſatur,importat: nos verò cum D. Thom. in hoc articulo ſtrictius vſurpamus pro ea diuinationis ſpecie, quæ C dimanat ex eo quod dæmones ſenſibus hominum apparitionibus prodigioſis ſe ingerunt,ad prænuntianda occulta. In hac deſcriptione, omnia clara ſunt, præter illud quod dicitur de apparitionibus prodigioſis. Ad cuius elucidationem non parum conducet,ſi conſulas ea, quæ diximus in diſputationibus præambulis ad hanc quæſtionem nonageſimam quintam, & nonageſimam ſextam. Modò verò breuiter notandum ex Iſidoro lib.7.cap. 8. triplicem eſſe apparitionem ſpirituum:corporalem,ſpiritualem, ſeu imaginariam,(quæ ad differentiam ſenſualis vocatur ſpiritualis) & intellectualem; hæc poſterior eſt, qua ſpiritus per ſe ipſum mentem occupat,quæ an ſit poſsibilis homini degenti in hac vita mortali, modò non diſputo, nec noſtro inſtituto deſeruit: & ideò ab eius conſideratione deſiſto: corporali autem,& imaginaria apparitione,Angelos bonos,ac malos apparuiſſe,certocertius eſt:tùm ex ſacris literis:tùm ex probatis hiſtorijs. Tunc autem ſpiritus (ſiue nequam, ſiue probi ſint) apparere dicuntur, quando hominum ſenſibus, ſiue internis, ſiue externis ſe præſentant,aut quoquo modo inſinuant: ſiue id fiat mediantibus ſimilitudinibus corporeis, ſiue media aliqua ſpecie

Iſidor.

cor-

corporea: nam cum ipsi incorporei sint, nobiscum, qui corporei sumus, nequaquam sine medio aliquo corpore, conuertari possunt. Propter quæ dicta, non negamus has apparitiones, quæ sensibus fiunt, ad intellectum non pertingere: in vigilantibus enim vix sola sensuum, aut imaginatiua operatio sine intellectiua reperitur. Sed ob id omnes apparitiones spirituum, imaginarias, aut sensuales appellamus; quia in eis perficiendis pollent: erga intellectuales, non nisi illis mediantibus. Istas autem apparitiones multipliciter fieri aduertit Caietanus in articulo hoc, & Gabriel in 2. dist. 8. quæst. 2. art. 2. & nos copiosius in disputationibus præambulis ad hanc, & sequentem quæstionem. Primo modo fiunt, quia Angeli apparent in assumptis corporibus, quibus vniuntur non vt formæ, sed vt motores, & non quomodocunque motores, sed vt motores repræsentati per corpora assumpta. Ita D. Tho. 1. p. q. 51. art. 2. ad secundum. Ista autem assumptio adhuc fit tripliciter: vel assumendo corpora iam præexistentia. Isto pacto creditur dæmonem apparuisse Euæ in figura serpentis antea producti, Genes. 3. & dæmonem per vlmum salutasse Apollonium, narrat Philostratus in eius vita. Secundò. Assumendo corpora, quæ ipsi spiritus producũt applicando actiua passiuis; sic fecisse serpẽtes, Magos Pharaonis, & volucres, loco sociorum Diomedis submersorum, adstruit D. Augustl. lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 20. Tertiò. Assumendo corpora ad aliquid repræsentandum, ex aëre potissimè efformata: & huiusmodi apparendi modus frequentior fuit, maximè apud bonos Angelos, vt patet ex apparitione Angelorum Abrahæ facta, Genes. 7. quam D. Augustl. 16. de Ciuitate, c. 29. in corporibus assumptis, & de nouo effictis, factam fuisse testatur: & in apparitione Angelorum Loth, Genes. 19. & Raphaelis Tob. 5. & dæmones apparuisse in assumptis, & effigiatis corporibus, non desunt sacræ Scripturæ testimonia id dicentia: Nam Genes. 3. apparitionem Euæ factam, & Samueli. 1. Regum. 28. & Christo, Matth. 4. per corpora ex aëre formata factas fuisse, multi asserunt. Alius modus apparendi est nullo assumpto corpore, sed spiritibus pro sua præpotẽti vi mouentibus sensus, ac si ab obiectis mouerentur; vt quando res aliter faciunt apparere, quàm sunt: vt quãdo audiuntur voces, nemo autem, qui loquatur, videtur. Sic audiebat Moyses vocem Dei loquentis ad se de propiciatorio, Num. 7. & Samuel. 1. Reg. 3. vel quid simile: de quo nos latè in disputatione citata.

Caietan. *Gabriel.* *D. Thom.* *Genes. 3.* *Philostra.* *Augustl.* *Genes. 7.* *Augustl.* *Genes. 19.* *Tob. 5.* *Genes. 3.* *1. Reg. 28.* *Matth. 14.* *Num. 7.* *1. Reg. 3.*

Isti apparendi modi communes sunt omnibus spiritibus probis, ac nequam: ex quo tamen diuisio apparitionum harum desumitur, in apparitiones præstigiosas, ac dæmoniacas; & in apparitiones nõ præstigiosas, sed sanctas. Priores à dæmonibus efficiũtur: posteriores ab Angelis sanctis. Differunt etiam ex fine: nam priores ad decipiendum, & illudendũ hominibus, & ideò præstigiosæ, id est, illusoriæ vocantur (præstigium enim semper in malam partem accipitur.) Posteriores sanctæ, ad profectum spiritualem hominum ordinantur.

Ex dictis perspicua erit descriptio primæ speciei diuinationis; quæ accepto nomine à sua causa, præstigium dicitur. Est enim diuinatio, quæ promanat ex præstigiosis dæmonum apparitionibus, occulta homines edocentium. Hac diuinationis specie implicati extiterunt multi famosi Magi, vt Apollonius Tyanæus, Simon Magus, qui à dæmonibus, quos secum ferebant perpetuos comites, in figura canum edocebantur de dicendis, & agendis. Omnes item illi, qui dæmonibus, & paredrijs in aliquo assumpto corpore vtebantur, sicut de multis legimus. Ac demum omnes illi, qui metu conuersandi cum dæmonibus amisso, illis communicant: inter quos non infimũ nequitiæ locum tenent lamiæ; quæ comedunt, bibunt, loquuntur, concumbunt cum dæmonibus, & eos in forma hircorum adorant, ac sacrificia offerunt. De quo fortasse inferius copiosè. Eadem diuinatione inuolui censeo superbos cõtemplatiuos, mulierculas seductas à dæmonibus sub specie Christi, Angelorum, aut Sanctorum, multa quasi accepta ex reuelatione superbè iactantes.

His & alijs animaduersis, sancti Patres, & Doctores graues, vt periculis, & illusionibus, quæ ex his falsis, ac præstigiosis apparitionibus, & alijs huiusmodi reuelationibus, oriri possunt, & solent, multa documẽta salubria nobis tradiderunt: vt sciremus discernere inter præstigiosas dæmonum reuelationes, & inter sanctas, diuinas, ac bonorum Angelorum. Sed prius disputare decreui.

(?)

DIS-

A

DISPVTATIO I.

An modò his temporibus credendum sit reuelationibus?

QVIA cùm omnia mysteria fidei, & leges pertinentes ad directionem morum reuelatæ fuerint in lege gratiæ; iam non est necessaria prophetia, aut reuelatio diuina: Sed sat nobis erit antiquas reuelationes scire.

B

Dico primò. Si certò, aut probabiliter constet, apparitionem, aut reuelationem aliquam dæmoniacam esse, neutiquam illi fides adhibenda est. Hoc certo certius est: sicut certum est dæmoni non esse credendum; quia pater mendacij, & deceptor hominum est. Imò si quis dubitet, an reuelatio, seu apparitio dæmonis sit, non est illi credendum, ne se periculo deceptionis dæmoniacæ exponat.

Secundò dico. Si certò constet apparitionem, aut reuelationem esse diuinam, ei indubitato credendum est; quia Deo C dicenti per se, vel per alium, cùm nec falli, neque fallere possit, vt potè veritas prima, credendum esse lumine naturali perspicuum est. An verò huic reuelationi certò credere (etiam si reuelata ad veritates Catholicas non pertineant) ad fidem Theologalem spectet, vt putat Vega de iustificatione, libro 9. capit. 3. canone 7. & Ambrosius Catherinus in Apologia contra Scotum de certitudine gratiæ, capit. vltimo. An verò per aliam fidem infusam alterius speciei, vt existimat Sotus libro tertio, de natura, & gratia, modò non D disputo; quia siue hac, siue illa via pergas, veritas nostri asserti inconcussa manet.

Sed quid quando tantùm probabiliter cognoscitur reuelationem esse à Deo? Ad hoc explanandum, occasione tragœdiæ excitatæ hoc tempore sit

DISPVTATIO II.

Vtrùm liceat semper, & omni reuelationi credere, etiam si reuelatio dicatur fieri contra legem communem, siue diuinam, siue Ecclesiasticam? & consequenter quæritur: Vtrùm liceat agere contra legem communem propter reuelationem alicui, vel aliquibus factam, quod Deus dispensauerit in lege illa?

STetur vera pars affirm. ex facto Abrahæ volētis immolare filiū suū e reuelatione Dei dispēsantis; aliàs virum sanctissimum condemnaremus, quod impium est: maximè in eo facto, propter quod mirum in modum laudatur in sacris Literis. Similiter & Isaac condemnaremus sinentem se occidi, cùm iuuenis robustus posset patri seni resistere, nisi asseramus credidisse eam necem à Deo reuelatam fuisse patri suo. Idem argumentum fit de Prophetа, qui ex reuelatione dixit socio suo, *Percute me*, 3. Reg. 20, quæ percussio, aliàs contra legem naturalem, tantùm abest, vt illicita fuerit, quod nolens percutere occisus est à leone. Idem considerare licebit in Osea Propheta, accedente ad vxorem fornicariam, ex Dei dispensatione, & mandato, vt docent quamplurimi Patres, præcipuè D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. ad 2. 3. *Reg.* 20. *D. Thom.*

Secundò probatur, non solùm esse licitum agere contra legem diuinam, aut humanam propter reuelationem certam de dispensatione Dei, verùm etiam id licere quādo reuelatio non est omninò certa, sed tantùm probabilis: Nam euidens probabilitas fidei, id est, quæ facit mysteria fidei euidenter credibilia, sufficit vt infidelis teneatur credere illis, vt à Deo reuelatis, saltem vt possit prudenter credere relictis alijs sectis: ergo etiam euidens probabilitas, quod Deus dispensauit cum aliquo in lege diuina, aut humana, satis erit, vt credatur sine crimine, talem esse veram dispensationem: v. g quod possit accipere aliena, quod nō teneatur aliquis lege ieiuniorum, & similia.

Tertiò. Licitum est sequi opinionē probabi-

babilem, relicta alia æquè probabili, etiam tutiore; vt docent multi viri graues, quos refert, & sequitur Ioannes de Salas Iesuita in 1. tomo circa primam secundæ D. Thom. tract. 8. disputatione vnica, sectione 5. num. 52. ergo licitum est sequi opinionem probabilem de Dei dispensatione circa legem communem. Confirmatur multis exemplis eiusdem Autoris: nam si absque magno incommodo non potest quis confiteri peccatum, de quo dubitat an sit mortale, poterit illud tacere. Item si quis dubitat, an sit excommunicatus, & sine detrimento suo non potest abstinere à celebratione, vel prius absolutionem ab excommunicatione impetrare, poterit celebrare: ergo idem dicendum est quando probabiliter existimat reuelationem dispensatoriam circa legem communem esse à Deo.

Huius disputat. resolutio plus habebit in progressu, quã in tituli frõte: & ideò præmit tendũ est primò, reuelationẽ quandoq; esse omninò certã, quãdoq; tantùm probabilẽ, & interdum dubiã. Certam reuelationẽ appellamus, de qua certò scitur, & sine vlla formidine esse à Deo: quod multipliciter contingit; vel per donum discretionis spirituũ, vel miraculo cõfirmatã, vel testimonio speciali sacræ Scripturæ, vel per lumen propheticum, quo mens patientis reuelationem, sic illustratur, voluntas afficitur, vt certissimè dijudicet eam reuelationem esse à Deo; imò, vt probabilis tenet opinio clarissimè videat Deum esse, qui loquitur, & reuelat. De qua re latiùs in materia prophetiæ. Reuelationem probabilem appellamus, de qua habemus assensum dumtaxat probabilem, quod sit à Deo, cum formidine tamen alterius partis. In qua probabilitate est maior, aut minor latitudo. Existimo maiorem in hoc gradu esse, quãdo certò sciretur denuntiantem reuelationes, solitum esse ex Dei munere prophetare. Sed adhuc non haberetur omnimoda certitudo, quod reuelatio sit à Deo, quia tales Prophetæ, vt constat ex sacris literis, sæpè decepti sunt, putantes se loqui in nomine Dei, & loquebantur ex proprio spiritu: de quo copiosiùs in loco citato. Dubia reuelatio vocatur quando mens hominis manet anceps, & pendula, an autor reuelationis sit dæmon, an verò Deus, vel boni Angeli.

Secundò notandum, res quæ obiectum sunt reuelationis, quasdam pertinere ad fidem diuinitatis, vel humanitatis Christi, vel alia mysteria fidei: aliæ verò pertinent ad gubernationem totius Ecclesiæ vniuersalis, siue præceptæ sint lege naturali, & diuina, sicut mandata Decalogi, & Sacramentorum: siue legibus Ecclesiasticis, vt ritus Sacramentorum, ieiunium Quadragesimale, cœlibatus Sacerdotum, Religiosorum, & huiusmodi. Aliæ vero res sunt, quæ non ab Ecclesia vniuersaliter præcipiuntur, sed valdè conducunt, vt si alicui reuelaretur sua prædestinatio, salus finalis, aut talis victoria futura, aut quòd intret Religionem, vel oret, aut quòd tale pharmacum sit salutiferum, & similia: eiusmodi sunt reuelatæ sanctæ Brigittæ, & alijs Sanctis: ita tamen quod Deus non præciperet, vt alijs has res credendas sub præcepto annuntiarent. His præmissis

Sit prima assertio. Implicat contradictionem Deum posse reuelare aliquid contrarium vel minimo ex mysterijs fidei, id est, his quæ continentur in Euangelijs, & alijs voluminibus sacris explicitè, vel implicitè: vbi etiam includimus determinationes legitimas Summorum Pontificum, & Conciliorum: imò neque aliquid contrarium præceptis indispensabilibus: verbi gratia, de non colendo Deos falsos, &c. Assertio clara est, quia Deus non potest falsum dicere, neque aliam fidem statuere. Vnde Paulus ad Galatas 1. *Sed & si nos, aut Angelus de cœlo, aliud vobis euangelizauerit, præter quam quod à me euangelizatum est.* Magna exaggeratio, quia putauit talem euangelizationem deceptoriam esse, nimirùm fundatam in falsa, & impossibili reuelatione. Et idem habetur Deuteronomio 13. *Si surrexerit*, inquit facet Textus, *in medio tui Prophetes, aut qui somnum vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & venerit quod loquutus est, & dixerit tibi, eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, non audies verba Prophetæ illius, &c.* En reuelationem confirmatam signis, & portentis, & tamen reijciendam, vt præstigiosam, & dæmoniacam, vt impossibilẽ fieri à Deo. *Paulus.* *Deute. 13.*

Secũda assertio. Benè posset Deus de potẽtia absoluta reuelare abrogationem legũ Ecclesiæ: v.g. rituum quos cõmuniter seruat Ecclesia in collatione Sacramentorum; quod aliæ adderentur Scripturæ sacræ; vltra eas quas cõmuniter recipit eadem Ecclesia; quod cœlibatus Monachorum, aut ieiuniũ

Quadrageſimale abrogarentur: tamen de potentia ordinaria, id non efficiet, id eſt, attentis ijs, quæ ipſemet Deus condidit, & ordinauit fieri, ad gubernandum populum Chriſtianum. Prima pars probatione non eget. Secunda eſt Diui Thomæ infra, quæſtione 174. articulo vltimo, ad tertium, vbi admittens noſtris temporibus ſpiritum prophetiæ; ſubdit, *Non quidem ad nouam doctrinam fidei depromendam*. Et explicat Caietanus ibidem, nouam doctrinam eſſe de abrogatione rerum commemoratarum, & ſimilium. Item. Chriſtus Dominus inſtituit vt Apoſtoli, maximè Petrus, & eius ſucceſſores Summi Pontifices, haberentur vt Autores, & regula ad condendas, & abrogandas leges, prout viderent ad bonam gubernationem Eccleſiæ expedire: ergo non eſt vllo pacto admittendum, vt perſonis, aut Prælatis priuatis Deus reuelet harum legum abrogationem, ſine recurſu ad regulam Pontificiam, quam nobis in terra reliquit. Quod maximè habebit verum in his legibus, quæ primitiua Eccleſia accepit ex Apoſtolorum ore, & ad noſtra vſque tempora deriuatæ ſunt; aliàs Deus videretur ſibi contrarius, & infidelis; vt pote qui regulam infallibilem Pontificiam euerteret per reuelationes priuatas: *Fidelis autem Deus eſt, ſe ipſum negare non poteſt*. Inſuper eſt ordinis amator; & ideo non pateretur per huiuſmodi reuelationes, magnam in Eccleſia parturiri confuſionem, dum neglecta regula à Chriſto inſtituta, id eſt, Pontificia autoritate, quilibet ad priuatas reuelationes confugeret. Confirmatur ex teſtimonio allato: *Sed & ſi nos, aut Angelus de cœlo, &c.* quod non ſolum eſſe intelligendum de myſterijs fidei, ſed etiam de legibus communibus, patebit conſideranti Diui Pauli verba: ibi enim increpabat Galatas Chriſtianos, qui non abiecerant fidem Chriſti, ſed contendebant eſſe reaſſumendos ritus quoſdã, & cæremonias veteris legis. Ita illius loci interpretes.

D. Thom.

Caietan.

Tertiò. Hic fuit error quamplurium hæreticorum exiſtimantium multa noua eſſe in Eccleſia intrudenda, multas leges abrogandas, quia ita (aiebant) Deo reuelante, aut Spiritu ſancto inſpirante, didicerant. Sic fœdè lapſi ſunt fere omnes noſtri temporis hæretici, conantes peruertere multa dogmata Eccleſiæ, Sacerdotum cœlibatum, ieiuniorum obſeruantiam, numerum ſacrorum Librorum: & interrogati vnde hoc ſcirent, reſpondent; à diuino ſpiritu, nimirum reuelante, vel inſtigante. Hæc fuit Caluini reſponſio lib. 2. inſtitutionum, capite 7. hæc Caſtalionis præfatione in Cantica. Hæc reſponſio Lutheri, Bezæ, & aliorum nebulonum, ſed propterea hæretico falluntur ſpiritu. Quare qui has reuelationes recipit vt diuinas, merito illis connumerandus eſt: & ob id aſſertiones has de fide certas eſſe cenſemus, & intelligendas non ſolum de reuelationibus, quas mentiuntur eſſe certas, verùm & de probabilibus: etenim ſi certa de prædictis haberi non poſſunt, vt docuimus, multo minus probabiles habebuntur: quando enim certum eſt aliquam rem eſſe non poſſe, de eadem non poſſe habere probabilitatem perſpicuè apparet.

Caluinus. *Caſtalion.*

Tertia aſſertio. Reuelationes, quòd Deus diſpenſat cum aliquibus in lege aliqua communi, ſiue naturali, ſiue Eccleſiaſtica, poſsibiles ſunt; non tamen eis publica fides adhibenda, niſi miraculo, aut fidei teſtimonio confirmentur. Prima pars patet ex reuelatione diſpenſatoria cum Abraham, vt occideret filium ſuum; & cum Oſea, vt accederet ad fœminam fornicariam; & clarius apparet de reuelatione diſpenſatoria in lege communi Eccleſiaſtica, argumento (quod vocant) à fortiori: deinde, quia Summus Pontifex cum aliquibus diſpenſat, in communibus legibus Eccleſiaſticis: ergo multò melius id poterit Deus: & reuelare diſpenſatis eam diſpenſationem, quid vetat? Secunda pars habetur expreſsè in capite, cùm ex iniuncto, extra de hæreticis. Vbi Innocentius Tertius retundit ſuperbam præſumptionem quorundam laicorum, qui contra leges, & ordinationes Eccleſiæ ſe ingerebant prædicationis officio; & reprehenſi ſe excuſabant, dicentes, ſe inuiſibili miſsione, quæ per reuelationem fiebat à Deo, miſſi ad id muneris exercendum; quam excuſationem repellit Pontifex dicens, & probans, non eſſe huiuſmodi reuelationibus publicam fidem adhibendam, niſi aliquo miraculo, aut ſacræ Scripturæ teſtimonio ſpeciali firmentur. Ad quod reduco Summi Pontificis approbationem, cuius eſt diſcernere inter veras, & falſas reuelationes: *Vnde cùm Dominus vellet*, ait Pontifex, *mittere Moyſen in Ægyptum ad filios Iſraël, vt crederent quod mitteretur ab ipſo, dedit ei ſignum, vt conuerteret virgam in colubrum, & eandem*

in virgam reformaret. Ioannes quoque Baptiſta ſpeciale ſuæ miſſionis teſtimonium protulit de Scriptura dicens: Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut ait Eſaias Propheta. Et Papa vtramque aſſertionis partem confirmat, admittens eam reuelationem eſſe poſsibilem, & non eſſe ei publicam fidem adhibendam, niſi miraculo, aut fidei teſtimonio confirmetur. Ex hac Decretali infero, ſi alicui fieret talis reuelatio de ſe intromittendo in actu publico, cuiuſmodi eſt contionari, celebrare in excommunicatione, aut ſententias ferre in iudicio, non eſſe ei licitum tali reuelatione vti, niſi approbante Summo Pontifice, videndo miraculum fieri, aut ex ſacræ Scripturæ teſtimonio in atteſtationem, quod reuelatio à Deo eſſet: quia ſemper huiuſmodi diſpenſationes ſunt intelligendæ à Deo concedi, cum remiſsione, quod approbentur à Regula, quam ipſe reliquit in terris: id eſt, à Summo Pontifice, quem velut lapidem lidium vult omnia probare. Imò credo Deum nunquam tale quid reuelaturum, quantum attinet ad actus publicos, ſine editione miraculi, aut alio medio ſufficienti, vt reuelatio rationabiliter crederetur: ad quid enim inutilem reuelationē Deus ſuggereret, aut Angeli boni vice Dei? Quare tales reuelationes abijciendas, vt dæmoniacas cenſeo, niſi præfatis fulcimentis ſtabiliantur.

Sed quid dicendum de reuelationibus, quibus in lege communi diſpenſaretur, maximè in actibus non publicis, & erga perſonas priuatas: verbi gratia, de reuelatione, qua Deus diſpenſaret, aut Angeli vice Dei. cum Petro, vt non teneretur lege ieiuniorum, aut cum Paulo Religioſo, vt non teneretur obedire ſuo Prælato? Eſt ne credendum huiuſmodi reuelationibus à perſonis, quibus fiunt, vel ab alijs? & loquimur de fide priuatim adhibenda: nam fides publica, vt nuper dicebamus denegan da eſt.

Quarta aſſertio. Si certò conſtiterit has reuelationes à Deo eſſe, illis credendum, (quando autem certò conſtet iam prænotauimus) at verò has modo non haberi reuelationes certò certius exiſtimo. Probatur, quia nuſquam legimus has factas fuiſſe in lege gratiæ, quod ſi aliquæ leguntur, poſtea compertum eſt fuiſſe dæmoniacas, aut deliramenta putantium ſibi Deum loqui, cùm tamen loqueretur Angelus Sathanæ ſe transfigurans in Angelum lucis. Item, quia in lege gratiæ, quando adeſt cauſa rationabilis diſpēſandi, adſunt etiam Prælati, præcipuè Summus Pontifex, cui Deus commiſit, vt examinatis motiuis ad diſpenſandum, poſsit id efficere: præcipuè in legibus Eccleſiaſticis: ad quem pro huiuſmodi diſpenſationibus Chriſtus Dominus voluit recurrendum eſſe, non ad reuelationes multis deceptionibus obnoxias. Secùs in lege veteri plena vmbris, vbi populus per reuelationes Prophetarum gubernabatur, vel propter ſignificationem alicuius myſterij Meſſiæ venturi, vt in facto Abrahæ, vel propter repudium populi Iudaici, vt in facto Oseę: at in lege gratiæ, gubernatio per Prophetas ceſſauit, & ad Petrum, atque eius ſucceſſores translata eſt. Myſteria item ſignificanda ſatis per Chriſtum, & eius Apoſtolos, propalata ſunt. Hæc ſatis eſſent mediocriter erudito ad decidendam dubitationem propoſitam, ſed vt explicatius procedamus

Quinta aſſertio ſit. Si quis aſſeruerit ſe habere certitudinem, & indubitatam reuelationem de Dei diſpenſatione pro ſe, vel pro alio, in lege communi, diuina, aut Eccleſiaſtica, non eſt illi fides adhibenda, neque publica, neque priuata: ſed reuelatio reijciē da eſt, vt dæmoniaca ſuggeſtio, aut delira imaginatio, niſi vero miraculo, aut fidei teſtimonio ſpeciali confirmetur. Hæc eſt diffinitio Innocētij III. loco citato: licèt enim caſus ibi allatus reſtringatur ad quoſdam laicos affirmantes ſe à Deo reuelante mitti ad prædicandum, non obſtantibus Eccleſiaſticis ſanctionibus, quæ id vetant laicis: tamen ratio allata à Pontifice, quare illis reuelationibus non eſt credendum, ad omnes extenditur, & in eaſdem æqualem vim habet: ait enim, quòd cum interior illa reuelatio miſsionis ſit occulta, non ſufficit cuique nudè tantùm aſſerere, quod ipſe ſit miſſus à Deo: cùm hoc quilibet hæreticus aſſerere poſsit; ſed oportet quod inſtruat illā viſionem inuiſibilem, per operationem miraculi, vel Scripturæ teſtimonium ſpeciale. Certè ratio hæc Pontificia de omni reuelatione diſpenſante in lege communi militat. Hoc idem probat Caietanus infra, quæſtione 174. articulo 6. ad tertium, cuius verba aurea nolo mihi abrogare, neque immutare: qui manifeſtat noſtram aſſertionem ratione, & autoritate: *Ratione quidem quoniam recta ratio exigit, vt in directione actuum noſtrorum, certum præponatur dubio, quo ad bonitatem, vel malitiam: conſtat autem, quod regulare actus noſtros conformiter* *Caietan.*

ad diuinas Ecclesiasticas q, leges, & mores, bonum proculdubio est, & declinare ab illis malum similiter proculdubio est: an autem Deus in veritate illuminauerit huiusmodi Prophetas, & potestatem dederit præcipiendi oppositum, aut dispensandi in huiusmodi, nulla euidenti certitudine constat nobis, quamuis ipsi hoc dicerent, & iurarent: & sic hoc tanquam incertum, & ambiguum postponendum est certæ, & infallibili regulæ diuinæ, seu humanæ, qua irreprehensibiliter hactenus actus nostros regulauimus. Autoritate verò: nam Paulus Apostolus vbi supra, cum dixisset: Prophetias nolite spernere, statim subiungit tria documenta ad hoc dicens: Omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos. Vbi sic venerari prophetias docet, vt primò probemus omnia, quæ dicunt: & in hac discussione includitur assignata ratio, vt scilicet certa præponantur incertis, vbi periculum imminet. Deinde ad electionem bonitatis cogit; & demum non solùm ab abstinentia mali, sed etiam ab his, quæ habent mali speciem, cauendum præcipit: ac si apertè diceret: Nolite spernere Prophetas, qui de nouo apparent: verumtamen estote prudentes, & cauti; nec ad speciem mali propter eos declinetis, sed bonum tantummodo amplectimini. Constat enim bonum, & malum in actibus humanis secundùm conformitatem, & deformitatem ad diuinas humanas q, (præcipuè Ecclesiasticas) leges, attendi. Quo circa non excusantur, qui ex iussu, vel licentia huiusmodi Prophetarum, credentes eos spiritu afflatos diuino, aliquid committunt ex suo genere malum, vel habens speciem mali, vt faciunt hi, qui amplexibus, seu impudicitijs propterea operam dant, delitias, pompas q, assumunt, nouitates singulares, quas nescierunt patres eorum, sub specie sanctitatis introducunt. Non sunt enim hæc nisi carnis opera, & aliena à fructibus spiritus, vt patet ad Galat. 5. & propterea si actus fiant peccati mortalis ex suo genere, peccant procul dubio mortaliter tales actus facientes, vt potè non excusati: quoniam iuris diuini, quale hoc est, ignorantia, non excusat.

Ad Gala. 5.

Hanc Caietani doctrinã (quam esse commu nẽ Ecclesiæ sensum existimo) egregiè confirmat Historia. 3. Reg. 13. de Propheta occiso à leone, eo quod credidit alteri vero Prophetæ, sed iniquo, dicenti vt secum iret ad comedendum, non obstante Dei præcepto, qui iusserat, ne comederet in Bethel: dixit autem ille malus Propheta, sibi Dominum reuelasse illius præcepti reuocationẽ, seu dispensationem. Et Caietanus ibidem

3. Reg. 13.

A explicans in quo peccauerit, ait: *Quia dimisit certum, & adhæsit incerto; diuinum siquidem præceptum ei impositum, erat certum; reuocatio autem ad comedendum facta per Prophetam Samariæ, erat incerta viro Dei:* & ad idem facit illud Pauli: *Licet nos aut Angelos de cælo, &c.* & testimonium citatũ ex Deuteronomio. Dicet quis, in testimonijs allatis ex sacra Scriptura, tantùm fieri sermonem de reuelationibus contra fidem, vel fidei doctrinam, etiam in directione morum; non de dispensationibus reuelatis contra leges communes Ecclesiasticas, cum hoc, vel illo. Fateor, ita esse ex primæua intentione; sed secundariò, testimonia ea sunt extenB denda ad quascunque reuelationes contra legem communem: & hanc extensionem exercuit Diuus Augustinus relatus in canone, nec mirum, 26. quæstione 5. vbi post citatum testimonium Deuteronomij, adiungit hæc verba: *Vbi sanè intelligi voluit etiam illa, quæ à diuinantibus non secundùm Deum dicuntur, non debere admitti, vt fiant, quæ præcipiuntur ab eis, &c.* Et Theodoretus super eundem locum Deuteronomij, quæstione 12. sic ait: *Ex hoc præcepto instruimur, non attendendum esse signis, quando ille qui dicit, contraria pietati docet.* Et si quis secundò dicat, quæ C reuelantur, vt dispensationes à lege communi, non esse mala, neque habere speciem mali, neque esse præter id quod euangelizatum est, nec debere dici non esse secundùm Deum, aut contraria pietati, quia vt licita, & à Deo concessa, proponuntur: responsio certè futilis, quæ si admitteretur, non possemus conuincere hæreticos per testimonia relata; qui innixi suis reuelationibus, omnes cæremonias Ecclesiasticas, omnes leges, omnes ritus etiam Sacramentales abrogant, & id quod aliàs illicitum erat, affirmant licitum, ex spiritu Dei reuelante. Item monitio illa diuina in testimonijs citatis contenta, ad hoc dirigitur, vt eo ipso quod actus illicitus est, quia prohibitus lege, si propter reuelationem licitus esse asseratur, debeamus intelligere eam reuelationem non esse à Deo, sed à malo dæmone: aut fortasse à proprio, & erroneo spiritu, nisi miraculo, aut fidei testimonio, vel alia via Deus ostendat esse diuinam reuelationem, aut dispensationem, quod rarò, aut nunquam in lege gratiæ factum fuisse cognouimus. Hanc assertionem ita certam censemus, vt oppositam existimemus

Augusti.

Theodoret.

D

cro-

erroneam, vt quidam graues Autores cenſent; vel quod verius credo proximam errori: quia noſtra aſſertio ex prædictis teſtimonijs per ſatis probabilem conſequentiam colligitur. Nihilominus non negamus, quin perſona reuelationes paciens, ſeclusò miraculo, poſsit habere reuelationem certam de diſpẽſatione in lege cõmuni, cui, ſi adeſſet, teneretur credere propter rationem dictam in prænotatis ad hanc diſputationem: ſed tamen in lege gratiæ, talem reuelationem certam non reperiri, docui circa quartam aſſertionem, imò neque probabilem practicè, vt iam iam paramus dicere.

Sexta aſſertio. Admiſſa reuelatione tantùm probabili, de diſpenſatione in lege communi (fortaſsè enim poterit ſpeculatiuè reperiri) nullo modo liceret eam in praxi ſequi, illa perſtante in ſua dumtaxat probabilitate, id eſt, niſi aliunde ex probabili, fieret certa omninò. Aſſertio, ſi intelligatur reſpectu eorum, qui à prophetante, ſiue reuelationem manifeſtante accipiunt, aut audiunt; eodem gradu certa eſt, quo certum eſſe diximus, non licere agere contra legem communem; eo quod aliquis dicat Deum in hoc, vel illo diſpenſaſſe. At verò ſi ſermo ſit de eo, qui patitur reuelationes, & tantùm probabiliter opinatur, ſecum, Deo ſibi reuelante, diſpenſatum eſſe in lege communi; etiam aſſertio vera eſt, & probatur eiſdem teſtimonijs, & rationibus, quibus probata eſt quinta aſſertio, videlicet ex capite, cum ex iniuncto, & primæ ad Theſſalonicen. 5. & ad Galat. 1. Quorum teſtimoniorum veritas in iure naturali fundatur; videlicet non eſſe relinquendam certitudinem legis aliquid iubentis, propter ambiguitatem, & incertitudinem eius reuelationis, quæ tantùm probabiliter exiſtimatur eſſe diuina. At hæc ratio in omnibus reuelationibus, quæ aduerſus legem communem fieri dicuntur, procedit: quia textus ſacri abſolutè loquuntur, & ratio eſt eadem tam in reuelationibus diſpenſatorijs cum eo qui dicitur reuelationes pati, quàm cum alijs, pro quorum diſpenſatione dicitur reuelatio fieri. Ex hoc colligo cum, qui dixerit cum reuelatione dumtaxat probabili, quod Deus ſecum, aut cum alijs diſpenſauerit in communi lege, poſſe tuta conſcientia agere, quod aliàs lege diuina, vel humana vetitum eſt: dicere dogma proximũ errori. Probatur ex teſtimonijs citatis, quæ, vt dixi, omnes tales reuelationes eſſe abijciendas, teſtantur: aut ſi id primariò non intendant; certè per probabilem, aut certam conſequentiam, ad id poſſunt adaptari. Item qui ſic diceret, aduerſaretur communi Doctorum ſententiæ aſſerentium, reuelationibus contra legem communem non eſſe aſſentiendum, niſi reuelatio fieret certiſsima medio aliquo ſupernaturali. Ita Altiſiodorenſis verè ſi *Altiſiodor.* omnium Doctorum ſcholaſticorum, lib. 3. ſuæ Summæ, titulo 3. cap. 2. vbi docet generaliter eſſe verum, quòd in his, quæ ſunt contra mandata Dei, debet expectari donec certum habeatur ſignum, de prophetia vera, aut de Dei diſpenſatione ſpeciali, vel de diſcretione ſpirituum; ſecundum illud primæ Ioannis 4. *Probate ſpiritus* *1. Ioan. 4.* *vtrum ex Deo ſint*. Et ideò communiter dicunt Doctores, quod Abraham nunquam tentaſſet, neque licuiſſet intentare immolare filium ſuum, niſi fuiſſet certiſsimus de Dei reuelatione diſpenſatoria. Ita Altiſiodorenſis vbi ſupra, & Diuus Thomas *D. Thom.* infra, quæſtione 171. articulo 5. & Cor- *Cordubenſ.* duba in quæſtionario, lib. 3. quæſtione 8. *Tho. Ang.* ait ita ſentire communiter omnes Doctores. Egregiè Thomas Anglus in caput 22. Geneſ. *Eſt pro certo ſupponendum*, inquit Anglus, *fuiſſe Abrahæ præceptum à Deo immolandi filium ſuum; alioqui nimis temerariè, atque impiè acceptaſſet opus tam inuſitatum, præſertim verò non præmiſſo multiplici conſilio prouido, & matura deliberatione: primis enim Patriarchis, & Prophetis fiebant viſiones vniuerſales fundamentales, & infallibiles, tanquam fundatoribus, & quaſi radicibus totius diuini cultus, & Eccleſiæ Dei, & ideò nullo modo dubiæ erant tales viſiones, ſicut ſunt quæ communiter fiunt ſingularibus perſonis quibuſdam, quas non eſt ſecurum ſequi, niſi per aliam certitudinem rationis, vel Catholicæ fidei, vel Scripturæ, earum veritas primitus innoteſcat.* Hæc Thomas Anglus luculentiſsimè pro noſtra ſententia cum communi Doctorum conſenſu.

Ex hoc infero, dogma ſentiens cum opinione probabili de Dei diſpenſatione, per reuelationem, tuta conſcientia poſſe agere contra legem communem; eſſe errorem, aut proximum errori: ſic nos docuerunt qualificare ſententias, quæ ſunt contra cõmunẽ ſenſum Doctorũ, Melch. Can. lib. 12. de locis Theologicis, c. 6. & 11. & Corduba lib. 1. q. 17. §. 7. Ex eodem etiã principio, colligo, idem dogma eſſe temera-

rium. Item meo iudicio sapit hæresim nostrorum temporum, quæ affirmat non esse attendendas Ecclesiasticas leges, sed sequendum id, quod dictauerit proprius spiritus interior: à qua non longè absunt, qui affirmant contra communes leges licitè agere, qui habet reuelationem interiorem probabilem, de Dei dispensatione erga legum communium obseruantiam; facilè enim est dæmonibus, multas ingerere reuelationes, quæ apparent probabiles: iuxta quas si operetur quispiam in barathrum cadet. Præterea dogma præfatum scandalosum est, quia vt benè notauit Caietanus secunda secundæ, loco citato, illo dogmate admisso, aperitur via facinoribus, impudicitijs, & innumeris fraudibus, ac illusionibus, quibus fideles non tantùm à dæmone, verum etiam ab hominibus nequam decipiantur: à diabolo quidem, qui potens est adeò apparentia signa efficere, vt in errorem inducerent, si fieri posset, etiam electos: ab hominibus verò, nam ij possunt probabilia argumenta adinuenire, quibus persuadeant reuelatum esse sibi, quod suadere conantur: & vt benè notauit quidam Theologus grauis, cùm vnum ex probabilibus argumentis sufficiens generare probabilem assensum, sit autoritas hominis, qui virtute, & scientia fidedignus reputatur; facilè erit huic simplicibus illudere, maximè fœminis, affirmans hæc, & illa impudica, sibi à Deo reuelata esse, & ideò licere.

Caietan.

Ex his perspicere poteris quantum errauerit Ioannes de Salas in 1. tomo circa primam secundæ Diui Thomæ, tractatu 8. disputatione vnica, sectione 5. numero 51. in solutione ad quoddam argumentum in impressione Barchinonę, anno 1607. vbi sic ait: *Religiosus efficaciſsima deberet habere motiua, vt probabiliter opinaretur veram esse reuelationem, qua secum dispensaret Deus, vt matrimonium contraheret contra legem communem: hactenus enim nunquam Deus dispensauit. Si tamen veram probabilitatem haberet, posset ad euitanda magna inconuenientia vti dispensatione dubia, & tantùm probabili: quod etiam in dispensationibus quoruncumque Prælatorum obseruandum est.* Hæc ille vir, aliàs egregiè doctus: sed eius sententia in hac parte proxima erro- est, & digna censuris nuper relatis; qu e merito ferè statim vt prælo mandata est, iussu supremi Senatus contra hæreticam prauitatem, abolita est, & abrasa: ne si serperet, tristes excitaret tragœdias, dùm sub prętextu probabilis reuelationis, aperiretur via impudicitijs, scortationibus, sacrilegijs, rapinis, & homicidijs. Sed expendamus quæso singula eius Autoris verba: ait enim: *Religiosus efficaciſsima deberet habere motiua, vt probabiliter opinaretur veram esse reuelationem, qua secum dispensaret Deus; vt matrimonium contraheret contra communem legem: hactenus enim nunquam Deus dispensauit.* Vellem ab hoc Autore scisciari, quæ motiua essent sufficientia, vt quis sibi probabiliter persuaderet, reuelationem esse à Deo? An autoritas Prophetæ dicentis se à Deo accepisse? Hoc certe non sufficeret, vt reuelationi crederetur practicè: id est, vt licitè religiosus vxorem duceret. Tùm, quia aliquando Prophetę loquuntur ex proprio spiritu, vt supra notauimus. Tùm, quia hæc credulitas vetita est Deuteronom. 13. ad Galatas 1. 1. ad Thessalonic. 5. & cap. citato cum ex iniuncto. An miraculum verum, vel testimonium speciale fidei? Tunc non esset opinio probabilis, sed certitudo fidei. Idem dicito de lumine prophetico, & discretione spirituum. An approbatio Summi Pontificis? Hac euasione conantur quidam excusare relatam sententiam; sed futiliter, nos enim, & præfatus Autor, loquimur de reuelatione tantùm probabili, & dubia, manente in sua dumtaxat probabilitate. Nam accedente Summi Pontificis approbatione, iam non est reuelatio probabilis, & dubia, sed certissima, cui sine nota perfidiæ, non posset discredi. Omitto quod ea approbatio dispēsatio est; quam posse Summum Pontificem efficere erga Religiosos, probabilis fert opinio. Cætera omnia motiua ad illam credulitatem, essent haud dubium rationes apparentes, aut miracula ficta; quæ cum à dæmone seducente, vel ab homine decipiente possint prouenire, neutiquam illis fides adhibenda est, contra legem Ecclesiasticam prohibentem Religiosos matrimonia inire, aut contra traditionem Apostolicam (vt quidam censent) de quo videnda est Synodus Tridentina, sessione 24. canone 9. & Doctores de his agentes in proprijs locis. Subiungit præfatus: *Si tamen Religiosus veram probabilitatem haberet posset ad euitanda magna inconuenientia vti dispensatione dubia, & tantùm probabili: quod etiam in dispensationibus quorumcunque Prælatorum obseruan-*

Salas.

Galat. 1. Thessal. 5.

ſeruandum eſt. Multa obſurda his verbis inuoluuntur, quæ iam refutata ſunt vt errori proxima, temeraria, ſapientia hæreſim, & ſcandaloſa. Modò verò rogo, quæ ſunt iſta inconuenientia, propter quæ vitanda liceret vti diſpenſatione dubia, & tantùm probabili? An fragilitas carnis? tentationes vrgentes, & ſimilia? Hoc certè motiuo perſuadent ſibi hæretici noſtri temporis, licere Eccleſiaſticis, & Religioſis vtriuſque ſexus, matrimonium contrahere.

Item, ſi res attentè conſideretur, videtur non eſſe poſsibilem talem reuelationem dumtaxat probabilem, neque etiam ſpeculatiuè contra legem communem prohibentem Religioſos vxores ducere, ac moniales nubere: etenim de ratione aſſenſus opinatiui probabilis, eſt firma quædam adhęſio vni parti contradictionis, cum formidine alterius partis: ſed implicat aliquem eſſe certum omninò de vna parte contradictionis, & opinari probabiliter de altera: quod ratione, & exemplis oſtenditur. Ratione quidem, quia certitudo, quæ habetur de vna parte, nequaquam poteſt euinci ab incertitudine opinionis, neque permittit intellectum vllo modo adhærere alteri parti ambiguæ. Exempla verò peruia ſunt in omnibus concluſionibus ſcitis, de quibus qui ſcientiam habent, non poſſunt habere probabilem aſſenſum de oppoſitis: ergo qui habet aſſenſum certum de obligatione legis communis, in noſtro caſu nullo modo poterit habere aſſenſum probabilem tantùm. Quod ſi obijcias, de facto contingere, vt quis relicta præfata certitudine, adhæreat probabili opinioni. Reſpondetur, nequaquam id fieri ex vi, & efficacia opinionis vere probabilis, quæ nõ eſt potens propter ſui incertitudinem, vincere certitudinem, ſed id contingit propter pertinacem, & fatuam adhęſionem volentis adhærere incerto, relicto certo: quæ adhęſio nequaquam dicenda eſt probabilis, ſed fatua, & pertinax. Confirmatur, quia in his & ſimilibus, dubium ſpeculatiuum non diſtinguitur à practico, cùm vnum ex altero inferatur. Sicut ergo efficaciter probauimus certitudinem obligationis religioſæ ad continendum, non poſſe auferri per ambiguitatem opinionis: ſic etiam probabitur non eſſe poſsibile talem haberi aſſenſum ambiguum, cum certitudine oppoſiti: maximè, quia certitudinem ſuperari ab ambiguitate irrationabile eſt. Iſte Autor (vt A reor) æquiuocatione deceptus eſt, dubiam reuelationem cum probabili confundens, quàs longè differre, ipſemet in principio diſputationis citatæ docet: nos verò fatemur dubiam poſſe haberi reuelationem contra legem communem; quia cum Deus eam poſsit inſpirare, patiens eam, vel exiſtimans ſe pati propter multas coniecturas poterit eſſe anceps, & pendulus, an ſit à Deo, vel à malo dæmone; neutiquam tamen poterit adhærere illi, vt diuinæ, quod ad probabilem opinionis aſſenſum neceſſarium eſt, niſi fatuè ſinat B ſuam certitudinem à dubietate ſuperari.

Sed ne in veſtibulo diſputationis præpediamur, admiſſa illa reuelatione probabili, certiſsimè aſſeueramus temeritatem ſententiæ relatæ. Fortaſsè quis eam excuſare volens à modo dictis, anſam ſumet dicens, conditionalem nihil ponere in eſſe (vt aiunt Dialectici) atque adeò cum præfata ſententia conditionaliter prolata ſit, non eſt condemnanda, ſi antecedens conditionalis impoſsibile eſt. Bone Deus! quã futilis euaſio, & contra verba, & mentem Autoris, qui (vt in verbis ipſius, cæci videre poſſunt) putauit poſsibilem talem reuelationem probabilem tantùm, & ea licitè eſſe vtendum aſſeruit. Nos verò non ex odio C fratris, ſed ex amore veritatis nolumus excuſare ſententiam, quæ, ſiue admittatur reuelatio probabilis, vt poſsibilis, ſiue non, continet doctrinam falſiſsimam, memores monitionis diuinæ, Deuteron. 13. *Si tibi voluerit*, inquit ſacer textus, *perſuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens, eamus, & ſeruiamus Dijs alienis, quos ignoras tu, & patres tui, non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miſerearis, & occultes eum; ſed ſtatim interficies. Sit primum manus tua ſuper eum, &c.* Quæ verD ba, licèt in caſu noſtro non procedant, tamẽ non ineptè alia proportionalia eſſent excogitanda aduerſus eum, qui excuſare vellet doctrinam iſtam, quã refutamus, tam noxiã, tam periculoſam; vt ſi executioni mandaretur, ab hinc paucis annis, multi reperirentur Religioſi ſecretò coniugati, & alij in remota fugientes, vt impunè poſſent liberis, & vxoribus operam dare. Nõ ita mi frater; ſed etiã ſi ſit germanus tuus, filius matris tuæ, qui hæc ſuadet, non aquieſcas ei, neque parcat ei oculus tuus, vt miſereris adhibendo excuſationes, nec occultes eũ tergiuerſatio

Deute. 13.

nibus impertinentibus: sed sit primum manus tua super eum, condemnando doctrinam, quæ tibi meritò displicet, cuiuscunque ea fuerit. Vnum tamen non prætermittam, falsò imponi Antonio à Corduba, hãc sententiam tenuisse in lib. 3. quæstionarij, quæst. 5. §. item 4. Quod vt perspiciatur, verba eius subijciam: ipse enim probans ne-

Cordubens. minem posse agere, quod speculatiuè dubitat, an sit licitum, plura exempla adducit, & inter alia dicit: *Similiter si quis obediat Prophetæ, tanquam ex parte Dei, præcipienti rem aliàs iure diuino regulariter prohibitam, putà cognoscere alienam, aut quod Religiosus ducat vxorem, dùm dubitatur, aut dubitare debet, vtrùm verè ex parte Dei talis Propheta id præcipiat, &c.* & subdit: *Dictum est exceptiuè, nisi ex iusta causa excusetur, agendo talem actum speculatiuè dubitatum de mortali, quia secùs esset si adsit iusta causa, putà obedientia superioris, sufficiens ad excusandum; aut si sit necessitas vitandi aliud certius, aut grauius malum imminens: tunc enim excusaretur, & sæpè teneretur quis agere illum actum speculatiuè, vel etiam practicè dubitatum esse mortale.* Hæc, & similia dicit Corduba: ex quibus Salas, & alij eum excusantes, volunt eam exceptionem referri, ad omnia exempla prius apposita, etiam ad illud, *Si quis obediat Prophetæ, &c.* quod esse alienum à mente Cordubæ patet, quia non dicit in omnibus exemplis posse interuenire iustam causam, vt fiat quod non est certum an liceat, sed aliquando euenire posse, vt iusta causa excuset ab aliqua ex illis actionibus: quod verò attinet ad illam partem, de reuelatione dispensationis rei prohibitæ, nunquam dixit iusta causa, dubium, aut probabilem assensum, excusari posse: quin potius quæstione 8. ad quam se remittit, circa finem expressè docet oppositum huius sententiæ, quam impugnamus, & ipse multis impugnat.

Sed dices, nostras assertiones funditus euertere omnes reuelationes, & omnes prophetias modernas legis gratiæ, cùm tamen Apostolus 1. ad Thess. 5. dixit: *Prophetias nolite spernere,* & Doctores communiter asse-

1. Thess. 5. runt vsque modo in Ecclesia Dei esse Pro-

D. Thom. phetas, & reuelationes, & D. Tho. in loco citato solut. ad 3. ait: *Singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiæ spiritum habentes: non quidem ad nouam Doctrinam fidei promendã, sed ad humanorum actuũ directionem,*

Augusti. *sicut Augusti. refert 5. de Ciuit. Dei, cap. 26.*

Respondetur. Vltima assertione nequaquam abijcimus veras reuelationes in lege gratiæ; sed dumtaxat ementitas, quales esse censemus, quæ dicuntur fieri contra legem communem Dei, aut Ecclesiæ. At verò admittimus, etiam modò, multas fieri reuelationes circa ea, quæ non aduersantur fidei, neque legibus diuinis, aut Ecclesiasticis; quibus reuelationibus, si constet certò esse à Deo, firmiter credendum; si verò tantũ probabiliter, fides probabilis adhibenda est: v. g. reuelationi de ingressu religionis, de victoria obtinenda, & huiusmodi: de quibus nos multa dicemus in disputatione sequẽti.

Ad primum argumentum, initio huius disputationis positum, quatenus videtur procedere contra nostras assertiones, respondetur, nos non negare posse reuelationes dispensatorias in legibus communibus, neque dicimus non esse credendum, quando certissimè innotescit à Deo esse: tales fuêre omnes commemoratæ in argumento; negamus verò esse credendum reuelationibus ambiguis, & non omninò certis, quando legibus communibus contrariatur. insuper negamus, tales de facto reperiri his temporibus, propter rationes superius allatas.

Ad secundum, quòd procedit contra nostras vltimas assertiones, resp. facilè, negando conseq. Quia infidelis sic credens ante assensum veræ fidei, non erat certus certitudine vera, de veritate sectæ suæ, aut de parte cõtraria mysterijs veræ nostræ fidei, & ideò percipiens saltem probabiliter falsitatem suæ sectæ, & maiorem probabilitatem nostræ veræ fidei, vel tenetur credere, vel prudenter ei assentitur: maximè, quia Deũ iuuare assensum, suo auxilio supernaturali existimamus. At in casu nostræ disputationis, qui habet reuelationem, certus est obligari lege communi, & dumtaxat habet probabilem assensum, aut dubium de dispensatione diuina; non sunt autem præferenda ambigua certis: possumus retorquere argumentum in nostrum fauorem, sic. Qui certus est certitudine fidei non debet eam deserere propter rationes, quæ appareant probabiles ex ignorantia subiecti: ergo qui certus est de obligatione legis communis, non debet, neque potest se eximere ab ea obligatione certa, propter ambiguam dispensationem, & tantùm probabilem.

Ad tertiũ argum. quo motus præfatus Autor in paralogismum incidit, admisso antecedenti pro nunc, nega. conseq. quia in casu antecedentis, de nulla parte contradictionis adest

adeſt certitudo,ſed de vtraque eſt dubietas, vel probabilitas: aliter res ſe habet in noſtro caſu,vt ſæpe diximus.Ad confirmationem ſimiliter negatur conſequentia,proter eandem rationem: quia in exemplis allatis in antecedenti, opiniones verſantur circa vtramque partem contradictionis;at in noſtro caſu non ita, ſed de vna parte certitudo,de altera ambiguitas,ſeu tantum probabilitas,quam euincere, ac ſuperare certitudinem,irrationabile eſt.

DISPVTATIO III.

Quibus ſignis, quibuſve indicijs, dignoſcere poſsimus inter apparitiones,ſeu reuelationes diuinas,ac dæmoniacas?

HAEC controuerſia magna ex parte dilucidata eſt in diſputatione proximè præcedenti. Sed ſpecialius tractanda,propter multas occaſiones ruinæ,ſumptas à reuelationibus in omni ſeculo,&ætate;quibus, vt obuiã irent ſancti Patres,& Doctores graues, laudabiliter inſudarunt, tradẽtes quædã ſigna,ad dignoſcendum inter reuelationes ſeu apparitiones Dei,& bonorum Angelorum (quas etiam diuinas vocamus) & inter eas quæ à dæmone proficiſcuntur. De qua re

Vinc. Ferr. ſanctus Vincentius Ferrerius, titulo de vita
Ioan. Gerſ. ſpirituali,capite 11.& 12. Ioannes Gerſon,
Turrecr. titulo de probatione ſpirituũ, & alibi ſæpe. Turrecremata in introductione defenſorij reuelationum ſanctæ Brigitæ, & poſt hos

Hẽr.de Fir. Henricus de Firmaria libro de quatuor in-
Hie.deFer. ſtinctibus, Hieronymus de Ferraria in Cõ
Franc. Pic. pendio reuelationum, Ioannes Franciſcus Picus libro vltimo de prænotionibus:& no

Medina. ſtra ætate,recentiores aliqui,Bartholomæus à Medina Cathedræ Primariæ apud Salmãticenſes præfectus circa tertiam partem D.

Couar. Thom.quæſtione 25.articulo 3. Couarruuias Epiſcopus Albarracinus,titulo de vera,

Iaco.deCuſ. & falſa prophetia.Iacobus de Cuſſa Theologus,integrum tractatum de hac re edidit,

Thireus. Thireus libro de apparitionibus. Martinus

Martin.del Rio. del Rio libro 4.diſquiſit. Magicarum,capite 1.quæſtione 3.Nos verò in re à tantis viris diſcuſſa,recurrentes ad antiquiores fontes,conabimur ad compendium, & certam methodum reducere doctrinam, aſsignantes tres claſſes ſignorum,quorum quædam petita ex parte rerum reuelatarum; quædam ex parte circunſtantiarum reuelationum: alia verò ex parte perſonarum, quibus fiũt reuelationes. Sed præmittendum, omnes reuelationes,& apparitiones eſſe in duplici differentia: quædam fiunt expreſsè ſiue ſint oculares, audibiles, imaginarię,aut purè intellectuales; de quibus nõn eſt modò dicendum per ſingula: aliæ verò ſunt non expreſsę, quæ potius ſuggeſtiones,ſeu interiores motus, ſeu inſtinctus dicuntur. Vtrumque expreſsit D. Auguſtin. libro 2. ſuper Geneſ.cap. 15. dicens aliquos à Deo inſtrui, aut per expreſſam reuelationem, aut per inſtinctum quendam, quem interdum etiam neſcientes humanæ mentes patiuntur,ignorantes vtrũm à Deo,aut ab alia ſubſtantia ſpirituali, ſiue à proprio ſpiritu proficiſcatur inſtinctus ille.

Prima claſsis de ſignis ex parte rerum reuelatarum

HOC eſt præcipuum caput vnde deſumuntur ſigna reuelationum,à quo ſint;& de quo egimus in diſputatione præcedenti.In qua re dico primo reuelationes ſeu apparitiones eo tẽdentes,vt ſuadeant aliquot falſa:putà contra ſacramScripturam, contra traditiones Eccleſiæ, contra ſacros Canones,aut Concilia,contra leges communes, ſiue diuinas, ſiue Eccleſiaſticas, & quæ ſuadent inobedientiam maiorum;tales reuelationes citra dubiũ ſunt dæmoniacæ, aut à proprio,& erroneo ſpiritu: quæ & fefellerunt multos Hæreticos antiqui,& moderni temporis. Hoc dictum latè probauimus in diſputatione proximè præcedenti, vbi etiam reiecimus,& modò reijcimus apparitiones, & reuelationes, quæ continent diſpenſationes cum his,vel illis in legibus communibus,diuinis, aut Eccleſiaſticis: hæ enim non ſunt à Deo, ſed à dæmone.

Item ſi reuelationes, apparitiones, aut quicumque alij motus interiores, ad vitiorum actus inſtigẽt,à dæmone eſſe, aut proprio ſpiritu,certum eſt: quo fit vt illæ reuelationes,aut ſuggeſtiones, quæ inſtigant ad carnalia,laſciua, ſcurrilia, inuida, detractoria,immodeſta, & ſimilia, quæ hominem alienant à Chriſti, & Sanctorũ imitatione;

procul dubio non ſunt à Deo, ſed à Dæmone, aut carnis inclinatione.

Dico ſecundò. Quando reuelationes, aut ſuggeſtiones incitant ad opera bona, non leuis coniectura eſt, eas eſſe à Deo. Bene
1. Iacob. 3. D. Iacobus cap. 3. 1. epiſt. *Sapientia* (inquit) *quæ deſurſum eſt, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus, iudicans ſine ſimulatione.* Eadem verba libenter vſurpo cum Gerſone, pro reuelatione, quæ à Deo eſt: nimirum pudica, propter inſtigationem ad mores caſtos: pacifica, propter remotionem rixarum, inuidiæ, & æmulationis: modeſta, propter conuerſationem humilem, ac bene compoſitam: ſuaſibilis, propter reuelatorum veritatem: bonis conſentiens propter imitationem exemplorum Chriſti, & Sanctorum: plena miſericordia, & fructibus bonis, propter operũ vitæ actiuæ ſedulam actionem: iudicans ſine ſimulatione, propter vitationem hypocriſis. Hæc ſi ſuadeat reuelatio, à Deo eſſe non leuis coniectura eſt: ſed non certum ſignum, propter dæmonis verſutias, qui nihil adeò ſanctum, & probum, quod ipſe non ſimulet, transfigurans ſe in Angelum lucis: nam quandoque per reuelationes incitat ad opera egregia, ſed ſunt perfectionum impeditiua; quod non poteſt eſſe à Deo: nam Spiritus ſanctus inſtigat ad chariſmata meliora. Item reuelationes interdum inuitant ad perfectiora, ſed quæ non congruant profeſsioni, & officijs, & alijs, quæ expendi debent in eo, qui reuelationes patitur: v. g. ſuadent vxorato, vt relicta vxore, ad eremum contendat: & patri familias, vt neglecta domus cura, contemplationi ſe tradat, aut infirmo egenti curatione, vt ea neglecta, officium ſibi iniunctum adminiſtret: aut idiotis, vt contionibus, & confeſsionibus vacent: aut incipientibus, vt relicta via purgatiua, ad vnitiuam, & contemplatiuam citò, & præproperè conuolent. Interdum ſuadent ſingularia, & extraordinaria ieiunia, orationes, & cæremonias ſingulares: vt ſcilicet homo ſuperbiat nouis
Bernard. inuentionibus. Videndus eſt Diuus Bernardus, ſermone de vtilitate verbi Domini. Has ſuaſiones, non à Deo, ſed à dæmone eſſe certum eſt: ſicut & illæ, quibus perſuadentur aliqua pia, & ſancta, ſed ſimul, aut temporis ſucceſſu, aliqua permiſcentur impia: ſicut in ſimili adnotauit Diuus
D. Thom. Thomas 2. 2. quæſtione 172. artic. 6. Chry-
Chryſoſt. ſoſtomus homilia 19. Imperfecti. Auguſti-
A nus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 19. & ſequentibus. *Auguſt.* Huius rei ſi hiſtoriam illuſtrem cupis, lege Gregorium Turonenſem *Greg. Tur.* lib. de vitis Patrum, cap. 10. quem citat Surius prima die Auguſti. *Surius.* Itaque reuelationes ſuadere opera pia, & bona, non eſt ſignum certum eſſe à Deo: tu verò ſi reuelationes pateris, prudenter experdè, habito conſilio, & matura deliberatione, ne hamo dęmonis occulto in floribus capiaris. Quare diligenter commendanda eſt memoriæ doctrina Beati Arſenij, apud Metaphraſtẽ in eius vita, ſub his verbis: *Hoc quoque vos*
B *non lateat, ô fratres, quod noſter inimicus diabolus, multis, & varijs vtens machinis, nos conatur decipere, & boni prætextu in mala impellere: vt v. g. ſuggerens hoſpitalitatem, & conſequenter fratrum, qui accedunt, gratam, & benignam acceptionem, efficit vt ſimul comedant, & compotent: cauſa autem eſt bonum charitatis: deinde ſic paulatim ſuffurans, & attrahens, imprudentes nos trahit, vt ventri ſeruiamus, & deinde ad ſocietatem libidinis nos polluit, & voluptatibus. Alij rurſus ſubmittens in animum eleemoſynam, & benignitatem, & in pauperes beneficentiam: immittit amorem pecuniæ, & in furorem impellit auaritiæ. Alijs autem multorum vtilitatem tanquam eſcam porrigens, efficit vt ſi-*
C *lentium, & quietem relinquant, tanquam rem inutilem, & vt cum multis quidẽ mundanis habeant conſuetudinem, & nonnunquam etiam cum mulieribus incautè hoc faciant, perſuadet, tanquam qui iam eo peruenerint, vt ſint impatibiles, & ſic miſeros reddit libidinoſos, & ſeruientes animi perturbationibus. Alijs nullam exhibens moleſtiam, & vt à nullo capiantur vitio, inſidioſè procurans, extulit in ſuperbiam: & ſic nullo negotio præcipitauit: nonnunquam autem faciens, vt à bellando abſtineant, & maximè hi qui ad ſuſcipienda exercitationis certamina, ſe paulò ante exuerant,*
D *decepit: efficiens vt eſſent ſecuri, & de nulla re ſoliciti. Ex quo factum eſt, vt cum eos iniecerit in ſocordiam, & vt labores negligerent effecerit, repentè illos inuaderet tanquam expugnatu faciles, & inermes, & ſic maxima tempeſtate eorum mentem labefactaret, & conturbaret, & ſæpe etiam in vitiorum profundum immergeret. Alios rurſus, cum vt ſibi fiderent, perſuaſiſſet; vt qui iam ad maiorem peruenisſent menſuram, ſuggeſsit vt eis crederentur aliorum cogitationes, vitiorumque, & bellorum annuntiationes; quibus cum nondum rectè ſua vitia abluiſſent, primum quidem recordationem, & informa-*

tionem

tionem eorum, quæ audiuerant, immiſit, non abſque animi perturbatione: deinde verò etiam miſerè impulit ad carnis contaminationem. His enumeratis ſubdit Arſenius: *Propter tot ſtratagematum multiplices noxas nobis multa noſtri cuſtodia, & ſobrietate, vigilantia quoque, & ad bonum attentione opus eſt.*

Secunda claſsis ſignorum ex parte eorum, quæ reuelationes circunſtant.

PRimum ſit à quibuſdam internis, quãdoque concomitantibus, ſeu efficientibus reuelationes, quæ non exigua ſolent eſſe ſigna manifeſtantia, ipſis patientibus reuelationes, à quo ſpiritu ſint. Et imprimis ſe offert lumen diuinum, quo mens humana excitatur, & illuſtratur, vt certò ſciat, imò vt videat Deum eſſe qui ſibi loquitur. Hoc lumen frequens fuit Prophetis, rarò verò in reuelationibus noſtri temporis inuenitur. Quo modo autem hoc fiat, difficile eſt penetrare, eos qui illo lumine non fuerint perfuſi, de qua re, Deo dante, latius agemus in materia de prophetia: modò autem ſcire ſufficiat, fuiſſe neceſſarium Prophetis, & ſcriptoribus ſacris, qui myſteria occulta Eccleſiæ tradiderunt: quo modo enim eorum fides ſtabiliretur, niſi certò ſcirent Deum eſſe, qui illis reuelabat myſteria? certitudo autem, & cognitio hæc accepta eſt à lumine ipſo diuino, manifeſtante non ſolùm myſteria reuelata, verum etiam ſeipſum ſe ipſo: ſicut de lumine naturali Phyſici dicunt, non ſolùm facere colores viſibiles, ſed etiam ſe ipſum: & quemadmodum apud nos, vox & loquentem, & ſe, & rem ipſam, cuius eſt quaſi vehiculum, manifeſtat; ſic & lumen illud Propheticum, ſiue reuelationum propter ſui excellentiam ſe ipſum, & loquentem Deum, & ea, quæ loquitur, manifeſtat: & alio quidem modo ſe habet dum ad rerum reuelatarum conducit intelligentiam: aliò, dum ſe, & loquentẽ manifeſtat: ibi nullam vim mentis intelligentis conſideratur habere, hic ipſam quaſi ad rerum cõtemplationem, atque aſſenſum excitare, & rapere. Itaque non minus certi ſunt Prophetæ, atque omnes quibus Deus loquitur mediante hoc lumine, quàm certi ſumus nos, atque videmus prima ſcientiarum principia, per naturale lumen. Et quẽadmodum nos ex eiſdem certiſsimè concluſiones, ita illi ex certitudine reuelantis Dei, certitudinem reuelatorum à Deo, colligũt. Notauit hoc, & benè, Caietanus infra quæſtione 151. articulo 5. Hæc nemo perfectè nouit, niſi qui præfato fruitur lumine: & nos à poſteriori colligimus ex certitudine noſtræ fidei acceptæ per reuelationem, quę indubitata non eſſet, niſi reuelatio tam eximia in Prophetis, & ſacris Scriptoribus poneretur. Igitur hoc præclarum lumen ſi reuelationibus adſit, manifeſtum ſignum eſt diuinæ reuelationis: ſi verò abſit, non eſt ſignum dæmoniacæ; quia multæ reperiuntur, & repertæ ſunt reuelationes verè diuinæ, hoc diuino lumine non ornatæ, qualis illa facta Samueli pro prima & ſecunda vice, 1. Regum 3. & quæ facta eſt Petro Actorũ 11. quibus ſi adeſſet præfatum lumen, & Petrus & Samuel ſtatim ſcirent reuelationes eſſe à Deo, cuius oppoſitum accidit. Et modò noſtris temporibus multi viri, ac ſanctæ fœminæ, de reuelationibus diuinis vtrùm à Deo eſſent, ſine crimine, imò cum laude, dubitarunt; ergo hoc carebant diuino lumine, quo certiores fierent de Deo loquente, & cui nõ poſſent licitè diſcredere, aut de eius dictis dubitare; vt patet in Zacharia linguę vſu punito Luc. 1. Mirabilem hiſtoriam narrat Hincmarus in vita D. Remigij apud Surium die 13. Ianuarij de quodam Epiſcopo, cui facta eſt diuina reuelatio, quam quia abiecit, placuit Domino; ex quo aperte colligitur eam non proceſsiſſe ex præfato lumine, aliàs vituperabilis eſſet. Sed rogas, an ex inſtinctu diuino in reuelatione non expreſſa ſumatur firmum ſignum de Dei reuelatione, ſicut de lumine diximus? nequaquam: quod vel ex eo patet, quia veros Prophetas falli in inſtigatione per inſtinctum ex ſacra Scriptura colligitur, 2. Reg. 7. & notauit Gregorius Hom. 1. in Ezechielem, putãtes nimirum eſſe Dei inſtinctum, qui re vera non erat.

Caietan. *1. Reg. 3.* *Actor. 11.* *Luc. 1.* *Hincmar.* *2. Reg. 7.* *Gregor.*

Secundo loco conſtituo diſcretionis ſpirituum donum inter gratias gratis datas ab Apoſtolo 1. ad Corinth. 12. numeratum, quod eſſe reuelationum verarum à Deo, & ementitarum à dæmone, vel proprio ſpiritu, certiſsimum diſcerniculum, perſpicuè apparebit ſcienti ad quid detur hoc donum, & quid ſit.

1. Cor. 12.

D. Thom. 1. 2. quæſtione 3. articulo 4. & lectione 2. ſuper locum citatum Pauli ait, dari à Deo vt homo diſcernere poſsit, quo ſpiritu aliquis moueatur ad loquendum, vel operandum, vtrum ſpiritu charitatis, vel

D. Thom.

ſpiritu

ſpiritu inuidiæ, &c. Et hæc acceptio vera A
eſt, ſed non minus congruens noſtro inten
to. Secundò datur ad diſcernendum inter
reuelationes, & apparitiones bonorum, &
D. Thom. malorum ſpirituum. Ita D. Thom. 3. contra
Gentes, capite 154. vbi ſic ait: *Quia verò per malignos ſpiritus, aliqua ſimilia fiunt his, quibus fides confirmatur; tam in ſignorum operatione, quàm in futurorum reuelatione; ne per huiuſmodi homines decepti mendacio credant; neceſſarium eſt, vt adiutorio diuinæ gratiæ inſtruantur de huiuſmodi ſpiritibus diſcernendis, iuxta illud, Probate ſpiritus vtrũ ex Deo ſint*: videlicet per donum diſcretionis ſpirituum. Ex quo liquet, hoc donum qui habuerit, certiſsimè ſciet diſcernere tum de B
ſuis: tum de alienis apparitionibus, reuelationibus, ac ſuggeſtionibus; vtrum à Deo ſint, vel à dæmone, aut à proprio ſpiritu.

Sed quid eſt donum hoc? Quoddam actuale lumen ab Spiritu ſancto communicatum quando vult, & quibus vult, ad vtilitatem Eccleſiæ, ſine vlla neceſſaria diſpoſitione naturali, aut acquiſita: quo fit vt non ſemper adſit pro voluntate deſiderantis, neque in omnibus reuelationibus; ſicut de lumine dicebamus, & ideò à fide habituali diſtinguatur: & quia infideles Prophetæ, vt Balaam, illud habuerint in ſua prophetia
Num. 23. depromenda, Nume. 23. imò & licèt credatur adfuiſſe omnibus Prophetis, quando de C
rebus fidei, aut ad bonum vniuerſalis Eccleſiæ prophetabant, non tamen eſt vllum hominum genus, nulla ætas, aut ſexus, cui neceſſariò annectatur donum hoc, licèt frequentius cõcedatur viris pijs, maximè quibus animarum cura incumbit, vt ex hiſtorijs habemus; & quia datur ad vtilitatem Eccleſiæ; ergo & ijs frequentius qui eius curam gerunt. Quæ omnia, & ſingula dicta ex his, quæ dicentur ſuo loco de gratijs gratis datis, cognoſcentur. An verò diſtinguatur à lumine prophetico? puto diſtingui realiter, propter Apoſtolum diſtinguentem id D
donum à prophetia, tum quia ſæpe reperitur in nõ prophetantibus, ſed diſcernentibus inter veras, & falſas prophetias, inter diuinos, & non diuinos inſtinctus, &c.

In tertio loco ſignorum interiorum conſtituo ſaporem quendam, quem experitur fidelis anima, in ſuſceptione diuinarum re-
Gregor. uelationum, & eo (vt ait Gregorius libro 4. Dialogorum, cap. 48.) valeat diſcernere ſe neque humanis ſomnijs, neque diaboli frau-
Auguſt. de illudi. D. Auguſt. libro 6. confeſsionum, capite 13. dicit matrem ſuam dicere ſolitam ſe ſapore diſcernere, quem verbis explicare nequiret, quid intereſſet inter Deum reuelantem. Idẽ dicebat ſancta Catherina Senenſis. Sed quamuis viri ſancti in ſuis reuelationibus hoc ſapore quandoque fruantur, non tamen id neceſse eſt ſemper accidere: ſed ſunt multæ reuelationes diuinæ, hoc ſapore deſtitutæ. Quare ſi deficiat, non ob id reuelatio habenda eſt vt dæmoniaca. Rogabit curioſus quid ſapor iſte ſit? quidam cenſent eſſe donum diſcretionis ſpirituum: quod falſum credo: tum quia ſapor ad vim affectiuam pertinet, donum diſcretionis ad intellectiuã: tum quia in diſcernendis per idem donum, de aliorum reuelationibus, non lego adeſſe hunc ſaporem. Alij appellant intimam inſpirationem: ſed hæc ad intellectiuam partẽ ſpectat. Melius vocabimus ſaporem internum experimentalem, qui adminiſtratione diuina procedit; & ſicut mediante guſtatione ciborum guſtans diſcernit inter bonum, & malum ſignum; ſic mediante hoc ſapore ex diuina illuſtratione concepto, patiens reuelationes ſecernit diuinas à non diuinis.

Huic ſigno aliud affine eſt, de modo quodam dulcedinis, lętitiæ, aut timoris, quibus anima ſuſtinẽtis reuelationes afficitur: nam ſi lætitia, quæ in initio mentem occupauerat, poſtea in horrorem, ac mœrorem vertatur; aut timor ſeu horror, qui à principio mentem inuaſit, ſenſim non amoueatur, ſed perſeuerauerit: ſignum eſt eas reuelationes nõ eſſe à Deo. At verò ſi in principio homo perturbatur, & horroris aliquid ſentiat; ſed poſtea his fugatis dulcedine quadam perfundatur, ſignum eſt diuinæ reuelationis. Sic eſſe Deo conſuetum, & ſanctis Angelis, initio timorem incutere, & poſtea lætitia, quiete, ac pace animam perfundere, palam fit ex ſacris Literis, Geneſ. 15. & 28. *Gene. 15. &* Iudicum 5. Daniel. 8. & alibi ſæpè. Hoc ſig- *28.*
num dedit D. Antonius pro diuinis reuela- *Iudic. 5.*
tionibus, quod tamen intelligendum eſt de *Daniel. 8.*
interna dulcedine, quæ deſiderium virtutũ auget, præcipuè charitatis, & humilitatis, vt beata Catherina Senenſis adiecit, non de dulcedine ſenſuali, qua decipiuntur quandoque ſuperbi contemplatiui; ſed poſtea reſoluta in carnis illecebras ſuum prodit autorem. Quare huic ſigno, vt infallibili non eſt adhærendum niſi conſtet eam dulcedinem, aut lætitiam merè ſpiritualem eſſe de diuinis conceptam, & in diuinis manentẽ: tunc enim certum erit à Deo eſſe reuelationem; quinimò addiderim, ſi ex illuſtratione,

ne purè ſpirituali, qualis eſt ecſtatica dimanet, (maximè ſi lumen nouum ſit, vel ſpecies infuſæ de nouo) tunc neque dulcedo, neque illuſtratio poſſunt eſſe à pura creatura; quia nullas formas nullum lumen valet producere, vt oſtendimus in diſputationibus præambulis. Huius dulcedinis, aut horroris cauſam quidam in cauſam naturalem referunt: nimirum ad antipathiam hominis ad Dæmonem, & ſympathiam, quam homines habent ad bonos Angelos: *Guillel.* ita Guillielmus Pariſ. 2. parte principali de vniuerſo, parte 2. cap. 152. Ego verò licèt ad cauſam naturalem referam tremorem, & trepidationem in reuelationibus, aut apparitionibus, quia viſis inſolitis naturale eſt exhorreſcere, ac trepidare: tamen ad ordinem gratiæ reduco, poſt reuelationes diuinas, quietem, ſecuritatem, ac iubilationem, qua Deus partim conſolari, partim timore, & afflictione vult ſuos exuere, quod valde alienum eſt à dæmonibus, qui odio mortales proſequuntur.

Denique coniectura aliqua à cogitationibus, & deſiderijs ſumenda eſt: qua propter ſi aliquis prauis cogitationibus vexaretur, & ſtatim ſequeretur reuelatio, valde timendum ne illuſio diabolica ſit dæmonis accurrentis, vt turbatis phantaſmatibus præ deſideriorum paſsione, facilius dæmoniacã ſuggeſtionem pro vera reuelatione obtrudat: nec tamen propterea aſſerimus ad bonas cogitationes ſemper veram ac diuinam reuelationem ſubſequi; in ipſo namque orationis feruore aliquando dæmon conatur ſe immiſcere; ad veram reuelationem ſemper ſequuntur bona deſideria, & pij affectus: ad dæmoniacam, aliquando per accidens, & ad tempus, boni, qui tamẽ à dæmone in maius malum diriguntur.

Secundum ſignum à concomitantibus externis.

IN primo loco miracula conſtituo. Nam quamuis non ſit neceſſe diuinas reuelationes miraculis ſtabiliri, tamen ſi confirmentur miraculis veris, citra dubium à Deo ſunt. Huiuſmodi ſunt multæ reuelationes in ſacra Scriptura relatæ: verbi gratia, ea quæ facta eſt Zachariæ Luc. 1. Conſultò dixi, veris miraculis: nam etſi in confirmationem fiant mira, & prodigia, quę miracula non ſunt, non ob id continuò cenſendũ eſt à Deo eſſe. Etenim vt ſupra vidimus, multa miranda, ac prodigia dæmones poſ- *Lucæ. 1.*

A ſunt efficere. Item ſi reuelatio alijs reuelationibus indubitatis confirmetur, à Deo eſſe priorem reuelationem non eſt dubium: quod ſi reuelationes confirmatrices, dubiæ ſint, adhuc manet in dubio prior reuelatio: poteſt enim dæmon ſuam falſam reuelationem repetere, aut alia falſa ſtabilire. Reuelationum confirmatarum multa ſunt exempla, quæ videre poteris apud Surium in 7. tomo 18. Aprilis, & 5. Octobris. Item ſi di- *Surius.*
uerſæ fiant reuelationes contradicentes inuicem, vtraque ſuſpecta veritatis habebitur: nec præcipitanda ſententia, ſed pendula
B maneat: quia interdum diabolus veram reuelationem per falſam conatur eludere, & interdum Deus, dæmoniacam per veram vult eliminare.

Denique euentus rerum reuelatarum nõ leue ſignum eſt reuelationem eſſe à Deo. Sed hoc indicium ſæpe fallax eſt: nam ſi reuelatio comminatoria ſit, adhuc mens ſuſpenſa debet eſſe, an abſolutam habeat veritatem, vel conditionatam: ſicut in Prophetarum reuelationibus legimus accidiſſe. Itẽ debet intelligi ſi res reuelatę ſint de his, quę dæmoniorum ſuperant vires: aliàs dęmon,
C qui multa miranda patrare valet, poterit reuelare, quæ ipſe nouit futura, aut facturus eſt, & ſic illudere mortales.

Præterea non leue indicium ſumi poteſt ex tectione, aut detectione reuelationum: niſi enim publica poſcat neceſsitas, & ex iudicio, & aſſenſu prudentis, ac literati cõfeſſarij non ſunt reuelationes detegendæ, ac euulgandæ: exemplo Heliæ, qui ne videretur in cœlum rapi igneo curru, conabatur à ſe pellere Heliſeum dilectum diſcipulum 4. Reg. 2. Beata quoque Hildegardis *4. Reg. 2.*
donec Eugenius III. Pontifex Maximus
D eam monuit, vt reuelationes ſuas in poſterorum vtilitatem propalaret, nequaquam ad id, etiam ſuperiorũ monitu, potuit induci. Ita Theodoricus Abbas in li. 1. eius vitæ. *Theodor.* Et Beata Libuina, vt refert Ioannes Brigmanas in eius vita, cùm Chriſtus Dominus ap- *Ioan. Brig.*
pareret, & quinque ſtigmata vulnerũ ſuorũ impreſſa reliquiſſet, & virgo cerneret tam expreſſa vulnera latere non poſſe, timeret quę cõcurſum, & applauſum hominum: ſic Deum deprecaſſe ſcribitur: maneat obſecro Domine hoc dignationis ſacramentum inter me, & te, ſufficit enim mihi gratia tua; & magno miraculo confeſtim vulnera ſanata ſunt, dolore tamen, ac liuore perpetuo permanente.

Multò aliter fecêre quædam, quæ ſuas

reue-

reuelationes euulgarunt, ac quinque vulnera ementita oſtentarunt: ſic monialis Luſitana, & beata quædam referenda, & aliæ multæ, ex quo indicio (ſi ſaperent) multi literati earum reuelationum falſitatem poterant intelligere, inueſtigantes finem eius detecti onis: nam ſi curioſus, leuis, vanus, cupidus, auarus, ambitioſus, procul dubio non eſſe à Deo tales reuelationes certo certius agnoſcitur. Item perpendendum, ſi ad eam detectionem mouerit vtilitas propria, an aliorum: ſi propria, an ſpiritualis, vel carnalis: ſi aliorum, paucorum ne, an multorum, vel omnium. Et in hac cauſæ inueſtigatione ſummopere expendendus eſt finis, non tantùm proximus, & apertus, ſed etiam occultus, & remotus: contingit enim ſæpe latere anguem in floribus, vt audiuimus multis accidiſſe, qui ficta pietate, & populi reformatione, reuelationes falſas meras nugas pro veris reuelationibus ferè integris Regnis obtruderunt. Illuſtre huius rei exemplum noſtra tēpora exhibuerunt, quando quidam Piedrola aliàs inculpatis moribus, verum ſe Prophetam prædicabat, multas prophetias contra Regem, & Proceres Hiſpanos falſo iactans: ſed eius impoſtura innotuit, & publicè punitus eſt.

Aliud indicium poteſt ſumi à forma, in qua fit apparitio: ſi enim Dei eſt, aut bonorum Angelorum in forma humana, & ferè ſemper virili coaptatur: non ſic apparitiones dæmonum: nam ſæpe in formis beſtiarum apparent; & aliquando monſtruoſarum, vt Centaurorum, Harpiarum, & ſimilium; frequentius autem figuram induunt canum, hircorum, aut ſerpentium, Deo ita diſponente, vt vel ex horum animalium fœtoribus, crudelitate, & huiuſmodi dæmonum affectiones dignoſcamus, & fugiamus. Non inficior, ſæpe apparere in forma humana, imò aliquando in figura Chriſti, vt Diuo Martino: ita Sulpitius in eius vita: & Auguſtin. contra Academicos refert dæmonem Philumenæ concubinæ Apellis, aliàs Seueri Hæretici apparuiſſe in figura pueri Ieſu. Quapropter huic indicio non fidendum, verumtamen, vt hiſtoriæ tradiderunt, ferè ſemper aliquid in huiuſmodi figuris inuenitur, vnde deprehendi queat apparitionem dæmoniacam eſſe. Narrat Surius ſeptima Iunij tomo 3. Diuum Robertum Abbatem dæmonem in nuptijs agnouiſſe ex calamiſtris, & procaci vultu, & curioſa diſcurſatione: & decima nona Maij, quod ſanctus Dunſtanus ex laſciua forma, & motu, ac verbis eundem cognouit, & ignita forcipe arrepto eius naſo lepidè irriſit. Denique quantumcumque dæmon velit pulcherrimam hominis, aut mulieris ſimilitudinem induere, Deo ordinante, aliquid deforme in huiuſmodi ſpectris apparet, vnde veterator valeat deprehendi; puta quia corpus atrum, fœtens, giboſum, nares ſimæ, aut nimium aquilinæ, oculi flammantes, manus, ac pedes obuncæ, aut vulturinæ, vel quid ſimile: de quo vide Petrum Thyreum libro 1. de apparitionibus ſpirituum, cap. 9.

Sulpitius. Auguſt. *Surius.* *Petr. Thyr.*

Tertia claſſis ſignorum ex parte perſonæ cui fit reuelatio.

PRimum ſignum ſumitur conſiderando fidei, ac cultus profeſsionem, eius qui reuelationes habet, aut dicit ſe habere. Nam ſi ſit infidelis, aut apoſtata à fide, meritò eius reuelationes reijciendæ, vt à dæmone profectæ, aut à proprio cerebro ad fallendum fictæ. Maximè in harum ementitarum reuelationum abuſu excelluerunt Hæretici, qui cum agnouiſſent omnia veræ fidei arcana mediis reuelationibus Prophetarum propalata eſſe, & intimata Eccleſiæ: ipſi etiam ſuis efficiis reuelationibus, aut à dæmone ſuggeſtis, impia dogmata conati ſunt euulgare. Ita Hæreticus Cherintus initio naſcentis Eccleſiæ, vt refert Euſebius libro 3. capite 22. & libro 7. capite 20. Ita Montanus, & eius prophetiſſæ, vt ait idem Euſebius libro 5. capite 15. 16. & 18. & Auguſtin. de Hæreſibus, capite 16. & de alijs multis ſimilia prodidêre Irenæus libro 1. capite 8. & 9. Epiphanius Hæreſi 40. Auguſtin. contra Fauſtum, & in Epiſtola ad Oribaſium, & Epiſtola 165. libro 3. de origine animæ, capite 11. Theodoretus libro 4. Hæreticarum fabularum. Noſtris etiam temporibus eadem via perrexerunt Anabaptiſtæ Munſterus, ita refert Lindanus Dialogo 2. Dubitantij: eadem via proceſſerunt Iuſtus Velſius, Franciſcus de Cruce referendus. His adiunguntur reuelationes, ſeu apparitiones ſagarum, & idolatrico cultu colentium dæmonia.

Euſeb. Auguſt. Irenæus. Epiphan. Theodor. Lindan.

Secundum ſignū. Si habens reuelationes arreptitius ſit, neutiquā illis credendū, quia à dæ-

à dæmonio proficiſcuntur. Idem dico de A frenetici, ac furioſis. Hoc vtens ſigno probat Meltiades prophetias Montani falſas; quia ſponte incipiebat vaticinari, ſed inuitus furore, & amentia correptus pergebat. *Euſebius.* Ita Euſebius libro 5. c. 16. Sed de his latius agentes de diuinatione per Pythones.

Tertium ſignum ſumitur ex corporis temperatura, valetudine, & huiuſmodi: nam non erit conſultum aſſentiri reuelationibus eorum, qui atræ bilis abundantia laborant, ſi corpus inædia, aut vigilijs nimijs ſit attenuatum; ſi ſint cerebro læſo, vel nimis apprehenſiui, aut imaginationis B turbidæ, ideſt, plus equo vehementioris: quia huiuſmodi perſonæ etiam vigilantes putant ſe videre, quæ ſenſibus non percipiunt externis, tales dæmones facile ſeducunt præſtigijs his, vt vidimus ſupra, & per eos vaticinari ſolent.

Quartum ſignum deſumitur ex ætatis, aut ſexus differentia; & ideò ſenum reuelationibus declinantium ad ætatem decrepitam non eſt credendum; quia frequenter delirant; vt ait Ariſtot. in Politicis: Nec *Ariſtot.* pueris credendum, quia cùm ſint cerebri valde humidi, & vaporibus pleni, facili negotio, vel à morbo, vel à dæmone agitantur, vt præſtigioſas apparitiones recipiant. Et hinc fit vt ſæpe dæmones pueris ad hæc vtãtur in ſuis oraculis edẽdis; aut verò vt hoſtes nocentiſsimi, & vafri fingãt ſe innocẽtiã, & ſimplicitatẽ amare, cũ nil magis odiãt.

Sexus habenda eſt ratio. Nam apparitionibus, & reuelationibus fœminarum non eſt nimis fidendum: niſi probitas morum ſexus fragilitatem euincat, & perſonã commendet. Quare cæteris paribus virorũ reuelationibus maior fides adhibenda. Sexus fœmineus humidioris cerebri ſunt, humidum verò magis receptiuum eſt diuerſarũ figurarum. Ex quo dæmones occaſionem nanciſcuntur faciliorem ſua præſtigia inducendi; varias rerum imagines imprimendi: cumque minus prudentiæ, & diſcurſus habeant, facilius eſt dæmonibus eas ſimilitudinibus falſis, & apparentibus decipere, quas ipſæ vt diuinas celebrant. Abundat fœmineus ſexus vehementibus eſtibus paſſionum; quare quod à paſſione natum, à Deo profectum putat. Inſuper quando agitur de reuelationibus fœminarum, conſiderandum, vtrum rerum occultarum ſcien darum auidæ, garrulæ, murmuratrices, laudis cupidæ, aut cerebroſæ, aut ſeſe in virorum officia ingerentes: verbi gratia, con- tionari in publico, orare, & huiuſmodi. A reuelationibus harum cauendum, vel quia dæmoniacæ ſunt, vel quia effictæ, & à qualicumque iſtorum ſint, periculis plenæ. Volunt viris dominari, eos ad ſua placita trahere; præcipuè viros celebres, quos hamo occultiori nequeunt piſcari, niſi ſub virtutis prætextu; aſſerentes ſe à Deo illuminari, reuelationibus edoceri, adhibitis inſuper blãditijs fœmineis, quibus irretiti ſunt multi viri aliàs ſcientia, vel ſanctitate celebres. Primus ſe offert Tertullianus, qui viſionibus quarundam mulierculariũ deceptus, B in plures, quos antea doctiſsimè impugnarat, errores lapſus eſt. Sequutus eſt Apelles, aliàs Seuerus Hæreticus, ſuam prophetiſſam Philumenem, & deluſus eſt. Abijt Montanus poſt Maximillam, & Quintillam falſas prophetiſſas, & hæreticus famoſus effectus eſt. Sed illuſtrius exemplum nobis ſuppeditant noſtrorũ temporum occulati teſtes fidedigni de quadã fœmella, quæ decepit ſuis reuelationibus inſignem virum literis, & ſanctitatis opinione. Res ſic habet. In Regno Peruenſi noui orbis extitit quidam Franciſcus de Cruce doctiſsimus C Theologus, ac ante, vt videbatur, egregijs virtutum ornatus dotibus. Hic factus familiaris cuidam fœminæ, quæ ſe edoceri ab Angelo magna myſteria iactabat, quæque extra ſe interdum rapiebatur, aut rapi ſinu labat; ſic ei deuinctus, ſic credulus, vt de magnis Theologorũ quæſtionibus conſilium, & deciſionem peteret, prædicans eam Deo valdè charam, & Dei reuelationibus plenam, ac paulatim, vel credens reuelationibus acceptis ab illa ſua prophetiſſa, vel ipſe apparitionibus dæmoniacis illuſus (vtrũ horum fuerit incertũ eſt) in impia, & inſaniſsima dogmata lapſus eſt. Aiebat ſe, & Regem futurum, & Pontificem ſummum ſede D Apoſtolica ad Peruina Regna tranſlata; eũque ea ſanctitate pollere, vt omnes Angelos & Apoſtolos ſuperaret; quin etiam oblatã ſibi vnionem hypoſtaticam, ſed ab ipſo nõ eſſe admiſſam; eſſe mundi Redemptorem, quoad efficaciam (aiebat) ſicut Chriſtus quoad ſufficientiam; omnem ſtatum Eccleſiaſticum abrogandum, leges alias ſe editurum faciles, ſecundùm quas cœlibatus clericorum, & cõfeſſionis neceſsitas tolleretur. Multa alia deliria aſſerebat audacter, & conabatur defendere: ſed ineptè iactans ſe edoceri ab Angelo. Denique etiam in ignis ſupplicio, aut proximus intuebatur in cœlum, expectãs ignem de cœlo deſcenſurũ,

ac in

ac inquiſitores aſſumpturum, ſicut diabolus illi pollicitus erat: ſed in caſſum; nam flamma vorax eum citiſsimè conflagrauit. Paulò ante quædam Magdalena de Cruce Cordubenſis ſuis dæmoniacis reuelationibus multos decepit, vt eam quaſi fœminam ſanctam venerarentur. Succeſsit Vliſiponæ quędam fœmina Maria de Annũtiatione vocata, & alia Anna Rodriguez, quæ fingentes ſe diuinis reuelationibus imbui, ſtigmatibuſque ſimilibus eis, quas Chriſtus Dominus in ſuo corpore pro nobis pertulit ſe eſſe affectas, fere totam Europam in huius rei credulitatem pertraxerunt, ſed fictio detecta tandem eſt. Sic ſolet dæmon decipere mediantibus reuelationibus, quas vel ipſæ fœminę fingunt, vt in pretio habeantur; vel quod frequentius eſt, à dæmone ſuggerũntur, vt aliquot impia dogmata ſerat, aut aliquid mali moliatur. Nec mirum; nam ſimili, licèt non pari, aſtutia ab initio mundi Adamum gratiæ, & naturæ donis ornatum, mediante apparitione dæmoniaca ſuæ coniugis decepit, Geneſ. 3. Quare valde conſideranda eſt à viris ſpiritualibus doctrina Gerſonis dicentis: *Hoc præcipuè conſiderandum qualiter cum confeſſoribus, & inſtructoribus tales mulierculæ conuerſentur. Si collocutionibus intendunt continuis ſub obtentu nunc crebræ confeſsionis, nunc lõgæ narrationis viſionum ſuarum, nunc alterius cuiuſlibet confabulationis, expertis (inquit) credite nominatim Auguſtino, & domino Bonauenturæ, vix eſt altera peſtis, vel efficacior ad nocendum, vel inſanabilior.* Hæc egregie Gerſon. Propter quarum inconſiderationem (proh Deum immortalem!) quot cedri altæ Libani corruerũt? quot ſtellæ de cœlo ceciderunt? quot qui ſpiritu cœperant, carne conſumarunt? Non tamen ob dicta volumus nec latum vnguem detrahere reuelationibus multarum ſanctarum mulierum in lege ſcripta, aut in noua, in qua extitêre multæ dono prophetiæ decoratæ, vt D. Brigitta, D. Catherina Senenſis, & aliæ; ſed cauere monemus à fraudibus inimici, qui per reuelationes muliercularum ſolet imponere.

Geneſ. 3.

Quintum ſignũ, vtrùm in exercitijs ſpiritualibus perſona nouitia, an veterana fuerit. Si tyro, timenda fraus; quia vt inquit Gerſon, nouitius feruore ſcitò fallitur, ſi caruerit regente; præcipuè in adoleſcentibus, & fœminis, quarum eſt ardor nimis auidus, varius, effrænis, ideòque ſuſpectus. Hi, & hæ tyrocinium exercẽtes verendum eſt, ne labantur, dum indiſcretè, & præcipitanter ſe oratione mentali putant ſublimari: verbi gratia, ſi adhuc imperfecti, & in ſtatu viæ purgatiuæ ante tempus, & in initio ea relicta properent ad vnitiuam, aut ſtatim ac orare incipiunt ſine præparatione idonea, præſumunt ſe habere tantum paſsiuè quaſi in cœlum raptos, quibus ſic deluſis dæmon accurrit ſuis vanis reuelationibus peius deluſurus. Hac via ceciderunt Begardi, & Beguini, Dulciniſtæ, Collardi, & ſimiles.

Sextum ſignum dignum conſideratione eſt, Vtrùm patiens viſiones aliquando fuerit à dæmone deceptus, aut in proprio ſpiritu in falſas reuelationes præcipitatus: cui non eſt fides adhibenda; ſemper enim cõtra ipſum præſumptio ſtat. Conſiderandi ſunt mores, ſtudia, ac inclinationes eorum, qui viſiones patiuntur, quæ ſi non quadrent perfectioni Euangelicæ, aut eius ſanctitatis quam profitentur ſtatui, valde ſuſpectas, & eo amplius, ſuas reuelationes reddunt. Poteſt Deus quidem per viros improbos, imò aliquãdo per infideles, ſua arcana reuelare, vt palam fit in Balaamo Num. 22. Sed id ratiò ad denuntiandũ gentibus idololatris ſuã maieſtatem ex teſtimonio horum falſorum Prophetarum, ſed frequentius, aut ſemper per viros ſanctitate pollentes ſuã oſtentat voluntatem. Quare non eſt credendum reuelationibus ſuperborum, ambitioſorum, carnalium, ebrioſorum, iracũdorum, ſimultates exercentium, alios diffamantium, auarorum, aut hypocritarum, qui ſingularia quædam affectatæ deuotionis, & pœnitentiæ ſigna, per Superiores, aut per Patres anti quos non approbata, oſtentant. Egregiè Apollonius antiquus Pater (referente Euſebio libro 5. capite 17.) hinc falſitatis arguebat prophetias Montaniſtarum; tum, quod Maximilla, & Quintilla (à quarum reuelationibus ſuas hauſerat Mõtanus) maritos ſuos deſeruerant: tum quod erant pecuniæ cupidæ, mercedem prophetiarum accipientes, fœnus exercentes, theſſeris, & tabulis ludentes: tum, quod laſciuæ, deditæ pigmentis, cultui corporis, & ſumptuoſo luxui veſtimentorum. Quo indicio poterat euadere deceptionem noſtris tẽporibus quidam nimis fidens reuelationibus, quas efficiebat Matriti quædam fœmina virgo (vt ipſa dicebat) veſtibus pretioſis induta, compta, ac pigmentata facie incedens; dicens Hiſpanum Regnum eo anno euertendum, ſaluis pauculis in antro ſancti Gigneſij apud Toletum: ſed tandem deceptio detecta eſt.

Num. 22.

Euſeb.

Eodem

Eodem indicio reprehēdit reuelationes falsas alterius fœminæ religiosæ Deça Archiepiscopus Hispalensis.

Solent quandoque ad aliquavitia inclinationes detegere reuelationum falsitatem. *Gerson.* Habet (inquit Gerson) quælibet passio pro fundata, suam læsionem, suam ætatem, suū *Origenes.* (vt Origenes loquitur) dæmonium, quod sic puto intelligendum. Amat quis inordinatè aliquam rem, eam crebrò animo versat, imaginatione reuoluit, & interdū adeò acri intentione, vt ea quæ cogitat, putet sibi ab alio inspirari, aut suggeri, videre quæ non videt, audire quæ non audit. Ecce vnum principium deceptoriæ reuelationis. Vnde Poëta.

Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

Sed quod crebrius contingit, dæmon tunc dimidium suæ deceptionis videns factitatum, accurrit, adiuuat, & acrius turbatis phantasmatibus suggerit pro reuelatione id, ad quod passio inuitat. En alterum principium falsæ reuelationis. Quapropter vt hæc detegatur inclinatio, ac inde explorentur reuelationes, consulendi sunt familiares, & amici patientium reuelationes, quibus sunt notiores propensiones, & actiones eorū, v. g. si cerebricosi sint, suæque tenaces sententiæ, si cæteros despiciūt, se solos putant sapere: talis frater Ioannes de Rupe scitā ante trecentos annos; talis Franciscus de Cruce in Regno Peruiano: si fingant se mortificationi indulgere, cùm delitijs sint dediti. Si in alijs suis actionibus vani sint, præcipites, imprudentes, plus nimio loquaces. In his, & similibus duo valde timenda sunt. Primò, lapsus in errores, & in eos perseuerantia contumax, & quod inde frequenter oritur fœdissimorum peccatorum etiam cum dæmonibus perpetratio. Secundò, cerebri læsio, & valetudinis debilitatio non solùm in mulierculis, verùm etiam in viris, aliàs sapientibus, qui nescio quo prætextu contemplationis sapidæ, priapismos molles gaudium contemplationis blasphemè vocitant. Hæc satis dicta sint de signis ex parte personæ, cui fit reuelatio: nam quatuordecim regulas, quas de hoc tradidit frater Bartholo- *Medina.* mæus à Medina tertia parte, quæstion. 25. art. 3. his sex signis, si benè res inspiciatur, comprehenduntur.

Ex dictis colligitur, quàm difficile sit agnoscere inter diuinas, & non diuinas *Augustin.* reuelationes, vt meritò Diuus Augustinus de verbis Apostol. sermone 32. versans illud Ioannis, *Probate spiritus, vtrùm ex Deo sint*, exclamauerit: *O si Apostolus docuisset nos quomodo probandi essent spiritus, &c.* Quapropter multis precibus Deus exorandus pro obtinendo dono discretionis spirituum, quo velut Lidio lapide discernendum, vtrum spiritus ex Deo sint: & in rebus magni pōderis ad Summum Pontificem recurrendum: cuia interest inter veras, & falsas reuelationes discernere, vt pote quem Christus posuit regulam non solum ad res fidei diffiniendas, verum ad alia, quæ ad bonum Ecclesiæ spectant, decidenda, neque ob id documenta nostra, & signa reijcienda, quæ ad viam doctrinalem pertinent.

Fortasse quis incusabit nos de doctrinæ defectu in apparitionibus internoscendis: quia solum meminimus apparitionum diuinarum, & dæmoniacarum, cùm tamen sint multæ aliæ, nempè Angelorum bonorum, & animarum vita defunctorum, ad quæ dignoscenda deberent aliquot signa apponi, vt non esset manca doctrina. Sed obiectio facilè dissoluitur: si aduertamus, apparitiones, & reuelationes, quæ fiunt à bonis Angelis, non fieri nisi Deo iubente, aut annuente. Similiter apparitiones animarum beatarum, aut existentium in Purgatorio non fieri nisi ministerio Angelorum bonorum, & iussione Dei, aut nutu interuenientibus. Quapropter tam istarū apparitiones, quam bonorū Angelorum merito diuinæ dicendæ sunt. Apparitiones autem animarum damnatarum ministerio dæmoniorum fiunt: vnde, & dæmoniacæ debent appellari (de qua re inferius) & ideò ad dæmoniacas apparitiones referuntur. Cùm ergo dederimus signa ad discernendum inter dæmoniacas, & diuinas apparitiones, seu reuelationes data fuisse putato ad discernendum inter apparitiones bonorum, & malorum spirituum, siue illi sint boni Angeli, siue mali, siue animæ defunctorum. Quo modo autem sit discernendum inter apparitiones animarum, & aliorum spirituum, res difficilis est, nos verò inferius aliqua dicemus.

Superest in fine huius disputationis apponere quædam documenta pro patientibus reuelationes, & consultoribus eorū. Primum documentum. Nequaquā viri spirituales debent desiderare, neque petere, vt sibi à Deo, aut Angelis fiāt apparitiones, vel reuelationes: imò neq; diuinæ suggestiones, aut extraordinariæ consolationes, præter

ſolitum cùrſum eorum, qui timent, & diligunt Deum. Hoc documentum tradidit nobis ſanctus Vincentius Ferrerius vbi ſupra cap. 12. & reddit multiplicem rationem: tũ quia hæc deſideria naſcuntur ex occulta ſuperbia eas deſiderantium, æſtimatione, & amore ſui, quo cupiunt alijs manifeſtare ſuã ſanctitatem. Tùm ex vana curioſitate aut fragili fide, & ideò ſolet Deus permittere tales decipi, ac corruere. Tùm tertio, quia in talibus non conſiſtit vera ſanctitas, neque hæ reuelationes, aut apparitiones faciunt nos Deo gratiores, aut proximo vtiliores. Tùm denique propter periculum elationis, ac ſuperbiæ: & non ſolum eas viſiones deſiderare non eſt conſultum, verum & oblatas auerſari, & reſpuere ſatius eſt, vt infra videbimus. Vtrũque docuit Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. & lib. de vera Religione: vbi ait, conatum fuiſſe dæmonem ſibi perſuadere, vt ſignum aliquod à Deo peteret; ſe verò id recuſaſſe, quia optimè nouerat, quam multos hæc curioſitas perdidiſſet. Et Gerſon id ipſum confirmat in hæc verba. *Enarrantur exempla Sanctorum Patrum, qui curioſitatem huiuſmodi viſionum, vel miraculorum tanquam pernitioſiſſimam, fallaciſſimamq; refugerunt, à qua ſe Auguſtinus liberatum in ſuis confeſſionibus gloriatur in Domino, quam propterea D. Bonauentura abhorrendam nimis eſſe determinat, totoq; conatu repellendam.* Quod ſi obijcias, multos Sanctos reuelationes poſtulaſſe, ac impetraſſe, ſignanter S. Ephren, ita Amphilochius in vita ſancti Baſilij, & ſanctus Maurus apud Surium in Ianuario, & alij. Reſpondetur: non omnia Sãctorum geſta imitanda ſunt ab hominibus non ſanctis, maximè quæ creduntur egiſſe ex Dei peculiari inſtinctu, quales putamus tales viſionum petitiones.

Vincentius Ferrer. *Auguſtin.* *Gerſon.* *Amphilo.* *Surius.*

Secundum documẽtum. Si apparitiones, aut reuelationes alicui fiant (citra lumen diuinum, aut atteſtationem miraculi, quibus diſcredere non poſſunt homines ſine piaculo, de quibus ſupra, & quæ vix reperiuntur hoc æuo, quia neceſſariæ non ſunt) non continuò debet fidem adhibere. Suſpendẽda ſententia eſt, ac maturè deliberandum, & Deo res commendanda: ipſe enim ſi ſua reuelatio eſt, miris, ac varijs modis rem manifeſtabit: & vnus eſt per aliam reuelationem, aut verò per ſapientium, & ſpiritualiũ virorum conſultationem. Docent hoc ſacræ Literæ. Narrat Ioſeph patri ſomnia ſua Geneſ. 37. & pater rem tacitus conſiderabat. Apparet Angelus Ioſue in figura viri armati, ille interrogat quis eſſet, nec adorat incognitum. Ioſue 5. Auſcultat Samuel vocantem Deum, nec reſpondet Domino, ſed ad Heli recurrit, donec monitus fuiſſet ab eo quid agere deberet. 1. Regum. 3.

Geneſ. 37. *Ioſue. 5.* *1. Reg 3.*

Tertium documentum. Quando homo dubitat de reuelationibus, Cruce ſe muniat, vt dæmon fugiat. Hoc aliquando profuiſſe apparet ex Hiſtorijs multis. Item in faciem eius qui reuelat expuere: nam ſi à Deo eſt non indignatur, videns bonam intentionem expuentis, nimirum id efficere ne fallatur. Si autem à dæmonio eſt, fugatur, quia ſuperbiſſimus non poteſt hanc deſpectionem ferre. Profuit hoc documentum Beato Iordano ſecundo Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, profuit & alijs.

Quartum documentum repetitum à D. Vincẽtio, & alijs vitæ ſpiritualis Magiſtris. Ne admittat quis vel leuem conſolationẽ, aut quamcunque reuelationẽ, quæ vel ortũ habet à præſumptione, vel æſtimatione patientis viſiones, vel ſimiles imperfectiones inſtiget. Iaciendũ eſt fundamentum humilitatis, quod ſi euertatur his reuelationibus, decipi à dæmonibus facile erit.

Quintum documentum maximè notandum pro confeſſoribus, aut conſultoribus reuelationes patientium. Quod verbis aureis Gerſonis tradere intendo. *Caue ergo* (inquit Gerſon) *quiſquis eris auditor aut conſultor, vt nõ applaudas tali perſonæ, & nõ laudes eam: non mireris quaſi ſanctam, dignamq; reuelationibus, atque miraculis. Obſiſte potius, increpa durè, ſperne eam, cuius ſic exaltatum eſt cor, elati ſunt oculi, vt ambulet in magnis, & mirabilibus ſuperſe, vt digna ſibi videatur, quæ non humano more operetur ſalutem ſuam, per doctrinam ſcilicet Scripturarum, & Sanctorum, cum dictamine rationis naturalis, niſi conſilium habere præſumat, & putet, nedum ab Angelis, ſed à Deo, nedum ſemel in neceſſitatibus, ſed pene iugiter, velut in quotidianis collocutionibus. Talẽ admone non ſublime ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatẽ: quoniam veriſſimè ait qui dixit, ſuperbia meretur deludi, & eo dignius, quo inſtar Phariſæi latentem, hærentemq; oſſibus ſuperbiam, ſicut nec Phyſicus febrilem calorem ſuperbus atteudit. Quid enim facilius, quàm ſe viliſſimum peccatorem dicere? ſed veraciter ſimpliciterque ita ſentire ex intimis, hoc diuini muneris eſt, non humani ſolius exercitij.* *Gerſon.*

Denique omnia indicia à me ſuperius relata ſi attentè conſideraueris, propinabunt multa, & ſalutaria documenta pro vitandis pericu-

periculis,ac malis,quæ ex viſionibus,ac reuelationibus falſis ſolent irrepere.

Hæc ſatis ſint de hac re occaſione ſumpta ab apparitionibus diuinis, quæ ad prophetiam pertinent, & ab apparitionibus præſtigioſis, quæ ad diuinationis primam ſpeciem ſpectant: ſequitur vt de ſecunda ſpecie agamus.

De Necromantia.

VVlgus omnem artem inuocandi dæmones Necromantiam vocat, nos verò ſtrictius cum *D. Thom. in ar. 3* pro ſpecie diuinationis, qua per mortuos, aut aliquid ad eos pertinens occulta conantur ſcire, ac prædicere. Conſonat etymologia vocis. Nam vt ait Iſidorus lib. 8. etymolog. c. 9. *Necros*, Græcè mortuus, *mantia* vero, diuinatio nuncupatur. *Iſidorus.*

Pro declaratione aduertendum. Multipliciter imaginari poſſumus Necromantiam exerceri. Primo modo, cùm quis certa verborum forma, aut certis carminibus, deſcriptiſq; circulis, & figuris, literarū, characterúmve notis (quæ à dæmone immediatè, aut mediatè accepit) ferè ſemper adhibito ſanguine, mortuos ſuſcitare conatur, & ab eis accipere reſponſa, quibus fortuitos euentus futuros prædicat, aut omnino occulta patefaciat. Secundo modo, cùm quis animas iam defunctorum conatur præfatis carminibus, aut cæremonijs euocare, vt occulta denuntient: & iſtiuſmodi diuinatio etiam ſolet appellari Pſychomantia. Tertio modo, ex deſcriptis in mortuorum corporibus certis lineis, figuris, & ſignis, fortuita, futura, vel latentia nititur intelligere: ad hoc reducitur, conari ex certo cadauerum contactu, futurum aliquod, vel occultum palam facere.

Circa primum modum Necromātiæ eſt

DISPVTATIO I.

An ſit poſſibilis?

ETenim in ea exercenda ſupponitur, mortuos ope dæmonū ſuſcitari, quod impoſsibile eſt cuiq; Angelo, nedū dæmonibus: ſoli Deo, eiuſque omnipotentiæ hoc reſeruatur.

Sit noſtra aſſertio indubitata. Omnes iſtę ſuſcitationes mortuorū, quas Necromantici dicuntur efficere, vt ab eis occulta cognoſcant, nugatoriæ, & deceptoriæ ſunt, ac impoſsibiles. Et proinde primus Necromātiæ modus impoſsibilis patet, quia ſuſcitationem mortuorū fieri virtute alicuius creaturæ, eſt impoſsibile, vt oſtendimus ſuperius: quo fit vt omnes mortuorū ſuſcitationes, quæ in libris profanis narrantur factæ à quibuſdā, apparentes dumtaxat fuêre, & dæmonis malis artibus, aut Magorū, creditæ ſunt veræ. Prima autē differentia deceptionis huius multiplex eſt. Quando dæmones videntes aliquos homines quibuſdam morbis vrgentibus fieri immobiles, ac inſenſibiles, ac ſi eſsēt mortui (quod ſæpe accidere docent Medici, & exemplo Ioannis Duns Scoti ſubtilis Doctoris, qui putatus mortuus humatus eſt) videtes inquā dæmones huiuſcemodi infirmos, ſuadet Necromāticis, vt fingentes eos homines obijſſe, ad vitā reuocent, vt ſic in pretio habeātur, ac decipiatur vulgus imperitū. Talem ſuſcitationē exiſtimo eſſe quā Plutarchus narrat lib. 10. de Repub. talem & eam, quā refert Philoſtr. de puella ſuſcitata ab Apollonio, & alias multas. Secunda, quia dæmon furatur corpora mortuorū, & ſubſtituit alia aërea, quæ mouet, ac ſi viuentia eſſent. Sic furatus eſt Romuli corpus, vt habetur ex Liuio lib. 1. Tertia Quia dæmon ingreditur vera cadauera, & ea inſtar viuentiū corporum mouet, & rationes, ac geſtus imitatur. Innumera ſunt exempla antiqua, & moderna. Vnū celebre enarrabo, quod cōtigit impio, & famoſo Mago Cornelio Agrippæ. Eo à domo recedēte, claues ſui muſæi tradidit vxori, præmiſſa iuſſione, ne cuiquam ingrediendi facultatē daret: quidā verò ſtudioſus, Agrippæ familiaris, cupiditate viſendi actus, fœminam exorat, vt ſibi copiā ingrediendi muſæum largiatur. Ingreſſus verò incidit in librum coniurationum: legit: en pulſatio ad ianuam: pergit legere, turbatur, & pulſatio acrior intonat, & nihil iuuene reſpondente, dæmon ingreditur domū, interrogat, vt quid me vocaſti? Præ timore non valuit loqui iuuenis, & à dæmonio ſtrāgulatus eſt. Redit interea domum Agrippa, videt curſitantes, ac lætos dæmones, vocat eos, narrant triſtem tragœdiam: ille iubet cadauer mortui iuuenis ingredi, & per forum vbi cęteri ſcholares ſolebant conueniri aliquoties ambulare, ambulauit ille terquatérve, tandem corpus concidit, quia deſertum eſt à dæmone rectore, diù autē cæteri ſodales credidêre ſubitanea morte expiraſſe, poſteà res geſta euulgata eſt, & Agrippa Lotharingiam fugit. Alterum non minus inſigne narratur à Phlegonte lib. de mirabilibus, & longæuis. *Plutarch. Philoſt. Liuius. Phlegont.*

Hanc deceptionis differentiam exercēt

dæmones circa cadauera recens exanimata, & interdum ſanguine, vel aqua calida irrigata, vt poſsit commodè vti membris ex abſentia animæ in rigorem labantibus: maximè lingua, quæ vt ſit inſtrumentum locutionis, certam proportionem teneritudinis poſsidere debet; & ideò ſanguinis humani, vel alicuius ſimilis ſucci humectatione indiget, ne rigeſcat, anima deſtituta. At verò quando iam cadauera ſunt tabe, aut alio modo diſſoluta, rarò ea induit dæmon, quia non ſunt apta ſuis deceptionibus, & ideò quãdo cogitauerit de cadauerũ abuſu, non eſt illi difficile diù ſeruare incorrupta: ita vt neque fœteant, neque putreſcant, neque diſſoluantur, aut incinerentur: cum & hoc naturaliter aliquando contingat, vel ex vnguentis, quibus AEgyptij vtebantur in cadaueribus ſuorum procerum condien

Herodotus. dis, vt refert Herodotus lib. 2. hiſtoriæ; & ſæpè viſum eſt in cadaueribus balſamo optimo perunctis, vel ex mortis genere. Nã

Plutarchus Plutarchus lib. 4. quæſtio. conuiua. aſſerit corpora fulmine ictorum non ſentire pu-

Plinius. tredinem. Plinius etiam lib. 11. cap. 37. ait, cor eorum, qui vel cardiaco morbo, aut veneno interierint comburi non poſſe. Cur ergo dæmon, qui agnoſcit qualitates vnde hæc incorruptio naturaliter proueniat, nequibit ſimiles adaptare cadaueribus, vt diù indiſsipata conſeruentur, ac ea ingreſſus moueat, & abutatur ad reſurrectiones fingẽdas, & per ea vaticinationes effundẽdas?

Aſſerimus igitur, primum modum Necromantiæ cum omnibus ſuis differentijs (quia fundatur in reſurrectione mortuorũ cuiuis creaturæ impoſsibili) eſſe impoſsibilem, ac præſtigioſum à dæmone fingente reſurrectiones, quæ re vera non ſunt.

Secundus modus Necromantiæ per animarum ſeparatarum (vt Necromantici putant) euocationem, celebris admodũ, & frequens fuit apud Gentiles, quã licèt ſemper in locis ſubterraneis, aut nemoribus, denſitate arborum obſcuris, exercerent; fuêre tamen quædam loca inſignia, & quaſi inferni oſtia, huic nefario operi deputata: quale fuit Cimmerium apud Auernũ Campaniæ lacũ ab Homero, & Virgilio celebratum, & alia alibi. Iſta autem animarum euocatio dupliciter exercebatur. Primò. Vt cadauer ſuum ingreſſæ, reſponſa darẽt: ſic feciſſe Erictho-

Lucanus. nẽ famoſam Necromanticam quibuſdã ritibus execrandis perbellè decantat Lucan. lib. 6. Secundo modo, anima dũtaxat euocabatur, vt quæſitis à Necromantico reſpõderet: ſic exercuiſſe Necromantiã quandã Canidiam maleficã deſcribit Horat. ſaty. 8. *Horatius.* & de Tireſia elegantiùs, ac copioſiùs Seneca in tragœdijs, & de Circe Homerus in O- *Seneca.* diſſe. Aedipo, & de Medea Ouid. in Meta. *Homerus.* *Ouidius.*

Circa hunc ſecundum modum Necromantiæ diſputatio non leuis eſt. An defunctorum animæ vi Magicorum carminum, ac rituum cogi queant apparere viuis, & eis reſponſa dare de quæſitis. Quæ diſputatio aliam inuoluit, vel diſputandam, vel neceſſariò prælibandam: videlicet an animæ defunctorum apparere valeant viuis? & an de facto apparuerint?

Quidam partem tenent negatiuam. Mitto Saduceiſtas immortalitatem animarum negantes: relinquo Hæreticos modernos noſtri temporis, qui ſolis dicterijs, & iniurioſis verbis omnes apparitiones animarum damnant; aliorum qui rationibus, & ſacris teſtimonijs agunt, argumenta adducamus.

Primum ſit ex teſtimonijs ſacræ Scripturæ. Pſalm. 77. de animabus dicitur: *Spiritus vadens, & non rediens*, & Pſalm. 102. *Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, neque cognoſcet amplius locum ſuũ.* & Iob 7. *Sic qui deſcenderit ad inferos non aſcendet, nec reuertetur vltra in domum ſuã, neque cognoſcet eum amplius locus eius.* Ergo ſemel ſeparatæ animæ nequeunt ad nos reuerti. *Pſalm. 77. 102.* *Iob 7.*

Secundum ex aſſertionibus Patrum, Athanaſ. in quæſtione 13. in Script. Chryſoſ. homil. 29. in 8. cap. Matth. Theophil. ibid. Tertullia. in lib. de anima. Hi aſſerunt tales narratas apparitiones eſſe figmenta dæmonum. Confirmatur ex hiſtoria Luc. 16. vbi non permittitur Lazarus ad diuitem venire, vt ei monita ſalubria daret: nimirũ quia non erat decens, nec poſsibile. *Athan.* *Chryſoſt.* *Theophil.* *Tertul.* *Luc. 16.*

Tertiùm. Animæ ſeparatæ non poſſunt moueri de loco ad locum, vt cenſent Philoſophi, & Theologi graues: ergo neque exire à locis vbi deputati ſunt, vt appareãt viuis.

Quartum. Non poſſunt mouere corpora alia, quæ non informant, vt plerique Theologorum affirmant cũ D. Tho. 1. p. q. 117. art. 4. ergo neq; apparere viuis, quia iſtiuſmodi apparitiones nequeunt fieri niſi mediante corpore, maximè ſi loquantur viuis. Confirmatur, quia apparitiones, de quibus loquimur, & pertinent ad Necromantiam, debent fieri alloquendo Necromanticos, & denuntiando occulta: has autẽ *D. Thom.*

fun-

functiones, impossibile est reperiri in animabus separatis. Tum quia non possint assumere corpora, per quæ loquantur, nec vera, quæ non possunt mouere, nec efficta ex aëre, cùm eis corpora non obediant, etiam in ordine ad localem motum, neque sciunt partes aëris componere, compaginare, effigiare, ac colorare, vt imitentur corpora humana, & eorum gestus, ac loquutiones. Tū quia occulta, maximè futura, ignorant: non enim plura, aut perfectius intelligunt, qnàm dum erant vnitæ corpori.

Quintum. Estò possent apparere viuis, & ijs colloqui, ad id tamen per dæmones; ac consequenter neque per artem necromanticam non posse cogi, probatur, quia omnes animæ separatæ iuxta communem cursum diuinæ prouidentiæ, habent deputata loca; videlicet animæ beatæ, cœlum Impyreum; animæ iustæ, sed purgandæ, Purgatorium: damnatæ, Orcum: ergo dæmones non habent vllam potestatem à suis eas locis extrahendi, vt viuis appareant: quia sicut non habent potestatem mutandi loca elementorum, ne perturbetur ordo vniuersi in esse naturæ, sic nec habebunt potestatem extrahendi animas à proprijs mansionibus, ne perturbetur ordo diuinæ prouidentiæ in esse gratiæ. Confirmatur. In animas existentes in cœlo non habent talem potestatem: sunt namque in statu beatitudinis, à quo nulla creatura potens est eas deijcere, aliàs beatæ non essent: neque in animas in purgario habitantes, quia in manu Dei, & protectione sunt illi loco deputatæ, vt purgentur pœnis purgatorijs, quibus non assistunt tortores dæmones: ac proinde exemptæ à potestate dæmonum. In animas etiam commorantes in inferno nequaquam id valent; eo quod à Deo, illi loco, vt perpetuo carceri mancipantur; cuius vectes ferreos citra Dei permissionem dæmones nequeunt aperire: ergo neque necromantici ope dæmonum possunt animas defunctorum euocare, vt appareant, & ad interrogata respondeant.

In oppositum est, nam multas animarum legimus apparitiones, & quam plures à necromanticis suis malis artibus procuratas, vt in hac eadem disputatione videbimus, præcipuè de anima Samuelis incantationibus fœminæ Pythonissæ ab inferis euocata.

Pro decisione sit prima assertio. Animæ separatæ naturali sua virtute nequeunt viuis apparere. Hæc asseritur à D. Augustin. in libro de cura pro mortuis agenda, capite 13. & à D. Thom. in loco citato primæ partis, & quæstione 89. articulo 8. ad 2. & in 4. distinctione 45. quæstione 1. articulo 1. quæstiuncula 3. deinde probatur argumentis 3. & 4. cum sua confirmatione. *Augusti.* *D.Tho.*

Secunda assertio. Animas defunctorum aliquando viuis apparuisse, & cum eis colloquia miscuisse, Deo ita disponente, & concedente, certum existimo. Et quidem de animabus beatis, aut in lymbo Patrum existentibus non est fas dubitare: nam & animam Samuelis apparuisse Sauli inferius ostendemus: quod si de hac dubites non erit tibi licitum dubitare de anima Moysis, quæ apparuit in monte Thabor, Matth. 17. vt adnotauit D. Augustin. libro de cura pro mortuis, capite 15. an verò anima vnita fuerit corpori Moysi id informans, an apparuerit in corpore aëreo assumpto, adhuc sub iudice lis est. Quidam priorem partem, D. verò Thomas posteriorem elegit 3. parte, quæstione 45. articulo 3. & de animabus in cœlo existentibus affirmat August. vbi supra, & capite 16. & Diuus Hieronymus, libro aduersus Vigilant. & Hetherianus libro de egressu animarum ab infernis, & D. Th. sequitur in 4. distinctione 45. quæstione 1. & 1. parte, quæstione vbi supra. De animabus verò in Purgatorio habitantibus idem censet Diuus Gregorius libro 4. Dialogorū multis veris adductis exemplis. De vtrisque animabus varias nobis narrarunt, ac permultas apparitiones probatæ fidei autores: vnam celebrem apud Nicenam synodum primam Gregorius Cæsarienſis Presbyter apud Lypomanium to. 6. in oratione de Nicena synodo. En Patres Nicenæ synodi animas defunctorum ad nos redire Dei nutu crediderunt. De damnatis verò animabus pauciora reperi. Vide D. Gregor. 4. Dialogorum cap. 11. & 14. & Sophroniū, cap. 30. & 35. prati spiritualis. *Matth. 17.* *Augusti.* *D.Tho.* *Hieron.* *Hether.* *Gregor.* *Cæsarien.* *Gregor.* *Sophroni.*

Obijciet quispiam. Apparitiones istæ animarum facilè possunt fieri ab Angelis, mediante sua virtute naturali, valentibus assumere aërea corpora eodem gestu, effigie, & habitu, quo personæ defunctæ, quando in humanis agebant, visebantur, & sine vlla falsitate enuntiare se esse eorum defunctorum animas: quia ipsas repræsentant, sicut in lege veteri, potissimæ apparitionum, quæ erant Dei, fiebant per Angelos, vt dicitur Actorum 7. ad Galatas 3. *Actor. 7.* *Galat. 3.*

Et quando dicebat Angelus: *Ego Dominus Deus veſter*, & illud: *Apparuit Dominus Moyſi, &c.* vera nũtiabat, quia perſonã Dei repræſentabat: è contra verò apparitiones animarum (ſi quæ fiunt ab ipſis) difficillimæ ſunt, eo quod propria virtute nequeũt ſua, neque aliena corpora aſſumere, ſed miniſterio Angelorum, aut Dei virtute miraculoſa: ergo apparitiones animarum, quarum multas narrant Hiſtoriæ, Angelorum apparitiones fuêre, repręſentantiũ iam defunctos per aſſumptionem aëreorum corporum, fruſtra enim ponentur miracula ad ea, quæ æque benè ſine illis naturali virtute fieri poſſunt. Obiectioni reſpõdetur per ſequentes aſſertiones.

Tertia aſſertio De fide eſt, aut prope fidem accedit, aliquot fuiſſe apparitiones animarum, quæ à corporibus receſſerunt. Et vt omittamus apparitiones Chriſti Domini, factas Diſcipulis ante Aſcenſionem, de quibus non eſt fas dubitare: prima ſe offert apparitio Chriſti Domini facta Diuo Paulo, Actorum 9. quam re vera fuiſſe Chriſti Domini, & non Angeli repræſentantis Chriſtum, egregiè probat D. Tho. 3. parte, quæſtione 57. artic. 6. ad 3. ex Epiſtola 1. ad Corinth. capite 15. & traditio Eccleſiæ tenet apparuiſſe etiam Petro circa vrbem; quando dixit illi: *Vado Romam iterum crucifigi*. An verò apparuerit relinquendo dexteræ Patris conſeſſum, an ſimul in cœlo, & terra coëxiſtendo, Theologis diſputandum relinquimus. Item Matth. 17. narratur Moyſem iam defunctum apparuiſſe in Thabor. In quibus locis ſacræ Scripturæ verba nequeunt adaptari congruè, niſi ponamus verè, & realiter Chriſtum, & Moyſem, in propria natura, non Angelica repræſentatione apparuiſſe. Idem dicemus inferius de anima Samuelis, quæ apparuit Sauli. Ita ſentit D. Thom. 3. parte quæſt. 45. artic. 3. & ibidem omnes eius interpretes.

Actor. *D. Thom.* *Matth. 17.* *D. Thom.*

Quarta aſſertio. Ex innumeris, quæ referuntur defunctorum apparitionibus, pauciores putò fuiſſe animarum, plures verò miniſterio Angelorum, aut dæmonum ergà damnatas animas, in corporibus aſſumtis, repræſentantium iam vita functos. Hanc aſſertionem, præcipuè de iuſtis, concedo obiectioni factæ ante tertiam aſſertionem: deinde Diuus Thomas 1. parte, quæſt. 89. articulo 8. ad 2. ſequutus Auguſtinum, non minus miraculum cenſet apparitionem animarum, quàm cæci illuminationẽ.

D. Thom.

A Verba Aug. in lib. de cura pro mortuis ſunt hæc. *Verum iſta diuinitus exhibentur, longè aliter, quàm ſeſe habet viſitatus ordo ſingulis creaturarum generibus attributus: non enim ideò putandum eſt viuorum rebus quibuſlibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam Ianandis, vel adiuuandis martyres adſunt: ſed ideò potius intelligendum eſt per diuinam potentiam martyres viuorum rebus intereſſe, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus intereſſe non poſſunt.* Hæc Auguſt. Sed ſi omnes apparitiones, quæ refe rũtur factæ, (quę innumeræ fere ſunt) veræ apparitiones ipſarum animarum eſſent, innumera miracula patrarentur, & ſine magna neceſsitate, cum per Angelorum repræ ſentationem, in aſſumptis corporibus poſſent fieri, vt dictum eſt: ergo raris vicibus credendæ ſunt factas fuiſſe; ſæpiſsimè verò mediante Angelorum miniſterio, ac repræ ſentatione. Circa propoſitionem maiorem aduerte, apparitionem realem animarũ ob id dici miraculum, quia ſuperat facultatem naturalem animarum, aſſumere propria, aut aliena corpora: & præcipuè, quia ſuperat facultatem omnis creaturæ extrahere animas à locis ſibi per Deum deputatis, eſſet enim peruertere ordinem diuinæ prouidentiæ in eſſe gratiæ, vt ſupra latius explicui. Confirmatur ex parabola, ſeu potius Hiſtoria Luc. 16. vbi diues epulo, ſepultus in inferno inducitur, rogans Abrahamũ, vt mitteret aliquem ex his qui in inferno erant, moniturũ vt benè viuerent (finis certè pius, vt apparet) & tamen Deus nequaquã id concedere voluit; nimirũ quia nũquã aut raro id faciẽdum erat. Ita Tertul. lib. de Anima, c. pen.

B C *Luc. 16.* *Tertull.*

Sed quorſum animæ à ſuis locis euocantur, viuis apparituræ; cũ ea officia, quæ per ſe agunt, per repræſentationem Angelorũ facilius, ac fortè commodius peragi valeant? Multę cauſæ multaque motiua Deũ mouere putandum eſt, vt ipſis animabus licentiã apparendi viuis, & interdum inſsionem imponat. Primò ad adſtruendam, & confirmãdam in mentibus viuorum, animarũ immortalitatẽ, corporum reſurrectionem, cuius velut quædã obũbrationes ſunt iſtæ animarũ apparitiones. Vnde Iuſtinus martyr contra Triphonem, ex iſtis animarum apparitionibus, animarum immortalitatem, veluti digito, impijs Epicureis, & Atheis oſtendit. Quod ſi ſermo ſit de animabus beatis, & in Purgatorio exiſtentibus, non mediocri gaudio perfruuntur, ſi nobiſcum cõuerſentur: nos de ſuo ſtatu faciũt certiores, admonent

D *Iuſtinus.*

viam

viam rectè viuendi: sæpe impartiuntur nobis beneficia spiritualia, ac temporalia. Animæ rursus, quæ sunt in Purgatorio, pro se petunt suffragia, ieiunia, eleemosynas, vt pœnarum diminutionem à Deo obtineant, egressumque à loco pœnarum. Et damnatarum animarum apparitiones magno emolumento sunt viuis, vt videlicet horreant inferni cruciatus; fides etiam de æternitate, & acerbitate pœnarum firmius mentibus virorum adhæresci. Demum multa alia bona ex animarum apparitione proueniunt, quæ longum esset recensere. Sed tamen nõ ob id licitam iudico consuetudinem quorundam, qui in humanis agentes, paciscuntur ad inuicem, vt qui prior obierit, appareat superstiti, nuntiaturus de suo statu, vel aliquo alio simili; pactum hoc periculo plenũ est, ne se dæmon ingerat, & loco defuncti appareat decepturus viuos, eo quod animas apparere rarum est: & ex Dei peculiari dispositione, ac iussu, dæmones sub prætextu animarum apparere, vt decipiant, frequentissimum est. Quod si aliquando hęc pacta à Sanctis esse inita legamus, ipsorum alia ratio est, qui habebant discretionis spirituum donum, vel alias versutias diaboli callebant: nos verò, qui his destituti sumus, non debemus eorum gesta in hac parte imitari. Certè Beata Lutgardis, magna pollens sanctitate, cùm iussisset cuidam moniali, vt si prior moreretur eam visitaret, subiunxit, vt primum diceret benedicite, orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, ne (inquit) diabolus suo more aliquod figmentũ adducat. *Surius.* Ita Surius libr. 2. tomo 3. in Iunio. Quod si celebris fœmina metuebat, quanto magis nos debemus timere?

Quinta assertio versabitur in explanãdo modum, quo apparitiones animarum fiunt, & loquor de apparitionibus, quæ per assumptionem corporum fiunt; quibus vniuntur vt motores tantùm, non de ijs, quæ per informationem repetitam corporum: nam hæ ad resurrectionem pertinent, de quibus modò non loquimur. Et quidem si de apparitionibus animarum Dei visione fruentiũ fermo fiat, modus apparendi nec est difficilis factu, neq; intellectu. Nam inter quam plurima dona communicata animabus beatis, mediante Dei clara visione, plus quàm verosimile censeo eis communicari, vt se celerrimè quò voluerint conferant, corpora aërea, in quibus appareant adaptare, & per ea nos alloqui, ac nobiscum conuersari. Si enim ex redundantia gloriæ animarũ, corpora in resurrectione obtinebunt agilitatis dotem, qua discurrere, densa quæque penetrare corpora, alia valde ponderosa mouere possint: cur ipsæmet animæ eandem dotem ante resurrectionem non inchoabunt, eo quod sunt subiectum primarium omnium donorum, quę ab statu beatifico promanãt? Hic dicendi modus non dissonat D. Thom. *D. Thom.* in 4. distinct. 45. art. 1. quęstiuncula 3. Quod si dubites: An appareant animæ beatæ assumptis cadaueribus suis, aut aliorum? Existimo, aliena assumere non decere earum statum, neque etiam propria induere, quia incongruum est, ante resurrectionem corpora dissoluta tabe, aut fœtidâ, vel in cineres redacta, subire: maximè cùm apparitiones, & quæuis alia munia possint in elementari corpore exercere. Vnde D. Thomas *D. Thom.* 3. p. quæst. 45. art. 3. & Matth. 17. non vult concedere Moysem in mõte Thabor apparuisse in proprio corpore reassumpto, sed in aëreo: cui ego libentius assentior, quàm alijs oppositum opinantibus.

Animas verò in loco Purgatorij existẽtes quando Dei nutu permittũtur, aut iubentur viuis apparere; Angeli eas deferunt, ipsi cõponunt, ac fabricant corpora elemẽtaria, & eas ea induunt, vt repræsentẽt sua corpora, & ita quæ sint dignoscantur. Idem cẽseo de animarum damnatarũ apparitionibus (quæ rarissimè contingunt) nam vel ex Dei præcepto Angeli boni, vel mali eas ab inferno educunt, mouẽt, ac coaptant corporibus, in quibus apparere debent: quinimò sicut dæmones assumere cadauera asseruimus, non video cur & ipsæ animæ damnatæ ad idem non cogantur, similes effectæ dæmonibus. Adnotabo tamen cum D. Thoma loco proximè citato discrimen inter animas beatas, ac reliquas: Nam beatæ apparent viuis quoties placuerit: reliquæ verò non nisi iussæ, aut permissæ: maximè damnatæ, quarum damnatio ad Inferni penas iusta cùm sit, raro ad nos remeare permittuntur.

Sexta assertio responsiua ad disputationem principalem; cuius gratia tantum rerum attulimus apparatum. Omnes animarum apparitiones, quæ per artem necromanticam dicuntur fieri, vanæ sunt, & fallaces, vel quia ipsi Necromantici eas fingunt, vt alios decipiant, vel, si re vera putantur accidere, non sunt animæ mortuorum, quæ realiter apparent: sed ipsi dæmones assumendo corpora, tales se exhibent Necromanticis, aut eos consulentibus, in voce, statura, facie, gestibus, & similibus,

quales olim fuerunt mortui (quos simulant) cum inter viuos versarentur. Probat. assertio primò testimonio Gentilium sapientium. *Plinius.* Plinius hanc artem euocandi animas irrisit libro 30. capite 2. & ibidem affert Neronem eam contemnentem. Præcipuè autem probatur assertio testimonio Patrũ, *Tertull.* & in primis se offert Tertullianus libro de Anima cap. penultimo. Cuius egregia verba non pigeat legere: ait ergo ferme in hũc modum. *Necromantia, secunda est idolatria, in qua se dæmones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illa Deos. Quid ni, cum & Dij mortui sint? Itaque inuocantur quidem defuncti, sed dæmones operantur sub eorum obtentu. Hãc autẽ fallaciam diaboli, sub personis defunctorum delitescentis, etiam rebus probamus, cum in exorcismis nostris interdum dæmon aliquem se ex hominibus affirmat, vel gladiatorem, vel bestiariũ, sicut & alibi Deũ: nihil magis curans quàm hoc ipsum excludere quod prædicamus, ne credamus animas omnes malorum ad infernos redigi, & vt iudicij, ac resurrectionis fidem turbent: & tamen iste dæmon postquam circunstantes circunuenire tentauit, instantia diuinæ gratiæ victus, id quod erat in vero, inuitus confitetur. Sic etiam in Necromantia, quæ iam quiescentes animas euellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est operatior planè; quia & phantasma præstatur, & corpus effingitur. Nec magnum illi, exteriores oculos circunuenire, cui interiorem mentis aciem excæcare facile est. Nulli autem animæ omninò inferos patere, satis Dominus in argumento illo pauperis requiescentis, & diuitis ingemiscentis, ex persona Abrahæ sanxit, non posse relegari dispensatorem dispositionis, quod vel tũc licere potuisset, vt Moysi, & Prophetis crederetur. Sed etsi quosdam reuocauit Dei virtus in documentum iuris sui; non idcirco cõmunicauit fidei, & audaciæ magorum, & fallaciæ somniorum, & licentiæ Poëtarum: nam in hac mortuorum resurrectione, qua Dei virtus, in corpore animas repræsentat, solida, & contrectabili, & satiata veritate præiudicatum est, hanc esse formam veritatis, vt omnem mortuorum exhibitionem incorporalem, præstigias iudices.* Hæc Tertullianus, quo nihil luculentius potuit dici ad probandam assertionem. *Isidorus.* Et Diuus Isidorus libro 8. Etymologiarum; *Chrysost.* Diuus Chrysostomus Homilia 29. in Matth. copiosè nostram conclusionem docet: *August.* & D. Augustin. libro 10. de Ciuitate capite 11. & ipsos sequutus est D. Tho. 1. parte, quæstione 117. articulo 4. ad 2.

A Guillielm. Paris. parte vltima de vniuerso, capite 24. *Guillem.* Victoria de Magia, numero 17. *Victoria.* Deinde probatur ratione, nam educere animas defunctorum à locis sibi deputatis, vt appareant viuis, pertinet ad potestatem miracula faciendi, vt patet ex quarta assertione: sed non est credibile Deum hanc potestatem tribuere necromanticis: ergo neque quod suis incantationibus faciant, veras animas defunctorum apparere viuis. Probatur minor: quia miracula fiunt, vt veritas fidei confirmetur, aut sanctitas operantium propaletur: neutrum in euocatione animarum per necromanticos reperitur, quin potius non decet diuinam æquitatem eam potestatem talibus conferre; esset enim patrocinari nefarijs artibus, infamibus, ac sub mortis pœna à Deo in lege prohibitis, & ansam præbere mortalibus cupidis rerum mirabilium, se cœtui necromanticorum adiungere, quod à Dei bonitate esse alienum quis ambiget? ergo.

Obijci solent multæ tam apud Gentiles, quàm apud Christianos, apparitiones animarum factæ; & vt omittamus relatas ex Ouidio, Lucano, ac Seneca, quamplures aliæ solent recenseri: nam in itinerario Cle- *Clemens.* mentis libro 2. circa finem dicitur, quòd Simon Magus per magicas artes, pueri à se interfecti animam retinebat, per quam magicas operationes efficiebat: & Philo- *Philostr.* lostratus in vita Apollonij libro 5. capite 15. narrat de quodam Leone, in cuius corpus anima cuiusdam Regis inclusa erat, ipso Apollonio testante: & Glicas Græcus *Glicas.* Chronographus 4. parte, suorum annalium, narrat de quodam Santabareno falso Monacho, sed re vera famoso necromantico, qui Basilio Imperatori filium iam defunctum lugenti ostendere pollicitus est; & sic promissum impleuit. Imperatori, scilicet, per syluam gradienti fecit, vt Constantinus eques patri obuiam fieret, quem vbi visus fuisset, Imperator & complexus, & osculatus est, sed mox euanescentem ex oculis amisit. Similiter duobus iuuenibus ex nobilitate Hispaniæ, vanè iactantibus, se Achillem superaturos si adesset, necromanticus quidam eis Achillem obtulit visendum, à cuius feroci vultu exterriti, quidam fugit, alter immobilis perseueransvix palmum ensis è vagina potuit extrahere.

Aliud simile narratur in Theatro Vitæ humanæ 5. volumine. Habet in hũc modũ. *Theat. Vit.*

Ioan-

Ioannes Teuthonicus nothus erat, & ob id fugillabatur à ſuis concanonicis in Eccleſia Halberſtadenſi, id moleſtè ferebat Ioannes præfatus, quid egit? inuitauit ſuos collegas ad epulas lautiſsimè; quos excepit, & inter loquendum, quæſita, & capta occaſione, quærit à cõuiuis, num ſinguli ſuos parentes iam defunctos aſpicere cuperent. Illi reſpondent ardere hoc deſiderio. Tandem elicit Ioannes malo carmine (erat enim famoſus Magus) vmbras deformes coqui, ſtabularij, morionis, ruſtici perſona, quorum facies in paternis domibus illi aliquãdo vidiſſe ſe fatebantur: ſuum quoque patrem exhibuit habitu Canonici, pingui ventre. Dimiſsis vmbris: eia, inquit, dicite fide bona, cuius patrem nobiliorem iudicatis? Metu perterriti, & pudore ſuffuſi, ſuam quiſque domum perrexit, nec vltra Ioanni vitium ſanguinis exprobrauêre.

His & ſimilibus narrationibus reſpondetur, Dæmones eſſe, non animas defunctorum, qui euocantur à Necromanticis. Sed quorſum ſe animas ſimulãt? non ne ſatius eſſet ſe autores apparitionum, & reſponſionum profiteri, quibus maior fides adhiberetur, eo quod melius quàm animæ, occulta agnoſcunt, & valent annuntiare? Nequaquam: idque multis de cauſis. Prima tradita à Chryſoſtomo vbi ſupra, & homilia de Lazaro, & homilia 4. in Lucam, & Iſidoro lib. etymolog. cap. 8. ſimulant ſe animas defunctorum, vt perſuadeant errorem, qui ſæculo illo vigebat, animas ſcilicet quorundam mortuorum, illorum maximè, qui violenter necati ſunt, dæmones fieri, & incantationibus Necromanticorum, ad hominum obſequia, & reſponſa danda, compelli. Secunda cauſa, vt hac via perſuadeant animas etiam poſt mortem habere corpora, aut quælibet induere poſſe, aut in beſtiarũ corpora demigrare, vt credatur error de tranſmigratione animarum: & ſic reſurrectionis fides, & ſpes eneruetur. Hãc cauſam tetigit Tertullianus vbi ſupra. Tertia, quam ſuperius circa articulum ſecundum, quæſtionis 90. tetigimus: quia hac ementita apparitione, & colloquio animarum, facilius dæmones perſuadent viuis, quidquid volunt, dum homines animabus defunctorum, parentum, cognatorum, vel amicorum quos dilexerunt, & à quibus ſe dilectos perſuaſum habuerunt, libentius credunt, quàm dæmonibus, quos naturaliter horrent. Quarta, quia his præſtigioſis apparitionibus animarum, dum creditur, fit vt viui mortuos timeant, tanquam noxiales, ac terrificos, & varijs ſuperſtitionibus placare ſtudeant, vel vt beneficos, ſibique aliqua neceſsitudine deuinctos ſuperſtitioſe colant, & aliquando diuinis honoribus proſequantur. Ac demũ vltima cauſa eſt, hac namque animarum euocatione, perſuadent dæmones hominibus, dogma fidelium, de locis deputatis animabus defunctorum, eſſe falſum, cum appareant vel leuibus carminibus euocatæ: maximè perſuadere interdunt inferni pœnas non eſſe adeò graues, vt concionatores vociferantur, neque infernum eſſe carcerem irrefrãgibilem: cùm videant animas ab eo ad nos vſque ſæpè remeare.

Ad argumenta initio poſita reſpondetur. Ad primum, omiſsis multorum expoſitionibus partim myſticis, partim ad literam accedentibus, quæ à Patribus datæ ſunt circa ea teſtimonia, & admittentes de animarum reditu ad nos fieri ſermonem; reſpondeo cum D. Thom. ſuper locum citatum ex Iob, ea & ſimilia ſacræ Scripturæ teſtimonia eſſe intelligenda de eo, quod ſecundum curſum naturæ fit: non de eo, quod agitur miraculoſè: iuxta quod animas ad nos aliquando redire certum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur. Sanctos Patres ibidem citatos, agere aduerſus quoſdam deliros ſui tẽporis, aſſerentes aliquorum animas in dæmones conuerti; nec negant illi aliquando ad nos animas redire, & nobis apparere, vt patet attentè legentibus eorum teſtimonia. Ait Chryſoſtomus homilia 29. in Matthæum: *Sponte ſua non redeunt*; cur adderet ſponte ſua, ſi nec diuina voluntate redire poſſent? Et Tertullianus addit Dei virtutem reuocaſſe quaſdam animas in documenta iuris ſui; aiunt ergo redire non poſſe ſecundùm naturæ communem curſum, ex Dei verò iuſsione, aut beneplacito, aliquando redijſſe aſſeuerant.

Ad tertium. Quidquid ſit de veritate antecedentis, de quo copioſe Magiſter Sotus in 4. diſtinctione 45. quæſt. 1. art. 3. & ante ipſum Abulen. ſup. c. 21. Matth. q. 772. modò verò admiſſo antecedenti, reſpondeo, argumentum probare noſtram primam aſſertionem, non verò expugnare ſecundam. Similiter reſpondetur ad quartum, & eius cõfirmationem, cui etiam ſatisfit per noſtram quintam aſſertionem; vbi agitur de modo, quo appareant animæ ex Dei inſtituto, & cum viuis conuerſentur.

Ad quintum, & eius confirmationem reſpondetur, probare aſſertionem ſextam.

Sequitur nunc̄ disputandum de anima Samuelis, quæ 1.Reg.28. dicitur euocata à
1.Reg.28. Lymbo à Pythonissa, vt Sauli euentum nũtiaret belli. Et de hoc sit

DISPVTATIO II.

An fuerit anima Samuelis? an aliquod spectrum Samuelem repræsentans?

QVæstio peruetusta, quam tractat Aug.li.2.ad Simplici.q.3.& tandem inclinatur, vt dicat non fuisse verum Samuelem. Nam solent, inquit Augst. imagines rerum in Scriptura, nominibus rerum appellari: & idem dicit lib.8. ad
August. Dulcitium, quæst.9. Dixi Augustinum in hãc partem inclinare, quia alia loca vbi tenatius huic sententiæ inhæret, non sunt eius indubitata, vt in lib. quæst. veteris Testamenti quæst.27. Eandem sententiam tenẽt
Tertullian. Tertullianus lib. de anima, quæst.57.
Cyrillus. Cyrillus lib. de adoratione,
Guil.Pari. Guillielmus Parisiẽ.
Turrecre. lib. de vniuerso, 1.p.2.p. principali, circa finem, Turrecremata in ca. nec mirum.26. quæstione 5. Qui hanc sententiam tuentur, maximè fundantur in hoc, quod existimãt esse indecens, vt animæ præcipuè sanctæ, virtute dæmonum ad alias auras reuocentur; & quia omnia, quæ de Samuele ibi dicuntur: v.g. *Quare inquietasti me? & tu, & filij tui cras eritis mecum*; non affirmat Scriptura sacra esse vera, sed esse dicta, & potuerunt dici mendaciter à dæmone Pythonico: & quæ Saul dixit, *Cùm vidisset Samuelem, &c.* non inferunt esse verum Samuelem; sed putasse eum esse verum Samuelem: quod verò ibi dicitur: *Locutus est Samuel*, id est, qui putabatur esse Samuel; frequens enim est in sacra Scriptura vocare imagines nominibus rerum, quas repræsentant, & qui personam agit alterius, nomen eius vsurpat: sicut Angelus loquens nomine Dei, vocatur sæpè Deus. Nec etiam vrget quod Samuel ille prænuntiauerit Sauli, quæ ventura erant; quia id potuit fieri virtute, & dispensatione diuina, in pœnam afflictiuam Saulis, maximè edocente Angelo bono ipsum dæmonem, de futuri belli euentu.

Altera sententia affirmat non esse suscitatum Samuelem; quia ad effectum modò dictum, non erat necesse miraculum resurrectionis patrari; anima tamen vera Samuelis ibi adfuit in corpore aëreo assumpto, per quod loquebatur. Hanc sententiam tuentur Lyra, & Caietanus in 1.Reg. & Abule. quæstione 28. & fauet Augst. lib.2. de cura pro mortuis agenda, & Benedictus Pererius, cap.7. Exod.10. & D.Thom. in hac 2.2. quæstione 94. art.4. ad secundum, & quæstione 174. art.5. ad quartum, & 1.p. quæstione 89. art.8. ad secundum, vtranque sententiam, vt probabilem videtur relinquere, & Caietanus in priore loco ait, adhuc sub iudice litem esse, & Pamelius supra Tertullianum, vbi supra, & Sotus libro 8. de iustitia, quæstione 3. art.2. Castro lib.2. de iusta hæreticorum punitione cap.14.

Lyran. *Caietan.* *Abul.* *August.* *Pererius.* *D.Thom.* *Pamelius.* *Mag.Sot.* *Castro.*

Defensores sententiæ postremæ affirmatiuæ, præcipuè mouentur testimonio Ec
Eccle.46. clesiast.cap.46. vbi de vero Samuele sic fatur Sapiens: *Post hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere iniquitatem Gentis.* Quod testimonium adeò vrget pro hac parte, vt Augst. dicto lib. de cura pro mortuis agenda, & D.Tho. in loco citato 1.partis significent, si liber ille Ecclesiastici inter Canonicos recipiatur, non posse negari quin vera Samuelis anima apparuerit. At nunc de fide iam certum est librum illum esse Canonicum; quare existimo D. Thomam nunc hanc partem assereret propter autoritatem eius Codicis: licet Iansenius illum locũ adhuc conetur, sicut & illum ex 1. Reg. interpretabãtur præfati Patres, interpretari, & ideò licet nõ de fide sit hæc pars; est tamen magis veritati consentanea, & debet dici consequenter animam veram Samuelis non coactam à Pythonissa, sed cognita Dei voluntate, & fortasse iussione, virtute diuina assumpsisse aëreum corpus, ac locutum fuisse Sauli, quæ illi ventura erant. Quod si fusiorem disputationem quæris vide Autores citatos. Circa tertium modum necromantiæ nil dicẽdum occurrit, quia reducitur ad primum, vel secundum modum, aut verò ad alias diuinationes per tacitam dæmonum inuocationem, de quibus infra.

De diuinatione Pythonica.

HAec species diuinationis dicitur à D.Tho. Pythonica, seu Phitonica, quæ plus negotij nobis facesset in nominis significatione, & etymologia, quã in re ipsa explananda: Pytho namq; seu Pythonicus, si credimus Foreiro super octauũ caput *Foreirus.*

caput Esaiæ, vox peregrina est, à Gentibus vsurpata, quæ in primæua significatione significabat draconem ingentem, quem Apollinem interemisse in Delo insula fama fuit; aut ab homine nequam vocato Pythius, qui & Draconis etiam nomen gessit, quem Apollinem occidisse fertur: inde Apollo ipse vocatus est Pythius: & quia Apollo princeps Diuinatorum fuit (à quo Apollinis oraculum Delphicum, vt intra dicetur) translatum est vocabulum ad significandum omnem spiritum, qui ex locis subterraneis vocatur, vt respondeat: imò vt rectè adnotauerunt Alphonsus Tostatus, & Caietanus super cap. 28. lib. 1. Regum, generali appellatione Pythonum, seu Pythonicorum, omne diuinatorum genus comprehenditur, vt colligitur Deuterom. cap. 18. Leuit. 20. & lib. 4. Regum, cap. 21. & 23. & Esai. 8. At verò D. Thom. in articulo hoc presius vsurpat Pythonicam diuinationem, pro eascilicet, qua diabolus occulta prædicit medijs hominibus viuis. In arreptitijs, sæpè id genus diuinationis reperitur: & eiusdem nobis subministrat illustre exemplum liber Actuũ Apostolicorum, cap. 16. vbi introducitur quædam puella Pythonissa, quæ diuinando, magnum quæstũ suis dominis præstabat, & simul à dæmone arripiebatur: quã D. Paulus à Dæmone liberauit, ac proinde cessauit eius diuinatio. Est & alterum exemplum de quodam Basilacio, qui degebat prope Radestum, & habebatur vulgò vt Propheta: sed re vera à dæmone imbuebatur, & per eum diuinabat. De quo Nicetas lib. 3. *Iste*, inquit, *nihil veri, aut perspicui de futuris rebus loquebatur, sed verba confusa, inter se dissidentia, & perplexa fundebat: & quamuis sæpè ridicula admisceret, tamen turbam pastorum, agricolarum, & remigum attrahebat. Nam mulierum ad se venientium mammis contrectatis, & talibus exploratis obscura promebat oracula: & ad plerasq; quæstiones non respondebat, & suas diuinationes discursationibus, & insanis gestibus peragebat. Adstabant ei quoque cognatæ aniculæ, vecordes, & insanæ, quæ consultoribus explicabant, quid illi Basilacij gestus rerum futurarum designarent: & taciturnitatem, vt sapientem orationem, interpretabantur.* Is igitur homo, vt dixi vates vulgò habebatur, & futura prædicere putabatur à mulierculis præsertim, quibus turpes quæstiones, & deformes vestium implexiones pro ludo, & ioco cordi erant: cordatis verò hominibus ineptus histrio, & vetus silicernium videbatur. Erant etiam, qui eum Pythonico spiritu esse præditum haud obscurè iudicarẽt, quorum ego iudicijs maximè assentior egregiè. Nam & illæ turpes quæstiones, ac figuræ, & discursationes ad furorem declinantes, Pythonicorum signa sunt, & maximè responsa perplexa: mos enim fuit dæmoniorum loquentium per fanaticos, & suorum oraculorum professores, ambiguè respondere ad quæsita, ne capianturinverbis mendacibus, vt refert D. Augustin. lib. 3. de Ciuitate, cap. 17. Et subiungit Nicetas: *Imperatorem ad se venientem, neque vt tanta potentia præditum excecepit, neque salutationi eius (quæ erat Salue Pater Basilaci) respondit; neque tacito nutu capitis, gratias egit: sed hinc atque illuc instar pulli equini, aut hominis furiosi saltans accedentibus malè dixit, nec ipsi quidem Imperatori parcens: vix tandem inquietis illis agitationibus omissis, scipione, quem manibus gestabat, imaginis Imperatoris, quæ in eius oratoriæ cellæ pariete depicta erat, oculis erasis, etiam pileum de capite illius auferre studebat; quæ cum fecisset, Imperator, eo vt deliro despecto, discessit. Vaticinium mox euentus comprobauit: nam Isaacius Imperator ab Alexio morte plexus est: etenim dæmon Basilacio suggessit id facti, quod potuit præuidere, cum Alexius frater Imperatoris, ei insidiaretur, & Isaacius eos qui insidias narrabant à se pellebat, nolens ijs vllam adhibere fidem.*

Tertium exemplum sumitur ex diuinatione oraculorum. Est autem oraculum responsio à dæmone profecta, certis in locis: puta in antris, specubus, templis, &c. mediante ministerio hominum viuorum spiritu Pythonico imbutorum: ipsa etiam loca oracula dici solẽt. Primum, ac princeps oraculum fuit Apollinis Delphicum: cum enim à Gentilibus putaretur Apollinem esse Solem, id est, mundi oculum, facilè eum & videre, & nosse omnia credebant. Ideò passim consulebatur, responsaque dabat, præcipuè in Delphis, Diodoro autore in vita Philippi, cuius originem talem fuisse refert: *Eo in loco quo templi adytum Delphis fuit, specus erat recessu magno, & obscuro, ad quem capra cum pascens ascendisset, afflata est subterraneo illo spiritu, exultareq; cœpit modo insolito: quod admiratus pastor, cum & ipse ad ostium specus venisset, correptus est furore, cœpitq; futura quædam prædicere: hoc & alij tenarunt, affectuq; sunt eodem modo. Res huc est progressa, vt qui futura vellet cognoscere, adduceret qui capite in antrũ immisso, vaticinaretur, quod cum nec sine periculo fieret, neque etiam*

Abulen. *Caietan.* *Deut. 18.* *Leuit. 20.* *4. Reg. 21.* *Esaiæ. 8.* *Actor. 16.* *Nicetas.* *Augustin.* *Nicetas.* *Diodorus.*

etiam ſine exitio multorum, templum Delphi-
ci ibi erexerunt Deo vati Apollini; ſtatuerunt
que virginem, quæ in machina conſiſtens, tutò
poſſet afflari diuino illo ſpiritu, reſponſaq; con-
ſulentibus reddere: quam machinam de tribus
fulcris tripodem nominarunt, quaſi trium pe-
dum, cadē forma, qua poſtea ænei tripodes. Sa
cerdos Pythia dicebatur, quæ initio virgo fuit
Dianæ ſimilis, poſtea violata Pytia quadam
ab Hechecrate, Delphici mulierem non mino-
rem natu annis quinquaginta Pythiam ſtatue-
runt, relictis in perpetuum virginibus, modò
illa virginali vteretur cultu, ne in totum mos
vetus interiret. Hæc ex illo fermè ad ver-
bum. Fertur itidem eam Apollinis Sacer-
dotiſſam, ſedentem in tripode, per genitalia
ſpiritum admittere impurum, qui ventrem
obſideret, eamque tanto furore compleret,
vt ſoluto crine, ore ſpumans, verba proferet
inſana; & ſic demum de rebus occul-
tis reſponderet. Vnde Seneca in Oedipo,
Seneca. act. 2.

Incipit Lethæa vates ſpargere horrentes
comas,
Et pati commota Phœbum; contigit
nondum ſpecum,
Emicat vaſto fragore maior humano
ſonus.

Reſponſionibus, diuinationibus, ac carmi-
nibus à dæmone, qui ſub nomine Apol-
linis in antro Delphico colebatur, pleni
ſunt Gentilium codices, nos ad alia prope-
ramus.

Alter oraculi famoſus locus à cæca Gē-
tilitate celebrabatur, quod antrū Triphonij vo
cabatur, vbi dæmon per eos, qui antrum
ingrediebantur occulta propalabat. Ritus
autem, vt ex Pauſania colligit Vincentius
Cartarius. Cartarius lib. de imaginibus Deorum, ſic
habebat: *Vbi ſtatuiſſet quis in Triphonij an-*
trum deſcendere, primùm dierum certo numero
erant ei Triphonij manes placandi: poſt, quibuſ-
dam piaculis expiatus in Ercyna (fluuius eſt)
ad amnis fontes ducebatur; ſunt verò duo in-
ter ſe proximi: bibenda illic erat lethes, quæ di-
citur aqua, qua cunctorum ei, quæ memo-
ria complectebatur, obliuio contingeret.
Mnemoſynes deinde, id eſt, memoriæ aquas
potabat, quominus ea quæ intra ea penetra-
lia vidiſſet, è memoria effluerent. His per-
fectis ad oraculum progrediebatur, tunicam
indutus lineam, ac tenijs incinctus, ſolcis po-
pularibus in pedes inductis: is humi procum-
bēs melle ſubactas offas tenens, pedes prius in ca
uernulam illam immittebat, mox genua prope-
rabat ad pedes adiungere, ſtatim reliquum cor-
pus ad genua contractum, eodem prope modo,
quo ſi maximi, & concitatiſſimi amnis aqua-
rum vortice correptum faiſſet, intro arripieba-
tur. Qui intra penetrale deſcendiſſent, futura
non vno, & eodem cognoſcebant modo: ex vi-
ſis alius, ex auditis alius id conſequebatur per
eaſdem fauces patebat aditus omnibus, in pe-
des verò retrogrediebantur. Conſultorem à Tri
phonio reuerſum ſacrificio in ſolio collocabant,
Mnemoſynes vocato; ab eo percontabantur
quæcumque vel viſa, vel audita reportaſſet,
qui ea inſcripta referebant. Facile credide-
rim, ait Pauſanias, eos qui illuc deſcendiſſent
in maximas anguſtias fuiſſe redactos. Pauci
enim inde reuerſi, poſtea ſunt viſi riſiſſe. Ego
verò vehementer credo illuc ingreſſos à dæ-
mone arreptos hoſpitem crudelij ſimum pertu-
liſſe. Huic antro non valdè diſſimile puto
quoddam apud Salmanticenſes, iuxta ſacel-
lum ſancti Cypriani, modò dirutum, de quo
antro fama eſt antiquitus eſſe quaſi oracu-
lum, vbi Magi à dæmone edocendi habita-
bant. Alia multa oracula non recenſeo vt Lo
uis Dodonei, Apollinis Clarij, Delij, Smin-
thei, & innumera alia, quæ celebrauit Gen-
tilitas: ſatis ſit præfata recenſuiſſe, iuxta di-
ctum Poëtæ:

Ab vno crimine diſce omneis.

Videntes Philoſophi Gentiles vaticinatio-
nem celebrem oraculorum, curioſe inqui-
ſierunt rationem, quare Dij illi ſui quaſi al-
ligabant vaticinandi ſpiritum illis locis, qui
communiter erant ſubterranei, aut nemo-
roſi, non aſſlantes alibi ſuos Sacerdotes, ſal-
tem non ita copioſe. Veteres rationem aſ-
ſignarunt, peculiarem quandam locorum
eorum è terra exhalationem, quæ eos Deo-
rum miniſtros vaticinari faciebat. Ita Iam-
blicus lib. de myſterijs, & Plutarchus in lib. *Iamblicus.*
de defectu oraculorum: à quibus non diſce- *Plutarch.*
dunt quidam moderni dicentes illam terræ
exhalationem, in eis locis exiſtentes, fana-
ticos efficere, & ſicut qui atra bili inficiun-
tur, ſolent ab humore peſſimo agitati futura
prædicere, linguis loqui: ita & iſti delubro-
rum ſubterraneorum habitatores ab exha-
latione ab eis locis aſcendente arripiebantur, vt fatidici eſſent, & occulta panderent.
Ita Pomponatius in lib. de incantat. Apo- *Pompon.*
nenſis in ſectione 3. problemat. Leuinus *Lemnius.*
Lemnius in lib. 2. de occultis, cap. 2. & alij
ſuperſtitioſi toto cœlo errantes, dum co-
nantur huius rei reddere rationem phyſi-
cam. Primò. Quia neque atra bilis, neque
vlla terræ exhalatio, aut quæuis alia cauſa,
potens eſt efficere, vt homines loquantur
linguis

linguis,aut occulta manifeſtent. Hoc enim intellectricis cauſæ effectus eſt, de quo copioſe ſuprà quæſt.90.art.2.Item,quia quomodo terræ exhalatio fatidicum ſpiritum tribuebat Sacerdotiſſæ Pythiæ ſedentem ſuper tripodem æneum; & non ſedentem neutiquam contingebat? Melius, & verius hos effectus tribuunt Philoſophi Chriſtiani,ac Theologi dæmoni aſsiſtenti,vel obſidenti hominem,antrum,vel templum. Sed quare elegit dæmon potiùs illa loca ſubterranea? Fortaſsè, quia illa exhalatio reddebat habitantes aptiores habitationi,aut obſeſsioni dæmonum, ſicut loco citato diximus de melancholicis: vel quod veriùs puto,quia dæmones cùm ſint principes tenebrarum,locis cauernoſis potiùs gaudent, & aſsiſtunt, quia ſic ſe magis terribiles oſtendunt.

Ex his palam fit quantum cæcucientes errauerint Philoſophi Gentilium, qui videntes oracula præfata,maximè illud celeberrimum Apollinis Delphici, ceſſaſſe à reſponſis dandis circa tempora Chriſti nati;aiebant, quia vetuſtate conſumpta erat illa terræ exhalatio,de qua dicebamus.Hos lepidè irriſit Cicero Gentilium orator lib. 2.de diuinatione,in hæc verba: *Sed quod caput eſt,cur iſto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modò noſtra ætate, ſed iamdiù, iamvt nihil poſsit eſſe contẽptius? Hoc loco cũ vrgentur euanuiſſe aiunt vetuſtate vim loci, vnde anhelitus ille terræ ficret, quò Pythia mente incitata, oracula ederet. De vino, aut ſalſamento putes loqui,quæ euaneſcunt vetuſtate.* Hæc Cicero: cui ſi audientes Gentiles fuiſſent de falſitate, aut vanitate Deorum (dicam cum Arnobio lib.3. aduerſus Gentes) perorata cauſa fuiſſet. Vera cauſa ſilentij oraculorum fuit horror dæmonum, qui audientes prædictiones Prophetarum, & oracula Sibyllina de Chriſto citò venturo,& qui tanquam fortior à forti armato deceptionis vaſa erepturus, obriguerunt, & velut muti facti ſunt.

Cicero.

Arnobius.

Sed ad noſtrum inſtitutum reuertentes, Sacerdotes,ſeu miniſtri his oraculis præfecti, ſiue quicunque alij per quos dæmones reſponſa dabant,multis nominibus ſunt vocati, fœminæ facilius à dæmone arripiuntur, & à dæmone ſpiritu hoc diuinandi imbuuntur;& ideò frequẽtius oraculis præſidebant.Quæ præerant oraculo Apollinis apud Delphos Pythiæ ab Apolline, vt dictum eſt,nuncupabantur:à Dodonico oraculo quædam fœminæ maleficæ dictæ ſunt Dodonides columbæ, vt ait Pauſanias in Achay. & alij alijs nominibus vocatæ. Viri etiam dicti ſunt Vates Colophonij, Trophonij,& Soractini à certis oraculis ſic vocatis.De quo Pauſanias in Achay. & Strabo in geograph.lib.5. Alij vocantur Pythonici,id eſt, ventricoſi, ſeu ventriloqui: imò aliqui omnem Pythonicum ventriloquum appellant.Ita Origenes 3. Periarch. cap.3.& contra Celſum, Chryſoſtomus 1. ad Corinth.12. Oecumenius Actor.16. & Tertulli.4.contra Marcion.cap.25. & Auguſtinus eam fœminam Pythoniſſam, de qua Actorum 16. ventriloquam appellat. Tumebat autem,præcipuè fœminis,in modum vtris venter,vt idcircò forſan Hebraicè,*Obeth*,in plurali,*Oboth*, forma fœminina dicantur, quoniam hæ voces ſignificant vtrem, & vtres quaſi qui fatidico illo ſpiritu afflarentur ex ventre,vt ex vtre, ſeu lagunc ula reſponſa depromerent.Ita aduertit Foreirus citatus linguæ Hebraicæ,& Græcæ peritus:fieri etiam poteſt,vt clauſo ore reſponſa ederent, ſicq; loqui cenſerentur ex ventre.Certè Galenus apud Hippocratem ait quoſdam loqui clauſo ore. Fortaſsè huc reſpexit Eſaias cap.29. cùm ait: *Erit quaſi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.* Quamuis Foreirus, & alij interpretantur de voce exili, & ſtridula,qualem edunt & ſpectra veluti de criptis.Vocantur etiam huiuſmodi à dæmone afflati fanatici,quia in fanis idolorum furore perciti diuinabant: differunt ab arreptitijs ſola vaticinatione: tales fuêre Orpheus, Muſæus, Atticus, Tireſias;tales etiam ſunt qui à dæmone extra ſe rapti, & à ſenſibus ferè alienati quædam occulta poſteà enunciant. Omnes hi vates idolorum ventriloqui,fanatici,ecſtatici, & ſimiles ad ſpeciem diuinationis,quam D.Thom.vocat Pythonicam,pertinent.

Pauſanias. *Strabo.* *Origenes.* *Chryſoſt.* *Occumen.* *Tertullian.* *Auguſt.* *Foreirus.* *Galenus.* *Eſai.29.*

Tandẽ dubitatiuncula à nobis eſt exoluenda digna ſcitu: an Sibyllæ, quarum tam frequens mentio fuit antiquitus apud Gentiles, & Chriſtianos, ſint de numero Pythonicarum, quæ dæmoniaco ſpiritu imbutæ occulta prædixêre? an verò diuino ſpiritu afflatæ oracula ſua edidêre?

Et videtur inter Pythonicas fœminas eſſe computandas.Primò teſtimonio D.Ambroſij cap. 2. primæ ad Corinth. dicentis Pythonem, id eſt, dæmonem, per Sibyllam locutum eſſe,& D.Auguſt.in princip. & in oratione de quinque hæreſibus, & D. Thom.2.2.quæſtione 172.art.6. ad primũ.

Ambroſ. *Auguſt.* *D.Thom.*

inter

inter dæmonum prophetas commemorant Sibyllas.

Secundò. Sibyllæ, cultrices idolorũ fuêre, vtpotè filiæ infideliũ, & in magno pretio habitæ apud Idolatras, quarum oracula conquæri, & ſeruari fecerunt, vt patet ex Plinio lib. 1. cap. 19. Lactantio lib. 1. cap. 16. Liuio lib. 1. decadè 5. Solino lib. 8. Tacito lib. 5. Suetonio in Auguſto, & alijs. At non videtur veroſimile idolatras iſtarũm oracula tam impenſè venerari, niſi eas idola colere, & ritus eorum ſequi viderent: ergo, &c.

Plinius. *Lactant.* *Liuius.* *Solinus.* *Tacitus.* *Suetonius.*

In oppoſitum eſt Lactantius, qui lib. 1. cap. 6. lib. 4. cap. 15. & ſparſim multis alijs in locis commendat oracula Sibyllarum, vt diuina: & Diuus Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. ait, Sibyllis ob virginitatis inſigne meritum diuinationem eis eſſe conceſſam: & Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 6. de Paulo Apoſtolo ſcribit dixiſſe: *Libros quoque Græcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, &c.*

Hierony. *Clem. Ale.*

Secundò. Nam libris Sibyllarum vſi ſunt ſæpè ſancti Patres ad conuincendos errores Gentilium: & ob id ait Origenes lib. 5. contra Celſum: *Chriſtiani à Gentibus vocabantur Sibylliſtæ*: & propter eandem cauſam prohibebantur Chriſtiani à Gentilibus ſub pœna mortis legere libros Sibyllarum, quia videlicet ex eis eruditionem eximiam comparabant ad eorum refellendos errores. Quod narrat his verbis Iuſtin. Martyr in oratione ad Antoninum Pium: *Opera autem, & inſtinctu malorum dæmonum mortis ſupplicium aduerſus librorum Hydaſpis, & Sibyllæ, aut Prophetarum lectores conſtitutum eſt: vt per timorem homines ab illis quominus ſcripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant: ſed in ſeruitute eorum retineantur, abſterrentur: quod quidem efficere, & ad finem ſuum perducere nequiuerunt: non enim abſque timore tantùm huiuſmodi ſcripta legimus, verùm etiam vobis ad inſpiciendum quæ in eis traduntur, vt videtis offerimus, grata, acceptaque omnibus fore ſcientes, atque hoc etiam ſi paucis perſuaſerimus, maximum tamen inde feremus lucrum. Nam vt boni agricolæ amplam à Domino accipiemus mercedem.* Hæc Iuſtinus. Ecce oracula Sibyllarum apud Chriſtianos non vt oracula dæmonum habebantur, ſed vt diuinæ prophetiæ computabantur.

Origenes. *Iuſtinus.*

Sibyllæ dictæ ſunt quædã fœminæ, quæ putabantur à Gentilitate Deo plenæ; *Sios* enim lingua Aeolica Deũ ſignificat, & *bylli*, conſiliũ; inde Sibyllæ fœminæ vates quaſi ad conſiliũ Dei pertinentes, quia his mediãtibus Deus hominibus conſilia ſua propalabat. Et quãuis nihil vulgatius quàm Sybillas fuiſſe, nihil incertius quàm earũ numerus, & antiquitas. Plura de hac re congerit Ludou. Viues ſup. c. 23. lib. 18. de Ciu. Dei, & Sixt. Senen. lib. 2. Biblioth. verbo Sybilla, ſed omnia incerta. Quod attinet ad earũ profeſsionem, ac ſectam etiam tenebricoſum eſt, ſed quia proprius accedit ad noſtrũ inſtitutum, dicam quod ſentio non efficacibus probationibus, ſed coniecturis ductus, quia in re hac potius coniectari, quàm aliquid certi diffinire poſſumus.

Vines. *Senenſis.*

Dico igitur, Sibyllas fuiſſe quaſdã fœminas vaticinantes multa futura, & occultã, quę propter probitatem morũ maximè pudicitiæ obſeruationem in maiori pretio habitæ ſunt apud Gentiles, quàm cæteri vates: eſt enim, vt ait Chryſoſtom. talis naturę virtus, vt eam etiam nequam homines admirentur, & laudent. Fuêre autem profeſſione Idolatræ, aliàs ſi idolorũ eſſent contemptrices flagris, & morte mulctarentur à ſuis conciuibus Idolatris, neque ipſę, & earum oracula apud eos tanti fierent. Et non obſtat Auguſt. lib. 18. de Ciuit. c. 23. dicens Sibyllam Erythręam, ſeu Cumanam ad Ciuitatem Dei pertinere, & contra Deorum vanitatem ſcripſiſſe: & D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. & de veritate q. 14. art. 11. ad 5. dicens eſſe probabile Sibyllas habuiſſe fidem explicitam Chriſti. Tũ quia alijs in locis oppoſitum ſentiunt, vt vidimus; & in rebus incerta modò huc, modò illuc declinare permittitur, vt adnotauit Caietanus. Tum, quia etiam admiſſa hac in eis fide explicita adhuc potuerunt Idolatræ permanere, vt dicemus: dicuntur autem pertinere ad Dei Ciuitatẽ, quia de Deo multa propalarunt.

Chryſoſt. *Auguſt.* *D. Thom.*

Dico ſecũdò. Multa vaticinatæ ſunt quædã Sibyllę, maximè Erythręa, ſeu Cumana de Chriſti Domini myſterijs, iudicij die, & huiuſmodi, quæ Eccleſia quodammodo canonizauit (verbis Abulenſis vtor) dũ ea in diuinis officijs permittit legi: & D. Auguſt. verſus quoſdã Sibyllæ præfatæ cõmemorat in lib. de Ciuitate citato, & in ſermone. Et hæc, & ſimilia oracula nõ ſunt paruæ autoritatis, creduntur q; eſſe à Deo inſpirata immediatè, aut mediatè, de quo ſtatim. Hoc dictũ probat. argum. 2. in fauorẽ Sibyllarum.

Auguſt.

Dico tertiò. Non omnia vaticinia Sibyllarum de diuinis myſterijs edebantur, neque omnia diuinitus eis propinabantur: ſed

ſed quædam dæmonum ſuggeſtione annunciabant. Prima pars patet. Tum quia Viues loco citato ex antiquis Autoribus affert quandam Sibyllam de rebus Alexandri vaticinaſſe, aliam de Troiæ excidio, & alias de alijs. Tum quia aliàs Gentiles non conſuluiſſent tam enixè Sibyllarum oracula, ſi de ſuis rebus non vaticinarentur, ſed ſolùm de Chriſti myſterijs, & Deo vno, quæ omnia illi vel execrabantur, vel penitus nil intelligebant. Secunda pars dicti aſſeritur à D. Thom. 2. 2. quæſtione 172. art. 6. ad primum, vbi ex profeſſo de hac re diſputans annumerat Sibyllas inter prophetas dæmoniorum, qui ex diaboli ſuggeſtione diuinabant, ſed interdum ex inſpiratione diuina: & loquitur de eis ſicut de Balaam ariolo, & propheta dæmonum, qui aliquando ex inſpiratione diuina vaticinatus eſt, vt patet Num. 22.

D. Thom.

Num. 22.

Et ſi roges: Nonne ſatius eſſet per veros Prophetas ea myſteria propallare? Reſpõdet D. Thom. duplici id ratione factum eſſe: tùm vt veritas fidei probabilior fieret ipſis infidelibus, cùm ex teſtimonijs ſuorum Prophetarum firmaretur. Hoc artificio vſus eſt Paulus prædicans Gentilibus, qui & Græcos Poëtas citare conſueuit, & cùm concionaretur Athenis in Areopago, Acto. 17. aræ titulum ad Chriſti Deitatem prædicandam accommodauit. Tùm etiam vt in nobis eadem veritas magis firmaretur, quia cum homines talia credunt, per inimicorum dicta magis inducuntur; iuxta illud Luc. *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Quod ſi dubites de modo huius inſpirationis ad ea diuina myſteria euulganda, ſcito eſſe poſſe multiplicem: vel quia Deus donum prophetiæ illis etiam pſeudo-prophetis largitur, ſicut creditur dediſſe Balaam alias diuinationes magicas exercenti, vel quia Angeli boni malis reuelant, vt ea ipſi ſuggerant ſuis Pythonicis, ſicut aſſerit ſæpè fieri D. Auguſt. lib. 2. ſuper Geneſ. ad liter. ca. 19. Quod ſiquis Sibyllas has, maximè quæ de Chriſto cecinerunt, contendat fuiſſe in omnibus Dei Prophetiſſas, abũdet in ſuo ſenſu, nec pertinaciter contradico. Videndus Sixtus Senenſis vbi ſupra. Et hæc dicta ſint pro explanatione diuinationis Pythonicæ.

D. Thom.

Acto. 17.

Auguſt.

Sixt. Senẽ.

De Geomantia, Hydromantia, & Aeromantia.

Omnes iſtæ ſpecies, vel diuinandi differentiæ dupliciter fieri poſſunt. Primo modo, dæmone dante reſponſa verborum, ſed allecto, & inuocato per media, quæ præfatis vocibus ſignificantur. In Geomantia per corpus terreſtre. In Hydromantia per aquam. In Aeromantia per aërem. In Pyromantia per ignem. In Aruſpicio per animalium exta, aut membra. Secundo modo dæmone inuocato per media præfata, ſed reſponſi loco dæmon formabat imagines quaſdam, quibus repræſentaretur id, de quo conſulebatur, & communiter fieri ſolebat miniſterio puerorum, qui caſtitatem non violarunt, aut mulierũ prægnantiũ. Vtriuſque modi fuêre exempla abſque arte, & numero, pro voluntate dæmoniorum paciſcentium cum magis eorum inuocatoribus, modo his, modo illis ſignis vocatos aduenire, reſponſaque daturos. Nihilominus aliquot exempla adducemus, vt Theologus impiam praxim agnoſcens, damnet, & melius refutare valeat. Ad Geomantiam pertinet ars impia diuinandi per ſpecula, & noſtris temporibus à Magis recentioribus non ignorata. De Pythagora referunt ſolitum eſſe ſpeculo concauo inſcribere literas quaſdam humano ſanguine temperatas, & ſpeculum Lunæ opponere, ſicque diuinare: nimirum quia dæmone decipiente, in Luna videbantur reſponſa quæſitorum ſcripta. & Pauſanias in Achay. narrat de quodam ſpeculo, quod ſuſpendebatur iuxta fontem quendam, & ritibus quibuſdam præcedentibus inſpiciebatur in ſpeculi imaginibus, an eger, de quo conſulebatur, eſſet viuiturus, an moriturus. Et Spartianus in Iuliano ait, Iulianum per Magos in ſpeculis euentus obſeruaſſe multos, præcedentibus tamen quibuſdam incantationibus, in qua diuinatione, pueri præligatis oculis incantando, vertice reſpicere dicebantur: & iſto pacto puerum quendam vidiſſe dicitur Seueri aduentum, & Iuliani deceſſionem. Fortaſſe ad hunc modum fiebat id quod dicitur (ſi tamen verum eſt) de quodam ingenti ſpeculo ſuſpenſo antiquitus ab Herculis ætate in alta turri, quæ prominebat in portu Corũnę in Gallecia Prouincia Hiſpaniæ, quod inſpicientes viſebãtur naues à longè venientes: niſi hoc velis fabricationi artificioſæ attribuere, quod non impoſſibile puto. Nam dum hæc ſcriberem audiui à fide digno, eſſe dono miſſum è Flandria Philippo III. Hiſpaniarum Regi ſpeculum miro artificio elaboratum, non admodum diſſimile ſpeculo Herculano relato.

Pauſanias.

Spartianus.

lato. His accedit diuinatio in ente leuigato, in crystallo, aut alio lapide polito, & ea, quæ fit in vnguibus appellata Onichomantia, id est, vnguium diuinatio. De quodam milite Hispano Bruxelis existente narratur in vngue ostendisse classem è portu Corunnæ soluentem, & progredientem, & postea dissipatam. Hæc omnia ad Geomantiam pertinent, sicut diuinatio per anulos ad certam posituram cœli incantatos. Talis fortasse fuit anulus Gigis ab antiquis celebratus, de quo Plato lib. 2. de Repub. quo, teste Herodoto, fretus Candaulem interemit, & nostro quo huiusmodi anulos venales audiuimus. *Plato.*

Hydromantiæ verò, quæ per aquam exercebatur, non defuerunt, nec desunt impia exempla. Primum. Per Iniectionem in vasa ampla, vel peluim aqua plenam auri, argentique laminas, lapides pretiosos, & submurmuratis quibusdam incantatorijs verbis, de fundo peluis audiebatur responsum voce subobscura, & exili. De hac Pselus cap. vltimo de dæmonibus, & Niceras lib. 2. vocaturque Lecanomantia: & Glicas scribit verum Alexandri Patrem AEgypti Regem, ac famosum Magum, hac diuinatione agnouisse AEgyptum venturum in hospitum potestatem. *Pselus. Niceras. Glicas.*

Ad Hydromantiam itidem pertinent innumeræ diuinationes per aquam factæ (fuit enim vsus huius diuinationis frequens apud antiquos, & modernos) inspectabant & in fontibus plerique, indeque imaginibus oblatis captabant suorum responsa quæsitorum. Iamblicus ait, Colophonij subterraneum fuisse locum, in quo fons erat, de quo Sacerdos statis noctis sacris operatus gustabat, reddebaturque inuisibilis, & consulentibus responsa dabat. Idem fermè scribit in Beanchide, de quadam fatidica muliere. Apuleius in Apologia de magia Varronem scribit narrare Trallibus de euentu Mitridatici belli, Magica percontatione consulentibus, puerum in aqua simulachra Mercurij contemplantem, quę futura erant centũ sexaginta versibus cecinisse. Et celebrius exemplum affert D. Augustin. 8. de Ciuitate, cap. vlt. & penult. vbi refert de Numa Pompilio solitum esse ad quendam fontem extra ciuitatẽ noctibus properare, vt ibi à Nimpha Egeria leges pro Romanis acciperet, & ventura agnosceret. Nimpham Egeriam (aquam appellabat) in cuius superficiebus imaginibus oblatis à dæmone, Numa quas laturus esset leges, & alia quamplurima agnoscebat. *Iamblicus. Apuleius. Augustin.*

Diuinationis per aërem, quæ Aeromantia vocatur non est vsus adeo frequens, nisi spectrorum apparitiones, quæ in aëre, & ex aëre fiant ad Aeromantiam referas: sicut eam, quæ ex aëre coniurato promebat responsa, de qua Pictorius de Magia, capit. 10. *Pictorius.*

Ad Pyromantiam verò, diuinatio quæ fit fulmine, tonitru, & ea quæ fiebat cremata lauro. Nam in prunas coniecta, si magnum exciperet crepitum ederet, fœlicia præsagiebat: si nullum, aut parũ infœlicia. Ita Cartharius in Apolline, & Parrasius in Claudiani lib. 2. de raptu Proserpinæ, & Rodiginus in 5. antiq. cap. 7. *Carthari. Parrasius. Rodiginus.*

Circa præfatas species diuinationis ab elementorum diuersitate sumptas, & earum vsum relatum, rogabit fortasis attentus auditor: quare cùm dæmones ita ossores sint castitatis, & innocentiæ, vt nihil obnixius intendant, quàm ad obscœnos mores, ac impuros inducere mortales; tamen pleraſque suarum diuinationum, ac præstigiorum, per pueros innocentes, ac impollutos, per virgines perficiant, vt vidimus in Geomantiæ, Hydromantiæ, & huiusmodi imaginibus, quæ pueris spectandæ obijciebantur, in responsis Apollinis per virgines Vestales, & huiusmodi multa. Respondet D. Thom. q. 6. artic. 1. ad 4. quia volunt videri mũdiciei amatores, vt Deo similes videantur: & sic eorum dictis maior fides adhibeatur. D. August. lib. 2. de Ciuita. cap. 26. ferè ad nostrum propositum, sic ait: *Tanta enim vis est probitatis, & castitatis, vt omnis, vel pene omnis humana natura, nec vsque adeò sit turpitudine vitiosa, vt totum amittat sensum honestatis. Proinde malignitas dæmonum, nisi alicubi se transfiguret in Angelum lucis, non implet negotium deceptionis.* *D. Thom. August.*

De Aruspicio.

INter omnes conuenit, esse diuinationem, quæ circa aras immolatorum animalium exercebatur. Isidorus ait esse dictum ab obseruandis horis sacrificiorum: melius Donatus ab haruga vocabulo prisco significante hostiam. Vsurpatur autem aruspicium, siue haruspicium, vno modo pro ariolatione strictè sumpta: iuxta quam acceptionem ait Isidorus lib. 8. etymolog. cap. 9. & refertur 26. q. 3. Arioli dicuntur propterea quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offe- *Isidorus. Donatus.*

offerunt, iiſque celebritatibus dæmonum reſponſa accipiunt: quibus verbis ſolam diuinationem per inuocationem explicitam dæmonis deſcribit: & in hac acceptione vtitur D. Thom. nomine hoc *aruſpicium* in art. 3. Secundo modo ſumitur pro diuinatione, quæ ſumebatur ex membris, & extis animalium immolatorum: non tanquam ex cauſis, aut ſignis conuentis inter aruſpicem, & dæmonem, vt malignus ſpiritus reſponſa daret, ſed tanquam ex quibuſdam vanis obſeruationibus, quibus dæmon ſe immiſcebat: & hæc diuinatio pertinet ad alias ſpecies, quæ exercentur tacita inuocatione, aut pacto dæmonum. De quibus inferius agit D. Thom. in peculiaribus articulis, vbi & à nobis tractanda res eſt.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm diuinatio quæ fit per inuocationem dæmonum ſit illicita?

Infr. q. 96. art. 1. Cor. Et 3. contra cap. 154.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd diuinatio, quæ fit per inuocationẽ dæmonum, non ſit illicita. Chriſtus enim nihil illicitum commiſit, ſecundùm illud 1. Pet. 2. Qui peccatum nõ fecit. Sed Dominus à dæmone interrogauit: quod tibi nomen eſt? Qui reſpondit: Legio: multi enim ſumus, vt habetur Mar. 5. Ergo videtur, quòd liceat à dæmonibus aliquid occultum interrogare.

2 ¶ Præterea. Sanctorũ animæ non fauent illicitè interrogantibus. Sed Sauli interroganti de euentu futuri belli à muliere habente ſpiritum Pythonis, apparuit Samuel, & ei futurum euẽtũ prędixit, vt legitur 1. Reg. 28. ergo diuinatio quę fit per interrogationem à dęmonibus, non eſt illicita.

3 ¶ Præterea. Licitũ eſſe videtur veritatẽ ab aliquo ſciẽte inquirere, quã vtile eſt ſcire. Sed quã doq; vtile eſt ſcire aliqua occulta, quæ per dæmones ſciri poſſunt, ſicut apparet in inuentione furtorum. Ergo diuinatio, quæ fit per inuocationem dæmonum, non eſt illicita.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Deut. 18. Non inueniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur, neque Pythones conſulat.

¶ RESPONDEO dicẽdũ, quòd omnis diuinatio, quę fit per inuocationes dæmonũ, eſt illicita duplici ratione. Quarum prima ſumitur ex parte principij diuinationis, quod ſcilicet eſt pactũ expreſsè cũ dæmone initũ per ipſam dęmonis inuocationẽ. Et hoc eſt omninò illicitũ. Vnde contra quoſdã dicitur Iſai. 28. Dixiſtis percuſſimus fœdus cũ morte, & cũ inferno fecimus pactũ. Et adhuc grauiſeſſet ſi ſacrificiũ, vel reuerentia dęmoni inuocato exhiberetur. Secũda verò ratio ſumitur ex parte futuri euentus. Dæmõ enim qui intẽdit perditionẽ hominũ ex huiuſmodi ſuis reſponſis, etiam ſi aliquãdo vera dicat, intẽdit homines aſſuefacere ad hoc quòd ei credatur, & ſic intẽdit perducere in aliquid quod ſit ſaluti humanæ nociuũ. Vnde Athan. exponẽs illud q; habetur Lu. 4.

Id Chryſoſt. concio. 2. de Lazaro à med. to. 2. Et Theoph. etiã Mar. 1 & Luc. 4.

Increpauit illum dicens: Obmu teſce, dicit: Quamuis vera fateretur dæmon, cõpeſcebat tamẽ Chriſtus eius ſermonem, ne ſimul cum veritate etiam ſuam iniquitatem promulget, vt nos etiam aſſuefaciat ne curemus de talibus, etſi vera loqui videa tur. Nefas enim eſt, vt cùm adſit nobis Scriptura diuina, à diabolo inſtruamur.

Li. 3. in Lu. c. 32. ſecundum ordinẽ Bedæ to. 2.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd ſicut Beda dicit, Luc. 8. nõ velut inſcius Dominus inquirit, ſed vt confeſſa peſte, quam tolerabat, virtus curantis gratior emicaret. Aliud autem eſt inquirere aliquid à dæmone ſpõtè occurrente, quod quandoq; licet propter vtilitatem aliorũ, maximè quando diuina virtute poteſt compelli ad vera dicenda: & aliud dæmonem inuocare ad cognitionem occultorũ acquirendam ab ipſo.

Li. 2. q. 3. inter princ. & med. t. 4

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut Augu. dicit ad Simplicianum, non eſt abſurdum credere aliqua diſpenſatione permiſſum fuiſſe, vt non dominante arte Magica, vel potẽtia, ſed diſpenſatione occulta, quæ Pythoniſſam, & Saulẽ latebat, ſe oſtenderet ſpiritus iuſti aſpectibus Regis, diuina eum ſententia percuſſurus. Vel nõ verè ſpiritus Samuelis à requie ſua excitatus eſt, ſed aliquod phantaſma, & illuſio imaginaria, diaboli machinationibus facta, quam Scriptura Samuelem appellat, ſicut ſolent imagines rerum ſuarum nominibus appellari.

¶ Ad tertium dicendũ, quòd nulla vtilitas temporalis poteſt comparari detrimento ſpiritualis ſalutis, quod imminet ex inquiſitione occultorũ per dæmonum inuocationem.

Summa Articuli.

COncluſio eſt negatiua, probata ex Deuter. 18. duplici ratione. Prima ſumitur ex pacto quod initur cum dæmone per dæmonum inuocationem, quod eſſe illicitum ex Iſai. 28. colligitur, vbi in nomine impiorum dicitur: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno pepigimus pactum.* Secunda ſumitur ex parte periculi quod imminet diuinantibus, nam aſſuefient, vt credant dæmoni reſpondenti, & ſic ad nociua ſaluti perducet. *Iſaiæ. 28.*

DISPVTATIO I.

An licita ſit familiaritas, ſocietas, commerciũm ve aliquod cum dæmonibus, ſiue illud ſit in diuinationibus, ſiue in maleficijs, ſiue in beneficijs, ſiue in vanis obſeruationibus, & huiuſmodi.

ET pro parte affirmatiua arguitur primo ex multis Euangelij locis, vbi Chriſtus Dominus nobis virtutem imperãdi dæmonibus abſolutè conceſſit, præſertim Lucæ. 10. *Ecce* (inquit Chriſtus) *dedi vobis poteſtatem, &c. & ſuper omnem virtutem inimici*: & paulò poſt: *Spiritus ſubijciuntur vobis.* Quæ ergo inuidia erga homines hanc conabitur limitare poteſtatem, vt ea vtentes nequeamus omne genus obſequij ab iſtis infeſtiſsimis inimicis extorquere? Secundò. Deus ipſe ſæpè vſus eſt miniſterio dæmonum, ad quædam facienda: v. g. conuertit vxorem Loth in ſtatuam ſalis, Geneſ. 19. Expoſitio *Luc. 10.* *Geneſ. 19.*

non

D.Thom. non displicet D.Thom. de malo, q. 16. art. 9. ad 3. Eorundem opera intulit AEgypto
Psal.77. plagas. Psal. 77. Et immisit spiritus mēdacij
3. Reg.22. super Prophetas Israël. 3. Reg. 22. Fecit ignem de cœlo descendere, & turbines vali-
Iob. 2. das concitauit contra Iobum cap. 2. ergo & nos ad Dei imitationem licitè valebimus ministerio dæmonum vti ad multa, quæ ipse præstare poterit. Confirmatur ex gestis multorum Sanctorum, quos dæmonum ministerio fuisse vsos legimus. De sancto Iacobo legitur, & refertur à D. Th. supra, q. 90. art. 2. quod per dæmonem fecit Hermogenem ad se adduci. Confirmatur secundo. Nam Socrates omnium Philosophorum morigeratissimus, & de quo dicitur, vitæ puritate ad religionem Christianam fere accessisse, sic arctam familiaritatem cum dæmone paredro contraxit, vt eius ductu omnes actiones suas dirigeret.
Augusti. Ita refert ex Apuleio Diuus Augustin. lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. 14. Quod ipse Socra-
Plutarc. tes fatetur multis in locis, & Plutarchus, &
Tyrius. Maximus Tyrius, sermone 26. & 27. ergo non est illicitum vti cōmercio, & familiaritate dæmonum, maximè vt nobis bona impertiantur, quæ possunt pro sua ingenti potestate largiri.

Tertiò. Omnes res naturales, & eorum proprietates, creatæ sunt à Deo propter
Psalm. 8. homines, iuxta illud: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Psalm. 8. etiam dæmonia, quæ non minima orbis pars sunt: ergo etiam si in sacra Scriptura non esset nobis collata potestas cogendi dæmones ad varia obsequiorum genera, naturaliter haberemus in eos eiusmodi potestatem, sicut & ad reliquas orbis partes, quarum vsus non est nobis prohibitus, sed potiùs concessus. Hæc videntur probare, nobis esse concessum, dæmonum officijs posse vti, eos cogendo, illisque imperando: quæ sequūtur probare conantur, licitum esse eorum ministerio vti, siue cogendo, siue obsecrando, siue quouis alio modo conuersando.

Et ideò arguitur quartò. Omnis malitia commercij, & familiaritatis cum dæmonibus in pacto, & fœdere cū eis facto initi-
Augusti. tur, dicente Augustin. lib. 2. de doctr. Chri-
26.q.2. stiana, cap. 23. & refertur 26. q. 2. can. *illud: Omnes* (inquit) *artes eiusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum quasi pacta infidelis, & dolosæ amicitiæ constituta, &c.* Et
D. Cypria. D. Cypri. lib. de duplici martyrio, dicit, Magos habere fœdus cū dæmone: sed sine vllo

A pacto potest aliquando exigi à dæmone, vt hoc, vel illud officij genus præstet: v.g. vt reuelet multarū rerum salutiferarū proprietates, inuentionē rerū perditarum, ac thesaurorū in visceribus terræ conditorum, & similia: quæ petitio nulli derogat, & est valdè vtilis: ergo licita erit hominibus. Confirmat Paracel. adducens ad hoc illud Euan- *Paracelsus.*
gelij: *Nihil occultum quod non tandem reuelabitur*: quod non esset verum in multis proprietatibus rerum salutiferis, nisi dæmone reuelante, qui scit omnia naturæ secreta. Respondent quidam, non licere deprecari, neque confabulari cum dæmonibus; quia
B Dei perpetui inimici, aduersum quem, & nos, hostilem, ac obstinatum semper gerunt animum.

Contrà quintò. Quia licet auxilium petere ab inimicis Dei, & nostris: v.g. ab hæreticis, etiā si sciamus per reuelationem, eos nunquā à sua perfidia cessaturos, & in ea vsq; ad mortem permansuros. Confir. quia in dæmonibus tantum est natura, quæ bona est, & peccatum obstinationis, cui non consentimus, ex eo quod auxilio eorū vtamur: sed potiùs aduersus eos hostilem animum indaentes, eorum opera, & auxilio vti, maximè si res obtinendæ nostras superent vires,
C prudens consilium erit.

Sextò. Estò sit graue peccatū inuocare dæmonem, aut vti eius familiaritate: tamen quādo sine vllo peccato fit, aut sine vlla sacrificiorū oblatione, apostasia, reuerentia, aut cæremonia, nō pertinere ad superstitionē; & multo minus ad idololatriam, videtur certū: quia illa inuocatio, aut societas, sine cultu fit, sicut societas cum hæretico, aut Turca fidei hoste posset iniri, & confabulatio, sine cultu illius. Septimò. D. Thom. *D.Thom.*
in q. 95. art. 4. ad 1. concedit, licitū esse quādoq;, propter aliorū vtilitatē aliquid quærere ex dæmone sponte occurrente: ergo
D etiam ab eodem, neque sponte occurrente, neq; vltro se offerente: nō enim plus hostilitatis reperitur in vno casu quā in alio. Cōfirm. ex vsu frequēti, ex quo cōstat viros timoratæ cōscientiæ, quādo adstāt exorzizāti, percōtari sine vllo scrupulo multa ab energumenis, per quorū ora dæmones loquūtur. Cōfir. secūdò. Estò in istis inuocationibus sine vllo pacto, aliquis cultus exhiberetur dæmoni, is tamē non esset latriæ, qui directè aduersatur virtuti religionis, & pertinet ad superstitionē; sed esset obseruantiæ, qualem exhibet homo homini altero beneficio, à quo sperat beneficium assequi.

Cùm tota malitia diuinationis, originem trahat ex pacto, ſeu inuocatione homi num cum dæmonibus, meritò Diuus Thomas in articulo hoc 4. querit, an licita ſit talis inuocatio, an verò illicita? & aſſerens eſſe illicitam potiſsimè probat ex pacto inito inter homines, & dæmonem: & nos, eodem principio, quæſtionem ſub vniuerſaliori titulo conabimur decidere. Et licèt pactum, in ſtricta, ac riguroſa ſignificatione, dumtaxat reperiatur, quando ex parte duorum vltro citroque aliquid promittitur agendum, ſiue pactum ſit mutuum cum obligatione ex parte vtriuſque extremi, ſiue non, quia tantùm ex parte vnius extremi naſcitur obligatio: tamen in præſentiarum, non ita ſtrictè, ac riguroſè vtimur nomine pacti, ſed pro quocumque genere commercij, ſocietatis, aut familiaritatis cum dæmone, ab eo aliquid exigendo, maximè cognitionem rerum occultarum; in quo, vt vidimus, conſiſtit malitia diuinationis. Hoc autem pactum duplex eſt, primum expreſſum, ſecundum tacitum, & implicitum. Expreſſum fit per expreſſam dæmonis inuocationem; tacitum verò, ſeu implicitum, per opera aliqua ad nil aliud vtilia, niſi vt dæmon ſe immiſceat, auxilium, aut reſponſa tacitè laturus. Pactum expreſſum multipliciter contingit. Primò, cum obligatione mutua ex parte dæmonis inuocati, & hominis inuocantis: promittit autem homo hæc, & illa facturum ad dæmonis arbitrium; promittit verò dæmon hæc, & illa largiturum, præcipuè occultorum cognitionem. Quę promittuntur ab homine, communiter ſunt abnegatio fidei, ſubſtractio à Dei obedientia, reprobatio patrocinij Sanctorum, maximè Deiparæ Virginis, conculcatio imaginum, &c. iuramentum præſtandi vaſſallagium, ſeu homagium dæmoni, & quod nunquam recedet ab obedientia eius, & ſimilia execranda. Iſtud expreſsi pacti genus ſit multis, ac varijs modis, interdum dæmone apparente in forma viſibili, aut loquente tantùm, interdum multis adhibitis cæremonijs, quorum exempla, & formulas cupidus ſciendi Lector, poterit videre apud *Spreſg.* Spreſgerum parte prima, quæſtione prima, capite ſecundo, & *Remig.* Remigium libro primo de Monolatria, capite quinto, *Sylueſter.* Sylueſtrum libro ſecundo de Strigimagis, capite quarto, puncto ſecundo, *Grillandum.* Grillandum quæſtione ſeptima. Et vſque adeò hominum deceptorum miſeria, & dæmonum tyrannis inualuit, vt aliquando diabolus inuiſibili forma apparens, ſimulet vngue ſe Chriſma à fronte deceptorum abradere, & characterem baptiſmi delere, ac poſteà alicui parti corporis ſtigma, ſeu characterem ſuum (velut ſolet fieri cum fugitiuis ſeruis) imprimit. Hoc etiam pactum explicitum quandoque fit ſine his execrandis ritibus, ſine vlla promiſſione, aut riguroſa obligatione, ſed ſimpliciter poſtulando à dæmone, ad modum quo viri pij ſolent ad Deum preces effundere: quæ obſecratio, quia expreſsis verbis fit, pactum explicitum quodam modo eſt. Eſt & aliud pacti genus ſine verbis, quod Dialectici vocarent in actu exercito, per quædam facta talis conditionis, vt expreſsè in dæmonis honorem cedant, ſicut ei ſuffitus offerre, aut odorare: quibus certè annexa eſt intentio expreſſa fœderis. Pactum aliud implicitum, ſeu tacitum dicitur, vbi non adeſt expreſſa dæmonis inuocatio, neque promiſsio, ſed vſus quorumdam factorum ad nil aliud ſeruientium, vt dæmon ſe illis immiſceat: de quo nos ſumus cum Diuo Thoma in ſequentibus articulis multa dicturi. Apertius exemplum huius pacti reperitur in vſu quorumdam ſignorum, aut factorum, quibus ſolent vti Magi ad mirabiles effectus agnoſcendos, vel faciendos: & alij ex doctrina eorum, vel libris, acceperunt. Hoc genere pacti vſos fuiſſe quamplures Ethnicos, Iudæos, ac Chriſtianos, à multis fidedignis accepimus; qui indulgentes his tacitis dæmonum fœderibus, oſtendebant libros de hac re compoſitos ſub nomine Adæ, Abelis, Enoch, Abrahæ, Pauli, Cypriani, Honorij, Alberti Magni, & aliorum, effutientes contenta in his libris fuiſſe tradita ab Adami cuſtode Angelo Raziele, & à Raphaële reuelata, magnoque pretio habebant librum quem Salomonis clauiculam, ſeu tabulam appellabant, & aliud volumen ingens in ſeptem partes diſtinctum (vt dicebant) ab eodem Salomone compoſitum, ſed plenum ſacrificijs, & incantationibus dæmonum. Hunc librum, vt ait Autor Directorij Inquiſitorum, Eimericus parte 2. capite 28. & Peña ibi commentat 53. Iudæi, & Arabes in Hiſpania, ſuis poſteris hęreditario iure relinquebāt, & per eū mira quædā, & incredibilia operabātur, à quibus

multi

multi Christiani acceperunt: quos codices Inquisitores hæreticæ prauitatis diligenter inquirentes repertos flammis tradiderunt. Copiosam horum codicum supellectilē habuisse Henricum Marchionem de Villena Hispanum, dicit Ioannes de Mena Poëta Hispanus in illo suo famoso opere trecētorū Rhythmorū, Rhythmo 128. quos omnes igne absumpsit F. Lupus de Barrientos, ex Ordine Prædicatorū, assumptus in Episcopū Conchensem, annuente Ioanne II. Rege Hispaniarū. Ita Fernādus Nuñez de Toledo in cōmentarijs eiusdē Rhythmi. Sed nō mihi leuis suspicio est, aliquos Hispanię modò pullulare, & in Germania adhuc reperiuntur quatuor libri Cornelij Agrippæ, de occulta Philosophia, necnon Thomæ Eboracensis, & Petri Apponi codices digni tradi Vulcano, sicut & eorum Autores. His adiungo Alchindum, Rogerium, Baconum, & Paracelsum, qui sua opera innumeris superstitionibus respersérunt, sicut & Ioannes Baptista à Porta Neapolitanus, & alij, de quibus non est monendum per singula: satis sit cautum reddere Lectorem, si fortè in eorum opera, aut fragmenta inciderit.

Ioannes de Mena.

His positis, à certioribus incipiendo, prima assertio sit. Nullo modo licet aliquod commercium, aut familiaritatem habere cum dæmone, inito pacto, siue explicito, siue implicito, sumendo pactum in significatione stricta, quando scilicet adest conuentio, hæc, & illa faciendi, aut largiendi. Probatur hæc assertio ex testimonio Isaiæ cap. 28. apud quem impij Magi suam impietatem mediante pacto declarant, dicentes: *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno pepigimus pactum.* Quæ verba de Magis interpretatur Diuus Thomas infra, quæstione 95. art. 4. & interpretationem confirmarunt Pontifices summi Ioannes XXII. in Extrauaganti contra Magos, quæ incipit, *super specula*, & Sixtus V. in Bulla contra Astrologos, & expressè Diuus Paulus 1. ad Corinth. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum.* In nullo autem alio expressior societas reperiri potest, quàm interueniente pacto. Secundo, ex Patribus citatis in argumento quarto: & Diuus Cyprianus lib. de duplici martyrio totam Magorum malitiam ad pactum cum dæmone reducit: & D. Aug. lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 23. & refertur can. *illud.* 26. q. 2. *Et omnes artes huiusmodi* (inquit August.) *vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominū, & dæmonum quasi pacta infidelis, & dolosæ amicitiæ constitutæ, &c.* & in iure Ciuili l. *Multi.* C. *de Maleficis, & Mathematicis*, indicitur huiusmodi fœderatis pœna obiectionis ad feras. Tertiò probatur ratione. Nam ea familiaritas ex pacto cōtinet malitiam multorum, & grauium criminum. Primum est grauissimum delictum idolatriæ, quia cultus latriæ creaturis exhibetur, maximè quā do pactum expresse fit, sicut narrauimus communiter fieri: quod si Christianissimo renuntiant ex animo, apostasiæ à fide crimen incurritur: quod si non totam fidem abijciunt, sed tantum credunt, cultum diabolo deberi, vel diabolum ea posse, quæ fides Catholica negat posse, hæresis aperta est. Si verò hæc omnia fictè faciant, vel timore inducti, aut alia de causa, peccant cōtra fidei confessionem, & contra fidelitatem promissam Deo in baptismo, de renuntiando diabolo, & operibus eius; ac deniq; faciunt actum idolatricum. Vnde in articulo tertio Parisiensis Scholæ dicitur in hæc verba: *Quod inire pactum cum dæmonibus tacitum, vel expressum, non sit idololatria, vel species idololatriæ: error.*

Isaiæ. 28.

D. Thom.

1. Corinth.

Cyprian.

August.

Secunda assertio. Omnis inuocatio dæmonum, omnis denique familiaritas, ac cōmercium cum ipsis inuocatis, etiam si fiat sine pacto ex præfatis, id est, sine abnegatione Christianismi, aut fidei, sine sacrificijs, sine professione, aut homagio diabolo oblatis, & sine alijs solemnitatibus, quorum supra meminimus; peccatum mortale est grauissimum, multiplicem malitiam inuoluens. Probatur primò ex sacris Literis, quæ omnem inuocationem, ac commercium cum dæmonibus, & Magia dæmoniaca imbutis, damnant. Deut. 28. *Non inueniatur in te, qui ariolū sciscitetur, aut Pythones consulat:* & subditur: *Abominatur enim Dominus hæc omnia.* Leuit. 19. *Nos declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid sciscitemini.* *Deute. 28.* *Leuit. 19.*

Secundò probatur ex Ecclesiæ præceptis, ac monitis, quæ tum sacris Canonibus, tum extrauagantibus seuerè prohibet omne genus commercij cum dæmonibus, siue immediatè cum ipsis, siue mediatè cum eorum clientibus Magis, de quo disputatione sequenti. Patres etiam, vt videbimus inferius, omnem familiaritatem cum dæmonibus exhorrent. Origenes homilia 16. in Numeros: *Non vult Deus auditores nos fieri, & discipulos dæmonū, neq; vult* *Origenes.*

vt ſi velumus aliquid diſcere, diſcamus à dæmonibus. Melius eſt enim ignorare, quàm à dæmonibus diſcere. Auguſt.8.de Ciuit. Dei, cap.14. *Per ſanam doctrinam* (inquit) *quæ hominibus illuxit, omnes, vel penè omnes dæmonum nomen exhorrent: vt quiſquis ante diſputationem Apulei, qua dæmonum dignitas commendatur, titulum libri de dæmone Socratis legeret, nequaquam illum hominem ſanum eſſe ſentiret.* Et contendit Auguſtin. ideò librū inſcripſiſſe de Deo Socratis (cùm verè dæmon eſſet) ne lecto tali titulo homines exhorrerent, quia omne cum diabolo commercium damnabile, & horribile eſt. *Auguſt.*

Tertia aſſertio. Neutiquam licitum eſt, à dæmone precari, aut petere aliquod officij genus, putà conſilium, fauorem, ſanitatem, & huiuſmodi, etiam citrà pactum, & cæremonias præfatas, neque etiam ea obſequia oblata acceptare: ſed tale commercij genus lethale peccatum, ac grauiſſimum eſt. Hæc concluſio eſt contra Leonardum Leſium lib. 2. de iuſtit. cap. 44. dubio 10. dicentem, licitum eſſe petere verbo à diabolo, vt deſinat nocere, modò id non petatur deprecando. Sed noſtra aſſertio firmiter tenenda eſt ab orthodoxis. Eam docuit D.Thom. ſupra, quæſt.90.art.2 & in hac quæſtio.95.art.4. & quæſtio. ſequenti fere per totā. Et probatur, quia petitio, aut vſus talium obſequiorum, pertinēt ad ſocietatem, & amicitiam cum dæmone: ſed hæc neutiquam licita eſt: ergo. Minor manifeſta eſt, tum ex D.Paulo 1.ad Corin. *Nolo vos fieri* (inquit) *ſocios dæmoniorum.* 1. *Corinth.* & 2.ad Corinth.6. *Quæ ſocietas lucis ad tenebras? aut quæ conuentio Chriſti ad Belial?* 2.*Corint.*6. Tum quia ſocietas ad amicitiam pertinet: dæmon autem perpetuus hoſtis eſt Dei, cœleſtis patriæ, & omnium noſtrūm, qui ſemper actualiter odit Deum, Sanctos, & omnes homines, nec vnquam aliquod bonum nobis procurat, ſed ex eius mala voluntate omne bonum obiectum, quod largitur, vel promittit, in noſtram perniciem vertit: ergo non licet ad eū vllum ſocietatis genus habere. Probatur maior, quia deprecari pro aliquo impetrando, & vſus beneficiorum oblatorum, & huiuſmodi, ad actus ſociales humanæ vitæ pertinent.

Secundò. Dæmones ſunt perpetui Dei hoſtes, & noſtri; habemus aduerſus illos indictum prælium ſine vllis treguis, aut inducijs, iuxta illud Apoſtol. ad Epheſ.6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed contra principes tenebrarum harum.* Epheſ.6. Colluctatio autem hęc conſiſtit in conatibus hoſtilibus dæmonum, Dei gloriam obſcurandi, & homines perdendi; ex parte verò noſtra è contra eis reſiſtendo, & eorum operibus renunciando. Ergo qui eorum vtuntur obſequijs, aut eos inuocant in ſuum fauorē, rei ſunt læſæ Maieſtatis diuinæ, & contra fidelitatem Deo debitam, ratione dominij diuini ſupra nos, & propter beneficia collata. Conſequentia probatur, quia ad fidelitatem Deo debitam ſpectat, vt cum eius hoſtibus nullum commercium, nullámve ſocietatem ineamus, ſicut tempore ingruentis belli, non licet militibus exercere opera amicabilia cum hoſtibus, qui Imperatoris necem, & perniciem procurant. Ex hac probatione infertur, peccatum hoc commercij, & ſocietatis cum dæmonibus, etiam ſi non adiungantur pacta, aut celebritates commemoratæ circa primam aſſertionem, ſpectare ad apoſtaſiam, non à fide, ſed à fidelitate Deo debita, quæ non ſolùm conſiſtit in reddendo promiſſa Deo, ſed etiam in non communicando ſocialiter cum eius perpetuis hoſtibus dæmonibus. Et ſic eſt intelligendus D.Thom. in 2.diſt.7.q.3. art. 2. quando ait hoc peccatum pertinere ad apoſtaſiam à fide, id eſt, à fidelitate Deo debita. *D.Thom.*

Tertiò probatur ratione D. Tho. in loco proximè citato, quæ talis eſt. Ea, quæ ſunt ſupra facultatem humanam, & cauſarum naturalium, à ſolo Deo requirenda ſunt: ergo qui aliqua à dæmone petit, aut ſperat, in quibus complementum operis ex virtute dæmonū expectatur, grauiter peccat, quia illud quod eſt Dei, creaturæ impendit, per idolatriæ cultum. Sed hæc ratio calumniam patitur, maximè circa veritatem antecedentis: tum, quia aliàs auxilium ſanctorum hominum, & Angelorum, non eſſet implorandum: tum, quia ſi imploramus auxilium aliorum hominum in his, quæ non ſuperant eorum vires: cur non etiam à dæmone potente aliqua efficere, quæ ſuperant humanas vires? Pars enim negatiua, quæ in antecedenti ſupponitur, probanda erat. Reſpondetur ad primam obiectionem. Quando à Sanctis, Angelis, aut hominibus petimus aliqua, quæ non ſuperant eorum vires: à Deo cenſemur petere, qui vt autor, & gubernator naturæ vtitur hominum miniſterio, & Angelorum, quorum tutelæ nos commiſit. Secus

de

de diabolis, quos auerſatur Deus vt hoſtes. Ad ſecundam reſpondetur; in eodem articulo, & ſolutione ad vltimum, reddi rationem veritatis antecedentis, cùm dicitur, à dæmone hoc exigere, pertinere ad apoſtaſiam, & ad iniuriam Dei, iuxta illud Iſai. 8. *Et cum dixerint ad vos, quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui ſtridunt in incantationibus ſuis.* Rationem quare hoc nõ ſit faciendum adiungens, inquit: *Nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem pro viuis à mortuis?* Quaſi dicat iſta requiſitio Deo debita eſt, ob idque non exigenda à dæmonibus. Cõfirmatur. Qui deprecatur, aut ſperat obtinere beneficium ab hoſte ſui Regis potentis præſtare illud, & parati conferre, ſi id ſuo ſubdito petenti expedierit; non ſolùm eſt iniurius Regi, verùm & reus læſæ Maieſtatis: quæ meritò conqueri poſſet de iniuria ſui ſubditi; eo quod cum Rex ipſe potens ſit, & paratus adiuuare illum, ad ſuum inimicum recurrit: ſed Deus omnipotens eſt, atque paratus hominibus petentibus opitulari in omnibus deſideratis, ſi expedierit: ergo qui recurrunt ad dæmones, Dei perpetuos hoſtes, deprecando pro aliquo obtinendo bono, non ſolùm Deo iniurij ſunt, verùm & rei læſæ Maieſtatis diuinæ, & quaſi transfugæ ad dæmones, quibus honorem Deo debitum conferunt. Hoc crimen commiſit Ochozias. 4 Regum 1. quando miſit ſeruos ſuos dicens: *Ite, conſulite Deum Accaron* (dæmonem ſcilicèt) *vtrum viuere queam de infirmitate mea hac.* Quibus occurens Helias, ait: *Nunquid non erat Deus in Iſraël? mittis vt conſulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcircò de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* & ita factum eſt. Et Iſai. 8. *Et cum dixerint ad vos, quærite à Pythonibus, &c.*

Iſaiæ. 8.

4. Reg. 1.

Iſaiæ. 8.

Quartò. Huiuſmodi inuocatores dæmonum, & qui eorum familiaritate vtuntur, exponunt ſe magnis corporis, & animæ certis periculis. Corporis quidem, quia tandem dæmonia iſtos ſuos familiares, vel per ſe mutilant, ſuffocant, aut alio modo occidunt, aut ab alijs ſtrangulandos non ſolùm ſinunt, verùm & offerunt, vt multis exemplis comprobari poſſet. Animæ verò, quia nullum officij genus erga nos exercent, quò nobis prodeſſe cupiant, ſed omninò nocere. Bona aliquando conferunt, ſed vt his deliniti, illis paulatim aſſueſcamus, & ſic demum ſe inſinuent, ac noceant, vel perſuadendo defectionem à fide, vel credulitatem ſuis monitis, vel irreuerentiam ſacrorum, &c. Quis enim, niſi amens, ſibi perſuadeat, exitiales hoſtes, & pro ſuo erga nos odio, ac inuidia, cupidos noſtræ perniciei, velle beneficia conferre, niſi inde aliquod ingens malum nobis molirentur, & ſperarent ſatis probabiliter, & quaſi certò affuturum? nec fallũtur, niſi rarò, propter ingenij acumen. Egregiè Nazianzenus oratione in morbum, loquens aduerſus dæmonem ait: *Totus conatus tuus eò tendit, vt intimum pectus meũ depaſcaris, ac multis, validiſſimiſque huius vitæ impulſionibus, tamquam ariete quodam, ſacroſanctam Dei imaginem labefactes, ac deijcias.* Et Leo Pontifex ſermone decimo nono de paſſione: *Cùm eis* (ſcilicèt dæmonibus) *nihil amplius liceat, quàm iuſtitia diuina permiſerit: agunt tamen verſutiſſima arte fallaciæ, vt ex arbitrio propriæ poteſtatis aut parere videantur, aut lædere: & multis* (*quod dolendum eſt*) *ita per nequitiam ſimulationis illudunt, vt quidam illos & timeant pati infenſos, & velint habere placatos; cùm beneficia dæmonum omnibus ſint nocentiora vulneribus, quia tutius eſt homini inimicitiam diaboli meruiſſe, quàm facere.* Et Diuus Auguſtinus libro octauo de Ciuitate, capit. 24. *Quod poſſunt* (inquit) *dæmones, tanquam dæmones* (*id eſt ſcientes*) *poſſunt, vel quaſi beneficia præſtando magis nocentes, &c.* Nec ſat eſt dicere: in poteſtate hominum iſtorum eſt, ab hac dæmonum fallacia ſe præſeruare. Nam vt rectè Caietanus, ſi homines à conuerſatione dæmonum alienos, oportet tam armatos eſſe, quoniam *non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates tenebrarum harum*, vt Apoſtolus dicit ad Epheſios ſexto: quo modo inermes, imò ſubditi dæmoni, ex hoc ipſo quod ad eum confugiunt, poterunt ſe præſeruare? diuina namque iuſtitia deferendi ſunt in manu hoſtili; ad quam recurrunt. Quapropter qui ſe in præfata pericula conijceret, nimis prodigus eſſet ſuæ ſalutis, & contra charitatem propriam, vt minimum, delinqueret. Mitto modò, quòd hanc inuocationem dæmonum, & qualecumque commercium ad pactum expreſſum tandem reducendum eſt.

Nazian.

Leo.

Auguſt.

Caietan.

Epheſ. 6.

Quarta aſſertio. Non eſt licitum imperare dæmonibus, vt nobis inſeruiant, aut conferant aliquod officij genus.

D.Thom. nus. Ita D. Thom. supra quæst. 90. art. 2. Probatur. Quia non habemus naturalem potestatem imperādi dæmonibus, eo quod naturaliter sunt longè maiorum virium, ac potestatis quàm nos. Iob 41. *Non est potestas, quæ comparetur ei in terra.* Neque etiam habemus supernaturalem potestatem compellendi eos ad nostra obtequia. Etenim ea facultas, quam Deus dedit hominibus supra dæmones, non ad compellendos, vt nobis inseruiant, sed ad expellendos, ne nobis noceant collata est; quare irrisibile est tale aduersus eos imperium, vt nobis inseruiant, secluſa reuelatione diuina, qua posita, simul & à Deo datur, vt possimus eos subiugare, & imperare: quod Sanctos aliquando fecisse legimus. Confirmatur, quia mortalis homo, secluſa virtute diuina, non potest cogere vnum dæmonem, nisi virtute alterius fortioris, qui possit inferiorem cogere: propter quod *D.Thom.* rectè Diuus Thomas quæstione 6. de potentia. art. 10. secluſa diuina virtute, ait, non posse dæmonem cogi ab homine, nisi per artem Magicam, id est, in virtute alicuius pacti cum superiori dæmone; quod non esse licitum asserimus. Existimo autem licere quasi per modum imperij ad dæmonem loqui, dicendo (vt de diuo Martino legitur) recede Sathan, ne hic astes, cruenta bestia, & similia, quæ potiùs contemptum indicant, quàm imperium. Hæc assertio est contra Paracelsum, vt ait *Erasmus.* Erasmus prima parte disputationis contra eum, & est etiam contra quendam Scotum *Parmensis.* Parmensem, qui nostris temporibus aiebat, esse quandam Magiæ artem, qua dæmonibus imperabatur, & poterant virtute diuinorum nominum adiurari, aduocari, & cogi ad imperata faciendum. Et si roges, ad quam peccati speciem pertinet sic imperare dæmonibus, aut velle cogere? Diuus Thomas, in loco proximè citato, ad societatem dæmoniacam reducit, sicut & inuocare deprecando; quia qui imperat non sibi subdito (nisi amens sit) tanquam à socio exigere censendus est. Ignorantia autē in hac parte non excusat, sed reducit actum in naturam suæ formæ; fortè in merè idiotis aliqualiter excusabit: ille itidem, qui præstat obsequium, simulans obedientiam cui non debet, socialem actum exercere reputandus est, licèt id faciat decipiendi animo. Et verè ita est in dæmonibus, qui simulant se ab inuocatoribus cogi, vt capta occasione familiaritatis, in pericula nuper A enarrata conijciant. Ex hac assertione, & proximè præcedenti infertur, pertinere ad societatem dæmoniacam exigere à dæmone sponte occurrente, consilium, fauorem, aut quoduis officij genus, siue exactio fiat deprecando, siue imperando.

Quinta assertio. Ad societatem dæmoniacam pertinet, acceptare beneficia à dæmone oblata; putà pharmaca, nummos, obsequia, &c. imò neque licet oblatis vti, quādiu ad largitionem dæmonis donum pertinet; quia hic vsus actus socialis cum dæmone est: secùs quando iam desijt habere dependentiam ab eo. Assertio explicatur: etenim donum à diabolo datum, seu oblatum, in triplici statu considerari potest. Primus, quando actuliter offertur, seu datur à diabolo, & tunc eo vti, est acceptare, ac proinde ad societatem dæmoniacam apertè pertinet. Secundus, quando donum quidem datū est, sed cum depēdentia à dæmonis opera; & homo qui conseruaret tale donum crimine societatis dæmoniacæ inuolueretur: quia nondum cessauit malitia, quæ oriebatur in tali actu in ordine ad suam causam: verbi gratia; si alicui per dæmonis operationem esset sanitas restituta non simpliciter, sed cum obligatione conseruandi illam tali, vel tali remedio superstitioso, putà cultu dæmonis, vel deferendo amuletum dæmoniacum: tunc non licebit sanitatem conseruare illo modo. Tertius status est, quando donum à dæmone concessum est, siue acceptante homine, & peccante, siue non acceptante, sed de facto possidente; & si iam donum absolutum est à dependentia, & potestate dæmonis, licitum est illud conseruare, siue sit donum fortunæ, siue corporis, siue intellectus. Probatur. Quia bonum illud iam ab homine possessum, secluso ordine ad dæmonem, nullam habet malitiam, neq; in illo effectu habendo, vel retinendo, est aliqua deordinatio moralis. Quod de se patet. Nam si talis effectus per media naturalia, ac labore humano licito esset comparatus; nulla esset inordinatio illum retinere, & conseruare: ergo quamuis effectus eiusdem rationis auxilio dæmonis comparatus sit, non tenetur quis illum destruere, sed potest honestè retinere, ac illo vti humano modo, quia habitudo ad dæmonem iam cessauit. Quo fit, vt si dæmon concessit alicui sanitatem sine dependentia ad illum, non est propterea abijcienda. Item si

B C D

dæmo-

dæmonis opera, acumen ingenij, tenacitas memoriæ, ſecretum medicinale, alicui abſolutè obuenit, ijs poterit vti ſine crimine. Præterea ſi à dæmone theſauri oſtenſi, pecuniæ largitæ, poterit habens ijs vti: modò hæc per rapinam, aut iniuriam à vero domino dæmon non abſtulerit, ſicut poteſt non abſtuliſſe.

Sexta aſſertio. Non eſt licitum vti operibus ſuperſtitioſis ad obtinẽdum aliquod bonum, putà diuitias, honores, &c. vel ad remouendum, vel occurrendum alicui malo, v. g. ad morbos ſanandos, animalia nociua fugandum, &c. Et quidẽ ſi ſermo ſit de operibus ſuperſtitioſis, quæ ex pacto magorũ cum dæmonibus fiunt, vt ſunt ſigna, quibus viſis, dæmones optatos effectus operentur, aſſertio clara eſt, ſiue loquamur de hominibus, qui per ſe ipſos fœdus inierunt cũ dæmonibus, ſiue de ijs qui à ſuis maioribus Magis ita debere fieri acceperunt: qui omnes, Magi ſuperſtitioſa arte dici debent. Et ratio aperta aſſertionis eſt: quia hic vſus ad expreſſam dæmonum inuocationem pertinet, quæ neutiquam licita eſt, vt multis oſtendimus circa ſecundam aſſertionem, quæ certè oſtendunt erroneum eſſe, eum vſum licitum aſſerere, ſiue propter bonum, ſiue propter malum finem fiat: quod clare expreſsit diuus Paulus ad Roman. 3. dicẽs: *Non eſſe facienda mala vt veniant bona.* At intrinſecè malum eſt vti ſuperſtitioſis ſignis, ac magicis: quia ad dæmonum inuocationem expreſſam pertinet. Et idem colligitur ex multis Canonibus 26. quæſt. 2. & Chryſoſtomus Homilia 8. in Epiſtola ad Coloſſen. *Citius* (inquit) *homini Chriſtiano mors ſubeunda eſt, quàm vita ligaturis redimenda.* Videndi ſunt art. 5. 6. & 7. Pariſienſes, qui oppoſitam ſententiam condemnãt vt erroneam: & nos etiã ſimili cẽſura damnamus ſententiam Paracelſi, qui in multis locis ſuorum operum affirmat nil referre an Deus, Angelus, vel Diabolus ægro opem ferant, modò curetur æger. Fortaſsis hinc hauſit imperitum vulgus, vel ipſe à vulgo, illud prouerbium blaſphemum: *Fiat mira culum, & fiat per diabolum.* Obijcies fortaſſe legem eorũ: *C. De maleficis, & matemat.* Vbi Imperator Conſtantinus iubet non eſſe plectendos, ſed præmiandos, qui magicis, & ſuperſtitioſis vtuntur in bonum finem, putà ad curandos morbos, vel arcendas tempeſtates. Cui legi innixi quidam Iuriſperiti antiqui, & Summa Roſella verbo impedimentum 5. num. 19. videntur accedere ad Paracelſi ſententiam. Sed Sprengerus in ſecunda parte mallei, quæſtione 2. principali, eos excuſat: quia aiunt licere vti vanis, ſed non ſuperſtitioſis, ad curandos morbos: & in idem videtur inclinare idem Sprengerus dicens, huiuſmodi eſſe tollerandos. Sed non intelligo quæ vana ſint iſta ad curandos morbos, quæ non ſint ſuperſtitioſa, & in quibus nõ includatur inuocatio ſaltem tacita dæmoniorum. Quare noſtram aſſertionẽ etiam intelligo de vſu operũ ſuperſtitioſorum, in quibus nullum interuenit pactum fœderatum cum dæmonibus, ſed ob id tantũ dicuntur ſuperſtitioſa, quia de ſe nullam habent virtutẽ ad producendos optatos effectus. Fateor cenſurã magis procedere in operibus iam fœderatis cum dæmone, quàm in iſtis non fœderatis: & ideò ſi Autores citati quodammodo excuſentur ab erroris nota, alij viderint. Lex autem Conſtantini vel reijcienda, ſicut aliæ leges Imperatoriæ contrariæ Iuri diuino, quia res hæc non ita tunc temporis manifeſtata erat; vel interpretanda per eius criminis (quando in bonum ordinabatur) permiſsionem. Cui legi opponimus aliam ex conſtitutione 65. Leonis Imperatoris ad Stylianum de incantatorum pœna. *Sanè* (inquit) *ſiquis aliquo modo incantamentis vſus eſſe deprehenſus fuerit, ſiue id reſtituendæ, conſeruandæve valetudinis, ſiue auertendæ à rebus frugiferis calamitatis cauſa fecerit, is Apoſtatarum pœnam ſubiens, vltimum ſupplicium ſuſtineto.* Idem ferme habet conſtitutio Caroli Quinti cap. 109.

Ex dictis manet deciſa quæſtio ſolemnis & vetuſta, an liceat maleficium, ideſt malũ alicui illatum per magicas artes, tollere per aliud maleficium, ideſt per incantationes, aut alios ſuperſtitioſos, & dæmoniacos ritus? Cui Paracelſus, qui incunctanter aſſeruit licere à dæmone ipſo beneficia accepta re, & poſcere, incunctantius aſſeuerat licere vnum maleficium per aliud ſoluere: & agens de morbis hyperphyſicis, ideſt, de inflictis magico artificio, ſic ait: *Scitu eſt neceſſariũ omnibus Medicis, qui perfecti cupiũt eſſe, de tali autem curatione neque Galenus, neque Auicena ſcripſerũt, aut ſciuerunt quid quam; non enim in Academijs omnis diſcitur ars. Ideò oportet Medicum quandoq; accedere ad vetulas, ſagas, zigenepos, ruſticos, & circumforaneos, dilzambrecher, & ex ipſis artem ipſam addiſcere, qui plus ſciunt de iſtis rebus, quàm omnes Academiæ profeſſores: & quãquam iſti hac rideant, tu vtere illis in forti*

imaginatione, & experieris effectum. Et addit: *Si quiſpiam ſupernaturali morbo, vel dolore per incantationem detineatur, illi nullum remedium naturale proderit (ſaltem rarò) ſed Magicum remediũ eſſe oportet, quo morbus tollatur, quali & introductus eſt. Vidi hominem plus Magiæ dæmoniacæ deditum, quàm Medicinæ, quam ex officio profitebatur.* Et poſtea ſubiungit: *Tales curationes Magicas minimè contra Deum eſſe: quia illis nõ ad perniciem, ſed ad ſalutem hominum vtimur, dicant ad hæc quid quid velint Theologi.* (Modus loquendi vſitatus apud Hæreticos, quaſi non ſit agendum rationibus, quas Theologi ex ſacris Literis, Synodis, ac ſanctis Patribus depromunt.) Hanc ſuam ſententiam, in praxim deducit iſte ſemimedicus, & plene Magus, & vix Chriſtianus, implens codices ſuos, quos ferè innumeros edidit his curationibus ſuperſtitioſis ac dæmoniacis, quos videre non licuit, nec ſi ſcirem enarrarem, nec eius rationes, quia futiles ſunt, innixæ in eo quod effectus fiat, ſiue per Diabolum, ſiue per Magos. Cui occurrit diuus Paulus non eſſe faciẽda mala vt veniant bona. Et ratio ſuffragatur: quia vt nuper probabamus vt aſſertionem de fide, non licet vti Magicis, ad curandum morbos ortos à cauſis naturalibus: ergo neq; ad curãdum eoſdẽ ex maleficio ortos, eſt enim eadem ratio deformitatis, putà ſocietatis dæmoniacæ, in vtroque remedio, & quod morbus prouenerit ex priori maleficio accidentiarium eſt.

Vltima aſſertio. Licèt omne commerciũ & familiaritas cum dæmone ſit peccatum mortale ex genere ſuo, tamen aliquando in indiuiduo poterit eſſe veniale, propter imperfectionem ſocialis actus: putà per modum trãſeuntis, interrogare dæmonem occurrentem, & ſimilia. Quare in caſibus primæ, ſecundæ, tertiæ, & quartæ concluſionũ puto ſemper committi peccatum mortale etiam in indiuiduo, à quo non excuſo omnes inuocatores dæmonum.

Ad primũ in oppoſitũ reſpondetur, in locis citatis ex ſacra Scriptura, non conferri hominibus poteſtatem abſolutam, compellendi dæmonia ad quodcunque officij genus præſtandum, ſed dumtaxat ad illos arcendos, expellendos, & conculcandos. Noluit enim Deus, dæmones nobis in omnibus inferiores facere. Reſtrictionem autem huius poteſtatis colligimus, ex interpretatione Sanctorum, ex D. Thom. in loco citato, ex vſu, & traditione Apoſtolorum, qui ad expulſionem dumtaxat dæmoniorum ea poteſtate vtebantur.

Ad ſecundum reſpondetur, quam plura Deum facere, quæ non poſſumus, neq; debemus imitari. Tale eſt, imperare dæmonibus pro libito: quia illorum Dominus eſt; nos verò niſi accepta à Deo poteſtate, non valemus id efficere: nõ autem accepiſſe abſolutãm iam docuimus. Ad confirmationẽ reſpondetur, aliquando ſanctos viros reuelatione facta, aut inſpiratione, accepiſſe eã poteſtatem. Inde tamen non licet ad omnes eam extendere.

Circa confirmationẽ ſecundã aduertendũ eſt, Hermetẽ Triſmegiſtũ, vt refert Auguſt. lib. 8. de Ciuitat. ca. 23. in hunc errorẽ abiiſſe, vt exiſtimaret, arte quadã poſſe homines includere dæmones ſtatuis, aut alijs corporalibus rebus, vt reſpõſa darẽt, obſequerẽtur, &c. In quẽ errorem lapſum fuiſſe Socratẽ credimus, nã lumine fidei carentẽ in hanc cæcitatem incidiſſe nõ mirũ eſt, vt Philoſophi euaneſcerent in cogitationibus ſuis, etiã illi qui aliàs virtuti dediti erant: inter quos Socrates, & Plato eius diſcipulus principatũ tenuêre. Hũc etiã errorẽ praxi tradiderũt Magi quidã famoſi, habentes dæmones ſingulos alligatos, ac ſuo imperio obedire paratos, vt ipſi falſo putabant. Ita de Simone Mago refert D. Clemens li. 2. recognitionũ. Talem dæmonẽ habuiſſe quẽdam Thaſiũ ait Ariſtot. talem Crotonẽ nomine, ſtudioſo cuidã, & poſtea equiti Aquitano tribuit Froſardus in Chronicis: talem fuiſſe Cornelij Agrippæ canem (etſi diſcipulus eius Vviclephus neget, cæteri verius affirmant) & noſtris temporibus multos habere huiuſmodi dæmones incluſos anulis, phialis, ſpeculis, aut in habitu ammanuenſiũ, ex fide dignis accepimus. Hos vocant paredrios: ideſt aſſeſſores, vulgus vocat familiares, lamiẽ martinellos, ſeu magiſtellos. Iſthæc autem alligatio quo modo fiat, dignum eſt ſcitu: puto autem fieri duobus modis. Primus eſt, quia dæmon ſuperiorum virium, vt annuat voluntati Magi ſibi deuoti, alligat anulo, ſpeculo, imagini, aut alteri rei corporali inferiorem, vt in omnibus obſequatur poſsidẽti rem cui alligatus eſt. Secundus modus eſt, quia dæmon, quicunq; ille ſit, ſiue inferior, ſiue ſuperior, adiungit ſe alicui rei corporali, vt ſe inuocanti opituletur. Prior modus non eſt ita facilis: quia quamuis dæmon ſuperior poſsit inferiorem cogere, vt adiũgatur, v. g. anulo; tamen niſi ſemper ſimul cum eo aſsiſtat,

Triſmeg. Auguſt.

Clement.

Ariſtot.

Froſardus.

non

non poterit detinere vt nõ recedat, ſuperio re abſente, quod ſi permanet, voluntariè permanet, non coactus. Secundũ modũ credo communiorem, & faciliorem, in vtroq; autem dæmon fingit ſe magicis incantationibus, aut inuocationibus cogi, vt homines decipiat. Egregiè Henricus de Aſia citatus à Sibilano libello pereg. quæſtionum, decade 3. cap. 8. quæſt. 1. *Ipſe dæmon ſimulat ſe captum, vt te capiat, ſe victum vt te vinciat, ſe tuo imperio ſubditum, vt te ſibi ſubdat, à te incluſum, vt contra te finaliter concludat: fingit ſe tua arte vel imagini, vel lapidi alligatum, vt funibus peccatorum religatum ad infernum te perducat.* In vtroque autem modo puto, dæmonem, qui putatur eſſe alligatus anulo, aut imagini, non ſemper ijs adeſſe præſentem: ſed dicitur alligatus, quia vocatus ab anuli poſſeſſore accurrit. Neque indiget tempore ad redeundum (motu præcipue diſcreto) vbicunque ſit, & apud quamcumque diſtantiam poteſt agnoſcere quid agatur circa ſuum clientulum. Ipſi vero cæci Magi putant, ſe habere quaſi carcere incluſum ſuum parædrium, ſeu familiarem, ſic adeò, vt aliquibus in locis (vt fama eſt) habeantur venales huiuſcemodi Martinelli, qui ſolent eſſe exitiales ſuis poſſeſſoribus. Vix iſti ſine ingenti damno ſuorum dominorum ſolent recedere: vt plurimũ paciſcitur dæmon pro certo tempore, quo finito vel alium ille prior herum reperiat, vel ipſe dæmoni necandus cedat, vt refert, & exemplo confirmat Nicolaus Remigius lib. 1. de mnolat. & Ioannes Nider lib. 5. formicarij. Quod verò ſancti viri aliquando dæmones certis rebus alligauerint non eſt trahendum in exemplum: quia diuina virtute, ac miraculosè id effecêre ad illudendum draconi iſti. Apud Surium menſe Septembri narratur de ſancto Lupo Senonenſi incluſiſſe vaſculo eiulantem dæmonem, dum ſignatum cruce puluinar ſtrictè ad os vaſculi applicaſſet.

Ad tertium reſpondetur (quid quid ſit de dominio conceſſo hominibus erga res corporales) nequaquam hominibus eſſe conceſſum dominium, aut imperium ſupra dæmones, neque in ordine naturæ, neque in ordine gratiæ, niſi ad eos expellendos virtute diuina communicata exorciſtis, aut aliquando alijs. Illud verò: *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius* intelligendum eſt de Chriſto Domino, dicêre D. Paulo ad Hebræos 2. vel de homine in vniuerſali, ſed expendendo dignitatem hominis ab vno eius individuo, quod eſt Chriſtus; vel de homine in ordine ad res ſibi inferiores in natura. Vnde & ſubditur: *Oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, &c.*

Ad quartum iam patet ex prænotatis ante aſſertionem primam: omnis enim ſocietas cum dæmone pactum includit, licèt nõ ſtrictè, ſaltem ampla, ſed propria ſignificatione, iuxta quam loquuntur Patres, & Doctores, quando omnem malitiam ſocietatis dæmoniacæ ad pactum reducunt, neque vlla poteſt eſſe vtilitas pro qua aliquid faciendum ſit, quod in Dei vergat offenſam, multas autem adeſſe in ijs dæmonum inuocationibus iam ſatis ſuperque docuimus.

Ad confirmationem Paracelſus ineptè illud teſtimonium adducit, cum expreſſe in eo fiat ſermo de manifeſtatione omnium humanarum actionum, in die iudicij vniuerſalis. Nec mirum Paracelſum tam futilibus rationibus moueri, qui (vt notauit Thomas Eraſtus Medicus in eius Paracelſi innumeris voluminibus) ſparſit centum mille imaginationes, ſeu deliria ſolemnia, quæ in mentem ſapientum, neque inſipientum vſque ad illum non peruenerunt.

Ad quintum negatur conſequentia: quia quoſvis peccatores ratione ſui ſtatus nihil prohibet fieri membra Chriſti, & ideò ex charitate diligendi, nec ſumus prohibiti illis conuerſari. Secus in dæmonibus, & in damnatis, poſtquam ab hac vita deceſſerint, de quibus ſicut de dæmonibus in hac parte iudicandum eſt, vt aſſerit D. Thom. in 2. ſentent. loco citato. Item, quia in hominibus, quamuis ſint infenſiſſimi hoſtes Dei, & noſtri, poſſumus diſtinguere quædam opera erga nos, quæ non pertinent ad hoſtilitatem, vt loqui, diſputare, commutare, elemoſynam petere, & ſimilia. At in dæmonibus nihil eſt erga nos, quod non ſit hoſtile: omnia in noſtram pernicièm machinantur, & ad Dei obſcurandam gloriam. Mitto modò quod inter nos, & noſtros hoſtes poſſunt eſſe treguæ aliquæ: at non ſic inter nos, & dæmones, quibus ex parte Dei, & noſtra, indictum eſt perpetuum bellum. Vnde nullum ſocietatis genus cum eis exercere debemus. Ad confirmationem reſpondetur dæmones eſſe hoſtes perpetuos Dei, & noſtri: vnde nequaquam licet eis conuerſari niſi hoſtiliter.

Ad ſextum, prænotatis his, quæ dixi circa tertiam, & quartam probationes ſecundæ aſſertionis, dico, eum qui inuocat dæmonem abſque omni oblatione, reuerentia, & cære-

Henric. de Aſia. *Sibilanus.* *Paracelſus.* *Tho. Eraſt.* *Nicolaus Remigius.* *Nider.* *Surius.* *Pſalm. 8.* *Hebræor. 2.* *D. Thom.*

cæremonia (ſiue inuocet voce, ſiue facto, vt ſæpe cõtingit in vanis obſeruationibus) dupliciter id poſſe facere: vno modo, animo efficiendi id, ad quod dæmonum inuocatio ordinatur ex natura ſua, & à dæmone ipſo, qui hanc inuocationem, verbis, aut factis ordinat ad ſubiectionem hominis, reſpectu dæmonum. Huiuſmodi autem ſubiectionem, ratione diuinæ excellentiæ affectatæ, & intentæ à dæmonibus, ad ſuperſtitionem, & cultum dæmonum pertinere certiſsimum eſt apud omnes orthodoxos, maximè D. Auguſtinũ li. 2. de doctrina Chriſtiana citatum ſupra. *Auguſt.* Et ratio id ſuadet: quia oppoſita ſubiectio hominis ad Deum, ad Religionem pertinet. Secundò poteſt fieri inuocatio, verbo, aut opere, ſeparando à tali inuocatione animum faciendi id, ad quod op⁹ ex ſe, vel à dęmone ordinatur, hoc eſt, quod nolit ſe dæmoni ſubijcere, ſed duntaxat inuocat tanquam potentem adiuuare in eo quod deſideratur, ſicut alterum hominem inuocaret, abſque vlla reuerentia. Et in iſto caſu eſt difficultas, vtrùm ea inuocatio ad ſuperſtitionem pertineat, & ad quam ſuperſtitionis ſpeciem? & de hac inuocatione procedit argumentũ ſextum, ad quod *Caietan.* Caietanus benè, ſed ſubobſcurè. Nos verò breuius, & clarius dicimus, in ea inuocatione dæmonis, in argumento commemorata, neceſſariò includi cultum dæmonum, non immediatè, formaliter, & expreſſe, ſed mediatè, virtualiter, & implicitè: eo quod licèt inuocans dæmonẽ expreſſe, videatur intẽdere dũtaxat adiuuari à poteſtate illius, tamẽ hoc ipſo illi ſubijcitur, & ſubijciendo colit. Sicut ille, qui à Deo petit ſanitatem, immediatè non intendit, neq; exhibet cultum, ſed quærit bonum ſibi, mediatè autem, & implicitè Deum colit: & ſicut ille, qui iurat, immediatè non intendit cultum Dei, ſed ſuum commodum, nempè vt illi fides adhibeatur, mediatè autem colit Deum, proteſtando ipſo facto eum eſſe infallibilis veritatis: ſic qui inuocat dæmonẽ, vt ſibi in aliquo opituletur, immediatè non intendit cultum, ſed ſua commoda, mediatè autẽ quãtumuis deſideret non colere, colit tamen: quia non ſtat, petere ab aliquo adiuuari, quin eo ipſo ſubijciatur aliquo modo petens, & ſubijciendo colat, vt ſuperius in materia de oratione vidimus, & inferius quæſt. 102. & 103.

Ad ſeptimum reſpondetur, D. Thom. eſſe intelligendum, vt patet ex eius verbis, quando is, cui occurrit dæmon, habet poteſtatem expulſiuam, qualis eſt in exorciſtis, aut compulſiuam, qualis conceditur aliquando Sanctis: aliàs quomodocumque cõuerſari cum dæmone, etiam ſponte occurrente, ad ſocietatem dęmoniacam pertinet, licèt, vt iam diximus, propter imperfectionem actus, poſsit fieri veniale crimen, quod ex ſuo genere mortale eſt. Quapropter ad argumentum, conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: quia neque deprecando, neque imperando, licet dæmonem inuocare; inuocatio enim talis Deo iniurioſa, & nobis pernicioſa eſt, vt dicebamus in hac diſputatione. Ad primam confirmationem reſpondetur, adſtantes excuſari à mortali, quando vana, aut curioſa inquirunt, nõ verò à veniali: quia licèt ſit ibi ratio perfecti actus humani, non tamen eſt perfecta ratio actus ſocialis. At ſi interrogentur vtilia, ab omni peccato excuſamus homines aliàs probos, quia poſſunt probabiliter ignorare eſſe illis interdictã talem communicationem, etiam per modum tranſeuntis: ſcientes verò, non excuſamus à veniali, propter imperfectam ſocietatem, & quia deberent aduertere, dæmonibus patribus mendacij non eſſe adhibendam fidem, niſi adſit vis compulſiua. Ad ſecundam cõfirmationem reſpondetur, duplex genus cultus dæmoni exhiberi poſſe per inuocationem: vnum latriæ, qualis Deo exhibetur, per ſacrificia, adorationes, & huiuſmodi: alterum duliæ, qui poteſt conferri in alium, putà benefactorem, conſultorem, &c. Prioris generis cultus non eſt neceſſe inueniri in omni dæmonum inuocatione, maximè in commemorata in argumento ſexto, aliàs omnis inuocatio dæmonum ad idolatriam ſtrictè ſumptã pertineret, quod eſt falſum, & contra D. Thom. in hac, & ſequenti quæſt. aſſe- *D. Thom.* rentem ad ſecundam, & tertiam ſpecies ſuperſtitionis pertinere. At ſecundi generis cultum in omni dæmonum inuocatione reperiri aſſeueramus. Cum hoc tamen ſtat eũ cultum peccatum eſſe contra virtutem Religionis, aduerſus quam non ſolùm peccatur exhibendo creaturæ cultum, ſoli Deo debitum, verùm & conferendo cultum cuiuſcumque obſeruantiæ hoſti, & inimico Dei dæmoni affectanti excellentiam diuinam, & conanti, quantũ in ſe eſt, eam vſurpare. Sicut non ſolùm peccatur contra obſeruantiam Regi debitam, exhibendo alteri cultum ſoli Regi debitum, verùm & quamcumque conferendo hoſti Regis, propter bonum ſperatum (maximè quod Deus po-

potens est,& paratus dare) & tali hosti, qui in hoc cultu, qualiscumq; ille sit,affectat ab istis cultoribus subiectionem, quæ ab hominibus Deo debetur.

Ex hactenus dictis colligere licet, familiaritatem,ac commercium cum dæmone multiplicis malitiæ criminibus inuolui:aliquando crimen Apostasiæ à fide ei affigitur,aliquando hæresis, interdum sacrilegij, blasphemiæ,& idolatriæ: at verò non sem per his criminibus vitiaturvt, patet ex præ cedentibus. Malitia inseparabilis est Apostasiæ à fidelitate Deo debita, per commer cium cum eius hoste, & cultus eidem dæmoni exhibitus,saltem implicitè,& mediatè, ratione cuius pertinet ad secundam, & tertiam speciem superstitionis. Quando verò huiusmodi commercia sapiant hæresim, aut idolatriam,in quo sensu sæpe dixerunt Patres hæc crimina pertinere ad hæresim, aut idolatriam, inferius fortasse dicemus, agentes de pœnis horum criminum.

DISPVTATIO II.

Affinis præcedenti est,Vtrùm liceat vti opera,& industria hominis Magi in operibus Magicis efficiendis?

NON dubitamus in præsentiarũ de vsu Magicarum superstitionum,adiuuando,consulendo, vel quouis alio modo cooperando cum Magis in eorum superstitionibus: certum est enim nõ licere, vt patet ex allatis circa sextam assertionẽ proximæ præ cedentis disputationis: concausæ enim alicuius criminis eodẽ reatu quo causæ principales adstringuuntur: & specialiter huius criminis concausæ acriter obiurgantur in sacris Literis, Leuit. 19. *Non declinetis ad Magos,neque ab Ariolis aliquid scisciteminí, vt polluamini per eos*: & cap.20. *anima quæ declinauerit ad Ariolos,& Magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui.* Deuter.18. *Nec inueniatur in te qui lustret filium suum,aut filiam,ducens per ignem, aut qui Ariolos scisciteur.*

Leuit.19. 20.

Duter. 18.

Sed disputatio nostra procedit,an quando aliquis vtitur industria Magorum in operibus eorum superstitiosis,nil ipse agendo, peccet peccato societatis dæmoniacæ, aut superstitionis? Præcipuè mouetur dubitatio,propter petentes à Magis,vt maleficia maleficijs dissoluant, aut quouis genere incantationis vtantur, aut cogentes maleficas, & Magos, maleficia maleficijs dissoluere.

Omissis sententijs Paracelsi, & Hæreticorum, Angelus in Summa verbo *superstitio*, num.13.tenet,licere à Mago parato petere,vt maleficium maleficio, idest, incantatione maleficium dissoluat: & sic malum illatum per maleficium, alio maleficio, & magica arte propellat. Et citat pro ea sententia Petrum Aureolum in 4. distinct.34. quæstione secunda. Probant: quia ad bonũ finem licet vti malitia hominis parati, sicut licet petere mutuum ab vsurario, & iuramentum per falsos Deos ab infideli. Cõfirmatur, quia tunc non petitur effectus positiuus, vel auxilium dæmonum ad aliquid agendum, sed sola destructio maleficij, quæ bona est. Confirmatur secundò: quia sæpe Angeli boni, & sancti viri, ab ipso dæmone petierunt, vt desisteret à malo faciendo: ergo & homines pij possunt à Magis petere, vt à maleficio desistant,& bonum ablatum conferant per aliud maleficium,si alio modo non est bonum ablatum restituibile. Secunda sententia est cuiusdam Nicolai Remigij, lib. 3. de monolatr. quem refert Delrius,lib.6.cap.2. section. 1. quæstio.2. Iste asserit nõ licere à Mago id petere deprecando, sed verberibus, aut minis compellendo. Probat,quia hoc non est societatem cum dæmone inire,sed potius iure suo vti,& quasi defendere à vi illata per ministrum diaboli. Secundò,quia si homo posset cogere dæmonem,vt cessaret à malo illato,vel inferendo, certè id liceret, quia in ea coactione non honoraretur dæmon, nec coleretur, sed potius inhonoraretur,& quasi conculcaretur: ergo potiore ratione id licebit exercere erga Magos ipsos.

Angelus.

Petrus Aureol.

Remigius. Delrius.

In memoriam reuocatis ijs,quæ diximus in proximè præcedenti disputatione, prima assertio sit. Nõ licet petere à Mago,qui non paratus est ad suas incantationes exercendas, vt maleficium maleficio dissoluat. Probatur: quia exercere artem Magicam, & vti superstitiosis ob quemcunque bonum finem,intrinsecè malum est,vt docuimus in sexta assertione præcedentis disputationis: ergo petens à Mago non parato inducit ad malum,ac ex consequenti illicitum est.

1. Assertio.

Secunda assertio. Non licet à Mago parato petere, vt maleficium maleficio dissoluat.

ſoluat. Hæc eſt certiſsima, & communis apud omnes Theologos, in 4. diſtinctio. 34. Caietanus, tomo 2. opuſcul. tituli 12. Caſtro, lib. 2. de iuſta Hæreticorum punitione capit. 15. Abulenſis, Matth. 19. quæſtion. 90. Turrecrem. capit. vltimo. 33. quæſtione prima, Couarrubias, in cap. *Quamuis pactum*, parte prima. §. 29. & alij multi, quos citat Sanctius de Matrimonio, lib. ſeptimo, diſputatat. 95. Et probatur, quia petitio, quæ habet pro obiecto opus intrinſecè malum, & ipſa nequit eſſe bona, vt patet in petitione fornicariæ actionis à parata, & alijs ſimilibus. Et ratio eſt: quia qui petit opus malum ab aliquo, quamtumuis paratiſsimo ad malum operandum, & ipſe eſt cauſa moralis talis operis, ac proinde eodem crimine inuoluitur: ergo qui à Mago petit vt maleficium maleficio tollat, eodem ſuperſtitionis dæmoniacæ peccato peccat: quia petit actum intrinſecè ſuperſtitioſum.

Caietanus. *Caſtro.* *Abulen.* *Turrecre.* *Couarrub.* *Sanctius.*

Hæc aſſertio mihi adeò certa eſt, vt ſententiam Angeli, & Aureoli non dubitarem vt erroneam damnare. Quare ad argumentum Aureoli reſpondetur, non eſſe illicitum petere aliquem actum bonum, ab eo, quē ſcio paratū eſſe exercere illum cū peccato, maximè ſi vtor iure meo, quod aliàs habebam. Secus eſt quando petitio terminatur ad actum prauum, à quo proinde non eſt ſeparabilis malitia: tunc enim cùm totum opus petatur, conſequenter eius malitia petitur, quod non licet. Quare non eſt ſimile de petentibus mutuum ab vſurario, parato dare ſub vſuris, & de petentibus iuramentum ab Ethnico, parato iurare per falſos Deos: quia vt benè notauit Caietanus in opuſculo citato, dare mutuū, aut contractus firmare iuramento, poteſt exerceri ſine peccato. Ea verò deformitas, quæ quandoque adiungitur, putà dare mutuum ſub vſuris, aut iurare per falſos Deos, prouenit ex adiuncta mala voluntate exercentis hos actus, non ex obiectis eorum ſecundùm ſe, qui exerceri poterant ſine peccato. Vnde petens eos non inuoluitur crimine exercentium illos, & petitio non terminatur ad eos actus vt mali ſunt, ſed ad obiecta bona ibidem incluſa. At verò diſſolutio maleficij per aliud maleficium, ideſt per inuocationem dæmonum tacitam, aut expreſſam, neutiquam exerceri poteſt ſine peccato; neque ibi reperitur aliquod bonum, ad quod petitio terminari poſsit. Quare petentes eam maleficij diſſolutionem per aliud maleficium, neceſſe eſt eodem flagitio implicari, quo Magus vtens ad diſſolutionem Magicis incantationibus. Ad primam confirmationem negatur antecedēs, quia exigitur actus incantationis, omni iure prohibitus, vt vidimus. Ad ſecundam negatur antecedens, ſecluſa Dei virtute ſupernaturali, qua interdum vſi ſunt Sancti: quia omnis petitio, & deprecatio facta dæmoni, ſecundùm legem ordinariam, ad ſocietatem dæmoniacam pertinet, negatur itidem conſequentia: quia dæmon ſine nouo peccato poteſt à maleficio ceſſare; homo verò Magus nouo crimine inuoluitur, ſi maleficium maleficio diſſoluat.

Ex eiſdem principijs confutatur ſententia Nicolai Remigij, volentis licere cogere Magum ad diſſoluendum maleficium alio maleficio; illa enim coactio, petitio quædam eſt, imò inductio in Mago non parato, quæ intrinſecè mala eſt: & ideò non exigenda à Magis. Ex his facilè damnabis vſum quorūdam iudicum, qui cogunt maleficas, ſuis ritibus, ab eis quos læſerant morbos auferre. Imò ex benedictionibus earū quibus ſanant (quæ potius ſunt formulæ à Diabolo traditæ) colligunt eas eſſe Magas, quibus non deberent ipſæ obtemperare: quia iuſsio iudicum, non facit rem intrinſecè malam fieri bonam. Et ad argumenta pro Nicolao, ad primum negatur antecedens: quia non vtitur iure ſuo, nec ſe defendere quis poteſt vtendo medio intrinſecè illicito. Ad ſecundum, admiſſo antecedenti, negatur conſequentia: quia licet imperium illud Magi prima facie videatur inhonoratio Diaboli, & verè ſic eſt, ſi primum maleficium ſine peccato aboleri poſsit: at ſecundum maleficium, ideſt, incantatio, per quam deſtruitur primum, cultus, & honoratio Diaboli eſt, vt pote eius inuocatio.

Remigius.

Sed doctrina tradita alijs argumentis examinanda eſt. Contra quam arguitur primò. Eſtò non ſit licitum exigere à Mago, vt malum illatum auferat per maleficium, id eſt, per incantationem, aut actum Magicum: videtur eſſe licitum, ſi ipſe vltro offerat, eum diſſolutionis modum acceptare. Probatur, quia licet vti malitia alterius, quando in hoc vſu nulla interuenit mea operatio, qualis in hoc caſu nulla interuenit. Probatur: quia nulla petitio eſt ibi, vt ſupponitur, ſed ſolus vſus paſsiuus maleficiati, merè paſsiuè ſe habētis.

Dices

Dices cum Caietano in opusculo citato, nõ esse licitum vti iniquitate alterius, etiam parati ad peccandum, quãdo actus peccati est intrinsecè malus, propter deformitatem ne cessariò annexam.

Contrà arguitur secundò. Si quis, me non petente, nec consulente, occidat Petrum, in cuius bona ego succedo, & ego vtar hæreditate, ex malitia occisoris proueniente, non inuoluor homicidio (quid quid sit de alijs peccatis) ergo si sciam Magum esse paratum tollere meum maleficium alio maleficio, me nil exigente, possum tacere, & vti malitia Magi. Confirmatur in Ethnico iurante per falsos Deos, hæc & illa facturum in meum fauorem, cuius malitia vti licet: & in Mago, qui suis incantationibus propalauit thesauros absconditos: ergo.

Tertiò. Existenti in necessitate numos habendi licet petere mutuum ab vsurario, quem certò scit non daturum nisi sub vsuris; & licet ab infideli petere vt iuret pacta, quem tamen certò scit iuraturum per falsos Deos: ergo licet petere à Mago, vt soluat maleficium, quod potest præstare medio licito, quamuis sciam illud soluturũ medio superstitioso, & Magico (cõtingit enim quandoque Magum scire, v. g. morbum per maleficium illatum sanare pharmacis naturalibus, aut verò alio maleficio.) Probatur argumenti consequentia, tùm quia cũ possit soluere licitè, & illicitè, petitio maleficiati habet aliquod bonum obiectum, ad quod possit terminari, sicut de petentibus ab vsurario mutuum, & de exigente iuramentum ab Ethnico dictum est: quibus licere vti malitia vsurarij, & infidelis, omnes fatentur.

Nihilominus doctrinam traditam veram censemus: nec argumẽta modò addita eam labefactãt: quia in alijs casibus diuersis procedunt. Etenim nos locuti sumus contra Paracelsum, & Aureolum, qui existimant licere petere à Mago parato, vt maleficium maleficio dissoluat, cuius oppositum argumenta præfata non probant, sed vel procedunt de acceptatione, nõ de petitione, vel de petitione obiecti honesti, à Mago potente licitè, & illicitè maleficium dissoluere. Sed vt res hæc manifestior fiat

Dico primò. Quando constiterit maleficium esse tale, vt sine nouo maleficio, aut auxilio dæmonis dissolui non possit, non licet petere à Mago, etiam indifferenter, & in communi, vt maleficium dissoluat. Probatur: quia in tali casu certè est virtualiter petere vt opus Magicum exerceat: & idem dicendum erit; quando etsi maleficium possit licito modo, & illicito dissolui, Magus is, à quo petitur dissolutio, non scit illud dissoluere, nisi per artem Magicam: quia licèt maleficium secundùm se sit vtroque modo dissolubile, tamen respectu Magi nescientis modum licitum dissoluendi, perinde est, ac si nullo modo esset dissolubile, nisi per dictam artem. Hinc infertur, si destructio maleficij in genere petatur, non à Mago, qui illud fecit, sed ab alio, vel de loco, vbi sunt signa fœderata cum dæmone, nihil nouit, petitio illicita est: nam in tali homine ea petitio, licèt in apparentia verborum indifferens videatur, re vera est petitio maleficij.

Dico secundò. Si constet Magum posse absque maleficio nouo soluere maleficiũ, licitè ab eo postulatur in particulari, vt modo licito, & sine vsu pacti cum dæmone, illud destruat. Patet, quia nulla apparet malitia in huiusmodi petitione. Assertum intelligitur, siue Magus sit paratus ad opera magica, siue non: imò securius id exigitur à nõ parato, quia quod petitur bonum est, & in illo minus est periculi: cùm non supponatur paratus ad artem magicam exercendã.

Dico tertiò. Quando constat Magum licitè, & illicitè posse tollere, & certò vel probabiliter creditur, eum non vsurum in eo dissoluẽdo arte magica, licet ab illo absolutè petere vt maleficium tollat. Patet: quia petitio habet bonum obiectum, & ex parte personæ cessat periculum magiam exercendi.

Dico quartò. Quando petens timet, aut dubitat, vtrùm Magus superstitioso an licito modo sit ablaturus maleficium, licitum est absolutè petere eam dissolutionem. Probatur, quia petitio est de se indifferens, & potest licito modo impleri, & in dubio potius præsumi debet bonum, quàm malum: & quia potens non constituit Magum in morali periculo, de quo ipsi constet. Aduertendum tamen, nos in hoc asserto loqui quãdo dubietas est de futura voluntate hominis: nam si dubium est de potestate, seu scientia, non videtur licere in dubio petere: quia cùm constet eum à quo petitur esse Magũ, & non cõstet illum scire tollere maleficium, sine vsu suæ artis, præsumendum est contra illum: quia vt plurimum illi nesciunt soluere maleficium, nisi per artem suam, vt Autores citati docent: præcipuè, quia qui dubitat an Magus sciat soluere sine male-

maleficio? dubitat an illa diſſolutio poſsit à Mago licitè fieri? id autem, de quo eſt dubium, an licitè fieri poſsit? nec petendum, neque agendum eſt, ſtante dubio.

Dico quintò. Quando petens certus eſt, vel probabiliter credit, Magum potentem licitè, & illicitè ſoluere maleficium, potius per ſuperſtitioſum medium, quàm per licitum eſſe ſoluturum maleficium, poteſt licitè petere abſolutè vt maleficium tollat. *Caietan.* Hoc aſſertum eſt contra Caietanum, qui in opuſculo citato circa finē, oppoſitum expreſſe affirmat. Sed noſtra ſententia probatur argumento tertio cōtra noſtras aſſertiones. Deinde quia ſic poſtulans, petit actum quē Magus licitè præſtare poteſt, & habet ius petēdi, ſicut petens mutuū ab vſurario: ergo non inducit ad malum, nec formaliter moralem præbet occaſionem peccādi, quia vtitur iure ſuo, & per accidēs eſt, quod Magus ſua malitia vſurus ſit: nam ego permitto illam, non autem ſum cauſa eius, vt patet in petente mutuum ab vſurario, & iuramentum ab Ethnico per falſos Deos. Nec vllum, in hac parte, reperio diſcrimen inter petentem mutuum ab vſurario, & iuramentum ab infideli, & inter petētem à Mago maleficij ablationem. Hæc ſententia nō caret patronis: eam tenet Frater Petrus de *Ledeſma.* Ledeſma, de Matrimonio quæſt. 58. dub. 2. *Henricus.* cap. 3. Henricus, lib. 12. de Matrimonio, *Sanctius.* cap. 8. num. 3. & Thomas Sanctius vbi ſu- *Suarez.* pra num. 11. & Suarez, lib. 2. de Superſtitione cap. 18. circa finem. Sed obijcit Caietanus, eam petitionem dirigi ad maleficiū, vt talis artifex eſt, ac ex conſequenti, exigi opus prauum. Negatur antecedēs, quia nō exigitur opus, quod requirat artem maleficialem; ac proinde ea petitio, exvi verborū non dirigitur ad artificem prauum vt ſic, ſed ad illum hominem vt tenetur diſſoluere maleficium: quæ petitio ex natura rei videtur ita intelligenda, etiam ſi abſolutè proponatur. Obijcit ſecūdò. Petitio debet fieri, petendo particulare opus, nō vagè, relinquendo eam in arbitrio praui hominis. Reſpondetur, non eſſe neceſſe, vt expreſſe petatur opus particularizatum, omnibus ſuis circunſtantijs, alias non liceret petere abſolutè mutuum ab vſurario, ſed ſat eſt petere effectum determinatum, qui poſsit licitè ab alio fieri. Equidem concederem libenter Caietano, ſi diſſolutio maleficij, nullius, aut parui momenti eſſet, non licere petere eā à maleficio, v. g. vt maleficiatam beſtiam liberaret, curioſitatis gratia, non neceſsitatis: eo quod cùm non adſit neceſsitas petēdi, neq; petens dicetur vti iure ſuo, atque ex conſequenti, occaſio oblata peccandi meritò imputaretur petenti, ſiue Magus ſit paratus ad Magicum medium, ſiue non.

Ex hac doctrina infertur, in omnibus caſibus, in quibus licet à Mago petere maleficij ablationem, licere etiam iuſsione, minis, ac verberibus leuibus, cogere maleficos vt maleficium ſoluant: quia res quæ exigitur bona eſt, & cogens vtitur iure ſuo erga eum, qui vi abſtulit à maleficiato ſalutē, & tenetur, ac poteſt licitè reſtituere: ſicut licet cogere furem, qui habet mea bona. Dixi verberibus leuibus, quia homo priuatus, non poteſt iure inferre grauia vulnera, vel immodicos cruciatus, id muneris ad iuditē ſpectat.

Supereſt reſpondere ad argumenta, quæ fecimus contra hanc doctrinam. In primo, & ſecundo inquiritur, quando ſit licita acceptatio diſſolutionis maleficij per aliud maleficiū, maleficiato, aut aliquo vice eius nil exigente: & breuiter dicimus, non licere aliquem habere actum poſitiuum acceptationis. Probatur: quia ea acceptatio terminatur ad actum ſuperſtitioſum, inuocatorium dæmonis: ergo nequit honeſta eſſe, quia actus voluntatis, qui non terminatur ad obiectum bonum, nō poteſt eſſe bonus. At verò ſi maleficiatus nō habeat aliquem actum poſitiuum erga illam ſuperſtitioſam ablationem maleficij, ſed merè paſsiuè ſe habeat, tacens, ſperans inde percepturum ſanitatem: non video aliquam malitiam adeſſe. Quare ſi Magus offerat maleficiato maleficij diſſolutionem magicam, & accepet, & ipſe ſuperſtitionis vitio inuoluitur, & multo magis, ſi congratuletur, lætetur, aut gratias agat. At verò, ſi maleficiato nil petente, ſed vidente Magum accingi ad magicam artem exercendam, pro reſtitutione ſanitatis læſæ, taceat, neque obſtet (ſi aliàs non tenetur) non inuoluitur illo crimine, & poterit gaudere de effectu ſubſequuto, poſtquam deſierit eſſe ſub poteſtate dæmonis, & poſtquam deſierit habere dependentiam à dæmone largitore: iuxta modū explicatum in diſputatione proximè præcedenti aſſertione quinta. Hinc patet ad primum, & ſecundum: & ad tertium reſponde tur probare hoc vltimum dictum. Sed caueant omnes iſti, ne per complacentiam, aut aliquo actu poſitiuo, in dæmonum inuocationem ferantur: facilis enim tranſitus eſt ab iſto paſsiuo vſu ad actiuum, vbi citra dubium

bium ſocietas dæmoniaca reperitur. Caueant etiam præfati petitores, quos aliquando ſine crimine à Magis poſtulare diſſolutionem maleficiorum poſſe diximus; ne adhibeant aliquam cooperationem ad maleficium, ſi fortaſſe Magus velit maleficio vti, quod vult media cooperatione petentis, vel maleficiati applicare: talis enim cooperatio nunquam licet, quia determinata eſt ad actum per ſe illicitum: v. g. ſi iubeat hæc vel illa ſuperſtitioſa inquiri, aut applicare.

DISPVTATIO III.

An ſine crimine ſuperſtitionis, & ſocietatis dæmoniacæ liceat deſtruere, vel diſperdere ſigna fœderata inter Magos, & dæmones ad quoſdam effectus faciendos dæmonum opera?

HAec diſputatio originem trahit à præcedentibus: perſæpè enim inter dæmones, & Magos conuenitur, vt certi ritus obſeruentur, quibus extantibus, dæmon cum Magis paciſcitur, vt accurrat, & optatos effectus producat, ſiue propitios ſiue nociuos. Huius rei multa exempla occurrent in articulis huius, & immediatè ſequentis quæſtionis, de amuletis ſuperſtitioſis, imaginibus maleficialibus, aciculis tranſfixis, capillorum glomis, ollis lacertis imbutis, & ſimilibus, partim ad lædendum, quæ maleficia vocantur, partim ad alios effectus. Sed quia in maleficio ligaminis iſthæc præcipuè exercentur: vt ab vno crimine diſcas, inſigne exemplum narrabo, ex Sprengero parte ſecunda mallei quæſtione prima cap. primo: *Comes quidam* (ait Sprengerus) *præclarus genere, Vveſtraſcenſis territorij, in confinibus Argentinenſis diœceſis, iuuenculam ſimili genere præclaram duxit vxorem: quam tamen poſt celebratas nuptias, vſque ad tertium annum carnaliter cognoſcere non poterat, maleficiali impedimento (vt rei probauit euentus) prædeditus. Anxius, & quid ageret ignorans, & ſanctos Deum iugiter interpellans, accidit, vt ad Ciuitatem Metenſem, ob negotiorum quorundam expeditionē, applicaret: in qua, dum per vicos & plateas, ſeruis & familia vallatus incederet, quandam mulierem, quæ ante illos annos concubina ſua fuerat, obuiam habuit: qua viſa, dum ſuper maleficia ſibi illata minimè cogitaret; improuiſè eam blandè, ex antiqua amicitia contracta, alloquitur, & qualiter ſe haberet aut valeret inueſtigat. At illa cernens Comitis pietatem, vice verſa, Comitem de valetudine ſui corporis, & ſtatus, diligenter inueſtigauit. Quo reſpondente, quòd benè & proſperè cuncta ſibi ſuccederent; illa attonita paululum ſiluit: & Comes cernens illam attonitam, amplius verbis blandis eam aggreditur, ad collationem inuitando. At illa, de ſtatu vxoris inueſtigando, ſimile reſponſum accepit: quòd benè in omnibus ſe haberet. Tunc illa an ne pueros generaſſet inquiſiuit. Et Comes: tres mihi, ait, ſunt pueri maſculi: quolibet anno vnum genui. Tunc amplius illa ſtupefacta, paululum ſiluit. Et Comes: rogo te, cariſſima, cur tam diligenter inquiras, indica: nec enim dubito quin meæ fœlicitati congratuleris. Tunc illa: verè congratulor: ſed maledicatur illa vetula, quæ obtulit ſe corpus veſtrum velle maleficiare, vt carnalem actum cum vxore veſtra exercere minimè valeretis: in cuius ſignum, puteus qui eſt in medio Curiæ veſtræ, continet in fundo ollam, certas res maleficiales continentē, quæ ea de cauſa ibidem poſita fuit, vt quamdiu ibidem contineretur, tamdiu coëundi impotentia vobis adeſſet. Sed ecce omnia vana ſunt, de quibus gaudeo, &c. Nec Comes diu diſtulit, ad domum regreſſus, puteum exhauriri fecit, ollam reperit, & cuncta concremando, potentiam illam perditam ſubitò recuperauit.* Hæc Sprengerus. Eiuſdem rei multa ſunt antiqua, & recentia, quæ omitto, quia omnibus peruia ſunt. Quod ſi plura cupis, lege Ioannem Nider lib. vltimo formicarij, & Sprengerum parte 2. quæſtio. prima, cap. 12. *Sprenger.* *Ioani. Nid.*

Quæritur ergo: vtrùm hæc & ſimilia ſigna Magica liceat auferre, vel deſtruere, vt inde opera diaboli deſtruantur, & homines à diaboli infeſtatione liberentur? Et videtur vera pars negatiua: primò, nam ſancti Patres recenſentes remedia contra maleficia dæmonum, & Magorū in cantationem, huius remedij non meminerunt: ergo non eſt licitum: aliàs cùm

tam facilè, & in promptu ſit, commendaſſent illud. Quinimò diuus Hieronymus, in vita ſancti Hylarionis, refert: *Cum virgo à dæmone obſeſſa, ad Hylarionem eſſet delata vt liberaretur, reſpondiſſe dæmonem: exire me cogis, & ligatus ſubier limen tencor? Non exco, niſi me adoleſcens qui tenet, dimiſerit* (vtique ablatis ſignis Magicis) addit verò Hieronymus: *Noluit autem Sanctus, ante quam purgaret virginem, vel adoleſcentem, ſigna iubere perquiri: ne aut ſolitis incantationibus receſſiſſe dæmon videretur, aut ipſe ſermonibus eius fidem accommodaſſe videretur.* En illicitum putauit ſanctus Hieronymus, & pertinens ad incantationes, ea ſigna perquirere & auferre. *Hieron.*

Secundò. Illa demolitio ſignorum Magicorum non eſt cauſa naturalis quare dæmon recedat, vel ceſſet à noxa inferenda: quia ſicut poſitio eorundem non extitit cauſa noxæ; ita neque ablatio erit cauſa ceſſationis. Etenim ſi affirmatio non eſt cauſa affirmationis, neque negatio negationis; neque ad id habet virtutem ſupernaturalem, vt ſupponimus: ergo tantùm habet rationem ſigni: ideſt, ſignificat illam ceſſationem à malo inferendo faciendam, nempè à dæmone: ergo qui illo ſigno vtitur, dæmonis conſortio ſe immiſcet. Confirmatur. Fingamus Magum pepigiſſe cum dæmone, vt permanentibus illis ſignis noceat, & illis ſublatis ceſſet à nocēdo: tunc qui deſtruit ſigna, vtitur ea deſtructione ſignorum, vt ſigno quo mouetur dæmon ad ceſſandū à malo, propter pactū quod fecit ceſſandi, quādo illa ſigna eſſent ſublata: ergo auferens miſcetur pacto illi ſuperſtitioſo, in cuius vi dæmon illam ceſſationem operatur. Antecedens probatur: quia non vtitur vt cauſa, ergo vt ſigno. Conſequentia verò patet, quia vtens ſigno ſuperſtitioſo, ſuperſtitioſus eſt. Quod verò vſus iſte ſit ad faciendum bonum, vel ceſſandum à malo, non excuſat à ſuperſtitione: non enim minus ſuperſtitioſus eſt qui vtitur obſeruationibus, & ſignis ſuperſtitioſis ad fugandum dæmonē, quàm ad conuocandum: quia vterque pacto dæmoniaco nititur.

Tertiò. Licèt diabolus ſe fingat alligatus ſignis, totum hoc fictio eſt; poteſt enim nocere, aut fauere, & his poſitis non ſeruare fidem: eſt enim mendacij pater: ergo fruſtrà tolluntur ſigna vt decedat; ac proinde ea ſpectatio quod nocere deſinet, vana eſt, & debet attribui pacto tacito, in hoc conſiſtente, vt docuimus, quod aſſumatur aliquid ad effectum, ad quem inutile eſt.

Quartò. Nō licet ſperare ſanitatē, aut quoduis aliud bonū de manu dæmonis, neque immediatè, neq; mediatè, quia hoc pertinet ad ſocietatē dæmoniacā: ſed cōtingit ſæpe, per ablationē ſignorum maleficialium reſtitui maleficiato priſtinam ſanitatem, quia pepigerunt Magus & dæmon, vt amotis illis ſignis, non ſolū ceſſaret à malo, ſed etiā reſtitueret valetudinē: ergo ſaltē mediatè id beneficij à dæmone accipitur; quod ad ſocietatē dæmonis ſpectat. Dices cū quibuſdā, nō eſſe illicitūſperare ſalutē à dæmone, mediante ceſſatione à malo: at illicitū eſt ſperare ab eodē, media actione cōcurrente ad ſanitatem.

Cōtra arguitur quintò. Sequitur etiā licere apponere contrariū ſignū, vt pactū dæmoniacum reſcindatur, & conſequenter ceſſet maleficium, ac maleficiatus ſalutē recuperet. Sequela probatur, & declaratur: fingamus ſigna dæmoniaca ad nocendum, fuiſſe priuatiua tantùm: v.g. quādiu Petrus non fuerit lotus in flumine, vel quādiu non abſtinuerit ab eſu carnis ſuillę: vel ſi ſit ſignum ſimul priuatiuū, & poſitiuum, vt quamdiu ex tali loco nō fuerit eruta olla ibi defoſſa, & loco illius poſita fuerit res alia: in his, inquā, & ſimilibus caſibus, ſequitur licere contrariū ſignum apponere. Conſequēs eſt falſum, quia per illud ſignum poſitiuè concurritur ad petendum à dæmone vt ceſſet: ergo. His argumentis, & ſimilibus perſuaſſus quidam Doctor Louanienſis, vt refert Martinus Delrius lib. 6. diſquiſit. magic. cap. 2. ſectione 1. tenet partem negatiuā, & mordicus multi eius diſcipuli. *Delrius.*

Noſtra tamen aſſertio ſit. Licitū eſt, & ſine vllo ſuperſtitionis ſcrupulo, ſigna ſeu inſtrumenta, quibus ſolent vti Magi ad ſua magica opera efficienda, inquirere, & inuenta deſtruere: modò ea deſtructio nō ordinetur per accidens ad aliquod malū. Loquimur enim de intentione, quā opus ipſum de ſe expoſcit, quæ citra dubiū eſt diſſipare opera diaboli, vt ceſſet vel à nocumēto inferēdo, vel ab opere alio efficiēdo. Hæc aſſertio communis eſt omnib⁹ Doctorib⁹ ſcholaſticis, antiquis, & mo-

modernis, præcipuè circa diſtinctionē 34. 4. ſentent. & omnibus Summiſtis, & alijs, quos ferè ſine numero citat Thomas Sanctius de Matrimonio diſputa. 95. in tom. 2. Et probatur. Ea ſignorum demolitio, non includit ſocietatem cum dæmone, neque honorat illum, ſed potius deſtruit motiuū, & ſignum ſocietatis illius, & conatur abolere pactum cum eo initum: ergo licet mihi certè, incantatori huius incantationis verba aduerſum me proferenti obſtruere os; characteres, quibus nocere affectat, delere; mēbranullas reſcindere; cur non & ſigna poſita conculcare, ac proterere? Confirmatur ex praxi, & vſu priorum, & doctiorum, qui ſine vllo ſcrupulo, imò (vt ipſi credunt) cū magno merito, anulos, phialas, ſpecula, & huiuſmodi, vbi dæmones familiares dicuntur incluſi, comminuunt, ac conculcant, amuleta, & imagines Magicas igni tradunt, & id ipſum iubent Magiſtratus Catholici in foro externo, & debent, & iubent facere in foro interno Confeſſarij pij, & docti, non abſoluentes eos, qui illa ſigna nolunt demoliri: maximè ipſos Magos ijs vtentes, & alios, ſecundū quod videbuntur vel lege iuſtitiæ, vel charitatis obligari.

Sanctius.

Ad argumenta in initio poſita reſponde tur. Ad primū, ſanctos Patres non omnes actiones, & remedia approbare, maximè quæ nō ſunt ſanctionibus Eccleſiaſticis, vt diuina, approbata: aliàs omnia morborū remedia naturalia, etiā Magicè illatorū, enumeraſſent; ſatis eſt non damaſſe, & aliunde non probari vt intrinſecè mala: neque teſtimonia allata ex ſacra Scriptura iubente nō declinare ad Ariolos, & Magos, hoc vetant: quia prohibitio illa eſt de acceſſu ad Magos, qua ratione Magi ſunt, ideſt, quatenus Magica opera, & incantationes Magicas exercent, non autem vetatur communicatio in alijs, ſicut cum alijs hominibus: inquirere verò ab eis vt oſtendant, vbi ſunt ſigna maleficiorū, non eſt cōmunicare cum Magicis eorum operibus, quia id aliàs vel aſpectu, vel auditu potuit ſciri, nec inquiſitio illa ordinatur ad aliquid Magicū, ſed potius ad deſtruenda opera Magica. Ad D. Hilarionis factum reſpondetur, non ob id noluiſſe ſanctum virum ſigna perquiri, & aboleri: quia malū de ſe erat, ſed quia ſciebat ſe virtute diuina pollere, ad expellendos dæmones, & ſubiugandos: in quo eijciendi modo, magis diuina virtus relucet, quàm oſtendere coram populo, decuit Sanctum virum. Deinde fortaſſe timuit Hilarion ali

A quod ſcandalum, vt ſignificant illa verba: *Ne ſolitis incātationibus receſsiſſe videretur*: ideſt, ne adſtantes id putarent, & aliquod ſcandalum ſumerent; facile enim crederent non potuiſſe dæmonem expellere inuitum, & non ablatis ſignis: tunc ergo non decebat talem virum, & in tali occaſione, vti illo remedio, quamuis illud per ſe, & ex natura ſua malum non ſit.

Ad ſecundum reſpondetur. Illam ablationem artificij Magici habere rationem ſigni, reſpectu Magi vtentis eo vt ſigno, quòd dæmon, eo ablato, ceſſabit à malo inferendo: at reſpectu eius hominis, qui dumtaxat vult deſtruere motiuum, quo dæmon

B vtebatur ad inferendum malum, propter initum pactum, non eſt ſignum, ſed actio quædā deſtructiua ſigni, ac diſſipatiua fœderis initi: & ideò negatur, quod amouens ea ſigna Magica, vtatur illa amotione, vt ſigno ad excitandum dæmonem, vel exigendum aliquid ab illo, ſiue in vi præcedentis pacti, vel quaſi per nouam precationem. Hæc enim omnia pertinent ad dæmoniacam ſocietatem, quæ non minus illicita eſt ad non agendum, quàm ad agendum: ſed amouens illa ſigna vtitur amotione, vt quodam deſtructiuo ſigni, quod ex fœdere cum dæmone ſolet excitare, & inducere illum ad malefaciendum. Dicit

C Doctor ille Louanienſis: amouere, idem eſt ac ſi diceretur dæmoni: pepigiſti malefacere poſito ſigno, ecce amoueo, igitur ſerua pactum, & ceſſa à malo faciendo. Quin potius, idem eſt ac ſi diceretur, ecce demoliot ſignum fœderis cum Mago, & ex conſequenti ipſum fœdus extinguo, & ſignum quod noxæ inferendæ conſtituiſti ſubruo, ac perdo, non eſt quod noceas, amplius nocere non teneris. Igitur ad argumentum negatur prima conſequentia: quia in caſu noſtro, ea demolitio potius habet rationem deſtructiui pacti cum dæmone. Negatur etiam ſecunda conſequentia: tùm quia non vtitur illa

D ablatione artificij Magici vt ſigno: tùm quia ille vſus eſt poteſtatis humanæ, quam habet homo ad deſtruendum illud artificium, quod nouit eſſe ſignum dæmoniacum ad mala inferendum, parum curans, neque obligatus curare, an dæmon, ſiue peruerſus Magus, eo vtatur vt ſigno.

Ad confirmationem reſpondetur, in eius caſu reperiri quaſi duo pacta: vnum de inferendo malum, quamdiu permanſerit Magicum ſignum: alterum de ceſſando quādo

ablatum fuerit, & quod difficultatem ingerit est, quia destruendo signa, videtur abrumpi primum pactum, sed firmatur secundū. Nihilominus dico: Si homo (præcipuè Magus) cupiens sibi seruari secundum pactum, amoueat signum, certè vtitur illa amotione vt signo, & superstitione dæmoniaca inuolutur. At si pœnitentia ductus, vult pactum suum cum dæmone cessare, & ideò vt rescindatur, proterit, ac destruit signa, quæ sunt pacti vinculum, non quatenus ablatio signorum est signum, sed quatenus est destructio primi pacti, poterit licitè auferre: quia sic non confirmat secundum pactum, sed rescindit primum, non curans de secundo: & idem dicendum de quouis alio homine non Mago: nisi tam amens sit, vt sciens illud duplex pactum, velit destruendo signa, seruari secundum. At verò siue sciens, siue ignorans illud duplex pactum, signa auferat, sperans dæmonem cessaturū à nocendo, nullo modo se immiscet aut cooperatur Magorum pacto: non primo, quia iuxta illud non operatur: non secundo, quia de illo non curat, sed vult facto suo destruere primum: quod verò dæmon recedat ex pacto, ipsi non imputatur, sed vtitur beneficio subsequuto.

Ad tertium respondetur negando primā consequentiam: quia licèt non teneatur dæmon ligatus signis, & licèt sit mendacij pater, regulariter seruat sua pacta, vt sic melius decipiat homines, præcipuè Magos clientulos suos, quos paucos, vel nullos haberet, si fidem sæpe frangeret. Negatur etiam secūda consequentia: quia qui destruit signum, parum curat vtrùm dæmon teneatur, vel nō; sed dumtaxat intendit fugare illum, tollendo motiuum, quo excitari solet.

Ad quartum respondetur, nō licere velle sanitatem ex manu dæmonis, quia hoc intrinsecè malum est: licet tamen desiderare vt dæmon non habeat vnde specialiter moueatur ad nocendum: & ad hunc finem assequendum potest licitè destruere signa dæmoniaca: quod sine vllo pacto valet effi cere. Si verò illis sublatis, dæmon non solùm cessat à malo, sed etiam operatur aliquid ad sanitatem restituendam, per accidens est. Etenim id faciet malitia sua: & quia vult in suis promissis se veracem ostendere, non tamen facit prouocatus ab eo qui demolitus est signa, qui tunc habet se dumtaxat vt permittens illam dæmonis operationem, non vt cooperans ad eam, neque rogans, aut honorans dæmonem, sed potius abolens pactum eius quantum in se est. Quod si pergat molestus argumentator dicens, negari non posse, sanitatem saltem mediatè expectari à dæmone, sicut à cessante inferre cladem: respondetur, concedendo sanitatem expectari futuram, non à positiua dæmonis actione, sed à priuatione actionis eius. At hoc non est, à dæmone sperare aliquod bonum, sicut à dæmone cessante tentare, non speratur profectus vir tutum', & à vipera cessante mordere non speratur incolumitas; sed à faciente cessare: & in nostro casu, ab homine destruente signa Magica, tanquam à causa morali speratur sanitas.

Ex dictis colligitur, non esse damnandam consuetudinem iudicum, qui metuentes, ne aliquo Magico medio lamiæ, aut Magi in tortura politi, sic indurentur, vt nequeant compelli ad fatendum crimina sua, faciunt eas suis vestibus exspoliari, & pillos corporis abradi, quia sæpe in his maleficia abscondunt. Imo aliquando compertum est, sub axilla inter carnem, & cutem, assutum fuisse maleficium, inducens taciturnitatem. Non inquam est improbanda hæc consuetudo, seruatis tamen honestatis circunstantijs: quia hoc tantùm est ad destructionem maleficij conari: imò & alios Magos conuocare licet, vt sine vlla incantatione, aut superstitione ostendant, si sciant vbi huiusmodi maleficij signa latitēt: quid quid in oppositum metuat Sprengerus parte 3. quæstione 15. Sed non est cur timeatur superstitio vlla, vt benè adnotauit Syluester de strigimagis, lib. 3. capit. 3. puncto 10. *Sprengerus* *Syluester.*

In vltimo argumento tangitur quædam difficultas decisione digna, vtrùm liceat signa Magica siue maleficiorum, siue incātamentorū, per alia signa Magica positiua destruere, aut auferre? Et videtur vera pars negatiua. Primò quia hoc esset maleficium maleficio, incantationem incantatione dissoluere. Confirmatur: quia non licet vti signo Magico, vt dæmon cesset à malefaciendo, hoc enim esset eum inuocare: ergo neque licebit vt artificium Magicum destruatur. Secundò. Actio positiua quam dæmon elegit ad signa Magica euertenda, v.g. lauari in flumine, nullam habet efficaciam naturalem, vel supernaturalem ad illum effectum, sed tantùm rationem signi fœderati inter Magum, & dæmonem: ergo illa vtens ad illum effectum, cooperatur dæmoni, vtēs signo dæmoniaco. Et ex hoc apparet

paret manifeſtum diſcrimen inter puram ablationem ſigni, quæ non eſt ſignum Magicum, & inter actionem poſitiuam electam à dæmone, ad alia priora ſigna deſtruenda: nam pura ablatio de ſe eſt deſtructiua Magicorum ſignorum, actio verò poſitiua à dæmone inuenta, non itidem. Tertio, illa actio poſitiua ſit ex præſcripto, & ordinatione dæmonis, manifeſtantis per ſe vel per Magum, ſe eam conſtituiſſe in ſignum euerſionis priorum ſignorum Magicorum: aliàs homo non vteretur ea ad illum effectum, niſi amens eſſet: quis enim vteretur lotione in flumine ad diſsipanda ſigna Magica, niſi ſciret dæmonem promiſiſſe, ſe ea mediante ſigna illa euerturum? ergo cooperatur Magico præſcripto, & ordinationi. Quarto ſequitur pari ratione, licere adhibere quædam ſigna poſitiua, à dæmone inuenta, ad fugauda mala, ab eodem, vel ab alio malo dæmone inferenda. Explicatur, & probatur ſequela. Fingamus dæmonem magnarum virium pepigiſſe cum Mago, vt quicumque deferret amuletum ad collum appenſum, ex quibuſdam rebus inutilibus ad finem intentum, immunis eſſet ab omni infeſtatione dæmoniaca, ab omni malo illato, vel inferendo per incantationes alias. Certè qui hoc amuleto vteretur, eſſet apertè ſuperſtitioſus: quia illa poſitio ſigni eſſet cooperatio ad dæmonis actionem, & pactum. Talis vſus fuit frequens apud Magos, qui vna incantatione aliam diſſoluebant, & præcipua pars artis Magicæ, in diſſoluendis incantamentis, ideſt, ſignis Magicis per ſigna poſitiua, verſabatur, vt narrant Hiſtoriæ fide dignæ, præcipuè de lamijs, & Magis, qui ex pacto cum dæmone fortiore, certa ſigna dæmonis imbecillioris retũderunt.

Pro declaratione veritatis præmittendũ eſt. Primò in preſentiarũ non controuerti, an per actionem, quæ non ſit ſignum Magicum, liceat ſigna Magica deſtruere, ac demoliri? certa enim eſt pars affirmatiua, vt nuper dicebamus. Sed eſt dubitatio, an per ſignum Magicum liceat alia magica ſigna deſtruere, aut auferre? Secundò nota, actiones inter Magum, & dæmonem conuentas ad deſtruenda alia ſigna magica, eſſe in duplici differẽtia. Quædam habent oppoſitionem, aut naturalem incompoſsibilitatem cum Magicis ſignis præexiſtentibus, cuiuſmodi ſunt illæ, quæ per affirmationem opponuntur ſignis priuatiuis, v.g. ſi ſigna data à dæmone ad malefaciendum ſint, quamdiu iſte homo non fuerit lotus, vexabitur, impotens erit, quamdiu feneſtra non fuerit clauſa, tempeſtates erunt. tũc palam eſt actiones poſituras, oppoſitas prioribus ſignis, habere naturalem cõtrarietatem, aut incompoſsibilitatẽ cum prioribus illis ſignis priuatiuis, & eſſe ſimul ſigna Magica fœderata ad ceſſandum à malis prædictis. Aliæ verò actiones ſunt fœderatæ quidem ad deſtruenda ſigna priora magica, ſed non habentes naturalẽ contrarietatẽ aut incompoſsibilitatem cum illis: ſed eum effectum poſsidentes ex fœdere inter Magos, & dæmones. Huiuſmodi multæ extitêre apud Ethnicos: ſolẽnis fuit geſtatio anuli, qui Gigis dicebatur, cuius meminit Plato, li. 2. de Repub. & Cicero 3. de officijs, qui anulus inter cætera hoc habebat, vt geſtatus omnia ſigna Magica, & incantamenta diſſoluebat. Huiuſmodi etiam multa ſigna Magica ſunt apud fagas, & maleficos. *Plato. Cicero.*

His animaduerſis, dico primò. Crimen ſuperſtitionis dæmoniacæ eſt deſtruere, aut abolere ſigna Magica, per actiones Magicas non habentes contrarietatem, aut oppoſitionem naturalem cum illis ſignis: quia hoc eſt maleficium maleficio diſſoluere. Hoc dictum probant argumenta nuper allata in principio difficultatis circa hoc vltimum argumentum.

Dico ſecũdò. Nullum eſt peccatũ ſuperſtitionis diſſoluere, aut auferre ſigna Magica per actiones, quæ naturalem habent oppoſitionem cum ſignis delendis, quamuis & ipſæ actiones ſint ſigna Magica conuenta inter dæmones & Magos, ſi tamen delẽs non habeat intentionem poſitiuam vtendi iis actibus vt ſignis, vel vt dæmon ceſſet à malo, aut largiatur bonum: ſed dumtaxat tollendi, & deſtruendi ſigna priora, quid quid effectus inde ſubſequatur. Probatur aſſertio: quia actiones eæ poſitiuæ habent natura ſua incompoſsibilitatem cum ſignis prioribus, ſicut affirmatio cum ſua negatione oppoſita: ergo vtens illis ad eum finem nullam ſuperſtitionem committit, ſicut neque ille qui proterit, & conculcat ſigna Magica. Etenim qui vtitur aliqua re ad effectum, quem naturaliter præſtare poteſt, non eſt dicendus ſuperſtitioſus. Hoc dictum confirmant Leonardus Leſius lib. 2. de iuſtitia, capit. 44. dub. 10. in vltima aſſertione, & Franciſcus Suarez ipſum ſequutus lib. ſecundo de ſuperſtitione, capite. 17. & citat pro hac ſententia *Leſius. Suarez.*

Sylueſtrum verbo maleficium quæſt. 9. Sed hoc non dicit Sylueſter. Citat etiam Hoſtiē ſem in cap. literæ. §. mulieres, de frigidis, & maleficiatis. Sed aduertendum, non mediocre parari periculum ſuperſtitionis, in vſu iſtarum poſitiuarum actionum, quæ ſimul ſigna Magica ſunt, tùm propter facilem tranſitum ab vſu earum, vt naturaliter diſſipant ſigna priora, ad vſum earūdem, vt ſunt ſigna Magica: tùm quia prima facie apparebit, deſtrui vnum maleficium alio maleficio: tùm etiā quia prætextu præfati vſus, datur occaſio Magis, & maleficis, vtendi mille ſuperſtitionibus. Dicent enim, ſe ijs vti vt actiones deſtructiuæ ſunt ſignorum Magicorum.

Ad argumenta poſita initio difficultatis, quatenus militant contra hoc dictum, negatur ad primum, hoc eſſe maleficium maleficio diſſoluere: quia licèt diſſoluatur per actionem quæ Magicum ſignum eſt, non tamen vtimur eo, vt tale eſt, ſed vt actio incompoſsibilis naturaliter cum prioribus ſignis priuatiuis. Idem dicito ad confirmationem, quæ ſimul cum argumento probat efficaciter primum dictum. Ad ſecundum, & tertium ſimiliter. Cætera verò argumenta non indigent ſolutione, quia procedunt de actionibus, quæ non ſunt incompoſsiles cum alijs ſignis Magicis, & tamen datæ ſunt in ſignum abolitionis priorum ſignorum Magicorū, quæ abolere per eas actiones, ſuperſtitioſum eſt, & indigens ope dæmonum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm diuinatio, quæ fit per aſtra, ſit illicita?

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd diuinatio quæ fit per aſtra, nō ſit illicita. Licitum eſt enim ex conſideratione cauſarum prænuntiare effectus, ſicut Medici ex diſpoſitione ægritudinis prę nuntiant mortem. Sed corpora cœleſtia ſunt cauſa eorum, quæ A fiunt in hoc mundo, vt etiam Dion. dicit. 4. c. de Diui. nomi. ergo diuinatio, quæfit per aſtra, non eſt illicita.

2 ¶ Præterea. Scientia humana ex experimentis originē ſumit, vt patet per Philoſophum in 1. Metaph. Sed per multa experimenta aliqui comperierunt, ex conſideratione ſyderum aliqua futura poſſe prænoſci: ergo non B videtur eſſe illicitum tali diuinatione vti. *Lib. 1. c. 1. non longè à prin. to. 3.*

3 ¶ Præterea. Diuinatio dicitur eſſe illicita in quātum innititur pacto cū dæmonibus inito. Sed hoc non fit in diuinatione, quæ fit per aſtra, ſed ſolùm conſideratur diſpoſitio creaturarū Dei: ergo videtur quòd huiuſmodi diuinatio non ſit illicita.

¶ SED CONTRA eſt, quòd C Aug. dicit in 4. confeſ. illos Planetarios, quos Mathematicos vocant, conſulere non deſiſtebant, quaſi nullum eſſet ſacrificium, & nullæ preces ad aliquē ſpiritum ob diuinationē dirigerentur, quod tamen Chriſtiana, & vera pietas expellit, & dānat. *Lib. 4. c. 3. in prin. to. 1*

¶ RESPONDEO dicendum D quòd ſicut dictū eſt, diuinationi, quæ ex opinione falſa, vel vana procedit, ingerit ſe operatio dæmonis vt hominum animos implicet vanitati, aut falſitati. Vana autem aut falſa opinione vtitur ſiquis ex conſideratione ſtellarum futura velit præcognoſcere, quę per ea pręcognoſci non *Art. 1. & 2*

non possunt. Est ergo considerandum quid per cœlestiũ corporum inspectionem, de futuris possit præcognosci. Et de his quidé, quæ ex necessitate eueniunt, manifestum est, quòd per considerationé stellarũ possunt præcognosci, sicut Astrologi prænuntiant eclipses futuras. Circa præcognitionem verò futurorum euentuum ex cõsideratione stellarũ, diuersi diuersa dixerunt. Fuerũt enim qui dicerẽt, quòd stellæ potius significant, quã faciãt ea, quæ ex earum cõsideratione prænuntiantur. Sed hoc irrationabiliter dicitur. Omne enim corporale signũ vel est effectus eius cuius est signũ, sicut fum⁹ significat ignẽ à quo causatur: vel procedit ab eadẽ causa: & sic dum designat causã per consequens significat effectum, sicut Iris quandoq; significat serenitatẽ, in quãtum causa eius est causa serenitatis. Nõ potest autem dici, quòd dispositiones cœlestium corporum, & motus, sint effectus futurorum euentuum, nec iterum possunt reduci in aliquã superiorẽ causam cõmunem, quæ sit corporalis. Possunt autem reduci in vnam causam cõmunem, quæ est prouidentia diuina. Sed alia ratione disponuntur à diuina prouidentia motus, & situs cœlestium corporum, & alia ratione euentus contingentium futurorum, quia illa disponuntur

A secundùm rationẽ necessitatis: vt semper, & eodẽ modo proueniant, hæc autẽ secũdũ rationẽ cõtingentiæ, vt variabiliter cõtingant. Vnde nõ potest esse, q; ex inspectione syderũ accipiatur præcognitio futurorũ, nisi sicut ex causis præcognoscũtur effectus. Duplices autẽ effectus subtrahuntur causalitati cœlestium corporum. Primò quidẽ

B omnes effectus per accidens cõtingẽtes, siue in rebus humanis, siue in rebus naturalibus, quia vt probatur in 6. Metaphy. ens per accidens nõ habet causam, & præcipuè naturalẽ, cuiusmodi est virtus cœlestium corporũ quia quod per accidens fit, neq; est ens propriè, neq; vnum, sicut quòd lapide cadente fiat terræ motus, vel quòd homine fodiẽte sepulchrũ inueniatur thesaurus. Hæc enim, & huiusmodi non sunt simpliciter vnum, sed simpliciter multa. Operatio autẽ naturę semper terminatur ad aliquid vnum sicut, & procedit ab vno principio, quod est forma rei naturalis. Secundò autẽ subtrahuntur causalitati cœlestium corporũ actus liberi arbitrij, quod est facultas voluntatis, & rationis. Intellectus enim, siue ratio, non est corpus, nec actus organi corporei, & per cõsequẽs nec voluntas, quæ est in ratione, vt patet per Philosophum in 3. de Anima. Nullum autẽ corpus potest imprimere

Li. 6. text. 45. & 6. t. 3

Li. 3. text. 42. tom. 2.

in rem corporeã. Vnde impoſſi A modi, nõ erit illicita diuinatio,
bile eſt, quòd corpora cœleſtia nec ſuperſtitioſa. Et ſecundùm
directè imprimãt in intellectũ, hoc patet reſpõſio ad primum.
& voluntatem. Hoc enim eſſet ponere intellectum non differre à ſenſu, quòd Ariſt. in lib. de Anima, imponit his qui dicebãt quòd talis volũtas eſt in hominibus, qualẽ in die inducit patervirorũ, deorũq; ſcilicet ſolvel cœlum. Vnde corpora cœleſtia nõ poſſunt eſſe per ſe cauſa operationũ liberi arbitrij. Poſsũt tamẽ ad hocdiſpoſitiuè inclinare, in quãtũ imprimunt in corpus humanum, & per cõſequens in vires ſenſitiuas, quæ ſunt actus corporaliũ organorum, quæ inclinãt ad humanus actus. Quia tamen vires ſenſitiuæ obediunt rationi, vt patet per Philoſophũ in 3. de Anima, & 1. Ethic. nulla neceſſitas ex hoc libero arbitrio imponitur, ſed cõtra inclinationem cœleſtiũ corporum homo poteſt per rationem operari. Si quis ergo cõſideratione aſtrorũ vtatur ad præcognoſcendos futuros caſuales, vel fortuitos euẽtus, aut etiã ad cognoſcendum per certitudinẽ futura opera hominũ, procedit hoc ex falſa, & vana opinione. Et ſic operatio D dæmonis ſe immiſcet. vnde erit diuinatio ſuperſtitioſa, & illicita. Si verò aliquis vtatur cõſiderationeaſtrorũ ad præcognoſcendũ futura, quæ ex cœleſtib⁹ cauſantur corporibus, putà ſiccitates, & pluuias, & alia huiuſ-

Lib.2.text. 159.tom.2.

Li.1.Ethi. c.vl.t.5.li. 3.de Anmatext.42. & 47.to.2.

B

C

modi, nõ erit illicita diuinatio, nec ſuperſtitioſa. Et ſecundùm hoc patet reſpõſio ad primum.

¶ AD SECVNDVM dicẽdum, quòd hoc quòd Aſtrologi ex cõſideratione aſtrorum frequẽter vera prænũtiãt, cõtingit dupliciter. Vno quidẽ modo, quia plures hominum paſſiones corporales ſequũtur. Et ideò actus eorum diſponuntur, vt in pluribus, ſecundum inclinationem cœleſtiũ corporum. Pauci autẽ ſunt, ideſt ſoli ſapiẽtes, qui rarione huiuſmodi inclinationes moderentur. Et ideò Aſtrologi in multis vera prænũtiãt, & præcipuè in communibus euẽtibus, qui dependent ex multitudine. Alio modo propter dæmones ſe immiſcentes. Vnde Aug. in 2. ſuper Gen. ad literã dicit. Fatendum eſt, quando à mathematicis vera dicuntur, inſtinctu quodã occultiſſimo dici, quem neſciẽtes humanæ mẽtes, patiuntur: quod tamen ad decipiẽdos homines fit ſpirituum immundorum, & ſeductorũ operatione, qui quædã vera de tẽporalibus rebus noſſe permittuntur. Vnde concludit: Quapropter bono Chriſtiano, ſiue Mathematici, ſiue quilibet impiè diuinantium, & maximè dicentes vera, cauendi ſunt, ne conſortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam ſocietatis irretiant. Et per hoc patet reſponſio ad tertium.

Li.2.ca.17 nõ procul à fin.tom.2.

Eodẽ c.17. in fin.to.3.

Summa

Summa Articuli.

PRima conclusio. Si quis consideratione Astrorum vtatur ad cognoscendos (per certitudinem scilicet) futuros casuales, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognoscendū per certitudinem futura opera hominum; procedit hoc ex falsa, & vana opinione, & sic operatio dæmonis se immiscet: vnde erit diuinatio superstitiosa, & illicita. Probatur prima pars: quia causalitati corporum cœlestium, re vera substrahuntur effectus omnes per accidens contingentes, etiam in naturalibus, & actus liberi arbitrij: ergo qui conatur præcognoscere, vt ex causis; falsæ opinioni, aut vanæ innititur: nam putat rem præcognoscere, vnde præcognosci non potest. Secunda pars, scilicet huic diuinationi procedēti ex vana, aut falsa opinione, dæmonem se immiscere, patet ex dictis à D. Thom. in secundo articulo, & à nobis latè: ex quo etiā palam fit tertia conclusionis pars.

Secunda conclusio. Si aliquis vtatur cōsideratione Astrorum, ad præcognoscendum futura, quæ ex cœlestibus causantur corporibus, putà siccitatem, pluuias, & alia huiusmodi; non erit illicita diuinatio, neque superstitiosa. Probatur: quia cognoscere effectus ex causa sua, non est illicitum, neque superstitiosum.

Iamdiù, antequam stylum admouerem huius articuli dilucidationi, arma exacueram ad profligandos quosdam Astrologimagos nostri temporis, qui ex reliquijs veterum impiorum Astronomorum pullularunt: posteà verò animaduertens, aliquos modernos fœliciter huic negotio insudasse, præcipuè Ioannem Picum Mirandulanū in opusculo erudito, & prolixo, quod in duodecim libros diuisit, & post illum Benedictum Pererium toto integro tertio libro de Magia, velas expansas complicui, ac decreui methodo scholastica, nec admodum breui nec nimis spatiosa, mea huic articulo D. Thom. commentaria affigere, in tam vberi campo potiora ex antiquis eligēdo; ex modernis subtiliora; ex nostratibus, præcipuè ex facto Doctore solidiora, addendo insuper quæ Deus mihi isthæc meditanti suggesserit.

In primis tamen, pro fundamento eorū, quæ dicenda sunt, animaduertendum reor, duplicem esse Astrologiam: vnam quę versatur circa naturam cœlorum, syderum, &

A Astrorum explorandam, & passiones, ac motus eorum: vt gr. numerum cœlorum, eorum varios motus, stationes, retrogradationes, aspectus, coniunctiones, oppositiones, & similia; quæ non in futurum prædicuntur, sed in ipsis Astris facta conspiciuntur, aut cōiectantur. Hanc, & illam, quæ iudicat de merè naturalibus effectibus, Astronomiam vocant, & vera scientia est: habetque sua principia, à quibus conclusiones infert, & demonstrat. Altera Astrologia est, quæ iudiciaria dicitur, eo quod futuros aliquos euentus, ex Astrorum, syderum, aut cœlorum motibus, ac positione prænoscit, &
B prædicit, antequam fiant. Hæc autem Astrologia subdiuiditur, iuxta diuersitatem affectuum, aut euentuum, in quibus prænoscendis, & prædicendis versatur: nā quidam effectus naturales sunt, qui à sola influentia cœlestium corporum necessariò dimanant, vt Lunæ, aut Solis eclipsis, motus cœlorum, & similia: & de his Astrologia licitè, & rectè dijudicat, non minus quā de natura corporum cœlestium. Probatur. Quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci: sed illi effectus habent necessariam connexionem cum causa, videlicet cum Astrorum, & Stellarum situ: ergo ex agnitione
C illius causæ, possunt infallibiliter prænosci, ac prædici: & de hac parte Astrologiæ iudiciariæ, quæ Astronomica etiam dicitur, non est nobis disputatio in præsentiarum: cui laudabiliter insudarunt veteres Philosophi, & modò multi moderni: estque vera pars Philosophiæ naturalis. Alij verò effectus sunt, qui non habent necessariam connexionem cum Astrorum, aut aliorū corporum cœlestium positura, & situ, & hi sunt in multiplici differentia. Quidam proueniunt (vt omnes communiter fatentur) ex syderum, & Astrorum positione, sed non ex ea sola; debet enim adiungi mixtio, aut variatio elementorum: huiusmodi sunt pluD uiæ in Hyeme, in Aestate siccitas, &c. Alij sunt effectus per accidēs, id est, casuales, & fortuiti, vel merè naturales, vt quod occidatur bos à monte cadente: aut mixti ex naturali, & libero, vt inuentio thesauri à fodiente sepulchrum. Alij sunt omninò liberi, quorum homo dominus est, quia à voluntate libera procedunt.

Iuxta diuersitatē horum effectuum, variæ distinguuntur partes Astrologiæ iudiciariæ. Prima, quæ iudicat de pluuijs, siccitatibus, alluuionibus, de caritate, aut vberta te annonæ, de morbis, peste, & alijs ad præ-

dicta consequentibus. Secunda, quæ iudicat de rebus insignioribus, quæ sub orbe Lunæ eueniunt, putà de legum mutatione, aut fundatione, de euersione, aut stabilimẽto Regnorum, de bellorum successibus, & huiusmodi. Tertia, quæ inspecto horoscopo cuiusque, id est, horâ natiuitatis, & ea collocatâ ad syderum, & cæterorum corporum cœlestium posituram, & faciem, iudicat de complexione nascentis, de statu, fama, honoribus, dignitatibus, officijs, diuitijs, paupertate, nuptijs, sobole, inimicitijs, direptionibus, furtis, morbis, morte, ac denique de omnibus eius fortunis, aut infortunijs. Et circa hanc partem præcipuè se exercuerunt Astrologi antiqui, & moderni. Quarta, quæ vocatur Astrologia auspicationum, seu electionum, putà, quid in singulis agendum sit, aut omittendum, capta cognitione ex Astrorum habitudine: quãdo ædificandum, nauigandum, æquitandum: denique quando, & quibus locis singula facienda, vt fœliciter cedant. Huic parti adiungo artem diuinandi de rebus furto sublatis, quo in loco absconsæ, à quo ablatæ, & similia: quæ licet in rerũ natura sint præsentes, nobis tamẽ ignotæ. Quinta, quæ versatur circa fabricãdas imagines Astronomicas: de quo in quæstione seq. cũ sancto Doctore.

Autores, qui has partes tuentur, quidã omnes, quidã dumtaxat quasdã; multi extiterunt antiquitus. Chaldæi dicũtur inuẽtores fuisse, & inde ad Babylonios ars hęc diuinatiua trãslata est, retẽta re, & appellatione apud Chaldæos: sic enim appellati sunt æuo illo antiquo, huius artis professores, vt videre licet Dan. 2. & apud Iuuenal. saty. 6. & Aulũ Gel. noct. Attic. c. 9. Hos Chaldæos sequuti sunt alij Græci, & Latini, & potissimè Arabes, & Hebræi, ac demum multi Christiani superstitioni dediti: sed qui Chaldæi vocabantur à veteribus postea Genethliaci, Mathematici, & Planetarij appellati sunt: modò verò cõmuniter Astrologi vocantur, quorum princeps extitit Ptholomæus, sequũtur Albumazar, & Haly Abengazel Arabes; deinde Maternus, & alij moderni, Iulius Gauricus, Leouicius, Cardanus, Bellancinus, Ioãnes Stalius, Iunctinus, Nostradamus, & huius farinæ alij.

His positis, pro decisione sit prima assertio. Prima pars Astrologiæ iudiciariæ, quæ de euentibus corporalibus, ac naturalibus, qui vt plurimũ ab Astris proueniunt, differit, licita, & laudabilis est. Ita D. Th. in 2. cõclus. & prob. quia ista hæc Astrologia de his quæ frequẽter euenerũt, peritiã coniectandi sumit de futuris; hacque vtiliter vtuntur nautę, agricolæ, pastores, & huiusmodi, qui ex Lunę, & Solis vario colore, aut moribus, crescentia, aut decrescentia, prędicũt probabiliter vẽtorũ, pluuiarũ, serenitatis, & huiusmodi vicissitudines, tẽpestatum euẽtus, qui vt plurimũ eueniunt, aliquãdo tamen ob peculiares causas impediuntur: & propterea tãtũ, vt plurimũ futuri enuntiari debẽt. Multa de his scripsêre Aratus, Cicero, Virgil. & alij. Ad hoc reducitur prædictio caritatis annonæ, morborum, & huiusmodi. *Aratus. Cicero. Virgil.*

Secunda assertio. Secũda pars iudiciariæ Astrologiæ, quæ versatur circa effectus merè contingentes, & qui per accidens dicuntur, seu casuales, aut fortuiti circa res præsentes, vel præteritas, sed occultas, vt furta, adulteria, &c. & circa actus humanos liberi arbitrij, dãnata est multis irrefragabilibus testimonijs Isa. 47. ad populũ Hebræũ, qui Astrologos iudiciarios cõsulebat, Deus cõminatur per Prophetam: *Defecisti* (inquit) *in multitudine consiliorũ tuorũ, stent, & saluẽt te augures cœli* (Septuag. *Astrologi cœli*) *qui contẽplabantur sydera, & supputabant mẽses, vt ex eis annuntiarẽt uentura tibi: ecce facti sunt quasi stipula, &c.* Et c. 44. *Ego sum Dominus irrita faciens signa diuinorũ, & ariolos in furorẽ vertens: cõuertens sapientes retrorsũ, & scientiã eorũ stultam faciens.* Et Hiere. 10 *Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gẽtes: quia leges populorũ vanæ sunt.* Et illud quod narrat D. Luc. Actor. 19. eos qui prædicatione D. Pauli cõuersi fuerant ad fidẽ, postquam per multos annos fuerãt curiosa tectati, attulisse libros suos, & coram omnibus cõbussisse: fuisse autẽ eos libros de rebus ad Astrologiã iudiciariã pertinentibus, ait D. Aug. in enarra. Psalm. 61. Secundò probatur assertio testimonijs vtriusque iuris: satis sit loca indicasse. c. illud. c. illos. c. sed illud. 26. quæst. 2. c. igitur. 26. quæst. 3. & c. non liceat. 26. q. 5. c. 2. de sortileg. & Concilium Bracarense primum, cap. 9. & 10. & in Toletano primo in assertione fidei contra Priscillian. & demum omnes iuris periti super indicatos Textus, & leges: Index Concilij Tridẽt. librorum damnatorum, regula 6. & Sixtus Quintus in Bulla contra Astrologos (cuius tenorẽ, fortè inferius, pro his qui carẽt Bullario apponam) & in iure Ciuili dãnata est Astrologia iudiciaria l. 2. C. de malefic. & Mathemat. l. Mathemat. C. de Episc. aud. in quibus ars interdicitur, Codices incẽdio depu- *Isaiæ. 47. Isaiæ. 44. Hiere. 10. Actor. 19. August.*

deputantur, vtentes exilio condemnantur, & aliquando mortis supplicio, vt l. 5. C. *de Malefic. & Mathematicis*. Tertiò probatur ex Patribus, Basil. homil. 6. in Genesim, & sermone in principio Prouerb. Chrysosto. in caput secundum Matthæi, Ambros. li. 4. Exameron, cap. 4. August. lib. 2. de Genes. ad literam, cap. 17. & lib. 2. de Doctri. Chri. cap. 21. & lib. 1. de Ciuit. Dei per aliquot capita, & concione in Psalm. 61. Gregor. homil. 10. super Euangelia. Videndus est Eusebius lib. 6 de præparat. Euangelica, ferè per totam. Quartò probatur ex Doctoribus Scholasticis, D. Thom. in hoc articulo, & eum sequuntur omnes eius discipuli: Bonauentura in Centiloquio, D. Antoni. 2. p. tit. 12. cap. 1. §. 6. Tarantasia, Ricardus, Palude, Gabriel, Maior. in 4. sententi. Guillielmus Parisiensis tracta. de legibus, & præcipuè Ioannes Picus Mirandulan. Comes, & eius nepos Franciscus Picus lib. 5. de prænotio. contra Bellancinum, patruelis sui libros defendens, Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide, cap. 2. & Pererius in opusculo de Magia, lib. 3. Sed vt verum fatear, omnes diligentia Pici Mirandulani vsi sumus. Mitto veteres irridentes hanc partem, Philosophos, & Medicos, Bardesanum Syrum, & Diogemanum apud Eusebium lib. 6. historiæ, cap. 6. & 7. Et Aulus Gelius lib. 14. noctium Atticarū, cap. 1. refert elegantem orationem Faborini Philosophi contra Astrologos, recitatam coram populo Romano, Cicer. lib. 2. de diuinatione ex Neotericis, Trapezuntium, & Franciscum Valesium de sacra Philosophia, cap. 31. & alios quamplures. Sed iam iam aduersus Astrologos rationibus agamus: ne dicant se obrui testimonijs eorū, qui Astrologiam oderunt, quia ignorarunt.

Basilius. *Chrysost.* *Ambros.* *August.* *Gregor.* *Eusebius.* *D. Thom.* *Bonauent.* *D. Anton.* *Tarantas.* *Ricar.* *Palu.* *Gabriel.* *Maior.* *Guillielm.* *Ioan. Picus Mirand.* *Franc. Pic.* *Medina.* *Pererius.* *Eusebius.* *Aul. Gel.*

Tertia assertio. Hæc Astrologia, quam diuinatricem, aut iudiciariam appellāt, pugnat cum Philosophiæ principijs: & ideò reijcienda à sapientibus. Hæc assertio nullo melius ostendi potest, quàm ratione D. Thom. in hoc articulo: supponendo tamen ex eiusdem sancti Doctoris doctrina, Astrologos istos iudiciarios, qui ex consideratione situs, & positura syderum, ac Astrorum, conantur effectus merè contingentes prædicere, esse in duplici differentia: quosdam asserentes, Astra, ac sydera, & eorum positiones, esse causas effectrices omnium rerum sublunarium, pro varietate tamē positionis, & situs, variarum. Ita sensêre ferè omnes veteres Astrologi, quorū numerosam turbam superius retulimus. Alij verò aiunt, Astra, & syderum posituram, non esse causas futurorum euentuum, sed signa dumtaxat. Horum autorum meminit D. August. lib. 5. de Ciuit. cap. 1. & his annumeratur Origenes super Gen. (vt refert Eusebius lib. 6. de præparatione, ca. 9.) qui exponens illa verba Genes. cap. 1. *Et erunt in signa*, ait Astra esse à Deo posita in cœlo, vt per varios aspectus, & coniunctiones, prasignificarent quæ consequentibus temporibus, tùm vniuersè, tùm singillatim euentura essent: non tamen ea efficerent. Itaq; cœlum esse dixit instar cuiusdam libri, in quo Deus descripsit quæcunque in toto mundani æui discursu, suo quęque tempore futura sunt. Plotinus idem sensit in libello de hac re, & de fato, cap. 6. Et hanc sententiam extumulauit Iulius Serenus lib. 9. de fato, cap. 45. & Petrus de Aliaco multis in locis, citandus inferius.

August. *Origenes.* *Eusebius.* *Plotinus.* *Iul. Seren.* *Petr. de Aliaco.*

Contra priores insurgit D. Thom. in hoc articulo, conclusione prima, excipiēs à causalitate cœlestium corporum omnes effectus per accidens contingentes, siue in rebus naturalibus, siue in artificialibus: verbi gratia: quod homine fodiente sepulchrum, inueniatur thesaurus, quòd lapide cadente fiat terræ motus. Item subtrahuntur causalitati corporum cœlestium, omnes actus liberi arbitrij, id est, actus voluntatis, & rationis. Et quidem de actibus istis liberis probatur à D. Thom. nam nullū corpus potest imprimere, aut quoquo modo physicè mouere rem incorpoream: intellectus autem, & voluntas, neq; sunt corpus, neque actus organi corporei: ergo nullam efficientiam habent circa ea corpora cœlestia; ac proinde non possunt esse causa operationum liberi arbitrij, nec etia actionum exteriorum humanarum: quia omnes hæ, ab electione, quæ immediatè est à libero arbitrio proficiscuntur. An verò possint eas potentias inclinando mouere, infrà dicemus. Omnes præmissæ huius syllogismi, & illationis, notæ sunt apud Physicos sapientes, maximè Aristotelis sectatores. De qua re vidēdus est sanctus Doctor multis in locis, præcipuè 1. p. q. 115. art. 4. Quod verò effectus per accidens, etiam subtrahantur causalitati cœlestium corporum, probat D. Thom. nam ens per accidens nō habet causam naturalem, qualis est virtus cœlestium corporum: ergo, &c. Antecedēs probat ex Aristot. 6. Metaphysicæ tex. 4. 5. & 6. & ratione, quia quod per accidens euenit,

D. Thom. *Aristot.*

euenit, neque est ens propriè, neque vnum sed simpliciter multa: at operatio naturæ semper terminatur ad aliquid vnum: sicut procedit ab vno principio, quod est forma rei naturalis.

Hæc ratio D. Thom. si sermo fiat de effectibus per accidens merè naturalibus, vbi nihil admiscetur pertinens ad potestatem liberi arbitrij, non mediocrem patitur difficultatem: nam dumtaxat videtur probare, non habere vnam causam corporalem, etiã in corporibus cœlestibus, quod Caietanus videtur in Commentario huius articuli concedere: quod autem non habeant pro causa concursum plurium causarum non videtur probare. Quapropter Astrologus, qui agnouerit illum, cognoscet vtique effectũ necessariò euenturum. v.g. casus montis habet pro causa Martem, & properatio bouis circa radices montis habet pro causa Venerem, concidit mons & obruit bouem, licèt mors bouis non fuerit necessario abvno planeta, tamen fuit à concursu necessario duorum, quem concursum Astrologus qui agnosceret, profectò posset certò prædicere occisionem bouis: & sic de alijs. Caietanus obscurè & ambiguè loquitur in huius articuli Commentario, & tandem videtur recurrere ad inclinationes, quas corpora cœlestia influunt, quæ non sufficiunt, effectus in actum proferre necessariò, sed aliunde actualitas effectuum sumenda est: & ponit exempla multa de effectibus per accidens: sed certè in omnibus exemplis ab eo allatis admiscetur aliquid pertinens ad potestatẽ liberi arbitrij: cuius actus non subdi causalitati corporũ cœlestiũ certũ est. Nostra verò argumentatio procedit de effectibus per accidens naturalibus, vbi nihil ad liberum arbitrium spectans admiscetur: ad quorum effectuum actualitates, plures causæ cœlestes concurrunt, non solùm inclinando, sed & efficiendo. Nec videtur satisfieri argumento, adducendo causam materialem, vel efficientem, impedientem concursum illum corporum cœlestium: tùm quia ille causæ materialis vel efficientis concursus, à corpore cœlesti est: tũ quia à quocunq; sit, potest esse notus Astrologo, & indè coniectare licebit per certitudinem, de effectu per accidens subsequuturo. Nos verò multis moti exactam huius rei tractationem prætermimus: tùm quia ad refellendos Astrologos iudiciarios, auersus quos nostra instituntur disputatio, parũ, aut nihil refert demonstrare effectus per accidens merè naturales, causalitati corporum cœlestium nõ subiacere. Etenim omnis eorum peritia, aut fere omnis, in prædicendo futuros euentus hominum versatur, vbi necessario admiscetur aliquid de prædictione spectantium ad liberum arbitrium in particulari. De euentibus verò arborum, & brutorum, parũ aut nihil tractant, imò verò si interrogentur de his, imperiti sunt: nec scient prædicere, etiã astris obseruatis, quæ euentura sunt huic equo, quot sit habiturus filios, vel leoni, quot esset discerpturus boues, huic ficulneæ, quot sit productura ficus, & similia. Tùm secundò, quia hæc disputatio, vtrùm effectus per accidens merè naturales subdantur causalitati corporum cœlestium, nimis prolixa est: & ob id ne crescat immensum codex, ab ea supersedemus, remittentes auidum lectorem, ad quæstionis centesimæ decimæ quintæ articulum tertium, & Commentaria subtilissima Domini Caietani super eum articulum; & ad adnotationes Ferrariensis super caput. 86. tertij libri cõtra Gentes circa finem capitis. Modò verò hac solutione contentus esto, negando scilicet consequentiam, quia homo non potest omnium etiam stellarum fixarum cõcursum, & vim perfectè cognoscere, & omnes alias causas inferiores, à quibus hi effectus futuri pendent: imo neque ipsi Angeli naturali virtute possunt hæc cognoscere, neque comprehendere vim omnium aliarum causarum inferiorum, tam efficiẽtium, quàm materialium, quæ in tali puncto cõcurrere possunt, quæ necessaria sunt ad certò prædicendum futuros illos effectus: & multo minus homines comprehendere valere, ac proinde neque prænosse ex Astris hos effectus merè casuales certò futuros.

Caietan.

Contra posteriores verò Astrologos dicentes, astra, sydera, ac eorum posituram nõ esse causas effectrices merè contingentiũ effectuum, sed dumtaxat signa, arguit D. Thom. probans hoc esse impossibile: nam quod est signum naturale alicuius rei, necesse est esse illius causam, sicut solis ortus est causa diei, vel illius signum; vel effectũ, sicut fumus effectus, & signum ignis est. Vel vtrumque ab eadem causa superiori, & cõmuni proficisci necesse est, sicut Iris significat serenitatem, non quia causet illam, sed quia Iris, & serenitas ab eadẽ causa proficiscuntur, & ideò vnus effectus, alterius signum est. Tunc sic formatur argumentũ. Si cœli, astra, ac sydera sub certa positione, sunt signa effectuum futurorum sublunarium,

rium, vel sunt eorum effectuũ causa, & hoc negant isti Astrologi; vel sunt effectus, & hoc asserere insanum est; vel tam cœlestia corpora, & eorum habitudo, & positura, ab eadem superiori, & communi causa proueniunt, sicut dicebamus de Iride & serenitate: at causam cõmunem cœlestiũ corporũ, & effectuum, qui sub cœlo eueniũt, necesse est esse corpoream, aut incorporeã: non corpoream, quia nihil corporeũ cœlis superius inuenitur: superest ergo esse incorpoream, putà Deũ, per suam prouidentiam gubernantem omnia, vel Angelos mouentes cœlos, ita vt dum Angeli cœlos mouent, in ipsorum cœlorum statu, habitu, & in syderum & astrorum positura, & conformitate, quasi quibusdam suis nutibus, & tanquã notis atque signis sibi descriptis, futuros rerum euentus præmonstrent, atque significent. Quod si Angelos nõ vis hæc instituere signa, ad Dei prouidentiam recurras necesse est, hæc signa instituentem, & medijs his signis nos docentem de futuris rerũ humanarum euentibus. Hoc autem non ita se habere probatur: quia quando eiusdem causæ duo effectus se inuicem necessariò significant, & produnt; eodem modo ab illa causa prouenire debent, alioquin fieri nõ potest vt se inuicem certo significent aut indicẽt: à Deo autem, & Angelis, quæ in corporũ cœlestium motibus, ac positione fiunt, necessariò, & inuariabiliter se habent; quæ autem in his quæ sunt infra lunam, valde mutabiliter, & sæpe defectibiliter contingunt: ergo impossibile est, vt priora sint posteriorum signa: quia ab eadem causa proueniunt, cum longè diuersa ratione proueniant. Hæc fere ad verbum S. Doctor. Sed obijciet fortè Astrologus, non benè sanctũ Thomam tres tantùm combinationes, se habendi corpora cœlestia in ordine ad terrestria numerasse: nam est alia quarta combinatio, videlicet vt illud signum sit necessariò coniunctum cum causa rei ab illa significatæ, & sic ruit vis rationis D. Thom. Respondet Picus, lib. 4. cap. 12. & benè, talem combinationem nõ esse diuersam à tertia: talis enim ficta coniunctio non aliter esse potest, quàm vt causa illa prius ex se pariat id quod est signum, deinde id quod est significatum; aut idem quod causam excitat, vel admouet ad agendum, simul etiam adhibeat, & applicet id quod est signum ad significandum: vtrumque autem horum ad communem causam refertur. Confirmatur ratio D. Thom. nam astra quæ sunt in numero certo, & semper vniformiter ac immutabiliter eodem modo se habent, quando eodem tempore considerantur, quo modo possunt esse signa rerum omnium futurarum, quæ ferè infinitæ sunt multitudine ac varietate? v. g. positura syderum, ac astrorum in ortu alicuius inuenta, quomodo potest tot, tam varioque illius euentus indicare? Quare si corpora cœlestia sunt signa rerum futurarum, earundem causas necesse est esse: & si negamus, etiam signa esse negare debemus.

Secunda ratio pro eadem assertione, Astrologi asserentes, corpora cœlestia non esse causam euentuum merè contingentium etiam humanorum; ob id negant, ne cogantur fati necessitatem ponere in rebus creatis, sicut quidam Ethnici fecêre, & recurrũt ad aliam positionẽ, videlicet esse signa tãtùm: quia significatio non ita repugnat libertati nostræ, sicut efficientia, vt patet in præscientia Dei, & prædictionibus Prophetarum. Sed hi, inconueniens quod fingunt coguntur concedere, & incuitabilius quàm illi, qui corpora cœlestia aiunt esse causas euentuum, quos significant: ergo. Probatur minor: quia estò cœli, sydera, & astra causæ sint euẽtuum, qui sub cœlo sunt: quod illorum influentia, & effluxione in hac terrestri machina esset efficiendum, posset vel contrarijs materiæ dispositionibus, vel obstantibus particularibus causis impediri: at si corpora cœlestia, naturaliter futurorum euentuum signa sunt, necessarium est euenire quod ab illis significatur, aliàs essent signa inania, & fallacia, & cum Deus ea instituisset (iuxta prædictorum opinionem) ad significandum, & in cœlo tanquam in quodam volumine ea descripsisset, veluti notas futurorum indices; si euentus rerum cum illarum significationibus non cõgruerent, vel Deus earum motor, & institutor imperitus esset, vel fallax: quod piaculum est imaginari; ne dum concedere.

Quarta assertio. Hæc Astrologia iudiciaria quæ versatur in prædicendis futuris euentibus merè contingentibus, noxia est bonis moribus formandis: & Religioni veri Dei, eiusque fidei, & mysterijs contraria. Prima pars probatur, nam recto calle ducit ad errorem Algacelis, qui vt refertur in 2. p. directorij Inquisitorum, quæst. 2. asseruit, omnia ista inferiora, humanasque cunctas actiones, ex necessitate subdi syderum influẽtijs, & solis illis: similiter ad errorẽ Priscilliani, constituentis omnia prouenire ex

fan-

facti neceſsitate, quam potiſsimè ipſe, & eius ſequaces ab aſtris prouenire aſſerebãt. Quem errorem ſancti Patres, & Synodi ſacræ improbarunt, eo quod tollit libertatem arbitrij, & homines deſidioſos, ac parũ vel nihil ſolicitos erga opera virtutum efficiet, ſi credant ſe in omnibus fatali neceſsitate ſiderum duci. Videndus eſt diuus Leo Papa Primus in epiſt. 71. ad Epiſcopum Aſtoricenſem, & Concilium Bracharenſe primũ cap. 9. & 10. Secundò probatur eadem pars ratione: nam fatum hoc, ſiue potentia aſtrorum, vel poteſt ab homine impediri, ita vt effectus non eueniat, aut nullo modo impediri poteſt: ſi valet impediri, nõ eueniet: ergo ſicut effectus eſt incertus, ita prædictio eius certa eſſe nequit. Si non poteſt impediri, ergo nullum eſt liberum arbitrium. Et inde infertur, animum noſtrum eſſe corporeum, & materiale, vt potè ſiderum corporeorũ poteſtati ſubiectũ. Nec ſufficienter eludet quis argumentum dicens, idem procedere devero fato, quod in Deo ponũt Theologi ſapientiores, præcipuè D. Tho. 1. p. q. 116. & de prædictionibus Prophetarum: tùm quia hoc eſt ſolius Dei propriũ, vt contingentia contingenter efficiat ſuo influxu neceſſario, ſine læſione liberi arbitrij: vt in materia de prouidẽtia doctiſsimè tradit D. Thom. & eius diſcipuli: tùm quia ob id non cogimur dicere, rem corpoream agere in rem incorpoream, ſecus ſi aſtra ſint cauſa omnium humanorum actuum.


D. Thom.

Secunda pars aſſertionis probatur, ſiue ſermo fiat de myſterijs mere ſupernaturalibus, ſiue de ijs, quæ quamuis naturaliter fieri poſſent, tamen ex ſola Dei voluntate pendent, aut pependerunt. Et probatur, quia voluntas Dei altior eſt omni cœlorũ cauſalitate, & neque directè, neque indirectè, neque per ſe, neque per accidens, eam poteſt inclinare cœlum, ſed ipſa regit, & inclinat cœlũ prout vult. Cõfirmatur: quia myſteria noſtræ fidei pertinent ad ordinẽ ſupernaturalem, omnes naturæ vires exuperantem: ergo eximuntur à poteſtate, & efficientia corporum cœleſtium, quæ ad naturæ ordinem ſpectant. Dicet fortaſſe quis, eximuntur à cauſalitate Aſtrorum, nõ à ſignificatione: iam ſuperius impugnauimus hanc ſolutionem, oſtendentes non reperiri ſigna naturalia alicuius, niſi eiuſdem ſint cauſæ, aut effectus. Secundò: quia hæc Aſtrologia omnia miracula, & magnalia, quæ Deus in vtraque lege fecit, ad influentiam Aſtrorum reducit: ex quorum ſitu, & poſitura (ait) potuiſſe prænoſci. Ita ſenſêre non ſolùm veteres Aſtrologi infideles, verùm etiam quidam ex noſtris, Rogerius Bachonius, Henricus Maclinienſis, Ioannes Britãnus, Petrus de Aliaco, qui velut alter Salomon, in iuuentute Theologiæ vacans, demum in ſenectute, cupiditate rerũ ignotarum illectus, Aſtrologorum ſuperſtitionibus vanis deceptus, in præfatum errorem delapſus eſt. Hi diluuium Noe, à cõſtellatione ſiderum, & Aſtrorum emanaſſe, & ab eadem præſciri potuiſſe dicunt. Quos egregiè redarguit Abulenſ. ſuper Geneſim, cap. 7. Idem aiunt de egreſſu populi Iſraëlitici ab Aegypto, de ſiccatione maris rubri, de legis veteris, & nouæ latione, de natiuitate Chriſti Domini. Cuius rei figuram Aſtronomicã tradit, videnda apud Sixtum Senenſem in Bibliotheca ſancta li. 6. notatione 10. Nec deſuit quidam delirus vocatus Bonatus, qui auſus eſt aſſerere, Chriſtum Dominum Aſtrologiæ ſcientiæ deditum, propterea dixiſſe Diſcipulis: *Non dum venit hora mea*: ideſt, paſsionis tempus, nimirum quam præuiderat idoneam, ex Aſtrorũ inſpectione: & eodẽ modo temerè ad cætera myſteria ſupernaturalia pergũt. De tempore Anti-Chriſti ait quidam Arnaldus Hiſpanus, profeſsione Medicus, Anti-Chriſtum venturum circa annum Domini 1345. & tamen iam annus ille præterijt, & nondum aduenit. Quæ omnia, & ſimilia quam longè abſint à vera pietate, quiuis facilè colliget: ex hac enim poſitione, & poteſtas ſupernaturalis faciendi miracula, & donum Prophetiæ ſubuertitur, dum omnia reducunt iſti ad naturales cœlorum influentias; & omnes prædictiones, etiam Propheticas, ad Aſtrologiam. De diluuio Noe, non ita factum eſſe, clarè colligitur ex ſacro Textu Geneſ. 6. & 7. vbi Dominus puniturus genus humanum, fecit inducì Cataclyſmum illum vniuerſalem, non ex cœlorum influentijs, ſed quia iubente Deo, rupti ſunt omnes fontes abyſsi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluuia ſuper terram, quadraginta diebus cum quadraginta noctibus. Et ratio id ipſum ſuadet, quia Aſtra non inclinant ad ſubuerſionem mundialis machinæ terreſtris, qualis in diluuio facta eſt. Similiter aiunt, Moyſem, vt potè peritiſsimum Aſtrologiæ, obſeruaſſe ex Aſtris receſſum maris rubri, & tunc populum Iſraëliticum ſicco pede trãſuexiſſe. Planè mendacium eſt hoc, nam quare non ſuffocauit Hebræos ſicut Egyptios?

Rogerius. Henricus. Britanus. Aliaco. Abulenſ. Sixt. Sene. Arnaldus. Ioan. 2. Geneſ. 6. 7.

A B C D

tios? & quare absque Astrorum influentia siccatus est Iordanis? Item quomodo stat assertio Astrologorum de die iudicij cum dicto Christi Domini Matthæi 24. *De die illa nemo scit neque filius hominis?* Est igitur hæc diuinatrix Astrologia, quatenus de mysterijs fidei coniectat, Religioni iniurioſa & aduersa. Imò inquit Aliacensis, est valde conducens ad confirmationem fidei, quia verum vero consonat, & videntes fideles & infideles mysteria nostræ fidei consonare causarum naturalium efficacitati, & ab eis potuisse præuideri, vel A promouentur vel stabiliuntur in fide: non enim frustra dixit Apostolus: *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Et confirmat Aliacensis in locis citandis, quia valde stabilitur veritas fidei de Christi natiuitate, dum apertè cognoscitur, ex horoscopo eius natiuitatis colligi potuisse insignem viram nasciturum, magnamque Religionis mutationem asfuturam. Figuram Astronomicam id portendere eo tempore affirmat idem Aliacensis, ea delineata in hunc modum.



Hanc

Hanc Aliaci ſententiam, profeſſus fuerat autor libelli, cui titulus, ſpeculum, qui adſcribitur Alberto Magno, ſed falſò, vt ab eruditis dicitur. Is Autor libri (quicunque ſit) ſic ait: *Albumazar in ſuo maiori introductorio tractatu ſexto. Aſcendit (inquit) in prima facie illius ſigni, virgo pulchra, & honeſta, habens in manu ſua duas ſpicas, & nutrit puerum, & vocat ipſum puerum quædam gens, Ieſum, & aſcendit cum ea ſtella virginis. Hæc Albumazar.* Et ſubdit Albertus. *Nos autem ſcimus, quod ſub aſcendente eiuſdem virginis, natus fuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus: cùm hoc, quod æquatio motus octauæ Sphæræ in tempore eiuſdem, fuit octo graduum, & triginta minutorum, ſecundùm calculationem certiſſimam: & quod ipſa erat tunc minuenda de locis Planetarum, inuentis per Canones, non quia ſubiaceat ſtellarum motui, aut earum iudicio natorum deſideratiſſimus, qui creauerat ipſas ſtellas: ſed quia cùm extenderet cœlum ſicut pellem, formans librum vniuerſitatis; noluit literis eiuſdem deeſſe, ex his quæ ſecundùm prouidentiam ſuam in libro æternitatis ſunt ſcripta, etiam illud elegantiſſimum à natura, quod de Virgine naſceretur: vt profectò per hoc innueretur homo carnalis, & verus, qui non naturaliter naſcebatur: non quod cœli figura cauſa eſſet, quare naſceretur; ſed potius ſignificatio: imò & vero veriùs ipſe erat cauſa, quare modus admirandæ ſuæ natiuitatis ſignificaretur per cœlum.* Hæc Autor illius libelli. Et adiuuatur hæc ſententia. Nam tempore mortis Chriſti, Sol eclipſatus eſt, vt ſignificaretur mors Chriſti Domini Stellarum, & Aſtrorum ſignis. Cur ergo in die Natiuitatis, omnia cœleſtia corpora non ederent ſigna lætitiæ, vt innoteſceret hominibus Chriſti natiuitas? Hæc ſententia (cuiuſcunque illa fuerit) ſatis à nobis confutata eſt ex mente ſancti Auguſtini, & Diui Thomæ in tertia aſſertione, vbi diſputauimus contra Aſtrologos, aſſerentes, conſtellationes, & corpora cœleſtia, non eſſe cauſas futurorum euentuum, ſed ſigna. Et quòd attinet ad ſignificationem natiuitatis Chriſti, ex Aſtrorum poſitura, & figura cœli, rem conſiderantibus in cortice plauſibilis ſententia videtur: at profundiùs penetrantibus, ſententia eſt aduerſa fidei: cùm de myſterio præcipuè Incarnationis dicat Paulus: *Abſconditum à ſæculis in Deo: quod nemo principum huius ſæculi cognouit.* Et alibi: *Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Et illud: *Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi inquiſitor huius ſæculi?* putà Aſtrologiæ iudiciariæ deditus. Et ad confirmationem noſtram reſpondetur, eclipſim illam Solis in morte Chriſti fuiſſe miraculoſam, & nullo modo cognoſcibilem per Aſtra, vt fatentur omnes qui de ea re ſcripſerunt: quo modo ſupernaturali, & miraculoſo fortaſsis in natiuitate Chriſti, aliqua ſupernaturalia ſigna, & miraculoſa apparuêre. Præfati verò Aſtrologi contendunt, ex cœlorum conſtellatione naturali, potuiſſe præuideri Chriſti natiuitatem: quod nos vt impium dogma reijcimus. Mitto modò, quod Picus libro quinto, cap. 14. ex ipſorum Aſtrologorum principijs impugnat, & expugnat vt figmentum, horoſcopi poſitionem, quam ait Aliacenſis cum ſuo Albumazare, repertam fuiſſe in natiuitate Domini. Ex his omnibus colliges apertè, prædictionem futurorum contingentium ex Aſtris vanam eſſe. Et ex eiſdem fundamentis colligitur, non minus vanam eſſe prædictionem præteritorum, vel quæ actu fiunt; ſi ita ſint occulta, vt humano modo ſciri non poſsint. Ita Autores citati, ſpecialiter Alenſis ſecunda parte, quæſtione 164. & Turrecremata in capite *illos*. 26. quæſtione ſecunda, articulo quarto. Vide etiam capite *ex tuarum*. de ſacrilegijs. Et ratio ſuffragatur, quia vel præteritæ actiones inueſtigantur nunc ex diſpoſitione, & aſpectu, quem nunc Aſtra habent: & ſic minus poſſunt ex illis cognoſci, quàm actiones futuræ, quia multo minus pendent iam ex cauſalitate cœli, quàm futuræ. Si verò inueſtigentur præterita ex præteritis conſtellationibus, comparatio eſt ſicut præſens conſtellatio comparatur ad futurum euentum: in qua non adeſſe vllam certitudinem iam probaui. Non diſsimiliter argumentabimur de actionibus præſentibus: nam ſi ſint actus liberi merè interni, nequeunt cognoſci ex Aſtris, quia non ſunt cauſæ per ſe illorum. Quòd ſi ſint actiones externæ, ſed occultæ propter diſtantiam loci, vel remotionem à ſenſibus hominum, neutiquam hæc poſſunt cognoſci ex Aſtris: quia Aſtra non impoſuerunt horum occultationi neceſsitatem: v. g. quod eis tali loco abſconderetur; quòd hoc, vel illud Romæ fieret ab hominibus: ergo.

Autor Spe. *Auguſt.* *D. Thom.* *1. Corin. 2.* *Rom. 11.* *1. Corin. 1.* *Pic. Mirã.* *Alenſis.* *Turrecre.*


Quinta

Quinta assertio. Astrologia hæc iudiciaria habet principia, & fundamenta partim falsa, & commentitia, partim dubiæ veritatis: ac proinde, illata ex eis, multo falsiora, & incredibiliora. Innumera sunt fundamenta, nos verò aliqua adducemus, vt ab vno crimine (sicut dicitur) discas omnia. Primum, & præcipuum fundamentum, de quo gloriantur Astrologi, sumitur ab experientia: de quo infra latius dicemus in solutione argumentorum pro Astrologis, ac ostendetur eius fallacia. Sed descendentes ad singulas iudiciariæ Astrologiæ partes, fundamenta earum discutienda sunt.

Huius præcipua pars, & quæ minorem patitur calumniam, versatur circa obseruationem figuræ, & positionis corporum cœlestium in cuiusque hominis natiuitate: vt inde coniectet omnia, quæ ad vnumquemque spectant, siue in bonis, siue in malis euentibus: & fundamenta ad eam coniectationem ferè ad cæteras Astrologiæ diuinatricis partes pertinent. Quapropter falsa, vel valdè nutantia ostendenda sunt, rationibus deprom ptis à Philosophiæ regulis, & principijs. Quod nihilomelius profectò fiet, quàm summariè adducendo praxim, ab Astrologis pro hac diuinatione obseruatam, sicut partim legimus, partim accepimus ab eisdem.

Astrologi prædicturi ex cuiusque horoscopo suos euentus futuros, obseruant annum, diem, & horam, imò & momentum natiuitatis, regionem, & locum, in quo nascitur is, cuius euentus inquiritur. Deinde diuidunt totam machinam mundialem, cœlestem, ac terrestrem, in duodecim partes proportionaliter æquales ad cœlum, & terram.

Præterea in cuspide singularum domorum (sic enim vocant eas duodecim partes) collocant gradum, & minutos signi ibi correspendentis; & in singulis domibus Planetas singulos, fortunam, & caput, ac caudam draconis. Et aiunt, primam domum, incipiendo ab Oriente per manum læuam versus terram, efficere, & significare vitam, & animum hominis: secundam, diuitias: tertiam, fratres: quartam, patres, & bona funeralia: quintam, filios: sextam, infirmitates: septimam, vxores: octauam, mortem: nonam, dignitates Ecclesiasticas, & itinera: decimam, officia Regalia, & matrem: vndecimam, spes bonas, & amicos: duodecimam, carceres, & tribulationes. Et has domos suis pollere virtutibus dicunt; sicut Astra, & sidera, ac duodecim signa: & ex istorum trium copulatione varia, varias depromunt coniectationes natorum. Itaque dicunt Astrologi, potestatem Siderum, ac Stellarum, aliam atque aliam esse singulis horis, & momentis, dum aut sunt in alijs cœli locis (quas Neoterici vocant domos) aut in alijs signis, quæ iam pridem finxerunt duodecim inueniri: aut ipsi inter se Planetæ, tantùm spatij interuallo distantes, varijs inuicem radiationibus copulantur, quos vulgariter vocant Planetarum aspectus. Hi sunt præcipui modi, quibus mutari defluxum, virtutemque cœlestium putant, domus scilicet, Signi, aspectusque diuersitas. Omitto alias minutiores Astrologorum considerationes: non enim singula perscrutari libet: verbi gratia, diuisiones per triplicitates, per mobilia, fixa, & communia: sat nobis sit, grossa Minerua fundamenta principaliora commemorasse, quæ melius considerabis ex figura in sequenti pagina delineata, quam accepi à quodam Astrologo dicente eam repræsentare genituram Domini Ioannis Austriaci, ac portendisse insignem victoriam ab eo obtentam contra Turcas in mari Aegeo, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo: similiter & infœlicem eius mortem.



Hæc Aſtrologorum fundamenta falſa eſſe, vel in veritate nutare, oſtendemus rationibus Philoſophicis, & imprimis illud commune omnibus Aſtrologiæ iudiciariæ partibus, videlicet Stellas, & Aſtra mirabiles habere proprietates, quæ ſunt principia efficientia, & influentia in omnes effectus ſublunares. Hoc fundamentum conantur auertere Aſtrologorum aduerſarij, præcipuè Picus Mirandulanus libro tertio contra Aſtrologos ferè per totum, qui tria affirmat. Primum, cœlum, effectus omnes ſublunares, motu, & lumine, atque calore ab eis prodeunte, effici. Secundò dicit, præter hanc communem motus, & luminis influentiam, nullā vim, nullamq; proprietatē effectiuam cœleſtibus corporibus, ſiue Stellæ ſint, ſiue Aſtra, ineſſe. Tertiò ait,

Stellas

Stellas alias à Sole, & Luna nihil, aut parum agere in corpora ſublunaria; & primum quidem dictum Mirandulani verum puto cum omni Philoſophorum caterua, & ideò potiùs eget explicatione, quã probatione; etenim cùm cœlum ſit omnium corporum naturalium perfectiſsimum, ad eius naturam, cuius perfectio conſiſtit in motu, perfectiſsimus motus conſequitur; videlicet orbicularis indeficiens, & velociſsimus; & cùm primum in vnoquoque genere, eſt cauſa reliquorum ſub ea ſerie contentorum, motus cœli cauſa eſt reliquorum motuum, in inferioribus corporibus repertorum: quia quod primo motu mouetur reliqua mota mouet, & illo ceſſante cætera non mouebuntur. Sicut in Microcoſmo ſi ceſſet motus cordis, omnes animales motus ceſſare neceſſe eſt: quocirca rectè dicit Ariſtoteles libro octauo phyſicæ auſcultationis, motum primi cœli vitam eſſe omnibus: quandoquidem euidentiſsima eſt, & communis operatio vitæ intimus motus. Ergo hæc eſt vna cœli dignitas, & efficacia erga mundum inferiorem, vt pro illius rotatione inſatigabili, cæteri motus omnes & ordinentur, & excitentur. Altera prærogatiua cœli lux eſt, qua ſicut ſumma, & perfectiſsima qualitas corporea eſt, perfectiſsimum omnium corporum comitari, & conſequi debet: & ab hac luce cœleſti cætera corpora lucem aſſequuntur: ita quod lux cœleſtis habeat quandam virtutem corporum perfectiuam, & quaſi aliquid vitale non quod ipſa viuat, aut vitam afferat; ſed quia corpus vitæ capax ad vitam maximè præparet, & diſponat. Quomodo? Reſpondet Picus, quia proprietas eius calor quidam eſt, non igneus, non aëreus, ſed cœleſtis ſicuti lux cœli à qua dimanat. Calor, inquam, efficaciſsimus, maximeque ſalutaris, omnia penetrans, omnia fouens, & iſte calor neceſſariſsimus eſt ad corpora, & viuentia perficienda, ſicuti & motus circularis, quo lumen illum prolificum, & calor, qui proles eius eſt, deriuantur ad nos, vt conſiſtamus; quare ſi cœleſti iſto calore corpora deſtituantur, peribunt, quia in virtute, & eminenter continet omnes elementales qualitates. Secundum verò dictum Mirandulani aduerſum eſt omnibus Aſtrologis, quod inter alia ſic videtur probari. Nam ſi præter poſita, motum, lucem, & calorem, cuique Stellæ, vel Aſtro à natura conueniunt aliquæ proprietates differentes à luce, & calore prædictis: fingamus eſſe frigus, aut quid ſimile repugnans illis principijs communioribus: hoc videtur impoſsibile, vt quæ conueniunt ex natura ſpecifica repugnent genericæ; vt ſi conuenit homini quatenus animal eſt habere ſenſum, non poteſt eidem quatenus eſt homo conuenire ſtupiditas; aut ſi quatenus viuens eſt, conuenit illi habere principium intimi motus; fieri nequit, quatenus hoc viuens eſt, eſſe immobile: igitur ſi naturæ cœleſti, quatenus eſt cœleſtis conuenit color ille viuificus, non conſequetur peculiarem naturam ſideris alicuius actiua vis frigiditatis, & ſiccitatis, quæ ſunt contraria vitæ. Hoc dictum Pici puto falſum cum D. Thom. inferius citando, qui peculiares proprietates ſingulorum ſiderum admittit; quod copioſiùs adſtruere nimis operoſum eſſet: modò ſat ſit reſpondere ad rationem factam pro ſecundo dicto Pici: videlicet non eſſe inconueniens proprietates longè diuerſas à natura communiori oriri à ratione ſpecifica; maximè quando ſpecificæ proprietates non formaliter, ſed eminenter continentur in natura ſpecifica; proprietates verò genericæ continentur formaliter in natura generica: ſic videmus vinum formaliter frigidum, virtualiter calidum: ſed de hac re alibi copioſiùs: vbi id exemplis, & rationibus à principijs Philoſophiæ petitis non ſine oblectamento Lectorum oſtendemus. Tertium verò dictum Pici, ſcilicet Stellas, & Aſtra, præter Solem, & Lunam, nihil, aut parum agere in hæc inferiora etiam mediante motu, & luce, ac calore emendicatis à primo, cœlo falſum reputo, vt experientia monſtrat in poſitione Solis in diuerſis ſignis Zodiaci. Fateor, efficientiam ſiderum comparatam efficientiæ Solis, & Lunæ modicam eſſe. Valdè tamen adnotandum eſt, hanc aſſertionem proprietatum in cœleſtibus corporibus non eſſe fundamentum ſcitum, ſed dumtaxat probabile: quare machina, quæ illi ſuperædificatur, non eſt ſcita, ſed tantùm probabilis. Similiter aduertimus, eas cœleſtium corporum proprietates, effectrices eſſe quarumdam propenſionum, & inclinationum in corporibus ſublunaribus: non autem infallibiles cauſas effectuum omnium, maximè eorum, qui per accidens, aut humani actus ſunt: in quo valdè decepti ſunt Aſtrologi veteres;

veteres, & pejus moderni, qui licèt in prædictis nobiſcum ſentiant, tamen incunctanter diuinant de omnibus effectibus; ac ſi corpora cœleſtia eſſent eorum infallibiles cauſæ.

Secundum verò fundamentum, quo Aſtrologi aſſerunt, poteſtatem ſiderum aliam, atque aliam eſſe ſingulis & horis, & momentis, ſic impugno: nam iſta tam cita & repentina mutabilitas, vel prouenit ſideribus ab intrinſeco, id eſt, ratione ſuarum formarum, vel ab extrinſeco. Non primum, quia ſimilis inconſtantia, & mutabilitas, non reperitur in aliqua re ſublunari: ergo non decet eam ponere in corporibus illis cœleſtibus incorruptibilibus, & firmioris naturæ, quàm ſublunaria quæque.

Dicunt Aſtrologi, ab extrinſeco prouenire, videlicet, à domibus diuerſis, quas Planetæ occupant, & à ſignis Zodiaci, atque ab aſpectibus Planetarum. Singula refutanda ſunt: & prius iſta domorum aſſertio. Sed claritatis gratia, recolamus quæ de hoc Aſtrologi dicunt. Videlicet, quemlibet Planetarum eſſe bonum, aut malum, id eſt, autorem fœlicitatis, aut infœlicitatis: & bonum Planetam nocere in malo loco; & malum interdum prodeſſe: verbi gratia, Iupiter in Oriente collocatus, tam differt à ſe ipſo, cum paulum ſupra Orientem, in eum, quem vocant duodecimum cœli locum, commigrauerit; quàm ignis differt ab aqua, aut lepus ab aſino: nam in Oriente ſemper maxima bona; in duodecima verò domo, quæ contigua eſt Orienti, magna ſæpè mala decernit. Item, illud Ioui proprium, vt diuitias largiatur, tamen in tertio, octauoque loco collocatus, frequenter patrimonium diſſipat. Præterea, cùm ſua natura faciat nobiles, & ſapientes; octauum locum ſi tenuerit, faciet ignobiles, & quorum furor (vt ait Maternus) ad inſaniam euadat. Poſtremò, quid magis eſt Iouis proprium, quàm vt beneficum ſidus exiſtimetur, cùm vocetur fortunatior Planetarum, & magna cœli fœlicitas? At tertio loco conſtitutus, neque bonum, aut malum eſſe, ait Maternus: & ſic de cæteris Planetis exemplificato.

Tunc ſic argumentamur contra Aſtrologos. Illa Planetarum mutatio, & proprietatum variatio, quæ fingitur eſſe in diuerſis domibus, quas Planetæ occupant, vel oritur à virtutibus, & proprietatibus domorum; vel à ſola variatione receptaculorum, carentium omni virtute actiua erga Planetas. Non ſecundum, quia in ſola receptione, habent ſe domus receptiuè, & quaſi paſsiuè. Non primum, id eſt, à viribus, & poteſtatibus domorum, quas influunt ſideribus, quæ recipiunt: nam illæ domus, ſeu loca, vel nuda ſunt ab omni corpore (vt quidam Philoſophi errantes dixerunt de omni loco) & tunc profectò non eſt cur vllam virtutem, aut efficaciam dicantur habere, cùm illud ſpatium vacuum, locus dumtaxat imaginarius ſit. Aut verò ſunt affixa aliquibus corporibus, ſicut & omnia loca (iuxta mentem Ariſtotelis dicentis, omnem locum eſſe vltimam ſuperficiem corporis continentis) quod ſi hoc modo procedas, non facilè dixeris, quæ ſint iſta corpora: nam ſiue ſit vltimus globus, ſiue illi, quibus quodlibet Aſtrum inſitum eſt, cùm ſingulo quoque die ab Oriente in Occidentem rotentur; eas varias virtutes Orienti, ac Occidenti largirentur, & eam mutabilitatem, quam Planetis dicuntur impartiri: cuius oppoſitum experimur. Rurſus, ſi tota influentiarum varietas à domibus ſumitur; quid neceſſe eſt vllam proprietatem Planetis attribuere, cùm ſine illa totum negotium perageretur, & ſolis proprietatibus, & influentijs domorum, in quibus Planetæ recipiuntur? Confirmatur, quia bona influentia Planetæ, ab influentia domus quandoque hebetatur (vt ipſi aiunt) ergo impertinens eſt Planetæ influentia. Dicet fortaſsè Aſtrologus, eam influentiam diuerſam Planetarum expendi ex diuerſitate domorum, non quia in domibus ſit aliqua virtus effectiua, delens, vel temperans vires Planetarum: ſed quia Planetæ conſtituti in diuerſis domibus, diuerſas de ſe irradiationes emittunt modò per lineam rectam, modò per obliquam, &c. attingentes ſuis radijs machinam terreſtrem: quæ irradiatio cùm in ſingulis domibus diuerſa ſit, diuerſos, ac varios producit effectus. Contra hoc agit, quoniam qua ratione finguntur duodecim domus, poſſent fingi viginti quatuor, & diuerſas irradiationes ab eis Planetæ verſus nos emitterent. Item, quia modus irradiandi per rectum, aut obliquum, per proximum, aut diſtans, non aufert totaliter, aut hebetat vires irradiantis Planetæ, vt videre licet in Sole: Sol quidem magis, aut minus calefacit, ſi radij proximi ſint, aut remo-

Ariſtot.

remoti, ſi recti, aut obliqui, ſemper tamen calefacit: ergo ſimiliter quiuis Planeta, vires ſuas exercebit plus, aut minus, ex radiorum emiſſorum diuerſitate, in diuerſis domibus: cæterum nunquam totaliter hebetabitur eius virtus, ex tranſitu illius domus ad alteram, ſicut Aſtrologi fatentur, dicentes, ex bono fieri malum, & ex malo bonum, propter migrationem vnius ad aliam domum.

Poſitio ſignorum (cuius non meminerunt antiqui Aſtrologi) eiſdem rationibus, quibus domorum fictio, impugnatur. Saltem nō erit difficile eaſdem adaptare, quia re benè perſpecta, duodecim ſigna, quæ in Zodiaco ab Aſtrologis collocantur, neque imagines naturales, neque loca naturalia ſunt; ſed quædam partes octauæ Sphæræ: quæ ſicut duodecim fingitur, ad diuidendam eam in partes æquales, poterant fingi viginti quatuor, aut ſexaginta. Eſtque aduertendum, circa domorum, & ſignorum proprietates, & vires, valdè diſſidere inter Aſtrologos, ita vt vix concordent, dum vnus domum ſextam pro hoc inuenire aſſignat, alius pro alio, & ſic de alijs diuerſimodè. Ex quo colliges, quanto cum errore, & incertitudine, Genethliaci ex Aſtris coniectent natorum euentus. Obijciet Aſtrologus, velle euertere ſignorum vim, eſt pugnare cum experientia, quæ oſtendit, Sole exiſtente in Leone, mundum hunc ſublunarē efferueſcere, & calore quaſi concremari: eodem verò Sole exiſtente in Ariete, omnia calore temperato gaudent, vernantque ſuaue olentia prata: igitur magna eſt ſignorum vis ad immutandas Aſtrorum influentias. Reſpondetur: Ea varia poteſtas, & vis Solis, in diuerſis ſignis, non naſcitur ex ſitu eorum: nam etiam ſi nulla eſſent ſigna, nullaque octaua Sphæra, eodem modo mutaretur, propter diuerſum modum emittendi radios verſus nos: in Leone namque poſitus, vel in alio loco ſibi correſpondente, radios directè iaculatur, verſus noſtrum emiſpherium; & ideò facit illud calore quaſi cremari: at poſitus in Ariete radios obliquè emittit, & ideò temperatiorem cauſat calorem, cuius ſignum apertum eſt, nam idem Aſtrum in Leone poſitum, homines meridianos nequaquam ardore afficit; quinimò tunc frigore algent: & apud eoſdem, ad Aquarium veniens, feruet, ſub quo nobis glaciem, & imbres effundit: nimirum, quia quanto magis ad nos accedit, tanto magis ab illis elongatur; & è contra, ad eos iter flectit, quotieſcunq; à nobis ille digreditur.

De influentiarum diuerſitate ex aſpectibus diuerſis Planetarum, nec vacat, nec eſt modò animus diſputare: ſat nobis ſit animaduertiſſe, eam aſſertionem aſpectuū, qualem Aſtrologi ponunt, eſſe minus conſentaneam Philoſophiæ principijs. Aiunt namque, Planetas coniunctos non mutare influentias; remotius collocatos mutare: & interdum, ſic vnum alterius influxum hebetare, vt vel nihil operetur, vel è bono Planeta malus fiat. Poſitio certè aliena à ratione, vt agens propinquius, minus agat quàm remotius: & quod illa radiorum mixtio faciat virtutem vnius Planetæ hebetari, aut ex bono in malum tranſire. Sed miſſa iſthæc faciamus his, qui enixius argumentantur contra Aſtrologos.

Deinde oſtendo fundamenta, & principia (quæcumque illa ſint) quibus vtuntur Aſtrologi ad diuinandum ex horoſcopo, de ſingulorum ſucceſsibus, eſſe inania, & nullius efficaciæ. Et argumentum ſumitur à poſteriori, ex eleganti diſcurſu, quo vtitur Diuus Auguſtinus, quinto libro de Ciuitate Dei, per aliquot capita, & in libro ſecundo de doctrina Chriſtiana, capite vigeſimo ſecundo. Summa eius diſcurſus hæc ſit: Si vera eſſet hæc Aſtrologiæ pars, quæ ex poſitione ſiderum in ortu hominum, diuinat omnia, quæ ad eos pertinent; ſequitur geminos vterinos, qui vno tempore concepti, & nati ſunt, fore omninò ſimiles: quod eſſe falſum quis ignorat? Præcipuè, quia interdum vnus maſculus, altera fœmina, concipiuntur, & naſcuntur. Reſpondent Aſtrologi, breuiſſimam illam morulam, quæ inter vnius, & alterius geminorum ortum, intercedit, licèt nobis puſilla videatur; in cœlo tamen, ob eius vaſtitatem, & rapidiſſimam rotationem, ingentem facere variationem ſitus. Hoc declarabat Nigidius Figulus, magnus Aſtronomus, exemplo figulinæ rotæ, quam concitatiſſimo motu reuolutam, cùm bis eodem loco ſignaret atramento, vel percutere ſumma celeritate conatus eſſet; ceſſante rotæ motu, reperta ſunt illa duo loca à ſe percuſſa, vel ſignata, magno interuallo diſiuncta. Quid dicendum (ait Nigidius) de differenti Aſtrorum poſitione, reperta in geminorum ortu, propter motus cœlorum pernicitatem? Hoc

Auguſt.

Nigidius.

experimentum Nigidij magni faciunt Aſtrologi, ad euadendum argumentum propoſitum : ſed certè non euaditur : quia admiſſo iſto ingenti interuallo , in ortu geminorum , in eodem tamen conceptu nullum fuit. Cuius conceptus tempus, & horam obſeruare , maioris eſſe momenti, etiam ipſorum Aſtrologorum magiſtri fatentur : ita Ptolomæus in tertio Apoteleſmatum , Hali in libro de Electionibus. Et ſuffragatur ratio: quia cùm in puncto conceptionis , primùm exiſtat homo , & tunc in homine vis cœleſtis primùm imprimatur , & per nouem menſes ante ortum , homo influentijs Aſtrorum , & poteſtati cœlorum ſubditus ſit , cur non potius eſſet explorandum conceptionis tempus? Imò parum videtur conducere natiuitati. Cùm ergo tempus conceptionis, impoſsibile ſit Aſtrologis explorare, quid quid aliunde notitiæ emendicauerint , fundamentum debile eſt , & quid quid huic fundamento ſuperſtruxerint, vanum. Scio à quibuſdam reſponderi , influentiam Aſtrorum in puncto conceptionis eſſe eandem cum ea , quæ reperitur in hora natiuitatis: ſed hoc delirium, non eget cõfutatione, cùm neceſſariò debeant aſſerere , cœli motum detineri à die conceptionis , vſque ad diem natiuitatis , vel retrogradi, vt aſſimiletur ſtatui , quem habuit in puncto cõceptionis.

Ptolom. *Hali.*

A B C

Sed omiſſo vterinorum ortu, ad idem efficaciter argumentor : nam experientia comperitur , plures homines in eadem regione , imò & in eadem ciuitate , eodem temporis puncto , eodemque ſiderum aſpectu , & Aſtrorum poſitura ex diuerſis parentibus progenitos eſſe : tunc ſic : Sequitur ex doctrina Aſtrologorum de iſtis, eoſdem euentus , eaſdemque fortunas eſſe prædicendas: quod ſi fecerint , cæcus erit qui non videat eos toto cœlo errare , cùm planum ſit inter eos natos eſſe maximam ſtudiorum, morum, Religionis, euentuum, denique vitæ, ac mortis diſsimilitudinem. Fauorinus hoc argumentum egregiè proſequitur apud Gellium lib. quarto decimo, cap. primo , & Bardeſanes Syrus apud Euſebium , libro ſexto de præparatione Euangelica, capite octauo. Item deberent Aſtrologi conſiderare , alias conſtellationes, & influentias cœleſtes , quæ hominem afficiunt poſt ortum , cum plerumque cõtingat , eſſe potentiores ad immutandum hominem , quàm quæ tempore ortus eius

Gellius. *Euſebius.*

D

exiterunt: præcipuè quia ille defluxus Aſtrorum , puero naſcenti impreſſus , neceſſe eſt vt varietur , variata ſæpius humani corporis temperatura , vel propter alias potentes conſtellationes, vel propter educationem , vel ob variam viuendi conſuetudinem, vel propter leges patrias , ad quarum normam cogitur quiſque vitam , mores, ſtudia, & actiones componere. Accedit ad hæc , quòd fortaſſe nihil illius materiæ primæuæ , quam vnuſquiſque in ortu ſuo habuit , conſeruatur in ſenectute , hoc enim viſum eſt multis , & magnis Philoſophis ; nec ſanctus Thomas in prima parte, quæſtione vltima , articulo primo, id omninò negare videtur: quo conceſſo , vis illius primæ influentiæ , in ortu hominis ei indita , neceſſariò tandem euaneſcet tota.

D. Thom.

Altera Aſtrologiæ iudiciariæ pars verſatur in prædicendis euentibus inſignioribus, putà legum mutationibus , præliorum victorijs, regnorum euerſionibus, & ſimilibus. Huius partis fundamẽta ſunt quædam Saturniæ reuolutiones, orbes magni , coniunctiones magnæ , & octaui orbis acceſſus , atque receſſus. Vocabula explicanda ſunt , ne Theologus, aut Phyſicus ab intelligentia horum ieiuni remaneant. Qui ſint iſti magni orbes ſic percipies: Fingunt Aſtrologi , quemlibet ex planetis, & vnumquodque ſignorum zodiaci imperium mũdi obtinere annis trecentis & ſexaginta: quibus expletis , dicunt nouum incipere orbem magnum, cui, & planeta priori proximus, & ſignum quod deinceps hæret ſigno priori, pariter præſunt, atque qualis dominantis ſigni, atque planetæ eſt natura, talia eueniunt in eo ſpatio annorum : & cum inchoatur nouus orbis, omnia innouantur, nouæque fiunt mutationes in toto terrarũ ambitu. Et ſi ab Aſtrologis ſciſciteris , in quo orbe , ideſt , ſub quo rectore , his temporibus viuamus ? dicunt ſub Leone , & Luna: & aiunt, hunc orbem eſſe terminandum anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo nono. Hos magnos orbes vt fictitios impugnat Picus libro quinto, capite ſecundo, rationibus Mathematicis, & à ſupputatione annorum deſumptis: nos ab his abſtinemus, ne dicatur nobis, ſutor non vltra crepidam.

Picus.

Quid ſunt Saturniæ reuolutiones ? videamus Albumazaris inuentum. Cum Saturnus (inquit) decem periodos abſoluerit , quæ trecentis fere annis complen-

plentur, magna, & ante non visa in rebus humanis euenire necesse est. Mouetur (vt ipse ait) experimentis quibusdam, sed fallacibus, vt videbimus inferius soluentes argumenta Astrologorum.

Circa magnas, quas appellant coniunctiones, magna est opinionum diuersitas. Communior sententia, quæ est Alchabicij, Leopoldi, & ante hos Albumazaris, est, magnam coniunctionem esse, cùm simul iunguntur Iupiter, & Saturnus, quod post viginti annos semper euenit: maiorem autem, cùm facta ab vna triplicitate in aliam migratione, in limites nouæ triplicitatis congrediuntur, atque id euenire post annos trecentos & quadraginta: mediam verò coniunctionem esse, quæ trigesimo quoque anno perficitur Saturni, & Martis in Cancro: maximam omnium Iouis, & Saturni in Ariete, quæ post nongentos, & sexaginta annos eueniet.

Alchabic. *Leopoldus.* *Albumaza.*

Hæc sunt potissima fundamenta, à quibus antiqui, & moderni Astrologi conantur deducere, omnes legum, ac Regnorum mutationes, & insigniores euentus: imò & nostræ fidei præcipua mysteria: de quo in præcedenti assertione. Modo verò non libet cum Astrologis concertare, vt hæc eorum fundamenta euertam; sed illis admissis, nescio vnde ipsi possint inferre certam prædictionem euersionis Regnorum, mutationis legum, & cætera insigniora. Numquid, quia inchoatione istorum magnorum orbium, magnarum coniunctionum, Saturniarum reuolutionum, magnas in rebus sublunaribus fieri mutationes necesse est? Admitto quantum est ex parte influxus Astrorum, sed impediri possunt multis, ac varijs modis, nempè ex dispositione causarum inferiorum, ex humana prouidentia, & ex aspectu vario Stellarum fixarum in octauo cœlo, qui nunquam idem est. Rursus. Inepta illatio est: fiunt magnæ mutationes: ergo euertentur Regna, mutabuntur leges, nouæ religiones orientur: nam mutationes illæ magnæ poterunt causare pestilentias, terræ motus, & huiusmodi. Sed de his latiùs in solutione argumentorum pro Astrologis.

Tertia pars Astrologiæ iudiciariæ versatur circa interrogationes: verbi gratia, quis hoc furtum commiserit? Vtrum hæc mulier sit adultera? & cætera. Vel circa electiones: verbi gratia, qua hora operandum, vel cessandum ab operatione, & cætera. Fundamentum præcipuum, vnde Astrologi conantur ad omnia interrogata respondere, inspectis siderum constellationibus, hoc est: moueri, aiunt, animos nostros ex cœlesti constellatione, saltem ex parte imaginatiuæ, ad desiderium sciendæ alicuius rei. Tunc si Astrologum consulas, ipse inuestigabit quid cœli constellatio portendat, in hora consultationis, de re; quam interrogator scire desiderat. Hoc fundamentum, vt reor facillimè euertetur, siue dicatur eas constellationes esse tantùm signa rerum quæsitarum, siue etiam causas. Primum satis refutatum est à Diuo Thoma in hoc articulo, & à nobis assertione prima. Dicent, vt credo, constellationem, quæ hora consultationis apparet, causam esse earum rerum, de quibus Astrologus respondet interroganti. Contrà: nam sæpè interrogatio est, de his, quæ iam pridem sunt facta, vt furta, homicidia: aut de his, quæ numquam fiunt, & tunc perspicuum est, ea non posse habere pro causa constellationem præsentem. Aiunt Astrologi, se posse quidquid quæratur ex hora consultationis, præuidere, & prædicere: modò qui interrogauit motus esset naturali impetu ad interrogandum, non propria electione, aut arbitratu. O perbellam impostu ram, & suffugium vafrum, inuentum ad deludendum imperitos! Nam si responsio re ipsa non satisfacit interrogationi, dicet Astrologus, id accidisse, quia interrogatio inefficax, & arbitraria fuit: Astrologum verò processisse iuxta regulas suæ artis, supponendo interrogatorem moueri à sideribus ad sciscitandum: si verò responsio satisfaciat, en miris laudibus Astrologus, & Astrologia iudiciaria de quæstionibus extolletur. Sed admittamus Astrologis, à cœlo esse desiderium sciendi, de absente exempli gratia, quo nam pacto se habeat. Vnde infertur vt statim verificetur, qua hora Astrologo hoc desiderium meum explicauero, eadem adesse cœli constellationem, quæ mihi statum absentis ostēdat? Vnde hæc cōpetentia, aut fœderatio nostri desiderij, & rei, quam scire desideramus? Quod si fortè respondeant, eandem vim cœlestem, quæ rem illam efficit procul à nobis, vellicare simul animum

noſtrum, quaſique admonere rei, quæ fit. A Contra primò: nam ſequitur tunc, dumtaxat nos vellicare iſta deſideria ſciendi, cùm res ipſa fuerit: & tamen iſti Aſtrologi putant, poſſe fieri interrogationes iſtas efficaces, de ijs, quæ iam pridem facta, aut longo fient poſt tempore; aut quæ etiam nunquam fient. Secundò. Si admittamus quod iſti volunt, non erit ſpectanda cœli conſtellatio, qua hora Aſtrologum interrogamus, ſed quo primùm momento interrogandi cupiditas nos inuadit, ſi quidem eadem, vel ſimilis conſtellatio eſt, quæ & parit euentum, & deſiderium agnoſcendi illum B ſuſcitat in nobis: & tamen inquiunt Aſtrologi obſeruandum tempus interrogationis; non id, quo nos primum interrogandi cura ſollicitauit. Quæ aſſertio potius inter deliria computabitur: tum quia (vt dicebamus) ſi quæ inter hæc poteſt eſſe cognatio, ſi quis conſenſus, non aliter eſſe poteſt, quàm & rei, quæ facta eſt, & deſiderij noſtri: quæ quodammodo ad eandem, aut ſimilẽ conſtellationem referri videantur: tum, quòd hora qua Aſtrologum ipſi conſulimus, variari poteſt mille de cauſis, quibus fiat, vt ſerius, aut citius Aſtrologum conueniamus, vt ſi eius domus remotior ſit à nobis; ſi euntem, in via quis remoretur; atque alia id genus fortuitò incurrentia, quæ horam interrogationis, ac propterea cœli configurationem, de qua eſt reſponſurus, aliam, atque aliam faciant. C

Præterea. Si ex cœli conſtellationibus poſſunt Aſtrologi (vt ipſi gloriantur) ad omnem quæſtionem reſpondere, putà, quis fecit hoc furtum; vbi res ſublatæ ſunt abſconſæ; an mulier illa coniugata fidem ſeruet ſuo viro? certè bona ſua vix periclitabuntur, vxor ſua non audebit committere adulterium, certò ſciẽs D virum ſuum id agniturum, qui de alienarum coniugum infidelitate tanta certitudine poteſt diuinare (niſi deſipiat) melius de his, quæ in domo ſua contingunt præſagiet: conſequens autem aperte falſum eſt; quinimo hac occaſione capta, Leonidas irridet Aſtrologum adulteræ maritum, iactantem ſe conſcium probri alieni, & infortunij, cum domeſticum ignoret. Facetè luſit in eundem egregius Martyr Thomas Morus:

Thom. Morus.

Aſtra tibi æthereo pandunt ſe ſe omnia vati,
Omnibus & quæ ſint fata futura monent:
Omnibus eſt vxor, quod ſe tua publicat, id te
Aſtra licèt videant omnia, nulla docent.

Et idem:

Saturnus procul eſt iam olim cæcus, vt aiunt,
Nec propè diſcernens à puero lapidem.
Luna verecundis formoſa incedit, occellis,
Nec niſi virgineum virgo videre poteſt.
Iupiter Europam, Martem Venus, & Venerem Mars,
Daphnem Sol, Herſem Mercurius recolit.
Hinc factum, Aſtrologe, eſt tua cum capit vxor amantes,
Sidera ſignificent, vt nihil inde tibi.

Huc pertinet irriſio aniculæ videntis Taletem Aſtrologum, qui dum noctu cœlum contemplaretur, in ſcrobẽ decidit: qua de re extat Gabriæ feſtiuum Epigramma Græcum. Certè in hac parte Aſtrologi irriſione digni ſunt, & fundamentum eorum irriſibilius, vt nuper probabamus.

Non minus inane eſt fundamentum Aſtrologorum, ad præſagiendum qua hora aliquid fiat fœliciter, quáve infœliciter: quod communiter appellatur diuinatio Aſtrologica auſpicationum, ſeu electionum. Hanc autem diuinationem irrationalem, & impoſsibilem ex cœlo haberi, oſtendo, adducta praxi Aſtrologorum. Siquis, inquiunt, verbi gratia, iter capeſſat, ſub tali cœli conſtellatione, commodam habebit peregrinationem, à Rege benignè excipietur, rem familiarem augebit, & cætera. Contrà: ſi alia hora equum aſcendat, aut nauim; difficilia itinera, periculoſam nauigationem experietur. Certè niſi me fallit animus, vix poteſt intellectus capere, quomodo hæc à cœlo fieri poſsint. Eſto Iupiter, de noua cœli regione, radios ſuos in terram iaciat, fœlicem dicent conſtellationem pro itinere capeſſendo: quæro ego ex eis, defluxus iſte, afflatuſque fortunatus, homines ne ipſos itineraturos afflet, atque afficiat; aut ipſam potius itinerantium operationem, putà equi aſcenſum, vel è domo egreſsionẽ, vel aliquid aliorum, quæ ſunt neceſſaria pro inchoando itinere? Si primum reſpondeant, afflabuntur illi etiam, ſi tunc primũ

iter

iter non arripiant sideris beneficio, quoties itinerandi propositum habuerint: præsertim cùm ex eorum sententia, non præstet constellatio, quod pollicetur, tunc maximè quando est, sed longo etiam post tempore: si secundum dent, irrationabilius loquuntur, quia non valebunt exponere, quo pacto Iouia illa equi ascensio viam offendiculis purget, latrones abigat ex itinere, nubes, ac imbres exterminet. Nec parum negotij faceſſet, retinere istum defluxum, si itineratio multos dies duret, nisi delirè dicant in viatore equum ascendente, virtutem de cœlo descendere: aut cum de equo ille descenderit, illam in cœlum rursus euolare, & nouo influxu Iouis indigebit iste viator, quoties equum erit ascensurus. Fortasse dicent, esse aliquam vim primordialem, nusquam consistentem nullibi radicatam, quæ totum iter fœlix efficiat. Fabularis responsio, indigna auribus Philosophorum inculcari.

Eodem modo loquuntur de his rebus, quæ non sunt operationes nostræ, sed opera. Sententia est Ptholomæi, si in vrbis constitutione, Mars cœli medium obtinuerit, Principes eius ciuitatis plerumque gladio perituros. Vbi nam rogo sanguinolenta ista Martis radiatio recipitur; quæ tot deinceps Principes sit gladio necatura? Si dicas, in Principe ædificante ciuitatem; interrogo, quo pacto defossi illi subtus terram lapides (vrbis scilicèt fundamenta) cœlestes radios aliorsum declinantes, in Principem istum flectant, atque deriuent? Quo pacto in eius posteros, Regnique successores, hæreditario quasi iure, deueniat noxia ista virtus; cuius & susceptaculum perijt, & origo præterijt? Dices fortasse, non in Principe vrbis conditore, sed in ipsa potiùs vrbe, in ipsis primis lapidibus super quos erigenda est, pestilentiam illam recipi, & Martis pestifero quasi quodam afflatu, omnes eius vrbis Principes afflaturam. Sed quare, humus desuper congesta cementis, non prohibeat eam primorum lapidum exhalationem? Aut si non possit prohiberi; quare non inuadat pauperes, propter malam victus rationem, magis obnoxios pestilentiæ, quàm Principem ipsius ciuitatis? Consulendus esset habitare in suburbanis, aut longè à ciuitate illa, vbi Martis ille vapor, calce, ruderibus, & magno terræ cumulo obrutus, non possit peruenire. His, & similibus fortasse motus Hali magnus Astrologus, & Ptolomæi interpres, hanc iudiciariæ Astrologiæ partem censuit esse deserendam, & ante illum Cicero libro secundo de diuinatione, his verbis: *Quidam L. Tarutius Firmanus familiaris noster, in primis Chaldæis rationibus eruditus, vrbis etiam nostræ, natalem diem repetebat ab ijs parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus: Romamque, cum esset in iugo, Luna natam esse dicebat, neque eius fata canere non dubitabat. O vim maximam erroris! Etiam ne vrbis natalis dies ad vim Stellarum, & Lunæ pertinebat? Fac in puero referre, ex qua affectione cœli, primum spiritum duxerit; num hoc in latere, aut in cemento, ex quibus vrbs effecta est, potuit valere?* Hæc Cicero. Cuius postremis verbis efficacia nostrarum rationum insinuatur. *Hali.* *Cicero.*

Tertiò ad idem sic argumentor. Ista diuinatio Astrologica, estò possibilis esset, tamen omnino inutilis: primò, quia cùm prædicitur nobis id, quod est futurum in tali, vel tali hora, vt edoceamur, vtrùm actiones nostræ inchoandæ sint in eà hora, vt fœliciter fiant; prædictio illa nullius vtilitatis est, si sequamur sententiam ipsorum Astrologorum: nam in re, quam ex auspicatione Astrologi intendis facere, vel constellatio natalitij tui, fecit tibi cœlum fauorabile, aut aduersum: si aduersum, non prodest auspicatio, ex sententia Ptolomæi: quare rem semper infœliciter aggredieris, & ab ea semper fœliciter abstinebis: maximè quia plus efficaciæ censetur habere natalitia constellatio, quàm alia ab Astrologis auspicata. Aut verò illa constellatio faciet tibi cœlum fauorabile, & tunc nulla opus est horarum electione, sed tua tibi tunc electio sufficit, quia tunc fœlicissimè rem illam aggredieris, cùm te ad illam animus mouit.

Secundò. Fac Astrologum tibi prædicare, quædam prosequi quæ ipse iusserit, quædam fugere, quæ ipse prohibet, nullam in hac prædictione vtilitatem ego video. Nam quæ prænuntiantur, aut pertinent ad proprium corpus, vel sunt externa, atq; fortuita. Si ad proprium corpus: rogo si ad valetudinem spectant, Astrologi ne iudicio, iudicium quoque Medici pariter consentiat, an ab eo potiùs diuersum sit? Si idem sentit vterque, nihil

tibi confert Aſtrologus, quod Medicus A
ſolus præſtare non poſsit: ſi diſſentiunt,
vtri potius quæſo putas accedendum? Sanè ſi Medicum repudiando, Aſtrologo te committas, inſanus iudicaberis. In agendis rebus alijs externis, ſimiliter interrogo: an quod Aſtrologia conſulit, prudentia etiam moneat eſſe faciendum? Si ambæ conſonant; quare quod intra nos eſt, tam procul quærimus in cœlo? Si diſſentiant; quis, niſi deſipiat, dicet prudentiam, & eius regulas eſſe relinquendas; quæ nihil aliud dictant, quàm quid in rebus humanis ſit agendum? Sed iſtum diſcurſum exemplis in praxim deducamus. B
Prædixit Aſtrologus Martem tibi hoc anno morbum validum comminari, excitaturum bilem, ex poteſtate quam habet in annua rotatione: quare potius vtendum frigidis, & vitæ rationem aduerſus ardorem Martis eſſe inſtituendam. Rogo, An hoc ipſum, quod de cœlo Aſtrologus prænuntiat, ipſa quoque ſigna demonſtrabunt, quæ à corporis tui diſpoſitionibus petuntur; quibuſque Medicorum nititur coniectura: aut non demonſtrabunt? Si demonſtrabunt, hoc erit tibi ſufficiens indicium ad præcauendam malam valetudinem. Si non demonſtrent: C
rurſum rogo, putabis ne bene feciſſe, vt cùm nulla erunt indicia choleræ exæſtuantis, ſed vrina albicans, & craſſa, venarum tardi pulſus, facies pallore deformis, membrorum pigrities, reliquaque id genus, quibus Medici pro notis vtuntur non choleræ, ſed pituitæ dominium indicantia: tu tamen choleram euacues, quia Martem de cœlo tibi finxerit Aſtrologus minitantem? Quid quod neque prudens Aſtrologus id tibi conſulet, qui etſi de Marte illa verè pronuntiet; poteſt naturalis tua temperatura, poteſt D
vniuerſalis ipſius anni diſpoſitio, vel vitæ ratio, qua diù vſus fueris, ad contrarium re vertiſſe. Denique cauſam vnam videt Aſtrologus, quæ hoc poſsit efficere, & illam remotam, & vniuerſalem: Medicus non modò ex proprijs, & propinquis cauſis iudicat, ſed rem ipſam ſenſu percipit, & quod ex omnium ſimul cauſarum complexione reſultat, ipſa hoc monſtrante naturæ præſentis euidentia, tenet. Sit alterum exemplum. Conſulit Mathematicus Principi, ne bellum ineat cum inimicis, quia Mars ei parum propitius ſit. Rogo: Vtrum quo tempore illi conſilium dederit, nulla cauſa iuſta bellandi habeatur à Principe; aut ſi habeatur, nulla tamen occaſio, quia non ſuppetunt vires, aut militum copia, quibus victoria ſperari poſsit? & hoc in caſu prudentia dictat, nullo ſidere ſpectato, à bello abſtinere. Aut verò bellandi iuſta cauſa, & occaſio adeſt, inſtrumenta bellica multa, milites robuſti, ac numeroſi, ita vt prudenter victoria ſperanda ſit; & tunc abſtinere à bello propter prædictionem Aſtrologi, ineptum iudicabitur: & ſic de alijs, tu Theologe, iudicium ſumito.

His fortaſse, & alijs ſimilibus ſuaſſus Hali Abenraguel, hãc partem Aſtrologiæ, *Hali.*
vt inefficacem, & inutilem reiecit: nos verò peiore titulo donamus, & vt perniciosam ſuis ſequacibus, execrandam arbitramur. Cuius rei Annales antiqui, & moderni, multa nobis ſuppeditant exem- *Paul. Dia.*
pla. Paulus Diaconus libro. 23. rerum Romanarum, de Pancratio quodam Aſtrologo refert, eum Conſtantino Irenes filio Imperatori, cauſam cladis maximæ, & ſibi ipſi mortis cauſam fuiſſe ſuis prædictionibus Aſtrologicis. Et Cardanus in Ptolomæum, de Aſtrorum iudicijs libro primo, textu quarto, narrat quendam inſignem caſum cõfirmantem ea, quę *Cardanus.*
dicimus, de Ludouico Sforcia Principe Mediolanenſi, qui habebat ſecum Aſtrologum indiuiduum comitem, in quem plus centum auri magna talenta profudit. Aſtrologus is, obſeruatis Aſtris, tempus cuique rei inchoandæ perſcribebat, vt fœliciter fieret, vſque adeò ſuperſtitioſè, vt Ludouicus cogeretur, etiam tempeſtatibus magnis inſtantibus, equum aſcendere, & aulicis ſuis comitatus, in alium migrare locum per medios imbres, per cœnum, & lutum inſtar hominis fugientis hoſtes ſuos. Sed videte fœlices huius Principis euentus: non obſtantibus monitis, & auſpicationibus Aſtrologicis, Principatu à Gallorum Rege ſpoliatus eſt, & in carcerem coniectus, ac colapho cæſus, tandem in camera clathro ferreo munita vitam finiuit, factus ludibrium cunctorum.

De impugnatione fundamentorum Aſtrologiæ iudiciariæ per imagines cœleſtes, dicemus cum Diuo Thoma in quæſtione ſequenti.

Sexta aſſertio. Quid quid ſit de veritate fundamentorum Aſtrologiæ iudiciariæ, ea ſcientia (ſi tale nomen meretur) vana, & inuti-

inutilis eſt : maximè quæ verſatur in prædicendis effectibus merè contingentibus, quos diximus non cadere ſub cauſalitate aſtrorum. Probatur: quia id dicitur vanum, & inutile quod ſuum finem non aſſequitur, ſed ex Aſtrorum, & ſiderum inſpectione, præfati effectus nequeunt agnoſci: ergo ars quę id docet, vana eſt, & inutilis. Minor probatur, quia faciliora ſpectãtia ad cœlos, Aſtra, & ſidera ignorare falſi ſunt percelebres Philoſophi: ita Ariſtoteles libro ſecundo de cœlo, textu decimo ſeptimo, trigeſimo quarto, ſexageſimo, ſexageſimo primo. Cur ergo Aſtrologi omnia, quæ ad ſupernas eas ſubſtantias pertinent, certò ſcient? v. g. cœlorum naturam, numerum, motus diuerſos, & eorum diuerſitatis cauſam, quã vim habeant ſtellæ ſingulæ in omnia ſublunaria, quomodo diuerſas reſpiciant regiones, & ſimilia. Neſcient profectò ſapientiſſimi ipſorum iſta omnia diſſoluere. Confirmatur. Rerum ſublunariũ, putà metallorũ, herbarum, animantiũ proprietates, adamuſim ſcire, nulli mortalium datur : ergo multo minus rerum ſupernarum proprietates, ex quibus iactant ſe haurire, & penetrare cognitionem futurorum. Antecedens habetur Sapientiæ 9. *Quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu inuenimus, cum labore, quæ autẽ in cœlis ſunt, quis mueſtigabit?* Iob. 34. *Num quid noſti ordinem cœli, aut pones rationem eius in terra?*

Sapient. 9.

Iob. 34.

Secundò. Apud Aſtrologos ipſos variæ ac multiplices ſunt opiniones de influentijs Aſtrorum, de domorum, ac ſignorum efficacia, de varijs ſiderum aſpectibus, & alijs multis. Ptolomęo aduerſatur Albumazar, & alij Arabes, qui Græcis contradicunt: Arabibus Iudæi, & his moderni: demum vix in aliquo concordant: ergo à principijs tam incertis nulla valet deſumi certitudo, ac proinde temerariè futuros euentus merè contingentes, ex inſpectione Aſtrorum, & ſiderum aſſeuerant. Dices: In omnibus ſcientijs opiniones ſunt, non tamen ob id reijciuntur. Fateor: ſed in omnibus verè ſciẽtijs quædam principia per ſe nota, & plures demoſtrationes ſunt : at in Aſtrologia diuinatrice nulla demonſtratio, nulla inter autores concordia.

Tertiò. Aſtrologorum peritia, circa futura prædicenda, potiſsimè verſatur in cognoſcendo fideliter horam, ſeu tempus, in quo quis naſcitur, & in ſciendo cum certitudine conſtellationes, & influentias cœleſtium corporum, in hoc ipſo tempore afflantes cum, qui naſcitur : ſed hæc duo certò agnoſcere, vel impoſsibile, aut vix poſsibile mortalibus eſt : ergo neque futurorũ euentuum inde collectæ prænotiones poſsibiles erunt. Minor probatur quoad primam partem: quia neceſſe eſſet, Aſtrologum conducere paratum in conſpectu mulieris parturientis, arrepto Aſtrolabio, ortus infantis certum tempus Mathematicè metiri, quod valde difficile eſt : tùm quia propter tempus nubiloſum, aut propter noctis tenebras ingruentes, vel quid ſimile, vſus Aſtrolabij ſæpe impediretur : tùm quia Aſtrolabium ipſum, quantauis diligentia fabricatum, non poteſt euadere omninò perfectum, quinimò in multis deficiens, vt ipſimet Aſtrologi fatentur, & cõqueruntur : tùm tertiò, quia tam curioſa horæ natalitiæ obſeruatio rariſsima eſt, & dũtaxat in natiuitatibus magnorum Principum vſitata: ea verò, quæ communiter fit, interrogatis obſtetricibus, aut natorum parentibus, adhuc incertior eſt, vt pote quæ communiter ab horologijs artificialibus ſæpe imperfectis ſumitur, & quæ tantùm deſignant horas artificiales, diuiſibiles in multas partes, à ſolaribus horologijs non notatas, intra quas magna poteſt eſſe variatio, & eſt conſtellationum, vt dicemus. Aſtrologi hanc difficultatem agnoſcentes, ne diuinatio fruſtretur, remedia quædam adhibuêre, vt ex hora exiſtimata (vt ipſi appellant) indagetur vera. Certè mirandum, & incredibile, inueniſſe artem cognoſcendi, vtrùm aliqua res particularis fuerit, nec ne: & ipſi inter ſe vſque adeò diſſident in fingenda methodo inueniendi veram horam natiuitatis cuiuſque, ex hora falſa exiſtimata, vt & ego laſſus abſtineam ab his confutandis. Secundam partem minoris probo: quia ſiderum, & Aſtrorum ſtatũ, ac poſiturã, in momento natiuitatis afflantẽ paruulũ natum, punctim, & exactè agnoſcere, ferè, aut omninò impoſsibile eſt mortalibus, propter rapidiſsimum cœli motum, qui facit vt conſtellatio, ſub qua quis naſcitur, prius tranſuolet, quàm à mortalibus notari valeat. Hanc autem punctualem, & exactã cognitionem, eſſe neceſſariam ad ſua præſagia edenda, fatentur Aſtrologi, & ratio perſuadet, cùm poſitiones, ac ſitus ſiderum, & Aſtrorum, & eorum coniunctio, varietur ad ipſorum motum, vnde poſitio, & ſitus ſumitur. Hoc argumentum luculenter tractat diuus Baſilius Homilia ſexta in Geneſim. Confirmatur, ſi tam breui temporis

Baſilius.

morula (vt retulimus ex Nigidio figulo) A variatur ratio conſtellationis, ſub qua quiſque naſcitur, erit certè propria conſtellatio in ortu cuiuſque Aſtrologis incomprehenſibilis. *Gregor.* Rectè diuus Gregorius vbi ſupra, ſi propterea Iacob, & Eſau non cenſentur nati ſub eadem conſtellatione, quòd non ſimul nati ſunt, ſed vnus poſt alterum, ob eandem profectò cauſam iudicandum erit, nullum hominum ſub eadem conſtellatione totum naſci, non enim totus ſimul ex vtero procedit, ſed particulatim, & membratim: primò enim effert caput, tum collum, deinde pectus, poſtremò pedes. Iacob enim proximè natus eſt poſt Eſau, manu planctam pedum eius tenens, per inde quaſi (ſicut in- B quit Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad literam cap. 17. *Avnus inſtar duorum, vel duplo lõgior naſceretur.* Videndus eſt Fauorinus apud Gellium lib. 14. cap. 1. qui ſatis ſcitè proſequitur hoc argumentum: quo (velint nolint) conuincendi ſunt Aſtrologi, eſſe illis impoſsibile coniectare certò de euentibus hominum, per conſiderationem conſtellationis in ortus tempore, cùm hæc agnitio tam punctualis ſit impoſsibilis, & quælibet alia impertinens ſit, eo quod propter cœlorum velociſsimum motum, non poteſt non diuerſiſsima eſſe, vt ipſimet fatentur. *Auguſt.* *Fauorin.* *Gellius.*

Quartò. Ad prædicendos futuros euẽtus, C non minus neceſſe eſt agnoſcere poſiturã, & ſitum ſtellarum fixarum in octaua ſphęra, quàm aſtrorum: quia ab influxibus earũ, etiam pendent ſublunares effectus, vt ſapiẽtiores Aſtrologi concedunt: ſed illarum poſitionem, & ſitum impoſsibile eſt mortalibus agnoſcere: ergo neque ex eis, futuros euentus. Minor probatur: quia Aſtrologi fatentur ſe tantùm noſſe mille, & viginti quatuor ſtellas fixas, cęteris ignoratis. Egregiè hanc rationem amplificat Seneca in li. 2. naturalium quæſtionum cap. 32. ſed Aſtrologi, vt huius argumenti vim effugiant, in diuerſa abierũt. Quidam dicunt, illas agnitas ſtellas eſſe alicuius momenti, & efficaciæ, cæteras verò nullius aut parui momẽti propter earum exiguitatem. Cõtrà: nam earum minima, maior eſt toto globo terreſtri, & immenſe ſuperans quodlibet corpus indiuiduale, quod regitur à concurſu ſtellarum ſimul, & Aſtrorum. Secundò: quia quælibet ſtella ſeorſum ſumpta alicuius actiuitatis eſt: ergo multæ coniunctæ ingẽtem habebunt efficaciam. Alij reſpondent, Aſtrologos non omnes ſtellas fixas noſſe, *Seneca.* D ſed omnibus vti: quia cùm ferè omnes intra ſigna zodiaci contineantur, dum vtuntur illis ſignis ad ſua præſagia edenda, ſtellis omnibus vti neceſſe eſt. Videte futile ſuffugium, cum innumeræ ſtellæ ſint extra latitudinem graduum, qui in ſignis computantur. Nec minus imbecillis reſpõſio Bonati Aſtrologi, conantis vim argumenti deludere. *Chriſtiani (inquit) multa myſteria fidei ignorant, & tamen multa concionantur: ſic Aſtrologi, licèt multarum ſtellarum concurſum ignorent, adhuc ex concurſibus aliarum diuinant.* Reſponſio digna ſuo autore, non attendente, cognitionem aliquam haberi poſſe à Theologo, Philoſopho, & Medico, licèt non agnoſcant omnia principia ſuæ ſcientiæ; at Aſtrologi iudiciarij nequeunt vel tantillam prædictionem veram enuntiare, niſi agnoſcant concurſum omnium ſtellarum, & Aſtrorum, à quibus quilibet effectus ſublunaris dependet. *Bonatus.*

Quintò. Fac Aſtrologos fideliter ſcire horam natiuitatis cuiuſque influentias ſtellarum, & Aſtrorum, domorum, & ſignorum correſpondentes horæ natiuitatis: omnia tamen iſta dumtaxat cauſæ vniuerſales ſunt futurorum euentuum: at hæ non poſſunt producere effectus, ſine cauſis particularibus efficientibus, ſiue materia idoneè præparata: ergo ad prænoſcendos effectus neceſſe eſt agnoſcere cauſas particulares, & materiarum diſpoſitiones, quæ cùm multiplicentur ſine numero, vix, aut nunquam poterit Aſtrologus aliquid certò coniectare de futuris euentibus. Confirmatur. Licèt ſtatus, & poſitura corporum cœleſtium, portendat puero naſcenti aliquot propenſiones, & inclinationes ad aliqua peragenda: poterit tamẽ ille influxus cœleſtis multipliciter impediri per ſeminis paterni diuerſam qualitatem, per regionis, in qua naſcitur, & moratur, terreſtrem impreſsionẽ, per ciborum, quibus veſcitur, diuerſas qualitates, per moralem educationem, & per multa alia, quibus ſæpiſsimè contraitur efficacitati cauſarum vniuerſalium: at hæc omnia ſcire nequit Aſtrologus: ergo neque certò prædicere futuros euentus, ac proinde diuinatrix Aſtrologia, qua iactant ſe Aſtrologi omnia ſcire futura, vana & inutilis, imò mortalibus impoſsibilis eſt.

Præfatis rationibus, quas ſpàrſim in præcedentibus aſſertionibus collegimus, & alijs quampluribus, Sancti citati, & ferè omnes Theologi, Philoſophi, & cæteri ſapientes antiqui, & moderni, Aſtrologiam diuinatri-

cem

cem execrati sunt, & reiecerunt. Nihilominus omni æuo Astrologi suos habuerunt, & habent patronos, vt verbis vtar Cornelij Taciti inferius citandi. Et si roges qui sint isti patroni? Respondeo in primis, illis faue re imperitum vulgus, nescions rationibus agere, facile credulum, & noua, & mirabilia cognoscendi curiosum, & ideò istis figmentis Astrologicis libenter se accommodans. Insuper quidam homines alias sapientes, sed nouarum, & ignotarum rerum auidissimi, & vt phrasi regij Prophetæ vtar, ambulantes in magnis, & in mirabilibus super se, qui tunc se sapere putant, quando inaudita, & mirabilia, quæ alij sapientes fatentur ignorare, ipsi pronuntiant. Videndus diuus Ambrosius lib. 4. Exameron, vbi cõparat hanc Astrologiam diuinatricem telæ aranearum, in quam si culex, aut musca incidit irretitur, non verò validiora animantia, &c.

Psal. 113.

Ambros.

Sed nunquid Astrologiam iudiciariam omninò explodimus, & eius professores omninò reijcimus? Nequaquam: sed

Septima assertio sit. Illa Astrologiæ pars, quæ ex horoscopo, id est, ex natalitia cõstellatione, prædicit natorum propensiones, & inclinationes, si prædictio intra limites proprios contineatur, non est illicita, & vana, sed ad vnam Philosophiæ, & Astronomiæ naturalis partem reducenda. Probatur: quia præfatæ propensiones, præcipuè ab astris, & stellarum situ, vt à causa, proficiscuntur, vt D. Thom. docet locis inferius citandis: sed cõiectare, aut cognitionem sumere effectuum ex suis causis, ad veram scientiam pertinet, nec in se aliquid absurdi continet, cùm hoc beneficium à Deo collatum sit hominibus, vt ex causis procedant ad cognitionem suorum effectuum, & è contra: ergo. Dixi, si intra proprios limites contineatur: tùm quia licet illa causalitas Astrorum erga hominum propensiones, fortassè ab Angelis agnoscatur, ab hominibus verò, rarò, aut leui coniectura desumpta ex experientia, orta etiam ex coniectura, & multis obuoluta erroribus: tùm quia illa causalitas à multis impediri potest, vt superius circa sextam assertionem adnotabam: & ideò cognitio ab ea desumpta perexigua est, & vix nomen coniecturæ meretur, vt benè considerauit Caietanus in fine Commentarij huius articuli. Quare Astrologi, de his propensionibus, & inclinationibus ex cõstellatione natalitia loquentes, nisi temerarij esse velint, cum magna formidine debe-

Caietanus.

rẽt proferre iudiciũ, v.g. existimo, velcredo has inclinationes portendere huic infantulo cœlum, nisi aliunde impediatur, aut nisi ego in supputationibus meis fallor, vel quid simile: sed ipsi istis monitionibus non adhibebunt fidem.

Octaua assertio sit. Effectuum actualiũ, maximè merè contingentium, quales sunt casuales, & fortuiti, & actus humani, leuem quandam coniecturam potest desumere Astrologus ex siderum positione, & situ. Hæc videtur haberi ex D. Thom. in solutione ad secundum huius articuli, & prima parte quæstion. 115. arti. 4. ad tertium. Probatur, nam ex Astrorum, ac siderum positione diuersa, diuersæ dimanant propensiones, & inclinationes in hæc inferiora, etiam in homines: hic ad Venerea inclinatur, ille ad rixas, &c. Sed quæ est hominum ad malum procliuitas, ferè omnes, præter paucos probos, sequuntur suas passiones, ac inclinationes: ergo Astrologus, qui eas inclinationes agnouerit, ex cœlorum ac siderum positura, poterit aliqualiter coniectare de futuris euentibus actualibus etiam voluntarijs hominum, qui occasionaliter ad eas inclinationes cõsequuntur. Et si obijcias, euẽtus, maximè voluntarij, habent pro causa solam voluntatem, quæ non subditur sideribus. Negatur antecedẽs, quia aliquando habent pro causa voluntatem excitatam ab inclinationibus, ac passionibus suorum subiectorum: & propterea quamuis opera nostra, vt sunt à voluntate, nõ subdantur cœlo, aut astris, tamẽ vt sunt à corporalibus, subsunt eis, sicut subduntur passionibus nostris, à quibus voluntas molestiam patitur, & excitatur; non tamen cogitur, aut necessitatur. Quare ex præfatis inclinationibus non potest desumi certa cognitio futurorum actuũ humanorum, sed tantùm coniectura, & ea leuissima, ac multo leuior, quàm ea, quę habetur de propensionibus, & inclinationibus. Etenim vltra ea, quæ diximus in præcedenti assertione, impedire certam cognitionem passionum, & inclinationum, adhuc maiora impedimenta reperiuntur ad iudicandum de euentibus actualibus: tùm quia sicut sapiens dominatur suis passionibus, sic & Astris, à quibus profluunt; & ipse Ptolomæus Princeps Astronomorum fassus est: tùm quia euentus actuales, non solũ ab Astris efficiuntur, vel ab inclinationibus, verùm etiam ab alijs causis efficientibus, & materialibus pendent: quibus ignoratis, necesse est cognitionem eorum claudicare,

D. Thom.

quare

Quare Astrologi (nisi velint desipere) non sine ingenti formidine, etiam exterius pronuntiata, de his euentibus prædicent.

Quod si obijcias, D. Thomam in locis nu per citatis, & alibi sæpe, affirmasse Astrologos frequenter vera prænuntiare, quæ ergo inuidia est ita exinanire eorum cognitionem ex Astris? Potius namque videtur accedere ad scientificam, quæ de rebus iudicat scientificè, quando frequenter, & vt plurimum contingũt, aliàs neque de ficcitatibus, pluuijs, & huiusmodi futuris possemus certò, aut probabiliter ex Astris iudicare, quod contradicit eidem sancto Doctori in fine huius articuli. Huic obiectioni plenius satisfaciemus inferius in solutione argumẽtorum, narrantes lapsus, & abusus Astrologorum, occasione doctrinæ Doctoris Angelici: modo verò breuiter respondetur, nõ esse mentem D. Tho. Astrologos ferè semper vera prædicere, quin potius pauca vera præsagiunt (vt docuit D. August. lib. de diuina. dæmon. ca. 5. & 2. de doctrina Christiana, cap. 24) & sæpe ab ipso dæmone procurata ad decipiendos homines: sed sensus est, quod in plurib̃ vera prædicunt, idest, non semel, aut bis, sed sæpe. In loco autem citato ex prima parte adhuc explicatius loquitur, vt plurimum vera prædicere in cõmuni, non in particulari: idest, qui nascitur sub tali siderum positione, iracundus erit, qui sub tali mansuetus, &c. & hoc, suppositа agnitione differentiarum causalitatis cœlorum in hæc inferiora. De qua re pauci, & pauca probabiliter, nedum certò sciunt.

August.

Numquid desunt argumenta pro Astrologis? Nequaquam: nos fortiora adducemus, & eorum vim, quoad fieri poterit, ostendemus. Primum sumitur ex multis sacrę Scripturæ testimonijs. Genes. 1. dum agitur de cœli luminaribus dicitur: *Et sint in signa & tempora, & dies, & annos.* Vnde colligũt quidam, etiam Theologi, Astra quamuis nõ sint causæ, esse tamen signa certa futurorũ.

Genes. 1.

August. Et August. 5. de Ciuitat. cap. 1. inquit: *Non enim hominum mediocriter doctiorum fuit ista sententia.* Et Iudicum 5. *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt.* Quo pacto (inquiunt Astrologi) pugnauerunt, nisi quia Iudæis faustus, Sisaræ verò infaustus, ille cursus Astrorum, & siderum positura. Psalm. 18. *Opera manuum eius annunciat firmamentum*, idest prænunciat ea, quæ Deus facturus est. Isai. 34. *Complicabuntur sicut liber cœli.* Quod explicans Tullius Serenus vbi supra, cap. 36. & 37. ait: *Qua oratione significatur, cœlos post diem iudicij conuoluendos esse, atq; cõplicandos, quasi nũc cœli, instar cuiusdã libri, sint explicati, & aperti nobis, haud dubiè ad legendum.* Et Matth. 2. ex illo: *Vidimus stellam eius*, Petrus de Aliaco, & alij aiũt, Magos sideralis scientiæ peritissimos, ex Astris potuisse prænosse Christi natiuitatem.

Iudic. 5.

Psalm. 18.

Isaiæ. 34.

Tul. Seren.

Matth. 2.

Secundò argumentor ex sapientum testimonijs, Plotini, Porphiri, Origenis, quẽ refert ita dixisse Eusebius, lib. 6. de præpar. cap. vltim. & adducit Origenes orationem quãdam Ioseph, in qua dicit: *Legi in tabulis cœli quæcumque contingent vobis, & filijs vestris.* Et quod magis mirandum est Aug. in 2. lib. cõtra Manichæos, cap. 21. sic ait: *Neq; enim in illis corporibus cœlestibus, sic latere posse cogitationes crediderint, quemadmodũ in his corporibus latent, sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in oculis, sic in illa perspicuitate, ac simplicitate cœlestium corporum omnes motus animi latere non arbitror.* Hæc Augustinus.

Euseb.

August.

Deinde argumẽtatur rationibus. Prima sit. Communis vox sapientum est, corpora inferiora per superiora gubernari, vnde Aristote. in 1. Metheor. *Necesse est* (inquit) *mundum istum contiguum esse lationibus superioribus, nimirum vt earum influxum recipere valeat.* Et August. 3. de Trinit. cap. 4. *Corpora* (ait) *crassiora & inferiora, per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur.* Et experientia id ipsum manifestat, nam ex accessu, & recessu solis in nos, promanat diuersitas temporum, hyems, ver, æstas, autumnus, anni, dies, & nox. Luna quantas habeat vires in hæc inferiora, quis dubitat? præcipuè admirandæ sunt in fluxu, & refluxu maris. Cur ergonõ cõcedemus, ex inspectione corporũ cœlestiũ, & eorum causalitate quã considerat Astrologus, posse præcognosci omniũ rerũ sublunarium euẽtus? Non enim cætera sidera, & Planetæ putandi sunt inefficaciores, ad influẽdum in sublunaria quæque, quàm Sol, & Luna. Confirmatur. Quam plurimas effectiones Methereologicas, vt grandines, niues, ventos, nimbos, ac tempestates ab elementis effici palam est, & omnes affirmant: ergo & easdem à cœlo causari, & à sideribus, ac planetis, multo magis necesse est: quia nobiliora plusquam actiuitatis habent: ac proinde ex eorum inspectione, & meditatione prædici ab Astrologis.

Aristot.

August.

Secunda ratio. Morbos, pestilentias, ruinam

nam brutorum, plantarum, & huiusmodi, à cœlorum influxibus prouenire experientia manifestat: ergo ab eisdem influxibus, in homines prouenire easdem mutationes, & maiores certum est, putà in corporum tẽperatura, in moribus, & ingenijs, salua tamen arbitrij libertate. Probatur consequentia: quia ex eisdem elemẽtis, & qualitatibus, quibus corpora rationis expertia componuntur, & nostra, constãt. Confirmatur. In brutis quasdam esse propensiones, nullus negabit, dum videmus quædam ad iram, quædam ad mansuetudinem, & alios motus appetitus sensitiui propendere, mediante siderum, & planetarum diuerso afflatu: ergo idem non est negandum in hominibus, dum scilicet sidera eas affectiones, & propensiones in eis efficiunt, vel suscitãtia, vel frænantia bilem, sanguinem, pituitam, melancholiam, quos humores, illæ propensiones, & affectus appetitus sensitiui comitantur. Tunc sic, calidas, siccasque pariter cœlorum impressiones choleram exacuere, quis dubitare potest? Ergo nec inficiari poterit, excitare ad lites, iurgia, contumelias, & inimicitias, vnde bella, & vastationes sequuntur, vnde imperia, regnaq; mutantur. Similis discursus poterit fieri de influentijs excitantibus alios humores, quos mansuetudo, quies, pax, comitatur. Post hæc colligit Ptolomæus: si stellæ, & Astra faciunt diuersitatem corporis, & animi, deriuatur hæc ad ea, quæ sunt extrinseca, sed habent cum illis affinitatem, qualem cum corpore vxor, & facultates, cum animo dignitas, & honores. Hæc est præcipua ratio Ptolomæi, nec aliter probat, sidera vim habere effectricem omnium euentuũ sublunarium, quàm ex efficientia primarum qualitatum, quas producendo, cætera quæque producunt cõsequenter. Vnde rogatus, qua re hæc Saturnus, hæc Iupiter, illa verò Mars operetur? nullas alias affert causas, nisi quia Iupiter sit calidus, & humidus, Saturnus siccus, & frigidus, Mars siccus magis, & feruidus: sic loquitur de Planetis, & de stellis fixis idem sentit.

Tertia ratio est aliorum, qui non satis esse putant, ad omnes effectus causandos, & prædicendos, ad primas qualitates recurrere, sed aiunt necessum esse ponere in cœlestibus corporibus occultas quasdam, & eminentiores vires ad multa opera causanda, quæ excedunt primarum qualitatum actiuitates, & per Astrologos prædici possunt. Argumentum sic procedit: In rebus terrenis videmus quasdam excellentes, & admirabiles proprietates, quas sapientes non reducunt in elementa, & eorum primas qualitates, quibus componuntur, & coalescunt, sed in cœlestium corporum influxus: verbi gratia, quod magnes trahat ad se ferrum, quod aquæ maris statutis temporibus accedant, & recedant illo admirabili æstu, quẽ in mari experimur, & id gnus multa: cur ergo erit formidandum, quasdam mirandas proprietates in sideribus, & in alijs cœlestibus corporibus, tam claris, tam vastis, tã velocibus, constituere?

Quarta ratio. Multa videmus fieri excedentia nostras vires, multa præter rationes nobis notas, quæ causas suas alibi habere, quàm in cœlestium corporum efficacitate, non apparet. Nam rogo, vnde hic habilis ad Medicinam? ille ad artes mechanicas? hic fœlix ad negotiationes? ille ad militia? hic audax? ille meticulosus? hic sobrius? ille edax, & ad Venerea pronus? & similia? certè nisi influxibus cœlorum adscribas, neutiquam te à præfatis quæstionibus eripies.

Quinta ratio. Scientia hominum ab experimentis initium sumit, vt docet Aristoteles 1. Methaphysic. sed antiqui Astrologi, multis experimentis, sumptis à cõsideratione motus cœlorum, positione stellarum, Astrorumque habitudine, compararunt sibi peritiam prædicendi futuros euentus, & alias res occultas, ac eam docuerunt posteris, & scriptis mandauerunt: ergo ea scientia, quæ istiusmodi docet, & vocatur Astrologia iudiciaria, laudabilis est, & licita, atque cæteras Philosophiæ partes superans, vt potè quæ circa remotiora ab humana cognitione versatur, nempè circa futuros euentus, quos valde mortales desiderant scire. Minorem Astrologi probant multis enarratis experimentis ad hoc spectantibus; & nos inferius aliqua adducemus. *Aristot.*

Confirmatur: quia Astrologi, ex Astris coniectantes futuros euentus, vera sæpe dixerunt de occultis, & futuris, quæ ex his terrenis causis dignosci non valuerunt: ergo huic scientiæ fides non mediocris adhibenda est. Antecedentis veritatem ostendunt multæ prædictiones Astrologorum veterum, & recentiorum, quarum impletæ sunt Historiographorum paginæ. Suetonius in Octauio ait, quendam Astrologum magni nominis apud Romanos, ex Horoscopo Augusti prænuntiasse, Dominum orbis esse natum: & idem Suetonius in Domitia- *Sueton.*

mitiano ſcribit, Aſcletarionem Mathematicum accuſatum, quod ſe de peritia cognoſcendarum rerum ex ſideribus iactaret, non id negaſſe: à quo ſciſcitatus eſt Domitianus, quis ipſum Aſtrologum maneret exitus? Reſpondit, in breui lacerandum à canibus. At Domitianus iuſsit ſtatim interficere, & ſine mora ſepeliri, vt irrideret artis vanitatem: quod cùm fieret, euenit, vt repentina tempeſtate deiecto funere, ſemiuſtum cadauer diſcerperent canes. Et ſeculis noſtræ ætati proximioribus narrantur multæ prædictiones Aſtrologorum veræ. *Ænapius.* AEnapius in vita Edeſij refert, Aſtrologos cuidam Allabio valde à fortuna afflicto, dignitatem quandam enunciaſſe, quod ita euenit: & Athenaidi, vxorem futuram Theodoſij Iunioris, ita *Zonoras.* Zonoras: & Rodolphio Habſpurgio imperium, ita *Cuſpinian.* Cuſpinianus in Cæſaribus: & ſummum Pontificatum Leoni X. Adriano VI. Marcello XI.

Ad argumenta hæc continuò reſpondetur. Ad primum teſtimonium, duo luminaria magna data eſſe in ſigna ad deſignandas ſerenitates, & tempeſtates, in tempora, putà hyemem, ver, æſtatem, autumnum, quando iacienda ſemina, quando metendum, &c. quando dies creſcant, aut decreſcant, & ſimilia: non ad ſignificandum caſus fortuitos, aut liberos, vt Aſtrologi autumnant. Ita expreſſe colligitur ex Gloſſa Interlineali, *Baſilius.* Baſilio Homilia ſexta Exameron, Auguſtino de Geneſi ad literam cap. 14. *Theodoret.* Theodoreto, quæſtione 5. in Geneſim. Ad teſtimonium ex libro Iudicum, relicta expoſitione Ioſephi, Interlinealis, Vatabli, & Aliorum, nomine ſtellarum intelligentium Angelos, nec ſine fundamento; nam *Apocal. 12.* Apocalypſis duodecimo, dicitur de Dracone, quod cauda ſua traxit tertiam partem ſtellarum, ideſt, Angelorũ: ſed concedamus Aſtrologis ſidera intelligi, reſpondetur, ipſas ſtellas, Deo diſponente, corruſcationes, nimbos, grandines, & huiuſmodi aduerſus exercitum Siſaræ excitaſſe, vt inſtrumenta bellica, & fortia brachia nulli vſui eſſe poſſent illis. Ad Pſalmi verſum reſpondetur, pertinere ad Proſopopeiam, quaſi diceretur, cœlum ſtellatum, ſua pulchritudine, vaſtitate, & luciditate annũciat nobis excellentiam inuiſibilium operum Dei, ac tam pulchri corporis non potuiſſe *Hieronym. Euthym. Ambroſ.* alium eſſe opificem, quàm Deum. Ita diuus Hieronymus, Euthymius ibi, & diuus Ambroſius libro duodecimo Exameron, capite quarto. Ad teſtimonium Iſaiæ reſpondetur cum diuo Thoma, & Lyrano, ibi ſignificari quod in die iudicij vniuerſalis, complicabuntur cœli tanquam libri, ideſt, non exercebunt vltra Ethnici Aſtromantiam ſuam, nec ex Aſtris diuinare audebunt euentus hominum, qui modò audacter dicunt, ſe legere in ſideribus deſcriptos caſus, & euentus futuros. Fortaſſe hæc expoſitio ornatior procedet, ſi adnotaueris, ſimilitudinem libri complicati deſumptam eſſe ex more Hebræorum, qui libros Sacros ſcribebant in vnico folio, ſiue longa membrana ex multis conſuta, & eam ad modum telæ textorio radio circũuolutæ, circa cylindrum, vel bacillum ligneum circunuoluebant, & cõplicabant. Talem modum voluminis ego vidi in conuentu Bononiẽſi ordinis Prædicatorũ, vbi Pẽtatheucus Moyſi manu propria Eſdræ deſcriptus, aſſeruatur, multis corijs in vnũ conſutis, & inuolutis modo prædicto. Hinc ergo ſumpta comparatione, quemadmodũ quando cœlũ in ſui creatione primo apparens, dicitur extenſum fuiſſe inſtar volumi nis illius, ac ſi exponeretur ſpectãdum per ſingulas literas, Pſalmo 103. *Extendens cœlum ſicut pellem.* Ita Propheta agens de mũdi, ac cœlorum quaſi diſſolutione, eam cõparat illi libro complicato, ſiue membranę circũuolutæ, vt egregiè aduertit autor quæſtionum Orthodoxarum, reſpõſione nonageſima. Et in Apocalypſi cœlum receſsit ſicut liber inuolutus. Quare? Quia cœli tunc ceſſabunt eſſe vſui, miniſterijs, & obſequijs hominũ, quibus nunc fungũtur. Quæ ceſſatio pulchrè declaratur ab Iſaia, ſimilitudine libri, quem poſtea quam eo vſi ſumus, nec amplius nobis vſui futurus eſt, complicare, & claudere ſolemus. Ad teſtimonium ex Matthæi. 2. reſpondetur, tres illos Magos fuiſſe ſcientiæ ſideralis peritiſsimos, more Regum Perſarum, non verò vaniſsimè iudiciariæ Aſtrologiæ deditos. At verò ſiue hoc, ſiue illud fuerit, ex ſanctis Patribus habemus circa illum locum, & alibi, eos non præuidiſſe Chriſti natiuitatem ex motu ſtellarum, ac ſitu; tùm quia vt plures cenſent, ſtella Magorum in aëre de nouo creata, non fuit ſtella infixa firmamento, neque Aſtrum aliquod: tùm quia Chriſti natiuitas, omnium ſupernaturalium ſupernaturaliſsimum, non potuit aliquo naturali ſigno repræſentari, ſicut neque effici. Sed ſicut ipſe elegit mortem, iuſta illud: *Oblatus eſt*

D. Thom. Lyranus.

Pſal. 103.

quia

quia ipſe voluit, ſic & natiuitatem, & quo tempore naſceretur. Quare impiè fabulantur, qui ex conſtellatione ſtellarum affirmant, Chriſti mortem, & natiuitatem præſignari. Deliriumverò Aliacēſis egregiè impugnat Picus lib. 5. cap. 14. Si quis dicat, Chriſto moriente Sol obſcuratus eſt, cur Chriſto naſcēte, Aſtra, & ſtellæ ſigna lætitiæ non depromerent? Reſpondetur, non eſt hoc impoſsibile, ſed dictum non authēticum: & etiamſi reperirentur in cœlo talia lętitiæ ſigna, non eſſent naturalia, vt Aliacenſis, & alij putant. An verò ſicut legimus in natiuitate Chriſti multa miracula facta, putà tres ſoles, fontem oleo manantem, & ſimilia, ſic in ſtellis aliqua miraculoſa ſigna lætitiæ; nec affirmo, nec nego: aio tamen, neutiquam ſtellas, vel Aſtra potuiſſe naturaliter efficere Chriſti Domini natiuitatem, nec ſignificaſſe: quod quidam Aſtrologi contendunt.

Picus.

Ad ſecundum argumentum reſpōdetur, nos parum curare de Plotino, & Porphirio ſuperſtitioſis, & impijs. Illa verò verba Origenis, quæ Aſtrologis fauent, referuntur quidem ab Euſebio, licèt non approbētur: & fortaſſe fuerunt impoſita Origeni à ſibi inimico. De diuo Auguſtino nulla poteſt manere dubitatio, quin ſententiam Aſtrologorum refellat in pluribus locis iam citatis, præcipuè lib. 5. de ciuitate Dei per multa capita. Locus verò citatus ex eodem in argumento, non fauet Iulio Sereno, ſi benè expendatur, nam per corpora cœleſtia non intelligit orbes cœleſtes, ſed beatorum corpora glorioſa, vt contextus manifeſtat.

Ad rationes pro Aſtrologis factas reſpondetur. Ad primam, totam ſtructuram Aſtrologiæ iudiciariæ, fundari ab Aſtrologis ſuper illam propoſitionem allatam in argumento, inferiora ſcilicet per ſuperiora gubernari, & effici; ex cuius legitima expoſitione tota noſtra diſputatio pendet: quæ ſi exactè dilucidanda eſſet, longa terenda via, nimis prolixa foret inſtituenda tractatio. Nos contenti ſumus, vel ſummis labijs attingere quæ viſa ſunt ad præſens inſtitutum conducere, & veriora, ac conformiora doctrinæ diui Thomæ. Igitur ex mente eius

Dico primò. Omnes effectus corporei ſublunares, & naturales, cauſantur in eſſendo, & conſeruando, à corporibus ſuperioribus præcipuè. Dixi præcipuè: quia non à ſolis corporibus cœleſtibus, ſed etiam à cauſis ſecundis inferioribus cauſantur, & pendent, quæ eos immediatè operantur. Aſſertum eſt Doctoris Angelici, tertio contra gentes, capite 82. & prima parte, quæſt. 115. art. 3. quod tamen conatur euertere Mirandulanus, lib. 3. contra Aſtrologos ferè per totum, putans diuerſitatem effectuum ſub orbe Lunæ euenientiū, in cauſas tantùm proximas, non autem in aliquas conſtellationes, ſeu ſiderum poſitiones, vel quæuis alia cœleſtia corpora eſſe reducendam. Picum tamen egregiè refutat Ferrarienſis 3. contra gentes cap. 84. vbi & diſſoluit eius rationes; & ideò videndus eſt; ſatis nobis ſit, pro noſtro aſſerto ſtabiliendo ratio ſequens. Corpora cœleſtia ſuis virtutibus, & proprietatibus ſunt cauſæ vniuerſales, ſine quibus corpora inferiora neque agunt, nec agere poſſunt: ergo impoſsibile eſt intelligere, cauſas proximas corporeas ſolas efficere diuerſitatem ſublunarium effectuum, aliàs ſine ſuperioribus cauſis agere poſſent.

D. Thom. *Picus.* *Ferrar.*

Ab hoc tamen generali aſſerto excipit diuus Thomas effectus per accidens, ideſt, caſuales, & fortuitos merè naturales: qui in quantum per accidens ſunt, nequeunt in cauſam cœleſtem reduci, ſed in diuinā prouidentiam, aut intelligentias ſeparatas. De qua re idem prima parte, quæſt. 115. art. 4. & lib. 3. contra gentes cap. 86. & in eiſdem locis Caietanus, & Ferrarienſis.

D. Thom. *Caietan.* *Ferrar.*

Secundò dico. Quamuis attenta virtute cauſatiua, quæ reperitur in corporibus cœleſtibus, omnes effectus corporei ſublunares, & naturales reducantur in corpora cœleſtia, vt in cauſam, ad modum explicatum in præcedenti aſſerto: tamen cenſeo, determinationem illorum effectuum, qui apprehenſionem brutorum ſequuntur, ad operandum hìc & nunc, ideſt, ſecundùm tempus, & locum, non eſſe reducendam in cœleſtium corporum efficacitatem, ſed in Deum, & Angelos, quorum miniſterio vtitur Deus ferè in omnibus operationibus. Explicatur quod dicimus. Habent boues duo iacentes in prato, propenſionem à cœlo inditam, ad perquirenda virentia quæq; ſibi in paſtū, ſurgit vnus hora tertia, & pergit verſus Meridiem, alter hora ſexta, & pergit Aquilonem verſus: dico quod iſtæ determinationes, & exequutiones harum propenſionum, ad hìc, & nunc tam diuerſa, licèt habeant pro cauſa proxima apprehēſiones diuerſas boum circa paſcua perquirenda in diuerſis locis, & diuerſo tempore,

tamen

tamen non reducuntur in cœleſtiũ corporũ cauſalitatẽ. Probatur: quia omnis motio corporum cœleſtium naſcitur ex virtutibus eorum, quæ ſunt principia operandi: ſed non reperiuntur in cœlo principia, & virtutes ad tot determinationes, ſecundùm locum, & tempus: ergo non ſunt tribuendæ motioni cœleſtium corporum, etenim diuerſitatem operationum neceſſe eſt promanare à diuerſitate principiorum actiuorum. Probatur minor: quia aliàs eſſent in cœlo ferè infinitæ virtutes, & principia operandi, circa vnum indiuiduum brutale, cùm eius determinationes in exequenda ſua propenſione, innumeræ ſint: tùm quia ſæpe cõtingit, determinationes iſtas in oppoſita ferri, putà pergendo modò ad vnam partem, modò ad oppoſitam. Dices. Omnes illæ operationes indiuiduales non poſſunt exerceri ſine influxu cœleſtium corporum: ergo ad eum reducendæ ſunt. Reſpondetur: diſtinguo antecedens: quantum ad ſuam entitatem, in ratione cõmuni corporeorum effectuum, concedo: quantum ad determinationem ad hîc, & nũc, nego.

Secundò probatur idem. Illæ determinationes ſecundùm hîc, & nunc, pertinent ad electionem, qua eligitur hic locus, & hæc hora, & repudiantur cætera: ergo non poſſunt pertinere ad cœleſtia corpora, quę ſunt electionis incapacia. Dices: Non eſt propria electio illa determinatio, ſiquidem reperitur in brutis. Fateor, ſed neque iſto modo reperiri poteſt in cœlis, qui ſunt inanimati: igitur iſtæ determinationes reducuntur ad Angelos, & Deum mouentes bruta per apprehenſionem, vt exequantur ſuas propenſiones diuerſo modo, ſecundùm diuerſum tempus, & locum. Fortaſſe id quod dicitur à diuo Thoma, prima parte, quæſt. 110. ex mente Auguſtini, & Origenis, de immediata præſidentia Angelorum etiam circa res corporeas rationis expertes, verũ habebit in his determinationibus faciendis ſecundùm tempus, & locum. *D.Thom.*

Dico tertiò. Licèt corpora cœleſtia non cauſent directè actus humanos, indirectè tamen poſſunt eos efficere, agendo ſcilicet in aliquod, ex quo vel iuuatur actio humana, vel impeditur; aut verò diſponendo, vt potentiæ rationales inclinentur ad ea, in quæ corpora, ex impreſsione cœleſtium, propendunt. Prima pars huius aduerſatiuæ probatur à diuo Thoma in hoc articulo tali ratione. Actus humani eliciuntur potiſsimè ab intellectu, & voluntate: ſed in has potentias nihil poteſt cœlorum influxus; quia ſunt merè ſpirituales, non alligatæ organis corporeis, corpus autem influere non poteſt in rem ſpiritualem, & incorpoream: ergo corpora cœleſtia nequeunt eſſe cauſa directa actuum humanorum, qui ad intellectum, & voluntatem pertinent: ita diuus Thomas, prima parte, quæſt. 115. art. 4. & 3. contra gentes, cap. 84. & alibi ſæpe. Secunda pars verificatur reſpectu operationis intellectiuæ, quæ cùm non valeat perfici ſine operatione virtutum corporearum, putà imaginatiuæ, memoratiuæ, & cogitatiuæ dum corpora cœleſtia adiuuant, & roborant has potentias, cõſequenter, & indirectè agunt erga intellectum, vt perfectius intelligat: pari ratione dum corpora cœleſtia impediunt præfatas virtutes, etiam intellectus in ſua operatione impeditur, vt patet in phrẽneticis, ideſt, mente captis, & in lethargicis, ideſt, obliuioſis. Tertia pars verificatur à diuo Thoma, eo quod à corporibus cœleſtibus in homines deriuantur quædam propẽſiones, quæ ſunt motus appetitus ſenſitiui, quibus voluntas ſtimulatur vt ſuccumbat, quod eſt diſponi vt operetur iuxta has inclinationes, nulla tamen (vt monuimus) neceſsitas libero arbitrio imponitur: quia appetitus ſenſitiuus, & cæterę potentiæ corporales hominum, potentijs rationalibus ſubſunt: & ideò contra inclinationem cœleſtium corporum homo poteſt per rationem operari vt libuerit. Ita diuus Thomas hîc, & prima parte, quæſt. 115. art. 4. ad 3. & alibi ſæpe. *D.Thom.*

Ex his quæ dicta ſunt, facilis eſt reſponſio ad primã rationem pro Aſtrologis, negando conſequentiam, & propoſitionem vniuerſalem in ea contentam: etenim de ſolis illis effectibus ſublunaribus poteſt Aſtrologus ex inſpectione Aſtrorum vaticinari, quorum effectuum eadem Aſtra iunt cauſæ, non autem ſunt omnium, vt explicuimus: vnde nec de omnibus poterit Aſtrologia diuinatrix præſagire. Fateor poterit prędicere de effectibus neceſſarijs, vt de eclipſibus, cœlorum motibus, & alijs id genus. Poterit etiã de effectibus naturalibus, qui vt plurimum contingunt, vt de pluuijs, ſiccitatibus, & ſimilibus prædicere, ſed cum formidine: quia ſiderum concurſus, & influentia erga præfatos effectus, poterit impediri, vel ab influentia alterius ſtellæ, vel ab alio agente, vel ab indiſpoſitione materiæ. Et ideò aduertẽdum, Aſtrologos prædicẽtes hos effectus, ſæpiſsimè errare, & multo ma-

to magis quàm agricolas, nautas, paſtores, & huiuſmodi. Etenim illi, dumtaxat conſiderant corporum cœleſtium diſpoſitionẽ, & ſitum, non expendentes impedimenta, quæ apponi poſſunt influentiæ Aſtrorum multis viis; at iſti experimento nituntur, quod ſumitur non ſolum ex Aſtris, verùm etiam ex alijs: verbi gratia, ex elementorũ motibus, nubium aſpectu, ſaltitationibus quorundam piſcium, de tempeſtate coniectant: Medici ex lotio, & venarum pulſu, de ſanitate, & ægritudine: agricolæ, & paſtores ex aëris diſpoſitione, garritu auiũ, & ſimilibus, imbres, vel ſiccitates autumant: & ideò minus decipiuntur quã Aſtrologi. Mirabile profectò eſt, qua audacia Aſtrologi hos effectus prænuntient verbo, aut ſcripto, editis Almanac, ideſt, ephemeridibus, ridiculum verò eſt quam longè à veritatis ſcopo aberrent vltra experientias quotidianas. Audi diuum Ambroſium libro 4. Exameron capite 7. *Cum* (inquit Ambroſius) *ante dies paucos ſermo eſſet de pluuia, quæ fore vtilis diceretur, ait quidam: ecce neomenia dabit eam, & quãuis cupidi eſſemus imbrium, tamẽ eiuſmodi aſſertiones veras eſſe nollebam. Deniq; delectatus ſum quod nullus imber effuſus eſt, donec precibus Eccleſiæ datus, manifeſtaret nõ de initio Lunæ ſperandum eſſe, ſed de prouidentia, & miſericordia creatoris. Quo exemplo, & vanitas iſtius Aſtrologiæ confutata eſt, & efficacia Chriſtianæ pietatis, viſque religioſarum precum, re ipſa comprobata.* Hæc Ambroſius. Mitto modo, quod cognoſcere omnes diſpoſitiones cœleſtium corporum, effectrices iſtorum effectuum, ſuperat hominum ingenium, & facultatem. Item quandoque reluctantibus Aſtris, Deus miraculosè impedit hos effectus, vt patet ex multis locis ſacræ Scripturæ, Pſalmo 106. *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim, terram frugiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Et tertij Regum, 17. Hieremiæ tertio, & alibi. De propenſionibus autem, & inclinationibus hominum ad diuerſa, poterit Aſtrologia prænuntiare: quia (vt ſtatim dicemus) à corporibus cœleſtibus deriuantur; at verò de actibus humanis, qui ad eas conſequuntur, nequaquam: quia his inclinationibus poterit contradicere vir ſapiens, vtendo libertate ſuæ voluntatis, in quam Aſtra nihil poſſunt, vt docui. Et hæc compendioſe dicta ſint, de his quæ poſſunt, vel non poſſunt prænuntiare Aſtrologi: occaſione primæ rationis, qua ipſi ſe iactant, de omnibus per obſeruationem Aſtrorum poſſe præſagiri.

Ambroſ. *Pſal.106.* *3.Reg.17.* *Hierem.3.*

Ad ſecundam rationem, negatur conſequentia: quia quamuis illæ impreſſiones Metheorologicæ (de quibus in argumento) ſint à cœlo, non tamen à ſola influentia corporum cœleſtium, ſed etiam à mixtione elementorum, & eorum qualitatibus, & fortaſſe ab his præcipuè; Aſtrologi verò conſiderantes ſolum ſiderum, & cœlorum ſitum, neceſſe eſt in multis circa veritatem ceſpitare, & ſæpius quàm agricolæ, nautæ, & paſtores, vt dictum eſt.

In tertia, & quarta rationibus tãgitur res digna ſcitu, de propenſionibus hominũ: ex quibus Aſtrologi ſe iactant omnes ſuas prædictiones, aut fere omnes colligere. Vaſta quidẽ materia, ſed ne nimis creſcat codex, ſuppono, neminẽ has propenſiones negare poſſe: cũ experientia cõperiamus, hũc propenſum ad iram, illũ ad manſuetudinẽ, hũc ad ſtudia, aliũ ad inertiam, &c. An autẽ iſtæ propẽſiones, & inclinationes, ſint ab influxu cœleſtiũ corporũ, nec ne, ſatis agitatur apud ſapientes. Picus Mirandulanus, lib. 3. cõtra Aſtrologos, eas eſſe à cœleſtibus corporibus negat, alij verò, inter quos D. Tho. affirmãt in 2. ſententiarum diſtinct. 15. art. 1. ad 1. & in quæſtione de ſpiritualibus creaturis, art. 8. ad 12. & lib. 2. de cœlo, lectione decima, & 3. lib. contra gentes, cap. 84. & 1. p. q. 70. a. 1. ad 2. Ex quibus locis colligitur, quod licèt motu, & luce agant vniuerſę ſtellæ, tãquam virtute omnibus communi, habent tamen ſingulæ proprias virtutes, ſpeciem cuiuſque ſtellæ cõſequentes, quibus diuerſorum effectuũ ſunt cauſæ. Præterea, ſecundùm quod ſuo motu, diuerſimodè ſe habet ſtella ad aliam ſtellam, & ad inferiora, diuerſas propenſiones, ac inclinationes imprimit, & differentes effectus efficit. Item, ſecundùm quod ex pluribus virtutibus agentibus, vna cõſtellatio coaleſcit aliquid efficitur quod vnica virtute fieri non poſſet, aut etiam ſecundùm quod vna ſtella ex natura ſua determinata eſt aliam ſtellam adiuuare, aut impedire à ſuo proprio effectu, ſicut videmus in rebus inferioribus vnam cauſam alteram iuuare, aliam verò impedire. Vnde Ptolomæus, qui approbatur à D. Thom. ait: *Si in natiuitate alicuius fuerit Mercurius in aliqua domorum Saturni, & ipſe fortis in eſſe ſuo, iuuatur ex illa poſitione Mercurius ad cauſandum (mediantibus tamen cauſis ſecundis, quibus vtitur vt inſtrumentis)*

Picus. *D.Thom.* *Ptolom.* *D. Tho.*

mentis) eam diſpoſitionem corporis, quæ ſit vi
ribus ſenſitiuis conuenientiſſima, vt miniſ-
trent operationi intellectus: & inde natus ſub
ea conſtellatione, vir egregij ingenij dicetur,
& ad ſtudia literarum propenſus. Hæc D. Thom. ex Ptolom. & tu ſic de alijs propenſionibus philoſophare; eſſe ſcilicet à corporibus cœleſtibus, non ſolo motu, & lumine influentibus, ſed alijs etiam peculiaribus virtutibus, & proprietatibus, ad ſidera conſequentibus ſecundùm ſuam ſpeciē, vel ad diuerſos eorum aſpectus, vel coniunctiones, vt egregiè declarat Farrarienſis loco nuper citato: vbi etiam diſputat, an illæ virtutes, & proprietates diſtinguantur à lumine ſiderum, necne?

Ferrar.

Sed pro maiori huius rei claritate, aduerto, huiuſcemodi propenſiones, & inclinationes, quas à corporibus cœleſtibus imprimi hominibus aſſeruimus cum D. Thoma, eſſe in duplici differentia: quaſdam, quæ dumtaxat reducuntur ad primas qualitates elementales, calorem, frigiditatem, ſiccitatem, & humiditatem: & ad quatuor humores elementales, ſcilicèt melancholiā, choleram, ſanguinem, & pituitam, quatenus corpora cœleſtia, eo quod perfectiora ſunt, virtualiter, & eminenti quodammodo, præhabent elementa omnia, & eorum qualitates, ac proprietates: verbi gratia: Saturnus, quia frigidus, & ſiccus eſt, influit has qualitates; inſuper & atram bilem: Iupiter, quia calidus, & ſiccus, eaſdem primas qualitates; & præterea ſanguinē: Mars, quia calidus, & feruidus, bilem rubeam: Luna, quia frigida, & humida, pituitam. Rurſus eadem Aſtra, medijs præfatis qualitatibus, & humoribus, influunt paſsiones appetitus ſenſitiui, ab eiſdem qualitatibus, & humoribus ortum habentes: verbi gratia: Saturnus inclinat ad triſtitiam, & deſperationem: Mars ad iram, bella, lites, iurgia, & huiuſmodi: Venus ad læta, & Venerea: & ſic de alijs Planetis. Et per hunc modum vaticinantur multi Aſtrologi, vt Ptolomæus citatus in confirmatione tertiæ rationis; exiſtimantes, nullas alias corporales propenſiones, & inclinationes, à cœlo ad homines deriuari, niſi eas quæ ad qualitates elementales pertinent, vel ad ea reducuntur modo à me explicato. Sed hæc poſitio ſtare non poteſt, quia aliquot reperiuntur propenſiones, & inclinationes, quæ minimè reduci poſſunt ad eas qualitates, vt probatur in quarta ratione pro Aſtrologis, & aſſeritur à D. Thom. de veritate, q. 5. art. 10 ad 5. & opuſc. 34. Quæ autem ſint in hominibus iſtæ inclinationes, non eſt facile diffinire. Doctor Angelicus ponit exemplum in propenſionibus, & inclinationibus ad diuerſas artes, quidam vt ſint fabri, alij vt ſint Medici, & ſic de alijs.

D. Thom.

In his propēſionibus, & inclinationibus hominum, quas ex mente D. Thomæ aſſeruimus reduci ad virtutes, & proprietates corporum cœleſtium, fundant Aſtrologi nobiliorem partem coniectandi futuros euentus, eam ſcilicet, quæ ex horoſcopo, ideſt, ex inſpectione poſitionis ſiderū tēpore natiuitatis cuiuſq;, de ſtatu, conditione, ac fortunis natorum dijudicat: & Angelicum Doctorem ad ſidera vſque extollunt, eo quod (vt ipſi aiunt) eos vindicat à calūnia, quam eis cæteri Theologi infligunt. At ijdem Aſtrologi inter terminos præfixos non ſe cōtinentes, in aliquot falſa, & eo peiora, capta occaſione à D. Thom. doctrina, dilabuntūr, quorum lapſus, licèt non ex integro, ſaltem ex parte perutile erit commemorare.

Primò labūtur: quia præfatas inclinationes ac propenſiones, & conſequenter virtutes corporum cœleſtiū, earum effectrices, ferè iuxta numerum agēdorum multiplicant, vt ita ex his virtutibus, de omnibus operibus coniectent, cùm tamen aliqua ſint, quæ non procedunt ex inclinatione vlla, ſed indifferenter ſe habeant. Secundò labuntur: quia quoties non occurrit ratio reducendi eas propenſiones ad cœleſtia corpora, medijs primis qualitatibus, aut humoribus elementaribus, recurrunt ad occultas proprietates corporum cœleſtium ad eorum formam ſpecificam conſequentes, Veneri attribuūt afflatum libidinis, Martī influxum iræ, aut furoris, Lunæ influentiam inſaniæ, Capricorno vim, quæ naſcentes ſub eo reges efficiat, Andromedæ illuſtrationes infauſtas, quæ exilia, captiuitatē, & carceres adducat, Orioni irradiationes, quæ venatorem producant: Canopo radios, qui piſcatores gignat; Meduſeo ſideri virulentam aſpirationem, quæ inopinatum, & repētinum interitum inferat; & alia his ſimilia è ſinu Poëtarum educta; cùm tamen eas proprietates occultas, de quibus Diuus Thomas loquitur, eſſe numero pauciſsimas, inde iudicare liceat: quia in effectibus ſublunaribus rariſsimæ inueniuntur propenſiones, quæ non habeant ortum à qualitatibus primis: ergo in cœleſtibus corporibus, pauciſsimæ etiam inue-

uenientur tales virtutes, vt potè quæ à nobis ponuntur, vt ſint principia illorũ effectuum rariſsimorum. Mirabile certè eſt, quot, & quam varias propenſiones attribuant Aſtrologi ſiderum conſtellationibus: his victoriam, alijs ruinã, his fœlices ſucceſſus; illis exilia, & carceres: his officia, & dignitates Eccleſiaſticas, alijs Regias. Putare quis poſſet, has conſtellationes eſſe Angelos, in Dei nomine promittentes hæc, & illa bona: vel minitantes hæc, & alia mala. Phraſis eſt Aſtrologorum frequenter dicentium, hæc conſtellatio promitit; illa minatur, quæ nulla ratione fulciuntur, niſi (vt ipſi aiunt) experimentis, de quo citò dicemus.

Tertiò labuntur: quia conſtituunt in cœleſtibus corporibus virtutes, & proprietates, inclinantes, & ſtimulãtes homines quoſdam ad flagitia, v.g. Venus Marti copulata ad adulteria, & ijdem planetæ in ſignis maribus conſtituti, ad puerorũ cõcubitus: Mars occupans nonam cœli partẽ, ad irreligioſos mores, & ſic de alijs. Hoc dogma impiũ eſt, & rationi contrariũ. Etenim ſi corpora cœleſtia, vt ſuas exerceant virtutes ac proprietates motà à Deo, & Angelis, ad ſcelera inclinant; ea citra dubiũ in Deum, & Angelos referenda eſſent: cum corpora ætherea nõ moueant niſi mota, & infallibiliter ſeruent leges operandi ſibi à Deo inditas. Itẽ, quia nulla natura eſt, quæ ad malum formaliter inclinet: ne malitia referatur in Deum autorem eius naturæ, & inclinationis. Qua ratione moti ſapientiores Theologi, negant appetitum ſenſitiuum ad malum propẽdere. Dicet fortaſſe Aſtrologus, cœleſtia corpora nõ inclinare ad malum formaliter: ſed inclinatio eius ad bonum, propter defectum vel malitiam ſubiecti ſublunaris, in quo recipitur influxus cœleſtis; ad malum deflectit, v.g. Saturnus inclinat ad conſiliorum profunditatem, altitudinem mentis, animi quietem, ſtudium literarum: at ſi influxus recipiatur in ſubiecto deficienti, aut prauè affecto; vertitur ad dolos, ſegniciem, & ſuperſtitionis amorem. Venus inclinat ad lætitiam, hilarem ac feſtiuam conuerſationem; ex malitia tamen ſubiecti, in quo influxus recipitur, vertitur ad fornicationem, tactus, & oſcula impudica, & ſic de alijs. Certè qui ſic loqueretur, non improbabiliter procederet: ſed neutiquam iuxta mentem Aſtrologorum, qui ex Aſtrorum poſitura in hora natalitia alicuius, iactant ſe præuidere, & prædicere, cum futurum latronem, impudicum, doloſum, vel quid ſimile: referentes ea flagitia ad impreſsionem Aſtrorum, & ob id aſſerentes, quædam Aſtra eſſe malignæ influentiæ, quædam verò bonæ. At iuxta reſponſionem data, omnia Aſtra influunt bona, & propter ſubiecti malitiam, aut defectum, ea influentia in malum vertitur.

Quartò labuntur: quia poſitis illis virtutibus cœleſtium corporum, vnde propenſiones rerum ſublunarium dimanant, exiſtimant ſic eis ſubdi humana negotia, vt fatalem neceſsitatem inducant, & errorem Priſcilliani, & Algazelis, relatum, introducunt; læſa arbitrij libertate, quid quid ipſi diſsimulent, & occultare errorem conentur. Certè ſi cautè conſiderentur, verbis liberum arbitrium aiunt immunem eſſe à cœlorum cauſalitate: & tamen in exercitio ſuorum præſagiorum, eius libertatem captiuant, dum de ipſius operationibus, attentis ſiderum influentijs, audacter pronuntiant. Quidam eorum dixerunt, Martem in nona cœli Regione conſtitutum, præſtare nobis poteſtatem, vt ſola præſentia dæmones ab obſeſsis expellamus. Item ex parte ſolis, de arcanis conſcientiæ eius qui naſcitur, ſe iudicaturos pollicentur: quod iudicium ſoli Deo fides firma concedit. Præterea, communiter ab eis aſſeritur, duos eſſe planetas autores omnis fœlicitatis, Venerem, & Iouem. Venus quidem præſentis vitæ fœlicitatem largitur: Iupiter futuræ. Ita Maternus nulla innixus ratione, delirans. His ſimilia multa tradunt impia, & inſana, *Maternus.* quæ referre pudet, nec vacat.

Quintò labuntur: quia ex inclinationibus illis rerum ſublunarium, & ex virtutibus cœleſtibus illis correſpondentibus, inferunt, & prænuntiant effectus actuales merè contingentes, qui ſub orbe Lunæ fiunt: quorum quædam pars non ſubiacet cauſalitati cœlorum: quia à libero arbitrio pendent, quales ſunt actus humani, ideſt, quorum homo eſt Dominus: altera verò pars, multiplici via impediri poteſt, vt ſuperius docuimus. Concederẽ ego libenter cum diuo Thoma in hoc articulo ad ſecundum, & prima parte, quæſtion. 115. articulo quarto ad tertium, & prima ſecundæ quæſtione nona, articulo quinto, ad tertiũ, ex præfatis inclinationibus (ſi agnoſcerẽtur) poſſe Aſtrologos ſæpe cognoſcere hominum opera, & ſtudia futura: eo quod homines communiter ſuccũbunt ſuis paſſioni-

D. Thom.

ſionibus,& inclinationibus, præter paucos ſapientes,qui fortiter reſiſtunt: & ait diuus Thom. in hoc art. id præcipuè haberi in cõmunibus euentibus,qui pendent ex multitudine,nimirũ quia multitudo ſuis obſequitur paſſionibus. Et ego addo ex eodẽ principio,facilius eſſe Aſtrologis, imò cuiq; hominũ, ex agnitis inclinationibus iudicare de operibus ſceleratorũ, quàm proborum: quia illi cõmuniter ſuas ſequuntur paſſiones,hi verò ſæpius eis reſiſtunt. Quare cõ-

D. Tho. ſultò videtur dixiſſe D. Tho. 1. parte loco citato: *Aſtrologi vt in pluribus poſſunt vera prædicere, & maximè in cõmuni, non autẽ in ſpeciali.* Quid ſibi vult in cõmuni,& non in ſpeciali? ideſt, qui naſcitur ſub tali,vel tali conſtellatione,erit propenſus ad irã, vel ad venerea, &c. & fortaſſe rixas mouebit,aut mulieroſus erit:non tamen poterũt prædicere, hic mulieroſus erit, rixas excitabit, &c, quia licitũ eſt ei reſiſtere paſſionibus. An verò has inclinationes poſſint agnoſcere ex ſiderum poſitura, & aſpectu? iam ſupra iudicauimus ferè impoſsibile.

Sexto labuntur:quia ex illis,quas vel fingunt,vel adſtruunt, propẽſionibus, inferũt concluſiones non habentes vllã cõnexionẽ, aut verò nimis exiguã cũ eis. Præcipuè hoc apparet in diuinatione,quæ fit erga euẽtus futuros,circa externa bona vel mala. Quẽ lapſum vt melius percipias aduerte,prædictos euentus eſſe in duplici differẽtia:quoſdã,qui exiſtimantur habere aliquod principiũ intra eos homines,ad quos ſpectãt,v.g. eſſe Reges,aut Põtifices,victoriã obtinere, & ſimilia,quæ licèt externa bona,vel mala ſint,tamen his,qui habẽt,vel agunt aliquid, vel patiuntur. Alij ſunt effectus,qui nullo modo contingunt eos,ad quos dicũtur ſpectare,vt habere vxorẽ pulchram, patres fœlices,inimicos infeſtos,& huiuſmodi. Secũdò nota,circa priores effectus diuinari poſſe ex ſideribus, vna ex duabus vijs: aut reducendo eos ad primas qualitates,quas ſidera dicuntur influere:& hanc viã elegit Ptolomæus,vt ſuperius vidimus:vel reducẽdo ad occultas propenſiones ſiderũ,quæ cenſentur eſſe illorũ euentuum principia. His ſuppoſitis inferunt Aſtrologi mirabiles concluſiones:v.g. hunc victoriã obtenturũ contra inimicos:quia conſtellatio natalitia id portendit:quomodo? quia natus eſt Marte propitio: Mars autẽ calorẽ influit non modicum,& conſequenter bilem accendit, & ad bella contra inimicos prouocat. Vnde ſic afflatus calore illo Martio,inimicos vincet. A Cõſequutio futilis, cũ victoria ex multis alijs paretur,putà ex numeroſo milite,ac forti,ex loco pugnæ cõmodiori,ex inſidijs,& huiuſmodi: quibus parandis, calor Martius aut nihil,aut parum iuuat. Sed peto à te,Aſtrologe,cur nõ minaris mortem potius quã victoriam, homini calore Martio feruenti, qui actuẽs cholerã, inter inimicorũ cuneos, hominem prorũpentem præcipitẽ dabit? Itẽ diuinant,hunc futurũ Regẽ,alium verò Sũmum Põtificẽ,propter influentiã benignam ſiderũ:quomodo? Quia Iupiter,v.g,cũ Saturno in natiuitate horũ affulſere, influẽtes calorẽ temperatũ, & cõſequẽter genero ſoſſpiritus,vt ad magnos honores inhiẽt. Et B vnde rogo,aut qua cõnexione,ambitio cõiungitur cũ calore tẽperato? Rurſus, vnde iſta diſcretio ambitionũ,vt quẽdã feratur in dignitates Eccleſiaſticas,quædã verſetur circa Reges? Rurſus, vnde influentia illa,quæ reducitur ad primas qualitates (quæcũq; illa ſit) habet mouere Cardinaliũ volũtates,vt ſuffragẽtur huic,qui dicitur eſſe futurus Põtifex,aut Regni proceres,vt patrocinẽtur illi, qui non eſt natus ex ſemine regio? Pari modo poteris cõfutare alias cõcluſiones Aſtrologorũ. Recurrent fortaſſe ad propenſiones,& inclinationes, quæ nullã habeant cõuenientiã cũ qualitatibus primis: hoc enim perfugio conantur eludere rationes Philoſophicas,quæ aduerſus eos pugnãt. Sed non C minus efficaciter conuincentur:quia euentus prædicti,vel in totũ,vel in partẽ,à libero arbitrio pendent extraneorũ. Quapropter diuinare de illis,ex influẽtijs,& propẽſionibus ſiderũ,nequit fieri,ſine præiudicio liberi arbitrij, quod nõ ſubditur cauſalitati ſtellarũ. Neque eſt rationabile, iudicare de ſuffragijs Cardinaliũ ad Sũmum Pontificatum Ioannis,ex influẽtia natalitia eius, qui prænuntiatur eſſe futurus Sũmus Pontifex. Certè ſuffragia Cardinaliũ potius deberẽt præſagiri à proprio horoſcopo cuiuſq; Cardinaliũ,quã ab eo qui Ioannis eſt. Similes argumentationes fient, ad expugnandas di D uinationes Aſtrologorũ de exilijs,paupertate,direptionibus,& alijs extraneis. Conantur etiam diuinare ex Aſtris, an iſte vel ille ducet vxorem pulchram,an deformem: verbi gratia, cui Venus propitius fuerit in natalitia conſtellatione (dicunt) ducet vxorem pulchram. Rogo, iſte afflatus à Planeta Venere, quomodo conciliabit coniugem pulchrã? non ne poterit ſibi placere in muliere venuſti eloquij,aut in prædiuite,licèt nõ ſit pulchra? quid ni? & en tota illatio

ac

ac diuinatio Astrologorum, irrita, & cassa. A Deueniamus ad quædam præterita, de quibus non posse diuinari per Astra, certò certius est: verbi gratia, quod Petrus habebit parentes fortunatos, aut fratres natu maiores fœlices. Probatur, tùm quia constellatio genituræ Petri, nō poterit agere ante se, cum causa efficiens nequeat esse posterior suo effectu: tū quia iudicare de fortunis parentum, aut fratrum, ex genitura vnius filij, irrationabile est, cum vnusquisque suam, & diuersam sortiatur genituram, vel constellationem, à qua sumenda est diuinatio, non à horoscopo alieno. Hæc satis superque dicta sint, ne decipiamur ab Astrologis, asseueratione illa sua, de propensionibus, & inclinationibus hominum. B

In sexta ratione Astrologorū eneruāda nobis incumbendum est. Etenim illi postulati de principijs, vnde desumunt suas prædictiones, vtrum sint per se nota, aut in alia scientia demonstrata? Rursus, qnando aliquid, præter rationem, aut fidem communem, ex Astris pollicentur, interrogati vnde id sciuerint? Ad experimenta, quæ habuisse dicuntur Astrologi veteres ac moderni confugiunt: dicentes id sat esse licet non ad veram scientiam, saltem ad artem diuinatricem: in qua non est petenda cognitio dicendorum à priori, satis fuerit ab experimentis euentuum prædictiones veras didicisse. Huic asyllo adhęrentes, quid quid contra ipsos ex documentis Philosophicis, aut Theologicis adduxeris, derident dicentes, experientiam habitam hæc omnia superare. Quare operæ pretium iudicaui, hoc suffugium obstruere. Pro quo præ oculis habendū quid experientia sit, & quo modo in Astrorum obseruatione ad efficiē dum, & significandum futuros euentus, impossibilis, aut ferè sit. Primum satis perspicuum est, cum experientia ex multiplici eiusdem rei sæpius iterata obseruatione, colligitur. Secundum plus difficultatis habet, & ideò profundius inuestigandum. D

Prima ratio ad id probandū, præcipuè in diuinatione genethliaca, desumitur ex dictis circa sextā assertionē. Etenim impossibile, aut difficillimū est exactè inuestigare tepus natiuitatis cuiusque, & qui siderū, & planetarū situs, habitus, formáve illi tēpori correspondeat: quem locum tūc tēporis sibi planetæ vendicent, quæ & quot causæ vniuersales, & particulares, æthereę, & sublunares, ad effectus, de quibus diuinatio instituenda est, concurrant. Quæ omnia, & similia si ignorentur, reddunt impossibilē prædictionem futurorum euentuum: ita vt etiā pro vna vice sit impossibile prænosse: ergo à fortiori reddēt impossibilia experimēta, quæ necessariò requirunt iteratam earū rerum obseruationem.

Secunda ratio. Fac Astrologos certò, & punctualiter scire horam, & momentū natiuitatis cuiusq; & statum, ac positionē, quā sidera eo temporis instanti habebant: denique omnia, quæ diximus eos ignorare, aut difficillimè agnoscere. Tunc sic argumētamur contra eos, influxus cœlestiū corporū, ex multorū siderū mixtione fieri, maximè ex aspectu stellarū fixarū, ferè vniuersi Astrologi asserunt: imò has potētiores esse ad influendū in hæc inferiora, multi dicunt, vt videre licet apud Abulensi super cap. 5. Geneseos: sed siue hoc, siue illud sit, stellas fixas simul cum non fixis cōcurrere fatētur. *Abulens.* Ex quo infero, nullū posse sumi experimētum, de influxu corporū cœlestium in hæc inferiora: quia hucusq; non est inuēta eadē cœli facies, cum orbis stellatus, tam lēto gradu procedat, vt suū cursum perficere nōpos sit, nisi spatio triginta sex milliū annorum. Ita communiter Doctores, & Abulensis super Exodum, q. 45. imò aliqui doctiores putauerunt, nunquam redituram eandē cœli faciem, etiam si motus cœlorum per multas annorum miriades perfeueret. C

Respondebunt vtique, non esse necessarium ad experimenta sumenda, vt eadē cœli facies, eædemq; constellationes, ex integro eueniant, sed sat esse, quasdā peculiares contingere, ac iterari. Exemplo manifestatur quod dicitur. Nascitur aliquis sub signo Arietis, posito ibi Astro Martis, & septimū cardinē occupante Saturno: & nascitur alius in cæteris dissimili genitura, sed quod ad Martem, & Saturnum attinet, simili. Tunc poterit Astrologus, quamquam non totius constellationis facere experimentum, tamen illius particularis Martis, & Saturni, benè valebit. Hæc responsio facile confutatur: tùm quia substantia totius decreti Astrologici, non tam à partibus prouenit, quam à tota constellatione, hoc est, ab omnium simul partium harmonia, peculiare, & proprium aliquid efficiente, quod nulla seorsum pars, imò neque omnes simul efficiēt, siquidē aliud sunt omnes partes, aliud, quod ex omnibus, de mixturę proportione resultat. Igitur imperfecta erit talis obseruatio, qua sua conantur colligere experimenta. Vis huius argumenti

palam fiet conſideranti Aſtrologorũ dogmata, dicentium pro mixturis ſtellarũ omnia fieri, nec à proprijs earum viribus, ſed à confœderatione, & complexu vniuerſarum. Ac proinde, ſi in vna, vel altera genitura, Marte atque Saturno ſe reſpicientibus ex diametro in cardinibus primis, videris Dominum genituræ calamitatibus vrgeri; non ob id poteris, quaſi facto experimento, quando aliàs idem acciderit, calamitares denunciare: cum nihil repugnet, eam conſtellationem ſub alia ſiderum aliorum temperatione, ita conuenire, vt nihil noceat; vel fortè eſſe poſsit, vt omninò aliud efficiat, quàm quod in alijs geniturís, ex radiorum diuerſis mixtionibus, fecerat. Quod ſi adhuc perſeuerat Aſtrologus, dicens non eſſe aliam efficientiam totius cõſtellationis, quàm ſingularum partium collectarum, fallitur: quia hoc habebit verum, in coaceruatis, & hærentibus tantùm, vel corporibus, vel qualitatibus: non autem vbi miſcentur, & coaleſcunt in aliam formam, quod in radijs ſiderum credit omnis Aſtrologia, vt ſuperius retulimus. Sicut igitur theriacæ proprietatem non eſt expertus, qui rerum vires, ex quibus conficitur, obſeruauerit: ita neque conſtellationis cœleſtis efficaciam penetrabit, qui ſeorſum de partibus eius habuerit experimentum, cùm non ſolùm partis ad partem, hoc eſt, ſideris ad ſidus, ſed omnium omninò ſiderum inter ſe ſtatus, & habitudo, efficiat quod naſcentis eſt proprium, ſicut eius quoque indiuidua natura, non de coaceruatione accidentium gignitur, ſed incommunicabilis eſt, vel ſubſtantiæ peculiaris, priuataque ſortitio.

Tertia ratio, ad probandum neque vnius ſtellæ efficaciam experimento agnoſci poſſe. Etenim nulla ſtella ſeorſum operatur, ſed ſemper cũ alijs coniuncta: ergo experimento operationum, nequit ab alijs ſeparata, cognitione deprehendi eius virtus, aut efficacia: nam à tota conſtellatione, ſeries vitæ, & euentuum aliorum prouenit, & efficitur. Ergo cuius rei ſtella fuerit effectrix, ſcire non valebis, niſi ſeorſum cuiuſque ſtellæ naturam, vel ratione, vel alia prius via agnoueris. Dicet fortaſſe quiſpiam, ſe ita obſeruaturum, vt quorum hominum viderit aliqua fata ſimilia, qua parte illorum decreta conſonauerint: inde maximè rem illam prouenire, facta ſæpius obſeruatione: verbi gratia, naſcitur Petrus Ioue poſito in ſigno piſcium, & Paulus ſimiliter, quoad cætera verò diſsimili conſtellatione. Inſuper & viuunt diſpari ſorte, moribus, ingenio, valetudine, dumtaxat pari fortuna in diuitijs comparandis. Hinc (inquiet Aſtrologus) licet coniectare, datorem diuitiarum eſſe Iouem, loco ſecundo in piſcibus collocatum. Contra iſtam reſponſionem facit, tùm quoniam ſimilis ſtellæ ſtatus, rem diuerſam efficere poteſt in mixtura diuerſa, & diſsimilis poteſt eandem: tùm quia ſors eadem poteſt eandem cauſam non habere, cùm ex ſententia Aſtrologorum, ſint eiuſdem effectus in cœlo, cauſæ penè innumerabiles: ergo copia diuitiarum in Petro, & Paulo, nõ eſt cur aſcribatur Ioui: quia potuit ab innumeris cauſis prouenire. Patet igitur ex cõiuncto, promiſcuoque ſtellarum afflatu, diſcernere nos nõ poſſe quacunque obſeruatione, efficaciam vel vnius ſtellæ, ac proinde neque vires, naturáſve ſiderum, experimentis cognitas diffinire.

Quarto. Demus vnãquamq; ſtellã, quid quid agit, efficere ſeorſum ſine alterius ſideris adminiculo; adhuc eſt argumentũ cõtra iſthæc experimenta ficta inexpugnabile: quoniã ſtellarũ effectus euertere, interpollare, fruſtrare, multipliciter poteſt cõditio, vel alterius ſideris, vel cauſarum inferiorũ circunſtantium: ergo nemo, ſi deſipere nõ cupit aſſeuerare valebit, hæc vel illa euenire, ſtella ſic vel ſic ſe habente: nimirũ propter obſtacula, quæ poſſunt apponi influentiæ cuiuſuis ſtellæ, ac proinde neque experimentum ſumere de euentibus qui poſituræ ſtellarum dicuntur correſpondere. Probatur antecedens: nam etſi fortè ſuapte natura ſtella vna, vel plures, aliquem euentum eſſent parituræ, ſed mutabit opus priuati fati, vel fatũm vniuerſale Regionis, vel anni, vel Principis, aut Ciuitatis, vel familiæ, vel contubernij: vel antecedens, vt parentum, auorum, attauorum: vel arbitrium nati, vel ſeminis paterni, aut aëris diſpoſitio, per quem cœleſtes influxus ad nos trajiciuntur, vel materia contumax, vel cauſa proximior non commoda, non idonea ſuperioribus motionibus. Hæc omnia cũ immutare ſiderum efficientiam poſsint, aut aliquo modo impedire, non erit tuta experientia, ſi de eo quod ſemel, aut iterum contingit, ſtellarum naturam velimus indagare. Præſertim, cũ ea quæ diximus, ita ſint ſemper annexa ſtellarum operationibus, vt non poſsit ad ſtellã quaſi ad initium referri, quod euenìſſe ſæpius annotauerimus.

Con-

Confirmatur. In diuersis regionibus eadem sidera diuerso modo influũt: ergo impossibile est, vt Astrologi in vna solùm cõmorantes, experimentũ sumant in alijs regionibus de influentiæ modo. Argumentũ est Fauorini vbi supra: & probatur antecedẽs: nam experientia cõmuni videmus, ab eadẽ constellatione cieri alibi alias, atq; alias tẽpestates, hic placitas, illic violentas, hic fieri niues, ibi serenitates, alibi ventos, alibi pluuias: ergo idẽ dicendũ de influentijs, erga successus negotiorũ, siquidẽ hi à cœlorum influxu fiunt, vt ipsi Astrologi asseuerant.

Argumẽtationes istæ facile adaptari possunt in alijs iudiciariæ Astrologiæ partibus, & præcipuè ad impugnanda experimenta, quæ finguntur magnorũ orbiũ maximarũ coniunctionũ, &c. quæ multis annorũ mill. lib⁹, vix intelligibile est quomodo fieri po
Cicero. tuerint. Scio Chaldæos (referẽte Cicerone, li. 1. de diuinatione) persuasisse Romanis, se obseruationes Astronomicas fecisse per quater centum septuaginta millia annorũ. Certè ad stabiliendũ tam ingens mendaciũ consequenter loquũtur, nã plus tẽporis spatium requireretur ad præfata experimenta sumenda. Etenim si toto anno magno, quẽ quadraginta nouẽ millibus annorũ esse dicunt, cœlũ nunquam ad eandẽ penitus redit figurã, totis quater centũ septuaginta millibus redijsset minus, quã decies: corũ verò quibus per experimentũ fides debet adhiberi, multæ obseruationes tenẽdæ sunt, paucæ enim possent casui imputari. At nostri Astrologi, qui credunt totius mundi nõdũ esse peractos septem mille annos, qua fronte, quáve apparenti cõsequutione ista figmenta, ad quæ stabilienda Chaldęi finxerunt tot miriades annorũ, dicunt esse experimentis cõprobata? Ad confirmationem respondetur primò: si Astrologi iudiciarij, tam veraces sunt in suis prædictionibus, ac præsagijs, mirum est, quare homines auidissimè non concurrant ad eam scientiã addiscendam, quæ ignota reuelat, secreta pandit: ex quo magna emolumenta prouenire necesse est, in bello nempe, paceq́; quid sit agendum, quid vitandum, pro regnorũ tuitione, opum augmento, ac celebris famæ acquisitione. Audi, lector optime, quid in hac re acciderit: Imperatores insignes, inter quos Tiberius, Vitelius, Diocletianus, Cõstãtinus, Theodosius, Valẽtinianus, & præcipuè Iustinianus, Astrologos omnes è Roma eiecerunt, propter impostu ras, & prædictiones mendaces; ac huius artis, vt nugatoriæ, exercitium, edictis seueriſsimis, & grauiſsimis supplicijs, condemnarunt. De quo videnda sunt iura citata in prima assertione. Egregiè Cornelius Tacitus, lib. 17. de *Corn. Taci.* Mathematicis, id est, Astrologis, loquens ait: *Genus hominum infidum potentibus, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra, vetabitur semper, & retinebitur.* Mitto modo obloqui, ab alijs rebus publicis quoties propter mẽdacia præsagia pulsi fuêre. Tales extiterunt duo Iudæi Astrologi, qui dixerũt Leoni Isaureo quædã vera, & tamen propter multas prædictiones mendaces ab Arabia electi sunt; ita Zonoras tomo 3. Mitto *Zonoras.* etiam Pancratium Astrologũ, qui Constantino Irenes filio, causa fuit comparandæ sibi magnæ ruinæ; ita Paulus Diaconus, lib. *Paul. Dia.* 23. rerum Romanarum. Mitto etiam Manuelis Connenũ Imperatoris miseriã, quam incurrit occasione Astrologicarum prædictionũ: ita Nicetas, lib. 2. 5. & 7. Ac demum *Nicetas.* quomodo Petrus de Aliaco deceptus est vanitate Astrologica, vt prædiceret quædam futura in Concilio Constantiensi, quibus tamen omninò contraria venerũt: ita Aeneas Siluius, lib. 4. de Alphonso. Mitto etiam *Æneas Sil.* multa alia mendacia, ab Astrologis prædicta, quorum pleni sunt Annales. Itaq; fateor aliquando vera prædixisse, sed casu, & temerè: *Quis enim* (ait Cicero, lib. 2. de diuinatione) *tota die iaculatus, qui non aliquando collimet?* Pro vno vero dicto possent mille mendacia notari: vt experientia docet, & nos nuper notauimus.

Secũdò. Gratis admisso, Astrologos ferè semper vera prædixisse, & in vno aut altero defecisse, respõdeo, nequaquã id accidere, aut accidisse, propter artẽ Astrologicam ex inspectione siderum, sed alijs de causis. Prima ex occulta diuinæ prouidentiæ dis- *Auguſt.* pensatione: quæ (vt Augustinus inquit in 4. & 7. lib. Confessionũ) cæcas, & improbas mẽtes cõsultorũ, aliquoties occulto quodã instinctu sic agitat, vt nescientes proferant, quæ consulentes vel ex eorum meritis, vel ex abysso iusti iudicij Dei, oporteat audire. Nec mirũ, si ab Astrologo, nihil eorum, quæ dicit, sciente, prognostica excedãt, ita eius linguã moderante eo, qui non solũ ex ore Balaami Arioli, ac falsi vatis, sed etiam ex ore Asinæ, cui diuinator ille insidebat, verissima futurorum oracula eduxit.

Secunda causa, ex pacto, & societate quã inibit Astrologus cũ dæmone, vel quia dæmõ ipse ingerit se vanæ obseruationi siderũ, & instigat eos ad prædicendum aliquot

futura, quæ benè nouit, aut coniectura firma, iuxta eam, qua diximus ſupra, pollere dæmonem facultate quadam occulta propallandi. Vnde Auguſtinus, quinto de ciui-
Auguſt. tate Dei, cap. 7. *Non immerito* (inquit) *creditur, cum aſtrologi mirabiliter multa reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt, has falſas, & noxias opiniones de Aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atque firmare, nõ horoſcopi notati, & inſpecti aliqua arte, quæ nulla eſt.* Et libro de Geneſi ad literam, cap. 17. id ipſum explicatius tradit: *Fatendum eſt* (inquit) *quando ab iſtis vera dicuntur, inſtinctu quodã occultiſsimo dicti, quem neſcientes humanæ mentes, patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines ſit, ſpirituum ſeductorum operatio eſt, quibus quædam vera de temporalibus rebus noſſe permittitur: partim quia ſubtilioris ſenſus acumine, partim quia ſubtilioribus corporibus vigent, partim experientia callidiore, propter magnam longitudinem vitæ; partim ſanctis Angelis, quod ipſi ab omnipotente Deo diſcunt, etiam iuſſu eius ſibi reuelantibus, qui merita humana, occultiſsimæ iuſtitiæ ſinceritate, diſtribuunt. Aliquando autem ijdem nefandi ſpiritus, etiam quæ ipſi facturi ſunt, veluti diuinando prædicunt. Quapropter bono Chriſtiano, ſiue Mathematici, ſiue quilibet impie diuinantium, maximè dicentes vera, cauendi ſunt, ne conſortio dæmoniorum, animam deceptam, pacto quodam ſocietatis irretiant.* Hactenus Auguſtinus, vbi explicat omnes ferè modos, quibus dæmon homines occulta edocet: nos plures addidimus ſuprà, quos recolere oportet. Ob hanc cauſam Aſtrologi iſti vera ferè ſemper prænuntiantes, valde ſuſpecti mihi ſunt de familiaritate, & diſcipulatu dæmonum: præcipuè ſi accedant alia indicia. Sunt namque frequenter impuræ, ac ſceleſtæ vitæ, contemptores diſciplinæ Chriſtianæ, pietatis, ac cultus diuini, ſugillatores eorum, qui ſacras Literas, & arbitrij libertatem aduerſus illos defendunt, lucifugæ, & velut aues nocturnæ in locis abditis commorantes, ac demum (quod non minus meam ſuſpitionem probat) multi eorum ab Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, ad quæſtiones poſiti, falſi ſunt ſuam cũ dæmone ſocietatem.

Tertia cauſa prædicendi vera ortum habet non ex aſpectu ſiderũ, ſed ex ſola prouidentia moralis prudentiæ. Sunt etenim homines quidam, tam natura quàm exercitatione ſagaces, vt ex hominum temperaturis, inclinationibus, virtutibus, ac vitijs, tùm amicitijs, & inimicitijs, tùm facultatibus, negotijs, ſtudijs, & occaſionibus multa eis vẽtura præuideant, eaque aſſeuerationis conſtantia proferant, vt rarò fallantur. Hac igitur ratione vſuuenit, vt Aſtrologi aliàs viri ſagaces, nulla habita ratione ad ſiderum poſitionem (licèt ita fingant) multa vera prædicant. Exempli gratia, principem ciues tyrannicè tractantem, à ſuis occiſum iri, hominem furto, & rapinæ indulgentem, furca eſſe ſuſpendendum, Religionis, & diuorum contemptorem Vulcano eſſe tradendum: quia ex ſagacitate, vel prudentia, plurimis experimentis comprobata, nouerunt talia crimina tales ſibi parare pœnas.

Quarta ac poſtrema cauſa prædicendi vera, eſt credulitas ſtulta, qua interrogantes conſultoribus ſuis facile de his credũt, quæ ipſi vel maximè proſequuntur, vel fugiunt. Solet enim ea credulitas immittere credulis conſulentium animis, ſpem fœlicitatis à diuinatore promiſſæ, aut metum calamitatis ab eo denuntiatæ. Hi autem duo affectus potentiſsimi, ſæpe efficiunt (certè multum proſunt) vt humana negotia optatos fines ſortiantur. Etenim vehemens quædã ſpes, ardensque deſiderium, incitant homines, vt ad bona ſibi promiſſa comparanda diligentiſsimè accingantur, & omnibus ſuis viribus contendant, quo fit vt ea ſæpe cõparent. E contrario verò, metus, ac pauor prædictorum malorum, ſæpe faciunt homines cunctanter, ac timidè negotia aggredi, ac negligenter perſequi, & quocũque obiecto impedimento, turpiter, & infœliciter deſerere, eaque ratione in prædicta illis mala incidere. Verbi gratia, auarus aut ambitioſus, interrogat Aſtrologum de ſuis fortunis: reſpondet Aſtrologus, eum diuitem futurum, aut magnis honoribus auctum, percõtator vero fidem adhibens Aſtrologo, magna fiducia vires omnes applicat ad conſequẽda promiſſa. Cum autem ſæpe inueniatur, quod ſumma quæritur diligentia, fit diues aut honoribus prouectus, nõ ex Aſtrali influentia, ſed ſua diligentia. E contrario, ſi dicat Aſtrologus, eum inopem, aut abiectum fore, ſi credat percontator, diffidens ſe diuitias aut honores conſequuturum, lãguet circa horum inquiſitionem, vnde non mirum quod inopia conſumatur. Huius rei eſt inſigne exemplum ex Liuio, in Romano exercitu, cui cum auguria, & auſpicia ſecreto inſpecta, infauſtum belli exitũ portenderent, aruſpices, & duces, ne milites animo conſternarentur, verſis in contrariã par-
Liuius.

partem auſpicijs, omnia fauſta fore clamauerunt: quo mendacio animati milites, pugnarunt fortiter; & hoſtes, quos auguria victores fore prænunciabant, fœliciter vicerunt. Contrà verò, cum Lunæ deliquium ea nocte accidiſſet, qua Athenienſium claſſis è portu Siracuſano fugam moliebatur; præfectus eius Nicias, ignorans id accidere propter eclipſim Lunæ, ſuſpicatus eſt eo luminis defectu ſignificari claſsis naufragium, & militum demerſionem, ſi inde ea nocte nauigaret: ex hac igitur falſa ſuſpitione, in vanam trepidationem lapſus, cum à deſtinata nauigatione, in qua certiſsima ſalus erat, abſtinuiſſet, paulò poſt in poteſtatem hoſtium deuenit.

DISPVTATIO II.

Quodnam ſit peccati genus, quòd ve iure vetitum, vaticinari de futuris euentibus caſualibus, fortuitis, & liberis, aut verò de alijs quomodocunque hominibus ignotis?

VIus dubitationis dilucidandæ cauſa, in diſputatione præcedenti cum Aſtrologis manum conſeruimus: & ex dictis haud difficilis erit eius deciſio. Quare ſit prima aſſertio: Inquirere, aut velle prædicere ex ſideribus, aut Aſtris, tanquam certa, ea, quæ docuimus non pendere ab illis, neque vt cauſis, neque vt ſignis, ſuperſtitionis peccatum eſt, omni iure grauiſsimè prohibitum. Diximus autem non pendere à cœlorum influentijs, omnes actus humanos liberos, myſteria fidei, caſuales, aut fortuitos euentus futuros, & præteritos, alienos ab hominum cognitione. Hæc aſſertio habetur ex ſacris Literis, ex Patribus, ex iure poſitiuo, ac denique ex omnibus Doctoribus Scholaſticis Catholicis, citatis in ſecunda aſſertione præcedentis diſputationis. Egregiè Olympiodorus in cap. 7. Eccleſiaſtes, circa illa verba: *Quis homini poterit indicare, quid poſt eum ſub ſole ſit? Præſens* (inquit) *hæc autoritas noſtri Eccleſiaſtæ omnem funditus euertit diuinandi ſuperſtitionẽ, vanaſq; Aſtrologorum nugas de hominum genituris: nullus enim mortalium certam futurorum ſcientiam conſequi poteſt.* Deinde probatur

Eccleſia. 7. Olympiod.

A ratione: nam peccatum ſuperſtitionis diuinatiuæ eſt, & pertinens ad ſocietatem dæmoniacam, velle ſcire aliquid, vnde ſciri non poteſt: ita latè docuimus in articulo ſecundo, & quarto huius quæſtionis: ſed præfati euentus certò ſciri nequeunt ex Aſtrorum aut ſiderum poſitione, vt in proximè præcedenti diſputatione, multis docui: ergo eos ſic velle ſcire, & prædicere futura, peccatum ſuperſtitionis diuinatiuæ eſt.

Secunda aſſertio. Ex Aſtris, aut ſideribus prædicere futura, quæ ex libertate pendent, vt omninò certa, vltra ſuperſtitionis B crimen includit virtualiter confeſsionem hæreticam, videlicet inductionem fati conſtituentis neceſsitatẽ in noſtris actibus liberis, ac ſubinde libertatis humanæ euerſionem. Inſuper continet alium errorem, ſcilicet, animas hominum, atque eorum voluntates, & intellectus, potentias materiales eſſe, & corporeas, ſiquidem neceſsitati, & influxui cauſarum corporaliũ, ſubijciuntur. Probatur aſſertio, ſiue dicatur eam certam cognitionem deſumi ex ſiderum, & Aſtrorum poſitione, tanquam ex cauſis neceſſariò producentibus eos effectus, ſiue tantùm tanquam ex ſignis. Et- C enim ſi ea prædictio fundetur in ſideribus, tanquam in cauſis, ab eis præfatos effectus neceſſe eſt ineuitabiliter, & infallibiliter prouenire: quo poſito, euertitur humana libertas, & voluntates noſtræ influxibus cœleſtibus ex neceſsitate ſubduntur, & potentiæ ſpirituales cauſis corporalibus ſubijciuntur; quod euicerunt, & damnarunt Sãcti Patres, aduerſus Ethnicos, putantes omnia fatali neceſsitate in rebus humanis euenire.

Dicet fortaſſe quiſpiam: vt ea cognitio aucupata ex cœlis, ſit certa, & infallibilis, ſatis eſſe, vt cœli tanquam cauſæ vniD uerſales, determinent cauſas ſecundas, & voluntates humanas, ad vnum infallibiliter operandum: nam ad certitudinem prædictionis, ſat eſt quod effectus ſit infallibiliter futurus, & vt talis agnoſcatur, etiam ſi non ex neceſsitate eueniat, ſed liberè: ergo ex illa poſitione non ſequitur aut libertatem tolli, aut noſtras voluntates neceſsitari ex influxu cœlorum. Aliud enim eſt, effectum eſſe futurum infallibiliter, aliud eſſe euenturum ex neceſsitate, nam infallibilitas non infert neceſsitatem, nec tollit libertatem, vt in ſcientia diuina conſtat. Confirmatur: quia

aliud eſt volũtatem determinari à cauſa ſuperiori, aliud, neceſsitari: quia in conſeſſo eſt apud quam plurimos doctos, Deum determinare illam, non neceſsitare. Si obiectioni factæ, plenè reſpondendum eſſet, ingens controuerſia excitaretur, quæ vſque modo verſatur inter diſcipulos D. Thom. & alios: modò verò breuiter reſpondetur, non minus falſum eſſe, aſſerere voluntates hominum determinari ad vnum, per cauſalitatem Aſtrorum, quàm neceſsitari: quia ſtellæ naturaliter influunt, ac neceſſariò, quantum poſſunt: ergo ſi poſſent noſtras voluntates ad vnum determinare, illa determinatio eſſet merè naturalis, ſicut & cauſæ operantur meré naturaliter, ac proinde neceſſaria, & præueniens naturaliter vſum humanæ libertatis. Vnde non eſſet in noſtra poteſtate illam impedire, neque in poteſtate cœlorum illam ſuſpẽdere, aut moderari: ergo talis determinatio infert neceſsitatẽ, ſeu eſt idem cum illa: quia neceſsitari, nihil aliud eſt, quàm determinari ad vnum, per actionem neceſſariam operantis naturaliter, quæ non ſit in poteſtate illius, qui determinari dicitur. Sic ergo infallibilitas futuri effectus, quæ ex tali determinatione proueniret, benè infert libertatis euerſionem, & inductionem neceſsitatis ſimpliciter: quia eſt neceſsitas antecedens, ac merè naturalis. Secus dicendum eſt de prædeterminatione voluntatis diuinæ, & ſcientia eius: quia Deus liberè cœlum naturaliter mouet, liberè ſuaui modo ſuæ ſapientiæ, qua attingit etiam voluntates humanas, fortiter, & ſuauiter moderando, & accommodando motionem ſuam, iuxta naturam liberæ voluntatis, cœlum verò merè naturaliter, & quantum poteſt: atque adeò ex motione infallibili Dei non infertur ablatio libertatis, aut fatalis neceſsitas, quæ benè inferuntur ex motione infallibili cœlorum.

Quod ſi aliquis velit fundare eam prædictionem, non in cauſalitate cœlorum, ſed in ſignificatione eorum, vt pote ſignificantium ea, quæ in ſublunaribus eueniunt, talis prædictio non excuſabitur à ſuperſtitione, neque à continentia fatalis neceſsitatis. A ſuperſtitione quidem: quia cœli, ſidera, & Aſtra, non ſunt ſigna naturalia futurorum euentuum, maximè actuum humanorum, vt demonſtrauimus ſupra diſputatione præcedenti circa aſſertionem tertiam: neque etiam ſunt ſigna ad placitum Dei inſtituentis. Vnde enim rogo, habemus hanc inſtitutionem? Vbi habetur huius inſtitutionis reuelatio? Dicet Geneſis primo, & alijs teſtimonijs ſacræ Scripturæ infra citandis. Nihil minus, nam hæc & ſimilia teſtimonia longè habent diuerſum ſenſum, vt videbimus ſoluentes argumenta Aſtrologorum. Rurſus. Eſto Deus cediſſet Aſtris, & ſideribus eam ſignificationem, eius diuerſitas, quomodo, & vnde hominibus nota? Num quid in theſibus Aſtrologicis? Nos certè illis non credimus, vt à Deo reuelatis: ſed putamus dæmonum eſſe inuentum, volentium ſic ſpecioſo apparatu, homines decipere per regulas Aſtrologicas, & procurantium vera facere, quæ prædicuntur, vt adnotauit Auguſtinus ſæpe citatus: igitur illæ ſiderum poſituræ, non ſunt vera ſigna naturalia futurorum euentuum, neque ſigna ad placitum ex inſtitutione Dei, ſed aſtu dæmonum conficta, vt illis fidem adhibentes, pacto implicito dæmoniaco inuoluãtur, & ſic ſuperſtitionis diuinatiuæ rei habeantur. Quod verò talis prædictio virtualiter contineat errores relatos in aſſertione, perſpicuum erit conſideranti ea, quæ diximus in præcedenti diſputatione, aſſertione tertia, ad probandum non minus induci fatalem neceſsitatem, per ſignificationem infallibilem ſiderum, & Aſtrorum, quàm per eorum infallibilem cauſalitatem.

Ex dictis colligitur primò, quamcunque prædictionem Aſtrologicam futurorum euentuum, & aliorum, quæ ex cœlorum influentijs, ac poſitura, agnoſci non poſſe cum certitudine diximus; in indiuiduo eſſe peccatum mortale ſuperſtitionis diuinatiuæ, propter grauitatem malitiarum ibi contentarum, quas prædictiones propterea tantopere execrantur Sancti, & Patres citati. Vnde nunquam, aut ferè nunquam, tales diuinatores à mortali excuſantur propter ignorantiam, vt benè expendit Caietanus ex c. ex tuarum. de Sortilegijs, vbi quidam presbyter in ſecreto loco, cum infamia ad inſpectionem Aſtrolabij, vt furtum bonorum Eccleſiæ ſciret, ex ſimplicitate, & zelo accedens, valde peccaſſe dicitur. *Caietan.*

Secundò infertur, relatas prædictiones non eſſe malas, quia prohibitas: ſed ideò prohibitas, quia malas. Hoc probant omnia allata pro aſſertionibus proximè præcedentibus, & multa quæ attulimus in præcedenti diſputatione. Ex quo infertur, valde erraſſe Salisberienſem, lib. primo, cap. *Salisberiẽ.*

cap. 11. relatum à Martino Delrio lib. 4. diſquiſitionum Magic. cap. 3. quæſt. 1. qui affirmabat, fortaſsè licuiſſe hanc ſcientiam prædicendi futura, donec Deum natum nunciauit Stella de cœlo. Cui videtur annuere Albinus Flaccus lib. de diui. offi. c. 5. Sed non minus quam Salisbernienſis, iſte Flaccus errauit: ſemper enim, & in omni quo hāc artem damnatam fuiſſe, oſtendunt ſupra allata.

Albinus.

Tertia aſſertio. Non eſt ſuperſtitionis diuinatiuæ peccatum, aut quouis alio modo prohibitum, coniectare, aut prædicere, ex cōſideratione influxuum cœleſtium, putà Planetarum concurſu, aut ſiderum, eorumque aſpectibus, effectus naturales futuros ab eiſdem influentijs per ſe, & vt plurimū prouenientes: v.g. pluuias, ſiccitates, morbos, annonæ caritatem, & ſimilia: quamuis aliquando poſsit aliter peccari per exceſſum, in hoc genere coniectationis, aut credulitatis, aut in vſu eius. Prior huius aſſertionis pars eſt expreſſa D. Thom. in fine huius articuli 5. quem ſequuntur communiter omnes Doctores, & habetur à Sixto Quinto in Motu proprio, qui incipit: *Cœli, & terræ Creator Deus*: ibi enim circa principium, poſt damnatas artes inuentas ad prænoſcendos effectus futuros, & fortuitos euentus; exceptionem interponit dicens: *Exceptis dumtaxat futuris euentibus, ex naturalibus cauſis neceſſario, vel frequenter prouenientibus: quæ ad diuinationem non pertinent.* Et infrà, ferendo legem contra iudiciarios, ſubiungit: *Præter quam circa agriculturam, aut nauigationem, & rem medicam.* Ratione probatur eadem pars, quia horum effectuum cauſæ, ſunt cœli, vt ſupponitur: ergo non eſt ſuperſtitioſum, neque per ſe malum, eos per tales cauſas coniectare: neque eſt cur talis coniectatio, aut prædictio prohibeatur, cùm ad vſus vitæ humanæ, putà agriculturam, nauigationem, &c. perutilis eſſe poſsit. Secunda aſſertionis pars manifeſta erit conſideranti, talium effectuum cognitionem, licèt in ſe poſsibilem, mortalibus tamen eſſe valdè incertam, ac difficilem: tùm, quia vt in præcedenti diſputatione multis docuimus, pauca homo cognoſcit: imò neque naturaliter poteſt cognoſcere de virtutibus, & proprietatibus ſiderum: tùm, quia effectus non pendent ex vna tantùm, aut duabus Stellis, ſed ex multis; & ſæpè Stellæ fixæ poſſunt impedire actiones Planetarum, & è conuerſo. Et licèt aſpectus Planetarum (maximè Solis, & Lunæ, quæ præcipuè influunt in præfatos effectus) facilioris ſit cognitionis: nō tamen concurſus eorum cum fixis, qui ſemper varius eſt propter motus octauæ, & nonæ Sphæræ. Ac deniq;, quia prædicti effectus, non ſolùm pendent à cauſis cœleſtibus, ſed etiam ab inferioribus efficientibus, & materialibus: putà à diſpoſitione aquæ, terræ, &c. & à locorum diuerſitate, in quibus elementares motus, potentes impedire influentiam ſiderum. Ex his perſpicuum eſt, quàm deficiens, & incerta poſsit eſſe horum effectuum cognitio; & id ipſum experientia confirmat: nam multæ, ac variæ Ephemerides, ſeu Almanach, quæ quotannis de his prędictionibus prelo mādātur; magna ex parte ad inuicem pugnāt, & omnes magna ex parte à veritate deficiunt: ita vt ſcientia hæc, & eorum patroni, deriſui ſint fere omnibus, nedum ſapientibus. Quare ſi ſaperent iſti Ephemeridum editores, deberent abſtinere à prædictione abſoluta talium effectuum; & deberent eā moderari, ſicut res ſe habet: v.g. dicentes: Influentiæ cœleſtes indicant ſerenitatem, aut pluuiam; vel ſterilitas, aut peſtis imminet, aut valdè timeri poteſt. Quod ſi prędictio ſit de effectibus, qui rarò impediuntur, tunc benè poſſent prænuntiari abſolutè effectus venturi, quia illa abſoluta prænuntiatio debet intelligi, vt plurimum, & frequenter, ſicut concluſiones Philoſophicas ait Ariſt. ſciri. Idq; præcipuè cōtingit, quādo non ſolum conſtellationes, ſed etiam alia ſigna proxima, in elementis, vel alijs effectibus naturalibus conſiderantur: ſic certius cōiectant agricolæ, nautæ, ac paſtores. Hoc ſuppoſito probatur ſecunda aſſertionis pars: quia ſiquis verbis, & credulitate abſoluta, aut indubitata certitudine, præfatos effectus prædicat; certè temerarius eſt, & imprudens, dum excedit terminos, & principia, vnde coniectare poteſt: ergo peccat, non quidem peccato ſuperſtitionis per ſe loquendo, quia nō coniectat ex eo quod non eſt cauſa, ac proinde nullum ibi interuenit pactum implicitum cum dæmone: ſed incurrit leuitatem, in credendo firmiter indicationi vnius cauſæ, non conſideratis alijs, neq; impedimentis, quæ ſæpè occurrunt. Incurrit etiam temeritatis vitium, iuxta leuem illam conſiderationem prænuntiando, ac ſi firma vndique eſſet: putoq; eſſe tantùm peccatū veniale, niſi ex adiūctis mortale fiat, putà quia ex tali prædictione, aliquod nocumētū publicū, aut priuatū gra-

ue timeatur, vel ſequatur, vel quid ſimile:

Tenor huius tertiæ aſſertionis, applicandus omninò eſt prædictionibus, quas ſolēt facere Aſtrologi, de temperamentis, aut propenſionibus, ſeu inclinationibus natorum infantium, quas deſumere dicunt, ex natalitia conſtellatione ipſorum conſiderata. Probatur, quia huiuſmodi temperamenta, & inclinationes, inter effectus naturales conſtellationum ſideralium computantur: ſed aucupari cognitionem effectuum ex ſuis cauſis, per ſe loquendo neq; eſt pernicioſum, neque alio modo illicitum: ergo. Fateor, multò facilior eſt lapſus in huiuſcemodi prædictionibus, quàm in eis, quæ fiūt de alijs effectibus naturalibus, de quibus nuper dicebamus: tum, quia vltra illa, quæ faciunt illorum effectuum cognitionem difficilem, ac dubiam, ſunt alia in his effectibus, quæ reddunt ſuam cognitionem valde difficiliorem, ac magis dubiam, v.g. minor certitudo cauſalitatis ſiderum, erga has inclinationes; ſunt enim quidam, qui eam omninò negant. Item ea cauſalitate admiſſa; minor certitudo adaptationis cœleſtium influentiarū, ad has, vel illas inclinationes hominum, quàm ad pluuias, ſiccitates, & ſimiles metheorologicas impreſſiones: experientia enim docuit, hunc Planetā influere pluuiam; illum ſiccitatem: hanc conſtellationem, peſtem; illam verò, frugum ſterilitatem: non verò ita certum, hanc conſtellationem influere in puerulum iracundiam; illam verò, manſuetudinem, & ſimilia. Rurſus, magna incertitudo horæ natalitiæ; & multo maior, horæ conceptionis, quæ (vt ſupra dixi) maioris momenti eſt, ad inueſtigandum de propenſionibus prolis conceptæ, quàm natiuitatis hora: & quæ extiterit eo tēporis momento conſtellatio, valde auget incertitudinem cognitionis erga propenſiones naſcentis. Ac demum, quia propenſiones fœtus naſcituri fortaſsè magis pendēt ex diſpoſitionibus materiæ, ex qua proles generanda eſt, & ex efficacia proximæ virtutis actiuæ, quàm ex influentia cœlorum, vt patet ex multis ſub eadē conſtellatione genitis, qui diuerſas habent propenſiones, ac complexiones, propter diuerſam materiam à matribus miniſtratam, vel propter patrum diuerſam efficaciam, & alia multa, quæ ſupra retulimus: ergo cum hæc omnia neq; conſiderentur, neq; cōſiderari poſſint ab Aſtrologis, non poteſt cognitio non eſſe valde infirma: ac demū ingens contrarietas opinionum circa has propenſiones, & cauſas, à quibus prodeunt, infirmam reddit earum cognitionē. Ex quibus ſatis appareat, quam leuis ſuſpitio, ne dicam coniectura, ex cœleſtibus ſumatur de his propenſionibus: ac per conſequens, quàm facilè eſt in his coniectandis, aut prædicendis, temerariè, & imprudenter delinquere. Quocirca Aſtrologi deberent non proferre verba abſoluta, ſed multo magis timida, quàm cū de futuris merè naturalibus, & impreſsionibus metheorologicis prænūtiant: putà horoſcopus, vel natalitia hora hanc propenſionem, vel inclinationē promittit, vel quid ſimile. At verò ſi abſolutè prædicant, non condemnarē eos vt ſuperſtitioſos diuinatores, quia ex cauſis, quæ ſecundùm ſeueræ cauſæ ſunt inueſtigant effectus, niſi tanta eſſet inſcitia, vt ſine rationis vllo libramine, hæc, & illa prænuntiarent: tunc enim puto, redire actum in naturam ſuæ formæ; id eſt, ita peccare, ac ſi ex ſuo cerebro prę ſagire conarētur: quod ad ſuperſtitionem pertinere citra dubium eſt.

Sed magis difficile eſt, an liceat ex aſtris ſine ſuperſtitionis diuinatiuæ crimine, cōiectare, & prædicere de futuris merè cōtingētibus, quæ à voluntate libera hominū pēdent, licèt nō certò, ſaltē tamē probabiliter, ſecundùm quandā moralē cōiecturā? Quidam aſſerunt, non eſſe per ſe loquendo malam talem cōiectationem, aut prædictionē; imo neq; eſſe iure poſitiuo prohibitā. Probatur pars prior, quia coniecturalis cognitio iſtorū, poteſt haberi ex cœlis, tanquam ex cauſis: neq; ex illa ſequuntur incōmoda allata ſuperius contra aſſerentes ea certò ſciri poſſe ex aſtris, & prædici, quia neq; tollitur liberū arbitrium, neq; aſſeritur fatum. &c. Altera pars patet, quia nullum extat ius poſitiuum, quo aliquid amplius in hac materia prohibeatur, quàm quod per ſe malum eſt. Alij cenſent, eam coniecturam, etiamſi fiat cum formidine veritatis, eſſe nō ſolùm illicitam, verùm & ſuperſtitioſam, ſi tamen ſumatur ex ſolis aſtris. Probant, nam ex ſolis aſtris deſumi non poteſt cognitio futurorū merè cōtingentiū, & pendentiū à libertate humanā, ita probabilis, vt ad determinatū iudicium ſufficiat, ſcilicet ita eſſe futurū: ergo qui ſic cōiectat, & prædicit, tacitè vult cognitionē eā ex dæmone cōparare. Conſequētia nota videtur, & probatur antecedēs ex ſupra ſæpe dictis: quia ſola ſideraſunt remotiſsimæ cauſæ; & illæ maiori ex parte hominibus ignotæ, quia plures omninò ignorantur, & ſi quæ paucæ ſunt, quæ cognoſcuntur,

cuntur, imperfectiſsimè cognoſcuntur, quo ad earum virtutem, & influentiam. Confirmatur ex verbis ſuprà citatis Hierem.

Hiere. 10. 10. *A ſignis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.* At ſi iudicium probabile, & cognitionem moralem conferre poſſent, non irrationabiliter timerentur: ac proinde ſi timenda non ſunt, neque ſub illa probabilitate inquirenda, coniectanda, & multo minus prædicenda.

Pro deciſione prænotare oportet: corpora cœleſtia, ſicut non ſunt cauſæ humanorum actuum, niſi tantùm diſpoſitiuę, & inclinatiuæ, vt docuit D. Thom. in articulo: ſic neque poſſunt miniſtrare cognitionem eorum, niſi qua ratione cauſæ ſunt: ac proinde, ex Aſtris concedit ſanctus Doctor in multis locis nuper citatis, iſto modo ſæpè Aſtrologos vera prædixiſſe, coniectatione ſumpta ex propenſionibus, & inclinationibus, quas in hominum conceptione influunt ſidera, quibus communiter maximè à vulgo non reſiſtitur: & nullam aliam viam agnoſcit cognoſcendi, aut prædicendi actus humanos, ſecluſa reuelatione diuina. Rurſus. Effectus futuri merè contingentes, præcipuè actus humani, ſunt in multiplici differentia. Quidam, qui habent quaſi neceſſariam, aut coniecturalem connexionem cum præfatis inclinationibus: v. g. quod aliquis, qui habet propenſionem ad iram, ſæpè iraſcatur, moueat lites, ac iurgia, habeat inimicos ſibi infenſos: quod aliquis ad Venerea inclinatus, ſæpè labatur carnis lapſu, quod ſit adulter, quod habiturus ſit vxorem pulchram: quod aliquis elati cordis, ſit ambiturus dignitates, quod ſit eas conſequuturus. Hæc, & ſimilia futura contingentia, aliqualem habent cũ propenſionibus hominum connexionem. Alij effectus merè contingentes ſunt; qui vel nullam, vel ferè nullam habent cum prædictis propenſionibus connexionem: v. g. quod iſte ſit futurus Rex, alter verò Pontifex Summus: hunc obtenturum victoriam in mari, alterum caſurum in prælio terreſtri: quorum multa adduximus in præcedenti diſputatione exempla, impugnantes partem Aſtrologiæ iudiciariæ, quæ verſatur circa electiones, & auſpicationes.

His prænotatis quarta aſſertio ſit. Non eſt per ſe malum, aut ſuperſtitioſum, ex Aſtrorum poſitione, in generatione hominum obſeruata, aliqualiter coniectare, ne dicam ſuſpicari, eos actus humanos, quos diximus, aliquam habere coniecturalem connexionem cum propenſionibus hominum. Probatur. Quia non eſt per ſe illicitum, aut ſuperſtitioſum, ex Solis Aſtris coniectare propenſiones naſcentium, vt in tertia aſſertione docuimus: ſed hi effectus, aliquam, licèt imperfectam connexionem habent cum illis propenſionibus: ergo in eo temporis puncto, quo obſeruantur ex Aſtris illæ propenſiones, poterit aliqualis coniectura ſumi, de iſtis futuris actibus humanis; maior, aut minor, ſecundùm quod eæ actiones, quæ prędicuntur, remotiorem, aut propinquiorem habent connexionem cum præfatis propenſionibus. Fateor eam coniecturam ſemper eſſe leuiſsimam, & vix nomen coniecturæ mereri. Quod vel ex eò patere poteſt; quia coniecturam propenſionum deſumptam ex Aſtris, leuiſsimam eſſe docuimus in tertia aſſertione: & illatio, ſeu connexio iſtorum futurorum ex illis propenſionibus, perquam exigua eſt, propter libertatem voluntatis, potentis omnibus iſtis propenſionibus contraire: ergo coniectatio ferè immenſum decreſcit, & exinanitur. Quo circa Aſtrologi, in coniectando, & prædicendo hos futuros euentus, cum magna formidine deberent procedere, dicendo: Horoſcopus, ſeu natalitia conſtellatio, has propenſiones portendit; & ſæpè ad has inclinationes hi ſequuntur actuales effectus: quos ſequuturos, aliqualis licet leuis coniectura eſt. Sed rogas: An qui abſolutè coniectarent, aut prædicerent futuros, eſſent ſuperſtitioſi? Videtur non eſſe ſuperſtitioſos: quia qui abſolutè coniectaret de propenſionibus, licèt valdè erraret, non eſſe ſuperſtitioſum docuimus: ergo neque qui erga hos effectus abſolutè coniectaret. Nihilominus ſuperſtitioſos eſſe cenſeo: quia ex non cauſis coniectant. Neque obſtat, Aſtra eſſe cauſas diſpoſitiuas, & inclinatiuas, quia hæ non ſunt verę cauſæ ſufficientes oſtendere effectus, neque vt in pluribus; vt inde poſsint diuinatores iſti deſumere certum iudicium probabile. Quod ſi abſolutè coniectent, aut prædicant; peccatum ſuperſtitionis diuinatiuæ committunt. Nec eſt eadem ratio de coniectatione inclinationum, aut propenſionum: quia Aſtra iſtarum cauſæ ſunt totales, in ſuo genere, quibus integer effectus adſcribi poſsit, & quæ poſſent quantum eſt de ſe ſuorum effectuum cognitionem parere: quod verò circa has præcog-

noſcen-

noſcendas, aut prædicendas decipiantur, peraccidens eſt; propter impedimenta cauſarum ſublunarium, quarum efficacia magna debet eſſe, vt impediantur Aſtra, quæ certè potentia ſunt ad eas propenſiones. At verò Aſtra non ſunt cauſæ humanorum actuum, ſed dumtaxat ſecundùm quid, id eſt, diſpoſitiuæ, & inclinatiuæ: vnde quod decipiamur in eorum coniectura, non eſt per accidens; ſed multum per ſe, & frequenter.

Notandum tamē, conſultò aſſertum ſtatuiſſe, de coniectatione ſumpta ex ſolis Aſtris: quia ſi ſimul conſiderētur aliæ cauſæ particulares, & temperamenta perſonarum iam experientia cognita, actus ſoliti earundem, & aliæ circunſtantiæ, quas ſagaces coniectores ſolent rimari; talis obſeruatio, & coniectura inde ſumpta, non dicetur diuinatio ſuperſtitioſa, ſed prouidentia ſagax; in qua ſuas partes etiam aget, & conducet aliquid aſpectus Aſtrorum.

Quinta aſſertio. Coniectatio, & prædictio quęcumque, etiam formidoloſa circa actus humanos, qui non habent connexionem aliquam cum propenſionibus, & inclinationibus hominum, in conceptione eorum, vel natiuitate, à cœlo inditis, illicita eſt, & ſuperſtitioſa, ſi à ſola cœlorum influentia deſumatur. Probatur. Quia cœlorum influxus nullam habet circa dictos actus cauſalitatem, neque diſpoſitiuam, aut inclinatiuam: ergo ex his influxibus, velle quomodocumque prædicere, ſuperſtitioſum eſt; quia vt dictum eſt ſupra, omnis diuinatio ex Aſtris deſumpta, ſine cauſalitate, & ſecluſa reuelatione diuina; crimen ſuperſtitionis eſt, inuoluens pactum tacitum cum dæmonibus. Dicet Aſtrologus: Nullus actus humanus eſt, ad quem non habeant homines propenſionem, ex beneficio ſideralium influentiarum. Certè nullo fundamento nituntur: quia cùm ferè ſine numero ſint varię actiones humanæ: etiam ſine numero multiplicarentur in hominibus propenſiones habituales; quod eſt incredibile. Pro qua re, & pro pleniori harum propenſionum, & actuum ab eis dimanantium cognitione, vide quæ dixi in præcedenti diſputatione, reſpondens tertiæ, & quartæ rationibus in fauorem Aſtrologorum: vbi & in quinta aſſertione inuenies plura exēpla prædictionum Aſtrologicarum, quæ ſuperſtitioſæ ſunt.

Hanc aſſertionem extendo ad coniectationem, & prædictionem ex Aſtris, futurorum merè caſualium, & fortuitorum, qui nō ſunt actus humani; eam ſcilicet eſſe ſuperſtitioſam probatur. Sidera non ſunt cauſæ iſtorum effectuum, neque inclinatiuæ, aut diſpoſitiuæ, vt tradit D. Tho. in articulo ex Ariſtotele dicente, ea non habere vnam cauſam: & ſi habeant pro cauſa concurſum diuerſorum Aſtrorum, ea cauſalitas eſt prorſus ignota hominibus, & fortaſsè Angelis, qui virtute naturali non valent comprehendere tot concurſus, qui innumeri ſunt; ſicut effectus caſuales, & fortuiti numerare vix quibunt: ergo ex Aſtris non potetunt mortales aliquam horum effectuum cognitionem aucupari, aut prædicere. Vnde ſi velint ad talem cōiecturam, aut prædictionem conari, citra dubium ſuperſtitioſi erunt. *D.Thom.*

Ad rationem pro prima ſententia reſpondetur, probare noſtram quartam aſſertionem, & non expugnare quintam. Quia coniectatio, aut prædictio eorum futurorum, de quibus aſſertio quinta procedit; per ſe mala eſt, vt ibi oſtendi. Pariter reſpondetur ad argumentum pro ſecunda ſententia, probare quintam concluſionem, & non euertere quartam propter rationes ibi aſſignatas. Hieremias autem citatus inuehitur aduerſus eos, qui timebant à ſignis cœli: quia augures ex illis multa mala affutura annunciabant, vel certò, vel probabiliter probabilitate abſoluta, quæ importat adhæſionem coniecturæ factæ ex cœlis; qualem nos non concedimus haberi poſſe ex Aſtris, circa futura merè contingentia. Timere autem, ne propenſiones, & inclinationes noſtrę prodeant in actus ſuos quandoque prauos, proprie non eſt timere à ſignis cœli: ſed timere nobis metipſis, ne ſuccumbamus paſsionibus noſtris. De quo egregiè Caietanus in commentarijs huius articuli, & in ſumma, verbo, *Aſtrorum obſeruatio*, vbi ſic habet: *Aſtrorum obſeruatio ad natiuitates hominum, & occurrentia humana, tripliciter peccato ſubijci poteſt. Primò, ſi ea quæ fidei Chriſtianæ myſteria ſunt, tanquam ſubſint cœleſtibus cauſis, habeantur. Secundò, Si futura contingentia q uærantur, ſeu habeantur vt certa, ex cœleſtibus cauſis. Tertiò, Si electiones ſuas quis ſubijciat cœleſtibus cauſis, vt legi illarum: ita quod vitam ſuam, actioneſque ſuas regulet ſecundùm cœlos. Et quodlibet horum trium eſt peccatum mortale ex ſuo genere: quia primum eſt contra ſpiritualitatem Chriſtianæ religionis, quæ ſuper cœlos eſt, immutare potens etiam ipſos cœlorum* *Caieta.*

lorum curſus, iuxta id quod ſcriptum eſt: confeſſio eius ſuper cœlum, & terram: & experientia teſtata eſt. Secundum verò eſt contra veritatem doctrinæ Chriſtianæ, & liberi arbitrij, quo domini ſumus noſtrorum operum. Tertium eſt contra veritatem gratiæ diuinæ legis, ac humanæ mentis: qua ſuper omnia corporalia ſumus conſtituti: & ſicut erraremus ſubijciendo nos paſſionibus iræ, odij, ſpei, timoris, ita quod haberemus impetus paſſionũ pro lege, ita vilificamus nos ſi inclinationes cœlorum habemus pro lege: corpora enim ſunt, & per modum paſſionum inclinant nos. Si quis autem cœleſtium influxuum cauſas vt inclinatiuas ad ea, quæ ex corporibus pendent humana, ſuſcipiat, neque errat, neque peccat: ita quod ex conſideratione Aſtrorum timere, cauere, audere, &c. aliquid, quatenus ex corporibus pendet, nullum peccatum eſt, ſeruato moderamine coniecturæ: vt ſcilicet homo non pro certo, ſed coniectura, habeat quidquid ex cœlo dicitur circa humanas actiones; non tantum ea ratione, quia caremus ſcientia Aſtrorum, ſed quia non ſubijciuntur actiones humanæ cœlo, niſi per indirectam inclinationem: hoc eſt niſi pro quanto pendent à corporibus. Secundùm hæc igitur iudicare poteſt, eos qui Aſtrologorum iudicia ſequuntur circa humana.

Hæc dicta ſint de malitia diuinationis ex Aſtris, ſi conſideretur quantum ad id quod de ſe includit, etiam ſeclusa prohibitione iuris poſitiui.

Sed modò, & vltimò dubitatur: An ſit aliqua diuinatio deſumpta ex Aſtrorum obſeruatione, illicita tantum ex iure poſitiuo?

Mouetur dubitatio propter quædã verba Sixti V. in Motu proprio citato, quæ ſic habent: *Statuimus* (dicit) *contra facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſq; caſibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent, etiam ſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, &c. inquirant, & procedant, & in eos ſeuerius canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.* En Summus Pontifex vetat omnem prædictionem futurorum contingentium, etiam formidoloſam, qualem nos attento iure naturæ diximus eſſe licitam circa quartam aſſertionem potiſsimè: ac proinde aliqua diuinatio per Aſtra illicita eſt ex ſolo iure poſitiuo eam vetante.

Sixtus V.

In qua re dico primò. Probabile eſt prefatum Pontificem voluiſſe os occludere Aſtrologis loquacibus, prohibẽdo aliquod genus diuinationis, aliàs licitum: quia ille modus prænuntiandi futura, pernitioſus eſt Chriſtianæ plebi: & eadem incommoda, & vanæ inueſtigationes ex illis ſequuntur, atque ſi per certitudinem futura enuntiarentur: vel quia ſemper præſumitur, ea verba proferri ſub tali forma, ad occultandam malitiam, & diuinationis peccatum.

Dico ſecundo. Probabilius exiſtimo, nil prohiberi à Summo Pontifice in illa Extrauaganti, quod aliàs iure diuino non erat prohibitum: eſt autem, & ſemper fuit intrinſecè malum, ex Aſtris coniectare, aut prædicere, non ſolùm certò, verùm & probabili coniectura, futura merè contingentia in ſe ipſis, ſiue illa ſint actus humani à libertate pendẽtes, ſiue euentus caſuales, & fortuiti, vt oſtendi in diſputatione proxime præcedenti, aſſertione quinta: & de iſtis loquitur Pontifex in ſua conſtitutione. Coniectare autem ea, aut prædicere, qua ratione habent aliqualem connexionem cũ inclinationibus à cœlo inditis, ad modum explicatum in quarta aſſertione; non eſt ea prædicere in ſe ipſis, ſed potiùs prædicere quandam formidoloſam, & valde dubiam, & ſecundum quid cauſalitatem earum inclinationum, erga effectus contingentes. Itaque qui obſeruata natalitia conſtellatione alicuius, prænuntiaret eum eſſe futurũ mulieroſum, rapacem, rixoſum, vel quid ſimile; etiam ſi aſſerat, aut proteſtetur, ſe id nõ certo affirmare: ſuperſtitioſus eſt coram Deo, & hominibus, & tranſgreſſor Pontificiæ conſtitutionis iam relatæ, quia (vt docuimus circa quartam, & quintam aſſertiones) nõ poteſt ex Aſtris, aut ex inclinationibus à ſideribus inditis, haberi cognitio talium futurorum, aut occultorum, vt ad definitum iudicium proferendum, & ſub abſolutis verbis, ſufficiat, ſcilicet, ita eſſe futurum. Etenim abſoluta illa prolatio, non obſtante prædicta declaratione, includit adhæſionem illi rei, per verba ſignificatæ. Sicut qui profert propoſitionem probabilem, aut coniecturalem, quamuis dicat ſe non vt certam aſſerere, ſed vt dubiam; tamen re vera illi adhæret: ſic & prædicens futura merè contingentia, aut caſualia, quãuis dicat ſe non certò affirmare: tamen abſoluta illa prolatio adhæſionem prædictioni includit; quæ certè non poteſt haberi ex Aſtris. At verò, qui iuxta tenorem quartæ aſſertionis, inſpecto horoſcopo alicuius, diceret: Aſtra has vel illas inclinationes portendunt; & ad has, ſolent ſequi actus venerei,

rei, furta, &c. Fortassè iste his inuoluetur, nisi obsistat suis inclinationibus. Talis, inquam Astrologus, sicut non est apud Deũ superstitiosus, ita neque transgressor constitutionis Pontificiæ: imò nec proprie dicetur prænuntiator futurorum mere contingentium. Illa enim prænuntiatio potius habet pro obiecto rem necessariam, putà connexionem talem qualem euentuum, cùm inclinationibus inditis à cœlo; quàm ipsa contingentia in se ipsis. Quod fortassè voluit D. Thom. docere in loco citato ex 1. p. quando ait, in communi Astrologos sæpè vera prædicere, non autem in particulari: in communi nempè; quando connexionem dictam propensionum cum suis actibus prænuntiant; non autem in particulari, videlicet, prædicendo ipsa merè contingentia determinatè, & in se ipsis. *D. Thom.*

Ex dictis etiam colligitur, citrà dubium in foro externo iudicandum esse, vt superstitionis diuinatiuæ reum, qui simpliciter & absolutè verbis prædicit hæc, vel illa merè contingentia, esse futura in particulari, vt quod iste erit rapax, aut quod futurus est Rex, & similia: vel reuelat particularia facta omninò occulta: talis, inquam, in foro externo, meritò vt superstitiosus damnabitur; licet postea explicet, intellexisse suã prædictionem tantùm vt probabilem, seu coniecturalem. Et vltra constitutionem relatam, id expressè prohibentem, ratio est aperta, quia verba cuiusque interpretantur homines, iuxta planum verborum sensum; neque interpretatio subsecuta illi fauere debet: etenim si illi euasioni daretur locus, nullus posset conuinci, quia Astrologi moderni nunquam dicunt, hoc infallibiliter esse euenturum: imo fatentur in generali interdum sua principia deficere. Rursus in tali prædictione absoluta, semper grauis culpa reperitur, saltem propter scandalum: est enim ille modus prænuntiandi, moribus pernicios⁹; & propter speciẽ mali, cum præsumptione iuris, & de iure: quia præsumuntur eam declarationem subiungere, ad occultandam malitiam diuinationis. Quare meritò Sixtus Quintus hoc suffragium occlusit, edita ea cõstitutione.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm diuinatio, quæ fit per somnia, sit illicita?

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quòd diuinatio, quę fit per somnia, non sit illicita. Vti enim instructione diuina non est illicitum. Sed in somnijs homines instruũtur à Deo. dicitur enim Iob 33. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tũc aperit, scilicèt Deus, aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina: ergo vti diuinatione, quæ est per somnia, non est illicitum. 3. *Cont. ca.* 54. *co.* 5. *Et opu.* 25. *c.* 4

2 ¶ Præterea. Illi, qui interpretantur somnia, propriè vtuntur diuinatione somniorum. Sed sancti viri leguntur somnia interpretati, sicut Ioseph est interpretatus somnia pincernæ Pharaonis, & magistri pistorum, vt legitur Genes. 40. & somnium Pharaonis, vt legitur Genes. 41. Et Daniel interpretatus est somnium Regis Babylonis, vt habetur Daniel. 2. & 4. ergo diuinatio somniorum non est illicita.

3 ¶ Præterea. Illud, quod communiter homines experiuntur, irrationabile est negare. Sed omnes experiuntur somnia habere aliquam significationem futu-

futurorũ. Ergo vanum est negare somnia habere vim diuinationis: ergo licitum est eis intendere.

¶ SED CONTRA est, quod dicitur Deut. 18. Non inueniatur in te, qui obseruet somnia.

¶ RESPONDEO dicendum, *Ar. 5. & 6.* quòd, sicut dictum est, diuinatio, quæ innititur falsæ opinioni, est superstitiosa, & illicita. Ideò considerare oportet quid sit verum circa præcognitionẽ futurorum de somnijs. Sunt autem somnia futurorum euentuum quandoq; quidem causa, putà cum mens alicuius solicita ex his, quæ videt in somnijs, inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandum. Quandoq; verò somnia sunt signa aliquorũ futurorum euentuum, in quantũ reducuntur ad aliquã causam cõmunem somnijs, & futuris euentibus. Et secundũ hoc plurimum præcognitiones futurorum in somnijs fiunt. Est ergo considerandum, quæ sit causa somniorũ, & an possit esse causa futurorum euentuum, vel ea possit cognoscere. Sciendũ est ergo, quòd somniorum quandoque est causa interius, quãdoque exterius. Interior autẽ somniorum causa est duplex. Vna quidem animalis, in quantum, scilicet, ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ eius cogitatio, & affectio fuit immorata in vigilando. Et talis causa somniorum non est causa futurorum euentuũ, vnde huiusmodi somnia per accidẽs se habent ad futuros euẽtus. Et si quandoq; simul concurrant, erit casuale. Quandoque verò causa intrinseca somniorum est corporalis. Nã ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia, conueniens tali dispositioni: sicut homini, in quo abundant frigidi humores, occurrunt in somnijs, quod sit vel in aqua, vel in niue. Et propter hæc medici dicunt esse intendendũ somnijs ad cognoscendũ interiores dispositiones. Causa autem somniorum exterior, similiter est duplex, scilicet corporalis, & spiritualis. Corporalis quidem in quantum imaginatiò dormientis immutatur, vel ab aëre continenti, vel ex impressione cœlestis corporis, vt sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant cõformes cœlestium dispositionum. Spiritualis causa est quandoq; quidem à Deo, qui ministerio Angelorum aliqua hominibus reuelat in somnijs, secundum illud Num. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebò ei, vel per somnium loquar adillum. Quãdoque verò operatione dæmonũ aliquæ phantasię dormientibus apparẽt, ex quibus quãdoq; aliqua futura reuelãt his, qui cũ eis habent pacta illicita. Sic

ergo

ergo dicendum, quòd si quis vtatur somnijs ad præcognoscenda futura, secundùm quod somnia procedũt ex reuelatione diuina, vel ex causa naturali intrinseca, siue extrinseca, quantũ potest se virtus talis extendere, nõ erit illicita diuinatio. Si autem huiusmodi diuinatio causetur ex reuelatione dæmonum, cũ quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc inuocantur: vel tacita, quia huiusmodi diuinatio extẽditur ad quod se non potest extẽdere, erit diuinatio illicita, & superstitiosa. ¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Summa Articuli.

PRima conclusio. Si quis vtatur somnijs ad præcognoscenda futura, secundùm quod somnia procedũt ex reuelatione diuina, vel ex causa naturali intrinseca vel extrinseca, quantum potest talis virtus se extendere, non erit illicita diuinatio.

Secunda conclusio. Si diuinatio per somnia causetur ex reuelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc inuocantur: vel tacita, quia huiusmodi diuinatio extenditur ad quod se non potest extendere: erit diuinatio illicita, & superstitiosa. Vtraque conclusio, supposita doctrina tradita à D. Thoma in præcedentibus articulis, habet in se inclusas suas probationes, & nos amplius probabimus explicantes literam D. Thomæ.

Expositio Articuli copiosior.

Gregor. DE somnijs sparsim sancti Patres, Gregorius lib. 8. moral. c. 13. aliàs 18. &
Isidorus. li. 4. dialog. c. 48. Isidorus li. 3. senten.
Nissenus. c. 6. Nissenus lib. de opificio hominis, c. 13.
Tertullian. 33. & 34. Tertullianus de anima, c. 46. & 47.
Philo. & lib. de opificio Dei, cap. 18. Philo lib. de
August. insomnijs. August. lib. 12. de Genes. ad lit. &
8. de ciuitate, c. 16. & sequentibus, & metho-
D. Thom. do scholastica. D. Tho. q. 154. ar. 5. & 1. p. q. 84. a. 8. & 1. 2. q. 71. a. 5. & in 4. d. 9. a. 4. q. 1.

A quæstiuncula 2. de veritate, q. 28. art. 3. ad 6. & septimum. & quæst. 12. art. 3. ad secundũ.
D. Antoninus. 2. parte. titul. 12. cap. 1. 6. & 7. Turrecremata in cap. non obseruetis. 26. quæst. 7. Michael Medina lib. 2. cap. 7. Vallesius de sacra Philosophia, cap. 32. Ioannes Nider ad primum præceptum, cap. 10. Sed nostri sanctissimi Præceptoris in hoc articulo doctrinam attendamus, qui ponit diuisionem causæ somniorum: ea namque est quandoque interior somnianti, quandoque exterior. Rursus, interior est duplex, vna quæ ab anima nascitur, & ob id dicitur animalis, ab alijs verò moralis; quando scilicet
B somnia eueniunt de rebus, quibus in vigilia cogitatio hominis valde fuit intenta: iuxta illud Ecclesiastes 5. *Multas curas sequuntur somnia.* Rectè Claudianus,

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno redit amica quies.

Antoninus. Turrecr. Medina. Vallesius. Nider. Ecclesiast. 5. Claudian.

Ad hanc etiam causam reducitur frequens consuetudo, & amor intensus, seu affectio alicuius rei. de qua affectione Nissenus vbi supra in fine. *Vnicuique* (inquit) *pro morum varietate formantur somnia: nam aliæ sunt hominis fortis, aliæ timidi imaginationes nocturnæ: alia intemperantis, alia temperantis somnia, alia homini auaritia inexplebili, alia liberali per somnium obijciuntur.* Sed quid opus est testimonijs in re per experientiam notissima? Aduertendum tamen, causam istorum somniorum, non esse causam futurorum euentuum: neque ea tam esse signa futurorum, quàm rei præteritæ, ideſt, suæ causæ præcedentis.

Nissenus.

Altera causa somniorum, somnianti intrinseca, est corporalis, nasciturque à dispositione vel temperamento corporis, quod vel inedia debilitatum, vel crapula repletũ, vel humore aliquo nimis prædominante, vel alio interiori vitio laborat. Ex tali nãq; dispositione, formatur in phantasia aliquis motus, eidem dispositioni conueniens. Ex his causis, vel pacata, vel turbida, vel valde varia somnia nascuntur. Qui abũdant sanguine sæpe somniant purpuram, aurũ, gemas, rosas puniceas, viridaria, conuiuia, coreas, amplexus, & læta omnia: cholerici, colores flauos, rixas, pugnas, incendia: flematici, mare, aquas, balnea, nauigationes, submersiones, onera grauantia, tardam, & impeditam fugam: melancholici, fumos, caliginem, tenebras, oberrationes per nemora, spectra, mortes, tristiaq; cuncta. Illi quibus vexica humore plena; somniant de lacubus, fluuijs, imbribus: quibus dominatur

nantur puri, ſinceriq́ue humores; ſomniant ſe eſſe inter odoriferos flores: è contra illi qui repleti ſunt humoribus prauis, ac fœtidis, ſomniant ſe volutari in cœno, cloacis, inter cadauera, aut alijs locis ſordidis.

Cauſa exterior ſomniorum, quando ſcilicet dormientis imaginatiua ab extrinſeco agente mouetur, duplex eſt: corporalis nempe, & ſpiritualis. Corporalis, putà aër ambiens dormientem, aut aliud vicinum ſimile elementum. Dicitur autem mouere phantaſiam dormientis, non quia moueat tunc ſenſus externos, neque etiam phantaſiam immediatè, vt de ſe perſpicuū eſt; ſed quia corpus alterando, & conſequenter phantaſiam mouendo: & eo remotè, & quaſi per accidens, cauſat ſomnia proportionata elemento alteranti, ferè ad eum modum, quo mouetur phantaſia ab intrinſeco, propter humores eam alterantes, & cauſant ſproportionata ſomnia. Altera cauſa extrinſeca corporalis, ſunt corpora cœleſtia, quæ ſuo influxu creduntur cauſare diuerſa ſomnia, mouendo ſcilicet phantaſiam, quia corporalis eſt, & organis corporeis affixa: aë proinde, non mirum ſi cœleſtia corpora valeāt in eā producere varias ſpecies, ſeu phantaſmata; etiam quando ſenſus exteriores ligati ſunt ſomno, & ſic ſomnia diuerſa cauſare. Sed non eſt intelligendum, poſſe corpora cœleſtia directe, & per ſe, cauſare in phantaſiam varias imaginarias ſpecies; ſicut in materia corporali varias formas producit: quia phantaſia nequit recipere nouas ſpecies, niſi prius in ſenſibus externis extiterint, & per eos ad eā tranſmittantur. Hęc enim vnica, & ſola via naturalis eſt, per quā ſenſus interni acquirunt ſpecies ſenſibiles: & ideò ſicut de Angelis dixit D. Tho. 1. p. q. 111. art. 3. ad ſecundum, non poſſe imprimere phantaſiæ nouas ſpecies, quas ſenſus externi non perceperunt; & nos fuſius docuimus ſupra, quæſt. 5. præāmbula, agentes de dæmonum deceptione, circa ſenſus internos: ſic & propter eandem rationem, modò dicimus, cœleſtia corpora non poſſe imprimere phantaſiæ per ſe, & directè ſpecies imaginarias, ſeu phantaſmata, quæ ſenſus externi nō perceperūt: ac proinde nō poſſe eſſe cauſas ſomniorum, imprimendo, & de nouo producendo idola, vel phantaſmata imaginatrici facultati, ſed mouendo, & excitando phantaſmata, præexiſtentia in memoria, mediante alteratione humorum, aut organi ipſius phantaſiæ, vt infra copioſius dicemus.

D. Thom.

A Cauſa ſpiritualis extrinſeca, etiam duplex eſt: vna dæmon, qui (ſicut nuper dicebamus de cœleſtibus corporibus) nō poteſt nouas ſpecies, quæ nunquam per ſenſus externos tranſmiſſæ ſunt, phantaſię imprimere: ſed poteſt, veteribus excitatis, aut ex eis alijs compoſitis, phantaſiam mouere hominum dormientium, vt apprehendant ea; & ſic excitet ad libidinem, odium, vel ad alia mala: vel vt occulta, aut futura aliqua, quæ ipſe ſcit, aut coniectat, vel poteſt facere, reuelet. Altera cauſa ſpiritualis extrinſeca Deus eſt, qui per ſe ipſum, vel frequentius per bonos Angelos, aliqua reuelat hominibus dormientibus; ſiue nouas ſpecies imprimendo, ſiue antiquas excitando, ſiue alio modo, iuxta beneplacitum ſuum: & ſic conſtituitur vna ſpecies prophetiæ imaginariæ, de qua Num. 12. *Siquis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* De qua plenæ ſunt ſacræ paginæ inferius citandæ. Similiter Sanctorum hiſtoriæ refertæ ſunt exemplis Sanctorum, quibus Deus in ſomno reuelauit ſecreta ſua. Videndi Theodoretus lib. 5. hiſtoriæ, cap. 6. & 7. Hieron. in Chronicon. Euſebij, Glicas 4. p. Annal. Fulgoſius lib. 1. exemplorum, cap. 5.

Nume. 12.

Theodoret. Hierony. Glicas. Fulgoſius.

Ex his D. Tho. colligit, quando ſomnia ſignificent futuros euentus, & quando nō: tota enim ſignificatio, ſumitur ex cauſalitate enumerata ſomniorum. Contingit nāque ſomnia eſſe cauſam futurorum euentuum: putà cū mens alicuius ſolicita ex his, quæ videt in ſomnijs, inducitur ad aliquod faciendū, vel vitandū. Nam ſæpè de rebus agendis incepta cogitatio in vigilia, in ſomno continuatur: inueniunturq́; tunc temporis accommodatiſsima ad finem media; quæ cū expergefactis placēt, opere exequū D tur; & tunc ſomniū potiùs dicitur occaſio futuri effectus faciēdi, quàm ſignū. Rurſus, cùm ſomnia nequeant eſſe effectus futurorum euentuum (aliàs cauſa efficiens eſſet poſterior ſuo effectu) reliquū eſt, vt ſomnia dicantur eſſe ſigna euentuum futurorum, in quantum reducuntur ad aliquam cauſam communem ſomnijs, & futuris euentibus. Quam reductionē, & connexionē, qui agnouerit; ſciet præſagire ex ſomnijs euentus futuros, ſicut in præcedēti art. dixit D. Th. de Iride, & ſerenitate. Et iſto modo, inquit ſanctus Doctor, vt plurimum præcognitiones futurorum in ſomnijs fiūt. At verò quando ſomnium (ſaltem naturale)

non efficitur à cauſa futuri euentus,nequaquam illius ſignum erit: ac proinde neque ex eo ſomnio cognoſci valet. Huiuſmodi ſunt fere vniuerſa ſomnia, abſque dubio vana, & nullius ſignificationis. Scire autem quando ſit vna,eademque cauſa ſomnij, & futuri euentus (à qua radice ſumitur, vt plurimum, ſignificatio ſomniorum) hic labor,hoc opus.Dixi, vt plurimum, propter ſomnia immiſſa ab Angelis bonis, vel malis,ſignificatiua futurorum euentuum;quos eſſe efficienter à cauſa ſomniorum non eſt neceſſe:ſed ſat eſt cauſam ſomnij,putà Angelum,aut dæmonem ſcire, aut coniectare futurum euentum, & in ſomnijs propallare dormienti.Ex his infert D.Thom.ſuas duas concluſiones articuli huius: vbi compendioſe colligit, quando liceat per ſomnia futuros euentus inquirere, & prædicere,& quando non. Hæc fere Doctor Angelicus in hoc articulo. Circa quem ſit

DISPVTATIO I.

Quid ſint, & quomodo fiant ſomnia?

DIſputatio hæc ex Phyſicis ſumenda eſt. Etenim ſomnium eſſe dicitur,imaginatricis facultatis operatio; qua phantaſmata, ſiue ſimulacra quædam ſpeculatur animali dormiente. Fiuntque ſomnia, quia ab aliqua ex cauſis à D. Thoma commemoratis, ſpecies rerum in vigilia perceptarum agitantur, vt actualiter moueant phantaſiã: & ijs actuata phantaſia,id eſt, vis imaginatiua,& in actu ſecundo conſtituta,phantaſmata ſpeculatur.Et iſta viſio, ſeu ſpeculatio imaginatiuæ,animali dormiente, ſomnium eſt, & dicitur. Circa quam doctrinam, recolenda ſunt, quæ diximus in expoſitione articuli; videlicet, ſecluſo miraculo, ſomnia à nulla creatura poſſe cauſari, niſi excitando phantaſmata præcedentia, quæ in memoria conſeruantur, & poſtea in ſomno mouentur, vel ad ſimplices actiones, per ſimplicia phantaſmata;vel ad quaſi compoſitas apprehenſiones, per compoſitionem, ſeu mixtionem eorum: ex qua mixtione, varia,ac monſtruoſa ſomnia eueniunt:verbi gratia, chimeræ, ſphingis, & ſimilium.

Sed quod plus ſcire deſideratur, eſt de modo diſcernendi, ac quaſi ſeparandi reliA quas ſpecies ab alijs. Eſt enim inquiſitione dignum:quo modo ſidus pluuiam generans,quod irrationale, & inanime eſt,hic afficiat phantaſiam hominis dormientis; vt ex magno aceruo ſpecierum ſenſibilium, quæ in ea ſeruantur acceptę à rebus multis, eligat, aut quaſi eligat ſpecies pluuiæ, quibus facultatem imaginatricem dormientis moueat ad ſomniandam pluuiam, relictis intactis ſpeciebus ſerenitatis, & ſiccitatis, quæ etiam præerant in phantaſia? Dices, illud eſt opus intelligentiæ.Fateor,ſed à ſidere irrationali, & inanimi, mouente ſine vlla apprehenſione. Vt hoc interpretemur
B oportet diuidere ſomnia in naturalia, id eſt,quæ à cauſa naturaliter operante prouenium;&in non naturalia,quę à cauſa liberè operãte efficiuntur. Modus autem naturalia ſomnia efficiendi,hic eſt,vt à cauſa naturali moueatur phãtaſia,vt vtatur quibuſdam ſpeciebus,&non alijs,partim per alterationem organi phantaſiæ;per quam alterationem,quia magis conformis eſt cauſæ naturali,hic, & nunc alteranti illam, magis diſponitur ad vſum talis phantaſmatis, quàm alterius:partim,& præcipuè per agitationẽ ſpirituum animalium, in quibus imagines earundem rerum ſenſatarum deferuntur, &
C applicantur phantaſiæ,eamque ad operandum per ſimilia phantaſmata excitant: per agitationem, inquã,ſpirituum animalium, eorum ſcilicèt,qui ſimiliores,&magis proportionales ſunt motioni cauſæ agitantis. Exempla ſumito in omni genere ſomniorum naturalium:& primò, in ſomnio quod dicitur animale, cuius cauſa eſt præcedens cogitatio cõtinuata,& ſæpiùs repetita: quia cogitatio præcedens frequentata relinquit phantaſmata recentia, & affixa phantaſiæ: & ob id facilius quàm cætera commouentur in ſomno. Et idem accidit quando quis ſomniat,quæ amat. Quare bene admonent
D exercitiorum ſpiritualium magiſtri: vt ſi velimus ſancta habere ſomnia; ſanctas in vigilia habeamus cogitationes. Et non ineptè adducunt illud Pſalm.75.*Cogitatio hominis confitebitur tibi*: id eſt, in vigilia cogitans Dei beneficia, Deo laudis confeſſionem dicet: *Et reliquiæ cogitationis*. id eſt, ſomnia ab eiſdem pijs cogitationibus cauſata: *Diem feſtum agent tibi*. Nimirum, quia volita propter cauſam, à qua dimanant, Deo grata, & quaſi in venerationem religioſam acceptantur. In ſomnijs etiam cauſatis à cauſa naturali, corporali, & intrinſeca; idem videre licet: nam *Pſalm.75.*

pitui-

pituita: verbi gratia, prædominans in animalis corpore, alterat organum phantasiæ, alteratione sibi simili, vel proportionali: aut verò agitat spiritus animales proportionatos sibi, vt deferant imagines siue phantasmata eidem humori similia, putà fontium, fluminum, & huiusmodi, à quibus patiatur, & non ab speciebus ignis, & ardoris. Ad idem reduco quando in homine dormiente adest magna copia seminis; humor seminalis mouet interdum phantasiam; vt speculetur amplexus, oscula, quæ sunt media à natura inuenta ad emissionem seminis: & sic in somno quandoque sequitur, ac si intercederet verus coitus. Vnde infertur, non omnem pollutionem nocturnam esse à dæmone: nam aliqua est à naturali causa, ad modum explicatum. Ex his non erit difficile philosophare, in alijs somnijs à naturali causa prouenientibus. Et fermè ad eundem modum loquendum est de alijs somnijs non naturalibus, id est, à causa libera prouenientibus: hoc excepto, quod eorum causa, putà Deus, aut Angelus, voluntariè se cernunt, & vtuntur quibusdam speciebus sensatis; alijs relictis iuxta qualitatem somniorum, quæ inducere volunt hominibus dormientibus; & quandoque Deus ad efficiendum somnia, nouas species cudit, quod illi soli proprium est, vt superius docuimus. Habemus igitur, somnia esse actus imaginatiuæ facultatis: sub quo nomine comprehendimus quamcumque potentiam sensitiuam interiorem, quocumque nomine nuncupetur: putà æstimatiuam, memoratiuam, phantasiam, siue distinguantur realiter, siue non.

DISPVTATIO II.

An omnia somnia sint operationes solius imaginatiuæ? An verò aliqua sint actus intellectus?

ET videtur nulla pertinere ad intellectum: nam hæc potentia impeditur à sua operatione, per ligamentum sensuum, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæstione 84. articulo octauo. Sed omnia somnia contingunt homine dormiente, quando sensus ligati sunt: ergo non possunt esse operationes intellectus.

D. Thom.

In oppositum est, nam sæpè experti sumus in somnijs syllogizare, & ratiocinare, quæ non possunt esse ab imaginatiua, sed necessario ab intellectu: ergo.

Hæc disputatio breuiter decidenda est: & ideò dico primò. Ex compositione propositionum, aut discursibus habitis in somno circa singularia; nõ cogimur dicere, aliqua somnia esse actus intellectus. Probatur, quia probabilis opinio est, non aliena à doctrina D. Thom. imaginatiuam hominis, ex coniũctione ad intellectum posse discurrere, aut syllogizare circa singularia. Ita Magister Dominicus Bañes in Commentar. ad 1. part. D. Thom. q. 78. art. 4. dub. 2. concluſ. 5. *Bañes.*

Secundò dico. Omnem syllogisinum, & discursum in dormientibus, videtur D. Thom. tribuere intellectui, in quæst. 84. art. 8. ad secundum, eo quod intellectus, aliquando in somnijs agnoscit res simplices, componit eas, aut diuidit, formando propositiones, & ex eis syllogismos, ac ratiocinationes; iudicat, miratur, noua adinuenit, & supra se ipsum reflectitur, secum cõtendit, & inquirit, an dormiat homo, necne: quæ omnia ad intellectum pertinere videtur perspicuum. Quinimò quando somnia versantur circa vniuersalia (quidquid sit quando circa singularia) necessum est dicere, ea pertinere ad intellectum: & sic fortasse interpretandus est Diuus Thomas citatus. Probatur. Quia imaginatiua, aut cogitatiua hominis; neque ex se, neque ex coniũctione ad intellectũ, potest circa vniuersalia versari. Ex hoc patet responsio ad disputationem: scilicet somnia esse actus imaginatiuæ ferè semper; quia commune est, somniantes versari circa particularia: sed tamen quandoque possunt esse actus intellectus, quod concedimus argumento in oppositum.

Et ad argumentum in principio disputationis positum respondetur cum D. Tho. in loco citato ad 2. quod sensus ligatur in dormientibus propter euaporationes quasdam, & fumositates resolutas, vt dicitur in lib. de somno, & vigil. & ideò secundum dispositionem huiusmodi euaporationum, contingit esse ligamentum sensus, maius, vel minus. Quando enim multus fuerit motus vaporum, ligatur non solùm sensus, sed etiam imaginatio; ita vt nulla appareant phantasmata: sicut præcipuè accidit, cùm aliquis incipit dormire post multum cibum,

& potum. Si verò motus vaporum aliquantulum fuerit remissior; apparent phantasmata, sed distorta, & inordinata, sicut accidit in febricitantibus. Si verò adhuc magis motus sedetur; apparent phantasmata ordinata: sicut maximè solet contingere in fine dormitionis; & in hominibus sobrijs; & habentibus fortem imaginationem. Si autem motus vaporum fuerit modicus, non solùm imaginatio remanet libera; sed etiam ipse sensus communis ex parte soluitur: ita quod homo iudicat interdum in dormiendo, ea quæ videt, somnia esse, quasi dijudicans inter res, & rerum similitudines. Sed tamen ex aliqua parte remanet sensus communis ligatus. Et ideò licèt aliquas similitudines discernat à rebus; tamen semper in aliquibus decipitur: sic igitur per modum, quo sensus soluitur, & imaginatio in dormiendo, liberatur iudicium intellectus, non tamen ex toto. Vnde illi, qui dormiendo syllogizant, cùm excitantur semper recognoscunt, se in aliquo defecisse.

DISPVTATIO III.

De diuinatione somniorum.

Somnia multifariam diuiduntur: sed præcipua diuisio sumitur ex somniorum causis. Quidam Sinesius in libro de insomnijs, ait, causam omnium somniorum esse spiritum quendam phantasticum, quē vult esse animæ vehiculum, autorem, & fabrum omnium somniorum: sed hoc fabulosum commentum Platonicum non eget impugnatione. Porphirius duas causas assignat, vnam intelligentias, id est, spiritus siue malos, siue bonos (hanc nos approbamus) alteram, notiones quasdam, quas animus, ex alia vita secum allatas, in corpus intulerit; quod est à veritate, & fide alienum. Nec enim animus hominis corpore antiquior, aduenit aliunde: nec quando infunditur à Deo, secum affert aliquas species creatas. Aristot. in lib. de diuinatione per insomnia, negat vlla reperiri somnia à Deo immissa; sed sacris literis dogma hoc contradicit. Plato in Simposia. cuncta attribuit dæmonibus; sed refragatur Philosophia, & experientia. Hippocrates omnia somnia adscribit Deo, & causis naturalibus. Melius Diuus Thomas in hoc articulo, sequens Philosophos, & Patres (præcipuè Gregorium libro octauo Moralium, capi. 13. & libro quarto Dialogorum, cap. 48.) diuidit, ac reducit somnia in naturalia, quæ à naturali causa proficiscuntur: dæmoniaca, quæ à dæmonibus; & diuina, quæ à Deo immittuntur, vel immediatè per se, siue mediatè per bonos Angelos. De qua re egregie Diuus Thomas in articulo, & nos fusius in eius explicatione.

Altera diuisio est somniorum, in significatiua futurorum euentuum, & non significatiua eorundem. Non significatiua sunt, quæ ortum habent à causis, ad nullum vlteriorem euentum ordinatis, cuiusmodi sunt, quæ à vaporibus cerebrum ascendentibus generantur: qui quandoque fiunt ex nimia superfluitate cibi, ac potus; quandoq; ex nimia inedia. Etenim spiritus animales in phantasia existentes, à vaporibus agitati in somno, & huc, illucque iactati, varia reddunt visa, & somnia. Sed cum ea sint potiùs à causa deordinante species phantasiæ, ac proinde emergant in composito turbulenta, & distorta; ad nullum futurum euentum ordinantur significandum: & meritò vana, & nullius significatiua dicuntur. Somnia significatiua dicuntur, quæ ad significandos aliquos futuros euentus ordinantur. Hac diuisione impugnantur duo extrema placita antiquorum Philosophorum, è regione pugnantia. Primum fuit cuiusdam Xenophanis Colophonij antiquissimi Philosophi, & Epicureorum, qui cuncta somnia aiebant, nullius esse significationis: & ideò contemnenda. Secundum asserebat, nullum esse somnium, quod non haberet aliquam significationem. Primam sententiam damnant sacræ Literæ, dum quàm plurima somnia immissa à Deo, vel Angelis, nobis enarrant. Secundam verò sententiam damnat Sapiens Ecclesiastes quinto, dicens: *Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri. Tu verò Deum time.* & Ecclesiastici 34. *Somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia, &c.* Nos verò sequentes Peripateticos, & veritatem, fatemur multa esse somnia prorsus vana absque vlla significatione futurorum; aliqua verò esse significatiua. Rursus significatiua diuiduntur in naturalia, diuina, ac

Sinesius. Porphir. Aristot. Plato. D. Tho. Gregor. Xenophan. Eccles. 5. Eccles. 34.

ac dæmoniaca. Somniorum naturalium ſignificatiuorum multa nobis ſuppeditant exempla Medici, qui ex ſomnijs ortis à cauſis corporalibus, intrinſecis ipſis ſomniãtibus, multa coniectant de infirmitatibus. Eorum verò ſomniorum, quæ oriuntur à corporibus cœleſtibus, nullum indubitatũ reperio exẽplum. Fortaſſe ſomnium, quod narrãt Galenus de quodam ſomniante ſe habere crus lapideum, quem expergefactus inuenit paralyſi affectum, fuit ab influentia alicuius aſtri. Certè in ſomnio Pharaonis de ſeptem vaccis, & ſeptem ſpicis, perbelle quadrant omnia, quæ de ſomnijs cauſatis à corporibus cœleſtibus aiunt Philoſophi. Quare appoſitiſsimum eſſet exemplum pro ſomnijs cauſatis à cœleſtibus corporibus, niſi obſtaret ſacer Textus Geneſ. 41. vbi Ioſeph ait ad Pharaonem: *Quæ facturus eſt Deus oſtendit Pharaoni.* Ex quibus verbis colligitur, illud ſomnium non eſſe naturale, ſed à Deo immiſſum: niſi quis dicat, Deum vſum fuiſſe ſomnio naturali, ad erudiendum Pharaonem, & Ioſephum exaltandum. Somnia diuina multa narrantur in ſacra Scriptura: nota ſunt ſomnia Abrahæ, Abimelech, Iacob, Labam, Pharaonis, Salomonis, &c.

Galenus.

Geneſ. 41.

Somniorum dæmoniacorum ſunt innumera exempla in codicibus Gentilium, qui in ſomnijs ſæpe ludificabantur à dæmonibus. Huiuſmodi ſomnia erant, quæ captabantur à miniſtris quorundam Fanorum: qui euntes cubitum expectabant reſponſa Idolorum in ſomni quiete. Huiuſmodi etiam fuêre aliqua ſparſim narrata à profanis autoribus; quæ velle referre ad cauſas naturales, difficile, imò impoſsibile, credo. Vnum præ cæteris narrandum eligam ex Athenæo libro decimotertio de Gymnoſophiſt. *Hyſpaſpæ natu minor* (inquit Athenæus) *frater erat Zariadris, ambo tam inſignis pulchritudinis, vt ex Venere, & Adonide procreatos incolæ dicerent. Dominabatur Hyſpaſpes in Media, eò tractu, qui Mediæ ſubiectus eſt. Zariadres verò in ea Regione, quæ eſt ſupra Caſpias portas ad vſque Tanaim. In alijs Prouincijs, quæ vltra Tanaim iacent, regnabat Omartes. Huius filiæ, cuius nomen fuit Odatis, Hiſtorijs proditum eſt, Zariadræ imaginem dormienti apparuiſſe; illiusq; ex ea viſa correptam amore fuiſſe. Idem accidiſſe Zariadræ, qui ſtatim amore erga illam accenſus eſt. Cum ergo perſeueraret mutuus ille amor, viſis nocturnis conciliatus; eſſetq; omnium Aſiæ fœminarum Odatis pulcherrima, & Zariadres oppido quam formoſus: ad Omartem ille nuntios miſit, nuptiarum earum cupidiſsimus, qui vxorem ſibi poſcerent. Renuit Omartes, quòd filijs careret, & apud quendam ex familiaribus collocare decreuiſſet. Haud ita multo poſt, conuocatis Regni Optimatibus, amicis, & cognatis, illam nubere voluit: & non tamen cui prius vxorem daturus eſſet, indicauit. Ergo cum ferueret temulentia, ad epulum accîta Odatide, conuiuis auſcultantibus, & tacitis, nos (inquit) Odati nuptias tuas nunc facimus omnes: tu circumſpice, & contemplator, aureamphialam vino plenam ſume, & ei trade, quem tibi maritum optas; illius eſſe coniugem te proclamabimus. Sic nuptiæ fieri conſueuerant. Poſt cœnam virgo intrabat, temperatamq; phialam porrigebat cui vellet, ex adſtantibus procis: cui tradidiſſet, is ſponſus erat. Patri obſequens Odatis; omnes illa contuebatur, & flens circuibat ſummopere Zariadrem videre cupiens. Etenim literis illi ſignificauerat celebratas iri nuptias. Cæterum vt ille hoc reſciuit, fluuio traiecto, & magno remenſo itinere, prope vicum acceſsit, in quo fiebant nuptiæ, relicto certo quodam in loco curru, & auriga: & ſtola indutus Scythica proceſsit, & aulam Regiam ingreſſus, Odatide conſpecta, quæ ante poculorum abacum lacrymabunda ſtans, cunctantius phialam miſcebat: vt prope illam conſtitit, adſum (inquit) tibi, Odati vt mandaſti. Ea verò cum animaduerteret, peregrinum eſſe virum egregia forma, ei ſimilem, quem noctu viderat; gaudio exultans phialam in manum dat: accepit ille, raptamque Odatim in currum perduxit, & aufugit.* Somnium hoc à dæmone prodijſſe nemo ambiget, qui ſciat his, & ſimilibus inſomnijs, dæmonem ſuos illos cultores ſæpe decepiſſe, vt vana ſuperſtitione, & cultu imbueret. Qui plura cupit, legat Ciceronem libro primo, & ſecundo de diuinatione, & Valerium Maximum libro primo, capite ſeptimo, Pauſaniam in Meſſenia, Tacitum libro quarto hiſtoriæ, Bonfinium rerum Vngaricarum, libro tertio, decade prima, Tertullianum vbi ſupra, capite 46.

Athenæus.

Cicero. Val. Max. Pauſanias. Tacitus. Bonfinius. Tertul.

Alia diuiſio ſomniorum ſignificatiuorum, apprimè conducens dicendis, eſt in ſomnia claræ ſignificationis, & obſcuræ. Somnia claræ ſignificationis ea ſunt, quorũ ſignificatio cuique ſcienti ſomnium peruia

eſt: huiuſmodi reperiuntur multa diuina, in quibus Deus, vel Angeli apparentes in ſomnijs, erudiebant ſomniantem de ſucceſſu futuro. Somnia verò obſcuræ ſignificationis, è contrario indigent correctore, & explanatore, vt ſciatur quid portendant: qualia ſunt aliqua diuina: verbi gratia, pincernæ, & piſtoris, Geneſ. 40. & pleraque ſomniorum naturalium, maximè quæ à cauſa extrinſeca corporali proueniũt. Alias ſomniorum diuiſiones lubens omitto, quia nullius eſſe vtilitatis ea ſcire iudico.

Geneſ. 40.

DISPVTATIO IIII.

An vlla ſint ſomnia diuina, id eſt, immiſſa à Deo, vel ab Angelis bonis?

ET videtur vera pars negatiua, ex Xenophane, Colophonio, & multis Epicureis, dicentibus: Dei Maieſtate eſſe indignum abire lectos dormientium, concurſare grabatos, & ſtertentibus inijcere ſomnia, quæ illi expergiſcentes vel non recordentur, vel non intelligant, vel etiam contemnant, vel ſi non contemnant, inani incredulitate imbuantur.

Secundò. Deus volens impartiri hominibus reuelationem ſuorum arcanorũ, non quærit minus diſpoſitos ad ea intelligenda; ſed dormientes minus diſpoſiti ſunt ad quæuis opera intellectus exercenda, quàm vigilantes: imò totaliter inepti ad eadem; cum in dormientibus rationis vſus conſopitus ſit: ſaltem magis viget cognitio intellectiua in vigilantibus, quàm in dormientibus: ergo Deus dormientibus non ſuggerit ſomnia, aliquorum ſecretorum ſignificatiua.

Tertiò. Experientia compertum eſt, homines infimæ notæ, & hebetioris ingenij, ſomnijs ſignificatiuis abundare: è contra verò, homines ſapientes, pauca, vel nulla habent huiuſmodi ſomnia: ergo ea non ſunt à Deo immiſſa. Deus enim potiùs ſapientibus, quàm idiotis; potiùs acumine ingenij præditis, ſua reuelaret arcana. Hoc argumento motus Ariſtoteles, & Cicero, negarunt ſomnia vlla à Deo immitti. Idem docuit Plato in Conuiuio, alia via pergens, videlicet, quia omnem ſocietatem, & colloquium hominum cum Deo ſubſtulit: eaque medijs dæmonibus fieri cenſuit. Qui error antiquior Platone fuit, ſcilicèt Empedoclis: contra quem Diuus Auguſtinus lib. 8. de Ciuitate, cap. 20. & 21.

Cicero. Ariſtot. Plato.

Auguſt.

Nos verò ſine vlla hæſitatione concedere tenemur, plurima fuiſſe ſomnia à Deo hominibus immiſſa; per quæ de multis eruditi ſunt. Nota ſunt, quæ acciderunt Abrahæ, Abimelech, Iacob, Labam, Ioſeph, Pharaoni, Salomoni, Nabuchodonori, Danieli, &c. Egregiè ſanctus Iob. cap. 33. *Quando homines* (inquit) *dormiunt in lecto, tunc aperit Deus aures virorum: & erudiens eos, inſtruit diſciplina.* Quin & ſolebat Deus olim ſpiritum prophetiæ nonnullis in ſomno largiri. Hinc Numerorum 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, apparebo illi in viſione: aut per ſomnium loquar ad ipſum.* Secundò. Id ipſum Gentiles quidam faſsi ſunt: Hippocrates lib. de inſomnijs, Stoicique multi.

Iob. 33.

Num. 12.

Supereſt ad argumenta in oppoſitum reſpondere. Ad primum Xenophanis quiuis poſſet reſpondere. Cùm enim Deus in omnibus ſit per eſſentiam, præſentiam, & potẽtiam (quę eius maxima dignitas eſt) nõ exautoratur lectorum, aut grabatorum aſſiſtentia. Inſuper & quando immittit ſomnia, ſi lubet, fixa permanere facit, vt eorum ſignificationibus, quos imbuit erudiat. In ſecundo argumento inquiritur, quare Deus, qui ſua ſecreta poteſt vigilantibus communicare, & ſæpius communicat; recurrat interdum ad dormientes, vt in ſomno id beneficium largiatur? Reſpondetur ex D. Thom. doctrina inferius, quæſt. 171. art. 1. ad ſecundum, quam ex Ariſtot. hauſit in lib. de diuinatione, per inſomnia (non enim certum eſt Ariſtote. negaſſe omnia diuina ſomnia, vt adnotauit Pamelius ſuper Tertullianum loco citato) videlicet duo reperiri in hominum intellectu, circa reuelationes diuinas: vnum eſt ſuſceptio earundem; alterum eſt, iudicium rationis de eiſdem. Ad primum aptior eſt homo dormiens, quàm vigilans: ad ſecundũ nequaquam: quia vt ſupra docuimus, vſus rationis, & iudicium, etſi aliquando in dormientibus reperiatur, valdè tamen imperfecto modo. Primum autem ideò cõtingit, quia anima vigilantis multis implicata negotijs, & curis, ad varia itẽ obiecta ſẽ ſuũ exteriorũ intenta; non ita facile recipit

D. Thom. Ariſtot.

Pamelius.

cas,

eas, quæ ab extrinſeco illi immittuntur impreſsiones: e contrario ſe habet anima dormientis. Hæc ferè D. Thom. ante illum Ariſtoteles, & Hippocrates in lib. de inſomnijs. quod ſic explico. In dormientibus, quorum ſenſus quieſcunt, imagines, & ſimulacra magis, & melius repræſentantur, quàm in vigilantibus, in quibus ſenſus externi abundant rebus obiectis: ſicut in aqua quieta facilè imprimitur quælibet figura, in aqua continuo motu agitata non item. Cùm ſomnus placidus eſt, nec multis, craſsiſque vaporibus conturbatur; tunc melius ſimulacra, & imagines, res, quarum ſunt ſimilitudines, repræſentant. Vnde qui de rebus maximis conſultant, & decernere quidpiam volunt, eligunt ſilentium, quietem, & tenebras, ſe ſe abdunt in ſecreta cubilia, aut ſæpè oculos claudunt: nimirum ſubtrahunt ſe ab externarum rerum ſenſu, vt commodius cogitationi vacent. Hac de cauſa fit, vt minutæ quædam affectiones animi, & corporis, quæ dum vigilamus nos latent, dum ſomnium capimus, ſentiantur, & videantur nobis: multoque ſunt maiores. Habet ſomnus ad vigiliam eandem rationem, quam nox ad diem; ſilentium, ad clamores; tenebræ ad lucem. Conſtat noctu, & ſilentibus cunctis, ſtrepitus etiam exiguos videri magnos; & interdum etiam, vbi eſt magnus ſtrepitus, magnos etiam latere: adeò vt qui iuxta Nili ortum habitant, ſurdi eſſe dicatur. Igitur, quia dormientes ſunt minus occupati, circa exteriora ſenſibilia, minuſque diſtracti circa eadem, aptiores ſunt, quàm vigilantes, ad recipiendas ſubtiles impreſsiones, ſiue ſubſtantiarum ſpiritualium, ſiue cauſarum naturalium. Et quamuis Deus has diſpoſitiones pro ſuo arbitratu poſsit ſupplere; tamen vt ſuauius procedat, ſæpè edocet homines dormientes ſomnijs immiſsis: quia commodius, & facilius, impreſsiones diuinas ſuſcipiunt. Et ſi obijcias; in his ſomnijs diuinis, opus eſſe iudicio, & diſcretione rationis, ad diſcernendum, vtrùm à Deo ſint, vel aliunde; & ad coniectandum de ſignificationibus eorum: ergo quamuis ad recipiendas diuinas reuelationes, aptiores ſint dormientes: tamen ad iudicium, & rationis vſum, quod potiſsimum eſt, magis apti ſunt vigilantes. Reſpondetur. In collatione, & receptione reuelationum, & doni prophetici, præcipuum eſt ſuſceptio diuinę impreſsionis: vſus verò rationis, & diſcurſus perexiguus ſat eſt: maximè, quia, vt infra dicemus, ipſe Deus, qui immittit ſomnia, certiorem reddit ſomniantem, quod ſomnia à Deo ſint. Quare in hoc caſu tantùm abeſt, vt proſit nimia ratiocinatio, aut inquietus diſcurſus: quod interdum oberit, ſi homo conetur plus nimio perſcrutari de motione diuina. Ad cognoſcendas autem ſignificationes ſomniorum, ſi obſcuræ ſint, ſomnianti diſcurſu opus eſt in vigilia; maximè ſi ſomnians à coniectore diſtinguatur: quod ſæpiſsimè factum eſſe legimus in ſacris Literis. Somniauit Pharao, ſomniauerunt pincerna, & piſtor, ſed Ioſeph vigilans explanauit ſomnia eorum: nos verò non loquimur de coniectatoribus ſomniorum, ſed de ſomniantibus.

D. Thom. Ariſtot. Hippocrat.

Ad tertium vt reſpondeatur, diſtinctione opus eſt. Nam ſi ſermo ſit de ſomnijs naturalibus, fatemur, ad ea percipienda paratiores eſſe homines idiotas, & hebetioris ingenij: quia eorum phantaſia magis mouetur ab impreſsione cauſarum naturalium, quàm phantaſia ſapientium. Etenim hæc magis attenta ratiocinationibus, & diſcurſibus, minus apta redditur, vt à cauſis naturalibus moueatur. Illa verò diſcurſibus non actuata, aptior eſt ad impreſsiones cauſarum naturalium recipiendas. Sicut & brutorum phantaſia, propter conſimilem rationem, aptior eſt ad eos cauſarum naturalium influxus recipiendos, quàm hominum imaginatiua: & ob id bruta melius percipiunt pluuias, tempeſtates, & huiuſmodi futura, quàm homines. At verò ſi loquamur de ſomnijs dæmoniacis, hebetes, & rudes, potiùs quam ingenioſi, & ſapientes, eis imbuebantur: eo quod Dij Gentilium (quos dæmones fuiſſe conſtat) ſicut futuros hominum euentus certò præuidere, ac ſcire non poterant (id enim ſolius Dei eſt) ita neque eos certis, aut verbis, aut ſignis prædicere poterant. Quare ſomnia, quibus præſignificabant futura, non immittebant viris doctis, ac prudentibus, & qui ingenij acumine pollebant: videlicet, ne illi eorum ſomniorum vanitatem, ac falſitatem deprehendentes, autoritatem ipſorum Deorum, eorumque oracula tamquam diuinitatis, & veritatis vacua, populi ludibrio exponerent. Suggerebant igitur ea ſomnia indoctis, & veri, falſique diſcernendi imperitis; maximè verò ſuperſtitioſis: ob idq; ad credendū quiduis ſatis per ſe

paratis. Cùm ergo pleraq; ſomniorũ, Ariſtot. & Ciceroni, imò ferè omnibus Gentilibus notorum, eſſent ex oraculis falſorum Deorum accepta, ac per conſequens Dæmoniaca; non mirum eos aberraſſe, existimantes omnia ſomnia ineptioribus dari: & ob id negaſſe, vlla reperiri diuina ſomnia. Nos verò luce fidei perfuſi, ſcientes multa eſſe diuina ſomnia, negamus ea dari viris indoctis, & hebetioris ingenij: quinimò Prophetis, excellenti ingenio prẽditis, ac ſanctitate ornatis, vt intueri licet in Abraham, Iacob, Salomone, & Daniele. Quod ſi aliquando ſomnia aliquot à Deo immiſſa ſint viris non admodum doctis, ſed tamen pietatis, ac innocentiæ præſtantia fulgentibus; excellens autem pietas, ac virtus reddit animum hominis aptiorẽ ad rerum diuinarum perceptionem, quàm humana, vel prudentia, vel ſapientia: maximè, quia qui hac pollent, inflati, & multis flagitijs ſæpè irretiti, indignos ſe efficiunt diuinis reuelationibus, in ſomno, & in vigilia. Quòd ſi aliquot diuina ſomnia legimus data eſſe impijs, vt Pharaoni, & Nabuchodonoſori: non propter eos, ſed ad exaltandum ſeruos Dei Ioſeph, & Danielem coniectores eorum ſomniorum, data ſunt.

DISPVTATIO V.

An, & quomodo ex ſomnijs colligatur cognitio futurorum, aut aliorum occultorum?

Iuus Thomas in hoc articulo ſatis artificioſe decidit diſputationem iſtam, exponendo eius reſolutionem ex diuerſitate cauſarum efficientium ſomnia. Nam quando cauſa eſt tantùm occaſionalis, id eſt, præcedens cogitatio in vigilia repetita, cognita cauſa ſomnij, poterit coniectari futurus euentus, ſed valdè debili coniectura: quia ſomnia hæc ſe habent ad futuros euentus per accidens. At verò quando cauſa ſomniorum eſt communis ipſis, & futuris euentibus, vt in ſomnijs naturalibus; id eſt, à cauſa naturali prouenientibus: tunc per reductionem ſomniorum, & euentuum, ad cauſam communem, ſumitur ſignificatio ſomniorum. Tertio modo cauſa ſomniorum libera eſt, & effectiua, vel cognitiua futurorum, vt in ſomnijs diuinis, & dæmoniacis: & ſic, etiam per quandam reductionem ſomniorum, & euentuum, ad cauſam communem, cognoſcitur ſomniorum ſignificatio.

Contra primum modum aucupandi cognitionem futurorum euentuum, ex ſomnio, quod animale dicitur, arguitur. Nam cùm eius cauſa ſit præcedens cogitatio, vel affectio, quæ accidentaliter ſe habet ad euentum futurum, vt ait ſanctus Doctor, non erit ſufficiens cauſa euentus; ac proinde neque certa, aut probabilis coniectatio ſumi; præcipuè, quia cum præcedens cogitatio poteſt, vel non habere ordinem ad ſequentem operationem, vel eſſe adeò leuis, vt ſomniantem nequaquam incitet, neque cogat ad operandum. Item ſecundò arguitur contra ſecundum modum per reductionem ad vnam cauſam communem. Nam hoc non eſſe verum, apparet in ſomnijs dæmoniacis, & diuinis: etenim cauſæ illorum liberæ ſunt, & quamuis ſomnium effecerint, non eſt neceſſe, vt ſint determinatæ ad futuros euentus faciendos, & quamuis determinatæ eſſent, hæc determinatio non poterit colligi ex ſolo ſomnio: igitur per reductionem ad communem cauſam ſomnij, & euentus futuri, non poteſt colligi eius ſignificatio.

Tertiò. Id ipſum acrius oſtenditur in ſomnijs naturalibus, prouenientibus à cauſa naturali intrinſeca: de quibus magis veroſimiliter colligi poſſe videtur eorum ſignificatio, per reductionem ad vnam cauſam communem: verbi gratia: ſi ſomnium indicat procedere à melancholia; quia huiuſcemodi humor, ſolet cauſare in habentem, deſperationem, vel triſtes affectiones: inde videtur colligi agnitio horum effectuum. Et hac ſignificatione, per talem reductionem, Medici maximè vtuntur ad curandos morbos, vt conſtat ex Ariſtotele libro de diuinatione per ſomnia, Hippocrate lib. 6. Epidem. & libro de inſomnijs, & Galeno libro de præſagio ex inſomnijs, & lib. 3. de locis malè affectis, cap. 4. & vt ait Niſſenus vbi ſupra, ſecundum membrorum diſcrimina, ſomniorum etiam diuerſas ſpecies, ægris accidere affirmant: alias nimirum, his qui ſtomachi vitio laborant; alias, quibus cerebri membranæ ſunt læſæ; alias, febri correptis; alias ijs, in quibus nimius humor ſit bilis; alias, quibus pituita ſit mole.

Ariſtotel. Hippocrat. Galenus. Niſſenus.

molesta, &c. At hæc reductio ad causam cõmune somnijs, & futuris euentibus, vix aut nunquam potest cum certitudine agnosci: ergo neque ex somnijs potest sumi certa significatio futurorum. Probatur minor, quia somnia huiusmodi possunt ex alia causa prouenire, putà ex aliqua præcedenti affectione, etiam si corpus illis humoribus nõ abundet, v. g. potest contingere vt aliquis non abundans atrabili, somniet tristia, si per occasionem, tristis in vigilia fuit. Præterea dæmon potest similia somnia procurare, absque similibus causis extrinsecis, applicando vapores, & alia corpora, quæ simili a phantasmata moueãt: Demum ex actione corporis ambientis, vel corporum cœlestium, stante eadem intrinseca causa, & tẽperamẽto corporis, potest somnium diuersum effici, videlicet, si actio eorum diuersa sit. Eadem ratione, & discursu poterit colligi, esse difficile, aut impossibile mortalibus reducere ad vnam causam communem futuros euentus, & somnia quæ efficiuntur à corpore ambiente somniantem, vel ab influentia siderum: quia possunt procedere vel ab occasione capta in vigilia, aut ab humore intrinseco, vel à dæmonijs. Et augetur difficultas huius reductionis ad vnam causam communem, in somnio ex influentia siderum: quia neque ex solo aspectu Astrorum, aut siderum, colligi potest quale fuerit somniũ, neque ex sola qualitate somnij valebimus agnoscere, à qua Astrorum influentia processerit. Probatur, & explicatur vtrumque: quia alteratio, qua mediante corpora cœlestia mouent phantasiam, non semper est ab eodem aspectu siderum, sed accõmodatur materiæ, & dispositioni somniantis, & ita varia est, iuxta varietatem humorum, & temperamenti: quibus ignoratis parum refert agnouisse aspectum sideralẽ. Item: quia ipsa virtus stellarum, occulta nobis est. Nam licèt de vna aut altera obseruatum sit, an bilem, vel sanguinem generet, tamen quælibet potest, ab alijs occurrentibus stellarũ impediri. Dices. Hæc argumẽta probare, ex sola causalitate erga somniũ non posse colligi certò eius significationẽ, sed agnita causa somnij naturalis, potest cõligi eius significatio, ex similitudine somnij ad causam, & ad euentum futurum, v.g. somnium causatur vt simile sideri influenti, & effectui futuro: ac proinde cognito somnio vt simili euentui futuro, & cognito quod ab eadem causa procedũt: cognoscetur ex somnio euentus futurus.

A Contrà arguitur quartò. Somnium naturale significatiuum effectus futuri, non est necesse vt sit simile, v.g. sideri influenti, vt patet, neque euentui futuro, vt videre licet in somnijs obscuræ significationis, vbi nulla aut ferè nulla similitudo reperitur: ergo ex tali somnio, etiam ex vi similitudinis, nequit colligi futurus euentus. Confirmatur, quia inter causam, & effectum, maximè quando causa inanimata est, & æquiuoca (vt dicitur) non est necesse reperiri eam similitudinem, quæ sufficiat vt visa causa, inde colligatur significatio omnium eius effectuum, vt perspicuè apparet in cognitione cœlestium corporum, quæ influunt in B hos effectus sublunares: ergo ex reductione somniorum ad suas causas, non colligitur eorum significatio circa alios effectus suarum causarum, & hæc confirmatio procedit in omnibus somnijs tam animalibus, quàm naturalibus.

In oppositum est D. Thom. in hoc articulo colligens ex causis somniorum significationem eorum.

Pro decisione huius difficultatis, quæ basis, & fundamentum est dicendorum; aliquot præmittenda sunt. Primum, significationem somniorum posse comparari, & ad suas causas (effectus nàque significare suas causas compertum est) & ad euẽtus aliquos C futuros, qui prodeunt ab eadem causa, à qua somnia procedunt. Secundò, quando somnia considerantur in ordine ad futuros euẽtus significandos, ex duplici capite id prouenire, quispiam imaginari possit, vel ex efficacia causarum, erga somnia, & futuros euentus, vt D. Thom. in articulo dixit (quæ est cõsideratio somniorum vt effectus quidam sunt) vel ex similitudine formali somniorum, erga eadem futura. Somnia enim, cùm sint actiones imaginatiuæ facultatis, necesse est fieri per assimilationem ad res, quas ea facultas versat, quando in somnia fiunt. Omnis enim cognitio, per assimilationem cognoscentis ad cognitum fit. Et D isto pacto somnia considerantur potius vt signa, quàm vt effectus. Tertio aduertendum, similitudinem repertam inter somnia, & futuros euentus, quos significant, quandã esse propriam, id est, per modum imaginis repræsentãtis futuros euentus; sicut à parte rei sunt futuri, vel possunt esse futuri: alteram esse proportionalem, scilicet quando phantasmata in somnijs commota à causa somniorum, non repræsentant futuros euẽtus, sed aliqua, quæ habent proportionem

D. Tho.

cum illis. Prior similitudo fundat claram significationem somniorum: posterior obscuram, tanto plus, aut minus obscuram, quanto maior vel minor est proportio rerum significatarum ad euentus futuros, vel occultos. Hoc amplius explicatur discurrendo per omnia somniorum genera (præter animalia, quorum significatio accidentalis est) & in somnijs diuinis, ac dæmoniacis reperiri vtrumque modum similitudinis, pala fit ex sacra Scriptura, & Ethnicorum Historijs. Primus modus similitudinis propriè contingit, quando Deus in somnijs admonet quosdam de futuris aut occultis euentibus, per modum locutionis expressæ per phantasmata, & idola aliquarum vocum, quæ ita formantur in phantasia dormientis, ac si ea per auditum corporis audiret: & hoc modo videtur facta loquutio ad Ioseph, & Magos dormientes. Matth 1. & 2. Dæmõ etiam potest hoc modo loqui in somnijs: quia sicut potest applicare phantasmata rerum, ita etiam vocum, concitando spiritus, & humores, & applicando illos modo accõmodato ad illum effectum, nullas ostendendo imagines rerum futurarum, sed tantùm per vocum phantasmata erudiendo. Licèt enim immediatè feratur imaginatiua ad voces, quæ sunt signa ad placitum: tamen quia voces tenent locum conceptuum, & conceptus, seu phantasmata sunt signa formalia rerum per ea significatarum, hic modus meritò reducitur ad modum prætactum expressæ similitudinis. Secundus modus expressæ similitudinis fit in somnijs per apprehensiones quorundam phantasmatum, quæ sunt veluti imagines formales, & propriæ rerum, quas significant. Esto exemplum in somnijs diuinis, Genes. 31. vbi refertur Iacob vidisse in somnijs, mares ascendentes super ouesfœminas generare varios ac maculosos fœtus: quæ visio ab Angelo declarata est, de euentu futuro circa procreationem gregum. Et idem dico de somnio Theodosij, quando in somnijs vidit coronam Imperij sibi imponi ab Antiochiæ Episcopo, vt refert Theodoretus, lib. 5. cap. 5. & 7. & in somnijs dæmoniacis sunt plura exempla. Satis sit Annibalis somnium, cui dormienti apparuit iuuenis specie supra humanam, qui se diceret à Ioue missum ductorem ad inuadendam Italiam, & subruendam: quod postea accidit. Ita Valerius Maximus, lib. 1. cap. 7. Item est aliud exemplum de somnio Alexandri Magni, quod refert Cicero, lib. 2.

Matt. 1. 2. *Genes. 31.* *Theodor.* *Val. Max.* *Cicero.*

A B C D

de diuinatione. Cum enim in quodam prælio, Ptolomæus, qui postea fuit Rex Aegypti, venenato telo ictus penè moreretur: assidens ei Alexander, somnoque correptus, vidit in somnijs draconem, radiculam ore ferentem, simulque monstrantem quo loco nasceretur herba, quæ habebat vim contra venenum illud. Quæsita est herba, inuenta, & adhibita Ptolomæo, & alijs militibus eodem genere ictus vulneratis, & protinus sanati sunt. Scio quosdam hoc somnium ad diuina referre, iuxta sententiam Tertulliani, cap. 46. dicentis, multa somnia significatiua collata esse Ethnicis ex Dei munere: vt Pharaoni, Nabuchodonosori, in vtilitatem populi sui, & exaltationem Iosephi, & Danielis. Sed nescio quà ratione id dicatur de somnio Alexandri. An ad probandam tyrãnidem, temulentiam, luxuriem eius? absit hoc à Deo nostro.

Tertu.

His animaduersis dico primò. Ex somnijs non valent certò agnosci causæ, à quibus procedunt: potest tamen aliqualis desumi cõiectura, vel potius suspitio, à qua causa fiant. Prima pars patet in omni genere somniorũ, de quibus argumẽta allata in hac disputatione probant, nõ posse certò sciri, secluſa reuelatione, à qua causa dimanent: cũ idem somnium possit à diuersis prouenire. At quando effectus à pluribus causis potest esse; neutram determinatè demõstrat, vt ait Aristot. in 2. poster. ergo. Secunda pars itidem manifesta est: quia aliquot adsunt coniecturæ à nobis referendæ: an à causa naturali, vel libera, an à cœlo, vel à causa intrinseca, &c. somnia procedant.

Aristot.

Secundò dico. A sola similitudine, siue formali, siue proportionali, inter somnia, & futuros euentus, non potest colligi certa cognitio, quod futuri erunt. Probatur. Futura vt futura nequeunt agnosci à creaturis in se ipsis: sed dumtaxat in suis causis, vt habet D. Thomas 1. part. quæst. 14. art. 3. & q. 86. art. 4. & alibi sæpe: aut in quantum sunt coeffectus simul cum alio effectu ab eadem causa proueniente, vt Doctor sanctus declarauit in hoc art. & in proximè præcedenti: sed somnia, attenta præcisè ratione similitudinis formalis, non sunt causa futurorum contingentium, vt de se patet: neq; sub eadem præcisa ratione sunt coeffectus cum futuris euentibus, ab vna causa communi: quia vt tantum sunt similitudines quædam, non consideratur à qua causa procedant: ergo. Consultò dixi, non potest colligi certa cognitio, quod futuri erunt:

D. Thom.

Nam

Nam benè poterunt cognosci illæ entitates futuræ, abstrahendo à futuritione, vel nō futuritione, quæ repræsentātur per somnia, putà pluuia futura, aut homo moriturus, vt res repræsentatæ per somnia, abstrahēdo à futura existentia, vel nō futura. Hinc infertur, quod inspecto somnio quod sit similitudo pluuiæ, si aliud non consideratur, licèt cognoscatur repræsentare pluuiā, inde tamen non potest colligi vtrum futura sit, nec ne.

Dico tertiò. Ex causalitate efficienti erga somnia non possunt certò cognosci futuri euentus aliqui, idest, etiam cognita causa efficienti somnij, non potest cognosci futurus euentus, per somnium repræsentatus in esse cognito. Assertio probatur in somnijs diuinis, & dæmoniacis, quæ non habent necessariam connexionem cum his futuris euentibus: eo quod causæ taliū somniorū cum liberæ sint, possunt etiam post producta somnia non producere futuros euentus per ea repræsentatos. Sed quid de significatione somniorum naturalium?

Dico quartò. Cognita causa naturali efficiente somniorum, & cognita connexione causalitatis cum somnio, & futuro euentu; iuxta qualitatem connexionis illius, erit & qualitas cognitionis futurorum euentuum ex somnijs, aliquando omninò certa, aliquando vt plurimum certa, aliquando tantùm probabilis, & coniecturalis tantùm. Certa quidem omninò; quando connexio illa ex causalitate proueniens non est impedibilis ab alia causa creata: vt si phantasia mota à corporibus cœlestibus somniet eclipsim futuram. Certa vt plurimùm, vt si ab eadem causa mota, somniet pluuiam futuram, quæ impedibilis est, & sæpe impeditur aliunde. Coniecturalis tantùm, & suspitiosa, vt si quis somniet laqueos, & suspēdia, propter bilem atram illud somnium efficientem, & similia.

Ex dictis infertur, non posse somnia aliā naturalem habere significationem, nisi eam quæ desumitur ex causalitate efficientium somnia, aut ex similitudine formali eorum: quia naturale est, effectus repræsentare suas causas, aut coeffectus suos: & naturale etiam est, vt phantasmata imaginatiuæ, quę contemplantur somniantes, repræsentent sua obiecta. Infertur itidem, quam incerta sit significatio somniorū erga futura, vt cœpimus dicere in secundo, tertio, & quarto assertis, & inferius copiosius docebimus. Sed quid dicendum de significatione ad placitum, quæ non sumitur ex causalitate, sed ex impositione vtentiū somnijs, ad significandum futuros euentus, qualis reperitur dumtaxat in somnijs dæmoniacis, ac diuinis? Hæc enim impositio solius est substantiæ spiritualis, quæ per talia signa vult significare mentem suam circa euentus futuros aut occultos, hæ autem substantiæ spirituales solus Deus est, & Angeli boni, vel mali.

Dico quintò. Cognito quod aliqua somnia sint facta, vel imposita à Deo ad significandum aliquos euentus futuros, aut occultos, ex illis somnijs bene potest colligi certa significatio futurorum, aut aliàs occultorum, tanquam ex certissimis signis. Probatur: quia signa diuina nequeunt esse mēdacia: nō enim est Deus vt homo vt mētiatur, nec quasi filius hominis vt mutetur. Et idem dico de somnijs immissis ab Angelis bonis, qui nil operantur sine Dei nutu, aut iussione. Aduertendum tamen, etiam inter somnia diuina esse discrimem: nam quando sunt claræ significationis, quia per species vocū significantiū repræsentātur futuri euētus, aut per species proprias seu imagines futurorum, facile intelligitur significatio somniorum: at verò quādo somnia sunt obscuræ significationis, vt in somnio Pharaonis, aut pistoris, & pincernæ, cognito quod à Deo sint, certò scitur habere aliquam veram significationem; quæ autem illa sit in particulari, & quarum rerum significatarū, non certò scitur, sed adhuc necessaria est diuina reuelatio, aut aliquis interpres ex Dei munere concessò. *Num.* 22.

Dico sextò. Quando certò scitur aliqua somnia esse à dæmonibus, etiam si sciatur esse facta, aut imposita ad significandū aliquos futuros euentus, aut alia occulta, ex illis somnijs nequit desumi certa cognitio futurorum, aut occultorum, quæ somnia significant. Probatur: tùm quia impositio potest esse ficta à dæmonibus, vt homines fallant: tùm quia multi sunt futuri euentus, ad quos virtus dæmoniaca non se potest extendere: vnde etiā si somnia cudat ad eos significandos, inanis, & falsa est talis significatio. Denique quia etiam si illos effectus producere valeat, & ad eos significādos adduxerit somnia, potest consilium mutare, non efficiendo illos, & sic frustrare significationem somniorum.

Dico vltimò. A nullo somnio, exceptis diuinis, potest desumi certa cognitio futurorum contingentium: sed dumtax quædam

dam ſuſpitio, interdum vera, interdum fal-
Caietan. lax. Hæc aſſertio eſt domini Caietani in hoc articulo, & probatur ex dictis in præcedentibus aſſertis: nam vix poteſt cognoſci, quæ ſit cauſa ſomnij, & cauſa agnita, non eſt neceſſarium ſubſequi futurum euentum, in naturalibus quidem: quia impediri poteſt in liberis, quia poſſunt pro ſua libertate operari, & non operari effectum futurum. Exceptio autē de diuinis ſomnijs, quando conſtat eſſe à Deo, aperta eſt, & intelligenda ex dictis in ſexto aſſerto.

Sed contra hanc poſtremam aſſertio-
D. Tho. nem obijcere poteſt quis: nam D. Thom. interrogans, an licita ſit prædictio capta ex ſomnijs? reſpondet, aliquando licitam B eſſe, & ſine ſuperſtitione: & videtur eſſe intelligendus de prædictione certa, vel ad minus probabili: nos verò tantùm locum damus cognitioni ſuſpitioſæ. Reſpondetur. Diuus Thomas dumtaxat vult explorare vnde debeat deſumi cognitio ſomniorum, ſine vitio ſuperſtitionis, nil differens de qualitate agnitionis, vtrùm certa vel cōiecturalis: & ait, eſſe expendendam ex cauſis ſomniorum, quantum ſe extendere valet virtus cauſæ. Nos verò in aſſertione vltima, omnibus conſideratis, maximè incertitudine cauſæ, iudicamus de qualitate agnitionis moraliter poſsibilis: & dicimus, vix poſſe pertingere ad coniecturam. Re- C
Gregor. ctè Gregorius vbi ſupra: *Sed mirum eſt* (inquit) *cum ſomnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet, quanto, & ex quo impulſu veniant, facilius*
Iſidorus. *non lucet*. Iſidorus libro tertio Sententiarum, capite ſexto. *Facile* (inquit) *credi ſomnijs non opus eſt: quia diuerſis imaginationum qualitatibus oriuntur, & vnde veniant rarò conſideratur.*

Ad argumenta facta in principio diſputationis reſpondetur. Ad primum, probare intentum. Quare Angelicus Doctor ait, huiuſmodi animalia ſomnia per accidens ſe habere ad futuros euentus: & ſi quan- D
doque ſimul concurrant erit caſuale.

Ad ſecundum reſpondetur. Illam celebrem regulam cognoſcendi futuros euentus, per reductionem ad vnam communem cauſam ipſis, & ſomnijs, quæ ipſorum ſigna ſunt: eſſe dumtaxat extendendam ad
D. Tho. cauſas naturales ſomniorum, & conſequenter ad ſola naturalia ſomnia. Quod colligitur ex eodem ſancto Doctore, qui poſt appoſitam regulam ſubiungit: *Et ſecundum hoc plurimum, præcognitiones futurorū fiūt.* A Nimirum ſubindicans, non eſſe extendendam ad ſomnia diuina, & dæmoniaca, vt argumentum probare videtur: in quibus non per reductionem euentuum, & ſomniorum ad vnam cauſam communem, ſed ex veracitate, vel falſitate cauſæ, agnitio ſumenda eſt, vt docuimus in aſſertionibus, & in ſequentibus fuſius manifeſtabimus.

Ad tertium reſpondetur: probare primam noſtram aſſertionem, eſſe difficile, aut ferè impoſsibile agnoſcere, an ſomnia ſint à cauſa naturali, nec ne: & ob id, cognitionem futurorum ex ſomnijs naturalibus eſſe nimis debilē. At verò ſi ea agnoſceretur, & connexio ſomnij cum futuro euentu; agnoſceretur ex ſomnio futurus euentus, ad modum traditum in quarta aſſertione.

Ad quartum reſpondetur. Inter cauſam ſomniorum naturalium, & ipſa ſomnia, & euentus futuros, non eſt neceſſe reperiri ſimilitudinem formalem repræſentatiuam cauſarum naturalium, & futuros euentus: ſed ſat eſt ſimilitudo quædam analoga (vt verbis vtar Caietani) ideſt, ſatis eſt, quod ſomnium ſit motus quidam conformis, ac proportionatus ſideri influenti, quod producturum eſt euentum futurum etiam analogicè proportionatum, vt declaraui in tertio notabili præmiſſo ad noſtras aſſertiones. Quinimò, etiam ſi ſomnium eſſet ſimilitudo formalis rei futuræ contingentis, ex ea ſimilitudine nequiret agnoſci futurum contingens, cuius vt futurum eſt, non poteſt dari ſimilitudo per naturam, & fortaſſe neque virtute diuina: quare ex ea ſola ſimilitudine, nequiret repræſentare futurum vt futurum, vt dixi in ſecunda aſſertione. Vnde ergo, aut quomodo fit reductio ſomnij naturalis, & futuri euentus ad cauſam vnam communem, vt inde colligatur agnitio futuri euentus? Reſpondetur, ex cauſalitate efficiētis ſomnium, & conſequenter ex ſimilitudine illa analoga, quæ reperitur inter omnem cauſam, & ſuum effectum, & inter coeffectus eiuſdem cauſæ. Et ſi benè aduertatur ad hanc cognitionem captandam ex ſomnijs naturalibus, impertinenter ſe habet quod ſomnia ſint ſimilitudines formales, nec ne; ſed valdè pertinenter, quod ſint coeffectus cum euentibus futuris, ſicut Iris & ſerenitas futura: ex quo, viſa Iride colligimus ſerenitatem affuturam. Igitur ad argumentum, ſi ſermo ſit de ſimilitudine formali

mali, & per modum Idoli, conceditur antecedens: ſi verò de ſimilitudine proportionali, & analoga, negatur. Similiter diſtinguitur conſequens, & conceditur, vel negatur: & eodem modo reſpondetur ad confirmationem.

DISPVTATIO VI.

Quibus ſignis, aut notis dignoſcatur, à qua cauſa dimanent ſomnia?

IN qua re ſupponendū, non poſſe citra reuelationem ſciri per certitudinem, à qua cauſa dimanēt ſomnia, an à naturali, diuina, aut dæmoniaca. Probatur: id quod poteſt habere multas cauſas, neutram determinatè mōſtrat, vt dicitur in ſecundo poſteriorum. Sed omnia ſomnia, quæ à cauſa naturali proueniunt, poſſunt à cauſa morali prouenire, putà à cauſa diuina, aut dæmoniaca: quia vtraque iſtarum cauſarum, poteſt efficacitatem cauſarum naturalium imitari: imò melius fabreſacere: & è contra, omnia ſomnia, quæ à cauſa morali proueniunt, poſſent à cauſa naturali prouenire, exceptis ſomnijs, quæ verſantur circa merè contingentia, aut occulta cordium, vel fidei myſteria: ergo nequit abſque reuelatione ſciri per certitudinem, quæ ſit cauſa ſpecialis cuiuſque ſomnij in particulari. At quamuis id non poſsit ſciri infallibiliter: poteſt tamen coniecturaliter præſagiri. Sed rem hanc valde difficilem aggrediemur duabus vijs, negatione ſcilicet, & affirmatione, incipientes à ſomnijs diuinis.

Quæ ſomnia non ſint diuina.

EA quæ citò euaneſcunt, non eſſe diuina, non leuis coniectura eſt: tùm quia ferè ſemper talia ſomnia ſequūtur ſpirituum commotionem, qualem patiuntur omnes dormientes, variam ac tranſeuntē, ſicut re vera varia, & trāſiens eſt eius commotionis cauſa: tùm maximè, quia Deus ſomnia immittit, vt ſint ſigna, & notæ aliquorum, quæ Deus propallare intendit, qualia eſſe non poſſunt præfata ſomnia, propter eorum fugacitatem, & inconſtantiam. Secundò. Ea ſomnia, quæ falſa prodūt, à Deo eſſe nequeunt, à quo falſitatem edocere alienum eſt: neque quæ improba ſuggerunt, iuxta illud Pſalm. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Improba vocō, quæ ſunt contra Dei iuſsionem, aut Eccleſiæ præceptum. Quo fit vt ſomnium religioſi de ducenda vxore, dæmoniacum eſt, non diuinum. Neque ridicula aut leuicula docent, iuxta illud Iſaiæ. 48. *Ego ſum Dominus Deus tuus docens te vtilia.* Et hinc fit vt credam, ea ſomnia non eſſe à Deo, quibus ſuggeruntur illa, quorum cognitio ad nullam vtilitatem vel ipſius ſomniantis, vel aliorū etiā, ſed ad inanē tantùm curioſæ ſcientiæ oſtētationem proſunt. Ea item diuina ſomnia non ſunt, quæ de rebus claris, & cuique peruijs edocēt. Vt quid Deus per ſomnium iſta enunciet; cùm nihil operetur fruſtra? Item ſomnia à Deo poſtulata, communiter diuina non ſunt: quia ſuperſtitioſa eſt ea petitio, cōmuniter loquendo. Præterea quādo ſomnia ſunt de re obſcœna, & turpi, cōmuniter non ſunt à Deo, ſed à dæmone: licèt aliquādo poſsit eſſe à cauſa naturali vel morali, vt ſupra adnotabam.

Pſalm. 5.

Iſaiæ. 48.

Quæ ſomnia diuina ſint.

DIcet quis: argueris ex modo dictis, ea eſſe diuina ſomnia, quæ ſunt ordinata, & permanentia, quæ non continent falſa, quæ nos admonēt de rebus grauioribus, ad bonum inuitant; vtilia ſunt vel ſomniantibus, vel alijs, in quorum gratiam fiunt. Fateor, hinc coniectūra aliqualis ſumitur, quod diuina ſomnia ſint, nō tamen omninò certa: quia eas qualitates habere ſomnia naturalia, & præcipuè dæmoniaca interdum contingit propter dæmonis aſtum, volentis decipere homines aliqua prædicendo vera, & aliquot ſuadendo pia: mos enim eius eſt, ſæpe ſe transfigurare in Angelum lucis. Ecce ſigna certiora tibi propono. Primum ſi res, quæ in ſomno reuelantur, neutiquam à creaturis ſciri valeant, niſi à Deo, vel per Dei reuelationem: ea ſomnia à Deo eſſe neceſſe eſt. Huiuſmodi ſunt futura mere contingentia: maximè quæ à libero arbitrio pendēt, cogitationes cordium, myſteria fidei creaturis ignota. Sed oportet etiā in his cautum eſſe: nam dæmon hæc etiam ſolet prædicere, ſcilicet futura contingētia, ex coniecturis, vel quia ipſe illa operatur: & eodem modo loquitur coniecturaliter de cogitationibus, & affectibus hominum. Itē myſteria fidei per obſeruationem ſacrarum Literarum, vel per reuelationem Angelorum

D. Tho. August. rum sanctorum scire potest, vt ait D. Tho. 2.2.quæst.172.artic.6.ad 1.& Augustinus 12.de Genes.ad literam,cap.19. Secundum signum est interior mentis motio in somniante, cui reuelationes in somno panduntur. Solet enim Deus sæpe,maximè Prophetarum, sic in somno mentes illustrare, sic volũtates afficere, sic hominem de fide, & autoritate somnij certiorem facere, vt Deum esse eius autorem certò agnoscat, & Gregor. iudicet. Vnde Gregorius, lib.4.Dialogorũ, cap.48. *Sancti viri* (inquit) *inter illusiones, & reuelationes ipsas, visionum voces, & imagines quodam intimo sapore discernunt, vt sciant quid à bono spiritu percipiant, & quid ab illusore patiantur, &c.* Hoc autem pertinet ad gratiam gratis datam, quæ dicitur discretio spirituum.

Quæ somnia sint dæmoniaca.

EA quæ suggerunt falsa, aut suadent mala,leuia,nullius vtilitatis,ambitiosa, & superstitiosa, à dæmone esse certum est. Talia fuêre ferè omnia somnia quæ Gentiles in admirationem duxerunt videntes,multos euentus futuros, etiam circa humanos actus, per somnia significari. Valerius. Tale fuit illud quod refert Valerius, lib. 1. cap.7. *Duo familiares Arcades* (inquit) *iter vna facientes Megaram venerunt,quorum alter ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriã diuertit. Is autẽ qui in hospitio erat, vidit in somnijs comitẽ suum orantem, vt sibi cauponijs insidijs circumuento subueniret: quo viso excitatus prosilijt,tabernamq́ in qua is diuersabatur petere conatus est. Pestifero deinde fato humanissimũ propositũ tanquam superuacaneũ damnauit. Idq́ visum pro nihilo ductus, lectũ,& somnũ repetijt. Tunc idẽ illi saucius oblatus obsecrauit, vt qui auxilũ vitæ suæ offerre neglexisset,necis saltẽ vltionẽ non negaret: corpus enim suũ à caupone trucidatum in maximo plaustro ad portã ferri ster core coopertũ. Tã constantibus familiaris precibus cõpulsus,protinus ad portã cucurrit, & plaustrũ quod in quiete demõstratũ erat deprehendit, cauponẽq́ ad capitale supplicium perduxit.* Hæc Valerius. Ego vero somniũ hoc dæmoniacũ cẽseo: quia res eo indicata nullius vtilitatis extitit,neque proviuis,neque pro mortuis. E contrario, ea quæ edocent vera, pia, & virtutum operibus cõgrua, nõ esse à dæmone haud leue indicium est, licèt non efficax: quia interdum malus dæmon,grauia,iusta,& pia suggerit,vt ingressum paret ad pernicio sa suadendũ, eo quod mẽs homi-

A nis credula, ex his quæ à Deo esse putat aliquãdo fidẽ dabit dæmoniacis,& securus de fraude versipellis tandem ab eo decipitur. Passim de hac re reperiuntur exẽpla. Vnũ Vitriacus. referam ex Vitriaco lib. 1. vitæ sanctæ Mariæ Aegniacenæ cap.9. *Quidam ex amicis præfatæ Mariæ* (inquit Vitriacus) *præcipuis à dæmonio meridiano perambulante in tenebris,aliquando tanto periculosius, quãto subtilius infestabatur: callidus enim hostis transfigurans se in Angelum lucis, sub specie pietatis, & familiariter in somnijs apparebat, nonnunquam eius quædam vitia reprehendens, ad quædam etiam facienda bona cum fradulenter adhortans, vt prius tamquam antidoti cuiusdam falsa specie oblata postea occultius venenum instillaret, & mellita lingua blanditer exerta, postmodum dentem infigeret, & ad extremum caudam suam quasi cedrum stringeret. Cum enim iam illi fides, ceu veraci,haberetur: tùm instar sophistæ, & impostoris, veris quibusdam proditor ille falsa permiscebat, bonorum intermixtione falsis quandam vmbram insidiose prætexens. Tandem suis machinis eo perduxit fratrem illum, vt res eius pessimum exitũ fuerint habituræ, si ancilla Christi,reuelante Spiritu sancto, callidi veteratoris fraudes nõ didicisset. Cum autem diceret homini, reuelationes illas non esse à Deo, sed maligni dæmonis illusiones esse, & ille è diuerso non sancto, sed suo spiritu obijceret, cum tot beneficia præstiterit ille spiritus mihi,tot vera, & futura prædixerit; nullo pacto mihi vult imponere. Illa ad solita orationis arma confugiens* (en egregiũ remedium) *pedes Domini rigat lacrymis, cœlum precibus instanter pulsat,nec facit finem,donec ille impostor cum multo gemitu, & pudore ipsi nocte in cellula sua oranti adstaret. Quem illa commentitio præditum splendore intuens, quis nã es tu* (inquit) *aut qui vocaris? ille superbo vt erat vultu, illam toruis oculis aspiciens, ego sum* (ait) *quem tu maledicta,precibus tuis cõpulisti venire ad te, quem meum mihi amicũ per vim auferre conaris: Somnium autem ego vocor,multis enim,præsertim religiosis,in somnijs instar Luciferi appareo, mihiq́ obediunt illi, & ex meis consolationibus,animis efferũtur,dignosq́ esse putant qui diuinis, & Angelicis fruantur colloquijs. Amicum illum meũ, quem pro tua voluntate abstulisti,iam eram à bono proposito retracturus.* Hæc Vitriacus. Sed de remedio cõsule quę diximus in a.4.

Item ea somnia, quæ inutilia somianti, aut alijs subministrant, pertinentia ad pure contingentia, aut occulta cordium,

esse

esse à dæmone, vanitatis, & curiositatis amatore, & conante imbuere homines impia superstitione, certum est. Patet: quia non à Deo, vt docuimus, sunt isthæc somnia; neque à natura, cuius efficacitatem prædictæ res effugiũt: ergo à dæmone malo sunt. Præterea, quando hominibus pijs ac religiosis, somnia impura, & quandoque vsq; ad pollutionum corporis, aut impia, seu crudelia contingunt, à dæmone sæpe immitti, certum est. Vnde canit Ecclesia: *Procul recedant somnia, & noctium phantasmata, hostemq; nostrum comprime, ne polluantur corpora.* Conatur enim diabolus per huiusce modi somnia ita polluere, ac fœdare corpora, vt expergefacti somniãtes, sibi in ea fœditate complaceãt, & sic inquinare animas: quod si hoc assequi nequit, saltem procurat vt Dei seruos talibus insomnijs contristando, perturbando, & affligendo, ad orationem, & virtutum opera, ad Sacramentorum perceptionem segniores reddat. De qua re egregiè Cassianus 26. collation. cap. 6. & Iustinus Martyr, in responsione ad quæstionem 21. Orthodoxorum. Fateor, quandoque hæc impura somnia à naturali exuberantia spermatis prouenire, sed frequentius à dæmonibus. Denique circa agnitionem somniorum diuinorum, & dæmoniacorum, videnda sunt, quæ diximus de apparitionibus, circa finem articuli 4. huius quæstionis, proderunt enim valde præsenti instituto.

Cassianus.
Iustinus.

Quæ somnia naturalia sint.

SOmnia turbulenta, inordinata, distorta, & incomposita, à vaporibus, qui interdum à superfluitate cibi, & potus; interdum quoque à nimia inedia generantur, & caput ascendunt; promanare non leuis coniectura est. Quia causa extrinseca spiritualis, putà Deus vel dæmones, cùm immittant somnia ad aliquid edocendum, ea cudere compositè, & ordinatè satis credibile est: licèt non implicet ab eisdem spiritualibus causis quandoque fieri. Item somnia non permanentia, sed instar imaginum earũ, quę in aëre fabricari videmus, fugacia, & cito euanescentia, à natura esse probabile est, propter rationem nuper allatam, licèt quandoque etiam somnia naturalia, quę fiunt ab influentia siderum, permanentia esse, iuxta permanentiam suæ causæ, contingat, nisi dissipẽtur à somnijs, quæ ex iactatione spirituum efficiuntur. Præterea, somnia, quæ experimur esse ab aliquo humore prædominante, vt somniũ rixosum à flaua bili, pluuiosum, à flegmate, clarũ est esse naturalia. Tandem exactè discriminare hæc somnia ad inuicem, citra reuelationem difficile vel impossibile est. Sanctissimè doctissimus & religiosissimus Caietanus in Commentario huius articuli ait, se habuisse aliquot somnia vera, & significatiua, sed incertus de causa eorum, iudicium suspendit, nec vnquam se, & sua illis credidit, ne fortè illusio dæmoniaca se illis immisceret. Quare fat nobis sit præfatas cõiecturas indicasse, quibus non modica lux exhibetur ad discriminationem dictam.

Caietan.

DISPVTATIO VII.

An vlla fides somnijs exhibenda sit.

HAEC dubitatio ex dictis ferè resoluta est. Quam præcipuè versat D. Thom. in hoc articulo: & eius cognitio apprimè moribus instituendis necessaria est. Nos compendiosè trademus, dicentes

Primò. Quoties certò constiterit, aliqua somnia esse diuina, idest à Deo, vel bonis Angelis immissa: indubitatò eis fides adhibenda est. At si tantùm probabiliter coniectamus ea esse diuina, fides est dumtaxat adhibenda sub formidine. Prima pars manifesta est: quia Deo reuelanti esse credendũ lumen naturale, & supernaturale ostendit: sed somnia diuina sunt, quibus Deus aliqua mediatè, aut immediatè reuelat: ergo illis indubitata fides exhibenda est. Secunda pars ex prima colligitur: nã certò sciens Deum sibi aliquid reuelare, tenetur certam fidem adhibere: ergo probabiliter idẽ cõiectans, probabilem fidem exhibere debet. Hæc pars cum grano salis intelligenda est, nisi enuntiatum somniatum, quod dicitur probabiliter esse à Deo, sit contra legem communem Dei, vel Ecclesiæ: sicut supra diximus de reuelatione probabili, dispensante cum Monacho, vt ducat vxorem.

Secundò dico. Si certò constaret, somnia esse à causa aliqua naturali, simul efficiente aliquem futurum euẽtum, eis somnijs indubitata fides adhibenda est. Si verò tãtùm de reductione somnij, & futuri euentus ad eandem causam, habetur probabilis coniectura; fides dumtaxat dubia, & probabilis

som-

ſomnijs adhibenda eſt. Prima pars patet: quia vt D. Thom. docuit, tota ſignificatio ſomniorum naturaliũ, ex reductione ſomnij, & futuri euentus, ad eandem communem cauſam referenda eſt. Itaque ſumitur ſignificatio, ex eo quod ſomniorum, & futurorum euentuum vna communis cauſa eſt, & ex eo quod ſomnium, ac futurus euentus, coeffectus eiuſdem cauſæ ſunt. Secunda pars probatur ex eodem fundamento Angelici Doctoris: nam ſi ex reductione indubitata ſomnij, & futuri euentus advnam communem cauſam, colligitur eſſe adhibendam indubitatã fidem, ex probabili probabilis fides, & ex ſuſpecta ſuſpitio dumtaxat ſumenda eſt: & ſubiungit dominus Caietanus: *Si cognita cœleſti cauſa in alijs generibus coniecturarum* (puta quæ fiũt ex Aſtris) *tantum ſumitur coniectura dubia, & cum formidine, quid dicendum eſt, quando etiam ignoratur quod hoc indicium, ſcilicet ſomnium, eſt à cauſa cœleſti?* Ex ſomnijs igitur ſoli ſuſpitioni locus relinquitur circa futura contingentia.

Tertiò dico. Si certò cõſtet aliquot ſomnia eſſe dæmoniaca, non eſt eis adhibenda fides, neque ex eis aliquid diuinare licet. Imò ſi probabiliter coniectemus, ſomnia aliqua dæmoniaca eſſe, nequaquam eſt illis fidendum. Prima pars patet: quia talis credulitas aut diuinatio pertinet ad ſocietatem dæmoniacam tacitam, aut expreſſam, vt D. Tho. ait in hoc articulo, & nos latius in art. 4. Secunda pars etiam probatur: quia talis credulus exponit ſe periculo deceptionis, quam dæmon maximè conatur aduerſus homines, ſiue verum dicat, ſiue falſum.

Quartò dico. Vt plurimum fidem adhibere ſomnijs, ſtultitiæ plenum eſt. Probatur primò: quia ſingulis noctibus, & dormimus, & innumera ſomnia experimur inordinata, turbulenta, incompoſita, diſtorta, plena repræſentationibus inſanis: quibus qui fidem adhiberet, inter inſanos meritò reputãdus erit, eo quod omni ſignificationevacua ſunt. Egregiè ſapiens Eccleſiaſtes. 5. *Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates.* Et Eccleſiaſt. 34. *Somnia extollũt imprudentes, &c.* Et in ſacris Literis, cum Scriptura vult ſignificare aliquid vanum, inſtabile, fugax, & fallax, ſomniorum cõparatione, ac ſimilitudine perſæpe declarat. De his ſomnijs loquitur ſacer textus Leuit. 19. Deuter. 13. Hierem. 17. vbi videtur prohiberi omnis credulitas ſomniorum. Dixi, vt plurimum non eſſe fidem adhibendam ſomnijs: quia diuina ſomnia, quibus maximè credendum, rarò contingunt, dæmoniaca omnia reijcienda, naturalia verò ſignificatiua, licèt reperiantur, ea tamen reducere ad cauſam ſuam, & coæquare cum futuris euentibus, difficillimum, & ferè impoſsibile: maximè ſi emanet à corpore cœleſti: quare tutius eſt non ſe illis committere, aut fidem adhibere.

Ecclaſi. 5. Eccleſi. 34. Leuit. 19. Deute. 13. Hiere. 17.

DISPVTATIO VIII.

De peccatis, quæ committuntur in obſeruatione ſomniorum.

CIrca quam dupliciter erratur. Primò in diſcriminando ſomnia adinuicem reſpectu ſuarum cauſarum: ideſt, putando ſomnia diuina eſſe, quæ dæmoniaca ſunt, aut è contra: vel putando ſomnia eſſe diuina, quæ naturalia ſunt; & è cõtra. Et idem dico de dæmoniacis, & naturalibus, comparatis adinuicẽ. Secundò poteſt accidere error, in coniectando ex ſomnijs futuros aliquos euentus.

Dico primò. Errare primo modo, peccatum erit expẽdendum iuxta regulas deceptionis, & ignorantiæ culpabilis, quæ ſi grauis ſit, peccatum circa quod erratur, imputabitur ſic erranti: v. g. putat quis culpabiliter, ſomnium quod nocte præcedenti habuit, à Deo eſſe, ſed verè diabolicum eſt: ſi error aut ignorantia grauis eſt, imputatur ei culpa credendi ſomnia dæmoniaca.

Dico ſecundò. Qui coniectat ex ſomnijs aliquos euentus, qui excedunt facultatem cauſarum, à quibus promanant ſomnia, peccat mortaliter crimine ſuperſtitionis dæmoniacæ: v. g. qui ex ſomnijs à cauſa naturali prouenientibus conatur prænoſſe & prædicere myſteria fidei, actus humanos per certitudinem, & alia purè contingentia, ſuperſtitioſus eſt mortaliter. Probatur ex D. Thom. & eius ratione in hoc articulo: nam talis prædictio, aut diuinatio extenditur ad ea quæ non poteſt. Etenim enarrati effectus nequeunt fieri ab vlla cauſa naturali, & corporali: ergo qui ex ſomnijs naturalibus eos coniectat, vtitur eis, & ſua cauſa, ad ea ad quæ non ſe poſſunt extendere: ac ex conſequenti ſuperſtitioſus eſt, & tacitam inuocationem dæmonis incurrit, ſi-

cut

cut explicuimus cum Doctore Angelico, in articulo 4. præcedenti.

Dico tertio. Qui non credens huiuſmodi ſomnijs, tamen ſecundũ affectũ, & executionẽ, ſe habet ac ſi crederet illis, peccat mortaliter peccato ſuperſtitionis, & ferè eiuſdem grauitatis cum enarrato in proximè præcedenti dicto: quia licet nõ habeat errorẽ in intellectu, voluntas tamen valde errat, adhærens vanæ ſignificationi ſomnij, ac ſi certa, & indubitata eſſet: & in rei veritate, & in exercitio, diuinationẽ ſumit certam, vnde nõ eſt aſſumptibilis: quia ad præfata diuinandum, nulla cauſa naturalis ſufficiens eſt, eo quod eius cauſalitatem ſubterfugiunt. Sed quid de ſomnijs, quorum ſignificatio eſt circa ea, quæ non exuperant virtutem cauſæ naturalis?

Dico quartò. Qui ignorata cauſa alicuius ſomnij, ex eo conatur prænoſſe, & prædicere aliquẽ effectũ, qui à cauſa aliqua naturali poteſt prouenire ſimul cum effectu, cuius indicatio ex ſomnio ſumitur, peccat peccato temerarij iudicij, & vani. Quod ſi intra hos limites contineatur, dũtaxat peccatum veniale eſt. Probatur: quia ex cognitione cauſæ ſomniorum relatæ ad euentũ futurũ pendet ſignificatio eorum, vt ſæpe docuimus. Ergo ſi tollas cognitionem cauſæ ſomniorum, omninò vanum, & temerariũ erit iudicium ab eis deſumptum.

Dico quintò. Qui ex aliqua cauſa opinata ſomnij, & eo effectus eius, non tamen vera cauſa, vel ſi vera eſt, non cognita vt talis, conatur per certitudinem prænoſſe, & prædicere aliquem futurũ euentũ, peccat peccato vani, & temerarij iudicij, ſed dumtaxat venialiter, ſi intra limites vani iudicij contineatur. Probatur, quoniam teſte Ariſtotel. in 2. Poſteriorũ, effectus potens prouenire à pluribus cauſis, nullã earum determinatè infert: ſed in caſu noſtri aſſerti, cõiectans, cauſa incerta vt certa vtitur: ergo vanè inquirit, ac proinde peccat peccato temerarij iudicij, & vani. Et hoc modo peccatur cõmuniter ab ijs, qui ex ſomnijs, per certitudinẽ coniectant, & adhibent fidẽ ſomnijs: eo quod vel nullam agnoſcunt cauſam ſomniorũ, vel quam agnoſcunt, non eſt adæquata, & determinata cauſa ſomnij, & futuri euentus: hoc enim agnoſcere rarò, & raris conceditur. Cõſultò dixi in hoc aſſerto, & præcedenti, ſi iudiciũ contineatur intra limites iudicij temerarij, & vani, eſſe tantũ veniale peccatum: quia ſi propter adhæſionem ad tale iudicium, coniectans omittat aliquid de neceſſarijs ad ſalutem, aut cõmittat contra neceſſaria ad ſalutẽ, citra dubiũ peccatũ erit mortale. Secus ſi ommittat, aut committat circa ea, ad quæ tenetur, nõ neceſſaria ad ſalutem: erit enim tantùm veniale. Ita Caietanus in Summa, verbo ſomniorum obſeruatio, & Nauarrus in Manuali, cap. 11. num. 33. *Caietan.* *Nauarrus.*

Sed contra iſta duo aſſerta, qua ratione docent, diuinationes, de quibus in eis agitur, eſſe tantum venialia peccata; argumentor primo in caſibus vtriuſque aſſerti. Sic diuinantes exponũt ſe periculo dæmoniacæ inuocationis tacitæ; imò re vera reperitur inuocatio tacita dæmoniorum: ergo etiam reperitur peccatũ mortale ſuperſtitionis dæmoniacæ. Probatur antecedens ex dictis in diſputat. 1. circa ſecundũ articulum, vbi docuimus ex doctrina Doctoris Angelici, tunc contingere tacitam inuocationem dæmonũ, quando aliquis effectus, aut cognitio inquiritur, vnde haberi nõ poteſt: eo quod tunc dæmon ſe immiſcet tali cognitioni, aut ſaltem talis inquiſitor meretur, vt dæmon ſe immiſceat, & de cognitione vana tranſeatur ad perniciоſam, vt potè quæ ad ſocietatem dæmoniacam ducit, ac viam parat. Sed in caſibus vtriuſque aſſerti, cognitio certa ſumitur ex ſomnio, eo modo quo haberi non poteſt, vt probauimus: ergo, &c. Confirmatur. Qui ex ſomnijs naturalibus coniectat aliquid merè cõtingens, aut pendens ex libero arbitrio, crimine mortali inuoluitur: quia iudicium futuri euentus ſumit, vnde ſumi non poteſt: ergo qui ex eodem ſomnio diuinat alios futuros euentus, nulla conſiderata cauſa, aut ea, quæ non facit ad rem, vt inde ſequatur futurus euentus, pari crimine peccat.

Pro ſolutione aduertẽdum, duplex eſſe periculum, cui quis ſe exponit: vnũ quod ſe tenet ex parte actus eius, qui periculo ſe obijcit: eo quod ille actus ſuapte natura eſt periculoſus, & inductiuus ad malum, quod timetur. Alterum quod non ſe tenet ex parte actus periculoſe obijcientis: eo quod actus ille non eſt ſuapte natura periculoſus, & inductiuus ad malum quod timetur; ſed dumtaxat ortum habet ex malitia potentis inducere malum formidatum, quod interdum inducit, interdum non, pro ſua maligna voluntate. Exemplum primi, in eo periculo, cui quis mulieroſus ſe exponit, ſi inter meretrices choreas ducat, aut quo quo alio modo conuerſetur. Exemplum ſecundi ſit, in eo periculo, cui habens

inimicos ſe obijcit,ambulando per plateas A & vicos ciuitatis, fortaſſe enim occidetur ab inimicis,fortaſsè non. Obijcere ſe periculo alicuius mali grauis,priori modo,peccatum mortale eſt, non verò ſecũdo modo; ſed dumtaxat veniale.

Ad argumentũ igitur reſpondetur:Is qui diuinat ex ſomnio id, ad quod virtus ſomnij,& eius cauſæ coniectandũ non ſe extẽdit,putà ad futura merè contingentia, aut myſteria ſupernaturalia fidei, exponit ſe periculo illuſionis dæmoniacæ priori modo: quia iudicium illud coniectiuũ nequit ex ſomnio naturali aſſumi, ac proinde ex genere ſuo conuocatoriũ tacitè eſt, vt dæ- B mon ſe tali iudicio immiſceat:&ideò ea cõiectatio peccatũ mortale eſt ſuperſtitionis. At verò ſiquis in caſibus quarti,& quinti aſſerti, ex ſomnio conetur prædicere futuros euẽtus, qui prædici poſſunt cõiectatione capta ex ſomnijs, non ſe obijcit periculo illuſionis dæmoniacæ, quantum eſt ex parte actus ſui,qui ex genere ſuo nõ eſt cõuocatorius dæmonis: poſſet etiam rectè cõiectare,niſi erraret in modo, putà quia opinatus eſt falſò, ſine cognitione cauſæ ſomniorũ, aut ſine cognitione determinatę cauſæ,poſſe agnoſci determinatum euentum: C quod iudicium ad vanitatẽ iudicij temerarij pertinet,non perniciosi;& ideò tantũ veniale erit:quia licèt ſe exponat alicui periculo,vt dæmõ illi iudicio vano ſe intromittat;hiõc tamen periculũ,nõ ſe tenẽt ex parte actus eius,qui ex ſomnio diuinat, ſed ex parte malitiæ dæmonis,qui ferè omni occaſione ſe intromittendi vtitur: maximè in ijs,quæ ſuperſtitioni proxima ſunt. Confirmatur quod dicimus: nã certum eſt Aſtrologum diuinantem pluuiam ex ſidere, licet erret putans illud eſſe cauſam pluuiæ, nõ peccare mortaliter;& Medicũ ex ſomnio præſagientem ſomniantis paralyſim: D quia illud præſagium poſsibile eſt haberi ex ſidere,& morbus ex ſomno: ergo idem in noſtro propoſito dicendum eſt. Vnde Angelicus Doctor in hoc articulo ait,ſuperſtitionem dumtaxat eſſe in ſomnijs, quãdo eſt expreſſa inuocatio dæmonũ, vel quando ſomnia extenduntur ad ea,quæ nõ poſſunt ſe extendere: videlicet, ad habendam certitudinem purè cõtingentium, aut aliorum,quæ exuperãt cauſalitatem corporeorum, v. g. cœlorum;non autem ſic accidit in noſtro propoſito;ſed ſic coniectans, vel eſt ineptus, dum ex ſomnio, non attenta cauſa,diuinat: aut valde ignorans, vel pertinax,& temerarius, dum ex cauſa incerta, certum effectum conatur per certitudinem prædicere.

Dico ſextò. Qui quouis modo cõiectat ex ſomnio,quod certò,aut probabiliter putat eſſe à dæmone, peccat grauiter peccato ſocietatis dæmoniacæ,& crimine ſuperſtitionis diabolicæ.Hoc patet ex dictis in ſecunda diſputatione circa articulũ ſecundũ, & quartum.Talia fuiſſe ferè omnia ſomnia Gentiliũ puto,maximè ea quæ conſultò,& à propoſito procurabant Gentiles in tẽplis Serapidis,ideſt,Plutonis, Aeſculapij, Amphirai,& aliorũ falſorum Deorum. Modus is erat,vt volentes aliquid futurũ præſcire, ſuper quædã lectiſternia facta ex pellibus animalium immolatorum cubabant,& dormientes à dæmonibus ſuo nomine eorum Deorum reſponſa accipiebant,vt videre eſt apud Ethnicos autores, qui paſsim de hoc ſcripsêre.

Sed dubitabit quiſpiam,an licitum ſit ire cubitum, vt de aliquibus futuris euentibus edoceamur per ſomnia vera? Et videtur vera affirmatiua pars, ex facto Rebecæ, quæ iuit vt conſuleret Dominũ de duobus paruulis,qui in vtero eius collidebãtur,Geneſ. *Geneſ. 25.* 25.Aiunt autem quidam Hebræi, quos refert Abulenſis ibidem, iuiſſe vt conſuleret *Abulenſ.* per ſomnium, afferẽs ſecum folia lauri, ſuper quæ reclinato capite obdormiens, veritatem ſui quæſiti acciperet.Dicitur enim laurum hanc virtutem habere,vt eudat ſomnia vera.Secundò,1.Reg.28. narratur,Saulem conſuluiſſe Dominum per ſomnium, *1.Reg. 28.* nec tamen de hoc reprehenditur,vt adnotarunt multi ſacræ Scripturæ interpretes, dicentes licitum fuiſſe in lege veteri à Deo per ſomnia inquirere veritatem, præmiſsis oratione,& ieiunijs.

Pro deciſione dico. Periculo illuſionis dæmoniacæ ſe exponit, qui in lege gratiæ it cubitum, vt ſomnia captet verorum ſignificatiua.Et quidem ſi ſit ſermo de ſomnijs dæmoniacis,aſſertum non indiget probatione. De naturalibus probatur, nam ſiue illorum cauſæ ſint extrinſecæ,aut intrinſecæ,cum earum influentia non pendeat à ſomniantium deſiderio,aut petitione, vanè,& fruſtra per ſomnium voluntarium,& procuratum, conciliaretur. Si verò ſermo ſit de diuinis ſomnijs, cùm eorum collatio pertineat ad gratias gratis datas, non commodè procuraretur. Maximè quia in lege gratiæ, iſte modus inquirendi veritatem per ſomnia, iam abolitus eſt, niſi

ipſe

ipſe Deus vltrò ea ſomnia immittat. Vanum igitur eſt procurare ſomnia ad inquirendam ex eis veritatem; & periculoſum: quia talis inquirens pluſquam par curioſus, meretur vt dæmon ſe intromittat, & per ſomnium decipiat. Exiſtimo autem eſſe dũ taxat veniale peccatum, propter rationes aſsignatas circa quartum, & quintũ aſſertũ.

Ad argumentum in oppoſitum reſpondetur. Ad primum reijcitur delira expoſitio Rabbinorum. Modus enim ille cõſulendi per ſomnia, folijs laurinis ſuppoſitis loco ceruicalium, erat in vſu apud Gentiles, putantes quod ſi quiſpiam cubiturus, lauro ſibi tempora vinciret, in ſomnijs videretve
Chartar. ritatem concupitam. Ita Chartarius in Apolline. Rebecam autem ab hac ſuperſtitione liberam putamus.

Ad ſecundũ fatemur, in lege veteri fuiſſe invſu eum modum conſulendi Dominũ per ſomnia, præmiſſa oratione, & ieiunio,
Abulenſ. vt fatetur Abulenſis vbi ſupra: quia ſtatum illius legis imperfectum, iſte modus conſulendi non indecebat, ſicut & ſortes conſultoriæ. At verò in lege gratiæ perfecta nõ permittitur, propter rationem factam: & quia nullibi habemus hanc permiſsionem.

DISPVTATIO IX.

An ſit aliqua ars, aliquá-ve facultas interpretandi ſomnia? & qui ſint ea pollentes?

MVltos legimus in ſacris Literis, ea facultate multum valuiſſe, præcipuè Ioſeph filium Iacob, & Danielem: & antiqui Chaldæi iactabãt ſe omnia ſomnia poſſe interpretari, Da-
Daniel. 2. nielis 2. & in decreto Gratiani 26. q. 7. cap. non obſeruetis, refertur libellus ſomnialis adſcriptus Danieli Prophetæ de arte interpretandi ſomnia. Et alij finguntur de eadẽ re Abrahami, & Salomonis libri: & alij veteres ſuperſtitioſi de hoc multa ſcripſêre, vt dicitur: ſed eorum libri non extant, niſi
Artemido. ſolius cuiuſdam Artemidori Aldiani, qui
Alexan. ab Alexandr. quinque libros ſomniales edidit. Et Alexander ab Alexandro lib. 1. ca. 11. ait hac arte in Italia floruiſſe quendam Iunianũ Majũ.

Pro deciſione præmittẽdum, dubitationem præfatam non procedere de ſomnijs non ſignificatiuis, neque de ſignificatiuis, quæ apertam, & claram habent ſignificationem: Nam illa vt pote ſignificationis va-
A cua, nequeunt interpretari, hæc verò ſecum afferunt ſuam interpretationẽ: vnde interprete non egent. Procedit autem dubitatio de ſomnijs ſignificatiuis obſcuræ ſignificationis.

Dico primò. Nulla naturalis facultas, nul láve ars, aut habitus reperitur, ad ſomnia diuina interpretanda; ſolo Dei ſupernaturali munere aliquibus facultas hæc cõceſſa eſt. Prima aſſerti pars probatur: quia ſignificatio ſomniorum diuinorum pendet ex Dei beneplacito, & voluntate, volentis per ſomnia, res quaſdam nobis innoteſcere. At nulla naturalis facultas, ſe valet extendere ad
B Dei conſilia, & beneplacita exploranda, iuxta illud primæ ad Corint. 2. *Quæ Dei* *Corint. 2.*
ſunt, nemo cognouit niſi ſpiritus Dei. Et ad Ro- *Roma. 11.*
manos 11. *Quis enim cognouit ſenſum Domini?* Ergo nulla naturalis vis ad id pertingere valet. Secunda pars ex priori infertur: etenim ſi aliqui ſunt vel fuêre ſomniorũ diuinorum interpretes, vt ſacræ Literæ teſtantur, & naturalis vis, etiam Angelorũ, ad id nõ valet pertingere, igitur ex Dei munere id haberi neceſſe eſt. Quod nõ obſcurè ſignificatur in multis ſacræ Scripturæ locis. Geneſ. 40. ait Ioſeph loquens de ſomnijs di- *Geneſ. 40.*
uinis: *Numquid nõ Dei eſt interpretatio?* Et
C Daniel. 2. *Eſt Deus in cœlis reuelans myſte-* *Daniel. 2.*
ria: & aliàs ſæpe. Et ſi roget quiſpiam, quale ſit hoc munus ſomnia interpretandi? nihil habituale, ſed motio quæda diuina. Quod ſatis apertè colligitur ex Daniele c. 2. petijt enim à Rege tẽpus ad ſomnij expoſitionẽ, quod ipſi propoſitũ fuerat, ſimulq; cum ſotijs ſuis diu, conſtanterq; Deo ſupplicauit, vt ſomnij interpretationẽ accipere mereretur. At ſi facultatem ſomnia interpretandi, veluti habitũ quendã habuiſſet Daniel, ſtatim nulla oratione præmiſſa, nullo expecto tẽporis ſpatio, ſomniũ intelligere, & interpretari potuiſſet. Cõfirmatur: nam donũ
D ſomnia diuina interpretandi, vel prophetia eſt, vel pertinet ad prophetiæ donum. Nu- *Nume. 12.*
meror. 12. At donum prophetiæ non poſſideri per modũ habitus, rectè probat Ange- *D. Thom.*
licus Doctor infra q. 171. a. 2. & ſumpſit ex *Gregor.*
D. Greg. hom. 1. in Ezechielem: ergo, &c. Ex hoc infertur, ſicut per prophetiæ donũ non ſolũ edocentur Prophetæ veritates ſupernaturales, verũ interdũ naturales; ſic per donũ interpretandi ſomnia diuina, nihil vetat & naturalia, & dæmoniaca interpretari. Non memini autem me legiſſe, aliquem ex Prophetis in ſomnijs dæmoniacis, aut naturalibus occupatum.

Dico ſecundò. Mortalibus non eſt conceſſa facultas naturalis ſomnia dæmoniaca interpretãdi, ſed ex dæmonis ſuggeſtione id ſæpe fieri, Hiſtoriæ tradunt: qui cum conetur aſsimilari Deo (ob idque ſimia Dei dicitur) ſuos etiam habet interpretes. Prima pars patet: quia ſignificatio ſomniorum dæmoniacorum ex placito, & arbitratu dæmonis ortũ habet; at iſthæc homines nequeunt agnoſcere viribus ſuis naturalibus, multo minus quàm aliorum hominũ occultas cogitationes: ergo, &c. Secũda pars verificatur ferè in omnibus ſomnijs dæmoniacis, in quibus interpretandis multi Gentiles valuerunt, nimirum ex dæmonũ ſuggeſtione, & edoctione.

Dico tertiò. Pro ſomnijs naturalibus interpretandis nulla ars, nullúſve habitus naturalis reperitur, qui ſaltẽ probabiliter doceat ſomnia interpretari, aliqualis tamen coniectura, & tenuiſsima haberi poteſt eorum ſignificatiua. Prima pars probatur: tũ quia ſcientia, ars, aut habitus quiuis doctrinalis, ex his quæ ſemper, aut in plurimum contingunt, deſumi debet, ſed ſomnia naturalia vt plurimum vacua ſunt ſignificatione: ergo ſtulta erit ars, quæ doceat ea interpretari: tum quia eſtò ſomnia naturalia, agnoſcerentur eſſe ſignificatiua, tamen rarò, & à raris cognoſci poteſt, quę ſint eorũ cauſæ, quam analogiã, & proportionẽ habeant cum euentibus futuris, quáſve correſpõdẽtias, quæ omnia cognoſcere neceſſe eſt, vt agnoſcatur eorũ ſignificatio, vt ſupra docuimus. Secunda pars declaratur diuiſione præmiſſa ſomniorũ naturaliũ, in merè naturalia, quæ effectus aliquos merè naturales indicãt, & humana, quæ humanos, ideſt actiones humanas. Ille erit bonus interpres ſomniorũ merè naturaliũ, qui nouerit ſimilitudines in ſomnijs oſtẽſas cõparare inter ſe, & quarũ rerũ ſimilitudines ſunt, & ex quibus cauſis oriri ſolẽt diſtinguere; & iuxta qualitatẽ huius cognitionis, probabilior, aut minus probabilis erit coniectatio. Vnde inter iſtos horũ ſomniorũ interpretes probabilius procedũt Medici, aut ſolertes Phyſici, qui ex cauſis corporalibus intrinſecis ſomniorũ, melius coniectant de morbis futuris, & ſimilibus: nõ ita probabiliter Phyſici, aut Aſtrologi, qui ex cauſa extrinſeca, putà cœleſti corpore, aut corpore circũſtãte ipſum ſomniantem, diuinant. Ille verò erit ſagax coniector ſomniorum humanorũ, qui fuerit rerum humanarum peritus, ingeniorum item, ſtudiorum, morum, & propenſionum (quæ in varijs hominibus magnam habent varietatem) magnã experimentis comprobatam notitiam ſit adeptus, vt ſciat dijudicare inter ſomnia, nam quandoq; de ſomnio aliquo põterat aliqualiter coniectari, eſſe ſignum humani euentus, attenta inclinatione, & propenſione ſomniantis, & de eodem ſomnio malo indiuiduo nequaquã.

Ex dictis ſequitur, artẽ interpretãdi ſomnia (de qua antiqui quidam, & recentiores ſuperſtitioſi gloriantur) eſſe futilẽ, & hominum otioſorũ, qui in vna aut altera leuicula cõiectura ex ſomnijs captãda, vitam inſumũt; & quod peius eſt, periculo illuſionis diabolicę ſe exponũt. Sequitur ſecũdò, valde erraſſe Artemidorum, & alios relatos in principio huius diſputationis, qui artẽ interpretãdi ſomnia profitebãtur. Inter quos Sineſius quidam 8. lib. de inſomnijs, ſuadebat vt ſibi quiſquam ex ſuis ſomnijs, cũ eorum quæ poſtea perpeſſus eſt collatione, artem quandã coniectando conficeret. Vah quam ineptũ, & otioſum documẽtũ, etiam ſi ad ſomnia dũtaxat naturalia reſtringatur, cum pleraque ſomniorũ vana, diſtorta, & caſualia ſint, ex quibus velle artem cudere ſtolidorum eſt. Non longe abſunt ab hoc delirio qui aiunt, ſi vnus vel plures cum hoc vel illud ſomniaſſent, talẽ vel talem euentũ ſunt experti, id pro regula ſtatuendum in ſimilibus ſomnijs. Perbella ſtultitia, cùm id caſupoſſe accidere certũ ſit. Similiter inquiunt, proportionis ſimilitudinẽ rei ſomniatæ ad euentum, de futuro euentu debere iudicari. Benè in naturalibus ſomnijs, ſed ignorata cauſa ſomnij, & quod euentus illius ſit cauſa, parum prodeſt ſimilitudo illa, cũ caſu ſæpe ac ſæpius poſsit accidere: imò ope dæmonum ſe his vanis immiſcentium. Item ſuperſtitioſe, & ineptè artem fabricant ad inueſtigandã hanc ſimilitudinẽ proportionis. Primò, ex nominis ſignificatione: veluti, ſiquis in ſomnijs audiat Serapidis nomen, ideſt, Plutonis, aut Orci morietur. Secũdò, ex ſignificatione hieroglyphica, vt ſiquis ſomniet ſe alligari templo, fiet Sacerdos. Tertiò, à fabuloſis narrationibus, quẽadmodum ſiquis ſomniet, ſe in Ithmo filiolum ſuum quærere, peribit filius merſione, iuxta fabulam Melicertæ. Quartò, de aliqua ratione Aſtronomica petita à remotis: veluti ſiquis ſomniauit ſe lumen à Luna petere, cæcus fiet: quia Luna proprio caret lumine. Item ſomniauit quis, ſe manus vrſæ habere; damnatus ad beſtias, ab vrſo deuorabitur: quia vrſus intra ſpeluncam latens, ma-

Seneſius.

manus ſugit vt ſuſtentetur. Sextò, ex more, aut conſuetudine, v. g. ſolitum eſt apud piſcatores retia expandere, aſſuere, & ſimilia: ſolitum etiã eſt apud milites enſes acuere, bella mouere, &c. Si piſcator ſomniet, quæ ſunt militis, & miles, quæ ſunt piſcatoris; ſomnium erit infauſtum, ſi autem è cõtra, proſperum. Hæc ridicula ille Artemidorus, damnandus vt ridiculus: quia ratiocinatur vt dicitur ab angulo ad parietem, & vt ſuperſtitioſus.

Dicet quis, certè negare non poſſumus, interpretes hos ſomniorũ ex eis multa cõiecta ſſe, quæ poſtea rei probauit euentus. Aſtiages Aſsyriorum Rex, per quietẽ vidit ex filia vitem enatã, cuius palmite omnis Aſia inumbrabatur. Conſulti Arioli reſponderunt, neporem futurum qui toti Aſiæ imperaret. Hic fuit Cyrus. Ita Herodotus, lib. 1. *Herodotus.* Valerius, lib. 1. c. 7. Iuſtinus, lib. 1. & Cicero, li. 2. de diuinatione dicit: *Somniauit quidam ſi videre ouum pendens ex faſcia lecti, detulit ſomnium ad coniectorem, reſpondit, defoſſum eſſe ſub lecto theſaurum; fodit, inuenit auri aliquantum, idque circundatum argento. Ex vitello oui aurum declarauit coniector, ex reliquo argentum.* Et multas alias ex ſomnijs coniectationes accumulant iſti homines ſomniales, vt ſuam imperitam artem defendant. *Valerius.* *Iuſtinus.* *Cicero.*

Reſpondetur tamen, ſomniorum interpretes, pro vna vera coniectatione, mille falſas protuliſſe, eamque caſualiter veram; aut ex ſuggeſtione dæmoniaca ortum habẽtem, vt egregiè adnotauit Cicero in libris præfatis de diuinatione. Demum, omnes illæ cauſæ à nobis allatæ in articulo immediatè præcedẽti, quare prædictiones Aſtrologorum veræ quandoque ſint; non erit difficile accommodare præſenti inſtituto de ſomniorum interpretibus. Ex quo patet ad obiectionem propoſitam reſponſio. *Cicero.*

Opportunè ſatis, poſt tractatum de diuinatione per ſomnia, inſerere libuit quid ſit ſentiendum de diuinatione in ecſtaſi, ſeu raptu: tùm quia hæc ſunt ſimillima ſomno: tùm quia multæ prædictiones fiunt ab his qui in ecſtaſi rapiuntur, dicente D. Auguſt. lib. 1. quæſtionum in Geneſim. q. 80. Quare operæ pretium erit ſcire, quando hæ licitæ ſint, & quando illis fides adhibenda: maximè: quia in omni æuo extitêre, & modò extant quidam ecſtatici, de quorum veritate, & an impoſtores ſint, vel veri contẽplatiui, non immeritò dubitatur. Quapropter per ſequentes diſputationes, rem hanc rimari decreui, non omnia colligendo, quæ ad hanc materiam attinent (eſſet enim ingens labor neceſſarius) ſed dumtaxat quæ ad præſens inſtitutum cõducere viſa ſunt. Et ideò facta relatione ad diſputationes præcedentes de ſomnijs, eſt *Auguſt.*

DISPVTATIO X.

An ſit ecſtaſis, ſeu raptus? & quid ſit?

ET quidem ecſtaſim ſeu raptũ eſſe quãdam à ſenſibus abſtractionem, quam aliquando homines patiuntur, experientia oſtendẽs multos ſæpe eſſe ecſtaticos docet, & ipſa Etymologia vocabuli oſtendit: ecſtaſis enim Græcè, Latinè ſonat mentis à ſenſibus abſtractionem: & ferè idem ſonat raptus apud Theologos, niſi quod raptus in rigore addit mentis contemplationem, ſed ferè pro eodem vſurpãtur hæ voces apud Theologos, à quibus, teſte D. Tho. de veritate, q. 13. art. 1. ſic definitur: raptus eſt ab eo quod eſt ſecundũ naturam, in id quod eſt ſupra naturam, vi ſuperioris naturæ eleuatio. Explicatur definitio Naturale eſt homini in vita mortali degenti, dum intelligit, vti miniſterio ſenſuum: intelligere verò ſine eo miniſterio abſtrahendo ab illis, infra naturam hominis mortalis eſt. Quando ergo vi alicuius naturæ hominii ſuperioris, ſic accidit, vt abſtrahendo à ſenſibus intelligat, ecſtaſim ſeu raptum pati dicitur. In qua definitione licet aſpicere, raptum eſſe quẽdam motum comprehendentem terminũ à quo, & terminum ad quem. Terminus ad quem eſt eleuatio, ſeu contemplatio ſublimium, & diuinorum: terminus à quo eſt à ſenſibilium apprehenſione abſtractio, non qualiſcumque; nam abſtractio à ſenſuum operatione in dormientibus, quæ naturaliter fit, & voluntariè, non dicitur pertinere ad raptum, vt adnotauit D. Tho. in q. 175. art. citato: ſed ita fortis, & violenta abſtractio, vt non ſolùm ſenſuum operationes adimat, verùm eos ita liget, vt non ſinat eos quandiu durat operari, aut ab obiectis externis excitari, vel quid ſimile. Et licèt vterque terminus, à quo, & ad quem, ſine altero reperiri poſsit, niſi ſimul adſint, raptus non erit. Cuius definitionis ſingulæ particulæ, ſequentibus diſputationibus agitandæ, & dilucidandæ ſunt. *D. Thom.* *D. Tho.*

DISPVTATIO XI.

An possit esse ecstasis, seu raptus, sine vllo actu intellectus, aut voluntatis?

PRo decisione dico primò. Si raptus considereturtantùm secundùm terminum à quo, ideſt, secundum abstractionem à sensibus; citra dubium reperiri potest sine vllo actu tam sensuum, quã intellectus, & voluntatis. Hæc assertio manifestè constat in ecstasi, qua detinentur arreptitij, & maniaci, in quibus nil negotiatur intellectus, vel voluntas, sed ad summum phantasia inordinatè operans. Imò aliquando, existimo, nihil operatur phantasia, aut vllus sensus, etiam internus: sed homines manent tanquam stipites non habentes nisi operationem facultatis nutritiuæ, aut vegetatiuæ.

Dico secundò. Si ecstasis aut raptus cõsiderentur, vt designant motum compositum ex termino à quo, & ad quem, ad modum explicatum, nequeunt reperiri sine actu intellectus, aut voluntatis. Hoc ex terminis patet, & habetur ex D. Thom. locis citatis, & ex definitione raptus, qui est, vi superioris naturę præcedente abstractione à sensibus, ad superiora eleuatio, id est, cõtemplatio. Hæc assertio est contra quosdã putantes, perfectissimam omnium contemplationum, qualis est ea, quæ raptum comitatur, esse absque omni actu tam intellectus, quàm voluntatis, & vtuntur quibusdã phrasibus pompósis, seu potius monstruosis, videlicet, tunc animam esse in centro, in imo, in profunditate animæ, vulgò vocant, *bondon del alma*. Contrà hos aliqua tetigi in primo tomo, quæst. 82. art. 3. disp. 1. quæ recolenda sunt modò. Probatur istorum placitum esse falsum: primò ex D. Thom. qui nullam agnouit cõtemplationem sine actu, tam in loco citato, quàm infra quæst. 175. art. 2. Item quia omnis contemplatio, & mẽtis eleuatio ad diuina, vel est loquutio Dei ad hominem, vel hominis ad Deũ (ita præfati contemplatiui) sed hæc nequit fieri sine actu contemplantis, vt ipsi fatentur; neque illam posse sine actu fieri, probatur: quia loquutio Dei ad hominem auscultantem fieri nequit, nisi per actum auscultationis humanæ, hæc autem quomodo fiet ab homine sine actu? Respondent isti, in illo contemplationis culmine manere animam cum quadam suspensione, expectantem Dei loquutionem, & affectam quadam dulcedine à Deo immissa, & relicta ab actibus intellectus, & voluntatis, præcedentibus istius contemplationis summum apicem. Contra quos sic arguo. Istud relictum in anima (quid quid illud sit) vel est actus primus, putà habitus, aut lumen, aut quid simile; vel est actus secundus. Primum dici non potest, aliàs cum illa possent permanere per totam vitam, & per eam possent dici contemplantes, si solam vel dimidiam horam contemplentur: non secũdum, quia non est intelligibilis actus secundus contemplationis, nisi elicitus ab intellectu, vel voluntate. Illud verò, quod additur de lætitia, & dulcedine relicta, potius pertinet ad dispositionem humorum appetitus sentientis, quàm ad contemplationem. Quod si quandoque Patres videantur dicere, perfectam contemplationem esse sine actu intellectus, aut voluntatis, interpretandi sunt de actibus operosis, & discursiuis, non de actibus simplicibus, qualis est intuitus simplex intellectus. Quod non infirmè colligitur ex alijs eorundem testimonijs, quæ non vacat referre, Dionysius verò cap. 7. de diuinis nominibus, quando ait, ignoratione acquiri intimam coniunctionem cũ Deo, &c. ignorationem appellat cognitionem, per quam potius cognoscitur quid Deus non sit, quàm quid Deus sit: ergo incunctanter asserendum est, non posse reperiri contemplationem vllam, sine actu, neque in ecstasi, neque extra ecstasim. Quod si moderni quidam, adhuc mordicus oppositum asserunt, non sunt audiendi, quia sine probatione, & cũ euersione principiorum Philosophiæ procedunt.

Maius forsan negotiũ facesserent, si absque actu intellectus, solo actu volũtatis, perfectam contemplationẽ reperiri posse cõtenderent, quæ fuit opinio D. Bonauenturæ 2. to. opusc. tractatu de mystica Theologia circa finem, quem alij sequũtur. Puto tamẽ hoc implicare contradictionẽ propter cõnexionem essentialem voluntatis, & intellectus, etenim nequit voluntas ferri nisi in obiectũ suum cognitum. Hæc est sententia communis Theologorum, à qua amplificãda supersedeo, quia ad alia propero, & quia disputatio hæc propriam sedem habet infra q. 180. interim, si vacat, lege Suarez in Methaphysica disp. 23. sectione 7.

D. Tho. *Dionys.* *Bonauent.* *Suarez.*

DISP.

DISPVTATIO XII.

An abstractio à sensibus, quæ fit in raptu, impediat cõtemplationem diuinorum, an potius adiuuet?

IT videtur impedire: quia sine sensuum cooperatione non potest esse intellectio in vita mortali, cũ nil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu: ergo alienatio à sensuum vsu, quæ in raptu reperitur, impedit, imò omninò tollit contemplationem diuinorum. Secundò. Suspensio, seu abstractio à sensibus externis, quæ fit in somno, impedit, vel deordinat discursum intellectus: imò & apprehensionem intellectus, quæ aliquando fit in somno, deordinatè facit procedere, vt experientia patet: ergo multo magis impediet, vel deordinauit actum contemplandi, ecstasis seu abstractio à sensibus, de qua loquimur: etenim fortius ac tenacius ligat sensus, ne operentur.

Pro decisione dico primò. Naturaliter fieri nequit, vt intellectus aliquid contempletur, vel speculetur sine cooperatione phantasiæ, vel sine ordine ad phantasmata. *D. Thom.* Ita diuus Thomas infra quæstion. 174. artículo 2. ad 4. & ibi Caietanus: habeturque *Caietan.* ex Dionysio, capite primo de cœlesti Hierar. *Dionys.* *Impossibile est* (inquit) *lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum*. Et Nazianzenus *Nazian.* Oratione secunda de Theologia luculenter idem adstruit dicens: *Quemadmodum nulla ratione fieri potest, vt quispiam, qualibet gressum vrgeat, vmbram suam prætereat (quantum enim eam assequeris, tantùm illa semper anteuertit) aut oculus rebus in aspectum cadentibus, citra intermediam lucem, & aerem coniungantur, aut natatilia animãtia extra vndas labantur: ità etiam impossibile est, ijs qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum, ac sensibilium rerum adminiculo, rebus ijs, quæ anima ac ratione intelliguntur, omninò coniungi. Semper enim obiter, sensibile aliquod incidit, quantumuis maximè nostra mens, à rerum aspectabilium contagione, separata, atque in se ipsam collecta, cum rebus cognatis, oculorumque aciem fugientibus, commercium habere conetur*. Ratio desumitur ex illo Aristot. 3. de Anima: *Necesse est, intelligentem phantasmata speculari*. Vnde Philosophi concludunt illud principium; intellectum hominis coniunctum, si modo sibi connaturali operetur, nõ posse operari, quin simul phantasia operetur: vel saltẽ in aliquo casu raro, sine ordine ad phantasmata, de quo statim. Quo fit, vt si phantasia sit læsa, intellectus non possit ordinatè ratiocinari, & discurrere. Consultò dixi, si intellectus modo sibi connaturali operatur, quia non implicat, intellectum in hac vita ad tale genus contẽplationis prouehi, qua contemplẽtur aliquid intelligibile, sine vllius sensus (etiam phantasiæ) cooperatione, vel ordine. Ratio à priori est: quia hæc necessitas cooperationis phantasiæ, dũ intellectus noster operatur, non est tam essentialis vel intrinseca, quin impediri possit diuina virtute, confortando intellectũ hominis ad operandum, sine vllius sensus cooperatione. Etenim illa cooperatio phãtasiæ est realiter distincta ab operatione intellectus, & non est causa per se illius, sed ad summum solet esse occasio vel excitatio quædam ex parte obiecti, & sæpe est potius quasi effectus: nam postquã intellectus iam est informatus specie abstracta à phantasmatibus, & illa vtitur, secum rapit imaginationem ad operandum. Hoc autem non est intrinseca dependẽtia, sed cõuenientia quædam naturalis potentiarum, quam Deus potest facile impedire. Quod de facto effectum est in raptu diui Pauli, & Moysi, iuxta mentem diui Thomæ putantis, eos vidisse diuinam essentiam sine cooperatione phantasiæ. *D. Tho.* Et Christus Dominus, per contemplationem ex scientia infusa, multa contemplabatur, sine conuersione ad phantasmata. Et diuus Tho. quæst. 13. de veritat. artic. 2. ad 9. ait, hanc eleuationem extra visionem Dei claram, interdum fieri per aliquas intelligibiles immissiones, ideſt, infusas: & talem putat fuisse soporem Adæ, Gene. 2. Imò credo, sine speciebus infusis, posse diuina virtute fieri, iuxta modum explicatum in probatione assertionis, rarò tamen communicatus. Quare, sine vrgente ratione, aut autoritate, non est admittendus. An verò in perfectissima contemplatione possit id fieri? dicemus in disputatione sequenti. *Genes. 2.*

Dico secundò. Naturaliter fieri potest contemplatio diuinorum, sine contemplatione externorum sensuum concomitante. Dixi, naturaliter, ideſt sine miraculo, quoad

modum operandi intellectus: nam ſi contemplatio ſit de rebus ſupernaturalibus, neceſſaria erit diuina gratia, ego verò loquor de modo operandi. Aſſertio clara eſt, quia actus ſenſuum externorũ minimè neceſſarij ſunt ad actualem mentis operationem. Quamuis enim opus ſit vt actus externorum ſenſuum præcedãt, quoniam per eos ſumuntur phantaſmata: imò & materia meditationis ſeu contemplationis per eos applicari ſolet, tamen cũ actuum ens interius colligitur, non indiget actuali cooperatione ſenſuum externorũ, vt experiẽtia conſtat, etiam in meditatione ſpeculatiua cuiuſque ſcientiæ, vel practica conſideratione artis, aut prudentiæ. Et ratio eſt: quia ſenſus externi pendent ab actuali immutatione obiectorum externorum: mens verò ne quaquam ab illa pendet. Et ideò Ariſtoteles non dixit, intellectum, cum intelligit, conuerti ad ſenſus, vel ſenſibilia externa, ſed ad phantaſmata: non eſt ergo in noſtris actibus mentalibus, tanta dependentia à ſenſibus externis, vt experiẽtia docet. Præterea addo: Operationes externorum ſenſuum, non ſolum per ſe neceſſariæ nõ ſunt actualiter, ad mentis conſiderationem; verùm carentia earum, expeditiorem reddit animam ad mentis operationes, & è conuerſo interna mentis conſideratio abſtrahit animam ab his actionibus externis. Vtrũque conſtat experientia, & conſilio ſapientum, ac ratione: quia vis animæ noſtræ limitata, facile per ſenſus diſtrahitur, & quaſi effluit. Vt ergo ad vnam mentis conſiderationem colligatur, egregium conſilium eſt, claudere ſenſuum feneſtras, & interius tantùm meditari. Et ſimiliter è contrario, cum interius anima nimium ad aliquid intenta eſt, ſolet ita exteriores ſenſus relinquere, vt præſentia non videat, neque audiat: quod ex Ariſt. refert Gerſon tractatu de monte contemplationis, cap. 31. vbi alia exempla de hoc refert alphabet. 74. litera. Q. Hinc Dionyſius in myſtica Theologia, monet relinquere ſenſus, & ſenſibilia omnia, vt contemplemur Deum. & Gregor. lib. 5. Moral. cap. 22. Plenæ ſunt paginæ Magiſtrorum vitæ ſpiritualis, qui de hac re multa egregiè, & deuotè ſcripſêre.

Ariſtot. *Gerſon.* *Dionyſ.*

Ad ſecundum poſitum in principio diſputationis, reſpondetur concedendo conſequentiam, ſi abſtractio à ſenſibus fiat à cauſa naturali, putà ægritudine: at verò ſi fiat vi ſuperioris naturæ, quæ potens eſt eleuare mentem, & ob eum finem vtitur abſtractione à ſenſibus, negatur conſequentia: quia defectus qui prouenit contemplationi ex ſenſuum ligamine quantum ad diſcurſum, & iudicium, vt vidimus ſupra, diſput. 4. huius articuli in ſolutione ad ſecundum, totus ſuppletur ex vi ſuperioris naturæ (quæ Deus eſt in ecſtaſibus diuinis) conformantis voluntatem, & intellectum, vt præter naturam ſuam ferantur, & eleuentur ad diuina, vt habetur ex definitione raptus ſupra poſita.

DISPVTATIO XIII.

De cauſa efficiente ecſtaſim, ſeu raptum.

RES eſſe cauſas efficientes ecſtaſes, ſeu raptus, vel exceſſus mẽtis (pro eodem enim frequenter accipiũtur hæc nomina in Scriptura) teſtatur D. Thom. & eius interpres Caietanus infra quæſt. 175. art. 1. & 2. tres cauſæ ſunt extrinſecæ, & quarta intrinſeca. Prima eſt corporalis, putà ægritudo, quæ inducit alienationem à ſenſibus, vt phrẽneſis quædam, & furor ingens: aut verò mania, quæ genus eſt ægritudinis, mentem ab vſu ſenſuum alienans, ſine febri. Hoc morbo laboraſſe Socratem, dicitur ab Ariſtotele in Problemate magno de viris excellentibus, cui ſæpe accidit immobilem permanſiſſe ſine ſenſuum vſu per diem, & noctem: quamuis aliqui hunc Socratis raptum, ad quartam cauſam aſsignandam referant. Sed huic raptui effecto ab iſta cauſa corporali, non conuenit definitio data de raptu, qui non eſt eleuatio ad ſuperiora, ſed potius depreſsio ad ima. Altera cauſa etiam extrinſeca eſt dæmon, qui citra dubium, raptum efficere poteſt, obturando ſcilicet vias ſpirituum animalium, aut verò eos in cerebro detinendo, ne ad organa ſenſuum deſcendant. Huiuſmodi raptus in arreptitijs inuenitur, & in alijs ecſtaticis à dæmone poſſeſsis. Tertia cauſa extrinſeca, Deus eſt, per ſe ipſum, vel per Angelos probos, qui interdum alienat hominem à ſenſibus, vt liberius diuina cõtempletur; & ſæpe reperitur in ſanctis viris præcipuè in Prophetis. De quo raptu intelligitur illud Ezech. 8. *Eleuauit me inter cœlum, & terram, & adduxit me in Ieruſalem, in viſione Dei.* Quarta cauſa intrinſeca menti eſt vehemẽtia

D. Tho. Caietan. *Ezech. 8.*

tia amoris,& intentionis animæ erga diuina:quæ ſic interdum mentem afficit,vt ſenſus externos quodammodo relinquat, ita vt nihil percipere valeat; dum illa mentis eleuatio durat.Hoc autem non facit quilibet amor,aut cognitio, ſed valdè perfecta, vt tetigit D.Bonauent.in opuſc.de ſeptem itiner.æternit.& Bern.lib. de præcept. & diſpenſ. Tres cauſas extrinſecas poſſe ecſtaſim cauſare,& quomodo;res clara eſt ex dictis ſuperius de poteſtate dæmonum, & bonorum Angelorum, nedum Dei omnipotentis.De quarta eſt

Bonauent. Bernard.

DISPVTATIO XIIII.

An mentis contemplatio, ſeu ingens amor, vi & efficacia ſua, poſſit efficere tantam ſenſuum ſuſpenſionem, qualis reperitur in raptu?

DIximus vi,& efficacia ſua,id eſt, naturali quadam efficacia, ſine auxilio gratiæ ſe tenente ex parte modi operandi.

Et videtur vera pars negatiua. Primò. Quia ſequeretur,ſecluſo ordine gratię poſſe hominem per vires naturales ſui ingenij in ecſtaſim rapi, per altiſsimam ſpeculationem. Conſequens eſt contra experientiam:videmus namque homines ſpeculantes, quantumcumque conentur ſpeculari, non pati ecſtaſim. Secundò. Nulla poteſt reperiri perfectior,aut intenſior cõtemplatio, tam quoad vim affectiuam, quã quoad intellectiuam; quàm viſio beatifica communicata corpori mortali, quando actu informat corpus: ſed ex illa non ſequitur abſtractio à ſenſuum vſu, vt patet, quia animæ Beatorum poſt reſurrectionem vnitæ corporibus, fruentes viſione beata, non habebunt abſtractionem à ſenſuum vſu. Item, quia Chriſtus Dominus habuit eam viſionem quandiù vixit in corpore mortali,ſine abſtractione à ſenſibus: ergo ex vehementia contemplationis, non oritur naturaliter abſtractio à ſenſibus. Tertiò. Sæpè continget maiorem , & vehementiorem contemplationem, tam quoad cognitionẽ, quàm quoad effectum , reperiri in quibuſdam ſanctis viris, qui ecſtaſim non patiuntur;quàm in alijs, qui eam frequenter habent : nam ſanctiſsimi viri reperti ſunt, vt Auguſtinus , de quo non legimus raptum fuiſſe:ſed illorum perfecta cõtemplatio non fuit cauſa ecſtaſum : ergo neque iſtorum minor,& imperfectior.Ergo,& cõſequenter, vehementia contemplationis non cauſat ecſtaſim , ſed Dei virtus ſuperaddita , & à Deo liberaliter conceſſa. Confirmatur ex definitione raptus tradita , ſcilicet : ab eo quod eſt ſecundum naturam , ad id quod eſt contra naturam , vi ſuperioris naturæ , eleuatio . Perpende ſingula,& videbis,non eſſe naturale abſtrahi à ſenſibus, vi & efficacia contemplationis . Et illud, vi ſuperioris naturæ, quod denotat , ſemper raptum fieri vi, & efficacia alicuius extrinſecæ naturæ ſuperioris,vt Dei,aut Angeli: quod non obſcurè ait D.Thom.in 1.art.quæſt.175. *D.Thom.*

Quartò. Contemplationis raptum , ferè ſemper ſolet comitari quædam corporis agilitas,ſeu leuitas,ſic adeò vt patientes raptum, cernantur eleuati in altitudinem cubiti, & aliquando excelſius; quidam per aëra vſque ad domus faſtigium; quidam ſic leues,& quaſi grauitate carentes,vt leuiculo impulſu,hac, illacq;,ac ſi eſſent plumei, circunferantur : at hæc leuitas, ſeu agilitas, nequaquam tribui poteſt vehementiæ cõtemplationis:ergo neque abſtractio à ſenſibus,cùm non ſit maior ratio de vno effectu, quàm de alio. Maior experientia nota eſt:& probatur minor : quia non eſt intelligibile,quomodo actus intellectus,vel voluntatis,auferant, vel minuãt grauitatẽ corporis humani:nec etiã abſtractioà ſenſibus valebit id efficere, quin potiùs,quãto corpus magis à ſenſibus abſtrahitur,tanto plus graueſcit, vt patet in arreptitijs, & corporibus mortuis:non ergo à contemplatione, neque ab abſtractione ſenſuum , agilitas perfecta emanare,veroſimile eſt, ſed à dono Dei ſupernaturali: ac proinde illa quarta cauſa raptus, fictitia eſt, vel non naturaliter illum cauſat.Quintò: quia ſi vis contemplationis,poſsit naturaliter ſuſpendere ſenſus externos, ac ligare; eadem ratione, ſi augeatur intenſio , & attentio contemplationis , poſſet etiam ſuſpendere ſenſus internos,ita vt homo,durante illa contemplatione,nec ſentire,neque phantaſiari valeret: quod non poſſe naturaliter fieri, videtur colligi ex dictis in præcedenti diſputatione. Probatur ſequela: quia ſi poteſt contemplatio ita ligare ſenſus externos, ideò eſt,quia veluti abſorbet vires animæ;

vt non posit simul externa sentire: ergo eadem ratione tãtùm potest crescere actualis attentio, & affectio, vt sensus etiam externos non sinat operari. Cõfirmatur: nam eadem ratione probaretur, posse impedire vires animæ vegetatiuæ, & sic reddere hominem immortalem, si perpetuò in ea contẽplatione permaneret: posset autem permanere; quia si corpus non operatur, non est vnde fatigetur.

D. Dionys. In oppositum est D. Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus, dicens: *Amor diuinus ecstasim facit*: nimirum vi, & efficacia sua.

Pro decisione præmittendum, nostram disputationem non procedere de ecstasi, seu raptu, pro quacunque cessatione à sensuum vsu: hæc enim ex somno, nedum ex perfecta contemplatione, oriri solet. Sed sermo est de ecstasi propriè, vt est abstractio à sensibus, sic tenax, vt sensus absorbeat, & liget, ne à suis obiectis excitentur. Hic enim propriè raptus est, de quo disputamus. Secundò notandum, contemplationem, ad quam raptus sequitur, quandam esse supernaturalem, indigentem auxilio Dei supernaturali, & speciali, vt ea, quæ consistit in actibus fidei, & charitatis, & huiusmodi: alteram esse, quæ sine auxilio gratiæ fit, qualis dicitur fuisse in Philosophis Gentilibus. His præmissis

Dico primò. Non censeo rem improbabilem, asserere nullam contemplationem esse, quæ vi sua, & efficacia efficiat raptum, sine vi, & efficacia speciali alicuius superioris causæ, putà Dei, vel Angeli, siue boni, siue mali. Hæc assertio videtur probari ex argumentis factis in disputationis initio pro parte negatiua.

Dico secundò. Quamuis contemplatio, ad quam sequitur raptus, quandoque consletur ex actibus supernaturalibus, id est, qui non possunt haberi sine auxilio Dei speciali, & supernaturali: tamen sine nouo Dei auxilio, ipsamet contemplatio, si perfectissima sit, valet causare raptum, id est, alienationem à sensibus externis. Hæc assertio videtur esse expressa sententia D. *D. Thom.* Thomæ infra, quæst. 175. art. 2. vbi hanc vim faciendi raptum tribuit vehementiæ affectus. Et in solutione ad 2. addit, vehementiam affectuum causare ecstasim, quatenus causat excessum cognitionis, quomẽs ad intelligibilia rapitur alienata à sensibus. *Caietan. Abulens.* Hæc etiam est sententia Caietani in eodem loco, & Abulensis Genes. 13. quæst. 400. &

A paradox. 3. q. 46. & aliorum circa primam partem D. Thomæ, quæst. 12. art. 11. Et *D. Thom.* probatur primò experientia, quæ est tam frequens, vt ostendat id accidere, & sine miraculis, quæ non sunt multiplicanda sine necessitate. Probatur ratione desumpta ex doctrina D. Thomæ, imò ferè ex eius formalibus verbis, quæst. 13. de verit. art. 3. ait sic. Commune est intellectui, & alijs animæ potentijs, quòd quando vna potentia in suo actu intenditur, alia vel debilitatur in suo actu, vel ex toto abstrahitur. Ratio est, quia ad actum cuiuslibet cognoscitiuæ potentiæ requiritur intentio, vt pro-
B bat Augustinus in libris de Trinitate. Intentiò autem vnius non potest ferri ad multa *August. de Trinit. lib. 10. c. 4. & 6.* simul, nisi fortè sint ad inuicem ordinata, vt accipiantur quasi vnum. Vnde, cum sit vna anima, in qua omnes potentiæ cognoscitiuæ fundantur; vnius, & eiusdem intentio requiritur, ad omnium potentiarum cognoscitiuarum actus. Et ideò cum totaliter anima intendit ad actum vnius potentiæ, abstrahitur homo ab actu alterius potentiæ. Hæc Diuus Thomas: qui licèt loquatur specialiter de abstractione per visionem diuinæ essentiæ: doctrina tamen
C vniuersaliter procedit. Et formatur ratio pro assertione in hunc modum. Virtus animæ est finita: ergo absorta vehementer in superioribus, non potest simul ad exteriora, & externa descendere. Explicatur hoc: quia si anima totam suam vim, & attentionem colligat ad suum actum; tunc tota virtus naturalis ita occupabitur, vt sensibus externis non attendat, nec spiritus ad sentiendum illis necessarios subministret. Imò neque necesse est totam attentionem in suo actu applicare: sed sat est vehementissimam, quæ sufficiat prohibere sensuum vsum.

D Tertiò dico. Hoc genus ecstasis sequi potest ex vi naturalis contẽplationis, etiãsi fiat per solam speculationem sine affectu. Ita Caietanus in loco citato, & sauet Diuus *Caietan.* Thomas in quæst. 175. art. 1. & 2. & idem *D. Thom.* docet Marsil. Ficinus lib. 13. de immortal. animæ, cap. 14. Et videtur colligi ex hi- *Marsil.* storia de Restituto, de quo refert August. 14. de ciuit. c. 24. quòd ad nutum suum rapiebatur. Quamuis enim (vt Augustinus ait) non omninò priuabatur sensatione externa: tamen vix aliquid sentiebat. Item de Trismegistro, Socrate, & Platone dicitur, in contemplatione diuinorum, solitos fuisse illo modo suspendi. Et alia refert

Ger-

Gerſon. Gerſon in opuſc.de monte contemplationis,cap.31.alphabet.74.lit. Q. Hæ autem ecſtaſes, vt potè Gentilium, non videntur tribuendæ diuinæ gratiæ gratis datæ, quæ rarò infidelibus(ſicut Prophetia)& in vtilitatem Eccleſiæ dantur: non verò apparet quæ vtilitas Eccleſiæ Dei proueniat ex ecſtaſibus Socratis, & Platonis. Nec adſcribendæ videntur dæmonibus; qui licèt poſſint hoc modo ſenſus ligare, vel obturando vias ſpirituum animalium, vel omnes illos in phantaſia,aut cerebro retinendo: tamen vbi non apparent ſigna, vel effectus operationis dæmonis, no oportet illi talem effectum appropriare. Cordatius fortè viris in ſpeculatione exercitatis, vehementi cõſiderationi tales ecſtaſes tribuemus. Hinc patet ad primum in principio diſputationis.

Dico quartò. Tam vehemens poteſt eſſe contemplatio diuinorum (etiam citrà viſionem beatam)vt ſuapte natura, & efficacia impediat, & liget imaginationem, ſeu phantaſiam, ne aliquid operetur. Hæc videtur eſſe mens D.Thom.infra quæſt.175.

D.Thom. art.3.ad 1. vbi ait, mentem humanam tripliciter eleuari ad contemplanda diuina. Primò,per ſpecies imaginarias,vt in Petro Actor.10.Secundò,per intelligibiles effectus, vt in Dauid, cùm dixit Pſalm. 111.

Pſal.111. *Ego dixi in exceſſu meo omnis homo mẽdax.* Tertiò: per claram viſionem eſſentiæ diuinæ,vt in Paulo,& Moyſe.Significat ergo in primo modo fieri ecſtaſim à ſenſibus externis tantùm:in ſecundo, etiam ab internis,quia per pura intelligibilia fit:de tertio

D.Thom. modo non diſputamus.Et quæſt.13.de verit.ar.3.ad.10.ait,tantam eſſe poſſe in actu ſpeculationis vehementiam, vt omninò à

Abulen. ſenſibili operatione abſtrahatur.Et Abulẽ. Gen.13.quæſt.400.& paradoxa 3.cap. 46. expreſsè noſtram aſſertionem tenet. Et probatur eadem ratione, qua ſecunda, & tertia aſſertio præcedẽtes probatæ ſunt. Et confirmatur ex D.Tho.q.13.de verit.art.4

D.Thom. in corpore,dicente, eam abſtractionẽ à ſenſibus per vehementiſsimam contemplationem effici,quæ fit ab his, quæ vehementiã intellectiui actus, nata ſunt impedire: hæc autem ſunt, omnes ſenſitiuæ operationes, vt idem autor ait,nullam excipiens, niſi operationes vegetatiuæ potentiæ: ergo,&c. Hoc experientia vix poterit colligi, nedũ probari,niſi ipſe patiens ecſtaſim,nobis indicet.Imò neque ipſe poterit facilè agnoſcere, tùm, quia etiam modo in vigilia, pro-

A pter concomitantiam phantaſiæ, & intellectus,difficilè ſeparamus eorum operationes, quæ ſunt veluti indiuidui comites: tũ, quia ſunt aliquæ ecſtaſes,præcipuè ex ægritudine, aut dæmone, quæ omni ſenſuum operatione priuant.Notandum tamen,raro ab operatione phantaſiæ, vehementem contemplationem facere abſtractionem, ſed requiritur vehementiſsima; qualem credo repertam fuiſſe in Dauide,Pſalm. 111. & in Prophetis, qui ſola intellectuali prophetia pollebant.Quod dixi de abſtractione ab operatione phantaſiæ,dico de abſtractione ab operatione appetitus ſenſitiui,

B docente Diuo Thoma infra quæſt.175.art. 2. ad ſecundum, per contemplationem Dei,cauſari ecſtaſim ſecundum appetitum.

Contra hanc aſſertionem tenet Suarez *Suarez.* in 2.tom.de Religione lib.2.c.17.& conatur probare ſuam ſententiam, primò ratione:quia vehemens contemplatio non cauſat ecſtaſim ab operatione illius potentiæ, quæ non impedit,imò potius iuuat intellectum in ſua operatione: ſed huiuſmodi eſt phantaſia:ergo. Probatur minor. Quia ſi intellectus operatur per ſpecies acquiſitas, & modo illis connaturali, ſaltem quantum ad apprehenſionẽ; neceſſe eſt, vt apprehen

C dat,vel materialia, vel res ſpirituales cum aliqua proportione, aut habitudine ad res materiales. Etenim cum illæ ſpecies à phantaſmatibus acceptæ ſint; non poſſunt aliter repræſentare:ergo ex natura rei, talis contemplatio intellectus,potiùs excitabit operationem phantaſiæ,quàm impediet.Con-

D.Thom. Caietan. firmatur ex D.Thom.infra quæſt.174. art. 2.in ſolut. ad quartum,circa quam ait Caietanus in reſponſione ad quartum: *Manifeſtè habes, quòd quantumcunque ſit excellens intellectualis viſio prophetica, abſque imaginaria viſione; nunquam tamen eſt ſine phantaſmatum miniſterio: quoniam diuina ſapientia diſponit omnia ſuauiter; &*

D *naturale eſt homini, abſque phantaſmate non intelligere.* Quod aſſerit Suarez de phantaſia, etiam aſſerit de appetitu ſenſitiuo: & ſicut per contemplationem non fit abſtractio ab operatione phantaſiæ; ita,inquit, neque per voluntatis amorem, ab operatione appetitus ſenſitiui, quæ non impedit, ſed potiùs iuuat operationem voluntatis. Ad hæc argumenta continuò reſpondendum eſt.

Ad primum,negatur minor, vel claritatis gratia,diſtinguitur maior. Dupliciter enim poteſt intelligi, vnam potentiam alterius

alterius operationem impedire: vno modo, apponendo illi obstaculum, vt si admoueas visui corpus opacum: & isto modo phantasiæ operatio minimè impedit operationem intellectus, sed potius illi ministrat, si operatio intellectus non sit vehemens. Altero modo, vna potentiæ operatio, alterius potentiæ operationem impediet, quia virtus potentiæ superioris, suo potentissimo actu exhaurit, vel quasi exhaurit virtutem finitam animæ: & tunc si inferior potentia actum haberet, impediret certè, ne superior in vehementissimum actum prodiret. Et ideò, illo posito necesse erit, vt inferior potentia (qualis est phãtasia respectu intellectus) à sua operatione cesset; quia virtus animæ tota, vel quasi tota, in operatione intellectus occupatur: vnde necesse est, vt ad phantasiam non deriuetur. Quare ad argumentum, concessa maiori ad modum explicatum, negatur minor: ad probationem, negatur consequentia. Quod vt planè intelligas, aduerte, nostram disputationem non procedere, quando fit per species infusas, & lumine infuso, qualis fuit in visione Diui Pauli, & Moysi de diuina essentia: hæc enim ex natura rei (vt infra dicemus) induxit abstractionem à sensibus externis, & internis: sed nostra disputatio procedit de contemplatione vehementissima, quæ fit in hac mortali vita cõmuniter, per species acquisitas, & naturali virtute intelligendi, sine noua virtute infusa. Et hanc abstrahere à phantasiæ ministerio, dupliciter potest intelligi: vno modo, sine vllo phantasmatum vsu; & sic puto, ex natura rei, secluso supernaturali auxilio, neutiquam fieri posse per quemcunq; actũ intellectus, quantũuis vehementissima sit, quia intellectum coniunctum, necesse est phantasmata speculari: secũdo modo, ita quod sit necessaria operatio actualis phantasiæ quotiescũque, & in eodem instanti, quo intellectus intelligit. Et hoc puto non esse necessariũ, imò operationem vehementissimam intellectus ab hac ex natura sua abstrahere, nec sinere phantasiam actu operari, quia virtus animæ à vehementissimo actu absorbetur, ne communicetur alijs potentijs sensitiuis. Hanc existimo esse mentem D. Th. in locis citatis: fateorq; multo vehementiorẽ operationem requiri ad abstractionem à phantasiæ operatione, quàm à sensuum exteriorum operatione, imò vehementissimam (rarò autẽ inuenitur) quæ abstrahat à phantasiæ operatione, propter maiorem colligantiam cum intellectu, quàm eam, quę est inter sensus exteriores, & intellectum. Diuus autem Thomas, & Caietanus citati à præfato Suarez, tantùm inquiunt, nõ posse intellectum in hac vita intelligere, nisi per conuersionem ad phantasmata: non verò sine apprehensione phantasiæ, simul existente cum omni operatione intellectus. Nam phantasmatibus iam semel repositis in thesauro phantasiæ (quæ repositio fit per operationem phantasiæ) non est necesse vt phantasia operetur, formando de nouo idola, seu phantasmata: sed sat est, vt præhabita conseruet, ad quæ intellectus agens se conuertat, ea illuminando. Et hoc est intellectum phantasmata speculari.

Dico quintò. Quantumuis sit vehementissima contemplatio, non valet sua vi, & efficacia suspendere operationes potentiæ vegetatiuæ. Ita Diuus Thomas infra quæstione 175. articulo quinto ad tertium. & ibidem Caietanus, & quæstione 13. de veritate, articulo quarto. Ratio pro hac assertione desumitur ex Diuo Thoma locis citatis, quam sic ampliat Caietanus, dicens: *Differentiam inter vires sensitiuas, & vegetatiuas hanc esse, quod sensitiuæ ex intentione animæ: vegetatiuæ autem per modum naturæ, id est, mediantibus primis qualitatibus, & earum alterationibus, quæ non subduntur animæ intentioni, operantur. Et propterea oportet, intentionem vehementem animæ, abstrahere à sensitiuis, & non à vegetatiuis: quod vt Doctor in quæstione 13. de veritate, copiosius declarat, intelligitur per se: quoniam per accidens, pars intellectiua impedit vegetatiuam, & è conuerso. Experimur enim actus vegetatiuæ, & digerendo, & calefaciendo, & fumando, &c. prodesse, & obesse virtutibus ministrantibus intellectui: sic adeò, vt quidam penitus priuentur intellectu, vt fatui, & ebrij; quidam clarum videantur sortiri intellectum, ex claritate spirituum generatorum à vegetabili. Et è contra experimur, quòd exercitatio intellectus nocet parti vegetatiuæ quandoque, vt immediatè post cibum, quia calor, & spiritus debentes seruire vegetatiuæ parti, trahuntur ad ministrandum cogitatiuæ, memoratiuæ, & huiusmodi ministrantibus intellectui. Quandoque etiam confert exercitatio intellectus vegetatiuæ, pro quanto ponit in exercitio, & labore virtutes sibi ministrantes. Labor enim, & exer-*

D.Thom. Caietan.

& exercitium partium corporalium, si moderatè, & tempore congruo fiant, ad digestionem conferunt. Hæc Caietanus. Ex quibus bene penetratis dissolues argumenta Abulensis, qui in locis citatis sentit oppositum nostræ assertionis; dicens vehementissimam contemplationem posse vi sua, suspendere operationes partis vegetatiuæ. Quod probat, quia valida contemplatio, valde debilitat calorem naturalem ad digestionem, & omnes operationes vegetatiuæ partis. Ergo vehementissima, totaliter suspendet eiusdem vegetatiuæ operationes. Respondetur tamen, negando antecedens per se loquendo: per accidens verò, vt declarauimus ex Caietano, bene potest concedi: sed hoc nihil contra nos. Et eadē ratione probares, vehementissimam contemplationem posse priuare vita; quod per se falsum est: per accidens verò, non impossibile reputamus, præcipuè si quis per longum tempus, in vehementissima contemplatione conaretur permanere. Ex eadem etiam doctrina, & ex dictis contra Suarez respondetur ad quintum argumentum positum in principio disputationis, & ad eius confirmationem.

Circa secundum verò tangitur controuersia ingens, an visio diuinæ essentiæ in hac vita (qualem existimant fuisse in Paulo, & Moyse, D. Augustinus sæpè, & D. Thomas) ecstasim, & à sensibus suspensionem intulerit sua natura, & efficacia? Doctor Angelicus affirmat 1.p.q.12.art.11. & 2.2.q.175.art.4. & 3.contra Gent. cap.47. sequitur Abulens. lib.2. Paralipom. cap.1. quæst.18. & videtur esse D. Augustin. epist. 112 cap.12. & lib.12. de Genes. ad lite. cap. 27. & 28. 35. & 36. Alij oppositum sentiunt: à quibus impugnandis supersedeo, remittens disputationem discipulis D. Thom. in 1.p. loco citato, vbi solet communiter tractari. Modò verò ad argumentum factum respondeo negando minorem. Et ad obiectionem de animabus in corpore glorioso post resurrectionem corporum, respondet D. Thom. vbi supra, visionem beatam post resurrectionem non impedire sensuū vsum, quia à gloria, & eius lumine perfecto, & per modum habitus possesso, fiet redundantia ad omnes animæ vires, vsque ad corpus. Vnde secundum regulam diuinæ visionis, anima intendet phantasmatibus, & sensibus. Quæ redundantia non reperitur in visione diuinæ essentiæ cursim, & in raptu, qualis fuit Diui Pauli. Hæc sermè D. Thom. Sed quid hoc ad naturam visionis, de qua quærimus? Ego sic intelligo, D. Thomam, vt ex redundantia glorię permanentis in corpus, vires sensitiuæ eius confortentur, & suppleatur defectus animæ, quæ totaliter absorta circa visionem diuinæ essentiæ, sola attenta sua virtute, non valeret attendere intentioni animæ, erga sensuum operationem, quæ necessaria est ad sensuum vsum. Hinc etiam patet ad obiectionem de visione diuinæ essentiæ, quā habuit Christus Dominus, degens in vita mortali: quia cum videret eam, vt plenè beatus, & per lumen habituale, secundum istam rationem comprehensor erat, & habebat vt sic proprietates beatorum: atque adeo redundantiam gloriæ in vires sensitiuas. Vel dicito, eum miraculosè non passum fuisse ecstasim, sicut neque redundantiam gloriæ in corpus passibile.

Ad tertium respondetur: fortasse perfectiorem sanctitatem non expendi ex intensione contemplationis, neque quantum ad speculationem, neque quantum ad affectum, sed ex amore supernaturali appretiatiuo: de quo fortè dixit Dionysius facere ecstasim, vt iam iam explicabimus. Aut verò ex multiplicatis actibus charitatis, magis quàm ex intensione paucorum actuū. Secundò respondetur, & melius, ecstasim tripliciter imaginari in sanctis viris: vno modo, Deo rapiente mentem hominis ad superiora, sine actu præuio hominis. Et hęc ecstasis proprie pertinet ad gratiam gratis datam, & connumeratur Prophetiæ: atque adeò non datur sanctioribus, sed interdum imperfectioribus: imò non repugnat dari iniustis, sicut de dono Prophetiæ dicitur. Secundo modo, viri probi patiuntur ecstasim causatam à sola vehementi contemplatione, sine aliquo dono gratiæ, præter eam, quæ necessaria est, vt contemplatio, si est de actibus supernaturalibus, fiat. Et hanc existimo rarò, aut vix reperiri, quia rarò, aut vix homo potest applicare totum suū conatum ad contemplanda diuina. Quapropter, debile argumentum sumitur maioris, aut minoris sanctitatis, in hanc ecstasim patientibus, quia vix reperitur. Tertio modo potest contingere ecstasis, homine se applicante ad contemplationem diuinorum, & Deo per suum donum rapiente eius mentem ad contemplanda diuina, & abstrahente ab vsu sensuum, vt liberius diuinis vacet. Et hanc ecstasim puto esse eam, quam experimur adesse viris contemplantibus

D. Thom. Augusti. *Abulens.*

tibus,& amantibus Deum:quam Deus cõcedit interdum imperfectioribus, & negat perfectioribus, fortaſsè vt vacent operibus vitæ actiuæ: verbi gratia, Auguſtino propter Epiſcopatus gubernationem, vel propter alios fines ſuæ prouidentiæ nobis ignotos. Hinc patet ſolutio argumenti. Et ad confirmationem reſpondetur,illam definitionem datam eſſe,pro raptu,qui eſt gratia gratis data, vel habet aliquid de illo dono admixtum: non de raptu cauſato ex ſola contemplatione,quia hic rarus eſt, aut vix reperitur.

Quarto argumento conuincor, illam agilitatem, aut leuitatem, quæ communiter in raptibus inuenitur, non habere intrinſecam connexionem cum raptu cauſato ex vehementia contemplationis, neque cum raptu cauſato ab alia cauſa extrinſeca, etiam ſi diuina ſit: exiſtimo tamen, quòd cũ illa contemplatio ecſtatica diuinorum,aſſimiletur,& quaſi inchoatio ſit eius, quæ futura eſt in beatitudine animarum, Deus vt id doceat,hoc ſpeciale donum concedit raptis ex eius munere:quod donum eſt quædam imperfecta participatio dotis agilitatis, quam corpora glorioſa obtinebunt. Et idem iudico de alijs excellentijs, ſi quæ donatæ fuerint patientibus ecſtaſim. Ad quintum iam reſponſum eſt.

Ad argumentum factum in oppoſitum in initio quæſtionis, pro parte affirmatiua ex Dionyſio,quatenus videtur probare omnem amorem diuinum cauſare ecſtaſim;

D.Thom. reſpondetur cum Diuo Thoma, illud Diui Dionyſij dictum celebre dupliciter intelligi: primo modo, de ecſtaſi per ſolam intentionem; & hoc modo non excludit actualem cognitionem, & vſum ſenſibiliũ rerum, ſed eleuat intentionẽ: vt ſcilicèt, cũ quis exterioribus rebus, & ſenſibus vtitur, tota ſua intentione diuinis rebus inſpicien dis,& diligendis vacet,id eſt,vt his ſenſibilibus ſolùm propter Deum vtatur. Et ſic (inquit) in ecſtaſi eſt quilibet diuinorum contemplator: imò, & quiuis ex operibus ſuis, dirigens totam ſuam intentionem ad diuina: iuxta illud quod de ſanctis Confeſſoribus canit Eccleſia: *In hac peregrinatione ſolo corpore conſtitutus,cogitatione,& auiditate in illa æterna patria conuerſatus eſt.* Sed hæc ecſtaſis lata, & metaphorica eſt. Quare idem Doctor Angelicus, Diui Dionyſij dictum de ecſtaſi,qua quis actu, ab vſu ſenſuum,& ſenſibilium abſtrahitur, interpretatur; & præcipuè de ecſtaſi per vehementem contemplationem cauſata, verum habet.

DISPVTATIO XV.

An licita ſit diuinatio ex raptu habita?

HVius diſputationis elucidandæ cauſa,tot de raptu ſpeculati ſumus: quæ ſub alijs verbis, à me tractabitur, videlicet: An ſit adhibenda fides ſpeculationibus ecſtaticorum, quas habent dum raptum patiuntur?

Pro cuius deciſione præmittendum eſt, ſpeculata,ſeu contemplata in raptu, interdum eſſe ſimplices intuitus diuinorũ: v.g. miſericordiæ, omnipotentiæ Dei, vel aliquorum attributorum eiuſdem: interdum verò,enuntiata ſignificabilia per propoſitiones,vel ſyllogiſmos. Secundò aduertendum,hæc enuntiata interdum pertinere ad fidem, vel ſcientiam; interdum ad neutrum.

Dico primò. Si enuntiata in raptu, ſint aliàs pertinentia ad fidem,vel ſcientiam,eis fides adhibenda eſt vndecumque prouenerit raptus, etiam ſi à cacodæmone promanauerit. Aſſertio clara eſt: etenim veritates pertinentes ad fidem, vel ſcientiam; dependent à principijs infallibilibus: ſed ex hoc quod enuntientur à dæmone non vitiatur eorum infallibilitas: ergo eis fides adhibenda eſt,etiam ſi raptus à vitioſo principio ortum habuerit.

Secundò dico. Iuxta diuerſitatem cauſarum abſtractionis à ſenſibus, iudicandum eſt de fide adhibenda, vel non adhibenda, ijs quæ præcipiuntur in raptu: nam ſi cauſa eſt naturalis, putà ægritudo, vt in furioſis, maniacis, epilepticis, & phræneticis; ſuis ſpeculationibus nequaquam fidendum eſt: quia huiuſcemodi ægritudines enormiter phantaſiam lædunt, & phantaſmata turbãt, ac proinde omnes iſtorum intellectiones incompoſitè, & deordinatè fiunt, quibus credere fatuitas eſſet. Quas ægritudines commemorant Medici, Galenus lib. 13. Terape,& lib.4. de locis affect. Aetius,& Aegineta. Et fortaſsè iſtæ ecſtaſes ſuam cauſam indicant,vt maniaca abſtractio à ſenſibus,ipſam maniam,quæ(teſte Aetio) inſaniæ genus eſt ſine febri, ex ſanguine non putrido proueniens,in caput irruente. Sed hæc Medicis relinquo.

Si

Si verò causa ecstasis dæmon est, minimè est adhibenda fides ijs, quæ phantasiæ, vel intellectui talium ecstaticorum occurrunt. Probatur: quia dæmon mendax est, & pater eius: ergo ei non est credendum; maximè, quia in omnibus suis dictis, & factis, nos decipere intendit. Item, quia licet non possit agere erga intellectum speculantem: potest tamen apponere phantasmata, quibus attendens intellectus, falsa concipiat. Probatur: quia talis credulitas pertinet ad societatem dæmoniacam tacitam, aut expressam; vt Diuus Thomas notauit in hoc artic. 6. siue dæmon verum, vel falsum dicat. Huius ecstasis dæmoniacæ exempla sunt in Sacerdotissis oraculi Delphici, & aliorum fanorum Gentilicorum, quæ velut mortuæ effectæ diuinabant: item in Sagis, & Magis, qui cum vno in loco iacent quasi mortui, in alio loco se iactant multa vidisse, vt sæpè experientia compertum est. Quod si causa ecstasum diuina fuerit, magnam visionibus, & conceptionibus in ecstasi causatis, fidem esse adhibendam, certo certius est; cùm lumen naturale, & supernaturale dictet, Deo loquenti, aut quouis modo reuelanti, credendum esse sine vlla hæsitatione. Sic sæpè per ecstasim fiebant reuelationes Prophetis, sicut Ezech. 1. *Facta est super eum manus Domini*: & 8. *Eleuauit me in visione Dei.* *Eze. 1. & 8.* *D. Thom.* Ita D. Thom. infra, quæst. 173. art. 3. & idē quæst. 175. art. 3. ad primum, ait, mentem humanam tripliciter à Deo eleuari, nimirum per ecstasim. Primò, per species imaginarias, vt contigit Petro, Act. 10. & idem ait Aug. lib. 8. de Gen. ad lite. c. 2. de reuelationibus factis Diuo Ioanni in Apocalypsi, & Isaiæ cap. 6. quas repræsentationes imaginarias, factas fuisse docet. Secundò, per intelligibiles effectus, vt in Dauid, cùm dixit Psal. 111. *Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax.* Tertiò, per claram visionem, &c. Idem videre licet in Daniele c. 2. & 4. & Augustin. lib. 1. quæst. in Gen. q. 80. dicit in ecstasi solere fieri magnas reuelationes: & huiusmodi putat fuisse soporem Adæ, de quo ait Glossa ibidem: *Ille sopor ecstasis fuit menti Adæ immissus, & mens eius particeps Angelicæ essentiæ, vt intrans in sanctuarium Dei, nouissima intelligeret.* Talem etiam putat idem Augustin. fuisse stuporem Isaac, de quo Gen. 27. dicitur quòd audiens verba Esau postquam à Iacob delusus fuerat, *Expauit stupore vehementi*: ibi enim lectio Græca *ecstasim* legit.

Psal. 111. *Glossa.* *Augustin.* *Genes. 27.*

A Aduertendum, & summopere aduertendum (quod alibi fusius diximus) quod etiā si probabiliter credatur, aliquam reuelationem in ecstasi factam esse à Deo, si tamen contra legem generalem Dei, vel Ecclesiæ, neutiquam est illi fidendum, sed reijcenda est, vt à dæmone malo, vel vano cerebro ecstasim patientis profecta: v. g. vt Monachus vxorem ducat, aut robustus, & sanus homo ieiunia non seruet, & similia. Si verò ecstases à sola vehementia contemplationis causantur; neque credendum, neq; discredendum censeo cōtemplatis; sed de eorum veritate, vel falsitate iudicandum est, B ac si in ecstasi non meditarentur. Probatur: quia sola vehemens alicuius rei contemplatio, non apponit rationem credendi, aut nō credendi rebus contemplatis, vt patet, sed dumtaxat suspensionem à sensibus inducit: ergo. Confirmatur: nam vehemens contemplatio causat ecstasim, quia anima ex magno conatu contemplationis absorbetur, ne ad sensus eius virtus deriuetur (vt in præcedenti disputatione diximus) sed iste magnus conatus potest esse circa veritates, & circa falsitates, sicut circa naturalia, & supernaturalia, vt fortasse cōtigisse Socrati, & C Platoni dixi nus. Egregiè Tertul. li. de ani. c. 45. *Ecstasim* (inquit) *hoc propriè operari de suo proprio, vt sic nobis sapientiæ imagines inferat, sicut & erroris.* Ergo in ecstasi causata ex vehementi contemplatione, neq; discredendum, neq; credendum est rebus cōtemplatis, quatenus ex vi vehementis speculationis meditantur, sed ex adæquatione, vel inadæquatione ad intellectum, ac si nō essent speculatæ in ecstasi. *Tertul.*

Sed fortasse dicet quispiam: hæc dicta in hac disputatione vera sunt, sed nisi doceamur vnde agnoscamus à qua causa procedant ecstases, inanis videtur fuisse labor D noster. Certè, Lector optime, rem difficilem postulasti: quam certò scire, ac iudicare de causa ecstasum, sine reuelatione diuina, ferè impossibile iudico: præcipuè si discriminare velimus, inter ecstasim diuinam, & dæmoniacam; versipellis enim inimicus, similam Dei vult agere, & sæpè in Angelum lucis se transfigurat, & ecstases Dei ecstasibus similibus efficit, vt nos sub specie bonæ ecstasis, in perniciem deducat. Nihilominus Dei auxilio confisi, rem difficilem pro virili aggrediemur. Et ideò sit

DISPVTATIO XVI.

Quibus ſignis, quibúſve notis dignoſcemus inter ecſtaſes, à quo ſcilicet ſint?

Quæ ecſtaſes non ſint diuinæ.

ILLAE, quæ prorumpunt in conſiderationem alicuius falſitatis, à Deo non ſunt, cui repugnat falſum dicere, aut alijs ſuggerere: neque illæ, quæ in conſiderationem, vel ſuaſionem rei improbæ, videlicet contra Dei iuſsionem, aut Eccleſiæ præceptum; vt religioſum ducere vxorem: neque quæ ſuadent turpia, & obſcœna: vel etiam quæ ſpeculatiuè ad cõſiderationem turpem terminantur: hæ ecſtaſes communiter à dæmone ſunt. Item eæ, quæ terminantur in contemplatione, vel ſpeculatione inutiliũ, aut ridiculorum: non enim hoc Dominus docet, dicente Iſaia cap.48. *Ego Dominus docens te vtilia*. Imò crediderim, eas ecſtaſes, quæ terminantur in cognitione rerum, quæ non conducunt vtilitati ipſius ecſtatici, vel aliorum; ſed inani tantùm curioſæ ſcientiæ oſtentationi; non eſſe à Deo. v. g. qui raptus à ſenſibus contemplatur, an circulus quadrari poſsit, an cœlum moueatur, an potius terra, vt quidam dicunt. Et probatur, quia ecſtaſes diuinæ pertinent ad gratias gratis datas; ſed hæ in vtilitatem ſpiritualem, & profectum recipientis, & præcipuè Eccleſiæ, conceduntur: ergo. Item ecſtaſes à Deo poſtulatæ communiter non ſunt diuinæ, quia periculoſa eſt ea petitio communiter loquendo: ſolet enim dæmon accurrere ad poſtulata implenda. Præterea: ecſtaſis, ad quam nullus ſequitur actus, ſaltem intellectus, vel volũtatis, nõ eſt à Deo: quia Deus non intendit per ecſtaſim facere homines vt ſtipites, & lapides. Item, ecſtaſim quæ dicitur fieri ad nutum ecſtaſim patientis, à Deo credo non eſſe; cum gratiæ gratis datæ, inter quas ecſtaſis computatur, non habeantur pro libito, & nutu recipientium, vt patet in dono Prophetiæ, ad quam raptus reducitur, autore D. Thoma.

Iſai.48.

Quæ ecſtaſes ſint diuinæ.

NOn ſatis eſt dixiſſe, quæ ecſtaſes diuinæ non ſint, vt inde colligatur quæ ſint diuinæ: ob id præcipuè quia ferè omnes ecſtaſes diuinas, & earũm proprietates imitatur dæmon, vt hoc aſtu decipiat homines. Exiſtimo autem ecſtaſes repertas in hominibus probis, & vitæ ſtudioſæ, ac operibus egregijs vitæ actiuæ, & contemplatiuæ deditis, à Deo eſſe, volente ſuos ſeruos ad altiora rapere, vt per ſuſpenſionem à ſenſibus faciat eos expeditius & liberius vacare diuinis. Hoc ſignum probabile eſt ad oſtendendum ecſtaſim eſſe à Deo; ſed non infallibile: quia aliquando viſum eſt, dæmones non valentes probis ſuadere vitia, abſtractione ſenſuum, & contemplationibus diuinorum, ad tempus datis: poſtea quando magis ſecuri, apparent, mutatis vicibus, minus bona, & deinde praua ſuadere conantur; quæ à Deo eſſe credunt ecſtatici illi: à quo aſtu vt ſe liberent, diſcretio ſpirituum ex Dei dono neceſſaria eſt. Præterea, non leue indicium ſumitur, quod à Deo ecſtaſis ſit, ſi comitata fuerit eleuatione à terra, aut agilitate, & leuitate corporis: hac enim prærogatiua ſolitus eſt Deus ſuas ecſtaſes donare. Sed neque hoc ſignũ infallibile eſt, quia dæmones poſſunt ſuos ecſtaticos à terra eleuare, & quodammodo leues reddere: eſt tamen probabile, quia dæmones rarò id efficiunt in ſuis ecſtaſibus, vt experientia apparet in ſagis, & magis, & arreptitijs, quos quando à ſenſibus ſuſpendunt, eorum corpora vt mortua, & grauiora quàm in vigilia, relinquunt. Sed en certiora ſigna propono iam à me propallata, pro omnibus diuinis reuelationibus. Primum: ſi res quæ in ecſtaſi reuelantur, minimè à creaturis ſciri poſsint, niſi à Deo, vel per Dei reuelationem; eas ecſtaſes à Deo eſſe neceſſe eſt: huiuſmodi ſunt futura merè contingentia, præcipuè quæ à libero arbitrio pendent, cogitationes cordium, myſteria fidei creaturis ignota. Sed oportet in his lynces agere: nam dæmon etiam futura contingentia ſolet prædicere, ex coniecturis; vel quia ipſe illa operatur: & eodem modo cõiecturaliter præſentit cogitationes, & affectus hominũ, & cum certitudine aſſeuerat. Itẽ, myſteria fidei per obſeruationẽ ſacrarum Literarũ, vel per reuelationes Angelorum ſanctorum, ſcire poteſt, vt ait D. Tho. infra, q.172.art.6.ad 1. & D. Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. c.19. Secundum ſignũ eſt interior mẽtis motio in mente ecſtaſim patientis, cui reuelationes in ecſtaſi fiunt. Solet enim Deus ſæpe, maximè Prophetarũ ſic in ecſtaſi poſitorũ, mentes illuſtrare, ſic voluntatem afficere, ſic hominẽ de fide, & auto-

D. Thom. Auguſt.

autoritate ecſtaſis certiorem facere, vt Deũ eſſe eius autorem certò agnoſcat, & iudicet.

Gregor. Vnde Gregor. lib. 4. dialog. c. 48. *Sancti viri* (inquit) *inter illuſiones, & reuelationes ipſas, viſionum voces, & imagines, quodam intimo ſapore diſcernunt, vt ſciant quid à bono ſpiritu percipiant, & quid ab illuſore patiantur, &c.* Hoc autem pertinet ad gratiã gratis datam, quæ dicitur diſcretio ſpirituum.

Quæ ecſtaſes dæmoniacæ ſint.

QVando ecſtaſim patiens in conſiderationem prorumpit, maximè practicam; de falſo enuntiato, aut iniquo, ambitioſo, ſuperſtitioſo, aut inutili, vano, aut nimis curioſo, de obſcœnis, aut impuris, à dæmone eſſe, vt pote horum autor, certo certius eſt. Item quando in alienatione ſenſuum poſitus, nihil cogitat, nullúmve actum habet voluntatis, aut intellectus; eam ecſtaſim à dæmone eſſe, vel ab ægritudine corporali, certum iudico. Probatur, quia talis ecſtaſis non eſt à Deo, vt potè qui per alienationem à ſenſibus, intendit ſuos ſeruos, maximè Prophetas, erudire; aut verò ingenti cõtemplationis dulcedine afficere: neutrum autem iſtorum, ſine actu reperiri, ſupra demonſtrauimus; ergo à dæmone proficiſci, neceſſe eſt, aut ab ægritudine corporali. A dæmone quidem, qui arreptitios, velut mortuos ſuis ecſtaſibus efficere ſolet: fateor aliquando hoc eſſe ab ægritudine; de quo ſtatim. Idem dico, quãdo alienatus à ſenſibus, etſi phãtaſmata euoluat, non tamen actu intelligit; vel incompoſitè, & inordinatè phantaſiatur, vel intelligit. Præterea, ecſtaſes omnes voluntarias, à dæmone eſſe, mihi ferè certum eſt. v. g. quando quis iactat ſe rapi quando libuerit, vel à raptu ceſſare quando placuerit, hos raptus à malo dæmone eſſe puto. Etenim raptus hi nequeunt eſſe ab ægritudine, quæ cũ non ſit voluntaria, neq; pro libito ægrotantis, neq; raptus ab ea promanans, talis poterit eſſe. Neque etiam à Deo ſunt: quia cum gratiæ gratis datæ (inter quas raptus numeratur) nõ ſint quid habituale, ſed actuale, nequit homo illis vti pro arbitratu, ita vt rapiatur cum voluerit, & ceſſet à raptu quãdo placuerit. Sunt ergo iſti raptus voluntarij à dæmone, fœdere cum eo inito. Tales ſunt raptus quàmplurium ſagarum, & magorũ, qui huiuſcemodi raptus, & diſceſsionẽ ab eis voluntariam, pollicentur, & pollicitã implẽt.

Cardanus. Ex quo percipies errorem Cardani putãtis, quotieſcunq; collibuerit, homines poſſe naturali ſua vi, & arbitrio voluntatis rapi. Peius errat Bodinus lib. 2. de Monomac. c. 3. cenſens, in huiuſmodi ecſtaſibus animam re vera migrare, & deſerere ipſum corpus, & alijs in locis in terra verſari ſeparatam, qui Caballiſtarum error fuit: cum Fides Catholica nõ patiatur animã à corpore egreſſam, ad corpus, niſi per reſurrectionem ſoli Deo poſsibilẽ redire. Hinc colligo valde eſſe mihi ſuſpectos eos ecſtaticos, qui cùm in ecſtaſi ſint poſiti, ad inſuſurratam auribus certã vocem, vel quid ſimile, expergefiunt, ac ſi à ſomno excitarẽtur. Suſpecti, inquam, mihi ſunt, quia auditio illius vocis non potuit per auditũ totaliter ſoporatũ percipi; neq; eſt ratio quare magis hãc vocem, quàm aliã percipiant: ergo talis excitatio ab aliqua cauſa ſuperiori, quæ valeat ab ecſtaſi quantumuis forti liberare, proficiſci debet: videlicet à Deo, vel dæmone. Non à Deo: quia cùm illa excitatio ad certam vocem auditã, ad nihil deſeruiat, niſi vanæ admirationi vulgi; à Deo, qui harum vanarum oſtentationũ non eſt amator, non erit. Eſt ergo à dæmone, qui his vanis ſtudet. Dicet quiſpiam, talis vox certa, inſuſurrata auribus ecſtatici, poterit eſſe proficua: v. g. ſi vox ad quã expergefit, ſit in Monacho ecſtatico: obediẽtia iubet vt excutias ecſtaſim, vel, Prælatus vocat te, aut quid ſimile: qua voce audita, vult Deus vt ecſtaticus Monachus euigilet, & ſit paratus ad obedientiæ opera, quibus non poteſt intendere, ſi in raptu ſit. Fateor, hoc poſſe fieri à Deo concedente præroga tiuam illam: ſed niſi aliunde honeſtetur ex integris moribus rapti, vel aliquo alio; valdè ſuſpicor à malo dæmone id fieri. Præcipuè, quia ſi Prælatus ecſtatici illam vocem proferat oſtentationis gratia, ſine neceſsitate operum ecſtatici, vt ſæpe ſolet fieri; puto non eſſe à Deo, qui has vanas oſtentationes execratur. Quapropter prudens explorator ecſtaſum, in hoc, & ſimilibus caſibus, debet eſſe valde attentus: nam ſi quidam, qui non eſt Prælatus, dicat: obedientia iubet vt euigiles; vel ipſe Prælatus ſine neceſsitate id iubeat: ſignum eſt talem ecſtaſim à malo dæmone eſſe, ratione initi fœderis cum ecſtatico.

Quæ ecſtaſes ſint ab ægritudine.

CVm has ecſtaſes poſsit dæmon imitari, difficile erit eas certò agnoſcere: ad Medicos hoc exãmẽ ſpectat, qui illas variis nominibus appellant, furorẽ, maniã, lethargũ: à diuerſis cauſis proueniunt,

ſed in effectu conueniunt, nempè in alienatione à ſenſibus in qua ſiſtunt: nec quantum eſt ex vi talis alienationis, vllam cognitionem, aut contemplationem pariunt, niſi inordinatos phantaſiæ motus, ac perturbatas intellectiones: quod non mediocre ſignum eſt, eas ecſtaſes ab ægritudine prouenire.

Quæ ecſtaſes ſint à vehementi contemplatione.

CVm ſæpè ac ſæpiùs ecſtaſes diuinæ incipiant à vehementi contemplatione, & conſumentur in eleuata cognitione diuinorum; vix inuenio, vnde dignoſcere poſsimus ecſtaſes à pura contemplatione prouenientes: nam eæ, quæ dicuntur fuiſſe in Socrate, Platone, &c. fortaſsè ab ægritudine, vel dæmone fuêre. Nec mirum, nam Socratem dæmonem familiarem habuiſſe, alibi ex multorum ſententia retuli: præcipuè, quia modò licèt videamus homines à vehementi ſpeculatione ferè alienatos; non tamen totaliter abſortos, ita vtnequeat facilè expergefieri.

Hæc ſatis dicta ſint de materia difficili ecſtaſum. Moneo tamen diligentem Lectorem videre, quæ de diſcernèdo inter reuelationes diuinas, & non diuinas, copioſe ſcripſi ſupra, agens de præſtigioſa diuinatione: nam quæ hic conſultò omiſi, fermè omnia ecſtaſibus diſcernendis, non modicè proderunt.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm diuinatio, quæ fit per auguria, & omina, & alias huiuſmodi obſeruationes exteriorum rerum, ſit illicita?

3.cont.cap. 154. Et opuſ.35.c.3. & 5. Et Iſa.2.le.2. prin.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd diuinatio quę fit per auguria, & omina, & alias huiuſmodi obſeruationes exteriorũ rerũ, non ſit illicita. Si enim eſſet illicita, ſancti viri ea non vterẽtur. Sed de Ioſeph legitur, quòd augurijs intendebat. Legitur enim Gen. 44. quòd diſpenſator Ioſeph dixit, Scyphum quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet. Et ipſe poſtea dixit fratribus ſuis: An ignoratis quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? Ergo vti tali diuinatione non eſt illicitum.

2 ¶ Prætèrea: Aues aliqua circa futuros euentus temporum naturaliter cognoſcunt, ſecundũ illud Hiere. 8. Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum: turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui. Sed naturalis cognitio eſt infallibilis, & à Deo: ergo vti cognitione auium ad prænoſcendũ futura, quod eſt augurari, non videtur eſſe illicitum.

3 ¶ Prætèrea: Gedeon in numero Sanctorum ponitur, vt patet ad Hebr. 11. Sed Gedeon vſus fuit omine ex hoc quòd audiuit recitationem, & interpretationem cuiuſdam ſomnij, vt Iudic. 7. dicitur. Similiter Eliezer ſeruus Abrahæ: vt legitur Gen. 14. ergo videtur quòd talis diuinatio non ſit illicita.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Deut. 18. Non inueniatur in te, qui obſeruet auguria.

¶ RESPONDEO dicendum, quod motus, vel garritus auiũ, vel quæcunque diſpoſitiones in huiuſmodi rebus conſidera-

tæ,

tæ, manifeſtum eſt, quòd non ſunt cauſa futurorum euentuũ. Vnde ex eis futura cognoſci nõ poſſunt ſicut ex cauſis. Relinquitur ergo, quòd ſi ex eis aliqua futura cognoſcantur, hoc erit in quantum ſunt effectus aliquarũ cauſarũ, quæ etiã ſunt cauſantes, vel præcognoſcẽtes futuros euẽtus. Cauſa autẽ operationũ brutorũ animalium eſt inſtinctus quidã, quo mouẽtur motu naturali. Nõ enim habẽt dominiũ ſui actus. Hic autẽ inſtinctus poteſt ex duplici cauſa procedere. Vno quidẽ modo, ex cauſa corporali. Cùm enim bruta animalia nõ habeant, niſi animã ſenſitiuam, cuius omnes potentiæ ſunt actus corporaliũ organorum, ſubiacet eorũ anima diſpoſitioni cõtinentiũ corporum, & primordialiter cœleſtiũ. Et ideò nihil prohibet aliquas eorũ operationes eſſe futurorũ ſigna, in quãtum conformantur diſpoſitionibus corporũ cœleſtium, & aëris cõtinentis, ex quibus proueniunt aliqui futuri euẽtus. In hoc tamẽ duo cõſiderari oportet. Primũ quidẽ, vt operationes huiuſmodi nõ extendantur, niſi ad præcognoſcẽda futura, quæ cauſantur per motus cœleſtiũ corporum, vt ſup. dict. eſt. Secundò, vt non extendãtur, niſi ad ea quæ aliqualiter poſſunt ad huiuſmodi animalia pertinere. Cõſequuntur enim per cœleſtia corpora

Ar. 5. & 6. huius q.

A cognitionẽ quandã naturalem, & inſtinctum ad ea, quę eorum vitæ ſunt neceſſaria, ſicut ſunt immutationes, quę fiũt per pluuias, & vẽtos, & alia huiuſmodi. Alio modo, inſtinctus huiuſmodi cauſantur ex cauſa ſpirituali, ſcilicèt vel ex Deo, vt patet in colũba ſuper Chriſtum deſcendente, & in coruo qui pauit Heliã, & in Cete qui euomuit, & eiecit Ionã. Vel etiã ex dæmonibus, qui vtuntur huiuſmodi operationibus brutorũ animalium ad implicandos animos hominũ vanis opinionibus. Et eadẽ ratio videtur eſſe de omnibus alijs huiuſmodi, præter quã de ominibus, quia verba humana, quæ accipiuntur pro omine non ſubduntur diſpoſitioni Stellarũ. Diſponuntur tamen ſecundũ diuinam prouidentiã, & quandoq; ſecundum dæmonũ operationẽ. Sic ergo dicendũ, quòd omnis huiuſmodi diuinatio ſi extendatur vltra illud, ad quod poteſt pertingere ſecundùm ordinem naturæ, vel diuinæ prouidentiæ, eſt ſuperſtitioſa, & illicita.

¶ Ad primvm ergo dicendũ, quòd hoc quod Ioſeph dixit, nõ eſſe aliquẽ ſibi ſimilẽ in ſcientia augurãdi, ſecundũ Aug. ioco dixit, non ſerio, referens fortè hoc ad illud, quod vulgus de eo opinabatur. Et ſic etiam diſpẽſator eius locutus eſt.

In li. q. ſuper Gene. c. 145. to. 4.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd

illa autoritas loquitur de cognitione auium, reſpectu eorũ, quæ ad eas pertinent. Et ad hęc præcognoſcenda conſiderare earum voces, & motus non eſt illicitum, putà ſiquis ex hoc, quòd cornicula frequenter crocitat, prædicat pluuiam citò eſſe futuram.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Gedeon obſeruauit recitationem, & expoſitionem ſomnij, accipiens ea pro omine, quaſi ordinata ad ſui inſtructionem à diuina prouidentia. Et ſimiliter Eliezer attendit verba puellæ, oratione præmiſſa ad Deũ.

Summa Articuli.

CONcluſio. Præfatæ diuinationes, ſi extendantur vltra illud ad quod poſſint pertingere, ſecundùm ordinem naturæ, vel diuinæ prouidentię, ſunt ſuperſtitioſæ, & illicitæ. Hæc concluſio habet in ſe ſuas probationes, quæ & colliguntur ex doctrina tradita in præcedentibus articulis, vt ſtatim videbimus.

D. Thom. in tertio articulo huius quæſtionis enumerauit quamplures ſpecies diuinationis, quæ fit tacita dæmonum inuocatione, per conſiderationem, & obſeruationem aliquarum diſpoſitionum, quæ cõcomitantur, vel adueniunt rebus extrinſecis à diuinante. Et propter ſpecialem difficultatem, egit ſeorſum in diuerſis articulis, de aliquibus ſpeciebus commemoratis, ſcilicèt de diuinatione per Aſtra, ac ſomnia, ac demum in hunc ſeptimum articulũ reiecit reliquas ſpecies: quarum cognitio ſatis ſuperque habetur ex traditis in articulo hoc, & præcedentibus: quibus animaduerſis non erit admodum difficile de his iudicare. Igitur animaduertendum eſt, cunctam diuinationem futurorum euentuum, ſumptam ex conſideratione aliquarum exteriorum rerum, expendendam eſſe ex ratione cauſalitatis earundem. Etenim illæ diſpoſitiones exteriorum rerum, vel ſe habent reſpectu futuri euentus, vt cauſę, vel vt effectus: vt effectus nequeũt ſe habere: aliàs cauſa efficiens eſſet poſterior ſuo effectu. Supereſt ergo, vt ſe habeant tanquam cauſæ futurorum euentuum, aut vero vt coeffectus reducibiles ad vnam cauſam communem: vtroque enim modo poteſt fieri, vt ex illis diſpoſitionibus præſagiantur euentus futuri: nimirum ſi diſpoſitiones illæ, cauſę ſunt effectus futuri; erunt illius ſigna: ſicut cauſæ ſignificant ſuos effectus. Si verò diſpoſitiones prędictæ ſint coeffectus ſimul cum euentu futuro, procedentes ab eadem cauſa, poſitis in actu illis diſpoſitionibus, ex eis agnoſcentur euentus futuri: de quo latè diximus circa articulum ſextũ. Et nomine cauſæ non ſemper intelligimus cauſam naturalem efficientem futuri euentus; ſat ſit eſſe cauſam ſpiritualem, præcognoſcentem futuros euentus: vt in diuinationibus, quæ fiunt ex operatione Dei, aut Angelorum, ſiue proborum, ſiue malorum. Quapropter illa diuiſio diuinationis, dequa ſuprà, penes cauſas efficientes, ferè in his omnibus diuinationibus locum habet. Hęc habentur ex D. Thom. in hac quæſtione ad dijudicandum, quãdo diuinatio per obſeruationem harum diſpoſitionũ licita ſit; an illicita? Sed age de ſingulis diſſeramus, vt doctrina hæc Angelici Doctoris melius eluceſcat.

De augurio, & auſpicio.

VOcabula hæc, *augurium*, & *auſpicium*, aliquando vſurpantur pro omni diuinatione, etiam vt ſe ad omina extendit; imò pro obſeruatione cunctarũ rerum ſubitò, & inopinatò euenientium, inſtituta ad cognitionem futurorum, vel occultorum. Ita Cicero quarta Philippica, & ſecundo de diuinatione. Secundo modo ſtrictius, pro ea diuinatione, quæ ſumitur ex auium garritu, volatu, aut paſtu. Dicitúrque augurium, quaſi auigerium, ſiue auigarrium; quod ad aures pertinent: & auſpicium, quaſi aui ſpecium, ab auibus ſpectandis, quod pertinet ad oculos. Extenſáque eſt vocabuli ſignificatio ad diuinationem, quę ſumitur ex motibus aliorum animalium viuorũ: vt ſaltu, grunnitu, mugitu; imò & à motibus hominum purè animalibus: verbi gratia, ab ſternutatione: & in hac ſignificatione ſtrictiore agit D. Thom. de augurio, & auſpicio in hoc articulo, & quæſtione ſequenti.

Cicero.

DISP.

PRIMA DISPVTATIO,
& copiosior Articuli expositio.

De significatione dispositionum rerum exteriorũ pertinentium ad augurium, vel auspicium: verbi gratia, volatus, cantus, garritus, motúsve cuiusque aliorum animalium viuorum.

HANC significationem inquirit D. Thomas perpensa ratione causalitatis: & inquit, vna ex duabus vijs nuper relatis esse procedẽdum ad indagationem huiuscemodi significationis. Rursus notandum, causam operationum brutorum animantium, esse instinctum quendam, quo mouentur motu naturali: etenim bruta, cùm non habeant dominium suorum actuum, vtpote non operantium liberè: necesse est operationes suas naturali motu exercere. Iste autem instinctus, seu naturæ instigatio potest ex duplici causa procedere, putà ex causa corporali, & spirituali. Corporalis quidẽ est, vel aer, aut quoduis aliud circunstans bruta; & potissimè, ac primordialiter cœlestia corpora. Cùm enim bruta animantia non habeant nisi animam sensitiuam, cuius omnes potentiæ sunt actus corporaliũ organorum: necesse est eorum animam subiacere dispositionibus, & causis corporalibus iã relatis. Quod si istæ causæ effectrices, sint etiam futurorum euentuum causæ; consequenter præfatæ dispositiones, signa naturalia erunt eorũdem: & ex agnitione earũ, poterit aucupari prænotio, & diuinatio futurorũ, sin minus vacuæ erunt tali significatione. Monet tamen D. Th. duo esse considerãda: primum, hasce operationes animalium, vt garritũ, volatũ, &c. non esse extendendas, vt sint signa futurorum euentuum, qui non causantur à causis corporalibus, aut cœlestibus corporibus: quales sunt omnes actus humani, aut entia per accidẽs. Etenim sicut isti subtrahuntur causalitati cœlestiũ corporum, sic & significationi præfatarum dispositionum, quam sumunt ex causalitate communi ipsis, & futuris euentibus, vt latius supra in articulo quinto, & sexto. Secundum: coniectorem futurorum per præfatas animalium brutorum operationes, *D. Thom.*

A considerare oportet, vt eas extendat dumtaxat ad eos euentus, qui possunt aliqualiter ad huiusmodi animalia, & eorum conseruationem pertinere. V. g. ex garritu cornicis non est diuinatio sumenda de natiuitate vituli, quæ ad conseruationem cornicis res impertinens est: sed sumitur diuinatio de pluuia futura; quia ad cornicem spectat eam fugere, vel appetere pro sui conseruatione. Ratio huius est, quia natura sicut non deficit in necessarijs, neque abundat in superfluis: & ideò tantùm præbet brutis animantibus, vt consequantur medijs corporibus cœlestibus instinctum, & cognitionem naturalem ad ea, B quæ sunt eorum vitæ necessaria, sicut sunt immutationes per pluuias, & ventos, & alia huiusmodi. Ad cætera verò non necessaria non est necesse vt à sideribus moueantur. Hoc tamen dictum Diui Thomæ glossat Caietanus, & dicit, esse intelligendum directè, & per se primò: hoc est, operationes animalium à cœlestibus corporibus immissas, seu inditas, non immitti à sidere, neque effici à brutis, vt sint signa actuum humanorum: sed vt sint sibi signa, ad euadenda mala, aut comparanda bona. *Caietan.*

C Indirectè autem, & secundariò, nihil vetat significare actiones humanas dispositiuè quoad voluntaria: quia causa cœlestis, quæ causat motũ in brutis, interdum eum efficit conformem effectui causando in humanis. V. g. astrorum situs inclinans homines ad bella, causat in animalibus dispositiones cholericas, ex quibus prodeunt tales motus, vt mugitus, rugitus, & huiusmodi. Vnde qui agnouerit conformitatẽ, & proportiones inter bella, & eos motus, poterit ex rugitibus, aut mugitibus illis annuntiare coniecturaliter bella inter homines, saltem inclinatiuè. Similiter astra causant in corhicũ D plumis humectationes quasdã proportionales pluuijs: & eadem astra, aut aer circunstans causat easdem dispositiones in podagricis: quare ex garritibus cornicum causatis ab eis humectationibus, benè potest quis diuinare imminentẽ podagrã, & sic dealijs. Hæc de causa corporea naturali, vnde sumitur significatio auguriorũ, & auspiciorũ.

Altera causa vnde præfatus instinctus, & instigatio brutorum ad operationes significatiuas futurorum euentuum edendas desumitur, spiritualis est, ac duplex: vna est Deus ipse, aut Angeli boni: altera, dæmon. Prioris exemplum sumito in columba super Christum descendente,

Matth.3. Matth.3. quem fuisse verum animal docet
D.Thom. D.Thom.3.p.q.39.art.7.& in præsenti supponit,docens diuinationem descensusSpiritus sancti superChristū, fuisse sumptā ex eo quod Deus instigauit eam,vt descenderet super eum. Alterum exemplum est in
3.Reg.17. coruo, qui Eliam pauit.3.Reg.17. in Ceto,
Ionæ 2. qui euomuit,& eiecit Ionam,2.cap.Posterioris causæ, id est,dæmonum, qui vtuntur huiusmodi operationibusbrutorum ad imbuendos homines vanis, & superstitionibus, sunt innumera exempla. Hæc ferè ad verbum S. Thom. Ex quibus nos colligimus auguria,seu auspicia esse triplicia:quædam naturalia, id est, à causa naturali sortientia significationem; quædam diuina à Deo,quædam dæmoniaca à dæmonibus:& hæc retinuerunt nomen augurij, & auspicij: nā apud sacros Autores,ac sanctos Doctores,hæc nomina in malam partem accipiuntur.

DISPVTATIO II.

An auspicijs,& augurijs,sit adhibenda fides, id est, an eius vsus sit licitus?

IT videtur vera pars affirmatiua. Primò: quia aues habent cognitionem naturalem quorundam euētuum futurorum, iuxta illud:
Hierem.8. *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur,hirundo, & cyconia custodierunt tempus aduentus sui*,Hierem.8. Sed naturalis cognitio est infallibilis,& à Deo:ergo vti cognitione auium ad præcognoscenda futura, quod est augurari,licitum est: ac per consequens augurijs fides adhibenda est. Secundò. Sanctus Ioseph augurijs vtebatur,
Genes. 44. Gen.44.dispensator eius dixit:*Cyphum quē furati estis,ipse est in quo bibit dommus meus: & in quo augurari solet*: & ipse posteà di-
Ibidem. xit fratribus suis: *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia.* Ergo vsus eius artis licitus est: aliàs vir egregiæ sanctitatis ea non vteretur.

In oppositum faciunt prohibitiones nō augurandi,neque consulendi augures, Le-
Leuit.19. uit.19. Deuteronom.18. Ecclesiastici 34.
Deut.18. Hierem. 27. & cap.*illud.* cap. *sed & illud.*
Eccles.34. 26.q.2.c.*si quis Episcopus.* c.*aliquanti.* c.*si*
Hierem.27 *quis Clericus.* c.*augurijs.*26.q.5.

Mirabile dictu quanto in pretio, quātoque in vsu fuerint auguria,& auspicia apud Gentiles: ita vt nihil arduum, aut mediocre opus, licitè intentabatur, sine augurio-
A rum,& auspiciorum obseruatione.Ars hęc vanissima, à Troianis, vel vt alij volunt, à Chaldæis incepit;inde ad Græcos, deinde ad Romanos deriuata est.Solebāt Hetrusci ad Collegium solemne augurum mittere filios suos, hac árte erudiendos, vt adnotauit Plinius lib.8.c.28.& eo vsque processit *Plinius.*
istorum delirium, vt quidam iactarēt se intelligere linguam auium (delirium solemne)cum non loquantur aues,nec conceptus exprimant,sicut fabulatur Alcoranū dicēs, *Alcoran.*
Reginam Sabà habuisse notitiam sapientię Solomonis relatione, & vocibus auium: &
B sicut nugaturPorphirius de Apollonio,qui *Porphir.*
cùm esset cum amicis, cunctis videntibus hirundinem cantibus obstrepentem,ait ad socios: *Quid putatis hirundinem illam dicere? vocat* (dixit) *alias hirundines, nuntians illis in tali loco cecidisse asinum onustum frumento,quod effusum est.* Quid hoc cōmento ineptius, cum hirundines frumento nō vescantur? In arte augurandi, maximè in percipiendo loquelam auium excelluisse Thiresiam, & Melampum veteres fabulantur. His vanis reiectis, Doctor Angelicus vnica conclusione dubietatem hanc absoluit in hoc articulo dicens, diuinationem per
C auguria,aut auspicia, si extendatur vltra illud,ad quod potest pertingere secundùm ordinem naturæ, vel diuinæ prouidentiæ, esse superstitiosam, & illicitam. Nos verò claritatis gratia, ex eiusdem sancti Doctoris doctrina docebimus, quando præfata extensio fiat,aut non fiat.De qua re

Dico primò.Diuinatio,quæ fit exactionibus, aut passionibus, siue ex quibuslibet alijs motibus(quæ augurium appellatur naturale)quatenus reducuntur ad vnam causam cōmunem ipsis,&futuris euentibus diuinatis,licita est, & pars Philosophiæ naturalis.
D Prob. Quia nititur naturali discursu,vt vidimus in præcedenti dubitatione. Assertū tamen intelligendum cum duabus limitationibus à D. Tho. positis: vt scilicèt diuinatio non versetur circa actus humanos liberos,sed circa ea, quæ aliqualiter cōducūt ad brutorū animalium conseruationē.Huius augurij naturalis multa docent agricolæ, pastores, nautæ,& huiusmodi, quæ experientia doctrice didicerunt:à quibus Scriptores accepta literis mandauerunt.In primis se offert illustre Alcionis, siue Halcionis auis maritimæ exemplum: quæ in ouorum incubatione, ac pullorum exclusione, sedatum mare indicat. Ex quo nautæ tranquil-

quillitatem fluctuum diuinant. D. Baſilius homilia 8. Exameronis pulchrè rem enarrat ferè ad hunc modum: *Alcion auis eſt, quæ mare accolit: quæ cum ſit in maris litore parere ſolita, deponit oua in arena, & media hyeme nidum componit, quo maximè tempore ventorum impetu mare tempeſtuoſum eſt: ſed tum venti ſe remittunt, compeſcitur ipſum mare, cùm Alcion ſeptem diebus incubat: excludit enim pullos totidem. Qui cum cibum appetunt, ſeptem alios dies ad pullorum incrementum, minutiſſimo animali liberalis Deus elargitur. Omnes itaque qui ſe mari committunt, id obſeruant, eoſque dies Alcionios nominant.* En auſpicium naturale, ad præſagiendum maris tranquillitatem. Eadem ferè D. Ambroſius lib. 5. Exameron, c. 13. Quod ſi plura cupis de Alcione, lege Ariſtot. lib. 5. de natura animalium, c. 8. & lib. 9. cap. 14. & Plinium lib. 10. c. 32. Plutarchum lib. de induſtria animalium. Multa alia exempla poterant adduci, pertinentia ad auguria, ſeu auſpicia naturalia, vt de cornicibus crocitantibus circa litora, & ſe balneantibus, quæ ſunt ſigna futuræ pluuiæ: & idem præſagiri dicitur ex Delphinorum, Suum, Araneorum, & aliorum animalium, cătu, ſaltu frequenti, grunnitu, & errabundis motibus. Idem dicuntur ſignificare boues frequenter ſpectantes cœlos. Et de muribus parum ait Plinius lib. 8. c. 28. ſi è domo migrent ſignificare ædes ruituras. Et aranei cũtelis primi cadunt, & paſſerculi, ac miluus, aëris contagionem fuga præueniunt. Qui ampliora deſiderat legat Cicer. li. 3. de diuinat. & Virgil. lib. 1 Georgicor. ille ex Arato, hic ex Heſiodo ſumpſit. Et nouiſsimè opus Antonij Mizaldi Monluciani Ephemeridũ ruſticarum. Nec ideò putes ea animalia præſagij ſui eſſe gnara: ſed impetum quendam naturalem ſolummodo ſentiunt, mouente phantaſia, à ſideribus, vel aëre circunſtante concitata, ad quærendum, quæ conducentia, & fugienda, quæ noxia ſint futura. Huic præſagio naturali ex auium motibus ſumpto, adiungo aliud ex arboribus, de quo Cicero vbi ſup. v. g. amygdalorum copia ſignificat meſsis abundãtiã. Sine ventis motitata arborũ folia, lanugines volitãtes, aut aquis innatantes; tempeſtatem prænuntiant: & ſimilia alia inueſtigauêre, qui experiendis rerum motibus vacant.

Baſilius. *Ambroſ.* *Ariſtot.* *Plinius.* *Plutarch.* *Plinius.* *Cicero, Virgil.* *Ant. Miz.* *Cicero.*

Dico ſecundò. Auguria, ſeu auſpicia diuina, id eſt, diuinatio ſumpta ab auium, ſiue aliorum animalium brutorum motibus, à Deo, vel Angelis cauſatis ad deſignanda futura, aut occulta, quæcumq; illa ſint, licita eſt, eique indubitata fides adhibenda. Idèque dicendum eſt, quando Deus, aut Angeli probi, motibus naturalibus brutorũ vterentur, ad ſignificandos futuros euentus. Hoc aſſertum patet, quia ſigna à Deo, vel Angelis bonis inuenta, nequeunt eſſe fallacia: ergo illis fidem adhibere licitũ, imò perneceſſarium eſt. Horum auſpiciorum diuinorum pauca, aut nulla, in ſacris Literis reperio exempla: niſi forte mugitum, & tractum vaccarum aſportantium arcam Domini è terra Philiſtinorum, & rectà deducẽtium in terrã Iſrael, dices à Deo eſſe immiſſa; vt Philiſtæi diuinarent, ac intelligerent, propter retentionem arcæ ipſos fuiſſe punitos, & fore puniendos, ſi perſiſterent arcam retinendo. Quod veriſsimum credo, & aperte habetur primo Regum 6. & 7. Sed ſi roges, quare nũquã, aut ràrò hæc auguria diuina à Deo extitiſſe legimus in ſacra Scriptura? Fortaſsè, quia Deus noluit ſuos fideles erudire augurijs, & auſpicijs, quibus ſummopere indulgebant idolatræ. In hiſtorijs verò Sanctorum aliquot exempla reperiuntur. Primum prodeat, quod refert ſanctus Paulinus in vita Diui Ambroſij, in hunc modum: *Infans cùm eſſet Ambroſius, & in cunis poſitus; ſubitò examen apum faciem eius, atque ora compleuit: ita vt ingrediendi in os, egrediendique vices frequentarent. Et poſtea euolantes, in tantam altitudinem ſublenatæ ſunt: vt minimè oculis viderentur. Et territus pater, ait, ſi vixerit infantulus iſte, aliquid magni erit.* En auſpicium certè diuinum, à Deo, qui mouit examen illud apum, vt inde diuinatio de futura dulcedine ſcientiæ Ambroſianæ ſumeretur. Simile quid accidiſſe Platoni puero, referunt Cicero lib. 2. de diuinatione, Valerius lib. 1. cap. 6. Plinius li. 11. cap. 17. fortaſsè Deus illud examen apum mouit ad id faciendum, vt approbaret mores Platonis futuros.

1. Regum, 6. & 7. *Paulin.* *Cicero.* *Valerius.* *Plinius.*

Tertiò dico. Diuinatio ex augurijs, aut auſpicijs actionũ, paſsionum, ſiue aliorũ motuũ, quæ fiunt dæmone docente, ſuggerẽte, aut quoquo modo mouẽte, vt ſint ſigna futurorũ euentuũ; illicita eſt, ac ſuperſtitioſa, & cui nulla fides adhibenda. Aſſertio patet, tũ quia omnis dæmoniaca inquiſitio, aut ſocietas, dãnabilis: tũ, quia ferè omnis diuinatio à dæmone cauſante ſumpta, verſatur circa actus humanos futuros, de quibus nihil ipſe per certitudinem ſcit: tum tertiò, quia etſi ſciret, neutiquam eſt illi fidendum,

vtpotè qui ſiue dicendo falſum, vt mendacij pater, ſiue dicendo verum, noſtram perniciem meditatur, ac molitur, vt aliàs ſæpè docuimus. Huius generis fuêre ferè omnia Gentilium auguria, quibus gentes valdè implicati extiterunt: à quibus non omninò deſiſtunt quidam ſuperſtitioſi Chriſtiani. Ex innumeris aliquot proferamus exempla. Primum ab auium paſtu, quod refert Cicero primo de diuinatione. Eſtus in puls & in oſcinũ auſpicium ſic fiebat: duo pulli in cauea ſeruabãtur, & ſummo mane puls, aut offa cauea recluſa pullis obijciebantur? Si negligerent cibum, ſiniſtrum auſpicium erat: ſi auidè depaſcerentur; fauſtum auſpicium deſignabatur. Prolixius enarrat Alexander ab Alexandro lib. 1. c. 28. & 29. Secundum exemplum augurij, ſeu auſpicij ſumpti à porcis. Theodatus Gotthorum Rex ſuperſtitioni auſpiciorum deditus, Iudæum augurem iuſsit, triginta harulis paruulis ſues includi, ac cunctis certa nomina imponi: inde ad certum diem quieſcere. Die deſignato Rex cum Iudæo porcos inuiſunt: mortuos inuenêre tantum, quibus Gotthica nomina data plebeiorum; viui verò, qui fuerant notati nominibus Romanorũ Præfectorum, nempè decimũ quemq; his tamen ſetas è dorſo defluxiſſe, quarum dimidium viſebatur. Hinc Iudæus ominatus dicitur, Romani exercitus dimidium prælium moriturum: Gotthos ad internecionem delendos. Sic ferè Rodig. lib. 13. antiquit. c. 35. Aliud exemplum eſt, ad inquiſitionem nominis eius, qui poſt Valẽtem eſſet imperaturus. Iamblicus, & Libanus literas viginti quatuor puluerì inſcripſerunt, & cuique granũ tritici, & hordei impoſuerunt; ac gallum, recitatis quibuſdam carminibus, vt ex quibus literis grana ſumeret, nomen ſucceſſoris cognoſcerent. Accepit autẽ grana ex literis ΘΕΩΔ. Valẽs ea re cognita, magos centum amplius occidit, nobileſq; omnes, quibus Theodori, Theodati, & ſimilia fuerũt nomina, è medio ſubſtulit. Succeſsit autẽ illi in Imperio magnus Theodoſius. Hæc Zonar. to. 3. in Valente, & addit, hanc mercedem diabolus ſuis rependit. Et ego moneo, ne quis decipiatur videns ſucceſſum verũ diuinatũ eſſe, & circa purè contingentia: potuit enim dæmon præuidiſſe animos nobilium, & popularium meditari necem Valentis, & ad Theodoſium eſſe inclinatos; & ob id illud auſpiciũ audacter fabricaſſe: ſicut & illud quod narrauimus de porcis à Gotthorum Rege ſignatis. Sed de his auſpicijs, & augurijs dæmoniacis, iterum redibit ſermo art. 3. quæſtionis ſequentis.

Cicero.

Alexan. ab Alexand.

Celi. Rodi.

Zonaras.

Dico quartò. Vt plurimum augurijs, & auſpicijs nulla eſt adhibenda fides: & ideo illis credulì, & eorum interpretes vitio ſuperſtitionis inuoluuntur. Dixi, vt plurimũ, propter pauca auſpicia, ſeu auguria, experientia, & vſu vacantium rei ruſticæ comprobata (vt dixi in primo aſſerto) quibus adhibere fidem non eſt illicitum. Sed probatur aſſertio primò, quia diſpoſitiones, ac motus auium, ſeu aliorum brutorũ animantium, ex quibus auguria, & auſpicia ſumuntur, vt plurimum ſunt vacua omni ſignificatione, eo quod à nulla cauſa cœleſti, aut externa circunſtante, fiant: ſed ſpontanei ab ipſis volatilibus, reptilibus, aut quadrupedibus ociandi cauſa, aut victum quæritandi gratia, vel alijs de cauſis exercentur. Secundò, quia eſtò eſſent ſignificatiua, eorum ſignificatio paucis, & paucorum nota eſt. Tertiò, quia vtrum ea auſpicia, & auguria à Deo ſint, vel à dæmone, vel à cauſis naturalibus, difficile agnoſcitur, licèt conſulendæ ſint noſtræ aduertentiæ de ſomnijs diſcernendis, in articulo præcedenti diſputatione ſeptima. Quartò: quia ferè omnis auſpicatio, & auguratio, maximè Gentilium, circa futuros euentus humanos verſatur: erga quos inanis, ſuperſtitioſa, & diabolica habetur omnis diuinatio, citra Dei reuelationem, vt ſupra docuimus.

Ex poſitione huius aſſertionis damnantur omnes ferè augures, & eorum ſcientia, vt vaniſsima, ſine vllo fundamento. Etenim omnes iſti ſine delectu de omnibus ſucceſsibus augurabantur, & auſpicia ſumebant, quibus dæmones ſe ingerebant, & hoc inani laqueo animos eorum irretiebant. Ad argumenta initio poſita reſpondetur. Ad primum, probare noſtrum aſſertum primum. Ad ſecũdum, omiſsis aliorum expoſitionibus, quæ non quadrare videntur literæ, ſecundum editionem Vulgatam, reſpondetur ex D. Thom. hic ad primum: & reſponſio accepta eſt ex D. Auguſt. in lib. quæſtionum ſuper Geneſ. cap. 145. tom. 4. Ioſephum recitata verba dixiſſe iocò, non ſeriò, referens fortè ad illud quod vulgus de eo opinabatur. Et ſic etiã œconomus eius locutus eſt: maximè, quia expertus fuerat populus eius eximia in ſomnijs interpretandis ſapientiam; & idẽ putabant de omni genere diuinandi.

D. Thom. Auguſt.

Ad

Ad argumenta in oppoſitum, quatenus militare videtur cõtra primum aſſertum, & improbare omne genus, omnẽque modum diuinandi ex motibus animalium, reſpondetur: Auguria, & auſpicia ſicut in vſu erant apud Gentiles, multis titulis illicita cenſeri debent, & ob id damnantur in ſacris Literis, & Canonibus. At auguria, & auſpicia naturalia, conſideratis motibus auium, & aliorum animalium, vt à cauſa naturali proueniunt, atque habent vnam communem cauſam cum euentibus naturalibus futuris, nequaquam damnantur à Deo, vel Eccleſia, ſed ſunt licita, & vtilia valde pro hominum vſibus. Imò neque vocantur propriè auguria, aut auſpicia, ſed naturales quædam coniectationes: illa enim nomina in malam partem ferè ſemper vſurpantur.

DISPVTATIO III.

Quod nam peccatum ſit per auguria, & auſpicia diuinatio?

DIco primò. Diuinatio per auguria, & auſpicia naturalia, vſu, & experientia comprobata circa futuros euentus, quæ non excedunt cauſalitatem corporum cœleſtium, aut aliarum cauſarum communium, animalium motibus, à quibus auguria, aut auſpicia ſumuntur, nullum eſt peccatum, ſed laudabile, valdeque conducens vſibus humanis, putà ad fugiendas tempeſtates, vitandas alluuiones, tranquillas nauegationes, &c. Hoc aſſertum patet ex dictis.

Dico ſecundò. Omnis diuinatio per auguria, & auſpicia, quæ verſatur circa euentus liberos, aut exemptos à cauſalitate rerũ corporalium, citra Dei reuelationem expreſſam, aut probabilem, peccatum mortale eſt pertinens ad ſuperſtitionem, & tacitam dæmonis inuocationem. Tales erant ferè omnes diuinationes augurum Gentilium, & modò quorundam ſuperſtitioſorũ fidelium.

Dico tertiò. Diuinatio auguralis, quæ verſatur circa euentus futuros, ſubditos cauſalitati cœleſtium corporum, aut aëris circunſtantis, vel aliorum quorumcumque, ſi non innitatur probatis experientijs hominum proborum, aut reductioni effectuum futurorum, & motuum, à quibus ſumitur diuinatio ad vnam cõmunem cauſam vtriſque, peccatum veniale eſt leuitatis, & temerarij iudicij, ac aliquo modo periculoſum propter dæmones ſe aliquando ingerentes.

Dico quartò. Qui obſeruatis augurijs, & auſpicijs, de quibus in ſecundo dicto, ita ſe gerit in ſuis actionibus exercendis, ac ſi plenam fidem illis tribueret, peccat mortaliter. Pro omnibus his aſſertis ſtabiliẽdis, videnda ſunt, quæ diximus in articulo proximè præcedẽti, diſputatione octaua, quæ accõmodata eſſe volumus proportionaliter ferè omni diuinationum generi, ne eadem ſæpius inculcemus. Videndus eſt etiam dominus Caietanus in Summa, verbo *augurium*, & *auſpicium*. *Caietan.*

De omine.

OMen, generali quadam acceptione, pro obſeruatione quarumcunq; rerum inopinatò euenientium, ad diuinandum de futuris aut occultis, ſæpiſſime vſurpatur: nos cum Cicerone in lib. 1. de diuinatione, & cum D. Thom. in hoc articulo, preſsius accipimus, pro diuinatione, quæ attenditur penes verba, abſque intentione diuinandi dicta, quæ quis retorquet ad futurum quod vult prænoſcere. Et poterit extendi ad facta aliorum ſine intentione diuinandi, neque præbendi occaſionem diuinãdi. Huius diuinationis per omina, innumera ſunt exempla. In medium prodeat illud, quod narrat Valerius, lib. 1. ca. 53. Plutarchus in Aemilio. Iuſtinus, lib. 33. Cicero, lib. 1. de diuinatione. Conſulem Lucium Paulum, iam iam properantem ad bellum contra Perſam, inueniſſe lacrymabundam filiolam, cauſamque interroganti, reſpõdit filia, Perſa mortuus eſt (quod erat canis Melitei nomen, quem filia habebat in delitijs) inde Conſul arripuit omen ſe victurum Perſam: quod & contigit. Item illud quod narrat Valerius, lib. 1. cap. 51. Romanis deliberantibus vtrùm ad alium locum eſſent migraturi ad ędificanda mœnia vrbis, forte eo tempore vociferatus eſt quidam Centurio: ſignifer, ſtatue ſignum, hic optimè manebimus. Quam vocem auditam pro omine acceperũt, ad alium locũ migrandi conſilium omittentes: putabant enim illi antiqui ſuperſtitioſi nimis, ominum obſeruationem aliquo contractu eſſe religioni annexam, vt ex ea diuinarent futuros euentus, vt adnotauit idem Valerius eodem loco, & illo lib. titulo 5. multa alia omina refert: & Cicero libris de diui- *Cicero. D. Tho. Valerius. Plutarc. Iuſtinus. Cicero.*

nationē. Sed re verā omnium diuinationū vaniſsima eſt : quia verba humana, quæ accipiuntur pro omine, neque poſſunt eſſe cauſa futurorum euentuum (maximè cū fortuitò, & inopinatò, ac præter intentionem futuri euentus proferuntur) neq; poſſunt habere cauſam communem cum futuris euentibus, putà ſideralem influxum: quia non ſubduntur diſpoſitioni ſtellarum, vnde neque ſigna naturalia eſſe poſſunt futurorum euentuum, ſed ineptè rapiuntur à diuinantibus vt talia ſigna, cum non magis hoc quàm illud deſignent. Ex quo aperte colligitur ea (ſi aliquod ſignificatum habent) à cauſa libera debere habere, quæ ſit potens efficere effectum ominatum, aut intelligat euenturum. Eiuſmodi cauſa Deus eſt, à cuius diuina prouidentia ſic diſponūtur verba, vt ex eis poſsint prædici futuri euentus: vel dæmon eſt, qui ſimiliter verba diſponit iuxta futurum euentum, quem efficere valet, aut intelligere euenturum.

Ex dictis infertur primò, ſignificationē ominum non poſſe eſſe naturalem à cauſa naturali, ſed neceſſariò eſſe debere diuinam à Deo, vel eius Angelis, aut diabolicam à dęmonibus. Exempla diuinorum ominum nobis ſuppeditant ſacræ Literæ. Eliezer ſeruus Abraham omine diuino præſagiuit de vxore ducenda pro filio domini ſui, *Geneſ. 24.* Geneſ. 24. Et Gedeon ex verbis cuiuſdam Madianitę, Deo diſponente, accepit omen de victoria contra Madian, *Iudi. 7.* Iud. 7. Et Ionathas de victoria contra Philiſtæos. *1. Reg. 24.* 1. Regum 24. In hiſtorijs etiam Sanctorum non pauca reperiemus exempla. *Auguſt.* D. Auguſtinus lib. 8. Confeſsionum cap. vltimo, vt omen diuinum refert, quod D. Antonius dum eſſet ſæcularis (qui poſtea fuit pater Monachorum Orientis) ingrediens Eccleſiam, dū audiret Diaconum canentem illud Euangelij: *Vende omnia quæ habes, & ſequere me*; pro omine diuino verba illa accepit, & opibus ſuis in vſus pauperum erogatis, vale dicens ſæculo, in eremum contendit, vbi vitam fœliciter tranſegit. Alterū non minus *Sigonius.* conſideratione dignum narrat Sigonius, li. 16. Imper. Occident. in hunc fermè modum. Clodoueus Francorum Rex contra Alaricum Vvithgotthorum Regem Arrianū mouens, cum per agrū Turonenſiū iter faceret : miſſos aliquot ſuorum ad D. Martini Templum, attendere iuſsit num aliquod victoriæ auſpicium cernerent; ac datis muneribus, quæ offerrent, dixit : ſi tibi, Domine, cordi eſt vt ego hanc gentem impiam, & nomini tuo inimicam vlciſcar, fac vt ſignum aliquod tuæ eluceat voluntatis. Puto à Deo motum hanc effudiſſe orationem. Nuntij verò, qui miſsi erant, Baſilicam intrantes, primicerium incinentem hanc Antiphonam audierunt: *Præcinxiſti me Domine virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti.* *Pſalm. 17.* Idque perſolutis donis Regi nuntiarunt, qui gaudio perfuſus magnam de victoria concepit ſpem inſtinctu diuino, vt reor: quod circunſtantiæ enarrandæ declarant. Cùm enim Clodoueus motis caſtris ad Vigennam amnem peruenisſet, ac flumini, magno tunc fortè effuſo imbre, tumeſcenti, exercitum obijcere pertimeſceret : per noctem ſupplex Deum orauit, vt vadum ſibi ad traijciendum illud oſtenderet, ac poſtridie mane, ceruam trāſeuntem ſequutus, exercitum incolumem tranſportauit. Caſtris inde ad Pictauorum opidum poſitis, pharum igneam ſibi videre viſus eſt, ad ſe è baſilica ſancti Hilarij venientem : ex qua intellexit ſe lumine ſancti Hilarij hæreticorum acies (quas ille verbo deiecerat) diſſipaturum armis. Acies inde in campo Vocladenſi decem ab vrbe millibus paſſuum vtrinque inſtructæ, ſtrenuè concurrerunt. Et poſt dubiam aliquot horarum pugnam, tandem Gotthis in fugam conuerſis, Franci ſuperiores fuerunt, occiſo Rege Alarico, & eius præcipuis vrbibus in ditionem Gallorum tranſlatis. Infertur ſecūdò, nullam eſſe adhibendam fidem omnibus citra Dei præceptum, illuminationē, aut impulſum. Probatur. Talia omina, quæ habentur ſine Dei reuelatione aut præcepto, non ſunt diuina, aut naturalia ſigna: ergo caſualiter aut ex tacito fœdere cum dæmonibus, verum aliquod ex eis captari poteſt, ac proinde nulla illis adhibenda fides. Infertur tertiò, eſſe peccatum mortale ſuperſtitionis, vllā eis adhibere fidem, niſi certū aut probabile ſit à Deo eſſe. Probatur ex traditis ferè in omnibus articulis huius quæſtionis: nā credulitas hæc nititur vanæ, & falſæ exiſtimationi, putantium verba ominatoria aliquam vim habere, ad prænoſcendos, & prædicendos futuros euentus. Cui exiſtimationi dæmon ſe ingerit, vt animos hominum inuoluat crimine ſuperſtitionis.

Contra iſtud aſſertum faciunt, diuinationes factæ per omnia, Geneſ. 24. Iudi. 7. 1. Regum 24. de quibus ſuperius diximus: quas non eſſe peccatum certò certius eſt. *Geneſ. 24. Iudi. 7. 1. Reg. 24.*

Et

D. Tho. Et D. Thom. in ſolutione ad tertium huius articuli docet, licitum eſſe vti omine, oratione præmiſſa. Et Caietanus in Commentarijs huius articuli videtur docere, licitam eſſe diuinationem ex omine, oratione præmiſſa: non tamen licere ex ea moueri ad opus, propter periculum mali, quod imminet.

Caietan.

Pro deciſione dico primò. Quando certum, aut probabile eſt ex circunſtantijs, omen eſſe diuinum, licitum eſt diuinare per illud, & ex ominatione ad opus moueri: maximè quia vna ex circunſtantijs, quæ comitatur diuinum omen, eſt ſuaſsio ad bonum, diſſuaſsio mali. Hoc aſſertū affert ſecum ſuas probationes, & patet recolenti dicta ſæpe in hac quæſtione. Talia fuêre omina, ex ſacra Scriptura, & hiſtorijs Sanctorū relata, & alia ſimillia.

Dico ſecundò. Quando neque certum, neque probabile eſt, omina eſſe diuina, eis fidem adhibere, & ex eis diuinare, putantes eſſe diuina omina, quæ non ſunt, peccatum temerarij iudicij, ac leuitatis in credēdo cōmittitur: puto tamen eſſe tantùm veniale: niſi ignorantia diuinantium adeò craſſa ſit, vt reducat actum in naturam ſuæ formæ. Hoc aſſertum perſpicuū erit legenti quæ diximus in articulo proximè præcedenti, diſputat. 8. aſſerto 5.

Dico tertiò. Non licet citra præceptum, & ſecluſa reuelatione aut afflatu diuino, à Domino abſolutè petere omina ad aliquid agendum vel ſciendū, etiam ſi res quæ ſciri deſideratur ſit vtilis, imò & neceſſaria ad ſalutem. Probatur, quia iſthæc petitio quodam modo ad tentationem Dei pertinet, dum cognitionem, quæ multis vijs præter omina à Deo edoceri poteſt; ad omina alligare volumus: de quo latius infra quæſt. 97. Secundò: quia omina ſicut & res aliæ nō neceſſariæ ad ſalutem, non cadunt ſub petitione abſoluta, vt docuimus ſupra in materia de oratione: quod ſi hac petitione præmiſſa, fidem adhibeat ominibus fortuitò oblatis, peccabit venialiter tantùm, niſi alicui periculo peccati mortalis ſe exponat. Dixi, ſi abſolutè petat omina; nam ſub conditione hac: ſi Deo placeat hæc diſpoſitio ominum, paratus tamen non adhibere fidē niſi conſtet de ea diſpoſitione, aut probabiliter inferatur, nullum eſſe credo peccatum.

Ad argumenta verò nuper propoſita ex ominibus diuinis, reſpondetur, illam diuinationem Eliezer ſerui Abraham, ſumptā A eſſe ex omine diuinitus præparato, atque ad id petendum, diuinitus eſſe afflatum ſeruum illum, fiducia concepta ex promiſſione Abrahæ dilecti à Deo, dicentis illi: *Deus mittet Angelum ſuum, &c.* atque adeò non peccaſſe: Gedeonem verò habuiſſe præceptum prænoſcendi euentum belli ex omine conſtat ex ſacro Textu: ſicut ex eodē colligitur ominationem Ionathæ filij Saulis, ex Dei inſtigatione, vt aiunt omnes interpretes: aliàs omnes enarratæ diuinationes illicitæ eſſent. Et ſic etiam intelligēdus eſt D. Thomas in ſolutione ad tertium, vbi ait: *Eliezer attendit verba puellæ* (ordinata nempe à diuina prouidentia ad ſui inſtructionem) B *oratione præmiſſa ad Deum.* Sic etiam interpretandus dominus Caietanus, qui prima facie videtur contradicere noſtro aſſerto.

Genes. 24.

D. Thom.

NOTATIO.

IN hoc articulo puto reijciendam eſſe diuinationem, quæ ſumitur ex elementis, & elementatis, nulla præcedente expreſſa inuocatione dæmonis: ex doctrina enim tradita in eodem articulo, facile erit philoſophari de his. Et in primis agendum de metheoris, id eſt, ijs quæ in aëris regione C gignuntur. Quę cùm ſint imperfectæ quædam ſubſtantiæ, fieri facile eſt à cauſis naturalibus, & à dæmonibus, & multo facilius à Deo, & Angelis bonis: ac ex conſequenti, triplex ab eis poterit ſumi diuinatio, naturalis, ſcilicet, diabolica, & diuina.

De diuinatione per Cometas, Coronas, Halones, Columnas, Irides, & alias Methereologicas impreſsiones.

D COmetas Græcè, noſtri ſtellas crinitas vocant, de quorum generatione, & loco generationis, non eſt modò diſputandum, ſufficiat nobis duas de hac re adnotare ſententias. Prior aſſerit, cometas eſſe ſtellas de nouo in octaua Sphęra generatas, eiuſdem naturæ cum ſtellis fixis, obnoxias non minus corruptioni, quàm generationi, ob idque de nouo videri, & paucis poſt diebus corrumpi. Talem fuiſſe cometam ſuperioribus annis noſtra ætate viſum, incunctanter affirmant Aſtrologi noſtri temporis, conantes demonſtrare eum neceſſariò affixum octauæ Sphæræ. Quorum

rum demonstrationem Mathematicam, vt ipsi putant, refert Magister Bañes, in primæ partis D. Thomæ Commentarijs supra articulum secundum, quæst. 66. quæ & videtur sententia aliquorum antiquorum Astrologorum, vt innuit Plinius, lib. 2. ca. 22. Posterior sententia affirmat, nullam posse stellam de nouo gigni, aut corrumpi, aliàs cœli corruptibiles essent. Et ideò stellas crinitas, quas Græci cometas appellant, in aëris regione generari, & consumptis exhalationibus, ex quibus producuntur, euanescere. Sic fatur Aristoteles, & eius Schola. Quam opinionem vt certiorem sequẽtes, de Cometarum significatione pauca dicẽda sunt: sine qua nulla ab eis diuinatio desumi potest. Pro quo recolere oportet, vna ex duabus vijs supra relatis esse procedendum, ad inuestigandam significationem cometarum: vel ex eo quod ipsi cometæ causæ sint futurorum euentuũ, quos præsignant: vel quia ijdem cometæ, & futuri euentus procedunt ab eadem causa. Causæ autem cometarum quædam sunt naturales, vt cœli & sidera: quædam spirituales, vt Deus, & boni Angeli, aut verò dæmonia, quæ etiam cometas producere possunt in aëris regione. Ijs duabus vijs, aut altera earum, inuestigabimus cometarum significationem, & aliorum metheororũ. Significatio Cometarum (vt comuniter dicitur à vulgo) semper est prænuntia alicuius euentus infausti: maximè de morte Regum aut procerum, de infœlicibus rerum publicarũ successib⁹, & huiusmodi. Sed an id referatur ad causas naturales, an ad supra naturales, difficile est agnoscere. Quidam Astrologi, quos tacito nomine refert D. Bonauentura in 2. d. 14. q. vlti. dicunt hoc naturaliter accidere, eo quod stella aliqua præest principi, quæ circa eius mortẽ trahit ad se diuino iussu partes cœlestes, quæ erant in eius corpore; quibus abstractis à corpore, generatur dissolutio in eo quod remanet: & dum sursum trahuntur, & stellæ approximant, faciunt comam. Ridicula positio: & vt talem derisit Vespasianus: nam dum ægrotaret, quibusdam inter se de Cometa colloquentibus, dixit: nõ mihi, sed regi Parthorũ mortem portendit; ille enim comatus est, ego sum caluus.

Pro decisione dico primò. Cometæ naturaliter sunt signa sterilitatis, famis, ac pestis. Probatur: quia exhalationũ copia gignit magnos, & paruos ignes, diuersimodè configuratos pro exhalationum ipsarum forma diuersa, vt modo videantur flammæ, modo columnæ, modo lãceæ, modo stellæ saltantes, vel discurrentes, descendentes, vel ascendentes: aliquando vero Cometæ varij, de quorum varietate Plinius, lib. 2. cap. 25. Sed ijs omnibus commune est magnam temporis siccitatẽ denotare, & ob id signa esse ventorum diuturnorum, vel violentorum: quod præcipuè Cometis conuenit. Qui si frequẽtes fuerint, etiam prænuntiant sterilitatem, famem, ac pestem, eo quod vis Cometæ omnem vaporũ, & exhalationum humiditatem cõsumit: quibus assumptis, præfata mala accidere necesse est. Et consequenter eadem siccitatis causa ad bella, & seditiones dicuntur inclinare: maximè multitudinem ac vulgus, quod rarò suis passionibus, ac æstibus resistit. Et propter eandem causam mortem minantur bilioſis, & qui ardentioris sunt naturæ, quales plerique principum, & magnatum; propter choleram non coercitam. Hinc forte dimanauit dictum commune, Cometas semper portendere alicuius Principis mortem, aut Reipublicæ ruinam, iuxta illud Lucani, lib. 1.

Ignotæ obscuræ viderunt sidera noctes
Ardentẽq; polum flammis, cœloq; volantes
Obliquas per inane faces, crinemq; timendi
Sideris, & terris minitantem regna Cometẽ.

Dico secundò. Crediderim nõ rarò contingere, Cometas esse supernaturaliter, à Deo volente admonere homines de immi nẽte publica calamitate, vel morte Regum ac principum, vt pœniteamus, & in melius vitam, ac mores corrigamus: & ideò videmus has crinitas stellas versus eam partẽ comam diffundere, cui minãtur. Sic docet D. Bonauentura in 2. d. 14. q. vlt. ex Damasceno, lib. 2. de fide Orthodox. c. 7. quod certò certius existimo, de ijs Cometis, si qui reperti sunt in octaua Sphæra: etenim ibi nisi miraculosè, nouas stellas generari, impossibile ẽenseo. Opera autem miraculosa neutiquam causis naturalibus adscribẽda sunt, sed soli Deo: atque adeò Cometas in cœlo stellato de nouo genitos, necesse est per miraculum à solo Deo fieri.

Dico tertiò. Cometas à dæmone factos, non lego expressè: possibile autẽ esse non dubito. Et fortasse tales fuêre multi designãtes mortes, ruinas, aut gentilium victorias: quorum signa dæmones exibẽbãt suis cliẽtulis, vt superstitiosa credulitate imbuerẽt.

Qui

M. Bañes. *Plinius.* *Aristot.* *Bonauent.* *Plinius.* *Lucanus.* *Bonauent.*

Ariſtot. *Plinius.* *Seneca.* *Contaren.* *Andreas Duditus.*

Qui plura cupit de Cometis, legat Ariſtotelem, lib. 1. Metheo. à cap. 4. Plinium, lib. 2. naturalis Hiſtoriæ vbi ſupra, Senecam, lib. 1. Naturalium quæſtionum, Contarenũ lib. 2. de Elementis, Andream Duditium titulo de Cometis.

Inſtar eorum, quæ diximus de Cometis, iudicandũ eſt de alijs quæ in aëris regione gignuntur, vt de ventis, nubibus, grandine, niuibus, rore, pruina, defulminibus, quę interdum ſunt à cauſis naturalibus, interdum à dæmonibus, & quandoque à Deo, & Angelis bonis, ad aliquid ſignificandum. Copia niuium, fertilitatem terræ, grandinis, ſterilitatem, ſi à cauſa naturali prodeant, ſignificat: & aliquando à cauſa ſupernaturali Deo, diuinam vindictam, iuxta illud,

Iob. 38. Iob 38. *Nunquid ingreſſus eſt theſauros niuium, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ*

Ioſue. 10. *præparaui, &c.* Sicut accidit in diluuio: & Ioſue. 10. & a dæmone ſæpe, iſthæc metheora valida excitatur. Idem dicode rore, pruina, nubibus, &c. quæ ab aqua ſpecie non differre, fortaſſe probabilius eſt. Prædicto modo philoſophandum eſt de quibuſdam imaginibus in aëre conflatis, de ſonitu, vocibus, & alijs portentoſis, quæ interdum ſigna naturalia quorundam effectuum naturaliũ ſunt, interdum à Deo fabricata vt moneantur homines diuinam iram fugere. Tales credo fuiſſe armorum ſtrepitus, & tubarũ ſonitus auditos è cœlo Cimbricis bellis, crebroſque & prius, & poſtea. Plinius, lib. 2. ca. 57. refert ab Amerinis, & Tudertibus viſa eſſe arma cœleſtia ab ortu occaſuque inter ſe concurrentia, pulſis quæ ab occaſu erant. Cuius ſimile prodigium tempore Machabęorum in Antiochi Regis ingenti perſecutione contigiſſe, ſcriptum eſt 2. Macha

2. *Mach.* 5. bæorum, cap. 5. his verbis: *Contigit per vniuerſam Hieroſolymam videri diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis quaſi cohortes armatos, & curſus equorum per ordinem digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladijs diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorem, omnisq; generis loricarũ. Quapropter omnes rogabant in bonum monſtra conuerti.* Nimirum quia facile erat diuinare

Ioſephus. imminentem Dei vindictam in populo illo Iſraëlitico rebelli. Videdus eſt Ioſephus

Vvimpina lib. 7. de bello Iudaico, cap. 44. Et multa plura refert Conradus Vvimpina, libro de ſignis. Et hæc ſatis ſint de diuinatione ſumpta à methereologicis impreſsionibus.

A Non prætermiſero vnam cæteris pulcriorem, quantitate maiorem, & qua ſi nõ eſſet adeò frequens oculos omniũ videntiũ raperet, & animos hominum in admirationem conuerteret. Hanc Græci appellant Iridem, Latini arcũ cœleſtẽ. Et ob id de diuinatione ab ea deſumpta non erit ingratum lectori aliquid videre: maximè quia valde conducet hæc tractatio pro explicatione ſacrarum Literarum.

De Iride.

IRidem, ideſt, arcum cœleſtem ſæpiſsime omnes conſpicimus, ſed ea, quæ in ipſo conſideratione digna reperiuntur,

B pauci ſpeciatim contemplantur. Quare nos, ante quam ad eius ſignificationem explanandam (ex qua verum præſagium liceat ſumere) deueniamus, aliquot prætittenda ſunt. Primum. Fere omnes Philoſophi in hoc conuenêre, vt aſſerant arcum cœleſtem formari colorum varietate conſpicuum, eo quod ſolis radij ſplendentes, in nubem opacam impingentes, repercutiuntur, ex qua repercuſsione reſultat illa figura ſemicircularis pulchra, circularis quidẽ, vt imitetur ſuum parentem ſolem, à cuius radijs penetrantibus nubem, & aliquatenus repercuſsis, generatur. Conſtat tribus

C coloribus, puniceo, viridi, & rubro, eo quod ex ſplendido cum maiori opaco, fiat rubrum, cum minori, viride, cum minori adhuc, puniceum. Itaque in exteriori, & ſuperiori parte Iridis (quod ad extremitatem, & peripheriam nubis ſpectat) puniceus apparet color: quia ea parte magis tenuis, & minus opaca nubes, radios minus repellat, & melius penetretur. In interiori verò, & inferiori, propter rationes oppoſitas, apparet color rubeus, inter hæc ob mediocres cauſas viridis. Secundum. Philoſophi ijdem multa adnotarũt de Iride, videlicet nunquam fieri niſi ſole e regione po-

D ſito, nec intra circuli formã, nec noctu, ſublimem fieri humili ſole, humilemque ſublimi, & minorem Occidente, vel Oriente, ſed in latitudinem diffuſam meridie exilẽ: verum ambitus maioris fieri hyeme, maximè in æquinoctio autumnali die decreſcẽte. Quo rurſus creſcente ab æquinoctio verno, non exiſtere, nec circa ſolſtitium longiſsimis diebus: frequenter æſtate poſt meridiem non cerni; poſt Autumni æquinoctium quacunque hora. Hactenus de Iridis generatione, & figura. Ex quo colligitur

fal-

falſam eſſe illorum ſentẽtiam, qui aſſeruerunt eam non fuiſſe ante diluuium, ſed Deũ eam produxiſſe ſtatim poſt diluuium. Ita
Chryſoſt. videntur ſenſiſſe D. Chryſoſt. homilia. 28.
Interlinea. in Geneſ. ac Gloſſa Interlinearis, ſuper c. 2.
Carthuſia. Geneſ. & Carthuſianus refert idem ſenſiſſe Alcuinum. Sed ſententia iſthęc citra dubiũ falſa; nec id ſenſit Chryſoſtomus vt patebit intuenti eius verba; & refutatur ex dictis de generatione Iridis. Etenim ſi Iris ſit ex repercuſsione ſolariũ radiorum circa nubes opacas, quæ naturalis eſt: ergo toto eo tempore quod prȩceſsit diluuium, cum ordinem deeſſe incredibile eſt.

Accedentes igitur ad ſignificationẽ Iridis (nam id noſtro inſtituto deſeruit, vt po
B te qui ex ſignificatione eius conamur diuinationem inueſtigare, an licita vel illicita ſit) dicimus, potiſsimam eius ſignificationẽ
Geneſ. 9. eſſe deſcriptam, Geneſ. 9. ijs verbis: *Arcum meum* (inquit Deus) *ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & terram: cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiſcum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat, & non erũt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem.* En ſignificationem Iridis indubitatam, ſcilicet mundum vniuerſum non eſſe obruendum diluuio, ſicut tempore Noe obrutus fuit. Circa quod quæritur, an hæc
C ſignificatio naturalis ſit, an ſupernaturalis, & ad placitum Dei, volentis Iridem inſtituiſſe in ſignum nunquam futuri diluuij vniuerſalis?

Dico primò. Iridis ſignificatio de non futuro vniuerſali diluuio non eſt naturalis, ſed ad placitum Dei inſtituentis illam, vt eſſet recordatiuum quoddã promiſsionis Dei, de non obruendo toto orbe aquis diluuij. Hoc dictum ni fallor clarè colligitur ex verbis Geneſeos citatis, vbi habetur Iridem poſitam eſſe in ſignum fœderis inter Deum, & terram, quod cùm ex placito Dei pependerit, ſignum etiam ipſum ad placitum eſſe neceſſe eſt.

Dico ſecundò. Licèt Iris ſimpliciter loquendo non ſit ſignum naturale nunquam futuri diluuij vniuerſalis, eſt tamen ſignum naturale non futuri diluuij vniuerſalis ſecundùm naturæ ordinem, & ſtantibus cauſis, quæ Iridem generãt in ea diſpoſitione, ſub qua eam generant: ac proinde Iris eſt ſignum naturale diluuij vniuerſalis non fu
D. Tho. turi de propinquo & citò. Ita D. Tho. quot-
Caietan. lib. 3. art. 30. & Caietanus Geneſ. 9. Pro-
A batur: quia ſtantibus cauſis generatricibus Iridis, à quibus pendet in fieri, & conſeruari, neceſſe eſt deeſſe cauſas diluuij: ergo Iris ſignum eſt modo præfato diluuij non futuri. Antecedens probatur ex dictis circa generationem Iridis, quæ non poteſt generari quando cœlum eſt denſiſsimis nubibus obductum: ſed neceſſe eſt vt ſol irradiet nubes modicè dẽſas, & humidas: (quas roridas vocant) at diluuium, quod multitudinem pluuiæ importat, non erit, niſi cœlum ſit multis, & denſiſsimis nubibus repletũ, & immenſitate vaporũ groſſorum refertum: ergo cauſæ generatrices diluuij nõ ſe compatiuntur cum cauſis Iridis. Secun-
B da pars poſita eſt ad declarandam priorem: quia euaneſcente Iride, & cauſa quæ eam generat diſſoluta, poteſt in aëre congregari materia vnde fiat diluuiũ: ſed quia ea non poteſt breui tempore congregari, ideo licèt Iris abſolutè loquendo, non ſit ſignum naturale nunquam futuri diluuij, eſt tamen ſignum naturale non futuri de propinquo. Et in hoc ſenſu intelligenda eſt prior pars huius aſſerti.

Dico tertiò. Significatio ea naturalis nõ futuri diluuij citò, & de propinquo poſt Iridis apparitionem, non infert neceſſariò nũ quam futurum diluuium: tametſi magnam habeat conuenientiam ad id ſignificandum,
C ſuppoſita Dei inſtitutione, vt ſit tale ſignũ. Prima pars probatur primò: quia ceſſante cauſa Iridis, & conſequenter ipſa Iride, poterat diluuium ſuboriri. Secũdò: quia ſine nubium magna condenſatione, imò Iride in aëre exiſtente, poſſet Deus inundare totam terram faciendo aquas maris, & riuorum intumeſcere ſupra altiſsimos montes. Tertiò: eſtò eſſet neceſſaria multitudo vaporum, & denſiſsimarum nubium, vt diluuium generetur, poſſet Deus in ictu oculi hanc materiam excitare, & inde procreare abyſſum aquarum, quæ obrueret orbem. Nec ſat eſt dicere, ſermonem fieri de diluuio naturaliter comparato: nam nullum ta-
D le poſſe eſſe naturaliter, omnes fatentur; & *Abulenſ.* Abulenſis loco citato egregiè probat. Secunda pars aſſerti conſtat ex dictis: videns enim Deus, Iridem, quanto tempore permanet, naturaliter ſignificare ſerenitatem, aut certè non futuram magnam pluuiarum inundationem, elegit Iridem, vt eſſet ſignum nunquam futuri diluuij. Non enim conuenientius potuit reperiri res aliqua, quæ ad ſignificandam Dei promiſsionem de nunquã futuro diluuio adaptaretur, non

ſolùm

ſolùm propter magnitudinem, altitudinẽ, pulchritudinem: ſed propter ſignificationem præfatam, quæ aliqua ex parte concordat cum ſignificatione voluntaria, & ad placitum Dei.

Sed contra ſecundum dictum, quod aſſeritur à D. Thoma, & Caietano inſurgit Pererius. Benedictus Pererius ſuper locum citatum Geneſeos, ſecunda, & tertia probationibus, quas attuli pro prima parte tertij aſſerti: inde enim colligit eſſe inefficacem rationem D. Thom. qua probat Iridem eſſe naturale ſignum diluuij non futuri de propin quo; eo quod in ea ſupponitur, cauſam effectricem Iridis excludere cauſam diluuij: cum tamen per Dei potentiam, ſtante cauſa Iridis, poterit Deus diluuium efficere.

Item aduerſus Caietanum inuehitur: etenim Caietanus colligit Iridem eſſe ſignum naturale nunquam futuri diluuij, ex ſacro Textu dicente, apparituram Iridem (quæ excludit materiam productionis diluuij) in omni futura generatione, ideſt, in omnium hominum ætate. At hæc ratio Caietani, inquit Pererius, nulla eſt, nihil enim prohibet in aliqua generatione, ideſt, hominum ætate, apparere Iridem, & fieri diluuium. Verbi gratia, contineat generatio decem vel plures annos, & primo anno generationis appareat Iris: quid vetat poſtquam deſierit apparitio Iridis, poſt duos aut tres annos paulatim congregari materiã vaporũ in aëre, vnde generetur diluuiũ? Non igitur quia Iris apparitura eſt in omni generatione, ideò naturale ſignum eſt non futurum mea generatione diluuium. Iſte modernus autor vir pius, & doctus fingit hoſtes D. Thomam, & Caietanum, cum tamẽ non ſint. Quod nihilo melius oſtenderetur quam reſpondendo ad argumenta quibus conuincitur.

Ad primum, & probationes citatas reſpondetur, D. Thomam neque ſomniaſſe Iridem eſſe naturale ſignum diluuij vniuerſalis non futuri abſolutè loquendo, attenta Dei potentia ſupernaturali, per quam & factum eſt diluuium, & poſſet fieri, etiam permanente Iride, & cauſis eius, vt argumenta iſtius viri docti probant. Quis enim vel mediocriter eruditus, hoc negare poſſet; nedum Doctor Angelicus, & eius acutiſsimus Cõmentator Caietanus? Sed dumtaxat concedunt Iridem eſſe ſignum naturale diluuij non futuri iuxta ordinem cauſarum naturalium, ideſt, manente aërea regione in ea diſpoſitione; à qua naturaliter generatur diluuium. Sic habet D. Thom. expreſſe in ſolutione ad tertium articuli citati. Idem videre licebit apud Caietanum legenti eius verba priora illius Commentarij in cap. 9. Geneſeos. Addit tamen accutiſsimè, quod ſuppoſita promiſsione Dei, Iridem ſcilicet apparituram in omnibus futuris generationibus; eam futuram ſignum naturale, non ſolùm non citò, & de propin quo non futuri diluuij, ſed etiam nunquam futuri per cauſas naturales. Et ad argumentum in forma negatur, Iride apparente in ſingulis generationibus, poſſe in eo temporis interuallo inter Iridem, & aliam Iridem, cogi naturaliter tantam multitudinem vaporum, & nubium, vt reſoluantur in tot pluuiarum immenſitatẽ, quæ ſufficiens ſit ad obruendam aquis totam terram diluuio vniuerſali: ſecus de particularibus. Et ſi roges, quotum, quodque tempus deſignet vna generatio? Reſpondetur, in hoc loco nullum determinatum: ſed ſenſus eſt apparituram Iridem omni tempore cõſueto naturaliter, in omnium hominũ ætate, interdum ſæpius in vno anno; & fortaſſe naturaliter non deſinet apparere per annos duos in hac aut altera regione. Quãdo igitur promiſit Deus in omni generatione Iridem apparituram: conſequenter promiſit diluuium non futurum per cauſas naturales, quod prius promiſerat per nullam cauſam etiam ſupernaturalem affuturum.

Hinc infero iuxta mentem D. Thom. & veritatem, Iridem non eſſe abſolutè loquẽdo ſignum naturale nunquam futuri diluuij vniuerſalis, cõſiderata poſsibilitate eius, etiam attenta Dei potẽtia miraculoſa. Secũdò infero, eſſe ſignũ naturale non futuri diluuij, quamdiu aër fuerit in ea diſpoſitione, à qua Iris generatur. Tertiò cum Caietano, eſſe ſignum naturale nunquam futuri diluuij, per cauſarum naturalium efficientiam, attẽta promiſsione Dei de apparitione Iridis futuræ in omnibus venturis generationibus. Quartò. Nihil ex his quæ cognouimus potuit conuenientius ſignificare promiſsionem de nõ futuro diluuio, etiam per miraculum, quàm Iridem propter iam dicta.

An verò præpter prædictas ſignificationes, alias habeat Iris naturales, variè ſentiũt vacantes rerum naturis perſcrutandis. Seneca. Seneca, lib. 1. naturalium quæſtionum, cap. 6. arcus, inquit, non eaſdem vndecumque apparuerit, minas affert: à meridie ortus, magnam

nam vim aquarum vehet, vinci enim non A potuerunt vehementissimo sole: tantum est illis virium. Si circa ocasum refulsit; tonabit, & leuiter impluet. Si ab ortu circáve surrexerit; serena portendit. Alij è contra asserunt (quod certum, & sufficiens, illud nuper dictum est) frequentius post pluuiã apparere: ex quo non leuis coniectura sumitur portendere serenitatem, nubibus maiore ex parte exoneratis vaporibus grossioribus, saltem quoties apparet non esse cœlum nubium multitudine refertum. Vnde in ea dispositione signum naturale est non adfuturas immensas pluuias.

NOTATIO.

EXplicatis diuinationibus, quæ sumũtur à motibus viuentium, & non viuentium, agendum est de diuinationibus, quæ pertinent ad aliam speciem, quę sumitur ex figuris, & lineis in corporibus repertis, vt adnotauit D. Thomas in tertio articulo huius quæstionis: quarum diuinationum tractatio, meritò collocabitur in hoc articulo septimo, vt videre licet in titulo, & ex dictis in eo decidenda erit. Et primò de diuinatione Physionomica, quæ communiter accepta, extenditur ad omnẽ diuinationem sumptam ex consideratione constitutionis, & dispositionis omniũ partium humanarum, putà capitis, pectoris, dorsi, & vocalium, genitalium, & pedum: sed potissimè sumitur ex consideratione faciei, eo quod sensuum organis constat, & mentem valde prodit. Ex manuum item consideratione, post faciei contemplationem, maximè sumitur, eo quod manus humana est organum organorum, vt cum Aristotele, & Galeno testatur omnis Philosophorum Schola: & sub hac communi ratione diuidere possumus in spatulomantiã, D quæ considerat signa, & lineas repertas in armo animalium: & ad eandem reducitur omnis consideratio signorum in quocunque membro corporis, excepta facie, & manu: & in chiromantiam, quæ considerat cõstitutionem, & lineas manuũ: & in physionomiam specialiter acceptam, quæ considerat faciem. Et hæc species, quia nobilior, retinuit sibi genericum nomen, cum sit vna tantum eius pars. De ijs singillatim dicendum, & primo

De physionomica diuinatione per proportionem, & dispositionem faciei.

DVbitatur an licita sit. Et videtur vera pars affirmatiua. Isaię. 3. *Agnitio vultus eorum respondebit eis.* hoc est, vultus exterior, eorũ secreta cordis patefecit. *Isaiæ.3.*

Ergo ex facie licitum est diuinare de occultis cordium. Et Ecclesiastici 13. *Cor hominis immutat faciem illius.* & illud, *vestigiũ cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies.* *Eccles.13*

B Ex quibus verbis apparet, licitum esse diuinare de cordis intimis, ex facibus. Secũdò: quia multi peritissimi Philosophi artem seu scientiam coniectandi futura ex facie, & eius partibus tradidêre. Aristoteles opus culum integrum dedit posteris, & sparsim multa in libris de historia Animalium. Sicut & Hippocrates, qui lib. 2. de Morbis popularibus in hunc modum ait: *Quicumque rufi naso, acuto, oculis paruis, mali: quicunq; rufissimi, oculis magnis, boni: rursum caput magnum, oculi parui, balbi, iracundi sunt. Et rursum magni calui, balbi, gracili voce præditi, boni, &c.* *Aristot.* *Hippocra.*

C Pro decisione præmittendum primò. Si quæ significatio futurorũ, aut occultorum ex faciei dispositione, aut constitutione sumi potest, habebit locum dumtaxat quia vna est causa communis futuris euentibus, & ipsis faciei dispositionibus, vnde diuinatio aut prænotio sumitur. Probatur: quia vt sæpe docuimus cum D. Thom. omnis significatio rerum corporearum attenditur, vel quia istæ res sunt causa aut effectus futurorum euentuum: vel quia habent vnam causam communem. Primum nõ inuenitur in compositione, aut dispositione faciei: non enim potest esse effectus futurorum euentuum, alias effectus esset prior sua causa efficiente. Neq; potest esse eorum causa, cũ dispositio faciei pertineat ad quartam qualitatis speciem, quæ nullo modo actiua esse potest, superest ergo id quod asserimus in nostro dicto. Cùm ergo triplex esse possit causa dispositionis, & constitutionis faciei, & futurorum euentuum, scilicet naturalis, diuina, & diabolica; videndum est ad quam istarum reducatur faciei constitutio, & figura: inde enim colligemus an ex ipsa possimus diuinare futuros, aut occultos euentus. Nam si virtus illius causæ se extendere valeat ad eos, licita erit diuinatio sumpta

ex

ex dispositione faciei, saltem si causa naturalis est diuina, sin minus, nequaquam licita erit. Sed hæc in particulari enucleanda sunt. Quapropter secundò aduertendum, quod Deus rarò aut nunquam cõstituit, aut vsus est figura faciei, aut alia quauis dispositione corporis, ad significandos futuros euẽtus, quos ipse facturus erat, vt peculiaris eorũ causa. Hoc colligo, quia nunquã legitur, hac via voluisse suã manifestare voluntatẽ faciẽdi hoc vel illud. Quinimò oppositum
1. *Reg.* 16. videtur colligi ex historia 1. Regũ. 16. vbi habetur Deum volentẽ eligere futurum Regem Israël, misisse Samuelem vt ex filijs Isai eligeret vnum: cùm autem Samuel cõiecisset oculos in Eliab, quia proceræ erat staturæ, facieque regali, ait: *Num coram Domino est Christus eius?* Et respõdit Dominus: *Ne respicias vultum eius, neq; altitudinẽ staturæ eius, quoniam abieci eum: neq; iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Quibus verbis non ignobiliter insinuatur, homines solere ex vultu, & dispositione corporis iudicare de futuris, Deum autem nequaquam.

Tertiò notandum, quod dæmones nequeunt dispositionem faciei construere ad significandũ futuros euentus, quos sciũt euenturos, neque eos, quos ipsi sunt facturi: possunt tamen, & sæpe vtuntur dispositionibus naturalibus à natura fabricatis, ad futuros eos euentus significandum: & quandoque præstigiosè faciunt apparere eam faciei rum dispositionem, quæ congruat ad significandum, quæ volunt, vt vno, & altero modo imbuant vana superstitione mortales. Hoc assertum patet ex dictis à nobis de potestate dæmonum in disputat. 1. & 2. introductoria ad hanc, & sequentem quæstionẽ. Superest igitur vt si quæ significatio occultorum sumenda sit ex facierũ dispositione, à causa naturali communi præfatæ dispositioni, & futuris euentibus, desumi debeat. Isthæc autem naturalis causa, vel est siderum influentia, vt autumant Astrologi: vel quod verius est, ipsa hominum temperies, quæ nihil aliud est, quàm ipsa natura faciens substantiam esse hoc aliquid compositum ex anima, & corpore: à qua temperie nascuntur non solum in hominibus, verùm & in brutis propensiones diuersæ, atque inclinationes: verbi gratia, in tauro, & leone ferocitas, in lepore, & ceruo timiditas, &c. At quia temperies hæc difficilè in se ipsa agnoscitur, propter sui intimitatem; necesse erit recurrere ad aliqua indicia externa quibus manifestetur: quia hæc cõcomitanter ab eadem temperie prodeunt. Ista sunt, præcipuè compositio faciei, & manus: quia primum, solet esse speculum intellectualium propensionum; secundum factiuarum. Ex quorum cõsideratione tam veteres, quàm moderni Physici, artem physionomicam inuenêre, & tradidere, & non parui fecêre; inter quos Aristoteles, & Hippocrates citati. Et de Pythagora fertur, iuxta huius artis regulas, discipulos inspectis eorum faciebus, vel admittebat, vel repudiabat. Gellius, li. 1. noctium Atticarum, c. 9. Et Socrates ex eisdem coniectault Platonem futurum virum insignis virtutis, vt refert Sirenius, lib. 6. de fato, ca. 39. Plato etiã hanc artem approbat in Thimæo: & Sextus Philosophus propter coniectationem ex vultu; corpus vocauit animi imaginem. Ex modernis eam tradidêre multi, sed mixtam superstitionibus. His suppositis, nos quid de ea sentiamus, sequentibus ostendemus.

Aristot. *Hippocra.* *Gellius.* *Sirenius.* *Plato.* *Sextus.*

Prima assertio. Diuinatio physionomica, præcipuè ea quæ metoscopia dicitur: quia ex vultu hominum prædicit corporis seu animæ sensitiuæ affectiones, & propensiones; si intra limites naturales contineatur, & fundamentis dumtaxat naturalibus nitatur, probabilitatem aliquam habet, non tamen perfectam certitudinem: & ideò eã vti cum formidine aliqua veritatis, non est illicitum. Explicatur assertio, adducendo fundamenta, quibus nituntur physionomi, non superstitiosi, sed principijs naturalibus, aut moralibus inhærentes.

Primum fundamentum ductũ est à quadam cum cæteris animantibus similitudine. Verbi gratia, qui paruis sunt oculis inuidiæ passione affici cẽsentur; quia simiæ inuidæ sunt: qui magnis, stupidi, sicut boues & asini. Huius fundamenti ratio colligitur: quia natura dedit instrumenta cuique animalium apta, & proportionata ad exequendas suas propensiones, & inclinationes: ferocibus, vt leoni, apro, tauro, vnges, dentes, cornua: timidis, vt lepori, & ceruo, membra celeri fugæ adaptata, & sic de alijs. Ideò quasi ex signo, & à posteriori colligimus animaliũ propensiones ex ipsis corporeis instrumẽtis, quibus à natura ornantur: & præcipuè, hæc signa, & instrumẽta in facie elucẽt, vbi sunt omnia sensuũ organa. Quod si his adiungas, in animãtibus brutis has propensiones magis elucere ac vigere, quàm in

hominibus: quia illa ſuas propenſiones ſine freno ſequuntur, hi verò ſæpe occultant illis reſiſtētes: colliges probabiliter ex ſimilitudine inſtrumentorū & ſignorū, quæ reperiuntur in animantibus brutis, idem iudicium proferre de hominū propenſionibus, quòd protuleris de propēſionibus brutorū. Secundum fundamentū petitur à moribus gentiū, atque prouinciarū, quæ cum diſcriminentur corporis habitu, & tēperatura, vt plurimū diſcrepāte ingenijs ac moribus vero ſimile eſt: v.g. phyſionomi dicunt nimis fuſcos, ſtupidos ac pertinaces eſſe, quoniā ethiopes ſunt tales. Tertium fundamentū ſumitur à ſexu: v.g. quia mulieres vt plurimum candidæ ſunt, & molli cute, eędemq; B ſunt timidæ ac incōſtātes: idcircò cōiectare licet de viris candido vultu ac molli cute, timidos eſſe ac leues. Et benè ratiocinantur, nam ſi eadē temperies ſimul eſt cauſa prædictæ cutis, & præfatarū affectionū, in quo cunq; ea cutis inueniatur, neceſſe erit inuenire eas paſsiones timiditatis, & incōſtātiæ. Quartū fundamentū deſumitur facta argumētatione ab immutationibus mēbrorū maximè faciei, ac animę ſenſitiuę paſsiones ſeu propenſiones: v.g. oculi non nictantes, teſte Hippocrate, indicant hominē iracūdum, *Hippocra.* quoniā irati fixis, & immotis oculis intuentur; & quoniā ab eadem cauſa, ideſt, temperie, naſcitur oculorū nictatio, & paſsio iracundiæ. Et propter ſimilem rationē à toruo C aſpectu iudicamus animum crudelē. Quod dicimus de cōiectatione ex partiū facialiū motibus, & corporeis affectionibus, dico etiam de motu, & affectionibus aliorum mē-
Prouerb. 6. brorum: vnde Prouer. 6. dicitur: *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde*
Marcialis. *machinatur malum.* Et Marcialis, li. 11. Epigrammate 54.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Quintum fundamentū petitur ex cōparatione quorundā ſignorum cum alijs ſignis, D qua facta, ex quibuſdam alia colliguntur: v.g. inuidiā ex iracundia, cui triſtitia, & pruitas ſit adiuncta. Hæc ſunt fundamenta ex quibus Philoſophi, & ſimul phyſionomi ſuas diuinationes depromūt non per certitudinē, ſed per quandā probabilitatē maiorem aut minorē, qualis in eiſdem fundamētis, & illatione ex ipſis reperitur. Tales Ari-
Michael de Medina. ſtoteles, Galenus, Hippocrates. Et ex modernis à Michaele Medina, lib. 2. Panereſis A Chriſtianæ, c. 2. laudatur quidā Petrus Motius, lib. de multiplici tēperamento, & cognoſcendis hominibus. Quòd ſi quæ ſint alia fundamenta, vel ad hæc reducūtur, quæ cōformia ſunt Philoſophiæ naturali, & morali, vel ſuperſtitioſa ſunt: qualia multa reperies apud phyſionomos quoſdam.

His ita conſtitutis, probatur aſſertionis prima pars ex multis ſacræ Scripturæ teſtimonijs: & vltra ea quæ in principio dubitationis allata ſunt, ſæpe in ſacro Textu iudicium phyſionomicū, præcipuè ex vultu approbatur, 1. Paralip. 12. virorum fortiū facies dicūtur ſimiles faciei leonū. Et Prouer. 17. *In facie prudentis lucet ſapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ.* Et Eccleſiaſtici 8. *Sapientia hominis lucet in vultu,* & 13. *Cor hominis immutat faciē illius.* Secundo ex Philoſophis citatis, qui ex cōplexionis modo, & ratiocinio, maximè quod lucet in facie hominis, propenſiones, ingenia gentiū, prouinciarū, & ſingulorū hominū deſcripſere. Secūda pars, videlicet dūtaxat ex vultu poſſe ferri iudicium probabile, non certum, etiam de propenſionibus: patet, tum quia ſæpe vidimus ſub facie virginea inclinationē crudelem occultari, Sirenarū inſtar; & ſub aſpectu feroci animum clementem. Secundo, quod vna pars faciei indicat, alia obnubilat: v. g. naſus Aquilinus indicat nobilem animum, ſed adiuncti oculi parui, ignobilem. *1. Paral. 12. Prouer. 17. Eccleſia. 8. 13.*

Secunda aſſertio. Non poteſt haberi prænotio, neque diuinatio phyſionomica circa ea quæ pendent ex libero arbitrio, aut caſualia, vel fortuita ſunt. Talia ſunt actus omnes humani liberi, aut permixti actibus humanis: v.g. ira actualis, acceſſus ad fœminas & huiuſmodi. Talia ſunt dona Dei gratuita quæ Deus diſtribuit ſingulis prout vult. Talia ſunt externa hominis bona, vel mala, vt opes, honores, nuptiæ, officia, vitæ ſtatus, mors violenta, & huiuſmodi. Probatur, quia omnia iſta ſubtrahuntur cauſalitati temperiei, & conſtitutionis corporis humani, ā quibus dimanare diximus huiuſcemodi diſpoſitiones vultus, & aliorum membrorū: ergo nequeunt ſignificari per hæc ſigna: de quo latè ſupra agentes de diuinatione per Aſtra.

Ex hac aſſertione infertur, peccatū eſſe mortale ex genere ſuo, pertinens ad inuocationem tacitā dæmoniorū, diuinationē harum rerum ſumptam à vultu hominum, vel à diſpoſitionibus aliorum mēbrorum: quia ea ſigna ad talem diuinationem non te

valent

valent extendere: & ideò Deo permittẽte, dæmon se ingerit huiusmodi diuinationibus, vt veros euentus enunciet. Corolariũ hoc perspicuum erit consideranti ea, quæ diximus art. 5. & 6. præcedentibus.

Tertia assertio. Ex vultu, & partibus eius, atque ex alijs membrorũ humanorũ dispositionibus exilis, & exigua sumitur cõiectura de actibus humanis, & alijs effectibus cõmoratis in proxima præcedẽti assertione. Coniectura quidẽ aliqualis sumi potest, quã tam permittit argumentatio statim subiungenda, videlicet ex dispositionibus variis mẽbrorũ corporis humani, præcipuè ex vultu, sumi potest probabilis diuinatio pronitatum, propensionũ, ac inclinationũ, vt diximus in prima assertione: sed huiusmodi propẽsionibus solent homines sæpe succũbere, nisi ratione cohibeantur: ergo aliqualis cõiectura desumi potest ex vultu, & alijs mẽbris indicantibus probabiliter hasce propẽsiones: sed ea leuis est. Etenim in potestate hominũ est his propensionibus resistere duce ratione, & præcipuè si diuina gratia adiuuẽtur. Egregiè Socrates Zopiro physionomo diuinanti ex lineamẽtis faciei, eũ esse vardũ, stupidũ, & mulierosũ, respondit: ita futurus essem, nisi me Philosophia liberasset. Sic Cicero, li. de fato, & Alexãder Aphrodis. lib. 4. de fato. *Cicero.* *Alexand.*

Ex his infertur, multo probabilius iudicare physionomos de brutis, ex eorum faciebus, aut alijs mẽbris, qualia futura sint, quã de hominibus: quia bruta feruntur in suas inclinationes sine vllo moderamine, homines verò possunt, & aliquando eas ratione moderantur. Vnde & Veterinarij (in qua arte fertur excelluisse Michaelem Balbum Imperatorẽ, vt ait Cedrenus, & Virgilius) certius ex membris brutorum coniciunt, quàm physionomi, & metoscopi. Propter eandem rationem probabilior est coniectura physionomica circa homines sceleratos, qui vt plurimũ suas affectiones, & propensiones sequuntur (instar iumentorum) quã proborum, qui cum suis passionibus bellũ gerunt perpetuum. *Cedrenus.* *Virgilius.*

Quarta assertio. Velle diuinare ex vultu aut alijs mẽbris propensiones hominũ per certitudinem, aut actus alios, qui nõ pendẽt ex libero arbitrio, peccatum est iudicij vani, & temerarij, sed dumtaxat veniale. Hæc assertio patet ex dictis circa articulum quartum, sextum, & septimum.

Sed statim animũ pulsat auiditas sciẽdi, an licitum sit vti hac diuinatione physionomica, sumpta ex dispositione vultus in actibus forensibus? Mouetur dubium propter Baldũ in l. 2. n. 5. C. quorũ appellatio non recipitur, asserentẽ ex mala physionomia sumi cõtra reos indiciũ: & quod quãdo plures de aliquo crimine accusantur ac capiuntur, primũ torqueri debet ille, qui facie est deformior. Hoc etiã placuit Paridi de Puteo de sindicatu. §. mandauit, asserẽti se physionomiam in reis attendẽtẽ, sæpe veritatem attigisse. Sequuntur alij nõnulli iurisperiti, Hyppolitus, Marsilius, & alij, & Mascardus de probationibus cõsilio 831. n. 27. refert ex D. Antonino, tit. 13. c. 2. §. 6. S. Isidorum vidisse in Hispania Mahometũ antequã suam sectam institueret, & ex physionomia eius, præsagisse eum futurum exitialẽ Ecclesiæ Christi: iusitq; eum capere, & in carcerem detrudi, sed ipse monitus à dæmone fugit. Non lõgè abest ab hoc quod refert Nicephorus, li. 10. c. 27. de Gregor. Nazianzeno, qui cùm vidisset Iulianũ, postea Imperatorem Romanũ, & à fide Apostatam, ex eius vultu diuinasse, & in hanc vocẽ prorupisse: ô quantum malũ fouet Romanum Imperiũ! Denique iustè iudices, quẽ viderint interrogatum de crimine aliquo pallescere, aut turbari, capiunt: quia pallor faciei index est sceleris perpetrati. Ergo non malè faciunt, si mala physionomia insignitum capiant, &c. quia ea signa, aliqualia signa sunt iniquorum operum *Baldus.* *Paris de Puteo.* *Hyppolit.* *Marsilius.* *Mascardus.* *Nicephor.*

His non obstantibus, dico primò. In obseruatione legũ iustitiæ vindicatiuæ, & distributiuæ; attẽdere ad prẽsagia ex physionomia, perniciosũ est, & peccatũ mortale iniustitiæ. V. g. beneficia cõmunia, officia, & dignitates distribuere, attẽdendo ad signa physionomica; & pulchriori dare, & deformioris faciei negare: similiter ex indicio deformitatis, velle deprehẽdere reũ vel punire. Probatur: quia sicut habitibus nõ meremur neq; demeremur: sic neq; pronitatib⁹, & propensionibus. : at iustitia distributiua attendit merita; & punitiua demerita: ergo, &c. Ex hoc planè infertur quã iniquũ sit, & illicitũ iudicib⁹ capere, detinere, incarcerare, subijcere torturæ eos, qui deformi sunt vultu, & mitius agere cũ pulchrioribus. Probatur: indicia contra reos desumi debẽt violenta, non leuia, vt ipsimet iurisperiti sæpe aliàs clamant: & circa delicta in particulari; quæ sola subijciũtur iustitiæ punitiuæ ministris, nõ verò propẽsiones, & inclinationes. Sed ex vultus dispositionibus tãtum colligi possũt (& cũ formidine veritatis) propẽsiones

nes,& inclinationes,& cõiectura de actibus humanis in cõmuni leuicula, ita vt vix mereatur nomen cõiecturæ: in particulari verò nequaquam, vt quod iſte furto ſuſtulit has pecunias. Ergo ex phyſionomia vultus velle capere indicia ad iudicandum, temerariũ eſt,& pernicioſum. Confirmatur: quia dato oppoſito, Socratẽ deformem,& innocentẽ, & D. Martinũ deformẽ ſed ſanctiſſimum deberet iudex capere increbreſcente fama alicuius delicti, relicto Alcibiade pulcherrimo, ſed turpiſſimo, aut alijs ſceleratis pulchra facie decoratis. Quid ſi indicia violẽta de homicidio contra duos clamarent? eſſet ne licitũ prius ſubijcere torturæ deformio rem? reſpõdetur licere: nõ quia deformior, ne iudex admiſceat vanitatem ſuis actibus, ſed quia in eius poteſtate eſt, hunc vel illũ prius torquere.

Secũdo dico. In actibus arbitrarijs, quos quis habet in ſua poteſtate, nõ erit illicitum hunc alteri præferre, quia hic deformior, ille verò vultu venerabilior. V.g. licitum erit viro volenti deſponſare filiam, eligere generum bona phyſionomia præditum, relicto altero mala affectum: patet, quia in hoc nulli facit iniuriam, ſed vtitur ſuo iure.

Ad Iuriſperitos citatos reſpõdetur, decipi in hac re, ſicut in multis alijs erga reos, auiditate (vt exiſtimo) reos iudicandi, & ſibi nomen prudentiæ aucupãdi. Id verò quod addit Paris, ſe huiuſmodi indicijs ſæpe veritatem attigiſſe, credo, caſu, vel dæmone cupido ſuperſtitionẽ edocendi accidiſſe, vel quod certius eſt, ſæpius erraſſe: non autem meminit erratorũ frequentius, ſicut moris eſt diuinantium. Illud verò de Mahometo, & Iuliano, cenſeo pertinere ad reuelationẽ factam à Deo ſibi dilectis ſanctis Iſidoro,& Nazianzeno.

Ad vltimã rationẽ, admiſſo antecedenti, negatur cõſequentia. Ratio diſcriminis eſt: quia pallor faciei natus ex interrogatione delicti in particulari, index eſt illius. at ſigna vultus, in cõmuni tantũ, non in particulari: iudex autẽ non punit delicta in cõmuni, ſed in particulari perpetrata. Secundo,& melius reſpõdetur negãdo antecedẽs, quinimò non benè procedunt iudices ſic faciẽtes. Sæpiſsimè enim videmus quã plures viros probos, interrogatos de crimine, quod nunquam commiſêre, palleſcere præ timore, aut alia affectione.

Ad argumenta verò poſita in principio facilis eſt ſolutio, animaduerſis aſſertionibus noſtris.

De chiromantia.

CHiromantia, ideſt, diuinatio ſumpta ex manuum humanarum diſpoſitionibus, putà lineis,& ſimilib⁹. duplex eſt. Quæ dã quæ de propenſionibus,& affectibus diuinat, altera, quæ de omnibus euẽtibus,& vita hominum.

His poſitis dico primò. Prior licita eſt, vt pote pars phyſionomiæ naturalis, quæ de propenſionibus iudicat,& de ea philoſophandũ iuxta dicta. Eatenuſq; vera ars eſt, quatenus lineæ manus, ſiue aliæ diſpoſitiones eiuſdẽ naſcuntur ab eadẽ temperie corporali, à qua ipſæ propẽſiones naturales dimanant. Huic principio, & arti innixi quidã chiromantici Religioſi,& ſapientes, aiũt: manũ benè magnã, multis lineis deſcriptã, neq; omninò glabram, neq; piloſam,& lõgos digitos ad naturalẽ proportionem inæquales, qui facilè & adducantur,& abducãtur, ſapientiã indicare, & bonam indolem: maximè enim humana eſt talis manus. Cur tam verò, rotundã, breuibus digitis,& æqualibus, glabram nimis, aut valde piloſam, aut vngues habẽtes curuos,& longos,& multis aut pauciſsimis lineis diſtinctam, has omnes belluinas eſſe & ad aliqua brutorum genera referendas. Quare piloſa manus (qualis erat Eſau) ſignificauit hominem agreſtẽ, & ferum inſtar vrſi. Vngues curui, rapacem more accipitris. Rotunda ac breuis ſine lineis, ſtupidum: qualia quadrupedum plurima. Hæc & ſimilis coniectatio ſumitur ex primo fundamento à nobis poſito pro diuinatione phyſionomica naturali. Item à ſecundo,& tertio ſumitur coniectura, eos qui contractas ſemper gerunt manus, timidos, & auaros eſſe: contrà, qui extentas, audaces & liberales: qui pendẽtes, aut demiſſas, aut aliam ſuper aliam, deſides, & ignaros: qui elatas, aut mobiles ſolicitos, & negotioſos: qui ad faciem, aut os adducũt, cogitabũdos. Fateor, non tam probabilem coniecturam poſſe deſumi ex lineis manuum, ſicut ex vultus diſpoſitionibus: eo quod natura cõparatum eſt, vt animæ ſenſitiuæ paſſiones magis luceant in vultu: & temperies ac cõplexio vnde naſcuntur, magis ſe explicat ibidem, quã lineis manuũ, quæ fortaſſe ex corrugatione maiore aut minore cutis potius oriũtur, quã ex temperie corporis. An verò hæc diuinatio propenſionũ, originetur in cauſalitate complexionis, circa lineas aut alias manuum diſpoſitiones, an verò in cauſalitatem Aſtrorũ referenda ſit, non mo

ror

rór;controuerſia agitanda erit inter Phyſicos,& Aſtrologos,mihi in vtroque originari videtur,ſed præcipuè in tẽperie corporis.

Dico ſecundò. Poſterior pars chiromantiæ,quæ conatur ex figura, lineis,& huiuſmodi,quæ ad manus pertinent,de omnibus cuiuſq; euẽtibus diuinare quid futurum ſit, vana,& ſuperſtitioſa eſt.Iſta ars palmã manus primò in certos monticulos,ſeu collicu los,areolas,& lineas diuidit:lineis ſeptẽPla netas,& Aſtra præficit: & horum Aſtrorũ ac Planetarum vulgò creditos effectus,ipſis areolis ac lineis manus adſcribit. Huic arti incubuêre aliquot antiqui:& ex recentioribus Ioannes de Indagine Lutheranus (non quidamChartuſianus eiuſdem nominis) Ioannes Tataiſnerus Athenſis, Antonius Cermiſonus, Bartholomæus Cocles, Michael Sauanarola, Petrus de Arca;Marcelus Saya,Andreas Tricaſius,MichaelScotus,& alij;quorũ libri,vt pote ſuperſtitionibus pleni, prohibitæ ſunt lectionis,vt videre licet in Cathalogo Romano,& Hiſpano librorũ vetitorũ. Et probat noſtrũ aſſertũ ex Bulla Sixti V.contra diuinatorũ ſuperſtioſum genus: inter quos enumerat chiromãticos,eos & eorũ artẽ dãnans. Secundò idẽ oſtendit argumentis factis cõtra Aſtrologiam iudiciariã,diuinantẽ de præfatis euẽtibus, cuius filia eſt, & dicitur chiromantia iſta Aſtrologica,& multo vanior matre ſua: quia addit,hanc areolã eſſe Iouis,illam Veneris,aliam verò Mercurij, atq; ita de alijs. Addit etiam,tales areolæ lineas hoc ſignificare,alias illud, quorũ nihil ratione vel autoritate firma ſtabiliunt:ſed ſuo cerebro,& imaginationi deliræ,&prætextæ experientiæ,cõtrẽdũt nos debere credere: nõ multũ diſſimiles Priſcillianiſtis,quos Aug.vt fabuloſos deridet, li.1. de Heræſibus ad Quodvultdeũ hæreſi 70. eo q̃ præficiũt ſingulis mẽbris hominũ duodecim ſigna,conſtituẽtes in capite arietem, taurum in ceruice,geminos in vteris,cancrũ in pectore,& cætera nominatim ſigna per mẽbra diuidẽtes.

Sed in fauorem chiromanticorum, duo ſe offerunt argumenta.Primũ ex ſacris Literis,Exod.13.*Et erit quaſi ſignum in manu tua.*Et Iob 37.*Qui* (Deus) *in manu omnium hominum ſignat, vt norint ſinguli opera ſua.* Secundò: in hiſtorijs narratur multas prædictiones chiromantiæ, veros annuntiaſſe euentus,vt videre licet apud Iouium in Elogijs, & referuntur alia à Bartholomæo Coclite chiromantico.

Ad primũ teſtimoniũ reſpondetur,faciis eſſe explicationis ex verbis ſequẽtibus: *Et quaſi monumentũ ante oculos tuos*: loquitur enim de ſolẽnitate azymorũ,quam vult eſſe Hebræis ſignũ memoriale liberationis ex Aegypto.Sumit autẽ metaphorã ab hominũ more,qui quando alicuius volunt reminiſci,ſolent digito anulũ inferre,vel filũ ligare,quia cũ manũ ſæpe ante oculos eleuemus,fitvt recordemur eiꝰ quod timemus ne obliuiſcamur.Secundũ teſtimoniũ exIobo difficilioris eſt interpretationis, vt pote q̃ multũ negotiũ faceſſibit ſacræ Scripturæ interpretibus, neminẽ tamẽ legi qui de chiromantia interpretaretur.Frãciſcus Valleſius,li.de ſacra Philoſophia c.32. ſic interpretatur: *Signauit Deus in manu omniũ hominum vt nouerint ſinguli opera ſua*,hoc eſt quæ eos facere oporteat,&ad quę nati ſint: nimirum admonent nos nares odorari,lingua guſtare,oculi videre; hæc verò omnia, opera noſtra non ſunt, ſed cum pleriſque communia.Manus verò ſapientiæ, & diuini cultus,&rationis numerandi,& exercẽdarum omnium artium nos admonẽt, quæ ſua hominis opera ſunt. Hæc interpretatio non cohæret textui, nec mirandum in Medico,alias doctiſsimo.Secunda expoſitio aliorum: *In manu omnium hominum ſignat*, ideſt,vnicuique poteſtatem facit,vt ex imbribus,& niuibus conſideret, quando ager colendus,quando ceſſandum à cultura. Si enim pluuiæ,& imbres non eſſent,nec eſſent fundi,aut agricolæ.QuodMoyſes ſignificauit dicens Deute.21.*Dabit Deus pluuiam terræ veſtræ temporaneam,& ſerotinã, vt colligatis frumentum, vinum, & oleum.* Hanc expoſitionem videtur inſinuaſſe D. Thom. in Opuſculo de expoſitione Iobi; ſi tamen illius eſt non diſplicet, ſed non omninò videtur cohærere cũ verbis ſequẽtibus:*Ingreditur beſtia latibulum ſuum, &c.* Tertia expoſitioOlympiodori,& Philippi Græcorum interpretũ ſuper locũ iſtũ ſic pcedit.Dixeratiob procellas,niuiũ copiã, & imbres vehementes manifeſtare Dei fortitudinẽ, & ideò vocat imbres fortitudinis ſuæ.Et ſubdit: *Qui in manu omnium hominũ ſignat*,ideſt,vt homo videns ſe quauis tẽpeſtate ab opere arceri,& manus ſuas ne operentur quaſi ligari: cognoſcat imbecillitatẽ ſuam,vt pote qui his imperfectis metheoris cohibetur,ne operetur, & colat agros ſuos pro arbitrio. Huic expoſitioni concordat editio Septuaginta, quæ habet: *Vt cognoſcat omnis homo imbecillitatem ſuam*. Quarta expoſitio eſt domini Caietani, qui

Ioannes de Indagine. *IoannesTataiſnerus.* *Antonius Cermiſon.* *Bartholo. Cocles.* *MichaelSauanarola.* *Petrus de Arca.* *Marcellus Saya.* *Andreas Tricaſius.* *Michael Scotus.* *Auguſt.* *Exod.13.* *Iob. 37.* *Paulus Iouius.* *Valleſius.* *Deute. 21.* *D.Tho.* *Olympiod.* *Philippus.*

iuxta morem ſuũ ſe accõmodat Hebraicæ literæ, quæ concordari poteſt cum noſtra: imò & Caietani expoſitio cũ præcedentibus. Et ſic fere procedit Caietanus: poſtquã Iob deſcripſit Dei potentiã in iaculãdo niuiũ copiã, & imbres vehementes, ſubiũgit quos effectus operetur iſtorũ in terrã immiſsione: duos ſcilicet, vnũ ergahomines, alterũ erga bruta: quoad homines dicitur ꝙ Deus in manu omniũ hominũ ſignat, Hebraicè *ſigillabit*, hoc eſt, ad inſtar ſigillãtis, claudet inmanu omnishominis, ideſt executionẽ eorũ, quæ ſunt in poteſtatẽ hominũ, quæ per manũ ſignificatur. Quomodo claudet, ſigillabit, ſeu ſignabit? quia in poteſtate ſua impedita propter multitudinẽ imbriũ, aut niuis, ne vacent agriculturę, militiæ, itineribus, & executioni multorũ negotiorũ; agnoſcẽt aliquid diuini operis erga homines. Legit Hebræus, vel opera ſua, vt latina editio, ideſt, quæ poſsint agere, vel non agere: aut verò imbecillitatẽ ſuã, iuxta verſionem Septuaginta. Et hæc expoſitio quadrat ſequentibus: *Ingredietur beſtia latibulũ ſuũ.* Vbi deſignatur ſecũdus effectus niuiũ, & imbriũ, ſcilicet concluſio beſtiarũ in latibulis ſuis, ſicut & hominum in ædibus ſuis, non valentiũ inde exire propter tẽpeſtates præfatas. Ad ſecundũ argumentũ reſponde tur. Pro vna vera prædictione, poſſumus mille falſas adducere. Fateor tamen aliquãdo vera enũtiare, quatuor de cauſis à nobis relatis ſuperius, reſpondentes ad ſimilem obiectionem pro Aſtrologis, quas in memoriam reuocare ſuadeo lectoribus.

De diuinatione portentorum, prodigiorũ, oſtentorum, & mõſtrorũ.

MIrabitur quiſpiã, quare D. Thom. in hac quæſtione, vbi de omni diuinationis ſpecie egit, huius non meminit, cuius tam crebra fit mentio apud ſacros & profanos autores, vt videbimus. Reſponſio facilis eſt: quia ſpecierũ diuinationis diuerſitas, ex mediis diuinãdi ſumitur. Quod verò illa fiant præter naturæ cõmunem curſum, quod requiritur ad portenta, prodigia, oſtenta, & monſtra, parũ retulerit, ſicut parum refert ad auſpiciũ, quod auis à qua diui natur, ſit creata miraculoſe, aut naturaliter. Quapropter re benè perſpecta diuinatio omnis, quæ à præfatis ſumitur, ad aliquam ſpeciẽ diuinationis ex relatis referenda eſt. Nos verò claritatis gratia de huiuſcemodi diuinatione ſeorſum agemus.

Sed prius aduertendũ, portẽta, prodigia, & mõſtra (quæ nihil aliud ſunt niſi effectus quidã præter ſolitũ naturæ curſum euenientes) à triplici cauſa poſſe prouenire, naturali ſcilicet, diabolica, & diuina. A naturalibus cauſis prouenire quædã inſolita, certò certius eſt, & cõmuniter naturæ mõſtra appellari ſolent: cuiuſmodi multa videmus, & narrantur accidiſſe, præcipuè in mõſtroſis partubus, veluti cũ mula aliquãdo peperit, cum olim in bello Marſico fœmina Alcipe elephantũ: ita Alexand. ab Alexand. li. 2. ſic anno 1278. alia Leonẽ apud Eluetios, & anno 1477. Papiæ catũ alia: & quædã Buxiæ canẽ. Hæc monſtra puto, ex nefario concubitu hominũ, ac ferarum proceſsiſſe: niſi velis dicere, dæmones varia ſemina ferarũ inverum mulierum earum immiſiſſe. Alia ſunt monſtroſiora, narrat enim Saxo Grãmaticus cũ duobus magnis Vpſalẽſibus Epiſcopis, Gotthicos Reges ex vrſo, & virgine nobili originẽ ducere: & Ioann. de Barros, Peguſianos, & Sianitas Indiæ gentes, à cane qui cũ muliere cõcubuerat. Videndus Torquemada horti floridi Dialog. 1. Sed hæc ſi vera ſint, nequaquã ſtare poteſt, vt homo ex patre fera gigni potuiſſet, tũ quia ferinũ ſemẽ nequit eſſe principiũ organizationis, & materiæ, quæ ſit animæ rationalis habitaculũ: tùm quia ſi ſemen fœminæ nõ cõcurrit actiuè ad generationẽ fœtus, vt multi docti cẽſent: ſemen brutale nõ poterit hominẽ gignere, ſed monſtruũ habens effigiẽ hominis. Quid ergo dicemus ad hæc, & ſimilia? dęmonem incubũ, aut Magũ (ſicut dicitur de Nectanabo patre Alexãdri Magni) in ferarũ effigie concubuiſſe cũ fœminis quibuſdã, & ex ſemine humano re vera tales fœtus prodijſſe. Alij verò monſtroſi partus, vt fœminæ bicipitis, aut capitis humani mẽbranis inuoluti, ad imaginatricẽ vim, vel corruptionem ſeminis, & ſuperfluorum copiam in vtero, referendi ſunt.

Alexan. ab Alexand.

Saxo Grãmaticus. Ioãnes Barros. Torquema.

Poſſunt etiã portenta produci à malo dęmone, vel efficiẽte inſolita quæ poteſt; vel quod frequentius euenire puto, fingente, & præſtigioſe faciẽte apparere quædã inſolita ſub præſtigioſa forma: cuiuſmodi multa vide in Valerio, li. 1. integro titulo de prodigijs, præcipuè c. 6. vbi refert infantẽ ſemeſtrem in foro Boario triũphũ proclamaſſe, in Piceno, lapides pluiſſe: in Gallia, lupum vigili è vagina gladiũ abſtuliſſe: in Sicilia, ſcuta duo ſanguinẽ ſudaſſe, etiã metentibus cruentas ſpicas in corbem decidiſſe, Cæritẽs aquas ſanguine mixtas fluxiſſe. Bello etiam Punico ſecũdo cõſtitit Domitio bouem

Valerius.

bem dixisse: caue tibi Roma, Videndus est
Augusti. etiam D. Augustin.lib.3.de Ciuit.cap.31.vbi multa prodigia enumerat, quæ habentur in historijs Gentilium. Alia etiam sunt ostẽta,& prodigia à Deo fabricata, quorũ sunt plenæ sacræ Paginæ, & Ecclesiasticorum scriptorum historiæ.

His suppositis ad nostrum institutũ propius accedentes, de significatione horum portentorum dicendum: quia ab hac pendet omnis ab eisdem sumpta diuinatio, vtrùm vera vel falsa sit? vtrùm legitima, an vana & superstitiosa? De qua re

Dico primò. A monstris ortis à naturalibus causis, vt plurimum nulla sumitur legitima diuinatio: quia nullam habent significationẽ futurorũ euentuũ. Probatur: quia causæ naturales istorũ monstrorũ non sunt effectiuæ futurorũ euentuum: maximè eorum qui fortuiti,& casuales sunt, aut à libero arbitrio pendent. Ergo nequeunt eos significare, vt supra probaui: ac proinde nulla ab eis sumitur diuinatio. Dixi, vt plurimũ, quia incũbentes perscrutationi rerũ naturalium, aliquando aliquot futura præsentiũt, & prædicunt: sed istæ præsensiones, nõ magis dicũtur diuinationes, quã prænotiones agricolarũ, pastorũ,& nautarũ, à mutationibus impressionũ sublunariũ desumptæ. V. g. Pherecides magister Pythagoræ, prædixit futuros esse terræ motus, eo quod defecissent aqua in puteo aliàs scaturienti iugiter & abundanter. Itẽ insolitus ranarũ, muriũ, & reptiliũ prouẽtus, annũtiat pestẽ futurã. Ex quo asserto infertur, vanã extitisse diuinationẽ Gentiliũ, desumptã à mõstris naturalibus: v.g. quãdo fœmina nascitur biceps, diuinabant vanè Ethnici seditionem in populo futurã: corruptionẽ,& adulteriũ in domo vbi nata esset. Si mulier leonẽ peperisset, significari vt ab externis gentibus vinceretur ea ciuitas, in qua id contigisset. Ser-
Valerius. uio Tullio dormiẽti caput arsisse fertur: Va-
Solinus. lerius vbi supra, Solinus, c. 2. Dionysius, li.
Dionys. 4. Liuius, li. 1. (quod fieri posse naturaliter
Liuius. ab igne quẽ vocant fatuũ, existimo) & præ dictũ vanè à diuinatoribus fulmine interiturũ. Quod si aliquando diuinatio, rerũ euẽtibus cõprobata est, id non adscribendũ significationi monstrorũ, sed vel casui accidẽtali, aut verò dæmonibus, qui euentus, quos ipsi cernebant futuros, aut solerter iudicabãt fore; mõstrorũ significationi tribuebãt.

Dico secundò. Portẽta aut prodigia dæmoniaca vacua erãt omni significatione naturali, maximè ea quæ circa fortuita, casualia,& libera versabatur: quod si à dæmone fiebant, vt per illa aliquid significaretur, ea significatio præternaturalis est, à dæmone inuenta, vt suos edoceret Magos, ac cæteros vanis imbueret superstitionibus: ac proinde diuinationes ab his desumptæ superstitiosę sunt, ad tacitã inuocationẽ dæmonũ pertinẽtes. Totũ assertũ liquet ex sæpe dictis. Et prima pars patet: quia circa casualia, fortuita,& libera, nulla rerũ corporaliũ efficacitatẽ habet, sine qua nulla naturalis significatio reperiri valet. Secunda pars, & tertia patet ex sæpe repetitis in hac quæst. Ex hoc asserto nõ erit difficile iudicare, licitæ sint, an illicitæ diuinationes à monstris sumptæ: v. g. narrat Valerius vbi supra de *Valerius.* Xerxe, admirabile inter cœnã prodigiũ incidisse, infusum namq; pateræ eius vinũ nec semel, sed iterũ ac tertio, in sanguinẽ versũ est. Qua de re cõsulti Magi monuerũt vt ab incepto bello cõtra Lacedæmones abstineret. Præstigiũ citra dubiũ à dæmone, qui fecit vinũ sanguinẽ apparere, aut sanguinẽ aliũ de allatũ in paterã effundi: & diuinatio etiã à dæmone Magis suggesta est. Et de eodem Xerxe ibidẽ, in exercitu eiusquẽ parauerat aduersus Græciã equa leporẽ peperit. Fortasse dæmõ id fecit, vel apparere fecit, ad significandũ Xerxis fugã. Claudatur res exẽplo Zoroastris, de quo refertur natũ fuisse dentatũ,& statim risisse, dicẽtibus diuinatoribus, prognosticũ illi portẽdere regnũ, & fœlicitatẽ. Dentatũ natũ fuisse, monstrositas naturalis est (quæ de Pyrrho Epirotarum Rege etiã narratur) statim risisse, nõ ita credo fuisse, sed vel motũ similẽ risui naturaliter edidit, vel à dæmone, qui illũ aptabat vt esset autor Magię, risus illi inditus est: certè vaticinatio de illo vana extitit, vt annotauit Aug. li. 21. de Ciuit. c. 14. *Monstrosus illerisus* (inquit) *nihil boni portendit, nã Magicarũ artiũ fuisse perhibetur muentor, quæ quidẽ illi nec ad præsentis vitæ vanã fœlicitatẽ contra suos inimicos prodesse potuerunt, à Nino quippe Rege Assyriorũ, cum esset ipse Bactrianorũ Rex, bello superatus est.* Hæc Aug. *Augusti.* Mitto modò quod Plinius scripsit de eodẽ, cerebrum *Plinius.* ita ei palpitasse vt impositã repelleret manũ: futuræ præsagio scientiæ, quæ præsagia nequiuerunt esse à significatione eorũ prodigiorũ, quę nulla potuit esse circa prognosticata de illo, sed à malo dæmone, qui huiusmodi diuinationibus superstitiosis, totã Gentilitatem deludebat.

Dico tertiò. Quædã prodigia,& portẽta à Deo facta esse, ad aliqua significanda, nõ

poteſt dubitari à legentibus ſacras Literas, maxime ad incutiendum terrorem hominibus, vt à malo auertãtur, & pœniteant, vel vt denuntiet imminentem ſcelerum vindictam. Talis fuit illa portentoſa viſio, Danielis 5. manus ſcribentis in pariete: *Mane, thecel, phares.* Et illud prodigium, filio Dei moriente, tenebras totum occupaſſe orbẽ tribus horis, velum Templi ſciſſum, lapidum collisionem, &c. Quorum prodigiorũ interpretatio certa relicta eſt Eccleſiæ, aut Prophetis, vt illa prior Danieli, ſecunda Euangeliſtis. Quare licèt concionatores poſsint ex his minitari populo fideli iram Dei, ſuadere correctionem morum, tamen curioſè obſeruare ad futuros euentus in particulari prædicendos, nequaquam licet citra Dei reuelationem, aliàs in vanas prædictiones, & temerarias incidere neceſſe eſt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm diuinatio ſortium ſit illicita?

3. contra c. 154. & opu. 25. ca 4. & 5. Et Epheſ. 1. lect. 4. fi.

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quòd diuinatio ſortium non ſit illicita, quia ſuper illud Pſal. 30. In manibus tuis ſortes meæ, dicit Gloſſa Auguſt. Sors non eſt aliquid mali, ſed res in humana dubitatione diuinam indicans voluntatem.

Aug. in Pſ. 30. cõcione 2. de medio Pſ. declinãdo ad fi. t. 3

2 ¶ Præterea. Ea quæ à Sanctis in Scripturis obſeruata legũtur, non videntur eſſe illicita. Sed ſancti viri tam in veteri, quàm in nouo teſtamento inueniuntur ſortibus vſi eſſe. Legitur enim Ioſue 7. quòd Ioſue ex præcepto Domini iudicio ſortium puniuit Acham, qui de anathemate ſurripuerat. Saul etiam ſorte deprehendit filium ſuum Ionatham mel comediſſe, vt habetur 1. Reg. 14. Ionas etiam à facie Domini fugiens, ſorte deprehenſus eſt, & in mare deiectus, vt legitur Ionæ 1. Zacharias etiam ſorte exijt vt incenſum poneret, vt legitur Lucæ 1. Matthias etiã eſt ſorte ab Apoſtolis in Apoſtolatum electus, vt legitur Act. 1. Ergo videtur, quòd diuinatio ſortium nõ ſit illicita.

3 ¶ Præterea. Pugna pugilum, quæ Monomachia dicitur, id eſt ſingularis concertatio: & iudicia ignis, & aquæ, quæ dicuntur vulgaria, videntur ad ſortes pertinere: quia per huiuſmodi aliqua exquiruntur occulta: ſed huiuſmodi non videntur eſſe illicita, quia & Dauid cum Philiſtæo ſingulare inijſſe certamen legitur, vt habetur 1. Regũ. 17. Ergo videtur, quòd diuinatio ſortium non ſit illicita.

¶ SED CONTRA eſt, quòd in Decre. 26. q. 5. dicitur. Sortes, quibus cũcta vos veſtris diſcriminatis prouincijs, quas Patres damnauerũt, nihil aliud quàm diuinationes, & maleficia decernimus. Quamobrem volumus omninò illas damnari, & vltra inter Chriſtianos nolumus nominari, & ne exerceantur anathematis interdicto prohibemus.

26. q. 5. ca. Sortes.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, ſortes proprie dicuntur, cùm aliquid

Ar. 3. huius quæſt.

quid ſit, vt eius euentu conſiderato, aliquid occultum innoteſcat. Et quidem ſi quæratur iudicio ſortium, quid cui ſit adhibendum, ſiue illud ſit res poſſeſſa: ſiue ſit honos, ſiue dignitas, ſeu pœna, aut actio aliqua, vocatur ſors diuiſoria. Si autem inquiratur quid agere oporteat, vocatur ſors conſultoria. Si verò quæratur quid ſit futurum, vocatur ſors diuinatoria. Actus autem hominum, qui requiruntur ad ſortes, non ſubduntur diſpoſitioni Stellarum, nec etiam euentus ipſorum. Vnde ſiquis ea intentione ſortibus vtatur, quaſi huiuſmodi actus humani, qui requiruntur ad ſortes, ſecundùm diſpoſitionem Stellarum ſortiantur effectum, vana, & falſa eſt opinio, & per conſequens non carens dæmonum ingeſtione, ex quo talis diuinatio erit ſuperſtitioſa, & illicita. Hac autē cauſa remota neceſſe eſt, quòd ſortialium actuum expectetur euentus, vel ex fortuna, vel ex aliqua ſpirituali cauſa dirigente. Et ſi quidem ex fortuna, quod locum habere poteſt ſolùm in diuiſoria ſorte, non videtur habere niſi fortè vitium vanitatis, ſicut ſi aliqui non valentes aliquid concorditer diuidere, velint ſortibus ad diuiſionem vti, quaſi fortunæ exponentes quis quam partem accipiat. Si verò ex ſpirituali cauſa expectetur ſortium iudicium, quandoque quidē expectatur ex dæmonibus, ſicut legitur Ezec. 21. quòd Rex Babylonis ſtetit in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiſcens ſagittas interrogauit idola, exta conſuluit: & tales ſortes ſunt illicitæ, & ſecundum Canones prohibentur. Quandoque verò expectatur à Deo, ſecundùm illud Prouerb. 16. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur, & talis ſors ſecundùm ſe non eſt malum, vt Auguſt. dicit. Poteſt tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere. Primò quidem ſi abſque vlla neceſſitate ad ſortes recurratur. Hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere. Vnde Ambroſ. dicit ſuper Lucam: Qui ſorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur. Secundò. Si quis etiam in neceſſitate abſque reuerentia Dei ſortibus vtatur. Vnde ſuper Actus Apoſtolorum dicit Beda: Sed ſi qui neceſſitate aliqua compulſi Deū putant ſortibus exemplo Apoſtolorum eſſe conſulendum, videant hoc ipſos Apoſtolos non niſi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis egiſſe. Tertiò. Si diuina oracula ad terrena negotia conuertantur. Vnde Auguſt. dicit ad inquiſitiones Ianuarij. His qui de Paginis Euangelicis ſortes legunt, etſi optā-

Loco cita. in argu. 1.

Ca. 1. in tit. de ingreſſu Zachariæ in templum ante medi. tom. 5.

Beda in fin. cōment. ad 1. cap. Act. tom. 2.

Epiſt. 119. c. 20. in fin. tom. 2.

dum ſit, vt potiùs faciant quàm ad dæmonia conſulenda concurrant, tamen iſta mihi diſplicet conſuetudo ad negotia ſecularia, & ad vitæ huius vanitates, diuina oracula velle conuertere. Quartò. Si in electionibus Eccleſiaſticis, quæ Spiritus ſancti inſpiratione fieri debent, aliqui ſortibus vtantur. Vnde ſicut Beda dicit ſuper Actus Apoſtolorum, Matthias ante Pentecoſten ordinatus ſorte quæritur, quia ſcilicèt nondum erat plenitudo Spiritus ſancti in Eccleſia effuſa. Septem autē Diaconi poſteà non ſorte, ſed electione diſcipulorum ſunt ordinati. Secùs autem eſt in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrenam diſpoſitionem ordinantur, in quarum electione plerunque homines ſortibus vtūtur, ſicut & in temporalium rerum diuiſione. Si verò neceſſitas immineat, licitum eſt cum debita reuerentia ſortibus diuinum iudicium implorare. Vnde Auguſt. dicit in epiſtola ad Honoratum: Si inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, qui eorum perſecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deſeratur Eccleſia: ſi hæc diſceptatio aliter nō potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, ſorte eligendi ſunt. Et in primo de doctrina Chriſtiana dicit: Si cui abundaret aliquid quod oporteret dari eis qui non haberent, nec duobus dari potuiſſet, ſi tibi occurrant duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel vrgente aliqua neceſſitate ſuperaret, nihil iuſtius faceres, quàm vt ſorte eligeres cui dandum eſſet quod dari vtrique non poſſet.

In fine cōment. ca. 1. Act. Apoſ. tom. 2.

Epi. 180. inter med. & fi. to. 2.

Li. 1. c. 28. tom. 3.

¶ Et per hoc patet reſponſio ad primum, & ſecundum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd iudicium ferri candentis, vel aquæ feruentis, ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquiſitionē per aliquid, quod ab homine fit, & in hoc conuenit cum ſortibus. Inquātum tamen expectatur aliquis miraculoſus effectus à Deo, excedit communem ſortium rationem. Vnde huiuſmodi iudicium illicitum redditur: tùm quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ diuino iudicio reſeruantur: tùm etiam, quia huiuſmodi iudicium non eſt autoritate diuina ſancitum. Vnde 2. quæſt. 5. in Decreto Stephani Papę dicitur: Ferri cādentis, vel aquæ feruentis examinatione cōfeſſionem extorqueri à quolibet, ſacri non cenſent Canones. Et quod ſanctorū Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. Spontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione publicata delicta,

2. q. 5. cap. Conſuluiſti ante med.

ćta, habito prę oculis Dei timore, conceſſa ſunt noſtro regimini iudicare. Occultà verò, & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum. Et eadem ratio videtur eſſe de lege duellorum, niſi quod plus accedit ad communem rationem ſortium, in quantum non expectatur ibi miraculoſus effectus, niſi fortè quando pugiles ſunt valdè impares virtute, vel arte.

Summa Articuli.

COnclusio prima. Si quis ea intentione vtatur ſortibus, quaſi actus humani, qui requiruntur ad ſortes ſecundùm diſpoſitionem Stellarum ſortiantur effectum, vana, & falſa eſt opinio: & per conſequens non carens dæmonum ſuggeſtione; ex quo talis diuinatio erit ſuperſtitioſa, & illicita. Probatur: quia actus humani, qui requiruntur ad ſortes, non ſubduntur diſpoſitioni Stellarum; nec euentus iſtorum actuum. Aliæ autem partes concluſionis, de ſe patent.

Concluſio ſecunda. Si actuum ſortialium ſpectatur euentus ex fortuna (quod locum habere poteſt ſolùm in diuiſoria ſorte) non videtur habere niſi fortè vanitatis vitium. Concluſio manifeſtatur in rerum temporalium diuiſione. Dicitur autem, fortè, quia non ſemper eſt vitium vanitatis; putà, in caſu neceſsitatis diuiſionis rerum temporalium.

Concluſio tertia. Si expectetur ſortium indicium ex dæmonibus: tales ſortes ſunt illicitæ, & per Canones prohibentur. Prima pars patet, ſecunda verò habetur in argumento, ſed contrà.

Concluſio quarta. Si expectetur indicium ſortium à Domino; talis ſors ſecundùm ſe non eſt mala: poteſt tamen in hoc quadrupliciter peccatum contingere. Prima pars de ſe patet, & teſtimonio Auguſtini. Secunda probatur, quia peccatum interueniet, ſi vel abſque vlla neceſsitate, vel ſine reuerētia Deo debita, vel conuertendo diuina oracula ad terrena negotia, vel vtendo ſortibus in Eccleſiaſticis electionibus.

Concluſio quinta. Si neceſsitas immineat, licitum eſt cum debita reuerentia diuinum auxilium ſortibus implorare. Probatur teſtimonio Auguſtini, & ſacræ Scripturæ, ac argumento primo, & ſecundo.

Pro intellectione aliquot præmittenda ſunt; primum circa articuli titulum: diuinationis nomen non hic accipi in malam partem, vt ſupra docuimus ſtrictè vſurpari: ſed pro quacumque inquiſitione, abſtrahendo ab illicita, & licita; quæ mediantibus ſortibus procedit. Sortes autem tunc proprie dicuntur; cùm aliquid ab hominibus fit, vt eius euentu conſiderato, aliquid occultum innoteſcat.

Secundò notanda eſt diuiſio ſortium. Prima ſumitur à fine: etenim quędam ſunt ſortes diuiſoriæ, quibus quæritur quid cui ſit tradendum, ſiue illud ſit bonum aliquod fortunæ, vt poſſeſsiones, vel diuitiæ; ſiue ſit honor, aut dignitas; ſiue etiam pœna infligenda; aut actio aliqua exercenda, vel quid ſimile. Si verò per ſortes inquiratur quid ſit agendum, vitandumve; dicuntur conſultoriæ ſortes. Si autem inueſtigetur quid ſit futurum: diuinatoriæ ſunt. Secunda diuiſio ſortium deſumi poteſt ex quibuſdam, quæ diuerſitatem formalem ſortium non inducunt, ſed accidentariam, & quaſi materialem, putà ex materia inſtrumentorum ſortialium, ex repoſitorio ſortium, & alijs huiuſmodi: quæ cùm ſint ferè innumera, & conſequenter ad methodum vix reducibilia, decreueram omittere. Sed quia harum fit mentio frequens apud Autores maximè profanos; in gratiam eorum, qui humanioribus literis vacant aliquot ſortium genera commemorabo.

Primum genus conſideratur ex diuerſitate materiæ ſortialium inſtrumentorum, ad ſortes mittendas fabrefactorum: putà, taxili, ſeu teſſeræ, tabellæ inſcriptæ, lapilli, fabæ veteribus vſitatiſsimæ albæ, & nigræ, literæ alphabeti, globuli, aut calculi, ſiue aurati, ſeu argentei apud Venetos, ſiue lanei apud Genuenſes, ſiue laminæ teſtaceæ: & aliquando vſus eſt etiam palleārum, vt quando ex feſtucis inæqualibus propoſitis conſideratur, quis maiorem, vel minorem accipiat. Hæc partim recenſet D. Thom. in art. 3. præcedenti: & fuſius ex antiquorum vſu Petrus Gregorius in titulū de electi. c. 3. & in ſyntag. iuris li. 34. c. 5. *D. Thom. Petr. Greg.*

His

His accedit diuersitas rerum, vbi repo-
Cicero. nebantur sortes, aut asseruabantur. Cicero
meminit sortium coniectarum in hidriam,
Plato. act.4.in Verrem, Plato in Casina,coniecta-
Homerus. rum in situlam: Homer.Illiad.8.in galeam:
Virgilius. itemque Virgilius Aeneidos 5.hic etiam in
vrnam,Aeneidos 6. Certè aliquando in si-
Prouer.16. num sortes recondi solitas in 16. Prouerb.
habetur: & aliquando in altum iaciuntur,
vt in terram, vel pauimentum cadant. Fortassè inde deducitur: cecidit sors super hūc,
vel illum. Præfatæ diuisioni annumero alterum modum sortiendi, apud Germanos
Tacitus. vsitatum, referente Tacito lib. de moribus
Germanorum. *Virgam* (inquit) *fructiferæ*
arbori decisam in sarculos amputant, eosque
notis quibusdam discretos, super candidam vestem temerè, ac fortuitò spargunt:
mox si publicè, consulitur sacerdos ciuitatis;
sin priuatim, ipse pater familiæ precatus,
Deos, cœlumq; suspiciens, ter singulos tollit;
sublatos, secundùm impressam ante notam in-
terpretatur, &c.

His sortibus non dissimiles sunt comme
Ezechi.21. moratæ ab Ezech.21. quibus vsus fuit Rex
Babylonis. *Stetit enim* (ait Propheta) *Rex*
Babylonis in biuio, in capite duarum viarum,
diuinationē quærens, commiscens sagittas: in-
terrogauit idola, exta consuluit. Ad dexteram
eius facta est diuinatio super Hierusalem. Di-
Hierony. uus Hieronymus sic explicat: Stabit Rex in
ipso compito, & ritu gentis suæ, oraculum
consulet, vt mittat sagittas suas in pharetrā,
& commiscеat eas inscriptas, siue signatas
nominibus singulorum, vt videat cuius sagitta exeat, & quam prius ciuitatem debeat
oppugnare. Alij, commixtas sagittas in aerē
cum fortiter iecisset, in quam partem caderent, dextram, an sinistram, versus Rabbath,
an versus Hierusalem obseruasse. De eodē
Oseæ.4. genere sortiū intelligendus est locus Ose.4
Populus meus in ligno suo interrogauit, &
Hierony. *baculus eius annuntiauit ei.* Ita D.Hieronymꝰ
super eundem locum. Huiusmodi sortium
diuersitatem, si placet, poteris legere apud
Rodigin. Celium Rodigin. lib.7.antiq.lection.c.19.
Tertium genus fiebat per quandā artificiosam protractionē punctorū: nam sexdecim
figurarū nomina in solo, vel mensa pingebantur, ex sexdecim additis punctorū diuersis coordinationibus, quæ nomina singulis
suis astrisputant respondere. Quartū genus
sortiū, quia narratū à multis, refero, habēs in
hunc modū. Eligebatur locus, & in partes
æquales diuidebatur, & vnicuique singulæ
Alphabetì literæ inscribebātur. Deinde sin-
A gulis literis granum frumēti imponebatur.
Postea ad hæc enutritus gallus gallinaceus
introducitur, qui grana comedat. Denique
notantur literæ, quarū primùm granis vescebatur, & inde præsagium sumebatur. Sic
sorte electa dicitur, annuntiatum imperiū
Theodosij à quibusdā Magis, vt referunt Zo-
Zonaras. naras to. 3. in Valente, & Socrat. li.4.c.15.
Socrates. Innumeræ aliæ sortiū differentiæ erant in
vsu apud veteres, & reliquiæ aliquando pullulant apud modernos. Verùm ab his recēsendis supersedeo, quia ex relatis discès iudicare de omnibus.

Quodsi obijcias, præfatā pertinere ad su-
B perius commemoratas diuinationes superstitiosas, non ad sortes: secundum genus ad
geomantiam, quæ interdum tacita, aliquādo
expressa fit dæmonum inuocatione: tertiū
genus ad diuinationem Astronomicā: quar-
D.Thom. tum ad auspicia. Respondetur ex D.Th. in
opusc.25. sortes sæpe commisceri alijs diuinationū generibus, dū actus sortiales, quatenus ab hominibus fiunt, aut assumūtur ad
occulta inquirēda, ad sortilegam diuinationem spectant. At absolutè secluſa hac con-
C sideratione, ad alias superstitiosas diuinationes nil vetat pertinere: vnum enim vitium
habere actus aliorum pro materia, sæpe cōtingit. His positis est

DISPVTATIO I.

De efficacia sortium ad inquirenda vel prædicenda occulta.

IT videtur omne sortiū genus ha-
bere infallibilē significationem
eorū quæ demonstrat, ex illo Pro-
Prouer.16. uerb. *Sortes in sinum mittūtur, sed*
à Domino temperantur, id est, adaptantur,
vt sors ea occurrat, quę demonstret occultū
D aliquid, vel futurum euentū. Confirmatur
ex multis sortibus, quibus sancti viri vsi
sunt ad agnoscendos euentus futuros, quibus non vterētur, nisi scirent earum significationem, certam esse, & infallibilem, Ge-
Genes. 24. *Iudic.7.* *1.Reg.14.* nes.24.Iudic.7.1.Regum.14. Ergo, &c.

Pro parte negatiua facit primo, multas
fuisse sortes fallaces. Secundò, stultum esse
omnibus sortibus credere, cū nulla appareat
repugnantia sortiri de victoria, aut fuga, &
sortem oppositum indicare eius quod de
facto euenit: sortiri de innocentia alicuius
verè innocentem, & sortem eum nocentē demōstrare. In hac quæstione decidēda
duo vitādi sunt errores è regione oppositis.

Pri-

Primus aſſerentium nullam eſſe, aut fuiſſe ſortium efficaciam, id eſt, inquiſitionem omnem ſortium vanam eſſe: eo quod putabant omina caſualiter, & fortuitò euenire, tollentes diuinam prouidentiam, & reductionem omnium effectuum ad eam. De cuius fundamenti impugnatione non eſt modò diſſerendum. Inſuper & aſſertio erronea eſt; cùm in ſacris Literis habeatur ſæpiſſimè, vt videbimus, per ſortem multos futuros euentus innotuiſſe. Secundus error, aſſerentium omnes ſortes, ſeu ſortiales actus, efficaciam habere ad pandendos futuros euentus, eo quod tam ipſi actus, quàm euentus futuri ſubdantur neceſsitati ſiderum: ac proinde ſi Geomanticus ſortiarius puncta deſcribat in puluere; aſſerunt manus eius moueri ſecundùm cœli virtutem, ad hoc quod talis numerus punctorum proueniat, qui ſit conueniens diſpoſitioni cœleſti. Idemque in cæteris ſimilibus dicunt: & ſic (inquiunt) per ſortes poſſunt occulta cognoſci. Quòd ſi ex ſortibus aliquando non inueſtigantur effectus futuri: id propter defectum agnitionis Aſtralium influentiarum contingere. Sed iſte error iam refutatus eſt, dum probauimus omnes actus humanos (quales ſunt ſortiales) neceſsitati ſiderum nequaquam ſubijci.

His notatis, pro rei cognitione aliquot ſine diſputatione præmittenda ſunt. Primum. Actus ſortiales, putà, proijcere taxillos in altum, vel ſchedulas reponere in vrnam, vel inde educere; non ſunt cauſa futurorum euentuum: quapropter ex eis occulta cognoſci non poſſunt, ſicut ex cauſis. Neque etiam ſunt effectus occultorum, cùm ſæpè ea poſteriora ſint; cauſa autem efficiens nequit eſſe poſterior ſuo effectu. Supereſt ergo, quod ſi ex ſortialibus actibus aliqua futura, aut occulta cognoſcantur: hoc accidat in quantum ſunt effectus aliquarum cauſarum, quæ etiam ſunt cauſantes, vel præcognoſcentes ea futura, aut occulta. Sic enim cognita proportione ſortialium actuum ad ſuam cauſam, & ad futuros euentus, ex ſortibus per certitudinem poſſet inquiri de occultis, aut futuris: ſicut iam ſæpè in alijs diuinationum ſpeciebus latè diſſeruimus.

D. Thom. Secundò notādum eſt ex D. Tho. in hoc articulo, efficaciam, & ſignificationem ſortium (ſi quæ reperiretur) à triplici cauſa poſſe expectari: nempè à diſpoſitione, & influentia ſiderum, vel à fortuna, aut ex A cauſa ſpirituali dirigente ſortes: & hoc dupliciter, vel à dæmonibus mouentibus ſortes, vt conformentur futuris, aut occultis euentibus, quos ipſi ſciunt debere euenire; vel à Deo moderante ſortes per ſuos Angelos, vel per ſe ipſum, vt humani actus ſortiales talem ſortiantur effectum, ſiue proceſſum, qui competat rerum exteriorum euentibus; iuxta illud Prouerbiorum 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* *Prouer. 16.*

Iſtis præmiſsis dico primò. Efficax, & certa ſignificatio ſortium non poteſt ſumi ex cœlorum, aut ſiderum diſpoſitione, & efficacia. Ita habetur in prima concluſione B D. Thom. & probatur, nam actus ſortiales, eo quod actus humani ſunt, non ſubduntur cauſalitati cœlorum, aut ſiderum, vt ſæpè docuimus: ergo ex eis nequit deſumi certa cognitio occultorum, aut futurorum. Etenim ex corporibus cœleſtibus nequit deſumi vlla ſignificatio, niſi quatenus in eis conſideratur aliqua cauſalitas: quod ſæpiùs in præcedentibus inculcauimus. Antecedens explicatur, adnotando, actus ſortiales neceſſariò debere eſſe actus humanos; nam in hoc diſtinguitur diuinatio per ſortes ab alijs diuinationum generibus: quia hæ per C aliqua externa, aut interna alienà conſiliatione fiunt, vt in auſpicio, & ominibus: illa verò per operationes humanas, quæ ſeriò fiunt ad aliquod occultum inquirendum, vt dixit Angelicus Doctor in art. 3. huius quæſtionis. Actus autem ſortiales ſunt, ſortes adaptare, in aliquo loco reponere, & potiſsimè vnam ſortem educere, ex qua ad quæſitum reſpondeatur. Vis huius argumenti corroborabitur, ſi aduertamus hoc eſſe peculiare in ſortibus: quia per eas non ſolùm de actibus humanis inquiritur, ſed etiam per humanos actus inquiſitio ipſa procedit. Vnde nequit dici, quod ipſa proiectio ſortiū ſequatur ex D neceſsitate cœleſtium diſpoſitionum. *D. Thom.*

Hoc aſſertum quidam partim labefactare contendunt, concedentes quidem contra errorem ſecundum relatum, per ſortes à cœleſtibus corporibus directas, non poſſe certò, & efficaciter inueſtigari de actibus humanis, qui cœlorum influentiæ non ſubſunt: at verò dicunt poſſe inquiri de alijs euentibus, qui cœlorū influxibus ſubduntur: dum tamen vtamur actibus ſortialibus, non vt actus humani ſunt, ſed indeliberatis. Vnde in protractione punctorum, Geomantiæ autores hoc obſeruandum putant

tant, vt & ille, qui protrahit puncta; abſque præmeditatione rationis procedat: & ille qui conſulit, quaſi interiori ſolicitudine inſtigatus interroget, non quaſi ex deliberatione rationis. Quod etiam in alijs talibus conſultationibus dicunt eſſe ſeruandum: quia credunt in iſto caſu actus ſortiales, & euentus expectatos pendere à cœlorum influxibus: ac proinde qui talem influentiam agnouerit, agnoſcet etiam ſortium ſignificationem: v. g. quis infirmitate preſus, conſultat an morietur, necne? conſultor iacit ſortes indeliberatè, temerè, ac quaſi fortuitò: aiunt, ſortiales eos actus dirigi à cœlo ad ſignificandum mortem, vel recuperationem valetudinis. Secundò dicunt, B poſſe inquiri per ſortes præfato modo indeliberatas, de inclinationibus ad futuros euentus: v. g. quis interiore ſolicitudine inſtigatus (vt creditur ex cœli influentia) per ſortes inquirit, vtrùm ducet vxorem necne? aiunt, ſortes eas à cœlo dirigi, vt ſignificent, non actum, quia ſubeſt libero arbitrio, ſed inclinationem conſultantis. Tertiò dicunt, poſſe expectari euentus ſortium ab influxibus cœlorum ratione talis temporis, putà, quia ſecundùm Aſtrologiam occurrit tunc tempus exaltationis conſultantis: & propterea poteſt ſperare quod omnia, in quibus agitur de ipſo, cœlum inclinabit ſecundùm ſuas vires in exaltationem ipſius. Et ſic cadet ſuper illum ſors illa hora.

Certè iſti modi mittendi ſortes, non minus inanes, & fallaces mihi videntur, quàm reliquæ conſultatoriæ ſortes: quibus nec D. Thom. nec cordati, vllam efficaciam, aut certam ſignificationem tribuunt. Et ſi quis memor extiterit eorum, quæ diximus in art. 5. differentes de Aſtrologis, hæc omnia facilè confutabit. Nos modò fila dumtaxat miniſtrabimus, vnde quiuis telam argumentorum contra hos ſine magno labore contexet. Primò. Illud quod dicitur conſultantem debere interiore ſolicitudine à D cœlo inſtigari: iam vt impoſturam reiecimus loco citato. Secundò. Alterum eorum aſſertum de ſortibus mittendis temerè, & ſine deliberatione, vix intelligi poteſt: cū ſortes iaciens, neceſſariò debeat de ijs mittendis deliberare; niſi loquantur de vltimo actu ſortiali: v. g. vnam ſchedulam ab vna educere, qui actus non eſt in arbitrio conſultantis: & hoc commune eſt omni ſortium generi: quare non ob id dicuntur omnes actus ſortiales indeliberati. Tertiò. Eſtò A omnes actus ſortiales à cœlo dirigantur, & efficiantur; qua connexione, aut ligatura cōnectuntur cum euentibus futuris, vt inde euentus agnoſcantur? nulla certè. V. g. cōſultat quis de victoria obtinenda, aut fuga capeſſenda: mittuntur in vrnam duæ ſchedulæ, in quarum vna victoria deſcripta eſt, in altera fuga; & demus cœlum portendere victoriam. Educitur ſchedula vna. Rogo vnde eſt quòd educatur ſchedula victoriæ, & non ſchedula fugæ? Dices, à cœlo mouente ſchedulas in vrnam, vt prior occurrat victoria, quàm fuga: & mouente etiam manum educentis, vt eandem apprehēdat, & non alteram; quia victoriam parat, non B fugam. Quis niſi deſipiat, credat tales motiones à cœleſtibus corporibus inſenſibilibus, imò inanimatis; cùm hæ ſequeſtrationes, & motiones nequeant niſi à cauſa operante per intellectum fieri? Quartò, quia iſtæ motiones temerariæ ſchedularum, & manuum eas è vrna educentium, ab inclinationibus, & propenſionibus fieri deberent, iuxta Aſtrologorum ſententiam, vt ſupra vidimus: nos verò, neque cordati ponunt ad huiuſmodi, inclinationes aliquot. Alias plures reperirentur à cœlo inditæ inclinationes, quàm ſit numerus arenæ maris: eo quod ſine numero actiones indiuiduales reperiuntur.

Secundò dico. Efficax, & certa ſignificatio occultorum, nequit deſumi, à fortuna: ita D. Thom. in ſecunda concluſione. Et *D. Thom.* probatur, quia cùm fortuna ſit concurſus multarum cauſarum per accidens coniunctarum; non valet eſſe certæ efficaciæ, aut *D. Thom.* ſignificationis cauſa, vt D. Thom. colligit ex Ariſtotele 11. Metaphy. lectio. 8. in fin. Quod ſi obijcias ſortes diuiſorias, quæ efficaciter demonſtrāt quid quiſque accipiat. Reſpondetur, id non prouenire à fortuna, aut eius cauſa, ſed à condicto, & conuentione eorum, qui fortunæ ſe exponentes, volunt ſortibus caſualibus ſe ſubmittere.

Tertio dico. Quandoque poteſt efficax, & certa ſignificatio deſumi ex dæmonibus præparantibus ſortes: ſed ſæpè talis ſignificatio fallax reperitur. Prima pars probatur, quia quandoque dæmones ſciunt, aut coniectant occulta, vel futuros euentus: & vt arrogent ſibi diuinationis attributum ſciēdi futura; inſtigant ſuos cultores vt ſortes mittant: eaſque ſic diſponunt, vt ſors cadat iuxta futurum euentum, quem ipſi parant, vel ſciunt, aut coniectant. De qua re narrātur multa exempla petenda ex dictis in prin-

principio huius dubitationis. Secunda pars probatur. Nam quandoque res non succedunt sicut dæmon coniectat; aut verò, quia mendax est, sæpè suos fallit alumnos, iacētes sortes in nomine eius. Quarto dico. Omnes sortes, quæ sunt à Deo, vt causa peculiaris operante certam significationem habēt. Patet ex conclusione 4. D. Thom. & eius probationibus.

Quintò dico. Secluſa Dei reuelatione explicita, aut implicita, non potest desumi certa significatio occultorū ex sortibus cōsultorijs, aut diuinatorijs. Probatur: quia huiusmodi certa significatio non sumitur ex natura rei, id est, ex causalitate sortiū, quia neque sunt causæ futurorum euentuū, neq; procedunt necessariò ab aliqua causa communi ipsis, & futuris euentibus; vt ex ante relatis assertis manifestum fit. Neq; etiam sumitur ex promissione Dei pollicitantis se affuturū, vt sortes semper indicent rei veritatem: etenim talis Dei promissio nullibi extat; quæ si esset reuelasset vtique suæ Ecclesiæ: ergo, &c. Secundò probatur argumentis factis pro parte negatiua in principio disputationis.

Ad argumenta posita in principio dubitationis pro parte affirmatiua respondetur. Ad primum, illam sortiū temperationem, de qua loquitur Sapiens Prouer. 16. bifariā exponi posse à Deo esse: primo modo, quòd à Domino semper fiat in sortione; vt illa educatur sors, quæ indicet veritatem eius quod quæritur, & sciri desideratur. Et iste sensus non est ab Spiritu sancto intentus, neque verus: vt experientia sæpè comprobatur, & in quinto asserto ostensum est. Secundo modo, sic à Deo semper temperari sortes, vt à Deo tanquam à causa vniuersali omnia dirigente sit, vt hæc sors occurrat manui, & prior educatur, aut cadat. Fortè Sapiēs inuehitur aduersus errorem eorū qui fortunam, vt Deam colebant, & causam omnium putabant: existimantes omnia temerè, & fortuitò, ac sine vlla prouidentia euenire, & ait: *Sortes in sinum mittuntur, sed à Domino temperantur*; ac si diceret: homines sortes præparant: putà, in sinum, vel vrnā, vel aliū locū occultū mittendo: sed id quod casualius, & magis fortuitum putatur, ac sine vlla prouidentia factū (nempè quod sors hæc educatur, altera relicta) re vera non est alienum à prouidentia Dei: quia ab eo fit ita ordinante, & dirigente. Etenim nullus euentus (etiam sortium) respectu Dei fortuitus est, nihil quod eius prouidentiā subterfugiat. Et iste sensus huius loci verus est, & intentus, neque inde sequitur sortiū significationē ad ostendendum veritatē, quæsitam, esse infallibilem: quia multa Deus facit, & vult voluntate absoluta, & beneplaciti; quæ non vult voluntate signi. De qua re 1. p. q. 19. Sortes autem vult Deus semper temperare, vt hæc, vel illa occurrat, aut educatur voluntate beneplaciti, & absoluta: non autem vult voluntate signi, id est, ita quod ea significetur veritas aliqua, vel pandatur sorte, quid Deo placeat, aut quid iubeat esse faciendum; quod pertinet ad voluntatē signi: aliàs non esset necesse recurrere ad diuina oracula, neque ad consultationes hominum; sed nostræ vitę discursus sortibus gubernandus esset. Ad confirmationem respondetur, ibi relatas sortes Deo reuelante expresse, aut implicitè (quod fiebat per iusionem diuinam) esse exercitas; & ob id ne Deus mendax putaretur, ad eius prouidentiam peculiarem spectauit, vt sortes educerentur proportionatæ ad veritatē inquisitam ostendendam, aut consiliū Deo placitum exequendum: nos verò in ante dictis sermonem fecimus de omni genere sortium, secluso Dei præcepto, aut reuelatione. Et forte de huiusce modi sortibus, quæ ex reuelatione, aut visione diuina fiunt, interpretandus est locus citatus ex Prouerb. 16. non verò de omni genere sortium. *D. Thom.*

DISPVTATIO II.

An sit licitum vti sortibus?

Videtur vera pars affirmatiua ex vsu Sanctorum, ac Patrum veteris, ac noui Testamenti, Gen. 24. Leuit. 16. Num. 33. Iosue. 7. 1. Reg. 14. Ionæ, Lucæ, & Act. 1. & August. in Psal. 30. conc. 2. *Sors* (inquit) *non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione, diuinam indicans voluntatem.* Et in iure Ciuili sæpè vsus sortium non solùm permittitur, sed approbatur, l. 14. ff. de iudic. l. 2. C. quando, & quibus quarta, lib. 10. l. 3. C. de legat. & in iure Canon. 26. q. 2. c. 1. *Gen. 24. Leuit. 16. Num. 33. Iosue 7. 1. Reg. 14. Ionæ 1. Lucæ 1. Actor. 1. August.*

In oppositum faciunt multa testimonia Sanctorum, Leo ad Episcopos Britāniæ (& refertur à D. Tho. in argumento, sed cōtrà) sortes execratur: & Gregorius Adriano notario iubet capere, & punire sortilegos: & idem habetur in Concil. Aurelian. & Aquirensi. cap. 1. & referuntur 26. q. 5. D. Th. in hoc art. neq; omninò approbat, neq; omninò *Leo IIII. Gregor. Conc. Aurelian. Con. Aqui. D. Thom.*

ninò reprobat ſortium vſum : ſed artificioſe (vt tolet) ex cauſa, à qua ſperatur euentus, mediantibus ſortibus, bonitatem, aut malitiam vſus earum inueſtigat, vt videre licet in articuli contextu. Nos verò ſequentes eiuſdem Doctoris Angelici doctrinam id ipſum inquiremus, expendẽtes eam partitionem ſortium, quæ ſumitur à fine, in diuiſorias, conſultorias, & diuinatorias, quas attentius inter ſe diſcriminare opuseſt, tum quia valde conducet noſtro inſtituto ; tum quia facilè erratur, dum diuiſorias inter conſultorias, & diuinatorias, aut è contra, annumeramus. Sortium diuiſoriarum finis eſt, dumtaxat partiri, ac diuidere aliquam rem ſine rixa, & diſcordia eorum, qui cupiunt eam poſsidere. Quod dupliciter poteſt contingere. Primò, datis ſortibus pro multis, quorum quilibet, vel aliquis partem rei ſortiendæ accipit, ſecundùm quod ſors ſibi obuenerit. Verbi gratia quando aua, vel aliæ res temporales inter ciues, ſortibus datis diſtribuuntur. Secundo modo, quando ſortes in vnam iaciũtur pro multis, ſed is, cuius ſors prius educitur, totam rem, pro qua ſortes emittuntur, ſibi vendicat. Iſto modo ſortes iaciuntur pro Magiſtratibus obtinendis, pro litibus finiendis, & ſimilibus. Itaque ſortes diuiſoriæ ſolùm habent pro fine diuidere, aut tribuere rem ſortiendam ſine rixa, & diſcordijs : abſtrahendo ab hoc quod eſt portionem meliorem, aut totũ quod ſub ſortitione cadit, meliori, & digniori dari, vel non dari. Etenim huiuſcemodi intentio potius pertinet ad conſultorias ſortes, quàm ad diuiſorias : in quibus ſors nõ ſuccedit loco conſilij, ſed dumtaxat determinantis dubietatem diuiſionis : ne detur locus iurgijs, & diſcordijs, vnde ingentia mala oriri ſolent. Sortes conſultoriæ pro fine habent ſuccedere loco conſilij, vt ſcilicet ſortientes ex eis colligant quid facto opus ſit in hoc, vel illo negotio. Quæ adhuc contingũt dupliciter. Vno modo quãdo ſortes non referũtur ad plures perſonas, ſed ad vnam dumtaxat, de qua conſulitur, an hoc vel illud debeat agere, aut pati; putà ducere vxorem, an cœlibem permanere. Secundo modo, quando ſortes referuntur ad plures perſonas ; videlicet quænam illarum debeat eſſe Princeps, Imperator, vel quid ſimile. Et huius generis ſortes poſſemus appellare partim diuiſorias, partim cõſultorias, quia includunt aliquid de diuiſione, & aliquid de conſilio : rectius appellabis conſultorias, quia non tam eſt id quod intenditur diuiſio, quam conſiliatio, vt diuiſio conuenienter fiat. Sortes verò diuinatoriæ, ad præſagiendum de aliquo futuro aut occulto ordinantur.

His prænotatis dico, ſortium vſum de ſe, neque malum eſſe, neque bonum ; ſed aliquando bonus eſt, ſi veſtiatur conditionibus, & circunſtantijs requiſitis : malus autẽ, ſi eæ deficiant. Et hoc probant argumenta allata in diſputationis initio. Conditiones autem requiſitæ interdum ad virtutem religionis pertinent ; interdum ad iuſtitiam. Sed age, de ſingulis ſpeciatim agamus.

De ſortibus diuiſorijs.

HAE frequentes extiterunt, & ſunt apud omnes nationes. Athenienſes in Areopago, coniectis varijs in vrnam literis, magiſtratus ſortiebantur. Ita Sigonius in Republica Athenienſium, lib. 3. *Sigonius.* Ab ijs eadem conſuetudo ad Romanos deriuata eſt, vt ſcribit Cornelius Tacitus lib. 10. Et apud fideles in omni æuo, ac lege, in frequenti vſu fuêre, vt patet ex Sanctis, & Patribus citatis : qui præcipuè de ſortibus diuiſorijs intelligendi ſunt. Et in populo Chriſtiano, vbi lux veritatis magis effulget, videntibus, & approbantibus gubernatoribus Eccleſiæ, ſortes ſæpiſsime celebrantur priuatim, ac publicè : vt videre licet in eis ſortibus, quæ riffæ vulgariter vocantur : de quarum iuſtitia, & conditionibus requiſitis vide, ſi placet, Franciſcum Garciam libr. 3. de contractibus, capite 20. *Franc. Gar.* & Ludouicum Lopez libr. 2. de contract. capite 13. *Ludouicus Lopez.* Igitur ex vſu piorum, omni ætate, & lege, habemus, ſortes diuiſorias licitas eſſe, ſi debitis conditionibus ornentur. Quarum prima, & præcipua eſt, à quo expectatur euentus ſortitionis, id eſt diuiſio, ſeu determinatio ſortis ad hunc, vel illum. Quæ ſi expectetur à dæmonibus; ad expreſſam pertinet inuocationem dæmonis : ſi verò à cœlorum influxu, tacita diaboli inuocatio eſt; eo quod euentus expectatur, vnde prouenire non poteſt. Et in vtroque caſu talis ſortitio peccatum mortale eſt ſuperſtitionis. Si verò expectetur à fortuna, cui ſe committunt communiter ij, qui vtuntur ſortibus diuiſorijs : nullum agnoſco peccatum, niſi fortè vanitatis, ſecluſo tamen errore intellectus. Addidi, niſi fortè vanitatis (ſicut & diuus Thomas in ſecunda concluſione addidit) quod contingere *D. Tho.*

tingere puto, quando ſine aliquali neceſſitate, aut bono fine, ſortes diuiſoriæ celebrantur. De quo enucleatius ſtatim. Dixi, & ſecluſo errore intellectus, putà, ſi ſortientes putarent fortunam, cui ſe committunt, eſſe Deam, vt Gentiles arbitrati ſunt: aut non ſubdi diuinæ prouidentiæ: quorum vtrumque error eſt contra fidem. Sed rogabit quiſpiam, quid debeant intelligere ſortientes, quando ſe committunt fortunæ in ſortitione diuiſoria, vt ſine crimine celebrentur ſortes? Idiotæ nomine fortunæ intelligunt concurſum cauſarum nobis ignotarum, ſine eo quod cogitent quid ſit fortuna, vel non ſit: ſapientiores verò intelligunt eundem concurſum, vt ſubeſt diuinæ prouidentiæ temperanti ſortitionem ſic vel ſic, in ordine ad fines nobis ignotos. Et hoc eſt expectare euentum ſortialium actuum à Deo, non vt conſiliante, vel operante per voluntatem ſigni (hæc enim expectatio pertinet ad conſultorias ſortes) ſed à Deo operante per voluntatem beneplaciti, ad eum modum, quo in omnibus effectibus operatur, ſicut in præcedenti dubitatione explicauimus. Et ſi adhuc inſtet importunus quæſitor: an liceat in ſortibus diuiſorijs à Deo expectare diuiſionem, quæ magis expediens ſit? Reſpondetur. Iſthæc expectatio ad ſortes conſultorias pertinet: ideò quæſito inferius ſatisfaciemus.

Secundo loco inueſtigandum, an eæ quatuor conditiones, quas D. Thomas in articulo dixit neceſſarias eſſe, vt ſortes non fierent irreligioſe, etiam in ſortibus diuiſorijs exigendæ ſint? *D. Thom.*

Prima conditio eſt neceſsitas, ſine qua vrgente, ſortes non ſunt licitæ. Et videtur hanc conditionem non eſſe neceſſariam, maximè quando conuenit inter eos, qui rem diuidere, aut applicare pro libito poſſunt; vt diuiſio, ſeu applicatio, ſortibus determinetur. Etenim in hoc caſu cùm quiuis ſortientium poſsit pro arbitratu rem diſtrahere; nulla neceſsitate vrgente poterit id efficere, ſiue medijs ſortibus, ſiue quocumque alio medio. Confirmatur. In ſortibus purè diuiſorijs expectatur ſolùm à Deo diuiſio, & determinatio euentus: à Deo, inquam, operante naturaliter, & per voluntatem beneplaciti. Qui modus communis eſt omni effectui, in quo neque fit iniuria, aut irreuerentia Deo, neque vlla tentatio; neque vlli creaturæ, dum ſortientes de ſuo diſponunt, medio ſibi benè viſo: ergo, &c. Secundò. D. Thom. ideò exigit neceſsitatem ſortiendi vt ſortes licitæ ſint, quia aliàs interueniret Dei tentatio; dum homines neglectis medijs prudentialibus, à Deo ſolo ſperant euentum. Sed hæc ratio tantùm procedit in ſortibus conſultorijs, non in diuiſorijs, vbi vnuſquiſque diſponit, & diſponere poteſt de rebus, & iuribus ſuis, nulla adhibita conſultatione; ſed prout lubet: ergo, &c. Item, ludus, putà chartarum, taxillorum, & huiuſmodi licitus eſt, vt pote virtutis eutropeliæ actus: & tamen potiſsimè in diuiſorijs ſortibus conſiſtit: in quo ludentes partitionem committunt fortunæ ſine vlla neceſsitate, ſed ioci, & delectationis cauſa: ergo vt ſortes licitæ ſint, nulla requiritur neceſsitas.

In oppoſitum eſt Diuus Thomas, qui in opuſculo vigeſimo quinto, capite quinto ait, ludum taxillorum, qui ad ſortes pertinet diuiſorias, non carere vanitatis vitio, quia ludentes ſe committunt fortunæ. Et in præſenti articulo dicit, ſortientes ſe committentes fortunæ, fortaſſe non carere vanitatis vitio. Quod videtur dixiſſe quando ſine neceſsitate ſortes mittunt. Secundò. Sortes diuiſoriæ inuentæ ſunt ad tollenda iurgia, & diſcordias vitandas; quæ mala ſolent contingere in rerum diuiſione, dum vnuſquiſque meliorem portionem, aut integram rem ſibi cupit vſurpare, vt ratio manifeſtat, & Diuus Thomas videtur aſſerere in ſecunda concluſione. Et ſapientiſsimus Rex Salomon Prouerbiorum capite decimo octauo ait: *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat.* Ergo ceſſante hac neceſsitate illicitæ ſunt, & vanitatis vitio obnoxiæ: etenim vanum (inter alia ſignificata) dicitur quod ſuum finem non aſſequitur. *D. Thom.* *Prouer. 18.*

In hac re dico, non eſſe improbabilem partem affirmatiuam, propter argumenta facta in oppoſitum: at probabiliorem cenſeo negatiuam. Et ad primum in oppoſitum reſpondetur, Diuum Thomam ideò in ſumma addidiſſe, fortè in ſortibus diuiſorijs vitium vanitatis reperiri, quia dubitauit de veritate eius, quod in Opuſculo dixerat, præuidens probabilius eſſe, nullum eſſe peccatum: aut verò quia quodammodo præter rationem, & dignitatem hominum eſt, procedere non

ex electione, sed ex sortibus, nisi vrgente necessitate. Addidit particulam exceptiuam, *nisi fortè*, &c. quasi innuens, probabiliter posse dici, crimen vanitatis ibi reperiri. Ad secundum respondetur, præcipuum finem sortium diuisoriarum esse commemoratum in argumento; sed alij etiam possunt interuenire: maximè ex condicto, & cõuentione sortientiũ, qui possunt, & volunt disponere de rebus suis sine Dei irreuerentia; & proximorum læsione, vt libuerit. Et certè si Diuus Thomas attentè legatur, in solis consultorijs exigit necessitatem sortiendi, non in diuisorijs, vt supra intulimus. Secunda conditio, quæ à D. Thoma exigitur in sortibus est, vt etiam vrgente necessititate cum Dei reuerentia procedatur. Quæ conditio, si sermo sit de reuerentia positiuè, non video esse necessariam in sortibus diuisorijs: si verò negatiuè, id est, quod non emittantur cum Dei irreuerentia; conditio necessaria est, non solum sortibus diuisorijs, verum & cuique operationi. Tertia conditio, vt diuina oracula ad terrena negotia non conuertantur: hæc necessaria est, non solum sortitioni, verum & cuique actui humano. Nonnulla enim irreuerẽtia pro qualitate negotiorum, grauis, aut leuis est miscere sacra profanis. Quapropter improbandã censeo consuetudinem quorundam, qui sub religionis prætextu ludis chartarum, taxillorum, latrunculorum, vel similium, qui genus quoddam sunt sortium profanarum; lucrari conantur Psalmos recitandos, orationem Dominicam sæpiùs repetitam, & similia sacra. Vnde Ambrosius libro primo officiorum, cap. 23. *Licet interdum, honesta ioca, ac suauia sint; tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula, quoniam in Scripturis sanctis nõ reperimus.* Quarta conditio est, sortes non debere mitti in electionibus Ecclesiasticis, vtpotè, quæ Spiritus sancti inspiratione fieri debent. Secus in temporalibus, quæ ad terrenam dispositionem ordinantur: in quarum electione plerumque homines sortibus vtuntur, sicut & in temporalium rerum diuisione. Hæc quarta conditio necessariò seruanda est in sortitione diuisoria; etenim omne genus sortitionis prohibitum est circa dignitates, & præfecturas Ecclesiasticas, extra de sortilegijs capite finali: ac denique in sortibus diuisorijs obseruandum est, ne violetur iustitia. De quo copiosius statim agendum est.

A

B

C

D

Ambros.

De sortibus consultorijs.

SOrtes consultoriæ tot exigunt conditiones, vt rarò licitus sit earum vsus. Præcipua conditio est necessitas eis vtendi; quia cessante, tentatio Dei incurritur. Etenim in sortibus consultorijs expectatur à Deo consilium ad aliquid agendum: nam si expectetur à dæmone, vel eius astu, iam docuit D. Thomas eum vsum sortium esse superstitiosum. Hæc autem expectatio à Deo, non vrgente necessitate, & non intentatis alijs medijs humanis, quæ ad consequendum finem prodesse possunt; vitium est tentationis diuinæ, vt dicetur inferius quæstione 97. Igitur ad sortes consultorias emittendas opus est necessitate vrgente: putà, quia si res agatur electione, discordiæ, & lites oriẽtur, vt solet contingere in electione Magistratuum, & aliorum Præfectorum. Aut verò post intentatos discursus, & humana media, adhuc dubietas vinci non potest. Opus est ergo vrgente necessitate, vt sortitio consultoria licitè fiat: quo fit vt in rebus minimis, & paruæ vtilitatis, nunquam liceat vti sortitione consultoria: quia in præfatis non verè dicimur necessitate vrgeri. Orandus quidem est Deus pro rebus magnis, & paruis, consulendus verò, exigendo ab eo manifestationem suæ voluntatis, non nisi de rebus magnis, & quando humana consilia desunt. Dicet quis: nonne esset licitum viatori in biuio sortiri de ingredienda via; etiam si non sit magni momenti hac, aut illac pergere? Licet: sed non sorte consultoria, sed diuisoria; in qua sortientes possunt se committere fortunæ sine vlla necessitate, iuxta modum superius declaratum.

Secunda conditio. Etiam necessitate vrgente, non debet quisquam vti sorte, nisi cum magna Dei reuerentia: quia cum eius consilium postuletur, & per media non ordinaria, neque suapte natura efficacia; auxilium Dei reuerenter implorandum est. Egregiè Venerabilis Beda super primum caput Actorum, ait: *Sed si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus, exemplo Apostolorum esse consulendum; videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis, egisse.* Ora-

Beda.

Oratione igitur, vel aliquo actu reuerentiali erga Deum, ſortes anticipandæ ſunt: aliàs peccatum veniale irreuerentiæ non excuſabitur. Quod ſi per orationem poſtuletur, aut per ſortitionem expectetur, non ſolùm vt ſortes à Deo per ſuam ſpecialem prouidentiam temperentur; ſed etiam vt ſigno aliquo diuino, ac miraculoſo oſtendat quod deſideratur ſciri (ſicut quidam dicunt accidiſſe in electione diui Matthiæ) etiam ſi neceſsitas vrgeat, talis poſtulatio, aut expectatio, ad tentationem Dei ſpectat, vt videbimus inferius; niſi ſimul adſit motio diuina ſpecialis ad id poſtulandum, vel expectandum: qualem motionem credimus habuiſſe aliquos Sanctos, qui in ſortibus id poſtularunt.

Tertia conditio: vt diuina oracula ad terrena negotia non conuertantur, ne ſacra profanis miſceantur, & diuina ad terrena ordinentur. Ita diuus Auguſtinus epiſtola 119. capite vigeſimo. Erit enim communiter venialis irreuerentia: ſecus ſi ad obſcœna, & impia ordinentur; tunc enim lethale erit crimen. *Auguſt.*

Quarta conditio non minori cura ſeruanda: ſcilicet vt electiones Eccleſiaſticæ ſortibus non celebrentur, intelligitur, etiamſi vrgeat neceſsitas, & alijs requiſitis obſeruatis: de quo latius infra.

De ſortibus diuinatorijs.

HAS non eſſe licitas communis conceptio eſt apud fideles ſapientes. Et ſi obijcias. Sortes conſultoriæ aliquando licitæ ſunt, quamuis ordinentur ad cognoſcendum quid in futuro agendum ſit: ergo & diuinatoriæ aliquando licitæ erunt: quia ad cognoſcenda futura etiam ordinantur. Negatur conſequentia, etenim conſultoriæ ordinantur ad tollendas dubitationes, quæ circa progreſſum vitæ humanæ innumerę accidunt; & interdum conſilio, & prudentia hominum decerni non poſſunt: ac proinde tũc licitè recurritur ad ſortes conſultorias, humiliter implorando Dei auxilium, vt per eas dignetur edocere, quid agendum, quid vevitandum ſit. At verò ſortes diuinatoriæ dumtaxat ordinantur ad cognitionem futurorum merè contingentium, quorum cognitio, maximè ſi pendeant à libero arbitrio, ad ſolum Deum ſpectat, qui ſatis, ſuperque illuſtrauit, & docuit mortales de his futuris, quæ opus eſt ſcire: in cæteris verò velle edoceri ab eo per ſortes, ſuperuacaneum eſt; & quodammodo ad tentationem diuinam pertinet.

Quod luculenter dicitur Eccleſiaſtici 30. *Altiora te ne quæſieris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus, non enim eſt tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter; & in pluribus operibus eius non eris curioſus; plurima enim ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi: multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Quibus verbis curioſitas noſcendi futura mere contingentia apertè reprehenditur. Inſuper & curioſi iſti monentur damnorum incurrendorum, his vacantes. Quæ omnia perbelle quadrant conantibus diuinare futura medijs ſortibus: ſed verè eos ſupplantat dæmon, ſe huiuſmodi ſortibus ingerendo. *Eccli. 30.*

Iſtarum ſortium diuinatoriarum frequens memoria eſt apud Ethnicos. Quædam in oraculis exercebantur: tales fuerunt ſortes Deliæ, Lyciæ, Antiates, Præneſtinæ, & ſimiles. Item illæ ſortes, quas retulimus emiſſas mediante gallo gallinaceo colligente grana: vnde diuinarunt quidam incantatores Theodoſium futurum Imperatorem. Similiter & illæ, quas commemorat Oſeas capite quarto, Plutarchus in Apophthegmatibus ait, Dionyſio Siracuſano ſortibus miſsis obtigiſſe literam M, vnde præſagiuit monarcham futurum. Aliæ fuerunt huius generis innumeræ, & ſuperſtitioſæ, de quibus intelliguntur Canones damnantes ſortes, & ſortilegos. Eſt autem aduertendum, in eiſdem Canonibus interdum ſortilegium amplè patere, itavt ſignificet quamlibet magicam ſuperſtitionem, ſicut etiam apud Plinium libro octauo, capite quarto, ſortilegiorum nomine videntur intelligi omnes vanæ perſuaſiones Magorum. *Oſeas. 4.* *Plutarc.* *Plinius.*

DISPVTATIO III.

In quam reijcere decreui miſcellaneam turbam obiectionum contra Diui Thomæ doctrinam in hoc articulo.

PRima obiectio contra id quod dictum eſt, ſcilicet eſſe licitum ſortiri ſuper Magiſtratibus, & Præfecturis temporalibus adquirendis. Contrà. Nam huiuſmodi ſortitionibus valdè læditur iuſtitia diſtributiua, ac bonum cõmune, cui attendit iuſtitia legalis; poteſt enim contingere, vt ſors Magiſtratus obueniat indigniori, prætermiſſo digniore; imò aliquando continget exaltari vitioſos, aut ineptos regimini, relictis in angulo viris probis, & ſapientioribus, eo quod ſortientes ſe committunt fortunæ cæcæ, quæ hos effectus, & peiores parere ſolet, vt teſtantur Pacuuij carmina, quæ citantur in 2. Rhetoricorum ad Herennium,

Pacuuius.

Fortunam inſanam eſſe, & cæcam,
Et brutam, perhibent Philoſophi,
Saxoque inſtare globoſo prædicant volubili.
Ideò quò ſaxum impulerit, eò cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem iterant, quia nihil cernat, quod ſe applicet.
Inſanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inſtabiliſq; ſit.
Bruta quia dignum, atque indignum nequeat internoſcere.

Ergo non eſt licitum ſortiri ſuper Magiſtratibus, & Præfecturis temporalibus. Idem argumentum fiet de ſortitione conſultoria; non enim neceſſe eſt eam deſignare id quod melius, ſeu expediens eſt, vt adnotaui in diſputatione prima principali.

Secunda obiectio contra id, quod dixit Diuus Thomas, licitam eſſe ſortitionem circa dignitates temporales, non verò erga electiones Eccleſiaſticas. Nam ſi ſermo ſit de ſortibus diuiſorijs; ſicut ſortientes ſe poſſunt committere fortunæ, vt determinetur per ſortes quis ſit præficiendus regimini terreno: non apparet ratio conuincens quare idem non poſsit fieri erga præfecturas ſpirituales; maximè quando aliter lites non poſſunt terminari, aut diſcordiæ vitari, & ſortitio inter æque dignos exercetur. Et idem argumentum fit de ſortibus conſultorijs: ergo, &c. Antecedens probatur multiplicitèr, primò in ſummo Pontificatu legis veteris collato Aaroni per ſortes, Numerorum 17. & in Apoſtolatu Diui Matthię Actorum 1. Probatur ſecundò. Quia ratio diſcriminis aſſignata à Diuo Thoma non videtur eſſe vera, ait enim electiones Eccleſiaſticas inſpiratione diuini ſpiritus fieri debere, non ſortibus; at electiones Magiſtratuum ſecularium non eſt neceſſe à Deo fieri, quia ad terrenam diſpoſitionem ordinantur. Contrà. Quidquid ſit de temporibus primitiuæ Eccleſiæ, hiſce noſtris, multæ electiones Eccleſiaſticæ celebrantur legitimè ſolo diſcurſu naturali, ſine vlla peculiari Spiritus ſancti inſpiratione. Tertiò, quia ſicut Deus eſt autor, & promotor donorum gratiæ, ita & naturæ: ergo ſicut Rectores, & Gubernatores in ordine gratiæ eligendi ſunt aptiores, & qui eundem promoueant: ita in ordine naturæ hi eligendi ſunt Rectores, & Magiſtratus, qui melius procurent, & augeant bonum commune pertinens ad ordinem naturæ: igitur, ſi priorum electionem non licet committere ſortibus; neque poſteriorum. Certè quæuis differentia aſsignabilis tantùm probat diſcrimen per magis, & minus, quod non ſat eſt ad veritatem doctrinæ Diui Thomæ.

Num. 17. Actor. 1.

Tertia obiectio contra primam conditionem requiſitam ad ſortes conſultorias: nam huic contradicere videtur ſortitio facta de Diuo Matthia ad Apoſtolatum. Etenim, quæ neceſsitas potuit Apoſtolos cogere, vt non ſuſtituerent aliquem loco Iudæ proditoris per ſuffragia, ſed per ſortes, niſi diſcordia vitanda; quæ timebatur ex parte eligentium, vel eligendorum? Quod crimen vel ſuſpicari in Collegio Apoſtolico fas non eſt: vt potè, cui per inſufflationem Spiritus ſancti iam collatus erat: ac proinde valdè alienum credendum eſt ab omni ambitione, iurgio, ac diſcordia. Confirmatur, quia multæ ſortitiones conſultoriæ leguntur factæ ſine neceſsitate in veteri teſtamento, vt illa erga Rebeccam Genes. 24. & ea qua vſus eſt Ionathas, 1. Reg. 14. & qua Ioſue c. 7. & aliæ Num. 33. Leui. 16. Luc. 1.

Geneſ. 24. 1. Reg. 14. Ioſue 7. Num. 33. Leuit. 16. Luc. 1.

Quarta obiectio contra idem: nam quædam ſeruatur conſuetudo ſortitionis conſulto-

ſultoriæ à vitis, & fœminis pijs ſine vlla neceſsitate. Etenim certis diebus, aut anni initio, vel ſingulo quoque menſe conueniunt multi, & deſcriptis quorundam Sanctorum nominibus in ſchedulis ſortiuntur ſibi quilibet Sanctum tutelarem, quem vnuſquiſque impenſius colat, & ad quem frequentiores preces emittat. Hanc conſuetudinē improbare vſitatam multis retrò temporibus à viris, & fœminis ſanctis quis audeat? *Surius.* Surius in vita ſanctæ Eliſabethæ viduæ, ait, ei pro voto ter conſequenter ſorte obtigiſſe Ioannem Euangeliſtam. Non tamen apparet, quæ adfuerit neceſsitas ſic ſortiendi. *Marineus.* Marineus narrat lib. 10. rerum Hiſpaniarum, Petrum Aragonum Regem Septimum, vt nato ſibi primogenito nomen imponeret, iuſsiſſe duodecim cereos albos eiuſdem longitudinis, ponderis, & craſsitudinis accendi apud ſacellum Diuę Virginis, & duodecim Apoſtolorum nomina ſingulis cereis inſcribi; vt illius Apoſtoli nomen imponeret filio ſuo, & eum haberet in patronum, cuius cereus reliquis conſumptis, ſolus diutius perduraſſet. Hac igitur ratione natus infans Iacobus eſt appellatus; propterea quod cereus, in quo nomen diui Iacobi ſcriptum erat, reliquos virtute ſuperaſſet. Cuius ſortitionis probitatem præclara geſta Regis nati declararunt.

Quinta obiectio contra tertiam conditionem, videlicet non debere in ſortitionibus diuina oracula conuerti ad ſecularia negotia. Contrà; nam viros timoratos ſępe id effeciſſe legimus, Heraclius Imperator, vt refert Cedrenus: & Andronicus ſenior, apud Gregoram lib. 8. & quidam Epiſcopus, ac Sacerdotes Galli de fortuna Chranni filij Regis Francorum, apertis Codicibus ſacris conſuluerunt, vt refert Gregorius Turonenſis lib. 4. hiſtoriæ, capite 16. & 20. & ſancta Theodora Alexandrina tali ſortitionum genere vſa legitur, apud Metaphraſtē vndecima die Septembris; ſicut & Meroueus apud Gregorium Turonenſem libro 5. hiſtoriæ Francorum, capi. 14. Multa alia legere poteris apud Athanaſium in Antonio, Sulpicium in vita ſancti Martini. Et quod plus vrget, Diuus Auguſtinus libro 8. confeſsionum, capite 13. de ſe ipſo refert ita feciſſe, & Baſilius epiſtola ad Euſtacium Sebaſtiæ Epiſcopum.

Cedrenus. *Gregoras.* *Turonenſ.* *Metaphr.* *Turonenſ.* *Athan.* *Sulpicius.* *Auguſt.* *Baſilius.*

Sexta obiectio: ex nullo ſortium genere poteſt ſumi coniectatio certa, imò neque probabilis de euentu futuro: ergo omnis ſortium vſus illicitus eſt, ſaltem vanus; & ſine vllo fructu. Antecedens patet ex aſſertione quinta diſputationis primæ circa hunc articulum. Confirmatur. Superſtitioſum eſt ſumere præſagium vnde ſumi non poteſt; ſed ex ſortibus nequit ſumi certa coniectatio; imò neque probabilis futurorum euentuum: ergo non ſolùm vanus eſt vſus ſortium, verùm & ſuperſtitioſus. Minor quoad ſecundam partem probatur (quia cætera clara ſunt,) in ſortitione Monomachiæ, vbi ſæpè Deus permiſit innocentem vinci, ac proſtrari, improbo manente incolumi, & victoria inſolescente, vt patet in capitulo *ſignificantibus*, extra de purgatione vulgari.

Ad has obiectiones continuò reſpondetur. Ad primam, Doctorem Angelicum in hoc articulo tantum meminiſſe requiſitorum ad celebrationem religioſam ſortium; & nihilominus ſupponit poſſe aliunde vitiari; maximè ex defectu iuſtitiæ, vt in obiectione probatur. Quapropter ſi ſortes darentur cunctis ciuibus, aut pluribus, vt regimini præficerentur, abſque delectu ſiue boni ſint, ſiue mali, ſiue apti, ſiue inepti gubernationi: ſortitio illicita eſſet mortaliter. Tum, quia inepta eſſet partitio, vt omninò irrationalis: tùm maximè contra iuſtitiam legalem iubentem proſpicere bono communi in eligendo gubernatores, qui probè, & ſapienter Rempublicam adminiſtrent. At verò ſi multi deſignarentur his præfecturis digni, & ſuper eo tantum ſortes emitterentur, vt cui ſors accidiſſet præficiatur; tunc licita eſſet ſortitio, præcipuè quando timeretur diſcordia ciuium, ſi negotium electione tranſigeretur: & ſic eſt intelligendus Diuus Thomas. Idem iudicandum cenſeo de ſortibus vſitatis in exercitu militum puniendorum propter crimina commiſſa: etenim ne cunctus exercitus, aut maior pars pereat, ſortibus diſcernitur, quis ſit puniendus: verbi gratia: decimus, aut vigeſimus quiſque: nam obſeruare oportet, vt par ſit ſortientium reatus, aliàs iniqua eſſet ſortitio quoad minus nocentes, maximè ſi non meruiſſent tam graue ſupplicium.

Ad ſecundam obiectionem reſpondetur, nos conuinci rationibus ibi factis, vt cenſeamus ſortitionem erga præfecturas,

ſturas, & dignitates Eccleſiaſticas non eſſe prohibitam iure naturali, aut diuino, niſi aliunde vitietur propter defectum iuſtitiæ, aut irreuerentiæ, aut alicuius circunſtantiæ ad actus bonitatem requiſitæ; aut verò, quia neceſsitas ſortiendi non vrget. Nihilominus etiam exiſtimamus, prohibitam eſſe iure humano, vt videre licèt extra de ſortilegijs, capite finali, vbi dicitur, multa reprehenſione dignum, quod ſors in talibus interueniat. Et poſtea concluditur: *Sortis vſum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*. Ex quibus verbis colligitur, prohibitionem comprehendere omnem Eccleſiaſticam electionem: imò ex diſcurſu textus conſtat comprehendere electionem, vel nominationem compromiſſariorum ad electiones Eccleſiaſticas faciendas: ac denique comprehendi electiones Eccleſiaſticas omnes, per quas iuriſdictio etiam ad vnum actum, vel ius eligendi, aut nominandi, vel Eccleſiaſtica dignitas, aut officium, vel beneficium, vel adminiſtratio Eccleſiaſtica confertur. Et in hoc conueniunt omnes iuris periti ſuper illud capitulum, & Theologi cum Diuo Thoma in hoc articulo. Et hi omnes dicunt, ius illud eſſe intelligendum dumtaxat in electionibus Eccleſiaſticis, non in ciuilibus: de quibus non diſponit Canonicum ius. Sed quare prohibita eſt hæc ſors? Quia nõ expedit electiones Eccleſiaſticas ſortibus committere. Cuius rei multæ poſſunt adhiberi rationes. Prima, quæ inſinuatur in Textu allegato, & Gloſſa: quia in huiuſmodi ſortibus aliquot fraudes, & inconuenientia admiſceri ſolent. Secunda, vt Chriſtiani à conſuetudine Gentilium arcerentur. Mos enim erat apud Ethnicos, ſingulo quoque anno ſortibus eligere Iouis Sacerdotem, vt refert Cicero de Siracuſanis, actione quarta in Verrem; licèt Dionyſius Alicarnaſeus dicat libro ſecundo hiſtoriæ Romanæ, legem extitiſſe cauentem ſorte, aut pretio eligi Sacerdotem. Tertia ratio, quæ à priori explicat cauſam diſcriminis inter ſortitionem temporalium dignitatum, & Eccleſiaſticarum, ſit hæc. Terrenæ dignitates, & præfecturæ meritò deſpiciendæ, ac parui pendendæ ſunt; vtpotè, quæ ad terrena ordinantur: & ideò valdè imperfectæ, ac proinde modus eas poſsidendi licèt imperfectus ſit, ſatis proportionatus eſt. Et ſi roges, quis eſt iſte modus imperfectus?

Cicero. Alicarnaſ.

A Sortitio diuiſoria. Quare imperfectus? Quia eligentes iactis ſortibus diuiſorijs committunt ſe fortunæ cæcæ, & ſæpè præferenti minus dignos dignioribus. Dices; ſortientes, qui benè ſentiunt de fortuna, ſe ei committunt, vt ſubeſt diuinæ prouidentiæ; hoc eſt, à Deo expectant euentum. Fateor, ſed à Deo operante naturaliter voluntate beneplaciti, qua mediante operatur omnes effectus: & ſic non expectatur à Deo melior rerum diuiſio, ac rationi conformior: quin potius aliquando ſors præclarior improbiorem hominem contingit. Modus itaque acquirendi præfecturas temporales imper-
B fectus eſt, & ideò proportionatus ad res temporales obtinendas. At verò dignitates, & præfecturæ Eccleſiaſticæ, altioris ordinis ſunt, nempè gratiæ, & ordinatæ ad æternam hæreditatem, ſpiritualiaque bona obtinenda: quare modus eas acquirendi non debet eſſe omnium infimus, quo expectetur euentus à fortuna cæca, vel à Deo operante per modum naturæ, & voluntate beneplaciti, ſicut fit in ſortibus purè diuiſorijs; ſed eſſe debet omnium excellentiſsimus, in quo ſperetur à Deo operante moraliter perinſpirationem diuini numinis, & mouente corda eligentium ad id quod perfectius eſt, ſicut & res
C acquirendæ perfectiores ſunt. Hic autem modus non celebratur per ſortes, ſed per ſuffragia, & Deo inſpirante ſaltem communi inſpiratione, vt autor gratiæ eſt.

Quartò ad idem dicere poſſumus, dignitates temporales ad terrena, ſpirituales ad cœleſtia ordinari: & ideò neceſsitas mouens ſortientes ad mittendas ſortes pro tẽporalibus; eſt neceſsitas pacis terrenæ, quæ in carentia perturbationis, & diſcordiæ externę conſummatur; ac proinde ſatis adquiritur ſi dignitates temporales ſortitione habeantur. At verò pax Dei exuperans omnem ſenſum, quæ debet eſſe finis omnium
D ſpiritualium dignitatum, non obtinetur ſortibus; quia multas virtutes interius, & exterius, vel ſupponit, vel includit (donum eſt Spiritus ſancti, & omnium donorum finis, vt docet D. Thomas lectione 4. ſuper epiſtolam ad Romanos, & alibi ſæpè) & ideò eius acquiſitio non eſt fortunæ committenda per ſortes: ſed ab Spiritu ſancto inſpirante, & illuminante corda eligentiũ ſperanda eſt, mediante electione per ſuffragia, & attentis meritis eligendorum.

Hinc infertur, Prælatos Eccleſiaſticos non

non eſſe eligendos ſortibus, quamuis ex electione per ſuffragia turbatio timeatur: quia per talem electionem ſortialem, pax Chriſti, quæ eſt ingens bonum in electionibus Eccleſiaſticis non promouetur. Secus de Præfectis temporalibus, in quorum electione potiſsimum bonum eſt pax terrena, quæ (vt dicebam) in ſola remotione exterioris diſcordiæ conſiſtit. Quid autem veniat intelligendum nomine dignitatum Eccleſiaſticarum, ſatis liquet: certè in allegato textu Summus Pontifex etiam compromiſſarios ad Prælatos eligendos comprehendit.

Sed ex hac iuris prohibitione allegata ſuboriuntur aliquot dubiola, quæ mouent iuris Canonici periti. Et eſt

PRIMVM DVBIVM.

An ita riguroſè illa prohibitio intelligenda ſit, vt in nullo caſu liceat illi contraire?

VIDETVR non ita riguroſè accipiendam eſſe: nam ſæpè contingit in alicuius dignitatis Eccleſiaſticæ prouiſione, poſt ſæpius intentatam electionem, duos habere paria ſuffragia: in quo caſu videtur eſſe licitum rem ſortibus determinare: tùm, quia vix ſupereſt aliud remedium: tùm, quia vterque illorum ſufficienter iudicatur idoneus per ſuffragiorum multitudinem: tùm tertiò, quia tunc non videtur ſors mitti in electione ſimpliciter (quod eſt prohibitum) iam enim electi ſunt duo ex alijs, & inter ſe, vt æquales, & quaſi diſiunctim, vt alter illorum dignitatem, & officium habeat; & dumtaxat ſors emittitur, vt electio facta habeat effectum in vna illarum perſonarum, potiùs quàm in alia. Et confirmatur ex vſu aliquarum Congregationum, aut Ordinum, qui hoc modo eligendi Paſtorem, aut alios Prælatos vtuntur ad vitandas diſcordias. Reſpondetur, in nullo caſu eſſe admittendam aliquam exceptionem: & in allato, falſum eſt dicere non ſupereſſe aliquod remedium: nam ſupereſt remedium compromiſſariorum, approbatum in capitulo *Quapropter*, de electione. Nec etiam verum eſt, vtrumque illorum æqualia ſuffragia habentium, fuiſſe ſufficienter iudicarum idoneum; quia Congregatio eligentium de neutro hoc iudicauit: quin potiùs in iudicando de magis idoneo, bipartiti ſunt: & ideò ſi ſortes poſteà mittantur, re vera tota electio fit per ſortes, quæ à iure reprobata eſt. Ita ſentit Gloſſa in capitulo *duobus*, de reſcriptis in ſexto, & Felinus in capitulo *capitulum*, eodem titulo, cum Cardinali in capitulo *licet cauſam*, de probationibus. Fateor maiorem vim habere obiectionem, quando à tota Congregatione eliguntur duo, aut plures, vt poſteà ſuper illos mittatur ſors: quia illi re vera ſunt electi à tota Congregatione vel maiori parte. Nihilominus neque huiuſmodi eligendi modus licitus eſt, neque in Congregationibus benè inſtitutis inuenitur talis vſus: quin potiùs in ordine Prædicatorum quando talis quaſi diſſenſio reperiretur inter electores; ſi tranſacto vno menſe non concordauerint: non per ſortes, ſed per Prælati ſuperioris iudiciũ, Paſtor præficitur. Quod ſi in aliquo ordine reperiatur ea conſuetudo, approbante Summo Pontifice, & conſequenter diſpenſante in iure communi: licita erit talis ſortitio.

Gloſſa. Felinus. Cardinalis.

SECVNDVM DVBIVM.

An electio Eccleſiaſtica per ſortes, non ſolùm ſit iure prohibita, ſed etiam ſit nulla?

QVOD enim ſit tantùm prohibita, ſed valida, videtur colligi ex dicto capitulo *Eccleſia*: vbi licèt reprehendatur electio facta per ſortes, non tamen dicitur eſſe nulla: imò ſupponitur validam fuiſſe, cùm Pontifex illam confirmet: confirmatio autem ſupponit actus valorem. Ita ſentit Gloſſa ibi, verbo *Ad gratiam*; dicens, ideò confirmationem illam ad gratiam computari, quia de iure debuit quaſſari. Ergo non fuit irrita, ſed ad ſummum irritanda: ac proinde valida. Præterea: nam poſtea in prohibitione, nullum eſt verbum annullans, ſed tantùm prohibens vſum ſortium in electionibus: lex autem prohibens non irritat, niſi addat verbum declarans nullitatem actus, vt dicitur in materia de legibus. Ad hoc reſpondeo cum Panormitano ſupra idem capitulum, poſt latam illam legem, omnem

Gloſſa.

Panorm.

electionem per ſortes factam, nullam eſſe: tùm, quia eſt facta contra diſpoſitionem illius legis: tùm, quia eſt contra formam datam in capitulo *Quapropter*, de electione, vbi dicitur: *Aliter electio facta non valeat.*

Ad argumentum pro Gloſſa reſpondetur. Ante conditum illum Canonem, non erat prohibitum, vt eligendi per ſortes, poteſtas daretur. At verò, quia id reprehenſione dignum viſum eſt Honorio Tertio, illum condenti, propter multa inconuenientia à nobis relata, maximè propter fraudes, & iniuſtitiam, quæ potuerant talem modum eligendi comitari: primò, gratioſe confirmauit electionem aliàs validam; & occaſione arrepta illius facti, omnem electionem, quomodocunque ſortibus fulcitam perpetuò damnauit. Et quamuis non addiderit verbum expreſsè annullãs electionem taliter factam; ipſa prohibitio verbis tam ſeueris nullitatem includit. Sic enim fatur: *Sortis vſum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*. Expendendũ eſt verbũ illud, *damnantes*: ſuffecerat enim dicere, perpetuò prohibemus, ſi tantùm præceptum eſſet: & his non contentus addidit, *damnantes*, id eſt, annullantes.

TERTIVM DVBIVM.

An in præfato capite Eccleſia *prohibitum ſit vti ſortibus ad terminandas, vel tollendas lites Eccleſiaſticas, præcipuè in cauſis beneficialibus?*

DVbitatio ſatis controuerſa apud iuris Canonici peritos: quorum quidam tenent, non prohiberi in eo capite compoſitionem litigantium, medijs ſortibus. Ita ſenſiſſe multos, docuit Felinus in dicto cap. *Capitulum*, numero 21. & ratio non exigua pro illis eſt: nam in dicto capitulo *Eccleſia*, ſolùm prohibetur ſortes mittere in electionibus: quæ lex cùm odioſa ſit, reſtringenda eſt ad proprietatem verborum; & non amplianda ad reliquas conuentiones, quæ electiones non ſunt. At qui componunt litem per ſortes, non eligunt: ergo non prohibentur id facere illo iure. Nam ille, cui ſors obtigit, non accipit beneficium ex vi ſortis, ſed ex vi tituli, aut iuris, quo pro ſe litem prætendebat: & per ſortem ſolùm fuit ablatum impedimentum: ergo hoc neque de ſe malum eſt, neque prohibitum: erit ergo licitum. Et à fortiori idem dicendum erit de quocunque alio negotio Eccleſiaſtico, quod neque electio ſit, neque ad electionem proximè ordinetur.

Felinus.

Cardinalis.

Oppoſitam ſententiam tenent Cardinalis in dicto capitulo *Cauſam*, de probationibus, & Felinus vbi ſuprà. Ratio eſt, quia per huiuſmodi ſortitionem, incurritur periculum obtinendi beneficium ſine iuſto titulo. Nam ſi ille, cui fauet ſors, aliàs non habebat iuſtum titulum obtinendi beneficium: non ſufficit conſenſus partis aduerſæ ad dandum ei titulum; ac proinde illicitæ erunt huiuſmodi ſortes.

In hac re dico primò. Ex vi illius capitis *Eccleſia* non eſt prohibitum vti ſortibus, ad componendas lites Eccleſiaſticas. At verò ſi fiant priuata autoritate, illicitæ erunt. Prior pars aſſerti probatur argumento pro prima ſententia. Ex quo infertur, illud peccatum non eſſe vitium ſuperſtitionis, aut tentationis diuinæ, in qua ſpecie ponitur ſortitio in electione Eccleſiaſtica per ſortes facta. Secunda pars probatur argumento facto pro poſteriori ſententia. An verò illud peccatum pertineat ad ſacrilegium, quia ſortientes exponunt ſe periculo irreuerenter, & ſine poteſtate tractandi res ſacras? an verò ad ſimoniam, propter pactum inter ſortientes? modò non definio, relinquens pro locis proprijs.

Dico ſecundò. Si huiuſmodi ſortitio fiat autoritate iudicis; poſſunt litigantes ſuper beneficio aliquo pactum facere ad ſedandas lites. Nam ſicut hoc caſu pactum accedente autoritate iudicis operatur, vt caueatur vitioſi ingreſſus in beneficium; quia ille, cui per tale iudicis arbitrium fuerit adiudicatum tale beneficium, verè illud conſequetur, & ille cenſeri debet ſufficiens titulus, quando ſine fraude, & vi, & clara iniuſtitia bona fide proceſſum eſt: ita eadem ratione tollitur illud periculum, quando pactum ſortiendi inter partes fit; nam illud quaſi materiale eſt, & tota ratio in iudicis autoritate conſiſtit.

Circa tertiam obiectionem tractatur de electione Diui Matthiæ ad Apoſtolatum; quæ videtur calumniam pati: tùm, quia ſortitio videtur indecens in re tam ſacrata, qualis Apoſtolatus eſt: tùm quia, ſine vlla neceſsitate eſt celebrata.

Diuus

Dionyſ. Diuus Dionyſius libro de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 5. ſic loquitur: *De illa ſorte diuina, quæ Matthiæ diuinitus obtigit, alij quidem alia ſenſere, meo iudicio non rectè. Aperiam autem & ipſe quid ſentiam. Videtur mihi Scriptura ſortem appellaſſe, diuini quiddã & præcipui muneris, per quod illi choro ſacratiſſimo inſinuaretur, qui eſſet diuina electione declaratus.* Diui Dionyſij interpretes Maximus, Pachimedius, Carthuſianus, & ſanctus Antoninus in prima parte hiſtoriali, titulo 6. cap. 2. & Franciſcus Turrianus in annotationibus circa inſtitutiones D. Clementis, explicant Dionyſium de ſigno diuino ſenſibili, quod fuerit vel radius, vt placet Antonino, vel aliquid aliud, vt columbæ, Angeli apparentis, manifeſtæ reuelationis, vt conijcit Carthuſianus. Itaque aiunt iſti, ſortes illas ſecundum mentem Dionyſij, nihil aliud fuiſſe niſi cœleſte ſignũ ante prædictum ab Apoſtolis per Spiritum Dei, inſtar eius ſigni, quod ſibi conſtituit famulus Abrahæ *Geneſ. 24.* ad cognoſcendam virginem, quam elegiſſet Deus filio domini ſui vxorem. Iſtorum ſententia nõ placet: nam ſi Apoſtoli poſtularunt indicem voluntatis diuinæ, non diceret Scriptura ſortes dediſſe Ioſepho, & Matthiæ: neque opus erat ſortibus pluribus ſeu ſignis, ſed ſufficeret vnum ad alterum é duobus Diſcipulis demonſtrandum. Quare conſultius iudico cum diuo Antonino vbi ſupra, & cap. 15. & conformius vulgatæ editioni, dicere ſortes eas fuiſſe latas ſicut communiter fiunt ad aliquid cognoſcendum, vel diuidendum.

Maximus. Pachimed. Carthuſia. S. Antoni.

Hierony. Chryſoſt. Beda. Abulenſ. Iuſtinia. Auguſt. D. Thom.

Diuus Hieronymus in caput primũ Ionæ, Chryſoſtomus, & Beda in cap. 1. Actorum Apoſtolicorũ, Abulenſis ſuper 7. cap. Ioſue quæſt. 41. Auguſtinus, & Laurentius Iuſtinianus ſermone de ſancto Matthia, diuus Thomas in hoc articulo, electionem diui Matthiæ per ſortes commemorãt vt rem minus perfectam, ex veteris teſtamenti vſu acceptam: nec poſt Spiritus ſancti deſcenſum vſurpatam in electione Diaconorum, minimeque in dignitatibus Eccleſiaſticis vſurpandam, aut imitandam.

Ego hanc tantorum Patrum ſententiam vt decet veneror, ſed in quo hæc imperfectio conſtiterit, ſcire deſidero: non certè quia electio illa celebrata fuerit interueniẽte vel minimo veniali peccato: quia licèt poſſent peccare venialiter, non tamen fas eſt illud credere in actu tam celebri, ex cõmuni omnium cõſenſu, & conſilio, & præmiſſa oratione communi, & poſt ſuauiſſimam Petri concionem. Eam autem imperfectionem, ſeu minorẽ perfectionem, exiſtimo in duobus extitiſſe. Primum: quia neceſſitas ſic eligendi ortum habuit à malo, ideſt, à diſcordia, & turbatione, quæ timeri poterat ſi electio per ſuffragia celebraretur. Quod non diſplicet Chryſoſtomo homilia 3. ſuper Actus Apoſtolorum ſic dicenti: *Ideò Petrus ita voluit fieri per ſortes, vt ſimul eos qui eligebantur redderet reuerendos: ſimul ſe ipſum liberaret ab iniuria, ſimultateque, quæ poterat à cæteris ſuboriri, & gignere ſolet ingentia mala.* Et ſi obijcias, id non conuenire choro illo Apoſtolico, audi eũdem Chryſoſtomum. *Non celarunt* (inquit) *Apoſtoli ſi quid habuerunt minus perfectum: qui quidem de ipſis primoribus, non veriti ſunt dicere, quod alicubi cõmoti fuerint, idq; non ſemel, ſed iterũ, ac ſæpius.* Hæc Chryſoſtomus. Secundum, in quo iſtius ſortitionis imperfectio manifeſtatur, id eſt, quia ea ſortitio ortum habuit à paucitate fidei Apoſtolorum eo tempore, quando Spiritus ſanctus nondum effuſus erat ſuper eos. Ipſi enim commiſerunt electionis euentum ſortibus, ſperantes Deum eas temperaturum ac moturum, itavt euentus ſuccederet conformis Dei obſequio: vt patet ex oratione, quam præmiſerunt. At ſi haberent vigoroſam fidem, crederent, & ſperarent Deum non minus moturum corda eorum, vt per ſuffragia eligerent Apoſtolum Deo gratum, quã per ſortes: ſi quidem hæc, & maiora poterant ſperare de Chriſto, qui tot eos imbuerat donis, & in proximo Spiritum ſanctum emiſſurus. Hæc non exigua imperfectio erat, vſitata tamen in lege veteri propter diſcordias vitandas, & quia illius legis cultores erant modicæ fidei, a quibus imperfectionibus non ſolum Apoſtolicus chorus debuit eſſe alienus, verum & alij noſtri ſæculi ſacrati viri. Et propterea dicunt Sancti citati, hanc ſortitionem non eſſe in Eccleſia Chriſti imitandam.

Chryſoſt.

Demum omnes has difficultates melius ſolues, ſi dicas cũ Chryſoſtomo vbi ſupra, ideò electionem Apoſtolatus commiſſam eſſe diuino iudicio per ſortes, vt eſſet illis certiſsimum argumentum, Chriſtum adhuc illis adeſſe. Quemadmodum enim cũ præſens eſſet, elegerat Apoſtolos, ita & abſens, & innuit Chryſoſtomus (quod verum eſſe credo) ex Chriſti reuelatione proceſſiſſe, vt ſortitione locus Iudæ ſuppleretur: & fortaſſe ſortitio ſigno aliquo viſibili ap-

probata est, & hoc voluit Dionysius. Et idē videntur postulasse Apostoli cum dixerūt: *Ostende quem elegeris*: non vt caderet sors super Matthiam, sicut in cæteris sortibus solet euenire, sed vt ostenderet suam volūtatem aliquo speciali modo. Quod etiam videntur insinuare Hieronymus Ionæ primo, & Origenes homilia prima in Iosue, & Augustinus concion. 2. super Psal. 30.

Hierony. *Origenes.* *August.*

Per hæc etiam patet ad confirmationē. Omnes enim illæ sortitiones allatæ ex veteri Testamento, creduntur esse factæ, vel ex iussione diuina, aut reuelatione: quo posito cessat necessitatis conditio. At in lege gratiæ, perfectiori modo Deus nos erudit & regit, sine sortibus scilicet.

In quarta obiectione tāgitur res scitu digna, eo quod cōsuetudo eligendi per sortes Sanctos tutelares valde inualuit, præcipuè apud Hispanos. Et videtur, eam non esse licitam, primò ex Concilio Aurelianensi, vel quod verius credo Antisiodorensi, refertur, 26. quæstion. 5. canone *aliquanti*, vbi damnantur sortes quas Sanctorum vocant. Et multo ante à Gelasio Papa, distinctione 15. Canone: *Sancta Romana Ecclesia*, reiectus est quidam liber, qui dicebatur sortes Apostolorum.

Secundò. Non licet sortibus eligere prælatum, magistrum, iudicem, & alios huiusmodi, nisi vrgente necessitate, vt patet ex dictis: ergo neque eligere Sanctum patronum ac tutelarem. Confirmatur. Sortitio, qua Sancti tutelares eliguntur, non solùm diuisoria est, verùm & consultoria, sicut sortitio, qua magistratus, & præfecturæ diuiduntur: nam ea parte, qua aceruus multorū Diuorum diuiditur in sortientes, diuisoria dicitur; ea verò parte, qua singuli ex sorte eligunt, acceptant, & approbant quendam Diuum, vt patronum colendum; sortes cōsultoriæ sunt: quia talis sortitio succedit loco consilij sperati à Deo præparante sortes, vt eueniat id quod melius est. At sortes cōsultorias non licet emittere sine vrgenti necessitate, ne tentatio Dei incurratur, vt superius docuimus: ergo neque has Sanctorū tutelarium sortes, non enim apparet quæ vrgeat necessitas sic sortiendi. Confirmatur secundò: nam irrationabiliter speratur Deum per has sortes declaraturū quis Sanctorum debeat impensius coli ab isto, quis verò ab illo; quis Sanctus magis proderit sua intercessione huic, quàm alius, & similia: talem enim expectationem non promisit Deus, neque sortes suapte natura efficiunt.

In oppositum est primò, consuetudo allegata piorum, quam defendit Cæsarius Heisterbachiensis contemporaneus D. Bernardi ex ordine Cisterciensi, lib. 8. Miraculorum, cap. 56. & probat ex diui Matthiæ electione, dicens se existimare inde emanasse dictam cōsuetudinem. Et confirmat, quia nullum præiudicium aut irreuerentia fit alijs Sanctis ex eo quod vnus alio impensius colatur. Secundo nos probamus: quia sortes diuisoriæ erga res temporales, quarū dispensatio in nostra est potestate, licitæ sunt, nulla interueniente necessitate sortes emittendi; putà etiam quando nulla iurgia aut discordia timētur ex talium rerum partitione: ergo idem dicēdum est pro Sanctis tutelaribus eligendis.

Cæsarius.

Pro decisione dico primò. Hæc sortitio Sanctorum tutelarium, secundū quod exercetur communiter, ideſt, secundum existimationem communem sortientium, meo iudicio non est licita. Explicatur assertio. Mittuntur sortes in vrnam inscriptæ nominibus aliquorum Sanctorum, & deducitur ex aceruo pro vnoquoque sortientium vna sors, & singuli accipiunt in tutelarem eum Diuum, qui sibi sorte obtigit, ac si Deus eū sibi designasset in patronum, quem consulit colere. Et hanc sortitionem omnes venerantur, vt à Deo consulente, quod sibi cōmodius, & vtilius est, & paulo minus oraculo prophetico aut voce de cœlo allata aspiciunt. Has sortes sic celebratas non approbo: quia neglectis medijs prudentialibus eligendi Sanctos tutelares, ad sortes sine necessitate recurritur; quod crimine tentationis diuinæ non caret, vt ait D. Thom. in articulo de omnibus sortibus consultorijs. Ex his infero, non esse laudādum factū Petri Regis Aragoniæ supra relatum: adfuit quidem deuotionis species, sed non secundum scientiā. Certè aliter deberet fieri sortitio Sanctorum, putà attendendo ad calamitates, & ærumnas quas quiuis patitur, & in quibus opitulādis Sancti præ cæteris excelluerunt: v.g. patitur quis dolore capitis, ad diuum Ioannem Euangelistam aduocatum recurrit. Cupit quis in officio concionatoris se exercere, eligit in patronum diuum Paulum, aut Chrysostomum. Cæterum huiusmodi sortientes his medijs relictis, ad sortes recurrunt, vbi modo extraordinario, & improportionato à Deo expectant congruentem adiutorem designari: cùm tamen per sortes eum esse designandum Deus non promiserit, neque alias certum

D. Thom.

tum ſit deſignaturum. Hæc aſſertio probatur argumentis factis pro parte negatiua.

Secundò dico. Non auſim improbare præfatam conſuetudinem, ſi dumtaxat intra limites ſortium diuiſoriarum contineatur. Explicatur aſſertio. Deſiderant viri ac fœminæ piæ chorum Apoſtolicum colere, vel omnes diuos quotquot illo aut alio mẽſe obierunt, aut quid ſimile: mittuntur ſortes, non quidem expectantes à Deo quis Sanctus ſit maioris meriti, quis congruentior patronus, & huiuſmodi, quæ ad conſultationem pertinent, ſed cupientes ſine iurgijs fieri diuiſionem, committunt ſe fortunæ. Aſſero igitur, ſi hoc modo ſortes Sanctorum tutelarium fiant licitum eſſe. Probatur aſſertio argumentis factis pro parte affirmatiua. Ad quæ reſpondetur quatenus militant contra primam aſſertionẽ. Ad primum ductum ex conſuetudine piorũ, eam fuiſſe introductam in ratione dumtaxat ſortitionis diuiſoriæ, à vulgo autẽ eſſe extenſam admiſcendo rationẽ conſultoriæ, quod nos improbamus. Nec fauet Cæſario electio diui Matthiæ per ſortes, vel quia ex Dei reuelatione proceſſit, vel ex vrgenti neceſsitate, vt ſuperius diximus: & eandem nos exigimus in ſortitione Sanctorum tutelarium, ſi facienda eſſet, iuxta modum in prima aſſertione præſcriptum.

Ad ſecundum reſpondetur probare ſecundam aſſertionem, & nõ expugnare primam.

Ad argumenta pro parte negatiua, quatenus militant contra ſecundam aſſertionẽ reſpondetur. Ad primũ, nullibi me legiſſe, quæ vel quales fuerint illæ Apoſtolorum, & Sanctorum ſortes reprobatę: puto autem fuiſſe quaſdam blaſphemas diuinationes, quarum ars nomine Apoſtolorum, & Sanctorum edocebatur. Quod inde colligere licet: quia à Cõcilio citato inter diuinationes, & ſortilegia impia connumerantur: ſortes autem, de quibus diſceptamus, ſortes Sanctorum dicuntur: quia circa Sanctos eligẽdos in patronos verſantur, quę piæ ſunt, vt oſtendimus.

Ad ſecundum reſpõdetur. Magiſtratus, & præfecturæ temporales poſſunt acquiri per ſortes præciſe diuiſorias, vrgẽte neceſſitate: & idem dicimus de ſortitione Sanctorum tutelarium. Neceſsitas autem hæc eſt: quia deſiderium pium colendi ſimul multos diuos, non poterit commodè perfici, niſi per ſortes diuiſorias: quia plures eũdem Sanctum ſibi eligerent, & ſic ex principio pio, inter pios diſcordiæ ſuſcitarẽtur. Ad cõfirmationem primam, eodem modo reſpondetur. Ad ſecundam itidem, probare noſtram primam aſſertionem, non deſtruere ſecundam. Fatemur inſuper excellentiorem modum eligendi Sanctos tutelares eſſe, perlectis ſeu notatis egregijs geſtis Sãctorum, eum nobis eligere colendum vt patronum, ad cuius virtutes, & actus ſtudioſos magis afficimur, & quibus magis ad ſtudioſam vitam excitamur, cuius heroica merita magis admiramur, cuius aũt quorum opẽ, ad noſtras ærumnas ſubleuandas confidimus melius adiuuari. Sic diuus Chryſoſtomus elegit ſibi patronum diuum Paulũ, Auguſtinus diuum Stephanum, Gregorius diuum Andream. At verò quia non omnes Chriſtiani, perpendẽdis egregijs operibus, & meritis Sanctorum incumbunt, piè adinuentus eſt modus præfatus ſortiendi Sãctos in patronos, vt eorum cultus augeretur, & extenderetur, inſuper vt exiguæ meditationi popularium conſuleretur: ac degentes in ſæculo ſub apparentia ſortium, quibus ipſi vacãt, vt ludicris, ad diuina exercitia per conſimiles ſortes trãsferrentur, ad eum modum quo ſub cortice ſapientiæ ſæcularis, interdum diuina edocetur.

Conſuetudinem relatam in quinta obiectione non approbo, reprobante Auguſtino epiſt. 119. in hæc verba: *His qui de paginis Euangelicis ſortes legunt, etſi optandum ſit, vt potius faciant, quàm ad dæmonia conſulenda concurrant: tamen iſtâ mihi diſplicet conſuetudo, ad negotia ſæcularia, & ad vitæ huius vanitatem, diuina oracula velle conuertere.* Auguſt. Cuius rei multæ ſunt rationes. Prima quæ habetur ex verbis allatis: quia irreuerenter tractantur diuina oracula, ſi ad terrena, & ſæcularia conuertantur. Secunda: quia iſte modus ſortiendi ſumptus eſt ex Gentilium vſu, qui aperto libro Homeri, vel Virgilij, aut alterius, & primo verſu occurrente conſiderato, vel diuinabant, vel conſilium accipiebant, quid eſſet agendum. Sic Socrates mortis ſuæ diem coniecit, ſed à caſu vel dęmone ſuggerẽte. Sic Claudius, Macrinus, Gordianus, & alij Imperatores tempus regni, vel vitæ diuinarunt. Quapropter Chriſtianis ab hac conſuetudine abſtinendum eſt.

Si vrget neceſsitas cõſulendi per ſortes; illæ proportionentur negotijs gerẽdis: nec diuina oracula profanè tractari debent. Quod ſi ſpiritualia conſulendi neceſsitas vrgeat, ad communes ſortes recurrendum, ſicut

ſicut Apoſtoli feciſſe creduntur in Apoſtolatu diui Matthiæ. Sortes enim communes ſaltem determinant hoc aut illud: iſtæ verò ſumptę ex diuinis paginis, nequaquam, ſed ad ſui intelligentiam egent interprete; ſic adeò, vt contingat poſt emiſſas huiuſcemodi ſortes manere ſortientem in æquali dubio, aut maiori, quàm ante ſortium emiſſionem. Eos autē Chriſtianos, qui vſi ſunt, aut hodie eis vtuntur, excuſamus propter zelum pietatis; ſed non ſecundùm ſcientiam. Aut verò dicito, eorum quoſdam non aperire librum ſacrum, ad ſortiendum de aliquo faciendo, aut vitando; ſic enim à nota vanitatis, aut tentationis diuinæ vix liberabuntur: ſed ad capiendum aliquod ſpirituale ſolatiū, dum grauioribus exercitijs laſſati, ad hæc quæ leuiora ſunt recurrunt. Ad factum diui Auguſtini, & Baſilij, reſpōdetur, eas ſortes exercuiſſe diuino monitu, quod perſpicuum erit legenti loca citata, vbi de ſe ipſis eas ſortitiones narrant.

Ad ſextam obiectionem negatur antecedens, pro ſortibus purè diuiſorijs, in quibus diuiſio intenta, ſortibus tribuitur, aut fortunæ, cui ſe committunt ſortientes: firmitas verò diuiſionis ex cōuentione ſortientium ſumenda eſt, qui conuenerunt vt de rebus ſuis ſic vel ſic per ſortes diſponeretur. At verò ſi ſermo ſit de ſortibus cōſultorijs, aut diuinatorijs, antecedens verum eſt: & probatur: quia cum in eis neceſſariò debeat expectari euentus à Deo (niſi ſortes dæmoniacæ ſint) & Deus non promiſerit indicaturum per ſortes quid futurum ſit, neque ſortes ex natura ſua id habeant, vt dictum eſt in prima diſputatione, nequit fieri, vt ex ſortibus ſumatur certa ſignificatio, imò neque probabilis futuri euentus: cùm ad vtrumlibet poſsit euenire. Quapropter miror Abulenſem aliàs doctiſsimum, in caput ſeptimum Ioſue, quæſtione 39. dixiſſe, ſi per ſortes conſulatur Deus, quis è duobus ſit alicui⁹ criminis patrati reus, nunquam fiet vt ſors ſuper innocentem cadat. Certè hoc aſſerit ſine fundamento, vt patet ex nuper allata ratione. Quinimò propter abſcondita diuini conſilij arcana contingit, innocentem ſorte deprehendi vt reum, ſcelerato immuni permanente. Sed tunc acrius vrget obiectio ſexta; cùm non appareat cuius vtilitatis ſit emiſsio ſortium conſultoriarum, etiam ſi veſtiatur omnibus conditionibus, quas ſuperius requiſiui. Reſpondetur, quod attinet ad certam cognitionem capiendam, nullius eſt vtilitatis, niſi ſortes emittantur ex Dei iuſsione aut inſpiratione, qualis plera ſque veteris teſtamēti legimus fuiſſe. At in caſu raro, quando vnū è duobus aut pluribus eſt neceſſariò eligēdum: & diſcurſus humani prudentiales non ſufficiunt euacuare dubietatem eligendi vnum certum: tunc refert plurimum, vt per ſortes dubeitas, & hęſitatio euacuetur, & ſortientes ad certum quid determinentur: nō ad ſumendam certam cognitionem conſilij diuini, quod per ſortes non certò oſtēditur, ſed ad excludendam dubietatem, quæ in ancipiti tenet ſortientes. Et tunc, vt docte ac pie dixit diuus Thomas in quinta concluſione articuli, potiùs imploratur auxilium diuinum, vt dignetur conſilium bonum communicare, quàm certitudo aliqua captetur. Exempla duo affert diuus Thomas ex Auguſtino, vt inde diſcas de alijs iudicare. Primum ex epiſtola 18c. vbi dicitur: *Si inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, qui eorum perſecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium; & qui eorum fugiant, ne morte omnium deſeratur Eccleſia: ſi hæc diſceptatio aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, ſorte eligendi ſunt.* Alterum exemplum habetur libro primo de doctrina Chriſtiana capite 28. *Si cui* (inquit Auguſtinus) *abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non habent, nec duobus dari potuiſſet: ſi tibi occurrant duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel vrgente aliqua neceſsitate ſuperaret: nihil iuſtius faceres, quàm vt ſorte eligeres, cui dandum eſſet, quod dari vtrique non poſſet.* Ex his patet ad ſextam obiectionem.

D. Tho.

Auguſt.

Pro maiori dictorum explicatione notandum, duplicem poſſe conſiderari, effectum prouenire poſſe ex emiſsione cōſultoriarum ſortium. Primus eſt ablatio dubietatis, quam habent ſortientes, nō valentes euadere illam per alia media humana: & iſte effectus, qui moralis eſt, non pyhſicus, adſcribitur ſortitioni, vel potius ſortienti, vel ſortientibus, qui apud ſe ſtatuerunt ſe ad vnam partem dubietatis determinare, ſecundum quod ſors ad illam inclinauerit. Secundus effectus eſt declaratio diuinæ voluntatis, quæ ſigni appellatur: eo quod Deus omnipotens, à quo poſtulatur, vel expectatur ea manifeſtatio, accommodat, ac temperat ſortes ad eam manifeſtationem. Et iſte effectus (ſi reperiatur) orationi

for-

formali, aut virtuali (quam in conſultorijs ſortibus interuenire neceſſe eſt) attribuitur. Ac proinde non habet maiorem infallibilitatem, quàm impetratio orationis, quæ rarò eam habet, & multis adiunctis circunſtantijs, de quo nos in quæſt. 83. Sicut ergo oratio vix aut rarò infallibiliter impetrat petita: quia difficile eſt eis veſtiri circunſtantijs, quibus redditur efficax ad infallibiliter impetrandum, ita in ſortibus expectatio, vel poſtulatio rarò impetratvt à Deo ſortes temperentur, per ſpecialem prouidentiam accommodatæ ad manifeſtandum Dei voluntatem, & approbationem vnius partis inter plures dubitatas. Et idcircò dixi per eas ſortes non poſſe certò, aut probabiliter ſumi iudicium de diuina approbatione: poterit tamen concipi probabilis ſpes eiuſdem approbationis, quando neceſsitas inueſtigandi, & exequendi meliora, magna eſt, & dubitationi occurrenti non poteſt alijs medijs humanis contraire, præterquam ſortibus vallatis illis quatuor conditionibus aſsignatis à D. Thom. Inſuper recta intentio ſortientium adeſt, ſine periculo alicuius peccati, quod ſolet in ſortibus interuenire. Quapropter caueant ſic ſortientes, ne moti ſub ſpecie pietatis, poſt ſortis iactum, & eductionem aduerſa, eam partem quam ſors educta indicat, recipiant vt Dei oraculum, & vt certam Dei voluntatem, aut verè probabilem amplectantur, ne fiant in deriſum videntibus ſæpe peiora per ſortes determinari, propter fines à Deo intentos: quod certè erit ſignum apertum, non eſſe infallibile, neque vt plurimum verum, per ſortes conſultorias Deum ſuam manifeſtare voluntatem. Quod ſi obijcias: ſi iſthæc manifeſtatio adſcribitur orationi, & eius impetrationi, ſuperfluè adhibentur ſortes: maximè quia orationi promiſſa eſt exauditio, non ſortibus. Negatur conſequentia: quia cùm ſupponatur non adeſſe aliquod remedium humanum ad auferendam dubietatē, & exauditio orationis ſeu expectationis à Deo non ſit infallibilis, ad ſortes recurritur potentes tollere illam dubitationem; cum timore tamen, & tremore, ac reuerentia Dei.

Confirmatio ſextę obiectionis petit declarationem illius axiomatis, in materia diuinationis paſsim obuij, videlicet, ſuperſtitioſum eſt ſumere diuinationem, vnde deſumi non poteſt. Debet enim intelligi de ſuperſtitione proueniente à tacita dæmonis inuocatione. Secundò, quando deſumitur præſagium à cauſa vnde deſumi nō poteſt, vel quia non valet producere euentū præſagitum, vel quia nō poteſt illud certò enuntiare. Quando verò aliunde prouenit quàm à cauſa impotentiæ, non eſt ſuperſtitioſum, neque pertinet ad dæmonis tacitam inuocationem, intentare talem diuinationem. Quæ doctrina à nobis fuſius tractata eſt circa articulum ſextum quæſtionis præcedentis. Modò verò ſortitioni applicantes, dicimus cum D. Thom. in hoc articulo, quando diuinatio per ſortes expectatur à dæmone, clara eſt ſuperſtitio, ſicut aperta eſt dæmonis inuocatio. Si expectetur ab Aſtris, ſuperſtitio eſt, & tacita dæmonis inuocatio: quia præſagiū ſumitur à cauſa nil poteſtatis habente ſupra actus ſortiales. At verò ſi à Deo expectetur, quamuis aliquando ſine fundamento, aut deficientibus cōditionibus requiſitis, non erit ſuperſtitioſa expectatio, licèt alijs criminibus inuolui poſsit, putà irreuerentiæ, aut tentationis diuinæ, & huiuſmodi. Si verò expectetur à fortuna (quidquid illa fingatur eſſe) etiam ſi erroneè exiſtimetur non ſubeſſe diuinæ prouidentiæ: quod ſolum poteſt habere locum in ſortibus diuiſorijs, vt adnotauit diuus Thomas hic, & clarius in opuſculo citato: & quamuis irriſoriè aut ſeriò ſortientes ſe fortunæ committant, non incurritur peccatum ſuperſtitionis: quia euentus, id eſt, diuiſio rerum à fortuna poteſt prouenire (quidquid illa fingatur) poterunt tamen alia peccata interuenire, putà leuitatis, vanitatis, & huiuſmodi. Et ſic ceſſat confirmationis vis diſtinguendo maiorem, & minorem iuxta doctrinam modò traditam. *D. Thom.*

Circa ſolutionem ad tertium huius articuli expendit D. Tho. quædam genera ſortium, quas hoſtiles, ſeu crudeles libet appellare propter naturam actuum ſortialium. Nos verò quartam inſtituimus diſputationem de vno earum genere: cæteris reſeruatis pro quæſtione 97. ſequenti.

DISPVTATIO IIII.

De diuinatione ſortilega per Monomachiam.

MOnomachia, ideſt, ſingularis cōcertatio, latinè duellum, frequentiſsima fuit apud omnes nationes: nam quotieſcunque aliqui diſſentiebāt, & rixabantur vel pro capienda hæ-

hæreditate, seu regno: vel quando criminis probatio, seu notitia obscura erat, contendentes, se inuicem, vel vnus alterum ad certamen prouocabant, vt in quem inclinaret victoria, eius causa iusta esse censere tur. Quæ consuetudo nimis inualuit apud Longobardos, Germanos, Francos, & valde nimis apud Hispanos, non solùm ad vindicationem homicidij, sed propter quamcunque aliam causam, quæ magni æstimaretur; vt animaduerterunt Doctores inferius citandi. Quinimò eo vsque vsus iste processit: vt Hispani antiquissimi omne litigium, omnémve causam, etiã si alias probari ac determinari posset, duello finiri cẽserent. Refert Liuius, lib. 28. & Plutarchus in vita Scipionis de duobus Hispanis Corbe, & Orsoa fratribus patruelibus: qui de principatu suæ ciuitatis ambigentes, coram Scipione professi sunt se ferro certaturos. Et cum verbis disceptare Scipio vellet, ac sedare iras, negarunt ambo id licere communibus cognatis, neque alium Deorum, hominúmve quàm Martem se iudicem habituros esse.

Liuius. *Plutarc.*

A

B

Ritus duellorum.

VArij extitêre, pro varietate, & moribus nationum. Aliquos colligit Bernardus Saccus, lib. 9. Tisinensis historiæ, cuius verba ferè in hunc modum procedunt. Ex corrixantibus (apud Longobardos qui in Italiam duelli vsum introduxêre) qui ætate, aut morbo, vel sexu impediebatur, poterat alium suo loco conducere (quem Itali campionem vocant) qui si succubuisset, patronus cuius nomine pugnauerat, damnatus intelligebatur, non secus ac si iudicio conuictus fuisset. Certamine à iudice decreto, Rex statuere tẽpus, & locum pugnandi vtrique consueuerat. Qui locus campus vocabatur, vndique tabulis circumseptus, quibus aditus tantùm, & nõ prospectus astantium impediebatur. Campoque custodiendo milites præficiebãtur. Arma paria pugnaturi afferebant, videlicet gladium, & scutum, in ea forma qua vti in bello mos erat; & quæ alia tela vtrique ferre collibuisset, ferebantur. Prodeuntibus ad pugnæ locum, socij aderant, qui certandi periti monita sua quisque pugili repetebant; quo astu se tueri, quo ictu inimicum lædere se saluo posset. Qui socius, parentis nomen ab officio obtinebat, hodieque etiã Patrinus dicitur. Aderat etiam alter socius, vel comes arma ferens, qui collibertus appellabatur. Peruenientibus ad locum certaminis, si suspicio contigisset alterutrum maleficis artibus instructum esse, inquisitio ad iudicem campi spectabat. Certaminis finis frequenter erat vulnus alterius, siue mortis casus, arbitrio iudicis. Hæc Bernardus Saccus, & plura annales Boiorum, lib. 4. Arma verò varia apud varias nationes ferebantur, sed magis receptũ, vt arma iuxta consuetudinem regionis adducerentur. Et postea admissum vt rei esset optio, & ius armorum præscribendorum. Et Saxo, li. 5. refert, Trotonem tertiũ Dannorũ Regem sanxisse, vt de qualibet controuersia ferro decerneretur. Quod si alter dimicantiũ relato pede circũscripti orbis gyrum excedẽret, perinde ac victus, causæ detrimentum reciperet. Hunc ritum constat obseruatum apud Hispanos ex famoso duello inter Didacum Ordonium de Lara, & filios Ariæ Gonsali: nã cum Didacus, Zamorenses proditionis Regiæ reos accusaret; & filij Gonsali præfati negarent: in campum processe re armati. At cùm Ordonius duos occidisset, tertioq; vulnus lethale inflixisset: saucius cadens equi Ordonij habenas aberrãte gladio præscidit: equus Ordonium inuitum extulit extra duelli septa, quod victi indicium erat. Sic ille non victor equi culpa: non victus propria virtute. Quibus visis, iudices campi rem iniudicatam reliquêre. Ita ferè omnes historiographi Hispani. De quorum ritibus in duellis libri integri secretò leguntur, ob timorem legum latarum à Principibus Catholicis.

Saxo.

Bernardus Saccus.

C

D

Disputatio igitur nostra est: Vtrùm sit illicita diuinatio, quæ ex Monomachia, seu duellis sumitur? Cuius tamen decisio alteram exposcit ventilandam, vtrùm duellum ex genere suo sit malum? Nam si illicitum est: diuinatio, quæ ab eo sumitur illicitam esse necesse est, vt pote quæ assumit pro sortiali actu operationem intrinsecè malam: sicut diuinatio, quæ vteretur sacrificio idolatrico vice actus sortialis, citra controuersiam illicita esset. At si duellum ex genere suo non sit malum, diuinatio quæ illo vteretur, si cætera requisita ad æquitatem sortium non deficerent, & ipsa diuinatio licita esset.

Igitur dubitatur, an duellum ex genere suo sit malum? Et videtur vera pars negatiua ex certamine Dauid, sanctè inito cum Goliath, 1. Regum 17. Et sanctus Ludouicus Rex Francorum dicitur duella concessisse,

1. *Reg.* 17.

ſiſſe. Et Carolus Magnus iuſsit veritatem fidei, de qua certabatur inter Sarracenos, Hiſpanos, & Gallos Chriſtianos, Monomachia declarari. Ita Sabelicus, libro 8. Aeneadis 8. ex Turpino. Et Imperator Otho quartus in Romandiola, de Principum Italorum conſilio, ſententia promulgata, ſciente, & non contradicente Ioanne XXIII. vniuerſaque Synodo, quæ tunc Rauennæ conuenerat, ſtatuitur, ne deinceps tota Italia, etiam in locis, in quibus iure Romano, ideſt Iuſtiniani legibus vtebantur, controuerſias iure iurando diſceptent, propter periurorum multitudinem, ſed duello, & certamine illas dirimant. Ita habetur ex Lombarda, libro ſecundo titulo 54. leg. antiquis, & legis Francorum, lib. 5. titulo. 4.

Sabellicus.

In oppoſitum faciunt multa iura Canonica, & Ciuilia infra citanda.

Secundò ratione: quia in duello, tam offerens, quàm ſuſcipiens, aggreſſores ſunt. Quod nequaquam licet, vt in materia de homicidio euidenter probatur: ergo, &c. Antecedens probatur, quia vterque intendit alterum occidere: etenim conditio duelli talis eſt, quod qui alterum occiderit, iudicetur iuſtam cauſam fouere: cùm ergo vterque duellans conetur obtinere in cauſa; neceſſe eſt quod cùm duellum ſubierit, intendat alterum occidere, aliàs cauſam nõ obtenturus. Confirmatur contra eos qui interdum reducunt duella ad propriam defenſionem: nam in hac, ſi aggreſſor fugiat, inuaſus non perſequetur eum licitè: & ſi pugnare ceſſauerit, inuaſus non expugnabit illum. Secus res ſe habet in duello: quia etiam ſi ille qui petiuit duellum fugerit; qui ſuſcepit, non ceſſat pugnare, quia contraria eſt conditio duelli: ideò in eo datur poteſtas perſequendi alterum vſq; ad occiſionem.

De hac re multa ſcripſêre Doctores Theologi, & Iuriſperiti inferius referendi, qui in varias abierunt ſententias. Quidam omninò negant licere duellum, nullam admittentes exceptionem. Ita Hoſtienſis titulo de Clericis pugnantibus in duello, Alanus, & alij Iuriſperiti. Quidam aliquot caſus excipiunt, in quibus aiunt licita eſſe duella. Ita Lyranus ſupra locum citatum ex primo Regum. Sed Caietanus in Commentarijs huius articuli doctius, & acutius quàm cæteri. Quæ nos pro virili noſtras meditationes adiungentes, conabimur ornare.

Hoſtienſis. *Alanus.* *Lyranus.* *Caietan.*

Sit igitur aſſertio noſtra. Omne duellum, ſiue ſingularis ex condicto concertatio, prohibita eſt omni iure: exceptis quibuſdam caſibus, in quibus duellum ad iuſtam defenſionem reducitur, aut ad iuſtitiæ punitiuæ executionem. De prohibitione iuris naturæ, ſunt multi Canones id affirmantes, referente Sylueſtro, verbo duellũ, numero 2. & patet ex Canone *Monomachiam*, ſecunda, quæſtio. 5. de quo egregiè Ioannes Baptiſta Suſius, libro de iniuſtitia duelli, Antonius Bernardus Mirandulanus in libro contra Poſſeuinum de expugnatione ſingularis certaminis, & Petrus Mexia quarta partevariarum, capite nono. Quod iure diuino prohibeatur, non eſt adeo clarum erga proteruos: eſt tamen certum duella prohiberi in omnibus locis, quibus iubetur, ne Deum tentemus, aut proximum occidamus.

Syluester. *Suſius.* *Mirandul.* *Mexia.*

Eſt etiam prohibita Monomachia vtroque iure humano poſitiuo. De Ciuili extat lex 1. C. de Gladiatoribus, vbi Imperator Conſtantinus ait: *Cruenta ſpectacula in otio ciuili, & domeſtica quiete, non placent: quapropter omninò gladiatores eſſe, prohibemus.* Et quamuis ea lex expreſſe omnia duella non repudiet, tamen ex ea colligunt quam plures Iuriſperiti noſtram aſſertionem: adiuncto hoc, quod nulla Romanorum lege duella approbata ſunt. Cumque iuri naturæ repugnent; omnis conſuetudo in contrarium nullius valoris eſt: vt animaduertitur in cap. 2. de Clerico pugnante in duello.

De duellorum prohibitione, & damnatione, innumeri ſunt Canones Eccleſiaſtici toto fermè titulo de purgatione vulgari, & de Clerico pugnante in duello, & Canone *Monomachiam*, 2. quæſt. 5. & in Concilio Tridentino Seſsione 25. in Decreto de reformatione generali, cap. 19. ſub grauiſsimis verbis, & pœnis prohibentur duella, vt iuri naturæ contraria. *Deteſtabilis duellorum vſus* (inquit Synodus) *fabricante diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciè lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini tẽporales, qui locum ad Monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint: eo ipſo ſint excõmunicati, ac iuriſdictione, & dominio ciuitatis, caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur. Et ſi feudalia ſint,*

Concil. Tri.

sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserit, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omniũ bonorum suorum proscriptionis, & perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ iuxta sacros Canones puniri debeant: & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure, quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obstante quocunque priuilegio, seu praua consuetudine etiam immemorabili.

Damnarat eundem abusum sub excommunicationis pœna, quoad subditos tantũ *Iulius II.* Romanæ sedis, Iulius Secũdus, anno 1508. & rationes damnationis addiderat. Primò, quia hoc fiat, inimico generis humani instigante. Secundò, quia hinc hominũ mortes repentinæ, & animarum perditiones, & noua inter adstantes amicos pugnantiũ odia, & alterationes, & ex vno inconuenienti plura oriuntur in animarum, & corporum periculum, generisq; humani iacturã, pernicioſum exemplum, & scandalum plurimorum. Tertiò, quia Christus docuit Deũ non esse tentandum. Quartò, quia hominẽ homini insidiari nefas. Quintò, quia gladiatoria munera, & huiusmodi purgationes vulgares à Religionis nostræ pietate damnantur. Sextò, quia cruenta huiusmodi spectacula à Canonibus Pontificum, & Imperialibus legibus sunt prohibita.

Grego. 13. Demum Gregorius XIII. sanctissimæ Synodi Tridentinæ decretum de nouo approbauit, & quod illa de solemni, & publico duello stabilierat, ad priuata, & non solemnia duella extendendum censuit, in Bulla, quæ incipit, *ad tollendum detestabilem*, data anno 1582. die nona Decembris. His verbis: *Crescente hominum malitia, facinorosi non desunt, qui quod publicè prohibitum est, priuatim exequi nõ dubitent: dum sic pœnas prædictas* (in Concilio Tridẽtino latas) *elludereposse arbitrantur. Nos ad hæc euertenda plenius, euidentiusque prouidendum esse rati: considerantesq; duellum priuatum non minus cruentum, & animæ, & corpori noxiũ esse, quàm quod publicè perpetratur: autoritate Apostolica statuimus illos, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento Monomachiam commiserint, etiam si nulli patrini, socijve ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve prouocatoriæ literæ, aut denuntiationis chartulæ præcesserint: censuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri, perinde ac si publico, & consueto abusu singulare certamen inhibissent. Volentes etiã locorum dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit non prohibuerint: omnesq; illud fieri mandantes, instigantes, consilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes, ex composito spectatores, & socios, quouis modo se præbentes: eisdem censuris, & pœnis subiacere, etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserint, impediti pugnam non commiserint: si per ipsos non steterit, quo minus illa committatur: non obstantibus, &c.*

Denique ratione ostenditur nostra assertio, proponendo fundamenta vnde expẽdi debeat, duella esse illicita iure naturæ, & vtrum in aliquo casu sint licita? Quod profectò nullo alio melius fiet, quàm ostendendo diuersas causas finales, quibus homines mouentur ad indicenda aut suscipiẽda duella, quas Caietanus doctè, & acutè ad sex reducit. *Caietan.*

Prima est, manifestatio veritatis, pro qua inter priuatim corrixantes certatur, ex conuentione, & condicto, vt in quem victoria inclinauerit, censeatur habere pro se testimonium veritatis, quam tuetur; vel pudoris custoditi, aut innocentiæ in hoc, vel illo casu seruatæ; vel iuris ad regnum, aut hæreditatem, & similia. Et huiusmodi duella celebriora fuêre apud antiquos, & modernos. Vt inter Edmundũ Anglum, & Canutum Dannum Reges, apud Polidorum, libro septimo historiæ Anglorum; inter Hundingum, & Roheum Daniæ Reges, apud Crantium, libro primo capite 11. Petrum Aragonium, & Carolum Andegauensem, apud diuum Antoninum tertia parte historiæ, titulo 20. capite quarto: hi omnes pro Regni iure se duello commiserunt. Mitto alia innumera priuatorum duella, quibus referti sunt annales nationum. Sed isthæc duella, citra dubium, illicita sunt, ac inter purgationes vulgares numerantur: dignas certè tali nomine, eo quod vulgi vsurpatione, & superstitiosa obseruatione fuerint introductæ. Et apertè damnantur ab Ecclesia in Canonibus citatis, & meritò: quia in eis multæ malitiæ inuoluuntur. Prima tentationis diuinæ: quia affertur in testimonium veritatis expectatæ à Deo, id quod re vera non est testimonium. Etenim si ex alijs actibus sortitialibus cõmunium *Polidorus. Crantius. Antonin.*

nium ſortium non licet à Deo certò ſperare, vt teſtificetur veritatem, ex atroci actu duellorum, vbi vita duellantium periculo amiſsionis exponitur, & corpus plagis, qua ratione poterit ſperari teſtimonium veritatis diuinæ? Ne quaquam. Quod rei euentus non ſemel, ſed ſæpe ac ſæpius comprobauit, dum ex duellatoribus, ille qui iuſtã cauſam fouebat victus cecidit, vt tradit Innocentius Tertius, capite ſecundo de purgatione vulgari; & latius Ioannes Baptiſta Suſius, libro de iniuſtitia duelli, & Vrrea Hiſpanus libro de duello. *Suſius.* *Vrreas.*

Secunda malitia eſt, exponere ſe periculo vitæ propriæ, & perdendi alienam. Tertia, quia vſurpatur Dei iudicium, cui intereſt occulta, & quæ pandi nequeunt, iudicare, vt diuus Thomas notauit in ſolutione ad tertium. Ac demiq; multa alia mala ex duellis oriuntur, bene recenſita à Iulio ſecundo citato. *D. Tho.*

Ex hoc infertur reſponſio ad quæſtionem primò intentam, videlicet non licere diuinare per Monomachiam, propter plurimam malitiam, quæ in tali diuinatione reperitur, vt modò dicebamus. Sed dices: nonne poterunt duo litigantes ſuper hæreditate temporali, committere ſe fortunæ, vt qui vicerit in duello, capiat hæreditatem? Nequaquam: quia eſtò non peccetur contra Religionem, peccatur tamen contra iuſtitiam peccato homicidij perpetrati, aut intentati, contra rationem rectam. Non enim eſt mediũ proportionatum pro hæreditate terrena adipiſcenda exponere periculo propriam vitam, & alienam. Neque hoc eſt fortunæ ſe committere, ſed ſuarum virium virtuti, aut artis bellandi peritiæ.

Secunda cauſa finalis duelli poteſt eſſe ad oſtendendas vires. Sed hoc illicitum eſt mortaliter, nam præter rationem, imò cõtra rationem eſt exponere periculo vitam duellatorum, pro fine tam vano, & ferè nullius momenti. Vnde certamen Dauidis cum Goliath, eo quod ad hunc finem videtur fuiſſe inſtitutum, excuſatur communiter propter peculiarem inſtinctum diuinum. Ita Gloſſa in capitulo, *Cura ſuſcepta*, de purgatione vulgari. *Gloſſa.*

Huic accedit cauſæ, quando voluptatis, aut ſpectaculi gratia duella inſtituuntur, vt ſolebat antiquitus fieri in circo Romano: & modò duces exercitus quandoque faciunt, ſicut olim fecerunt Ioab, & Abner, ſecundi Regum ſecundo dicen- *2. Reg. 2.*

A tes: *Surgant pueri, & ludant coram nobis.* Vox *ludere* in hoc loco ſignificat, hinc, & inde bellum gerere, ſpectaculi, & voluptatis cauſã. Itaque non licet (vt benè notauit Caietanus) ducibus exercitus, deſignare hinc, & inde tot milites bellantes, vt ſpectetur eorum fortitudo: nam medium atrox eſt, ob finem tam parui momenti, & nullo modo ei proportionatum. Maximè, quia iſti partiales conflictus non decernunt de toto iure belli, quod eſt finis iuſti belli, non oſtentatio virium. *Caietan.*

Nec propter dictum Caietani, damnes incurſiones, & bellitationes partiales militum, quæ ſi opportunè fiant ad debilitandas vires hoſtium, non ſunt improbandæ, vt indicauit Caietanus in Summa, verbo *duellum*, & explicuit Nauarrus in Manuali capite 15. numero 27. inducto exemplo Dauidis: nam cùm Goliath indixiſſet duellum Hebræis, eorum animos non mediocriter fregerat, & Dauidis victoria poſtea aſſecuta, animos hoſtium ſic debilitauit, vt videntes Philiſtijm, quod mortuus eſſet fortiſsimus illorum, fugerunt; & inſignem plagam ab inſequentibus Iſraëlitis acceperunt. Quod non obſcurè ſignificarunt mulieres Hebrææ Dauidem excipientes illo Cantico: *Percuſsit Saul mille, & Dauid decem millia*, 1. Regum 18. *Caietan.* *Nauarrus.* *1. Reg. 18.*

Tertia cauſa duelli ſuſcipiendi poteſt eſſe vitatio ignominiæ. Et hæc non excuſat duellum à peccato mortali, propter periculum amittendi vitam propriam, & perdendi alienam. Vox inſipientium, & ſceleratorum eſt, eſſe degeneris, & vilis animi duellum denuntiatum non acceptare: quin potius apud ſapientes, & probos, magnus acquiritur honos, dum quis ad certamen ſingulare prouocatus, renuit illud ſubire, ne temerè vita propria, & alterius periculo exponatur, contra legẽ Dei vetantis. Secũdò, quia ſi ob præfatũ finem licitũ eſſet duellũ ſuſcipere, eadẽ ratione liceret ad illud prouocare quãdo iudicio mũdanorũ id neceſſãrium videretur: ſiquidem vtrunq; eſt eiuſdẽ rationis, quando ſit neceſſariæ defenſionis cauſa. Id autem nemo Chriſtianorũ concedet. Tertiò, quia etiam apud omnes mundanos, ſatis benè conſeruabit ſuum honorẽ qui ad duellum prouocatus, reſpondeat aduerſario, ſe quidẽ paratum eſſe ad ſe defendendum, quandocumque ab eo inuadatur. Acceptare tamen indictionem duelli contra Leges diuinas, & humanas, nolle:

Bañes. vt annotauit Bañes ſecunda ſecundæ quæſtione 40. in fine. Obijciet fortaſſe quiſpiam, licere militibus ad vitandam ignominiam fugæ, occidere inuaſorem, etiã ſi fuga poſſet ſuæ vitæ conſulere, vt dicitur in materia de homicidio: ergo propter eandem cauſam eiſdem licebit duellũae ceptare. Negatur cõſequentia: quia homini generoſo, vel militiam profitenti, fuga ex ipſo conflictu turpiſsima eſt, etiam apud quoſcunque probos, & ſapientes; reprobatio autem duelli, nõ ex hominis, ſed Dei timore, apud viros iuſtos, & ſapientes, quorum in primis ratio habenda eſt, nullam inducit turpitudinem, aut dedecorem, ſed maximam affert laudem.

Quod ſi roget quiſpiam: an duobus exercitibus hinc, & inde caſtrametatis, ſi dux vnius prouocet ad partialia certamina, verbi gratia, decem electorum ex vna parte, & totidem ex altera; an tunc liceat ſuſcipere certamen denuntiatum, ne pars repudians certamen oblatum videatur degeneris animi, & conſequenter hoſtium animi erigantur, quod non mediocriter iuuat ad victoriam, animi verò exercitus prouocati decidant, & inde ſequatur debilitatio ad pugnandum in totali conflictu? Reſpondetur, ſi res vt narratur accideret, puto tunc eſſe licitum ſuſcipere indictum duellum alijs concurrentibus, putà ſpe victoriæ, & cætera. At raro in auguſtias has dux prouocatus poterit deuenire: nam ſine vllo dedecore valebit reſpondere duci prouocanti, ſe non comparaſſe exercitum ſpectatulorum edendorum cauſa, vnico integro exercitus certamine ſe potentiam ſuam oſtenſurum, litemque cum victoria finiturum: partiales autem conflictus, quos aduerſarius poſtulat: potius exitum belli delaturos: & ideò, vt res ſeriò, & non ludicro peragatur, nolle ea certamina partialia acceptare. Hæc vel his ſimilia poterit honorificè reſpondere.

Quarta cauſa finalis inducendi duellum poteſt eſſe, ad vindicandam iniuriam aliquam. Et loquimur de indictione duelli, etiam ſi alia via poſsit iniuria vindicari, aut lis terminari (nam caſum, quo non poſsit, ſtatim dicemus) & dico, extra controuerſiam debere eſſe, non licere propter dictum finem duellum indici ſine noxa mortali, quam diximus in duellis includi. Probatur: quia id non licet autoritate priuata, cùm officium iuſtitiæ vindicatiuæ ſolum ſpectet ad autoritatem publi-

A cam. Neque licet autoritate publica: quia Princeps, aut iudex publicus non poteſt dare facultatem, vt ille, qui intulit iniuriam, euadat, occidendo aut vincendo eum qui eam paſſus eſt: ſed hæc facultas datur conceſſo duello, de cuius ratione eſt vt ille qui vincit immunis euadat: ergo, &c. Dices, non datur talis facultas, ſed vt paſſus iniuriam, ſuum aduerſarium dignum morte, poſsit in duello occidere impunè, & ſine culpa: quia vt publicus iuſtitiæ miniſter facit. Contrà ſecundò: quia qui iniuriam vindicat, etiam vt publicus miniſter iuſtitiæ, debet eſſe velut agens reſpectu alterius, quem punire intendit: &

B ideò inſtar naturalis agentis, oportet eſſe multò fortiorem altero tanquam paſſo, ita vt certum vel quaſi certum ſit eum præualiturum: quæ certitudo reperiri nequit in duorum certamine, vt in ſequentibus explanabimus. Ergo non licet paſſo iniuriam, ſe vindicare duellum indicendo, etiam ex conceſsione autoritatis publicæ.

Sed contra proximè dicta, ſe offerunt duo. Primum eſt: ſæpe audiuimus iudices probatæ virtutis, quos nocentes capere non valent, damnare, vt quicunque eos inuenerit, etiam iniuriam paſſus, poſsit impunè occidere. Secundò, ſi ſint duo malefactores ad mortem damnati, licitè poterit iudex facultatem facere, vt ambo adinuicem decertent: & qui vicerit, altero occiſo immunis euadat à morte ſibi per ſententiã meritò infligenda. Ergo duella etiam ex condicto ſe inuicem prouocantium, aliquando licita erunt. Probatur antecedens. Nam in caſu præfato vterque vt publicus miniſter iuſtitiæ, licitè mortem alterius exequi valet.

Ad primum reſpondetur, iudices probos non poſſe, neque debere impertiri ſuis miniſtris facultatẽ duellandi cum reis, quos ceperunt, vel capere cupiunt, propter rationes antea allatas, ſed tantùm quandoque

D concedunt facultatem exequendi iuſtam ſententiam capitis, in reos fugientes. An verò tales miniſtri hoc poſsint efficere ſine duello? ipſi viderint. Quòd ſi nõ poſsint, & duellum ineunt, peccant contra charitatẽ propriam; exponendo periculo ſuam vitã, ſcandalizando videntes, & ſimilia.

Ad ſecundũ ſunt qui exiſtimẽt, tale duorum damnatorũ certamen licitũ eſſe. Et licèt probabile credant, quantũ eſt ex parte bellantium: quia vterque reſpectu alterius exer-

exercet iustitiæ publicæ munus ; tamen A Principem, aut iudicem huiusmodi sententiam ferentem, grauiter peccare censeo: tum quia vnum reum dignũ morte liberat: tùm quia barbarum, & ferale decretum est, vt homines instar gladiatorum aut ferarum in circo lethaliter depugnent.

Quinta causa indicendi, aut acceptandi duellum, potest esse terminatio litis criminalis, aut ciuilis, quando scilicet non potest aliter terminari lis, nisi duello acceptato : alioquin aut non acceptans duellum iustitiam non potest consequi, aut liti succumbit, cum suo, & multorum quandoque magno damno. Duella propter hunc finem acceptata esse licita asserit Nicolaus *Lyra.* de Lyra super primum Regum capite 17. B Probat: quia licitum est pro defensione sui, & rerum suarum pugnare. Nos verò vt rem hanc (in quam ferè tota controuersia duellorum incumbit) decidamus clarius, aliqua præmittere oportet. Primum, lites de quibus disceptatur, vel esse inter personas priuatas, aut communitates habentes superiorem iudicem, qui de eorum controuersijs dijudicet, aut verò inter Principes, & Respublicas non habentes superiores iudices. Secundum, lites versari circa propriam vitam, aut suorum tuendam, aut verò circa alia temporalia. Tertiũ, eum qui in lite causam iustam defendit, vel non valere lites terminare propter iniuriam, & nequitiam iudicis, accusatoris, testis, seu aduersarij, cũ quo litigatur : aut verò sine iniuria aduersarij, & eorum qui ex parte eius se tenent. C

His positis dico primò. Quãdo lis criminalis, aut ciuilis, quæ terminari non potest nisi duello, geritur inter Principes: non licet Principi causam finire siue indicendo, siue acceptando duellum. Probatur: in hoc casu duellum non est medium proportionatum ad fauorabiliter terminãdam litem: ergo non licet eo vti, quia actus omnes morales ad aliquem finẽ ordinati, nisi ei proportionentur, & conuenientes sint nequaquam liciti censeri debent; maximè quãdo aliàs sunt offensiui proximorũ, vt est duellatio. Antecedens probatur: quia cùm duellum consistat in pugna duorũ, nunquã habet certam, aut quasi certam victoriam, vel quia par est vtriusque facultas bellandi; & esto vnus duellantium fortior sit: quã pluri ma solent in singulari certamine accidere; ob quæ robustior, & exercitatior succũbit. Huius rei illustris cõprobatio extat apud Nauclerum in duello pueri, pro vxore Henrici III. contra Gigantem; cuius poplite vulnere debilitato, à puero occisus est. Quid plura? nõ ne experientia docuit, sæpe propter varios casus, robustiores ab infirmioribus fuisse occisos?

Dicet quis. Hoc argumento probaretur nunquam esse licitum bellare : quia varius cùm sit euentus belli ; & nulla de victoria certitudo : ergo actus bellandi disproportionatus est in omni casu, ad victoriam obtinendam. Respondetur, quinimò hinc cõfirmatur nostra probatio, relato quodam dicto, & subtili discursu domini Caietani, dicentis, eatenus posse duellum esse iustum ad terminandas lites, quatenus habet rationem iusti belli. Sed hanc non potest habere: quod declaratur verbis eiusdem Caieta- *Caietan.* ni. *Bellum iustum* (inquit) *aut est vindicatiuum, aut defensiuum. Si est vindicatiuum, videlicet quando indicitur ad vindicandam iniuriam illatam patriæ ; &c. tunc indicens bellum, gerit personam iudicis, vt potestatiuus publico gladio contra extraneos impugnatores Reipublicæ, eadem ratione qua vtitur contra internos perturbatores, vt dicitur in materia de bello. Huiusmodi autem iudex, & vindex fungitur persona, & officio agentis. Agens verò debet superexcedere patiens, vt possit illud sibi subijcere. Et propterea tale bellum non debet indici nisi à potentiore, & sic potentiore, vt licet varius sit euentus belli, humana tamen ratione, quasi certa sit victoria, aut saltem non succumbere: quemadmodum iudex contra internos perturbatores pacis, non procedit nisi habens tot satellites, vt sit quasi certus, quod capiet malefactores, &c. Hoc autem in duello seruari non potest, quia in singulari certamine, aut par est vtriusque conditio, aut vni facile possunt accidere in illo actu aliqua, quæ fortiorem faciant succumbere. Et propter hanc rationem, quamuis indicere bellum quandoq; sit licitum, tamen indicere duellũ nunquam licet: quia ex suo genere est contra rationẽ rectã. Si verò bellum iustum est defensiuum, quatenus pro patria inditum sibi bellum oporteat aut sustinere, aut succumbere : tunc suscipiens bellum gerit personã ac officium resistentis, & propulsantis a se iniuriam. & ideò oportet imitari res naturales, quæ quantum possunt resistunt contrarijs suis. Et idcircò debet in huiusmodi bello fortificari quantum fieri potest virtus resistitiua, & propulsatiua iniuriæ. Cõtrarium autem huius fit in duello : quia dũ vnus solus ponitur ad resistẽdũ vni, & ad propulsandam iniuriã, debiliter ac nimis periculose consulitur huic defensioni. Et propterea, nisi* D

actualiter vnica perſona inuadatur, defendi debet iuſtitia cum multitudine forti, & non debet committi vnius periculo, ſecundum rectam rationem à communitate, ſeu principe, cuius eſt bellum etiam defenſiuum aſſumere. Aliena eſt ergo natura duelli, à natura iuſti belli tam defenſiui, quàm vindicatiui. Et propterea nulla ex parte inuenitur duellum eſſe proportionatum medium, ad terminationem litis, ſiue ciuilis, ſiue criminalis. Et quia non ſunt facienda mala vt veniant bona, patiatur potius qui non poteſt iura ſua aliter tueri. Hæc Caietanus, cuius doctrina amplius explicabitur in reſponſione ad argumentum Nicolai.

A

Dico ſecundò. Si lis inter priuatos de re aliqua pertinente ad bona externa, putà hæreditates, honores, & ſimilia, non poſſit terminari, niſi duello oblato, vel acceptato: neutiquam licet illud inire. Probatur: tùm quia duellum eſt medium debile, & nullius certitudinis ad victoriam obtinendam: ac proinde improportionatum ad litem terminandam, vt nuper dicebamus: tùm quia non licet exponere periculo vitam, pro quacunque alia re obtinenda; eſſet enim peruerſus ordo iſte.

B

Contra hoc arguitur. Licitum eſt alterũ occidere pro defenſione rerum ſuarum, vt quidam probabiliter dicunt in materia de homicidio. Ergo quando lis iuſta, quæ habetur circa res meas, non poteſt finiri alia via, niſi duello, poſſum licitè illud inire. Reſpondetur, admiſſa probabilitate antecedentis, negando conſequentiam: quia cùm alter inuadit actu res meas: ipſa iniuria tunc flagrans, & ex continenti, facit mihi ius, vt poſsim poſtpoſita vita alterius, me ipſum armare, conſeruando efficaciter res meas: ſecus poſt illatam iniuriam in rebus, aut lite pendente, & iniuria exiſtente in eſſe quieto, alterum ex condicto velle occidere in duello. Hoc enim non tã eſſet res defendere, quàm vindicando iniuriam, eas vel earum compenſationem repetere. Quæ vindicta non niſi ad ſuperiorem pertinet: & quidem extra duellum, per viã ſcilicet bellicam aut iudicialem, quando certa vel quaſi certa ſit ſpes futuræ vindictæ, vt in præcedentibus dicebamus.

C

D

Dico tertiò. Si aduerſarius certò eſſet oppreſſurus innocentem per fraudem in iudicio, & impetraturus iniuſtam eius condemnationem ad mortem vel mutilationem: tunc ſi innocens poſſet mediante duello euertere illud malum imminens; liceret duellum inire cum aduerſario, ſiue acceptando illud, ſiue indicendo. Ita Caietanus, & Nauarrus vbi ſupra, dicentes, certamen in hoc caſu, licet appareat duellum, in quo ſemper reperitur aggreſsio, ſed tamen re vera non eſt niſi defenſio contra actualiter inuadentem, & volentem occidere innocentem gladio iudicis. Probatur aſſertum ex his, quæ à Theologis approbãtur de licita defenſione ſui, & ſuorum, cum diſcrimine vitæ vexantis vt occidat. Secundò: quia in hoc caſu per duellum ſubitur periculum incertum mortis, tanquam minus malum ad auertendam mortem certò alioqui imminentem, tanquam maius malum, quod aduerſarius per iniuriam conatur inferre. *Caietan.* *Nauarrus.*

Dico quartò. Si quis innocens eſſet ab iniquis iudicibus damnatus, vt in duello pugnaret, vel mortem ſubiret: poſſet licitè ſubire duellum. Iſte caſus poſitus eſt à Caietano in principio dubitationis, cuius poſtea non meminit, fortaſſe quia fere idem eſt cum præcedenti: & probatur: quia etſi innocens non patiatur iniuriam ab illo tertio, cum quo ei offertur duellum, quia publicus miniſter iuſtitiæ eſt, & putat ſe exequi ſententiam iuſtam: patitur tamen innocens iſte à iudicibus iniquis, & videtur habere tunc ius, vt aduerſus iniuriam iudicum, nitatur per incertum duelli periculum, euadere certam alioqui mortem, etiam cum detrimento tertij, ſiquidem magis ſe ipſum in eo caſu, quàm alium diligere poteſt: maxime cũ improbi iudices, tertio illo tanquam inſtrumento vtantur ad exequendam iniquam ſententiam. Itaque ſicut poſſet innocens iniquè obiectus leoni, ſe ipſum tueri, illum occidendo, vel etiam frangendo quodlibet inſtrumentum, quo iniuſtè necaretur, ita etiam in eo caſu, videtur licitè ſe poſſe à certa morte defendere, occidendo illum tertium.

Ad argumentum Nicolai reſpondetur negando conſequentiam: quia alia eſt ratio belli, alia duelli. Duellum nunquam eſt licitum, niſi habeat rationem defenſionis propriæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt in tertio, & quarto aſſerto diximus. Imò tunc non eſt duellum, niſi ſecundùm apparentiam. At bellum, etiam citra defenſionem, ſæpe licitum eſt. Rationem huius diſcriminis iam expreſsimus circa primum aſſertum. Secundò ad idem, quia duellum ad lites terminandas,

das, medium eſt improportionatum: eo quod ſemper habeat victoriam dubiam. Cæterum, bellum poteſt habere moraliter victoriam certam, vel quaſi certam: aliàs non eſt indicendum, neque ſuſcipiendum, niſi pars innocens actualiter inuadatur: tunc enim non eſt bellum, ſed defenſio omni iure licita. Tertio: in duello ſemel tantum iacitur alea, & ſi infauſtè ſuccedat, actum eſt de cauſa, pro qua pugnatur; ſecus in bello, vbi etiam ſi ſemel infœliciter pugnetur, reintegratis viribus, aut alijs de cauſis, poterit victoria ſperari. Duellum igitur ſemper habet dubiam victoriam, & euidenti periculo expoſitam; ac proinde non licet bellum reſoluere in duellum.

Sexta cauſa finalis duelli, poteſt eſſe indulgentia multitudinis: quando ſcilicet inter duos Principes, aut Reſpublicas bellum cruentum geritur: duces autem videntes omnia ferro, igneq; vaſtari, miſericordia moti, ne tanta hominum, ac aliorum ſtrages fiat: conueniunt ad parcendum multitudini, vt bellum in duellum reſoluatur, vel duorum tantùm, aut tot militum hinc & inde, & penes victores, cenſeatur cauſa belli proſperè finita. Et videtur nihil magis pium, nihil magis licitum hac conuentione, cùm tota oriatur ex pietate erga multitudinem. Et iuſtum videtur, vt cauſam, quam duces licitè poterant bello cruento, & vaſtatorio decidere; eam paucis definiendam per duellum, cum minore iactura committant, hoc enim tunc in belli locum ſuccedit. Ita Martinus Delrius, libro quarto diſquiſitionum Magicarum capite quarto, quæſtione 4. ſectione 2. circa finem. *Delrius.*

Nos tamen dicimus cum domino Caietano, & Nauarro vbi ſupra, nunquam licere reſoluere bellum iuſtum in duellũ, niſi in caſu neceſsitatis extremæ, ratione defenſionis iuſtæ ab actualiter inuadente. Prima pars aſſerti manifeſta eſt, ex dictis circa cauſam quintam in aſſerto primo. Secundò, quia ſi in hoc caſu liceret bellum iuſtum in duellum reſoluere ex conuentione partium; omnis cauſa, omniſque controuerſia finiri poſſet ex eadem conuentione per duellum: ſaltem accedente conſenſu Principis. Ad Martinum reſpondetur, negando duellum licitè ſuccedere loco iuſti belli: propter rationes, quas attendimus reſpondentes Nicolao de Lyra: neque enim facienda ſunt mala, vt veniant bona. Secunda pars aſſerti verificatur, caſu quo pars habens iuſtum bellum, certa eſſet quod in bello quod effugere non valet, ſuperanda eſſet ab hoſte ſimul cum exercitu ſuo: nec eſſet aliud remedium effugiendi manus hoſtiles exercitus, niſi mediante duello. Tunc enim liceret, non ſolùm acceptare illud oblatum, verùm & indicere. Probatur, quia in tali caſu, dux exercitus habens iuſtum bellum, patiens iniuriam, non habet aliud medium ad ſe defendendum, niſi ſuſcipere, aut indicere duellum. Quod medium, re vera efficax eſt in eo caſu, cùm cladem certam ſui, & ſuorum, transfert in caſum dubium, & ſpem victoriæ, vtendo omnibus viribus ſuis melius in duello, quàm in bello.

Vltima cauſa duelli ineundi, poteſt eſſe defenſio ſua, aut ſuorum. Quo in caſu, abſque dubio poteſt quiuis ab altero actualiter inuaſus, in certamen cum inuadente ſe deſcendere: quia vim vi repellere licet, cùm moderamine inculpatæ tutelæ; vt lumen naturale docet, & iura clamant. Sed hæc defenſio non vocatur propriè duellum: quoniam duellum eſt certamen duorum ex condicto, & conuentione, quæ longè abeſt à certamine, quod tantum eſt defenſio. Et ex hoc naſcitur aliud diſcrimen: quòd in duello, ſi res attentè inſpiciatur, vterque pugnans eſt aggreſſor, etiam ille, qui ſuſcipit certamen oblatum, propter conuentionem inter vtrumque pugnantem. Secus in defenſione preciſa; vbi non adeſt vlla conuentio inter bellantes: ſed ſe defendens, tantùm conatur ad ſe tuendum ab actualiter inuadente. Et ideò ſi ceſſet inuadere, & ipſe ceſſat à pugna: quod raro inter duellatores contingit.

Sed dubitas, an perſona priuata, quæ non actualiter inuaditur ab aduerſario, ſed ſcit ſe occidendum, an poſsit licitè cum ſuo hoſte duellum inire? Reſpondetur, ſi non eſt aliud medium euadendi niſi mediante duello, poſſet illud acceptare, imò & indicere: quia mortem alioquin certò imminentem, transfert in dubiam, & ſpem aliqualem euadendi. Sed hæc pura defenſio eſt, non duellum, niſi ſecundùm apparentiam.

Ex dictis ſequitur, peccare eos qui quouis

modo cooperantur duellis, & Principes qui ea concedunt, aut non prohibent cum possint. Quamuis aliquando in casibus raris, possint ea permittere; ad vitanda maiora mala, sicut permittunt vsuras, aut meretrices. A

Ad argumenta posita in disputationis initio, quæ fauent duellis, respondent quidam, Dauidem in duello cum Goliath, pec casse feruore iuuenili, sicut & in alijs. Sed hoc non potest stare: quia Scriptura non reprehendit, sed potius laudat Dauidem decertantem cum Gigante: tùm quia idem
3. Reg. 15. sacer Textus tertij Regum 15. de Dauide iam vita functo, ait, fecisse rectum in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus, B quæ præceperat ei, excepto sermone Vriæ Ethei. Quare respondetur cum omnibus Doctoribus, duellum illud, Spiritu sancto instigante Dauidem, fuisse initum. Quod ex multis colligere licet. Primò ex verbis Dauidis ad Gigantem: *Tu venis ad me cum hasta, gladio, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum*: ideſt, ipso instigante, & fauente. Secundò, quia iuuenis contra Gigantem, inermis contra cataphractum, cum funda, & lapidibus contra hastatum, & gladio accinctum processit, quod temerè fieret, nisi Deo instigante Saulem, vt ad certamen, quod prima facie videbatur ridiculum, sineret pergere.

Eodem modo dicendum, de quibusdam C duellis indictis, vel susceptis à viris sanctissimis, aut aliàs probis. Dicendum inquam Spiritu sancto suggerente fuisse inita. Quod ex euentu, & circunstantijs iudicamus. In primis prodeat illud quod nar-
Dubrauius rat Drubrauius de sancto Vvenceslao, libro quinto historiæ Bohemorum ferè his verbis: *Radislaus Gurimensis Princeps per iniuriam inuasserat Bohemiæ fines; coactus à suis tandem optimus Rex Vvenceslaus militem collegit. Cũ iam dimicaturæ essent acies, si aliter (exclamat Vvẽceslaus) nisi prælio, res cõponi nequit, cur nõ potius sine insontiũ sanguine, ipsi inter nos singulari certamine decernimus? Nulla fit mora: loriculam super cilicinam vestem indutus, paruoq; ensiculo succinctus Vvenceslaus in arenam prodit. At Radislaus cataphractus, hastatusq; cum ingenti machæra se infert. Vvenceslaus signo Crucis frontem pingens, subitò Angelos vidit, atque hanc vocem velut ab homine promptam audit, ne feri. Et repentè Radislaus humi procumbens veniam audaciæ poposcit, seq; potestati victoris permisit. Alleuans prostratum Vvenceslaus monuit, data venia, & dignitate ei restituta, vt contumaciam in obsequium debitum verteret, ne post ab irato numine plecteretur.* Miraculo Deus declarauit, se instigasse sanctum Vvenceslaum ad duellum, & ob id, Deo dispensante, licitum extitit.

Prodeat aliud celebre duellum Deo sug gerente patratum: quod fuse narrat Robertus Hauportius, nos breuius. Anno Domini 1326. Guillelmo tertio Comite Hannoniæ, Verpus quidam finxerat velle sacro baptismate initiari. Suscepit ex fonte Comes, & nomen suum indens illi, & & apparitorem curiæ Montensis esse iussit. Non diu post, homo impius ingressus ędem Monasterij Cambronensis, blasphemias in Deiparæ imaginem multas effudit, & (execrandum!) venabulo quatuor plagas inflixit, vnde sanguinis statim fluuij manarunt. Viderunt faber asciarius quidam, & Monachus laicus. Faber ascia caput findere Iudæo parabat, sed à Monacho prohibitus, rem detulêre ad abbatem, is ad Comitem. Iudæus in tortura crimen negauit, & dimissus est. Post quatuor annos, quidam nomine Ioannes Flander Estinensis, senex, & septennio iam ex paralysi clinicus, ita vt vix è lecto surgere posset, ab Angelo apparente iubetur Iudæum accusare, & duello prouocare. Bis monitus senex, parochi iussu rem differebat. Tertiò ipsa Deipara illis plagis consauciata, se videndam exhibet, & duellum imperat. Plenus spe ac fide senex, pergit Cambronem, cernit in imagine vulnera, quæ in visione perspexerat: accedit ad Comitem, accusat Iudæum, & ad duellum prouocat: dies pugnæ designatur; arma iuxta legem Carolinam, rudes fustes, & scuta lignea: (quæ & supersunt hodie) Iudæus robusto corpore, & ferox viribus tibiales fascias tintinnabulis cinxerat, & sic senem ridebat. Sed iuuit Deus athletam suum: D nam commisso certamine, æger sanum, debilis fortem, senex iuuenem prostrauit. Et horrendè blasphemantem, conuictum, sed non pœnitentem, Comes iussit caudæ equinæ alligatum, trahi ad patibulum, & capite deorsum, duobus ad latera ferocibus canibus cum rabidè laniantibus appensum, appositò ignis fumo perire. Hæc ex Roberto. Vbi apparet, quandoque Deum ad duellum instigasse propter fines suæ prouidentiæ congruentes. Et tunc citra du-
Hauport.

bium

bium, licita erunt duella, Deo diſpenſante, ſicut & cum Sanſone, vt occideret Philiſtæos. A

Id verò quod dicitur de ſancto Ludouico Rege concedente duella, falſum eſt: quin potius in eius vitæ hiſtoria legitur, duella prohibuiſſe. De facto verò Caroli Magni, parum curamus: tùm quia Turpinus in referendis hiſtorijs nulla dignus eſt fide, vt apparet ex monſtruoſis mendacijs, quæ paſſim enarrat: tùm quia fortè tempore Caroli Magni, nondum examinata, & detecta erat malitia duellorum: pauci enim tunc B vacabant literis, ferè omnes, etiam antiſtites, armis. Idem reſpondetur ad eas leges, quæ referuntur latæ ab Othone Imperatore, ſi tamen vera relatio eſt.

Ad argumenta in oppoſitum, qua ratione contendunt nunquam eſſe licita duella, concedimus libenter intentum, ſi verè, & propriè duella ſint. Cum hoc tamen ſtat, in caſibus à nobis expreſsis, quādoque licere ad certamen ſingulare deſcendere, qua ratione licita defenſio eſt, & non inuaſio: quia ius naturæ talem defenſionem approbat, & præſcribit, neque hanc damnant iura, quæ duella execrantur. Quod vel ex eo liquet, quia ob id damnant; quia iuri naturæ contraria ſunt, vt ex eorum tenore colligitur: & præcipuè cleri ci duellantes, vltra pœnas laicis impoſitas in Concilio Tridentino, & Bulla Gregorij XIII. irregularitate puniuntur, extra de Clericis pugnantibus in duello.

QVÆSTIO XCVI.

DE SVPERSTITIONIBVS OBSERVANTIARVM.

MIRABITVR C fortaſſe quiſpiā D. Tho. qui in ſumma Theologica nec vnam vocula m ſuper uacaneè appoſuiſſe putatur: poſt quę ſtionem de diuinatione inſtituiſſe aliam de ſuperſtitionibus obſeruantiarum, cùm omnis diuinatio ſuperſtitioſa in obſeruatione conſiſtat, & omnis obſeruantia ſuperſtitioſa habeat aliquid de diuinatione: etenim mediatè aut D immediatè, ad cognitionem ſaltem agendorum ordinatur. Confirmatur: quia obſeruationes ordinatæ ad cognoſcenda fortunia, aut infortunia (de quibus D. Thom. in art. 3.) puræ diuinationes ſunt, & ferè per omne genus diuinationis vagantur. Ergo fat ſuerit tractaſſe in quæſtione immediatè præcedenti, nec opus erat alia quæſtione de ſuperſtitionibus obſeruantiarum.

Obſeruationes iſtæ, de quibus D. Thomas in hoc articulo diſſerit, vanæ dicuntur & ſuperſtitioſæ: vanæ quidem, quia earum virtute, & efficacia nequimus conſequi finem intentum. Et hinc dimanat vt ſuperſtitioſi dicātur, & ſint. Dæmones enim me dijs inefficacibus ſe cōmuniter ingerunt, vtendo eis vt inſtrumentis ad effectus aliquos edendos, ac per conſequens implicā do his retiaculis hominū mentes. Differt au tē ſuperſtitioſa obſeruatio, & vana, à diuinatione in fine, eo quod diuinatio tota refertur ad cognitionē rerum ſingulariū occultarū ſuperſtitioſo modo conſequēdā, vt patet ex præcedenti quæſt. At obſeruatio ſuperſtitioſa licèt habeat admixtum aliquid cognitionis, ſicut omnes humani actus: cæterū præcipuè ordinatur ad alias commoditates ſiue animi, ſiue corporis, & quādoque ad nocumēta inferenda, vt videre licebit in diſcurſu quæſtionis. Ex quo ad obiectionē cōtra D. Tho. patet. Et ad confirmationem

respondetur, parum aut nihil eam obseruationem fortuniorum, aut infortuniorum differre à diuinatione secũdùm materiam, differunt autem valde formaliter, ideſt ex fine. Nam diuinatio vt sic, tantùm refertur ad speculationem, & non ad opus eius, qui diuinat.

Obseruatio autem superstitiosa fortuniorum, aut infortuniorũ tota refertur ad opus eius, qui hãc cognitionem quærit, vt videbimus suo loco. Et fateor eum modum obseruationis superstitiosæ vagari fere per omnem diuinationis speciem, non enim inconuenit vnũ vitiũ habere alia pro materia, sicut sacrilegium aliquãdo habet pro materia fornicationem, & superbia iniustitiam.

Et si dubites, an eæ obseruationes superstitiosæ (de quibus Doctor Angelicus in articulis diuersis huius quæstionis tractat) differant specie, sicut & diuersas diuinationes dixit differre? respõdetur. Nequaquã, quia in fine conueniunt practico, id est ordinantur ad opus. Quo fit, vt obseruationes istæ superstitiosæ tantùm materialiter differant penes materiam, circa quam versantur, putà bona animi acquirenda, corpora immutanda, infortunia, aut fortunia cognoscenda. At verò diuinationes, sicut & cognitiones speculatiuæ non ex fine, sed ex principijs diuersis, per quæ procedunt, diuersificantur formaliter loquendo, ac propria differentia specifica. De quo latius in art. 3. præcedentis quæstionis.

Nihilominus, sicut diuinationes differũt specie, penes explicitam, aut implicitam dæmonum inuocationem: ita & obseruationes superstitiosæ: quæ quandoque exercentur dæmone expresse inuocato, vel vt doceat rerum naturales proprietates miradas, hominibus ignotas, ad aliquos admirabiles effectus inducendos, vel vt concurrat obseruantijs adhibitis tanquam instrumentis, quibus ipse dæmon principaliter eos effectus operetur. Quandoq; verò exercentur dæmone non inuocato, sed se ingerente, eo quod obseruantiæ adhibitæ nullius sunt efficacitatis ad effectus optatos inferendos. Prioris generis obseruantias ad superstitionem pertinere citra controuersiã est. De secundi generis obseruationibus, præcipuè D. Thomas differit in quatuor articulis sequentibus, & in priori de obseruantijs ad bona animi consequenda.

ARTICVLVS I.

Vtrùm vti obseruantijs artis notoriæ sit illicitum?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd vti obseruantijs artis notoriæ non sit illicitum. Dupliciter enim aliquid dicitur illicitum. Vno modo, secundùm genus operis, sicut homicidium, vel furtum. Alio modo, ex eo quod ordinatur ad malũ finẽ, sicut cùm aliquis dat eleemosynam propter inanem gloriam. Sed ea, quæ obseruantur in arte notoria, secundùm genus operis non sunt illicita: sunt enim quædam ieiunia, & orationes ad Deum: ordinantur etiam ad bonum finem, scilicet ad scientiam acquirendam: ergo vti huiusmodi obseruationibus non est illicitum. 1. part. 64. art. 1. ad 5.

2 ¶ Præterea. Danielis primo legitur, quòd pueris abstinentibus dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia. Sed obseruantiæ artis notoriæ sunt secundum aliqua ieiunia, & abstinentias quasdã: ergo videtur, quòd diuinitus sortiatur ars illa effectum. Non ergo illicitum est ea vti.

3 ¶ Præterea. Ideò videtur esse inordinatum à dæmonibus inquirere de futuris, quia ea nõ cognoscunt, sed hoc est proprium

Quæſt. 95. art. 1.

prium Dei, vt dictũ eſt. Sed veri tates ſcientiarũ dæmones ſciũt: quia ſcientiæ ſunt de his, quæ ſunt ex neceſsitate, & ſemper quæ ſubiacent humanæ cognitioni, & multo magis dæmonum, qui ſunt perſpicaciores, vt Auguſt. dicit: ergo non videtur eſſe peccatum vti arte notoria, etiam ſi per dæmones fortiatur effectum.

Li. de diui. dæmo. c. 3. & 4. to. 3. Et li. 2. ſuper Gene. c. 17. nõ procul à fi. t. 3.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Deuter. 18. Non inueniatur in te, qui quærat à mortuis veritatem, quæ quidem inquiſitio innititur auxilio dæmonum. Sed per obſeruantias artis notoriæ inquiritur cognitio veritatis per quædam pacta ſignificationum cum dæmonibus inita: ergo vti arte notoria nõ eſt licitum.

¶ RESPONDEO dicendum, quod ars notoria eſt, & illicita, & inefficax. Illicita quidem eſt, quia vtitur quibuſdam ad ſcientiam acquirendam, quæ non habent ſecundùm ſe virtutem cauſandi ſcientiam, ſicut inſpectione quarundam figurarum, & prolatione quorundam ignotorum verborum, & alijs huiuſmodi. Et ideò huiuſmodi ars non vtitur his, vt cauſis, ſed vt ſignis, non autem vt ſignis diuinitus inſtitutis, ſicut ſunt ſacramentalia ſigna. Vnde relinquitur, quòd ſint ſuperuacua ſigna, & per conſequens pertinentia ad pacta quædam ſignificationem cum dæmonibus placita, atque fœderata. Et ideò ars notoria penitus eſt repudianda, & fugienda Chriſtiano, ſicut & aliæ artes nugatoriæ vel noxiæ ſuperſtitionis, vt Auguſt. dicit 2. de Doctr. Chriſtiana. Et etiam huiuſmodi ars inefficax ad ſcientiam acquirendam. Cùm enim per huiuſmodi artem non intendatur acquiſitio ſcientiæ per modum homini connaturalem, ſcilicèt adinueniendo, vel addiſcendo, conſequens eſt quòd iſte effectus, vel ſpectetur à Deo, vel à dæmonibus. Certum eſt autẽ, aliquos à Deo ſapientiam, & ſcientiam per infuſionem habuiſſe, ſicut de Salomone legitur, 3. Regum 3. & 2. Parali. 1. Dominus etiam Diſcipulis ſuis dixit, Luc. 21. Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Sed hoc donum nõ datur quibuſcunque, aut cum certa obſeruatione, ſed ſecundùm arbitrium Spiritus ſancti, ſecundũ illud primæ ad Corinth. 12. Alij quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſciẽtiæ ſecundùm eundem ſpiritum. Et poſtea ſubditur: Hæc omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Ad dæmones autem non pertinet illuminare intellectum, vt habitum eſt in

Li. 2. c. 23. in me. to. 3

Quæſt. 109 art. 3.

prima huius operis parte. Acquiſitio autem ſcientiæ, & ſapientiæ fit per illuminationem intellectus, & ideò nullus vnquam per dæmones ſcientiam acquiſiuit. Vnde Auguſt. dicit in 10. de Ciuitate Dei, Porphyrium fateri theurgicis theletis in operationibus dæmonum animæ intellectuali nihil purgationis accidere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum ſuum, & perſpicienda ea quæ vera ſunt, qualia ſunt omnia ſcientiarum theoremata. Poſſunt tamen dæmones verbis hominibus colloquentes exprimere aliqua ſcientiarum documenta, ſed hoc non quæritur per artem notoriam.

Li. 10. c. 9. aliquantulum à prin. tom. 1.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quod acquirere ſcientiã bonum eſt. Sed acquirere eam modo indebito non eſt bonum. Et ad hunc finem intendit ars notoria.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd pueri illi non ſe abſtinebant ſecundùm vanam obſeruantiam artis notorię, ſed ſecundum autoritatem legis diuinæ, nolentes inquinari cibis Gentilium. Et ideò merito obedientiæ cõſecuti ſunt à Deo ſcientiam, ſecundùm illud Pſal. 118. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui.

¶ Ad tertium dicendum, quòd exquirere cognitionẽ futurorum à dæmonibus non ſolùm eſt peccatũ, propter hoc quòd ipſi futura non cognoſcunt, ſed propter ſocietatem cum eis initam, quæ etiam in propoſito non habet locum.

Summa Articuli.

PRima concluſio. Ars notoria eſt illicita. Probatur: quia ars notoria vtitur quibuſdam ad ſcientiam adquirendam, non tanquam veris cauſis (non ſunt etenim) nec tanquam ſignis à Deo inſtitutis; ſed tanquam ſignis ſuperuacuis, & per conſequens pertinentibus ad pacta cũ dæmonibus. Secunda concluſio. Ars notoria eſt inefficax. Probatur: quia per huiuſmodi artem non intenditur acquiſitio ſcientiæ per modum homini connaturalem, putà adinueniendo, vel addiſcendo: neque ſpectatur à Deo (cùm Deus non det illam quibuſcunque, aut cum certa obſeruatione) ſed à diabolo: & diabolus non poteſt illuminare intellectum ad ſcientiam acquirendam, vt dicitur 1. p. q. 109. art. 3. & ab Auguſtino libro decimo de Ciuitate, cap. 9. *D. Tho. Auguſt.*

Pro explicatione tituli huius articuli aduertendum, eam in præſentiarum vocari artem notoriam, quæ tradit quædam documenta, & regulas obſeruandas, quibus exercitis pollicentur eius artis Doctores ſcientiam omnium, vel plurium rerum, habitam non per modum cõnaturalem homini, putà inueniendo, & addiſcendo: ſed ſubitò, & per infuſionem, aut quaſi per infuſionem, inſtar ſcientiæ Salomonis, Prophetarum, aut Apoſtolorum, vt habetur 3. Reg. 3. & 2. Paralip. 1. & Luc. 21. Hæc autem notoria ars triplex eſt; quædam cõſtans obſeruantijs merè ſuperſtitioſis, id eſt, quas perſpicuum eſt nullam habere efficaciam ad imbuendos homines ſcientia, putà inſpectionem aliquarum figurarum, prolationem quorumdam ignotorum verborum, & alia huiuſmodi. Altera conſtat quibuſdam obſeruantijs ex ſuo genere pietate plenis: v.g. ieiunijs, abſtinentijs, orationibus ordinatis ad adquirendam ſcientiam ſubitò, & per infuſionem. Tertia, media inter vtramque prędictam, quia ſuperſtitioſis, & pijs quibuſdam conflatur; & vſus iſtius frequentior eſt, & licèt diuerſimodè vſur-

3. Reg. 3. 2. Paral. 1. Luc. 21.

vſurpetur, ſequenti modo exerceri audiui-
mus. Nam iſtius artis fautores iubent cu-
pientem hac ſcientia perfundi, præmittere
generalem omnium criminum coram Sa-
cerdote confeſsionem, frequentem ſacræ
Euchariſtiæ ſumptionem, ieiunia plura, ma
ximè ſingulis diebus Veneris in pane, &
aqua, ſeptem Pſalmorum pœnitentialium
pluries recitationem, vacare etiam debere
orationibus, & quieti, à rerum ſecularium
perturbatione: ac demum quaſdam oratio-
nes ab ipſis compoſitas recitare, figuras
quaſdam inſpicere, & adorare. Et ſubiun-
gunt orationes debere fieri certis quibuſ-
dam diebus, videlicet ſeptem primis Lunæ
nouę, & in ipſo Solis ortus initio. Et his ob-
ſeruantijs celebratis, ter in tribus Lunis no-
uis electo loco quietiſsimo: v. g. eremiti-
co, aut ſolitario campo, fixis genibus, ere-
ctiſq; in cœlum oculis, ac manibus, ter de-
bet dicere illud, *Veni ſancte Spiritus, &c.*
Quibus peractis pollicentur iſti ſcientiæ
notoriæ fautores, ſubitò omni ſcientiarum
genere eſſe imbuendum inſtar Salomonis,
Prophetarum, & Apoſtolorum, ita vt im-
batus ſe ipſum admiretur, vixque ſe cog-
noſcat, experiens ſe mutatum in virum al-
terum. Hæc & ſimilia ſunt præcepta, & ob-
ſeruationes artis notoriæ, & vt alij vo-
cant, artis Almadel, Paulinæ, ſeu reuela-
tionum.

De huius artis notoriæ obſeruantijs diſ-
putat, an licitæ ſint? D. Thom. in hoc arti-
culo, certè egregiè, & profundè, ita vt vix
poſsimus, vel vnum apicem addere. Nos
verò more noſtro, vt Angelica doctrina ma
gis innoteſcat, id ipſum inquiremus, & pri-
mò conabimur probare earum obſeruan-
tiarum vſum eſſe licitum. Primò: quia illæ
obſeruantiæ ſunt virtutis opera, putà ieiu-
nia, & orationes piæ, & ad bonum finem
ordinantur, cur ergo earum vſus non erit
licitus? Confirmatur ex primo capite Da-
nielis, vbi tribus pueris Hebreis legitur de-
diſſe Deum ſcientiam, & diſciplinam in
omni libro, & ſapientia propter eorum ab-
ſtinentiam. Et 3. Reg. 3. Salomoni data eſt
ſcientia omnigena tam in naturalibus, quã
in ſupernaturalibus, repentè, in vnius no-
ctis exiguo interuallo, propter obſeruatio-
nes quaſdam, quas ſcripto mandauit, vt om
nes quotquot vellent eis vti; pari munere
donarentur: vnde ab eo Rege ſapientiſsi-
mo artem notoriam originem ſumpſiſſe
communis fama eſt: ergo idem ſperare li-
cebit ex vſu obſeruantiarum artis notoriæ,

Danie. 1.

3. Reg. 3.

quæ potiſsimè conſtat ieiunijs, & abſtinen
tijs. Secundò. Obſeruantiæ artis notoriæ
quandoque nullis ſuperſtitioſis cæremo-
nijs inquinantur, ſed ſunt ieiunia, oratio-
nes, & ſimilia. At circa quæſt. 83. docuimus
agentes de efficacia orationis, & impetra-
tione: omne genus donorum licitè à Deo
peti, & licitè ſperare ab eo conſequi: ergo
& ſcientiæ donum, circa quod ſperandum
à Deo, verſatur ars notoria. Tertiò contra
illud, quod ait D. Thom. artem notoriam
eſſe inefficacem. Licèt dæmones nequeant
infundere lumen ſcientificum (quod ſup-
ponimus ex loco allegato primæ partis, &
ijs quæ docuimus ſupra in diſput. 5. præam
bula ad has quæſtiones) tamen poſſunt nos
docere multa ſcientiarum documenta, quæ
ipſi multo melius quàm homines ſciunt,
propter ſubtiliores intellectus quibus ſunt
præditi, propter diuturniorem experien-
tiam: ergo licet vti obſeruantijs artis no-
toriæ, vt à dæmone edoceamur ea, quę no-
bis proficua erunt, & alijs non nociua:
& ſic nimis efficax erit vſus iſtius artis.
Confirmatur. Sæpè enim narratur accidiſ-
ſe, vt huius artis obſeruantijs vacantes, ſubi-
tò impleantur omni ſcientiarum genere.
Sicque fantur, docent, & obſcura detegunt,
ac ſi multis annis in addiſcendis inſudaue-
rint.

In oppoſitum eſt D. Thom. & omnes
Doctores ſcholaſtici, vnanimiter ſentien-
tes, vſum artis notoriæ, Paulinæ, & aliarum
ſimilium, eſſe illicitam, & ſuperſtitioſam,
propter rationes à Doctore Angelico fa-
ctas: quæ probant hanc artem pertinere
ad quædam pacta ſignificationum cum dę-
monibus, fœderata ab inuentoribus huius
peſsimæ artis. Inſuper eſt in Deum blaſ-
phema, & iniurioſa, dum rebus ſacris ab-
utitur ad finē ſuperſtitioſum. Sed hæc om-
nia palam fient in ſolutionibus argumen-
torum.

Ad primum reſpondet Diuus Thomas,
quia indebito modo, explicato ſcilicèt in
corpore articuli, exercentur. Ad confirma-
tionem reſpondet idem Doctor ſanctus,
Deum illis pueris ſe exercentibus in ieiu-
nijs, & abſtinentijs, iuxta ritum ſuæ legis
nolentibus inquinari cibis Gentilium, lar-
gitum fuiſſe præclaram ſapientiæ dotem,
in præmium ſuæ obedientiæ, non propter
artis notoriæ obſeruationem. Salomoni au-
tem datam eſſe ſapientiam omnigenam
propter obſeruantias artis notoriæ, fabulo-
ſum eſt: vt patet ex ſacro textu id tribuenti

deſi-

desiderio eius pio gubernãdi sapienter populum suum, & postulationi ipsius deotæ. Similiter fabulosum est, ipsum composuisse libros de artis notoriæ documentis. Ad secundum respondetur primo, artis notoriæ obseruantiæ licet magna ex parte opera pia sint (astu dæmonum suggerente vt nequitia occultetur) tamen non pauci superstitiosi ritus admiscentur. Secũdo respondetur: esto nullæ superstitiosæ obseruantiæ iungerẽtur, sed sola opera studiosa: adhuc illicitum esset ea ordinare ad adquirendum à Deo scientiam per infusionem repentè, & sine labore: quia cùm modo naturali, scilicet adinueniendo, & discendo, possit adquiri; ad tentationem Dei pertinet, eam à Deo petere, & sperare per infusionem: sicut ad tentationem Dei pertinet petere miraculosam salutem, neglectis remedijs naturalibus ad eam obtinendam. Licet quidem à Deo petere sapientiam, iuxta illud Iacobi 1. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo*, non postulatur sapientia per infusionem, sed absolutè cognitio, vt non erret homo circa necessaria, aut conducentia ad salutem. Et Salomon licitè petiuit sapientiam, id est cognitionem necessariam ad gubernandum populum Israeliticum: Deus verò liberaliter largitus est munus sapientiæ infusum, quod determinatè ipse non petierat. Vnde ad argumentum negatur esse licitum à Deo petere omne genus donorum, maximè si in tali petitione Dei tentatio includatur: sicut verè includitur in petitione scientiæ per infusionem.

Iacobi. 1.

Ad tertium respondetur, si quis vt à dæmone doceretur de aliquibus ad scientiam pertinentibus, vteretur præfatis obseruantijs, peccaret grauissimo peccato societatis dæmoniacæ: cuius crimínis malitiam, multis docuimus in præcedentibus. Sed hoc non pertinet ad artis notoriæ obseruantias, quæ ad scientiæ habitualis acquisitionem ordinantur: pertineret tamen ad superstitionem, verbi gratia, si quis studendo, & faciendo quod in se est, simul vteretur vanis obseruantijs, quibus speraret memoriam augere, acumen ingenij, vel organa sensuum melius disposita, vel similia: quæ virtute talium obseruantiarum fieri nequeũt, fieri autem aliquo modo à dæmone possunt, vt supra docuimus in disputationibus præambulis.

Ad confirmationem respondetur, multos repertos fuisse, qui vel artis notoriæ documentis innixi, siue dæmonum alloctione, vel suggestione, sapienter disputabant de quauis re proposita: sapienter decidebant, dubiaque explanabant: sed non propter scientiæ infusionem, quam dæmones non posse infundere, cum D. Thoma arbitramur: sed propter dæmonũ expressam, aut tacitam edoctionem, & sæpe dæmone inhabitatore mouente linguam hominum loquentium. Tales enim sæpe à dæmonibus inhabitari, & per eorum linguas mirabilia scientiarum theoremata proferre agnitum est, vt de hæreticis Anabaptistis animaduertimus, agentes de dæmoniacis, circa quæstionis nonagesimæ articulum secundum. Cuius non leue signum est, huiusce modi homines, statim vt à dæmone liberantur, vel ad Catholicam fidem reuertuntur, idiotas, aut nullo modo sapientes inueniri: ac si totaliter eorum, quæ videbãtur scire, obliti sint. Pariter affirmamus, multos homines vanis deditos, post longũ harum obseruantiarum artis notorię vsum, nihil nisi dementiam comparasse: aut alia corporis (mitto quæ sunt animæ) detrimenta. Petrus Cirnelo in libello de superstitionibus, parte 3. cap. 1. narrat de quodam iuuene, qui peractis ritibus artis notoriæ supra relatis, cùm vltimum ritum peregisset: in campo existens, ac pronuntians illud (aliàs sanctissimum) *Veni sancte Spiritus, &c.* à diabolo arreptus est in turbine, & posteà per terram, ac tribulos tractus, vix à morte liberatus, graui & perpetua imbecillitate, ac infirmitate detentus, notum omnibus præbuit exemplum artis notoriæ vanæ, & pernicioſæ.

Cirnelo.

Iuxta ea quæ docuimus, iudicandum est de obseruantijs directis ad adquisitionem cuiusuis rei spiritualis naturalis. Si enim admiscentur quædam vana, & nullam efficaciam habentia, neque ex natura rei, neque ex Dei institutione: vt verba ignota, seu barbara, aut figurarum quarundam inspectionem: citra dubium obseruantiæ illæ vanæ sunt, & superstitione plenæ, non minus, quàm eæ, quæ ad artem notoriam pertinent. Sed valde similis præcedenti sequitur

DISP.

DISPVTATIO II.

An ſit licitum vti quibuſdam obſeruantijs ordinatis ad amorem comparandum, aut conciliandum?

PRO parte affirmatiua arguitur primò, ex doctrina ſapientum vacantium rerum proprietatibus ſcrutandis, aſſerentium multas eſſe res naturales habentes virtutem ad amorem conciliandum, & gratiam Principum aucupandam. De lapidibus Berillo, de Adamante, & Allectorio id ferūt. Item Hippomanes, remora, oſſa rubetæ, & alia huiuſmodi ad amoris igniculos excitandos plurimum valere, prodidit antiquitas, vt ſtatim videbimus. At vti rebus naturalibus ad ſuos effectus non eſt illicitum: ergo, &c. Secūdò. Obſeruare id quod quaſi communiter omnes experiuntur; nō videtur eſſe illicitum: ſed ſunt innumeri caſus, quibus amantes allecti ſunt ad ſe inuicem amandum, quibuſdam obſeruantijs, quæ amatoriæ dicuntur: ergo eis vti licitum erit. Tertiò. Ferè omnes ſuperſtitioſæ obſeruationes, ideò tales ſunt, quia eis vtitur dæmon ad effectus producendos, vt patebit articulis ſequentibus: ſed dæmones nequeunt amorem ex torquere quibuſuis vtantur machinis, vt communis Sapientum ſententia eſt: ergo vti obſeruationibus ad amorem ordinatis, eſtò ſit illicitum, non erit tamen ſuperſtitioſum.

Non inuenio obſeruationes vſitatiores apud antiquos, & modernos, quàm ad amorem præcipuè Venereum ordinatas: Latini amatorium malēficium vocant, Græci Phyltra, quorum meminerunt plures veteres. Theocritus, & Virgilius in Pharmaceutria, ad conciliandum amorem, ſummopere extollunt Lyngem (auis quædam eſt) ad eum effectum laudatur Hippomanes, quod triplex eſt: vnum quod eſſe plātulam quandam Arcadiæ dicit Theocritus: alterum quod eſt virus, ab inguine æquarū dimanans: tertium pellicula, ſeu caruncula, quæ reuellitur à fronte pulli equini recens nati, cuius odor equas in furorem redigit. De quo Ariſtoteles lib. 6. hiſtoriæ animalium, cap. 18. Plinius li. 8 cap. 42. Columela lib. 6. Virgilius in Georgicis. Rem memorabilem narrant Pauſanias, & Aelianus. Tantam, inquiunt, in Hippomane vim nouit Olympiæ Phormiſareas, quod illo æri mixto, & effuſo equā poſuit abſciſa cauda, vbi Hippomanes incluſerat fabrica, vt ex ea equi eatenus fallerentur, vt tantoperè ad illius cōſpectum furijs ſtimulari deberent: ſic enim eos alliciebat, tantaque inſania ducebantur; vt ruptis frænis in ipſam violentius quàm in pulchram, & viuam equam inſilirent. Neque enim quòd vngulæ, cum æreæ ſtatuæ hærent, lubrico lapſu elidantur, idcircò coitum deſperant, imò ardentius multo, liuente ore, imminenteque adhinniunt. Neque prius quam flagris, & magno ductorum robore abſtrahuntur, ab æreo ſimulacro depelli poſſunt. Remoram & Sepem eiuſdem eſſe efficaciæ, ait Ariſtoteles, ſicut & de Rubetæ, & aliorum oſſibus fieri Phyltra, docuit Propertius libro tertio.

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta eiectis anguibus oſſa trahunt.
Et ſtrigij inuentæ per buſta iacentia plumæ
Cinctaq; funeſto lanea vitta viro.

Hoc eſt funis lanea ſuſpendioſi. Solebant enim maleficæ amantes circundare his. Ad quod videtur fieri alluſio Baruch 6. cū dicitur: *Mulieres autem circundatæ funibus* (en vnum Phyltrum) *in vijs ſedent ſuccendentes oſſa oliuarum* (ecce aliud Phyltrum.) Denique multa alia docuêre Plinius lib. 8. cap. 42. & Marſilius Ficinus lib. 13. Theologiæ Platonicæ. Pomponatius de incantationibus cap. 8. & Cerius Calcalnignus opuſculo de amatoria magia. Noſtra verò ætate alia abominabiliora Phyltra ſucceſſêre, quæ narrat Grillandus de ſortilegijs, quæſt. 3. & 5. Ego verò ab eorum narratione ſuperſedeo, non quia exiſtimem efficacia, ſed quia expaueſcunt aures audire quot ſceleratas mixturas rerum ſacrarum, etiam ſanctiſsimæ Euchariſtiæ, quot ſpurciſsima verba, quot ſceleſtas dæmonum inuocationes adhibeant, maximè, quia ad alia properamus.

Pro deciſione ſit prima aſſertio. Nullæ obſeruationes, nulla maleficia, nulla Phyltra, nulla denique creatura etiam Angelica, poteſt voluntatem cogere ad amandū, quod antea non amabat. Aſſertio hæc certa debet eſſe omnibus orthodoxis, Philoſophiæ veræ principijs imbutis: qui agnouerunt à ſolo Deo, vt efficiente, ac vertente cor Regis quo libuerit; & ab vltimo fine, vt ab obiecto, neceſsitari poſſe: aliàs voluntatis

Pauſan. *Ælianus.* *Ariſtot.* *Proſper.* *Baruc. 6.* *Plinius.* *Ficinus.* *Pompon.* *Calcalnig.* *Grilland.* *Theocrit.* *Virgilius.* *Ariſtot.* *Plinius.* *Columela.* *Virgilius.*

tis libertas peribit. Quinimò neque dæmonia, nec per ſe ipſa, nec mediantibus Phyltris id efficere valent, vt eſt communis cõſenſus Iuris vtriuſque peritorum, in multis locis, quos euitandi faſtidij gratia non cito. Inſuper eſt vnanimis ſententia Theologorum. Sufficiat nunc vnus pro mille Diuus Thomas 1.2 quæſt. 80. & confirmat elegantèr D. Auguſtinus, & Cyrillus citati à me ſuperius diſputatione 6. præambula ad quæſt. 95. & 96. vbi hanc eandem concluſionem confirmaui.

D. Thom. Auguſt. Cyrillus.

Secunda aſſertio. Voluntas poteſt inclinari, & inuitari ad amorem, & actus Venereos, etiam mediis maleficijs amatorijs, & diaboli ope. Explicatione potius indiget aſſertio, quàm probatione: & quidem Phyltra eam efficaciam habere ſic declaro. Nam ea præcipuè, quæ apud veteres erant in vſu, rebus quibuſdam conſtabant, quæ naturalem habent vim totum corpus accẽdendi, humores concitandi, ſemina irritandi, vires genitales commouendi, imaginationem perturbandi, & conſequenter appetitum ſenſitiuum ad actus Venereos mouendi: quo vehementer moto, non poteſt voluntas, propter coniunctionem ad appetitum non vellicari, ac moleſtari, vt appetitui ſenſitiuo conſentiat. Et eſtò nullæ tales res extarent, poſſet diabolus, quibus vellet rebus vti, tanquam ſignis conuentis: & deinde iuxta pactum, ipſe, & turbationem appetitus ſenſitiui, & flatulentiam, & pruritum, & calorem in corpus inducere; inſuper imaginationem commouere illecebris amatorijs, & ſimulacris pulchris; & hominem vexare quaſi quodam œſtro libidinis. Et ſic miſerum, vel miſeram, inuitare, & inclinare, & quodammodo vehementer trahere ad deſiderium carnalis copulæ cum aliquo: iuxta illud Iob 41. *Halitus eius* (dæmonis) *prunas ardere facit*: ideſt, ſuggeſtio eius praua mentes paſſionum æſtibus accenſas, in cupiditatem libidinoſam vehementer pellit. Ita Gloſſa ordinaria. Videndus eſt Sylueſter fuſius tractans lib. 2. de ſtrigimagis, c. 6. puncto 1. Dices, hoc eſt incitare ad amorem, & furias Venereas cum quocumque; non cum hoc, vel illo determinatè, quod in Phyltris intenditur, & ſolet accidere. Reſpondetur. Hic amor, aut furia determinari poteſt, vel à maleficò, accedendo ſcilicèt ad fœminam illo œſtro agitatam, eamque artibus quibus ſolent mulierculæ capi, vrgendo, inſtandoq; in ſuum amorem prouocare: aliquando verò à dæmone fit hæc determinatio, immittendo ſcilicèt imaginationi perſonam certam amãtem importuna ſuggeſtione, quaſi valde dignam amari: & ſic in eius amorem poſſet inclinare: ſed volentem tantùm: nã vt dicebamus, in voluntatis libertatem nihil valet dæmonis poteſtas; quod ſoli Deo reſeruatur. Videndus eſt de hac re Sprẽgerus in 1. p. mallei, quæſt. 7. & iuxta dicta interpretandus eſt Epiphanius lib. 1. to. 2. contra Hæreſes, quando ait, à Mago coactas mulierculas, id eſt, vehementer perſuaſſas, ac inclinatas. Quod videre licet in multis hiſtorijs, quæ ſunt petendæ ex Plutarcho in vita Marci Antonij, & Irenæo lib. 1. c. 9. D. Hieron. in vita Hylarionis, & Nazianze. orat. 29. in laudes Cypriani, & alijs.

Sprenger. Epiphan. Plutarch. Ireneus. Hieron. Nazian.

Tertia aſſertio. Obſeruationes quæcunque ad amorem Venereum conciliandum ordinatæ, ſunt illicitæ multis vijs, ac titulis. Aſſertio oſtenditur diſcurrendo per ſingula Phyltra. Nam quæ fiunt verbis incantatorijs, pertinent ad ſocietatem dæmoniacam; ac proinde ad ſuperſtitioſam impietatem. Item omnes inquinantur malo fine, putà inordinato appetitu coëundi: quæ fiunt per alligationes, & contactum extrinſecum: ſi habeant venena admixta (quod fit rarò) nociua ſunt corpori: quæ vero dãtur ſumenda in cibum, vel potum, vehementer debilitant ſalutem, & inſaniam inducunt: quia quæ permiſcentur, valde nociua ſunt, ac periculoſa, vt fluores menſtrui, ſperma, cerebrum fellis, vel aſinini pulli, vterus hienæ, virga lupi, remora, oſſa rubetæ, ſcinci, & præ cæteris peſtilentius Hippomanes, vt expertus eſt Calligula, qui mortuus eſt cum ei Ceſſonia ad conciliandum amorem, Hippomanem potandum præbuiſſet, teſte Ioſepho lib. 11. antiquitatum. De cunctis autem Phyltris rectè Ouidius:

Ioſephus. Ouidius.

Nec data profuerint pallentia Phyltra puellis,
Phyltra nocent animis, vimq; furoris habent.

His maleficijs dementatum eſſe Lucretium Poëtam, ac demum ſe interemiſſe, narrat Euſebius in Chronicis, & de Luculo Plutarchus in eius vita, & D. Hieronymus in vita Hylarionis narrat de quadam puella; quod poſtquam amator magicis artibus inſtructus ab Aeſculapij Sacerdotibus rediit, & ſubter limen domus puellæ, tormenta quædam verborum, & portentos

Euſebius. Plutarc. Hieron.

Iob. 41.

Gloſ ordin. Sylueſt.

tentoſas figuras ſculptas in æris Cyprij lamina defodit: illicò amore inſanire virgo, & amictu capitis abiecto, rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis cœpit: magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Et D. Gregor. lib. 1. Dialogorum, cap. 4. de virgine quadam incantata à quodam Baſilio, ait: *Febricitare incepit, & vehementer anxiari, magniſque vocibus cum ſtridore clamare: Modo moritura ſum, niſi Baſilius Monachus veniat, & ipſe mihi per ſuæ curationis ſtudium ſalutem reddat.* Et de quadam vetula maleſica refert Sprengerus vbi ſupra, tres Abbates amatorio maleficio neceſſe, & quartum dementaſſe. Multos lamentabiles in hac re caſus poſſemus enumerare: ſatis nobis ſit ſcire, huiuſmodi Phyltra ſumentẽ reddere vt plurimum debilem, attonitum, & mente alienatum. Quare non aſſentior Grillando, qui quæſt. 3. num. 25. ait, in amatorio maleficio vt plurimum interuenire res calidas, dulces, amœnas homini, & coadiuuantes naturalem calorem, & potentiam luxuriandi: & ideò à lege hæc vocari bona, vel non mala venena, in l. 3. §. hæc adiectio, ff. ad l. Corneliã de ſiccarijs. nam vt plurimum adeò vehementia ſunt, vt & ſaluti officiant, & mentem euertant, vt docui de maleficij amatorij efficacitate. Si plura cupis vide Sprengerum. 1. par. mallei, quæſt. 7.

Gregor. *Spreng.* *Grilland.*

Ad argumenta verò in principio poſita reſpondetur. Ad primum, ea quæ enumerantur, & alia ſimilia, nullam poſſe habere virtutem ad amorem, & gratiam comparandam, vt ſuperſtitioſi nugantur, de lapillis, gemmis, & herbis quibuſdam, vt probatum eſt in prima aſſertione: niſi forte aliquo modo inclinent indirectè iuxta tenorem ſecundæ aſſertionis. Nec tamen ob id licitus erit earum rerum, aut aliarum vſus, ad amoris ignes ſuſcitandos: quia finis intrinſecè malus eſt, & euentus ſæpè perniciosus ſaluti, vt oſtendimus.

Ad ſecundum reſpondetur, nullum extitiſſe vtique experimentum coactionis voluntatis ad amandum: inclinationis, & inuitationis permulta. Ad quem etiam finem fas non eſt obſeruationibus amatorijs vti, propter dicta in 3. aſſertione. Alia ſunt quæ obſeruare licet ad inuitationem amoris liciti, putà largitio beneficiorum, venuſtas eloquij, affabilitas, & morum ſuauium frequens vſus.

Ad tertium reſpondetur, ſuperſtitionem contingere quandocumque obſeruationibus ſe dæmones immiſcent. Quod contingit multipliciter, vel circa effectus, qui ſuperant eorum facultatem, vt in acquiſitione intentata artis notoriæ, & in acquiſitione amoris etiam intentata, vel circa effectus, qui eius facultatem non ſuperant, vt in curatione morborum, quibus ipſe ſe ingerit. Fateor, ſi obſeruentur quædam ad prouocandum Venerea, & dæmonis opere obſeruantiæ non fiant: non erit peccatum ſuperſtitionis, ſed aliunde obſeruantiæ vitiabuntur, putà ex fine, aut malo illato, vel ſimilibus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm obſeruationes ad corporum immutationem ordinatæ, putà ad ſanitatem, vel ad aliquid huiuſmodi ſint illicitæ?

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd obſeruationes ordinatæ ad corporum immutationem, putà ad ſanitatem, vel ad aliquid huiuſmodi, non ſint illicitæ. Licitum enim eſt vti naturalibus virtutibus corporum ad proprios effectus inducendos. Res autem naturales habent quaſdam virtutes occultas, quarum ratio ab homine aſſignari non poteſt: ſicut quod adamas trahit ferrum, & multa alia, quæ Auguſt. enumerat 21. de Ciuit. Dei. Ergo videtur quòd vti huiuſmodi rebus ad corpora immutanda non ſit illicitum.

3. contra. c. 105. Et opuſ. 26. Et Ga. 4. lec. 4

Li. 21. c. 5. & 7. to. 5.

2 ¶ Præterea. Sicut corpora naturalia ſubduntur corporibus cœleſtibus, ita etiam corpora

pora artificialia. Sed corpora naturalia sortiuntur quasdam virtutes occultas, speciem consequentes ex impressione cœlestium corporum. Ergo & corpora artificialia, putà imagines, sortiuntur aliquam virtutem occultam à corporibus cœlestibus ad aliquos effectus causandos. Ergo vti eis, & alijs huiusmodi non est illicitum

3 ¶ Præterea. Dæmones etiam possunt multipliciter corpora
Lib. 3. c. 8. & 9. to. 3. transmutare, vt dicit Augustinus tertio de Trinitate. Sed eorum virtus à Deo est. Ergo licet vti eorum virtute ad aliquas huiusmodi immutationes faciendas.

¶ Sed contra est, quòd
Li. 2. c. 20. to. 3. Augustinus in 2. de doctr. Christia. ait, quòd ad superstitionem pertinent molimina magicarũ artium, & ligaturæ, & remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, siue in quibuscunque rebus suspendendis, atque insignandis.

¶ Respondeo dicendum, quòd in his, quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos, considerandum est, vtrum naturaliter videãtur posse tales effectus causare: sic enim non erit illicitum. Licet enim causas naturales adhibere ad proprios effectus. Vnde si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est quòd nec adhibeantur ad hos effectus causandos tanquam causæ: sed solùm quasi signa. Et sic pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita. Vnde Augustinus *Lib. 21. c. 6 circa med. tomo. 5.* dicit 21. de ciuitat. Dei. Alliciũtur dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit: delectationibus pro sua diuersitate diuersis: non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis: quæ cuiusque delectationi congruunt per varia genera lapidũ, herbarum, lignorum, animaliũ, carminum, rituum.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd si simpliciter adhibeãtur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum, vel illicitum. Si verò adiungantur vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcunque variæ obseruationes, quæ manifestum est naturaliter efficaciam non habere, erit superstitiosum, & illicitum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd virtutes naturales corporum naturaliũ consequuntur eorũ formas substantiales, quas sortiuntur ex impressione cœlestium corporum. Et ideò ex eorundẽ impressione sortiũtur quasdam virtutes actiuas. Sed corporum artificialium formæ

pro-

procedunt ex conceptione artificis: & cum nihil aliud sint quàm compositio, ordo, & figura, vt dicitur in primo Physi. non possunt habere naturalẽ virtutẽ ad agẽdũ. Et inde est quod ex impressione cœlestiũ corporũ, nullã virtutem sortiuntur in quantum sunt artificialia, sed solùm secundùm materiã naturalẽ. Falsum est ergo quod Porphirio videbatur, vt Aug. dicit in 10. de Ciuit. Dei, Herbis, & lapidibus, & animãtibus, & sonis certis quibusdã, ac vocibus, & figurationibus, atq; figmentis: quibusdã etiam obseruatis in cœli conuersione, motibus siderũ, fabricari in terra ab hominib⁹ potestates idoneas siderũ varijs effectibus exequendis: quasi effectus magicarum artiũ ex virtute cœlestiũ corporũ prouenirent. Sed sicut Aug. ibidem subdit, totũ hoc ad dæmones pertinet, ludificatores animarũ sibi subditarum. Vnde etiã imagines, quas astronomicas vocant, ex operatione dæmonũ habent effectũ. Cuius signum est, quòd necesse est eis inscribi quosdã characteres, qui naturaliter ad nihil operantur. Non enim est figura actionis naturalis principiũ. Sed in hoc distant astronomicæ imagines à necromanticis: quod in necromanticis fiunt expressæ inuocationes, & præstigia quædam. Vnde pertinẽt ad expressa pacta cum dæmonibus inita.

Lib. 1. tex. 46. to. 2.

Lib. 10. ca. 9. & 11. & lib. 21. c. 2. to. 5.

Lib. 10. de ciuit. Dei. c. 11. à med.

A Sed in alijs imaginib⁹ sunt quædam tacita pacta per quædam figurarum, seu characterũ signa.

¶ Ad tertiũ dicendũ, quòd ad dominiũ diuinæ maiestatis pertinet, cui dæmones subsunt, vt eis vtatur Deus ad quodcunq; voluerit. Sed homini non est potestas super dæmones commissa, vt eis licitè possit vti ad quodcunq; voluerit: sed est ei contra dæmones bellum indictum. Vnde nullo modo licet homini dæmonum auxilio vti per pacta tacita, vel expressa.

B

Summa Articuli.

PRima conclusio. Quando ea, quæ fiũt ad aliquos effectus particulares inducendos, videntur naturaliter posse tales effectus causare, non est illicitũ ea exercere. Probatur, quia licet causas naturales ad suos proprios effectus applicare.

C

Secunda conclusio. Quando ea, quę fiũt, non videntur posse tales effectus naturaliter causare: vsus eorum pertinet ad pacta significationum cum dęmonibus inita. Probatur, quia tunc non adhibentur vt causæ, sed vt signa: & testimonio D. Augusti. 21. de ciuitat. c. 6. Nulla in re dæmones frequẽtius grassantur, quàm suadendo, ac edocendo homines vsum obseruantiarum superstitiosarum circa corpora immutanda. De qua re egregiè D. Thom. in hoc art. sed nimis compendiosè: quare nos, qui fusiora scribimus commentaria, latius pallantes pergimus. Et ideò erit

Augusti.

D. Thom.

D

DISPVTATIO I.

Circa literam Diui Thomæ.

ET primò, contra primam conclusionem sic arguitur. Nam cũ sint innumerę rerum naturalium proprietates ad parturiendos effectus mirabiles, quarum vel minimam

partem callere ſapientiſsimum quemque rerum phyſicarum indagatorem, non eſt poſsibile: ergo qui rebus ijs vtuntur, maximè ad edendos effectus mirabiles, quorum non ſciunt reddere rationem, reducendo eos in ſuas proprias, ac veras cauſas: periculo ſuperſtitionis incurrendæ obijciuntur, cùm dæmones parati ſint ſe ingerere obſeruationibus, quæ non habent virtutē, & ſufficientiam ad aliquos producendum effectus; & in hoc, vt ſæpè docuimus, ratio ſuperſtitionis, & inuocationis dæmoniacæ tacitæ conſiſtit. Antecedēns patet ex D. Thom. in opuſculo de operibus occultis naturæ, vbi doctiſsimè adſtruit multos, & admirabiles naturæ effectus non poſſe reduci ad qualitates elementales; ſed ad influxus cœleſtes eſſe reducendos: quod vix ſapientiſsimis poſsibile erit. Ita etiam ſentiūt Philoſophi, & Medici, maximè Galenus in libro pharmacorum non ſimplicium.

D. Thom.

Galenus.

Confirmatur. In perquirendis, & inueſtigandis rerum naturalium proprietatibus, ſola experientia valens eſt: at hæc exigua, & debilis neceſſariò debet eſſe, tùm propter vitæ humanæ breuitatem, tùm propter res innumeras, & proprietates numeroſiores: ergo his, qui nobis venditant buccis crepantibus cognitionē copioſam præfatarum proprietatum (quales ſunt multi noſtri temporis curioſi) non eſt credendū ſine periculo ſuperſtitionis, vel ſuggeſtionis dæmoniorū eas edocentium. Maior patet primò, in proprietatibus quæ ortū habent ex qualitatibus elementaribus rerū, & in pharmacis, quæ ex eis cōponuntur. Etenim modus miſcendi, & ferè infinita miſcendorum proportio, vix ſapiētibus paucis nota ſunt. Secundò, & maximè patet, in eis proprietatibus, quæ tranſcendunt elementares proprietates; quas cùm ad cœlorum influxus reduci neceſſe ſit: inſcrutabiles ſunt, & ſola experientia adinuentæ.

Secundò, contra ſecundam concluſionem Diui Thomæ dicentis, quoties appareret aliquem effectum non produci poſſe ab aliqua re naturaliter, ſi quis ea re vtatur ad eum effectum: talem vſum ad pacta dæmoniaca pertinere. Contrà ſic arguitur. Nam inter cauſari naturaliter, & ad pacta dæmoniaca reduci; mediat aliud poſsibile, & ſæpè factitatum, videlicet effectum fieri à bono Angelo: conſtat namque multos effectus, qui à cauſa naturali non poſſunt produci, à Deo, vel bonis ſpiritibus quandoque fieri: ergo non benè infert Diuus Thomas allatam concluſionem ſecundam. A

Tertiò, quæſtioni, vtrùm ſit ſuperſtitioſa obſeruatio rerum, ac corpora immutanda, nec ne? reſpondet Diuus Thomas ſub conditione, ſi obſeruantiæ habent naturalem virtutem immutandi corpora; licitum eſt eis vti ad illum finem, ſin minus, non erit licitum. Reſponſio videtur indigna tanto Doctore, quia ſupereſt edocendum, quando obſeruantiæ eam habeant naturalem virtutem, & quando non: aliàs nihil definitum putà, cùm in eadem, qua ante reſponſionem, maneamus caligine.

B Pro deciſione huius, & ſequentium diſputationum aduertendum primò, effectus præfatarum obſeruantiarum quoſdam eſſe communes, ac peruios; quos reducere ad ſuas cauſas, non eſt difficile: alios verò adeò mirabiles, vt perſpicuum ſit, à ſolo Deo valere produci; vt ſuſcitatio mortui, &c. alij effectus ſunt, de quibus dubitatur: An naturales ſint, nec ne?

Denique memento eorum, quæ diximus in diſputationibus introductorijs ad hanc, & præcedentem quæſtionē, vbi multa docuimus de efficacia naturali rerum admirabiles effectus patrandos, qui veri, qui ficticij, qui dæmoniaci, qui humani, quorum memoria multum conducet dicendis. His ſuppoſitis

C Prima aſſertio ſit. Quando certò conſtat res naturales habere aliquot proprietates ad efficiendum aliquid, licitum eſt, & omni carens ſuperſtitione his rebus vti ad eos effectus inducendos, ad quos naturalem habent virtutem. Aſſertio plana eſt ex prima concluſione Diui Thomæ, & eius probatione, quæ & confirmari poteſt ex praxi Medicorum vtentium rebus naturalibus ſimplicibus, & compoſitis ad morbos ſanandos.

D Secunda aſſertio. Quando euidens eſt, vel quaſi certum communi ſapientium calculo, aliquas res non habere naturalem virtutem ad eos effectus inducendos, ad quos ab vtentibus deſtinantur: ſuperſtitioſus eſt, & illicitus talium rerum vſus, ac obſeruatio, niſi aliunde habeatur Deum, aut Angelos probos eas ad cauſandum aliquos effectus aſſumpſiſſe. Probatur ex ſecunda concluſione Diui Thomæ, & quia in caſu aſſertionis, ij effectus neceſſariò ſunt, vel à bono ſpiritu, vel à dæmone; non à bono ſpiritu, vt ſtatim dicemus: ergo à malo: ac proinde earum rerum

vſus

vſus ſuperſtitioſus eſt, & illicitus.

Tertia aſſertio. Quotieſcumque aliquot res naturales putantur probabiliter habere naturalem virtutem ad tranſmutanda corpora; vſus earum non eſt illicitus. Et addit Caietanus ex mente Diui Thomæ, & benè, quando aliqui adhibent lapides, herbas, imagines, vel aliquid huiuſmodi ad vulnus ſanandum, vel mitigandum dolorem, & ſimilia; putando quod adhibeant naturales, vel diuinas cauſas; etiam ſi errent, excuſantur à ſuperſtitione, niſi ignorantia ſit craſſa, & ſupina, atque adeò excuſationis incapax. Probatur aſſertio: etenim res naturales, mirabiles, & innumeras cenſentur habere virtutes: ergo hoc ipſo quod aliquis probabiliter exiſtimat vſum talis, vel talis rei conducere ad hunc, vel illum effectum, maximè ſi corporalis ſit (de quibus modò tantùm loquimur) nullum committit in eo vſu peccatum. Quinimò, Theologe ſapiens, quando videris effectus mirabiles, & extraordinarios, quorum neſcis reddere naturalem rationem; niſi apertè cognoſcas ſuperſtitionem interuenire; ne ſententiam præcipites, ſuperſtitionis nota inurendo: ſed memento innumeras eſſe rerum naturalium proprietates, vel à primis qualitatibus ortum habentes, vel conſequentes rerum naturalium formas, quarum omnium, vt potè occultarum, nullus mortalium ſciet reddere rationem. Huius generis multa collegi in diſputatione prima introductoria ad hanc quæſtionem: non tamen ob id nego, quin ſuperſtitioſi, hoc velamine magiæ naturalis, nobis conentur mille nugamina, & ſuperſtitioſas obſeruantias obtundere.

Caietan.

Sed inquies: nonne doctrina huius aſſerti aduerſatur ſecundo? Nequaquam: aliud enim eſt manifeſtè cognoſci conſenſu, & diſcurſu ſapientum, aliquam rem naturalem non habere virtutem naturalem ad hunc, vel illum effectum: tunc enim vſus illius rei ad eum effectum, ſuperſtitioſus iudicandus eſt, vt dicitur in ſecundo aſſerto: aliud eſt non cognoſci etiam à ſapientibus, aliquam rem habere, vel non habere virtutem ad aliquem effectum, tunc enim non eſt iudicandus vſus illius rei, vt ſuperſtitioſus, vt dicitur in vltimo aſſerto.

Quarta aſſertio. Quando aliquis practicè dubitat, an aliquæ res habeant virtutem naturalem ad producendum quoſdam effectus, ſi eis vtatur non deponendo dubium, committit peccatum ſuperſtitionis. Aſſertio plana eſt intelligenti, quid eſt practicè dubitare: eſt enim dubitare: Vtrum peccetur, an non? Probatur, quia tunc, ſicut in pleriſque alijs, tenemur vitare talem vſum; ne periculo peccandi obijciamur.

Ad argumenta initio poſita reſpondetur. Ad primum: nulli nos periculo errandi practico exponere; ſed tantùm ſpeculatiuo, ac nimium generali, & ob id ferè ineuitabili; cùm tot, & innumeræ res ſint, quarum virtutes ignorare neceſſe eſt; & à quarum vſu, ſi propter timorem errandi ceſſandum eſſet, oporteret ex hoc mundo exire (vt ait Apoſtolus 1. Cori. 5.) aliud agens. *1. Corint. 5.*

Ad confirmationem reſpondetur. Corporum mixtorum proprietates, quæ non excedunt elementares perfectiones, & ad eas reduci poſſunt, difficile eſt ſcire, ſed labor improbus hæc omnia vicit, & diſcurſibus Philoſophicis ſumptis à natura elementi dominantis in vnaquaque re eius naturam, & proprietates ſapientes fœliciter didicerunt. At verò proprietates, quæ exuperant perfectiones elementares (de quibus inferius multa dicemus) ſcire per diſcurſum, impoſſibile exiſtimo, quia à ſuis formis ſpecificis ortum habent: & eas formas tali, vel tali munere donari, haud poſsibile eſt per diſcurſum ſcire hominem vtentem ratiocinatione, quæ à ſenſu originari neceſſe eſt. Et ideò nobis innoteſcunt, vel experimento caſualiter inuento, aut per reuelationem factam à bono, vel malo ſpiritu: & notitia inde comparata, ab vno ad cæteros promanauit. Adamum protoparentem per reuelationem hęc plenè accepiſſe credo, vt ad cæteros cognitionem deriuaret. Dæmonum ſuggeſtione ſiue in ſomnis, ſiue in vigilia idem ſæpè factitatum cenſeo. Et iſto modo ſcitum eſt, ſylueſtris roſæ radicem, aduerſus canis rabidi morſum, aquæ pauorem, omniſque potus metum, & graue faſtidium adferentem præſtare: matre ſcilicet, cuius filius in Lacetania Hiſpaniæ finitima belligerans, morſus periclitabatur, per ſomnum præmonita de efficacia illius radicis, quam diligenter filio miſit, ex lacte potandam. Quo vnico ſimplicique remedio miles ille, præter

omnem expectationem ſanatus; occaſionem præbuit cognoſcendi eius radicis medicinalem contra illum affectum virtutem. Igitur vno ex his tribus modis, potuit ad nos peruenire iſtarum proprietatum occultarum cognitio. Fateor, innumeras fictas proprietates, nobis iſti Aſtrolomagi inculcant, experientia enim paucas didicerunt: an verò docentibus dæmonibus, vel bonis Angelis, ipſi viderint. Inſuper & imponunt nobis, dicentes, à quo ſiderum affla tu hæ communicentur proprietates, & aliquando temerè, & pro ſuo arbitratu: verbi gratia: coralium chalcedonium, chryſolithum, gemmas, à Ioue præſertim, ac Venere adeptas fuiſſe virtutem contra melancholiam teſtantur: Sed qua facilitate dicitur, eadem reijcitur. Quapropter ego non nimis illis fido, ſed de hoc aliàs.

Ad ſecundum reſpondetur, antecedens eſſe concedendum abſolutè loquendo; ac proinde non benè infertur, aliquem effectum eſſe reducendum ad pacta dæmoniaca, ex eo quod obſeruantiæ adhibitæ ad eum edendum, non habeant ad id naturalem virtutem, aut efficaciam. Sed tamen circa ſubiectam materiam, de qua Doctor Angelicus inſtituerat ſermonem; nec antecedens argumenti eſt verum, neque conſequentia illata contra eum habet vim. Etenim quando Deus, aut Angeli boni, aut Viri ſancti effectus aliquos mirabiles efficiunt, excedentes naturalem virtutem rerum applicatarum: v. g. reſtitutionem viſus Tobiæ per inunctionem fellis piſceæ, ſanationem lepræ Naaman per lotionem in Iordane, & ſimilia: non vtuntur his rebus obſeruato earum vſu, vt regula certa futuræ ſanitatis: donum enim ſanitatis, aut miracula faciendi, non adſtringitur regulis, arte, aut dogmate: at obſeruantiæ iſtæ, de quibus loquitur D. Thom. in articulo, præfatis regulis, arte, & ſimilibus adſtringuuntur. Vnde & eas docentes aiunt: ſi vtaris his rebus, vel illis, ſic vel ſic; iſti effectus, vel illi euenient. Ex quo colligitur, & benè, ad Deum, vel Angelos bonos non eſſe reducendos. Et cum aliàs virtute rerum naturalium obſeruatarum nequeant produci; illatio Diui Thomæ reducentis eos ad pacta dæmoniaca egregia eſt. In huius ſolutionis confirmationem, non pœnitebit legiſſe D. Thom. 3. cont. Gent. c. 105. & 106. *D. Thom.*

Ad tertium reſpondetur. Duo poſſe-

A mus in hac parte deſiderare à Diui Thomæ ingenti eruditione. Primum, vt edoceret omnium rerum proprietates ad immutanda corpora, quod homini puro fortaſſe nunquam conceſſum eſt. Item, eſſet circa iſtum articulum edendus immenſus codex; quem vix capere poſſet iſthæc ciuitas. Secundum, vt nos edoceret, ad quos effectus non ſe valeant extendere hæc inferiora corpora; quorum vſus ad obſeruantias, de quibus loquimur, pertinet. Hoc ſecundum partim tetigit (ſaltem præcipua capita, vnde de cæteris dijudicare poſſemus) in ſolutionibus argumento-
B rum, maximè ad ſecundum, quibus & nos aliqua ſuperaddemus, dignas ſcitu diſputationes excitantes.

Subſequitur diſputatio, quam tetigit Diuus Thomas in ſolutione ad ſecundum. Præcipuè mouetur quæſtio propter Medicos, qui obſeruant influxus, & impreſſiones corporum cœleſtium in applicatione rerum naturalium, aut pharmacorum ex eis compoſitorum. Sed huius explicatio pendet ex alia controuerſia celebri: Vtrùm res naturales habeant
C efficaciam, præcipuè ad quoſdam effectus mirabiles edendos ex impreſſione cœleſtium corporum. Sit ergo ſecunda diſputatio.

DISPVTATIO II.

De rerum naturalium efficacitate ex impreßione cœleſtium corporum.

XTitêre olim quidam Philoſophi, putantes omnem cœleſtem machinam vnum animal, & illud perfectiſſimum conſtituêre, cupidiſſimum ſuas vires, ac proprietates, omnium effectuum cauſatrices, traijciendi in ſublunaria omnia: ſi tamen ad eas capiendas corpora inferiora ſe præparent. Quinimò aiunt, ſpiritum humanum rectè præparatum, poſſe haurire omnes proprietates cœleſtes, mediantibus Stellarum radijs opportunè ſuſceptis. Præparatio autem (inquiunt) congruenter fiet, vtendo rebus ſympathiam naturalem habentibus cum Cœlis, Stellis, Aſtris: verbi gratia, imaginibus, ſimilibus his, quæ in cœlis ſunt. Item,

per

per medicinas quadam conſonantia temperatas, per vapores, & odores ſimili concinnitate confectos, per cantus muſicos, ſonos, ac tripudia, per imaginationis operationes, imò & per deſideria, & voluntatis affectiones. Hoc delirium ſequuti ſunt Zoroaſtes, Sineſius, & omnes Platonici, præcipuè Plotinus: à qua poſitione non eſt omninò alienus Marſilius Ficinus in libello de vita cœlitus comparanda, & alij moderni Itali.

Sineſius.
Plotinus.
Ficinus.

Nos ſine vlla mora, iſta deliramenta reijcimus; quia primò ſupponunt cœlos, & Aſtra eſſe anima prædita: poſitio iam pridem damnata in Concilio Conſtantinopolitano, de qua re noſtri Theologi vberius. Secundò, illum modum hauriendi cœleſtia, videlicet ſpiritum, & animam cœleſtis corporis: quis non rideat? Putares de ſorbitione vini ſermonem fieri. Nos quidem fatemur, multas, & admirabiles proprietates corporibus inferioribus ineſſe, beneficio cœleſti; non vt iſti Aſtrolomagi putant per liberalem munificentiam cœli animati, neque per hauſtum ſpiritus, & animæ, ab illo ſupremo animali, vt ipſi dicunt: ſed per quandam impreſsionem virtutum corporearum, effectricium mirabilium effectuum, vt iamiam ſpecialius paramus dicere.

Pro cuius deciſione, valdè notanda eſt doctrina Diui Thomæ in opuſculo 34. vere aureo de occultis operibus naturæ. Notandum, in quam, eſt, quoſdam effectus, ſeu actiones (& loquimur de corporalibus habentibus vnam cauſam per ſe) reducendos eſſe ad principia elementatorum corporum: quæ principia in natura elementari fundantur, & ab ea originantur. Huiuſmodi principia ſunt primæ qualitates elementares, & ſecundæ, quæ ex mixtione earum procedunt. Et has actiones, ſeu effectus, non eſt admodum difficile reducere ad ſua principia, nempè ad primas, aut ſecundas qualitates, vt ad proprietates naturales elementorum, & elementatorum, & ad elementa ipſa: quorum ſingula, iuxta ſuam prædominationem maiorem in elementatis, ſibi motus, & actiones eorum vendicant: verbi gratia: lapis propter dominium terræ, mouetur ad centrum; metalla propter dominium aquæ, habent infrigidandi virtutem, & ſic de alijs. Alij ſunt effectus, ſeu actiones corporum ſublunarium, quæ nequeunt cauſari à corporibus naturalibus per principia, & virtutes elementares: verbi gratia: quòd magnes trahat ad ſe ferrum. Nam ſi ad frigiditatem reducas, frigidior eſt aqua; ſi ad calorem, calidior eſt ignis: non ergo ad principia, & virtutes elementares, hæ actiones reducendæ ſunt; ſed ad ſuperiora agentia, nempè cœleſtia corpora: tantùm enim loquimur de actionibus purè corporalibus. Conſiderat autem ſanctus Doctor, agens inferius dupliciter agere, vel moueri, ſecundum ſuperioris agentis virtutem: vno modo in quantum actio procedit ab eo, ſecundùm formam, vel virtutem ſibi impreſſam à ſuperiori agente; ſicut Luna illuminat per lumen à Sole receptum: alio modo agit per ſolam virtutem agentis, nulla forma recepta ad agendum; ſed per ſolum motum à ſuperiore agente mouetur, ad eum modum, quo carpentator vtitur ſerra ad ſecandum: quæ quidem ſectio, eſt principaliter actio artificis, ſecundariò verò ſerræ, in quantum ab artifice mouetur: non quòd talis actio ſequatur aliquã formã, vel virtutẽ, quæ in ſerra maneat poſt motionẽ artificis. Quæ ergo corpora ſublunaria à cœleſtibus corporibus aliquã actionẽ, vel motum participant, altero dictorum modorũ id participant; videlicet, quia tales actiones ſequantur aliquã formam, vel virtutes impreſſas corporibus elementatis à corporibus cœleſtibus, ſicut dicebamus de attractione magnetis, quã cõſequi ad formã magnetis, & virtutẽ quandam attractiuã ferri impreſſam à cœleſtibus corporibus, quãdo magnes generatus fuit, omnes Philoſophi fatentur. Alio modo poſſunt corpora ſublunaria participare actionẽ, aut motũ, nõ ex forma, aut virtute ipſis impreſſa à cœleſtibus corporibus, ſed ſolũ ex motu actuali corporum cœleſtiũ. Exemplum eſt in aqua maris fluente, & refluente, quæ talem motum ſortitur præter proprietatem elementi, ex virtute Lunæ; non per aliquam formã ſibi impreſſam, ſed ex Lunæ motione, qua ſcilicèt aqua mouetur à Luna. Sed inter præfatas operationes, quæ reducuntur ad impreſsiones cœleſtium corporum, non ad elementa, ſunt multa diſcrimina. Primum, quòd hæ, quæ ſunt ſecundi generis, id eſt, quæ non conſequuntur aliquam formam impreſſam, non inueniuntur communiter in omnibus, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei: non enim omnis aqua fluit, & refluit ſecundum motum Lunæ. At verò operationes primi generis ſimiliter reperiuntur in omnibus

D. Thom.

indiuiduis eiuſdem ſpeciei, ſicut omnis magnes trahit ferrum: vnde conſequitur, tales operationes prouenire ex aliquo principio intrinſeco, communi omnibus habentibus hanc ſpeciem. Secundum diſcrimen: nam operationes ſecundi generis, non ſemper conſequuntur ad præſentiam corporum inferiorum, cuius euidens ſignum eſt, quod non proueniunt ex aliqua virtute indita, & permanente, ſed ſolo motu ſuperioris agentis, ſicut ſerra non ſemper ſecat lignum ſibi coniunctum, ſed ſolum quando ad hunc effectum ab artifice mouetur. Operationes verò primi generis, quotieſcunque corpora inferiora adhibentur ſuis paſsiuis, ſimiles effectus producunt: ſicut reubarbarum ſemper purgat determinatum humorem. Ex quo benè colligitur, talem actionem prouenire ex aliqua indita virtute, & permanente in tali corpore (virtutem autem dicimus principium intrinſecum, quo agens agit, vel patiens patitur) ex quibus infert Diuus Thomas concluſionem hanc: Oportet ea principia, ſeu virtutes procedere à formis talium rerum, ſecundùm quod in proprijs materijs exiſtunt. Probatur, quia hæ virtutes, quæ ſunt principia prædictarum actionum, vel paſsionum, ex forma ſpecifica deriuantur, non quomodocumque, ſed vt conſtituit eſſentiam rei, id eſt, vt in propria materia exiſtit: ergo neceſſe eſt vt illæ virtutes procedant à formis ſecundùm quod in propria materia exiſtunt. Ex quibus infert ſanctus Doctor corolarium: ſi qua virtus à materia, & forma rei non deriuatur; nequaquam erit naturalis illi rei: & per conſequens actio, vel paſsio à tali principio, ſeu virtute procedentes non erunt naturales. Probatur antecedens, quia natura rei eſt forma, vel materia illius. Infert ſecundò, tales actiones, quæ ſunt præter naturam, non ſunt diuturnæ: ſicut quod aqua calefacta calefaciat. Actiones autē occultæ, de quibus nunc loquimur, eodem modo ſe habent ſemper, vel frequenter. Relinquitur ergo, virtutes, quæ ſunt harum actionum principia; eſſentiales eſſe quia à principijs eſſentialibus procedunt; ac denique à forma procedere ſecundùm quod in tali materia exiſtit. Hæc ferè D. Thomas.

Ex cuius doctrina colligitur, principia omnia naturalia ad operationes naturales rerum ſublunarium, debere eſſe potentias quaſdam, ſeu virtutes inhærentes intrinſecè, & permanentes in ipſis rebus naturalibus, ortum habentes à forma, vel materia. Quod ſi ab his non oriuntur, non ſunt principia naturalia; neque actiones, vel paſsiones ab ipſis prodeuntes, debent dici naturales: quia in corporibus, ſola forma, vel materia dicuntur natura. Item, quod nō eſt poſsibile naturaliter, indiu duū vnius ſpeciei, habere principium intrinſecum naturale ad aliquam operationem naturalem; quod non ſit in omnibus illius ſpeciei indiuiduis. Ex eadem doctrina non erit difficile colligere, quam efficaciam ad operandum ſortiantur corpora hæc inferiora, ex impreſsione corporum cœleſtium. Vnde rurſus colligendum eſt, quando licitus, an ſuperſtitioſus ſit talium rerum vſus, attenta corporum cœleſtium impreſsione.

Sed circa dicta conſurgit vnicum dubiū valde difficile, & neceſſariò explicandum, pro ſequentibus diſputationibus.

Vtrùm ſcilicet ex impreſsione cœleſtium corporum poſsit communicari vni indiuiduo aliqua virtus intrinſecè inhærens, ac permanens, quæ ſit principium naturale agendi, aut patiendi: quæ tamen non cōmunicetur omnibus alijs indiuiduis eiuſdē ſpeciei?

VErbi gratia. Si aliqua maſſa auri, eo quod eſt compaginata ſub certa cōſtellatione, poſitione, & aſpectu ſiderum, acquirat aliquam virtutem inhærentem, quæ ſit principium operandi aliquam actionem; quā nō habeant aliæ laminæ auri, quę ſub ea cōſtellatione non ſunt fabricatę.

Et videtur vera pars affirmatiua ex D. Thom. 3. cont. Gent. c. 104. vbi poſtquam probauerat quoſdam effectus non poſſe fieri ex impreſsione cœleſti; demum in fine capitis dicit: *Non videtur autem omninò negandum quin in prædictis (rebus) ex virtute cœleſtium corporum aliquid virtutis eſſe poſſit: ad illos tamen ſolos effectus, quos virtute cœleſtium corporū aliqua inferiora producere poſſunt.* Ecce D. Th. præter innatas virtutes, quas corpora inferiora in ſui productione acceperunt ratione ſuarum formarum, putat eſſe concedendas alias virtutes ex impreſsione cœleſtium corporum communicatas, nimirum quibuſdam indiuiduis præparatis ad eam impreſsionem ſuſcipiendā. Secundò. Sæpè experimur quibuſdam indiuiduis communicari præfatas virtutes ex impreſsione cœleſtium: putà tempore peſtis cauſatę ex ſiderum maligna influentia, quædā indiuidua inficiuntur malignis qualitati-

D Thom.

litatibus, quædam non. Item pro diuerſitate regionum, ex cœlorum influxibus; diuerſæ qualitates ſalutiferæ, aut morbiferæ accolis communicantur. Tertiò. Corpora cœleſtia virtualiter continent omnium corporum inferiorum proprietates, & virtutes: ergo eiſdem poterũt conſimiles impartiri. Confirmatur. Corpora cœleſtia in generatione inferiorum communicant illis multas, ac mirabiles proprietates, quæ ſunt principia operandi mirãdas actiones, & paſsiones. Ergo eiſdẽ iam generatis, nil vetat eaſdem virtutes imprimere modò his, modò illis indiuiduis, pro diuerſitate diſpoſitionum, quibus corpora inferiora ad eas virtutes recipiendas præparantur. Et hinc promanarunt monitiones ſapientum iubentiũ ad recipiendos influxus ſiderum, adhiberi quædam herbarum, & aliarum rerũ corporalium auxilia; quaſi ad præparandam inferiorum materiam, ad ſuſcipiendam influentiam virtutis cœleſtis.

Ferrar. Ferrarienſis loco citato motus teſtimonio inducto ex D. Thoma, cenſet hanc partẽ veram, dicens, vnum indiuiduũ, ex hoc quod ſub tali ſiderũ poſitione per aliquam tranſmutationem, & alterationem materiæ ſuæ, certo quodã, & determinato modo facta eſt; poſſe habere virtutem aliquam ad agendum, quam non habet aliud indiuiduũ eiuſdem ſpeciei.

D. Thom. Pro parte negatiua facit Doctor Angelicus in ſolut. ad 2. huius art. dicens: *Virtutes naturales corporum naturalium conſequuntur eorũ formas ſubſtantiales, quas ſortiuntur ex impreſsione cœleſtium corporum. Et ideò ex eorundem impreſsione ſortiũtur quaſdam virtutes actiuas.* En D. Tho. nullas alias virtutes naturales agnoſcit in naturalibus corporibus ſublunaribus, ex impreſsione cœleſtium, niſi eas quæ conſequuntur ad eorum formas ſubſtantiales. Sed forma ſubſtãtialis, ab omnibus indiuiduis eiuſdẽ ſpeciei participatur: ergo & omnes virtutes naturales, ſiue actiuæ ſint, ſiue paſsiuæ. Et clarius in opuſc. 34. ſic infert ex nuper relatis: *Quia igitur tales virtutes, & operationes* (nimirũ tranſcendentes virtutem elementarẽ) *à forma ſpecifica deriuantur, quæ eſt cõmunis omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei: non eſt poſsibile quod aliquod indiuiduum alicuius ſpeciei, aliquam talem virtutem obtineat, præter alia indiuidua eiuſdem ſpeciei, ex hoc ſcilicet quod eſt ſub determinato ſitu corporum cœleſtiũ generatum.* Ferrarienſis inquit, D. Tho. in hoc loco tantùm ſermonem facere de artificiatis; & quòd nõ habẽt aliquã virtutẽ ad operandũ ratione formæ, aut figurę artificiatæ: nõ verò negat, aliquod indiuiduũ poſſe ex alteratione, aut impreſsione cœleſti, accipere virtutẽ ad certas actiones; quam nõ habẽt alia eiuſdẽ ſpeciei indiuidua. Sed certè explanatio hæc non eſt ad mẽtem D. Th. qui in priore parte ſolutionis ad 2. vbi habẽtur verba à nobis citata, tantùm loquitur de virtutibus rerũ naturaliũ: in ſecũda verò parte agit de artificiatis ſecundùm quod artificiata ſunt, vt videre licet cuiq; attẽtè legenti. Idem Ferrarienſis inquit, D. Tho. in opuſc. tantùm loqui de virtutibus ſubſtantialẽ formã conſequẽtibus; non de his, quæ accidunt vni indiuiduo, & non alteri eiuſdem ſpeciei: quæ eueniunt non ratione formæ ſubſtantialis, ſed ratione cuiuſdam alterationis, aut tranſmutationis certo, & determinato modo factarum, & maximè ex impreſsione, quæ de nouo fit à cœleſtibus corporibus. Violenta expoſitio D. Th. qui in illo opuſc. nullam agnoſcit virtutẽ à cœlis imprimi, niſi à forma ſubſtantiali corporũ inferiorũ dimanet. Quodſi alia reperiretur cõmunicata vni indiuiduo, & nõ alteri; doctrina ibi tradita & falſa eſſet, & curta, ac deficiẽs. Falſa, quia dicit vno ex duobus modis tantùm corpora inferiora moueri à ſuperioribus agentibus; videlicet per formã, & virtutẽ impreſſam, conſequentẽ ad formã ſubſtantialem, & per ſolam motionem. At Ferrarienſis alium tertium modum adinuenit, ſcilicet per formam impreſſam ab agente extrinſeco, non conſequentem ad formam ſubſtantialem. Manca item, ac deficiens eſſet doctrina Angelici Doctoris, quia quæſitus de principijs actionum occultarum naturæ, nullam fecit mentionem occultorum: quales eſſent illæ, quæ ponuntur à Ferrarienſi procedere à principijs inditis omninò ab extrinſeco.

Secundò principaliter probatur pars negatiua ratione ſumpta ex opuſculo citato: Omne principium naturale, & mutationem ad illud conſequentem, neceſſe eſt oriri à forma vt exiſtit in tali materia, quia natura eſt forma, vel materia: & ea, quæ ab ipſis non deriuantur, nequeunt eſſe naturalia: ſed tale principium, quod fingitur poni in vno indiuiduo, & non in alio ex impreſsione ſiderum, non habet ortum à forma exiſtenti in tali materia: ergo non eſt naturale. Nec ſat eſt dicere, illud principium, & eam actionem eſſe naturalem, ratione materiæ: ſicut calefactio

aquæ,& combuſtio ligni, dicetur eſſe naturalis,non ratione formæ, ſed ratione materiæ naturaliter recipientis diſpoſitiones ad formam ignis.Nam ſimpliciter loquendo, illæ alterationes non ſunt naturales aquæ,aut ligno;ſed potiùs violentę,aut prę-
ternaturales.Item,quia ſi aliquo modo naturales dicuntur; ideò fit, quia naturale eſt cuiuis corruptibili naturæ, vt appetat ſub alia forma eſſe, & habere diſpoſitiones ad aliam formam: quod non contingit in noſtro caſu, cùm hæ operationes, de quibus loquimur, non ordinentur ad generationem vllam,vel corruptionem.Quod ſiquis rationibus præcedentibus conuictus, & verbis D.Thom. in opuſculo citato dicat, eas virtutes impreſſas vni indiuiduo, & nõ alijs non eſſe naturales corporibus inferioribus, ſed præternaturales; & ſic velit interpretari D.Thom.Contrà

Arguitur tertiò. Illa virtus (ſiue dicatur naturalis, ſiue præternaturalis,non moror) vel cõmunicatur quibuſdam mixtis vnius ſpeciei per ſolum localem motum cœleſtium corporum; vel etiam per alterationẽ materiæ eorundem mixtorum. Non primum,hoc enim eſſe impoſsibile monſtraui in prima diſputatione introductoria. Non ſecundum:& probatur, quia nulla alteratio poteſt fieri naturaliter in corpore corruptibili, niſi terminus eius alterationis præexiſtat in potẽtia materiæ rei alteratæ, vel in potentiaformæ vt exiſtit in materia: ſed ea virtus,ſeu qualitas permanẽs,quæ fingitur imprimi à cœlo, nõ præexiſtit in materia horũ mixtorũ: ergo nullo modo,valet talis virtus ab agente creato introduci.Maior huius proſyllogiſmi videtur nota Philoſophis; aliàs ſubſtantijs ſeparatis, ad eos effectus, quos non poſſunt producere per ſolum localem motum; non eſſet neceſſarium exquirere actiua paſsiuis proportionata, vt illis alteratis reſultarent effectus: quod tamen exigunt omnes Philoſophi,& Theologi. Secundò probatur eadem maior,quia omnes alterationes mixtorum,vel ordinantur ad ſui conſeruationem in ſe,vel in ſuis ſimilibus, vt patet in reductione aquæ ad frigiditatem. Et iſto pacto terminus alterationis eſt in potentia naturali formæ exiſtentis in materia, vel ordinatur ad introductionem alterius formæ,vt patet in aquæ calefactione, & ſic illæ alterationes ſunt in potentia materiæ appetentis eſſe ſub alia forma. Vera eſt igitur maior proſyllogiſmi, terminum alterationis ſemper
A eſſe in potentia materiæ rei alteratæ; vel formæ, vt exiſtit in materia. Minor verò probatur,quia alteratio, quæ fingitur præcedere in corpore elementato, vt præparet illud ad ſuſcipiendam virtutem ſupra elementarem, non ordinatur ad conſeruationem eius in ſe,vel in ſuo ſimili;quia hęc ordinatio,& appetitus,à forma ſubſtantiali deberet procedere, & ſic in omni habente eam formam inueniretur:nec ordinatur ad introductionem alterius formæ, vt iſto pacto terminus alterationis eſſet in potentia materiæ appetentis aliam formã: ergo terminus illius alterationis, quæ dicitur eſſe
B virtus, & principium operandi quibuſdam indiuiduis ſuæ ſpeciei,& non alijs, fictitia eſt.

Arguitur quartò. Si iſtæ virtutes, quæ dicuntur imprimi à cœlo quibuſdam indiuiduis vnius ſpeciei, & non alijs, naturales non eſſent; ſequitur non permanere diutius in ſuis ſubiectis, ſed modico tantùm tempore,vt patet in calore aquæ calefactæ: at hæ virtutes, de quibus diſputamus, ſunt diuturnæ, & permanentes; ob id enim fabricantur, ad aſpectum, & poſitionem talem ſiderum res aliquæ, vt deinceps eas virtutes retineant, & eis vtamur ad effe-
C ctus mirabiles edẽdos: ergo naturales ſunt, & conſequenter earum naturalitas à forma deſumi: quæ cùm ſit communis omnibus indiuiduis, etiam iſtæ virtutes communes erunt. Reſpondet Ferrarienſis, eas *Ferrar.* virtutes præternaturales, quæ ab agentibus particularibus cauſantur, non eſſe diuturnas:quæ verò ab agente vniuerſali imprimuntur,diuturnas eſſe poſſe. Solutio hæc eſt(vt exiſtimo) ſine firmo fundamento, nam lumen aëris à Sole eſt dumtaxat,quãdiù durat illuminatio ſolis; & ea ceſſante, ceſſat lumen: ergo par ratio eſt quantum ad hoc de formis cauſatis ab agente vniuer-
D ſali,vel particulari. Niſi forte dicatur impreſsionem agentisvniuerſalis diutius permanere, propter maiorem efficaciam in agendo.Secundò reſpondet, eam virtutem à cœlo impreſſam tantùm durare, quantum influxus illius cœleſtis diſpoſitionis, ex quo cauſata eſt: ſicut virtus calefactiua in aquam tantùm durat, quantum durat in ipſa virtus ignis calefacientis.Sed tunc non ſoluitur argumentum, quod procedit de virtutibus quibuſdam, quæ putantur ineſſe rebus ex impreſsione ſiderum per multum temporis, maximè quia cùm influentiæ cœleſtes concitatiſsimo motu Aſtro-

rum,

rum, & ſtellarum, aliæ & aliæ percurrant; certè virtutes illæ citiſsimè euaneſcerent, ſicut & ſuæ cauſæ. Magis veritati conforme eſt eas à forma ſpecifica dimanare, quæ ſicut permanet quandiu ſubiectum durat, ſic & ipſas permanere neceſſe eſt.

Quintò. Poſita iſta ſententia Ferrarienſis, aperitur porta ſtabiliendi quamplures fabulas, & figmenta, qualia ſunt illud de Gigis anulo, quem qui geſtaret certo quodam modo collocatū, inuiſibilis dicebatur fieri: vt refert Cicero de Officijs, & Gregorius Nazianzenus in monodia: & quod refert Albertus Magnus, lib. 3. de motu animalium. de duobus pueris, quorum vnus cum ferretur iuxta oſtia clauſa, omnia, quæ ad dexterum eius latus ſita, aperiebantur: ab altero verò idem in ſiniſtris præſtabatur. Et ſimilia multa portentoſa, quæ Aſtrologi referunt ad impreſsionem cœleſtiū corporum: & nos incredibilia putamus cū diuo Thoma in loco contra gentes ratione quarta.

Cicero. *Greg. Naz.* *Albertus Magnus.*

Dices, præfatam Ferrariēſis opinionem, tantùm eſſe extendendam ad eos effectus, qui aliquibus alijs corporalibus ſunt naturales: v.g. quod ſicut magnes attrahit ferrū ratione propriæ formæ, ita ex impreſsione corporis cœleſtis poterit communicari alijs rebus hæc facultas trahendi ad ſe ferrum. Et ſicut ſapphirus ſanguinem cohibet ratione formæ ſibi inditæ, ita maſſa cerea compaginata ad certum ſiderum ſitum, & aſpectum, poſsit eandem virtutem habere; non verò eam communicationem eſſe extendendam ad eos effectus, qui non reperiūtur eſſe naturales in alijs mixtis. Tales ſunt effectus nuper cōmemorati, quos portentoſos eſſe, & incredibiles putauimus. Et rationem huius aſsignat præfatus autor: quia in virtute ſolis cōtinentur omnes formæ tam ſubſtantiales quàm accidentales. Vnde non mirum, vt eas communicare poſsit quibuſdam rebus, licèt eis naturalis non ſit. Fatemur, D. Thomam negare vllam ineſſe facultatem ex impreſsione cœleſtium corporum, quæ non ſit naturalis alicui corpori inferiori: non propter rationem Ferrarienſis, ſed quia virtutes omnes, de quibus loquimur, oriuntur à formis ſpecificis, quibus mirabilibus virtutibus, & admirabiles effectus, res naturales in ſui generatione ditatæ ſunt. Demum confutatur præfata opinio ex D. Thoma in opuſculo citato, vbi ad efficiendas actiones, quę perfectiones elemētales tranſcendunt, præter principia, & virtutes à forma ſpecifica dimanantes, nullam aliam virtutem agnoſcit in rebus naturalibus, niſi tantùm motionem principalis agētis extrinſeci, quod vtitur corpore terreſtri, vt inſtrumento ad eas operationes, quæ non habent ortum à forme ſprcifica. Quod videtur conforme doctrinæ traditæ in libro 3. contra Gentes, cap. 53.

Ex dictis non erit nimis difficile in epitomem redigere explanationem diſputationis propoſitæ, de efficacia rerum naturalium, habita ab impreſsione corporum cœleſtium.

Dico igitur primò. Ad operationes, quæ non tranſcendunt virtutes, & facultates elementares, præter concurſum cœleſtium corporum requiſitum in generatione mixtorum, non mediocris efficacia præſtatur mixtis corporibus, ex impreſsione cœleſtium, facta in temporis progreſſu. Aſſertū potius declaratione indiget, quàm probatione. Ex elementorum mixtione virtuali cauſantur omnia ſublunaria corpora, mediante cōcurſu cœleſtium, quæ communicant mixtorum naturis principia ad operandū actiua, & paſsiua, proportionata iuxta menſuram elementi prædominantis. Lapidibus, quia prædominatur elementū terræ, data ſunt principia ad deſcenſum: v.g. ſiccitatem, & grauitatem. Metallis, quia prædominatur aqua, data ſunt principia ad infrigidandum. Et ſic de alijs, in quibus omnibus reperiuntur principia actiua, & paſsiua, vt ſuas operationes exequantur, naturalia vel ratione formæ, vel ratione materiæ. Cæterùm mixtis iam generatis, nil prohibet ex impreſsione recenti cœleſtium corporum principia præexiſtentia adiuuare, vel aliquo modo hebetari in ordine ad eaſdem elementares actiones: v. g. continget frigora niuium nō vſque adeò infrigidare, quia viget talis Aſtrorum influentia calefaciēs, calorem itidem ſolis plus feruere, quia influentia caniculæ inſtat, & ſimilia. An verò id efficiant corpora cœleſtia per ſolam motionem, vel per nouarum virtutum productionem? non eſt mihi certum. Exiſtimo autem id fieri per principia indita, quæ naturalia poſſunt eſſe elementatis, ratione materiæ, vel ratione formæ. Quinimò non dubito, nouas qualitates nouaſq; virtutes quibuſdam indiuiduis vnius ſpeciei, & non alijs communicari ex impreſsione cœleſtium, quæ erunt naturales ratione materiæ, vel formæ, vt dictum eſt: & actiones

conſequentes non erit nimis difficile reducere ad ſua principia, his qui periti ſunt in phyſicis trāſmutationibus, & mutationibus.

Dico ſecundò. Ex impreſsione cœleſtiū corporū fieri aliquos effectus, ſeu actiones elementares, quæ aliàs non fierēt, adhibitis quibuſdā cauſis naturalibus, & aliquos effectus citius fieri ex impreſsione eadem, quā fierent aliàs, non extante tali impreſsione, certum exiſtimo. Prima pars verificatur in generatione animalculorū imperfectorū: & ſecundam quotidie experimur, vt in maturatione fructuum, & frugum, quæ citius in vna, quàm in alia regione matureſcunt, & vno anni tempore, quàm in alio, propter diuerſam cœlorum influentiam. Item ars, & induſtria præſtare hoc poſſunt, vt docuit Victoria relectione de magia, quęſt. 2. concl. 1. ergo multo melius cœlorum influxus. *Victoria.*

Dico tertiò. Multæ reperiuntur ſub cœlo res naturales, quibus inditæ ſunt mirabiles virtutes efficiendi mirabiles effectus, tranſcendentes omnē elemētarem virtutē: inditæ, inquā, à cœleſtibus corporibus producentibus quaſdam formas nobilioris naturæ quā ſint elementares. Ad quas formas nobiliores, hæ virtutes conſequuntur, quas diximus excellere omnem elementarem perfectionem, & conſequenter earū actiones. Sed his rebus productis, non imprimūtur à cœlo virtutes aliquæ permanentes, quæ non oriantur à formis: ac proinde non eſt poſsibile, quod aliquod indiuiduū alicuius ſpeciei aliquam talē virtutē, vel actionem obtineat, præter alia indiuidua eiuſdē ſpeciei, ex hoc quod eſt ſub determinato ſitu corporum cœleſtium generatum. Prima pars aſſerti exemplificatur in multarū rerum naturalium actionibus, quarū principia nequeunt reduci ad principia elemētaria. Vnde neceſſariū eſt ea reducere ad influxum cœleſtiū corporum, habentiū virtualiter multo nobiliores, & perfectiores naturas, & virtutes, quā in elementis, & elementatis vt ſic, reperiuntur. Magnes trahit ad ſe ferrum certa diſtantia collocatū, non ſine magna admiratione intuentium (ſi res tam peruia non eſſet) vt adnotauit D. Auguſt. 21. de Ciuitat. cap. 4. lapides pretioſos multis pollere admirabilibus proprietatibus lapidarij aſſerunt. Sapphirus ſanguinis fluxum cohibet, Coralus, & Calcedonius virtutem habent contra atræ bilis illuſiones, Achates ad viſū, & cōtra venena valet. *Auguſt.* Serapio ſcribit eū qui Hyacinthū geſtat, à fulgure tutū. Lapis Aetytes, aliàs Aquilinus, admotus vuluæ fœmineæ, dicitur partū facilem efficere: quod Raſis, confirmante Serapione, frequenter ſe dicit expertū. Lapidem Bezaar multis, & occultis gratiarū donis eſſe dotatū, noſtrates experti ſunt. Ex herbis Pæonia carnē tangens, contra morbum caducum patrocinatur. Mirabolani viſum acuunt, & iuuentutem conſeruāt. Dyctamum venenoſis obſiſtit, ac ferrū è vulnere extrahit. Zinziber infuſum epulis arcet ſincopim. Gentiana rabiem ſedat canis, fugatq; ſerpentes. Thus contrà hebetudinē, & obliuionem. Saluia paralyſim ſanat. Pentaphilon reſiſtit venenis. Agnus caſtus Venereū ſiſtit motū. Crocus conciliat lætitiā. Mitto virtutes plurimas theriacæ, & aliarū rerum naturaliū: quæ citra dubiū mirabilibus pollent virtutibus, quas iſti Aſtroloma gi ferè ſine numero multiplicāt. Vnde nec nimis illis fido, quia ſicut Pictores atq; Poëtæ, ſumunt ſibi fingendi licentiā. Et multo minus illis confido in reductione certa harū virtutū, ad hæc vel illa ſidera, vel Aſtra. Scimus quidem eas ad cœleſtia corpora eſſe reducendas, cùm nequeant ab elemētaribus principijs produci. Ad quæ autē cœleſtia, facilius eſt ignorare, quā certò ſcire. Et ideò eorum placita (in eo iudicio voluntaria) quæ plura de hac re perlegi, libens omitto. Secunda pars huius aſſerti tertij eſt expreſſa D. Tho. ſententia in Opuſculo citato, quā ego nuper ſtabiliui multis contra Ferrar. & alios. Sed neceſſe eſt vt argumēta pro illorum ſententia facta diſſoluamus. *Raſis.* *D. Thom.*

Ad teſtimoniū D. Tho. ex 3. contra gentes reſpondetur primò, non ſatis liquere, an D. Thom. loquatur, & verificandus ſit, dumtaxat de effectibus, qui non tranſcendunt virtutes elementares; ad quos efficiēdos nihil prohibet à cœlo imprimi nouas virtutes vni indiuiduo, & non alijs, eiuſdē ſpeciei. Pro qua intelligētia expendendū eſt verbū illud: *Non videtur omninò negandum, &c.* Quaſi dicat: partim concedendū, partim negandum. Concedendū quidem, in effectibus corporalibus, non tranſcendētibus virtutes elementares: negādum verò in effectibus qui eaſdem exuperant. Secundò reſpondetur, admiſſo D. Tho. loqui de omnibus effectibus corporalibus, verificandum eſſe de impreſsione cœleſtiū facta rebus naturalibus in ſui generatione, vt explicui in prima parte huius tertij aſſerti. Vel denique eſſe intelligendum, iuxta mox ſubiungenda in quarto aſſerto.

Ad

Ad ſecundū argumentū pro Ferrarienſi reſpondetur concedendo antecedēs: quia illæ qualitates, & virtutes, ad elementa, & eorum qualitates reducuntur: ac proinde naturales eſſe poſſunt elementatis, vel ratione formæ, vel ratione materiæ. Secus eſt de illis qualitatibus, quæ excedūt elemētorum virtutes, vt explicui in probationibus pro noſtra ſententia, quam eſſe D. Thomæ exiſtimo.

Ad tertium negatur conſequentia: quia cœlum, & Aſtra non valent producere in ſublunaribus, niſi eas tātum qualitates, quæ continentur in potentia materiæ, vel oriuntur à forma. Cùm autē illæ qualitates, quæ excedunt elementorū efficaciam, non cōtineantur in potentia elementorum, neque oriantur ab eorū forma (vt probaui ſupra) nequeunt à corporibus cœleſtibus imprimi de nouo rebus inferioribus. Confirmationis intentam illationem libenter concedo, ſi ſermo ſit de proprietatibus, & principijs, quæ non excedunt virtutem, & efficaciam elementarem. At vero ſi ſermo ſit de proprietatibus, quæ tranſcendunt elementares perfectiones; negatur conſequentia: quia corpora cœleſtia ab intelligentijs mota, ac ſuis influentijs operantia, ad formas omnes ſubſtantiales mixtorum efficaciſſimè concurrunt, quando ea mixta generantur: & conſequenter ad omnes eorum proprietates, maximè ad eas, quæ ad formas ſubſtantiales conſequuntur. At mixtis generatis, cum hæ qualitates de quibus loquimur, ad ſubſtantiales formas conſequātur, & non ad alias diſpoſitiones, aut alterationes, quæ omnes fundantur in potentia materiæ; cœleſtia corpora non valent, imò neq; ſubſtātiæ ſeparatæ, aliquas huiuſmodi imprimere proprietates, mixtis corporibus iā generatis. Et ſi inſtes: plus eſt formas ſubſtantiales mixtorū producere, quā qualitates illas: ſed cœlorū influentia ſe extēdit ad formas ſubſtantiales producēdas: ergo multo melius ad eas qualitates imprimendas cuique indiuiduo non indiſpoſito. Reſpōdetur: aliquando qui poteſt in id quod maius eſt, non poteſt in minus, ſi diuerſa ratio militet. Sic autem eſt in propoſito, vt nuper dicebamus. Pro quo aduerte, in formis quibuſdam mixtorum, duplicem eſſe habendam conſiderationem: Primo modo conſiderantur vt ſubiecta, vnde oriuntur qualitates elementares. Secundo modo, vt ſubiecta vnde oriūtur qualitates ſupraelementales. Priori modo conſideratæ habēt pro immediata cauſa elemēta contenta virtualiter in mixtis, & inde aſcendendo cœleſtia corpora. Altèro modo conſideratæ, non cauſantur ab elemētis, ſed habent pro immediata cauſa cœleſtia corpora, ſimul cum intelligentijs eorum motricibus. At productis in rerum natura his formis ſubſtantialibus, & conſequentibus ad eas proprietatibus ſuperelementaribus; cū natura non abundet in ſuperfluis: non eſt neceſſe, neq; poſsibile vt cœlum de nouo eas qualitates imprimat, licet ſæpe contingat eas ſtimulare, vt perfectius operentur, aut fere conſopitas excitare, ad modum explicandum in ſequenti aſſerto.

Dico quartò. Quamuis rebus naturalibus iam generatis, non poſsint imprimi à corporibus cœleſtibus qualitates permanētes, ad efficiendas eas actiones, quæ excedunt elemētarium principiorum efficaciā, vt docuimus in præcedenti aſſerto; tamen poſsibile eſt, & de facto reperitur ſæpe, vt virtutes, & principia collata cœleſti munere in generatione rerum naturalium, ad eas actiones efficiendas, intenſius vel remiſsius operentur ſecundùm diuerſam diſpoſitionem materiæ, & diuerſum aſpectum corporum cœleſtium in vno indiuiduo, quàm in alio. Imò contingere poteſt, vt illæ virtutes, & principia, quæ aliquando conſopita, & occultata in naturalibus rebus manēt; exeant in actum (hoc eſt vt Philoſophi loquuntur) reducantur ab actu primo ad actū ſecundum, mediantibus tranſmutationibus, ſeu alterationibus promanātibus à quibuſdam mixtis, aut à cœleſtium corporum conſtellatione, ſitu, vel aſpectu. Prima pars aſſerti eſt D. Thomæ in Opuſculo citato: & patet: quia expertum eſt vnum magnetem intenſius, aut velocius trahere ferrum quàm alium; vnam maſſam ſapphiri efficaciùs cohibere ſanguinem, quàm aliam: non ſolùm propter diuerſam diſpoſitionem materiæ in generatione harum rerum, verùm etiam propter efficaciam corporum cœleſtium maiorem vno tempore quàm alio. Secunda pars aſſerti manifeſtatur in multis rerum naturalium proprietatibus, quæ extinctæ, & quaſi obliteratæ videntur; & tamen quibuſdam motibus agitatæ, ſe manifeſtant, & in actum prodeunt: v. g. ſuccinū cœleſti munere in ſui generatione habet vim ad rapiendas paleas: ſed ea vis, & facultas indiget frictione, & calefactione, vt actualiter ad ſe paleas trahat; ad eum modum quo literæ ſucco cepæ delineatæ, & deli-

D. Thom.

deliteſcentes, ignis calori expoſitæ manifeſtæ fiunt aſpectui: & literæ hirci adipe lapidi inſcriptæ prorſus occultæ, ſi lapis ſubmergatur aceto, prodeunt, & quaſi excultæ eminentes extant: imò vero ſicut tactus ſcopæ vel arbuti, ſuſcitet rabiem conſopitam. Quod autem hæc manifeſtatio, & ſecunda actualitas harum proprietatum, à cœlorum influentia poſsit fieri, inde liquet quia poteſt fieri à corporibus inferioribus, vt experimur: ergo multo fortius ab efficacia ſuperiorum.

Ex eadem ratione colligitur earundē rerū naturaliū proprietates, & virtutes poſſe acui, & excitari vt intenſius operentur, & hebetari vt tardius, imò vt non operentur. Probatur: quia quædam res naturales poſſunt hoc impedimentum præſtare propter antipathiam. De Adamante refert Auguſtinus vbi ſupra, ſi magneti adiungatur prohibere ne trahat ferrum, & vt eum raptum dimittat: ergo multo efficacius hoc præſtare poterunt corpora cœleſtia mediantibus ſuis influentijs. *Auguſt.*

DISPVTATIO III.

Vtrùm in applicatione, & vſu rerum naturalium licitum ſit obſeruare corporum cœleſtium influentias, aut impreſsiones?

PRæcipuè mouetur quæſtio propter medicaciones, in quibus Medici, qui ſe de peritia Aſtrologiæ iactitant, obſeruant influxum, & impreſsiones cœleſtium corporū in applicatione pharmacorum, ſiue ſimplicium, ſiue compoſitorum.

Et videtur vera pars negatiua propter argumenta, quæ fecimus in articulo quinto quæſtionis præcedentis: quibus reiecimus vt futilem Aſtrologiam iudiciariam, quæ circa electiones, & auſpicationes verſatur. Obſeruationes autem, de quibus modò agimus, ad eam partē Aſtrologiæ pertinent: ergo non ſunt licitæ.

In oppoſitum faciunt omnia, quæ tradidimus in diſputatione proximè præcedenti.

Et ideò breuiter prima aſſertio ſit. Obſeruare impreſsionem cœleſtium corporum, ad eos effectus, ad quos nuper dicebamus multum cōducere cœlorum influxus, non eſt ſecundum ſe ſuperſtitioſum aut illicitum. Probatur: quia vti rebus ad eos effectus, ad quos cauſandos habent naturalem facultatem, vel quouis modo naturaliter conducunt, licitum eſt: ſed cœlorum influxus valde conducere in multis, iam oſtendimus. Ergo tunc eos obſeruare non eſt illicitum. Explicatur concluſio exemplis. Licitum eſt cæſoribus lignorum obſeruare Lunæ decrementum, ne ligna cæſa in nouilunio carie conſumantur: licitum eſt agricolis, ad ſeminā terræ mandanda; nautis ad tempeſtates vitandas; paſtoribus ad greges paſcendos, & ſimilia; obſeruare cœleſtium influxus, tali vel tali tempore: nam quibuſdam temporibus, ad id cœlorum influxus propitij ſunt, quibuſdam verò infauſti. Item, ſunt quidam homines Iouiales, eò quod nati ſub Ioue fœliciter influente: vt his applicentur medicamina, licebit obſeruare influxum Iouis, & deuitare Saturnum. Præterea, ſi verum eſt quod de theriaca dicitur, ſcilicet ſuam habere virtutem ex proportione Iouiali atque Phœbea: quam ex communicatione, & coniunctione multarum rerum, ſecundùm certam proportionem inuicem admixtarum, ſibi vendicaſſe videtur: etiam certum debet eſſe, eius virtutem multo potentiorem eſſe, ſi opportunum tempus, quo Sol, & Iupiter benignè affleant, ad eius vſum obſeruaretur. Et videtur id conſonare rationi: nam ſi ex influentia cœleſti res quædam naturales nanciſcuntur mirabiles proprietates in ſui generatione, aut factura; cur non eędem ex ſimili influentia corroborentur, & coaleſcant. Certè non immeritò opportunitas temporis, etiam in rerum naturalium vſu, magnopere laudata eſt à Pythagora, propter obſeruationem influxuum cœleſtium. Nam ſicut res quædam non alibi quàm hic, nec aliàs quàm tunc, naſcuntur fœliciter, & creſcunt, atque ſeruantur: ſic etiam materialis actio multum iuuatur, aut incommodatur, ex diuerſitate influentiarum diuerſarum pro temporum differentia. Rurſus, quandoque ſidera vim acuunt medicamentorum, quandoque hebetant: ergo hæc obſeruare Medicos, ne in vacuum laborēt, licitum eſt. Et ita videmus omnes expectare Lunæ decrementum, vt potionem ſolutiuā adhibeāt: omnes vitare caniculæ tempora. Et alij Aſtrolomedici mul-

multo plura obſeruant: v.g. de Saturni influxu; de tali coniunctione peſtifera planetarum vitanda in pharmacorum applicatione; de tali ſalutifera aucupanda, &c.

Secunda aſſertio. Re ipſa, & de facto obſeruatores iſti impreſsionum cœleſtium, ſæpe ſuperſtitioſi ſunt: quia à limitibus ſibi conceſsis, in vetitos dilabuntur: v. g. quia multiplicant ſine ratione, & certa experientia quarundam rerum proprietates, ab influentijs ſiderum (vt aiunt) dimanantes, eiſque vtuntur ad innumeros, & mirabiles effectus inducendos. In qua re non eſt modica deceptio, dum pro libito fingunt nouas, & falſas facultates. Hac in re multum
Ioan. Bap. verſatus eſt Ioannes Baptiſta Neapolitanus, edito libro ſub ſpecioſo titulo de naturali magia, pleno tamen ſuperſtitionibus; & ideò prohibitæ lectionis apud Hiſpanos. Secundò: quia tot ſine numero facultates mirabilia efficiendi per ſiderum influentias, radiationes, aſpectus, & eorundem cõpoſitionem aſſerunt, vt neceſſe ſit iſtorum obſeruatores ſæpe vti multis, quæ ad effectus intentos re vera nullam habent naturalem efficaciam, ac proinde ſuperſtitioſus eſt earum rerum cum tali obſeruatione ſiderum vſus.

Dixi in aſſertione, re ipſa, & de facto tales ſuperſtitioſos eſſe, quia multi ab eo crimine excuſabuntur; maximè ſi bona fide, putantes ſe vti naturalibus obſeruantijs, vtuntur ſuperſtitioſis. Non tamen vllo pacto excuſarem quoſdam antiquos ineptos, qui ad ægritudines vel ſanitates inferendas, dicunt eſſe potiſsimè attendendum, vt ætati cuiuſque Planeta conueniens eligatur: v.g. ſeni Saturnus, puero Mercurius, viro Iupiter. Deinde etiam Planeta conueniens affectioni ſeu qualitati inducendæ; vt odio Mars, amori Venus. Denique ſignum, quod parti corporis, quam velis iuuare, vel lædere, præſit; vt ſi capiti, Aries; ſi pedibus, Piſces: & ſimiles nugas machinantur plenas erroris, propterea quod cœleſtibus corporibus attribuunt animam intelligentem; & periculoſas, propter idolatriam, & ſuperſtitionem.

Tertia aſſertio. Medici in medicandis ægris nimis obſeruatores impreſsionum cœleſtium, & qui ferè omnia reducunt ad curſus Aſtrorum, aſpectus, ſtationes, & huiuſmodi, ſi non ſunt ſuperſtitioſi, ſunt certè noxij infirmis. Probatur primò: quia in corporibus cœleſtibus ſunt innumeri motuum gradus, ſine numero irradiationes, aſpectus, in domos ad ſigna ingreſſus; & influentiæ ex his deriuatæ etiam innumeræ: ita vt ſupernum illud animal cœleſte, quod Platonici finxerunt anima intellectiua præditum; & multos effectus mirabiles inferioribus communicare, nequeat fingi: quo modo præfata poſsint mente complecti, memoria retinere, nedum mortales homines? Quod ſi hæc ignorare neceſſe eſt: magis neceſſarium neſcire ad quid proſint hæ conſtellationes, ad quid vero obſint: ergo ferè impoſsibilis redditur hic modus curandi morbos, ignoratis multifarijs impreſsionum, ac conſtellationum prædictarum virtutibus. Mitto, quod neceſſarium eſſet medicum iſtorũ obſeruatorem, accingi, & vigilare aſtrolabio manibus apprehenſo, ad explorandum quis eſſet cœlorum influxus ea hora; imò temporis momento, quo pharmaca eſſent miniſtranda infirmis. Sed neque hæc diligens obſeruatio ſat eſſet, cũ diuerſitas influentiarum velociſsimè pertranſeat ad motum rapidiſsimum corporũ cœleſtium.

Secundò. Fac hæc omnia adamuſim, & exactè agnoſcerentur, non eſt tanta vis ſtellarum in hæc inferiora, vt ipſi audacter pronuntient (ſicut re vera pronuntiant) hac die vel illa, qua regnat Saturnus, vel Iupiter deficit, non ſunt pharmaca applicanda infirmis: ſanguis venarum ſectione, vel cucurbitulis non eſt euacuãdus. Et eſto hęc vis ingens eſſet: certè ea poſſet, & ſolet aliarum cauſarum particularium concurſu impediri: imò, & ſola materiæ indiſpoſitio, Lunæ, & Aſtrorum omnium actiones variare facit, teſte Galeno, lib. 2. de diebus criticis, & Auicena, lib. 4. ſen. 2. tractatu 2. cap. 1. Quare obſeruationes, & effectus horum dierum indicum, prouocantium, vel criticorum, multo magis pendent ex materiæ diſpoſitione, concoctione, & ſtatis morbi temporibus, ac ſymptomatibus, quã ex ſideribus, vt docet Hippocrates paſsim, & confirmat Celſus, lib. 4. cap. 4.

Galenus? Auicena.

Hippocra. Celſus.

Hinc colliges quantum errent Medici illi, qui ſecundùm ſtationes Planetarum in ſignis Zodiaci, de morbis iudicant: v. g. quæ cuique euenerit ægritudo, quo pacto illi medendum. Nec non chirurgi, qui in vulneribus curandis idẽ obſeruant, & dies conſiderant vulneris, & ſtellas eis præſidẽtes, quas vocant centel, neus, diuelgibel, lachadiel, ſapiſſa, elebra, & ſimilia: & inde prænuntiant vulnus eſſe mortiferum, vel ſanabile. Hæc omnia fuſe narrat Conradus

Vvimpin. radus Vvimpina libro tercio capite octauo,& nono. Errant etiam valde illi Medici, qui in suis medicationibus attendunt ad quosdam Lunæ imaginarios angulos, aspectus, & conformationes; parui facientes quo modo ad siderum influxus recipiendos materia disposita sit: & quæ periodi temporum, quæve concoctiones, & crises sint morborum. Inter quos ex modernis princeps extitit Marsilius Ficinus in libello de vita cœlitus comparanda. Hos meritò contempsit Galenus, libro 12.Therp.Augusti.Niphus,libro quinto de diebus Criticis, & Ioannes Langius epistola 35. quinimò Ficinus præfatus, qui iunior ista defenderat libello citato; postea libro 12. epistolarum ad Politianum, & Picum, fatetur, se scripsisse, non quia probaret, sed vt cum Plotino Astrologorum ineptias rideret. Quod etiam de eodem narrat PicusMirandulanus,lib.3.contra Astrologos.cap.17.

Ficinus. *Galenus.* *Niphus.* *Langius.* *Picus.*

Ad argumentum factum in principio disputationis, quatenus videtur subuertere primam assertionem, respondetur, nos reiecisse partem Astrologiæ iudiciariæ, quæ versatur circa electiones, & auspicationes ex siderum influentijs: eo modo quo extenditur ab Astrologis ad omne negotiorum genus, etiam pendentium à libero arbitrio, & ad quæ non se extendit Astrorum causalitas,vt ibi latius videre licet. At in prima assertione huius disputationis,approbauimus temporis electionem dumtaxat erga vsum quarundam rerum,quarum efficacia valde iuuatur,aut impeditur ex siderum diuersa impressione. In qua re nihil superstitiosum reperimus secundùm se,nisi forte ex abusu eis vtentium.

Explicatis his, quæ pertinent ad obseruationes desumptas ab vsu rerum naturalium:etiam inquirendum erit de obseruationibus pertinentibus ad res artificiatas, & ad obseruationesdesumptas ab operationibus hominum,putà visione, tactu, imaginatione,& simi libus. Vnde sit

(.?.)

DISPVTATIO IIII.

Vtrum obseruationes, quæ sumuntur à rebus artificiatis,putà imaginibus, anulis, caracteribus, figuris,&c. sint licitæ?

HAEC disputatio non potest absolui,nisi prius inuestigemus, an figuræ, imagines, & huiusmodi habeant virtutem naturalē transmutandi corpora, & consequenter earum vsus sit licitus? an verò non habeant, ac proinde sit illicitus? De qua re egregiè disputauit D. Thomas in solutione ad secundum huius articuli.

Et videtur habere virtutem naturalem. Primò:figuræ cœlestes, & præcipuè imagines, potentissimæ sunt ad influendum in hæc inferiora: v.g. vrsa maior, & minor, pleiades, leones, crateres, naues, angues, pegasus,& similia.Imò & in sacraScriptura aliquarum imaginum ex istis, & alijs,fit nō modica mentio. Iob 9.& 38. & Amos 5.de Arcturo,&Orione.Arcturus(inquiunt Astrologi)est imago vrsæ circa polum arcticum,in qua septem stellæ nobiliores, quasi currum efficiunt habentem temonē.Orion est imago viri armati terribilis, tenentis ensem, & figura ea complectitur viginti octo stellas, & situatur in parte mirabili cœli ante vestigia tauri, vt dicit Isidorus, lib. 3.Hiadæ verò seu pleiades sunt in cœlo in quadam imagine, quam remittimus delineandam Astrologis, qui cum Platonicis ponunt quam plures figuras, & imagines cœlestes, mirabilium operum effectrices. Ergo etiam artificialia his figuris delineata, aut hisce imaginibus impressa,eosdem operabuntur effectus, quos præfatæ imagines cœlestes valent efficere. Probatur consequentia,quia supera inferis compatiuntur, suasque proprietates illis liberaliter largiuntur,vt censent Platonici,maximè propter simpathiam, & conuenientiam naturalem figurarum, & imaginum cœlestium ad figuras,& imagines artificiatas. Confirmatur:sicut echo ex opposito pariete per resultantiam soni causatur: sicut in concauo speculo crystallino collecti radijsolis,oppositum corpus repercussione inflamant: sicut cythiaram,cuius chordæ eodem modo

Iob.9. 38. Amos 5. *Isidorus.*

exten-

extenſæ, ſi percutias alteram é conſpectu A poſitam, & eodem modo temperatam, ſuo tinnitu facit ſimilem edere, ſic figuræ illæ, & imagines cœleſtes propter ſimpathiam, & conuenientiam cum terrenis, ſuam efficaciam impriment figuris, & imaginibus ſublunaribus, quas ſuis radijs, quaſi ſpeciebus ocularibus reſpiciunt.

Ptolom. Secundò. Ptolomæus in vna propoſitione cẽtiloquij ait, rerum inferiorum effigies vultibus cœleſtibus eſſe ſubiectas: antiquoſq; ſapientes ſolitos certas tunc imagines fabricare, quando Planetæ ſimiles in cœlo facies, quaſi exemplaria inferiorum, ingrediebantur. Quod confirmat Hali ibi-

Hali. dem, dicens, effici poſſe imaginem ſerpentis vtilem valde, quando Luna ſerpentem cœleſtem ſubit, aut fœliciter aſpicit. Similiter ſcorpionis effigiem efficacem, quando ſcorpij ſignum Luna ingreditur, ac ſignum hoc tenet angulum ex quatuor vnũ. Quod in Aegypto ſuis temporibus factum ait, teq; interfuiſſe; vbi ex ſigillo ſcorpionis in lapide Bezaar ita facto imprimebatur thuri figura, dabaturque in potum ei, quem ſcorpius ipſe pupugerat, ac ſubitò curabatur.

Hahameth. Serapion. Quod quidem vtiliter effici Hahameth phyſicus affirmat, confirmante Serapione. Hebræi quoque in Aegypto nutriti ſtruere vitulum aureum didicerunt, vt eorundẽ Aſtrologi putãt, ad aucupandum Veneris, Lunæque fauorem contra ſcorpionis, atq; Martis influxum, Iudæis infeſtum. Et

Num. 21. quod magis vrget, Moyſes ipſe, Nume. 21. ſerpentem æneum fabricauit ſecundùm documenta Aſtronomica: & quidam aiunt, tali tempore, talibuſque obſeruatis aſpectibus Planetarum, ac figurarum cœleſtium, vt eius ſolo aſpectu Hebræi à morſibus ſerpentum ſanarentur. Thebit Philoſophus

Thebit. docuit, ad captandam alicuius ſtellæ virtutem, lapidem eius accipere, herbamq; eiuſdem (putabant enim cuiq; ſtellæ ſuum lapidem, ſuamque herbam deſignari) anulumque aureum facere, vel argenteum, in quo lapillum inſeras, herba ſubiecta, geraſque tangentem: id autem efficiendũ quãdo Luna ſubit ſtellam, aut aſpicit aſpectu

Damis. Philoſtrat. trino, vel ſextili. Et Damis ac Philoſtratus narrant Hiarcham Indorum Principem ſimili quadam ratione ſeptem anulos confeciſſe, ſtellarum ſeptem nominibus appellatos, eoſque Apollonio Thianæo dediſſe: qui deinde ſingulos, ſingulis diebus geſtauerit iuxta dierum nomina, hosdiſtinguẽs: dixiſſe verò Hiarcam Apollonio, auum ſuũ centum annos ſupra triginta vixiſſe, eiuſmodi cœleſti munere fretum. Quo & Apollonius deinde vſus: centeſimo etiam anno (vt aiunt) iuuenem præferebat. Eandem de imaginum efficacitate ſententiam habuerunt, Aphrodiſeus, Porphirius, & alij Platonici, Arthephius, ac Thebit, Venthorad, & Petrus Aponenſis, & ex recentioribus Albertus Magnus in libello, qui ſpeculum vocatur (quẽ illiuseſſe non credo) vbi poſtquam præmiſerat ſe licita ab illicitis diſcernere, ſubiungit, imagines rectè ab Aſtrologis conſtitutas, virtutem, effectumque acquirere à figura cœleſti. Atque ſubinde narrat mirabiles earum effectus, quales Thebit, Venthorad, Ptolomæus, cæteriq; Aſtrologi pollicentur, deſcribitque imagines ad calamitatem alicui, proſperitatemq; afferendam. Conſentiunt Pomponatius, & Antonius Mizaldus in centurijs memorabilium.

Aphrodiſ. *Porphirius.* *Arthephi.* *Thebit.* *Venthorad.* *Aponenſis*

Pomponat. *Mizaldus.*

Tertiò. Sicut corpora naturalia ſubduntur corporibus cœleſtibus; ita etiam corpora artificialia. Sed corpora naturalia fortiuntur quaſdam virtutes occultas: ſpeciem eorum conſequentes ex impreſſione cœleſtium corporum: ergo & corpora artificialia, putà imagines, ſigilla, characteres, anuli, & huiuſmodi, ſortiuntur mirabiles, & occultas virtutes ex impreſſione cœleſtium, atque ex conſequenti non erit illicitus vſus iſtarum rerum, ad corpora immutanda, & mirabiles quoſdam effectus producendos.

D. Tho. In oppoſitum eſt D. Thom. in ſolutione ad ſecundum huius articuli, nullam tribuẽs efficaciam artificialibus ratione imaginis, aut figuræ.

Pro explanatione, primò aduertendum, antiquos Chaldæos, Arabes, Iudæos, & quoſdam ſuperſtitioſos Chriſtianos, & omnes citatos in ſecundo argumẽto, nimis deferre efficacitati rerum artificialium, præcipuè Aſtronomicarum; quarum vſus frequẽs fuit apud eos, & adhuc noſtris temporibus non ceſſauit nam noſtra ætate, non eſt veritus quidam Andreas Cordubenſis, miſiſſe ad Gregorium Pontificem Maximum laminã auri puriſsimi inſculpta figura leonis ſole verſante in leone, & Luna non aſpicie-te ſextam domum, nec domino aſcendentis Saturnum vel Martem, Lunaque ab illis recedente. Et aiebat ſigillum huiuſmodi circa renes geſtatum, ad leuiſsimos illorum dolores mitigandos, valde conducere: & ſi componerentur teociſci ex puluere ſelecti olibani cum hircino ſanguine, imprimantur

turque in dicta lamina, & ſiccati ſoluantur in vino albo, quod à ieiuno bibatur: mirabilem effectum habebunt aduerſus calculos renum, & veſicæ lapidem.

Secundò notandum, iſtas aſtronomicas imagines, ſigilla, anulos, & huiuſmodi dupliciter fabricari: vno modo conformando imaginem terreſtrem imagini cœleſti: quia ſic propter ſimpathiam credunt citati autores, imaginem cœleſtem ſuas elargiri virtutes imagini terreſtri, imò & animantibus ſimiles figuræ, putà ſcorpionem cœleſtem fauere terreſtribus: ſignum, quod piſcis dicitur, piſcibus, &c. Secundo modo aiunt fabricari iſthæc artificiata, non quod ſint eiuſdem figuræ cum cœleſtibus: ſed quia cuduntur cœleſtibus corporibus benignè afflantibus ad hos, vel illos effectus inducendos, ſecundùm varietatem radiorum, aſpectuum, & influentiarum, vt in lamina illa ad Gregorium miſſa, vides obſeruatum: & latiſsimè tradit Marſilius Ficinus in libello de vita cœlitus comparanda, ferè per totum, præcipuè capit. 18. *Ficinus.*

Tertiò notandum, Aſtrologos ponere quamplures imagines, ac figuras in cœlo, à quibus (inquiunt) deriuantur virtutes mirabiles ad terreſtria. Ponuntur autem in duplici differentia; quædam corporaliter, ac manifeſtè viſibiles: quædam verò non tam viſibiles, quàm imaginabiles. Prioris generis figuras omnibus perſpicuas, ac viſibiles (præter eas quarum fit mentio in ſacra Scriptura, ſicut ſupra diximus) ponunt Aſtrologi quadraginta octo: duodecim ſcilicet in Zodiaco, arietem, taurum, geminos, &c. & triginta ſex extra Zodiacum, iuxta numerum facierum in ſignis, putà imaginem draconis fluctuoſe ſitam circa Polum Articum, in qua imagine ſunt triginta tres ſtellæ: & circa illum draconem ſunt duæ imagines, vrſarum, ſcilicet maioris, & minoris. Item inter illas triginta ſex imagines eſt imago Perſei, ideſt imago viri deferentis caput Algol, ideſt diaboli. Item ibi eſt imago hominis flammis cincti per totum. Ibi eſt imago ſaltatoris, & iaculatoris, imagines duorum vulturum, imagines ſerpentum, ſcorpionum, canum, lupi, leporis, cerui, Pegaſei equi alati, imago hydrię, centauri, cuius anterior pars eſt hominis, poſterior equi: & ita de alijs huiuſcemodi formis monſtruoſis, ſicut in picturis Aſtronomorum videri poteſt. Quinimò imagines adhuc multiplicant tercentum atque ſexaginta, iuxta numerum graduum. Imagines verò non tam viſibiles, quàm imaginabiles multiplicant per ſignorum facies: velut in prima facie virginis, virgo pulchra ſedens, geminas in manu ſpicas habens, puerumque nutriens: quam Petrus Aliacenſis dixit adeſſe in natiuitate Chriſti ſeruatoris. Alias ſimiles videto in Albumazare, & alijs. His & ſimilibus imaginibus conſideratis, fabricabant antiqui illi Aſtrologi, & ſuperſtitioſi quidam moderni, characteres, ſigilla, anulos, imagines, & huiuſmodi artificiata, quæ putabant habere miram efficaciam inducendi admirabiles effectus: verbi gratia, ſanitatis, aut ægritudinis. Vide ſi placet Ficinum vbi ſupra. *Aliaco.* *Albumaz.* *Ficinus.*

Vltimò notandum eſt, præter imagines, & artificiata Aſtronomica recenſita, alia eſſe quæ necromanticas imagines libet appellare (ſunt etenim) quarum quædam, ad pacta expreſſa cum dæmonibus pertinent; fabricantur namque adhibitis ſuffumigationibus, & incantationibus, & per quinquaginta quatuor Angelorum nomina exorzizationibus. Tales ſentio eſſe imagines, in quibus dæmones, & animas includi vi incantationum, Triſmegiſtus dicebat, & animam aui ſui Mercurij incluſiſſe, & animas Phœbi cuiuſdam, & Iſidis, Oſiridiſque ſic in ſtatuas decendiſſe profuturas hominibus, aut nocituras. Quin etiam Magi Zoroaſtri ſectatores, ad euocandum ab Hecate ſpiritum, vtebantur aurea quadam pila characteribus inſignita cœleſtium, cui & ſapphirus erat inſertus, & ſcutica quadam pacta tauri corio vertebatur, atque interim excantabant. Tales etiam fuêre ſtatuæ illæ, quas commemorat Samuel Hebræus effictas cantibus quibuſdam, vt futura prænuntiarent. Non longe ab his imaginibus abeſſe puto caput illud æneum, quod fabricaſſe dicitur Albertus Magnus, obſeruatis quibuſdam cœli ſitibus, & aſpectibus, quod ad quæſita reſpondebat, quouſque à Diuo Thoma Alberti diſcipulo confractum eſt (exiſtimo hoc falſum teſtimonium imponi Alberto viro eximiæ ſanctitatis) ſi tamen extitit, credo non artificioſe locutum, vt leuiter credunt Guillelmus Pariſienſis, Michael de Medina, & alij: ſed incantationibus euocatum fuiſſe dæmonem, qui ad quæſita reſponderet. Idem dico de capite metallino, quod in oppido Tabara Çamoren- *Triſmigiſt.* *Samuel.* *Guillelm. Medina.*

Abulenſ. morenſis Diœceſis (ait Abulenſis ſuper capit. vigeſimo primo Numerorum, quæſtion. 19.) conſtitutum, ingreſſum Iudæi cuiuſque magnis editis clamoribus pronuntiabat. Hæc & ſimilia non poſſe fieri per artificioſa illa capita, niſi dæmonum miniſterio, demonſtrat egregiè di-
D. Thom. uus Thomas tertio contra gentes, capite 104. Tertium imaginum genus, ferè eiuſdem malitiæ cum proximè poſito, conflabatur characteribus, & ſculpturis barbaris ac peregrinis, in quibus ſunt nouem caldariæ, & nomina quatuor Principum huiuſmodi cardinum (dicebant enim Magi vnum dæmonem eſſe Regem Orientis, alterum Occidentis, alium Meridiei, & B quartum Septentrionalis plagæ) & ter ſeptem nomina ab Arabibus conficta. Harum imaginum dicuntur fuiſſe autores Hermon Babylonicus, Hermes Aegyptius, & Thorus Græcus. His imaginibus annumero anulos quatuor, quos vocant Salomonis, Machabæorum, & anulos Eliſei, Zachariæ, Conſtantini, & quorundam Sanctorum. His ſpecioſis nominibus ſanctitatem præ ſe ferentibus, volunt occultare malitiam horum artificiatorum paulo minus differentium à necromanticis imaginibus, de quo poſtea.

His prænotatis, prima aſſertio ſit. Illæ imagines, quæ ab Aſtronomis in cœlo C eſſe dicuntur, ſunt prorſus fictitiæ, & à Magis ſeu Aſtrologis imaginatæ. Et quidem ſi ſermo ſit de imaginibus illis, quas fingunt ferè inuiſibiles; non eget probatione aſſertio: cum neque lyncei oculi eas vnquam intuiti ſint, mera fictio Arabum fuit, quam non attigerunt antiquores Aſtronomi. De alijs verò imaginibus, quas conantur oſtendere viſibiles, & in perſpicuo, probatur aſſertio: quia eas dicunt fabricari ex aggregatione ſtellarum quarundam. Et certe qua ratione per intellectum aggregant quaſdam ſtellas, vt ex eis conſletur vna imago; poſſent aggregare alias, & imagines multiplicare ferè ſine numero, pro arbitratu D fingentium.

Secundò. Quia ſi Deus eas imagines condidit in cœlo, id factum fuiſſet (vt Aſtrologi autumant) eo quod neceſſum fuit, vt eſſet aliquis vultus cœleſtis, cui conformarentur, & à quo dependerent terreſtria. At quis dicat, Deum Optimum Maximum his imaginibus animaA lium ferocium, & interdum chimericorum, ſuum ornaſſe palatium; & non potius effigiebus animalium pulchrorum, mitium, vtilium, & aliquorum virorum proborum? At iſti aiunt, in cœlo poſuiſſe imagines, non columbæ, ſed corui; non agni, ſed hirci, non Crucis, & Crucifixi, non Sacerdotis, ſed iaculatoris. Hiccine eſt ornatus cœlorum, de quo dixerat Moyſes: *Igitur perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum?* Hinc clarè *Geneſ. 2.* patet, eas imagines eſſe mera Aſtronomorum figmenta. Tertiò: ſi Deus ſubiecit vnamquamque ſpeciem generabilium, & corruptibilium ſuæ imagini in cœlo, vt aiunt Aſtronomi, & ob id eas ibi condidit imagines: vbi eſt rogo imago arboris pomiferæ, vitis, tritici, & cæterarum ſpecierum humano vſui præcipuè deſeruientium? Sed inquies: vnde nata eſt iſta imaginum poſitio tam celebris apud ſapientes, & inſipientes? Reſpondetur, non quia vera imaginum compoſitio in cœlo ſit, ſed nomina impoſita ſunt, ad diſtinguendum, & exprimendum proprietatem temporis, diuerſam in diuerſis anni partibus, ſumpta ſimilitudine ab animalibus terreſtribus: & propter aliquas cauſas, & motiua, quæ enumerat Bartholomæus Sibillanus in libello pe- *Sibillanus.* regrinarum quæſtionum primæ decadis capite nono, quæſtione quinta principali, quæſtiuncula ſecunda. Sed non oportet defatigari in cauſa inquirenda rerum fictitiarum; cùm hæ non habeant cauſam niſi fictam à fingentibus eas.

Secunda aſſertio. Siue illæ imagines quæ in cœlo ponuntur, veræ imagines ſint, ſiue commentitiæ: adhuc tamen verum eſt, omnia artificiata ſublunaria, vt artificiata ſunt, ſiue artificium ad imagines pertineat, aut ad characteres, anulos, & ſimilia, nullam habere efficaciam naturalem ad corpora tranſmutanda. Dixi vt artificiata ſunt: quia ratione materiæ ex qua fabricantur, non inconuenit efficaces proprietates habere, quales res ex quibus componuntur, ante compoſitionem habebãt: verbi gratia, ſi imago ſapphirina ſanguinem cohibet; hic effectus non debet adſcribi imagini, ſed ſapphiro. Probatur aſſertio ex D. Thoma in ſolutione ad ſecundũ huius articuli. Nã artificialia omnia, vt artificialia ſunt, neque ſecundùm ſe, neq; ex aliqua virtute à cœlo impreſſa, poſſunt

eſſe principia ad operandum: ergo nullam habent efficaciam naturalem ad tranſmutanda corpora. Prima pars antecedentis probatur: quia artificialia vt ſic conſtant in compoſitione, ordine, & figura, ex illis duobus reſultante, vt ait Ariſtoteles in primo Phyſicorũ: ſed figura non poteſt eſſe naturalis operationis principium effectiuum: ergo, &c. Etenim principium effectiuum cuiuſuis naturalis operationis, ad ſecundam ſpeciem qualitatis pertinet, quæ eſt naturalis potentia: qualem figuram non eſſe, perſpicuum eſt, cùm ad libitum artificis varietur, virtute naturali rei non immutata, ſicut etiam non immutatur natura ſpecifica. Secunda pars antecedentis probatur: quia opus artificiale, vt artificiale, eſt opus voluntarium à conceptione, & voluntate artificis procedens: ſed opera voluntaria non ſubduntur impreſſioni cœleſtium corporum, ſicut neque voluntas, à qua procedunt: ergo artificialia vt ſic, non habent ex impreſſione cœlorum vel Aſtrorum eſſe principia operandi. Eiſdem rationibus probatur figuras artificiatorum non eſſe principia paſſiua naturalia, ad recipiendum impreſſionem corporum cœleſtium.

Ariſtot.

A

B

C

His rationibus demonſtratiuis Doctoris Angelici, conantur obuiam ire recentiores defenſores imaginum Aſtronomicarum. Quidam (vt autor cuiuſdam libri impij, qui dicitur Arbatel) aiunt, quando Deus indidit nomina rebus, vel perſonis, ſimul cum nominibus vires, & officia quædam illis diſtribuit: & ita characteres ac nomina conſtellata, hoc eſt imagines ſub certa conſtellatione formatæ, & nominatæ, habent vim, non ratione figuræ vel pronuntiationis, ſed ratione virtutis, ſeu officij illius, quæ Deus ad tale nomen, vel characterem ordinauit. Hoc delirium Hebraicum ſecum affert ſuam reprobationem. Quare eo relicto, alij dicunt ſe non aſſerere imagines ex quacunque materia formatas, recipere impreſſionem cœleſtium corporum: nam imagines ex ligno fabricatæ, vel nullam, vel paucam efficaciam habent, ſed ex ea materia ſunt formandæ imagines efficaces, in qua natura cœleſtis, hoc ipſum quod optatur per imagines fieri, naturaliter inchoauerit, & iam iam quaſi perfecerit, vt in ſulphure flammam. Quam virtutem tunc denique perficiet, quando materia hæc per artem ſub quodam influxu cœleſti ſimili vehementer agitatur, & agitata caleſcit. Itaque ars ſuſcitat ibi inchoatam virtutem: ac dum ad figuram redigit ſimilem ſuæ cuidam cœleſti figuræ; quam cœlum perficit, ea virtute qua cœperat, exhibens, quaſi ſulphuri flammam: ad eum modum quo potentia quædam naturalis data eſt ſuccino ad rapiendas paleas quodammodo debilis, quæ ſæpe per frictionem calefactionemque facta validior, ſubitò rapit. Non diſſimiliter imago Aſtronomica ſcorpionis, ex thure aut maſtice fabricata, quæ materia aliquid à cœlo acceperat contra ſcorpionum ictus: ſtatim atque in figuram ſcorpionis euadit ſalutifera eſt contra ſcorpionum morſus. Eadem quoque de hyacintho, topazio, ſmaragdo, cæteriſque ratio eſt habenda, vt fabrica figurarum non alibi efficaciam habeat, quam vbi materia cum ſtella congruit, & effectu, à qua hunc ſaber exoptat accipere. Ac præterea vbi hæc ipſa materia, quaſi iam talis eſt ab initio, qualis affectatur reddi per figuram. Nullis igitur materijs fabricandæ ſunt imagines, niſi his ipſis, quas habere cognoſcas ipſam fermè vim, quam per imagines habere cupis.

D

His defenſoribus imaginum Aſtronomicarum reſpondemus concedendo, artificiata omnia, etiam imagines, non modicas virtutes ad tranſmutanda corpora poſſidere, ex impreſſione cœleſtium, circa materiam, ex qua artificiata, aut imagines conflantur. Dicimus tamen ex figura nihil efficacitatis habere, vt moſtrant rationes D. Thomæ. Illud verò quod adducitur de ſuccino, & ſimilibus, non facit ad rem: quia nos non negamus materias imaginum contuſione, aut calefactione poſſe facere manifeſtas latentes proprietates: neque negabimus, ſi fortè ad fabricandas imagines neceſſarium eſſet calefacere, aut contundere earum materias, inde prodere aliquando effectus in eis occultatos. Negamus autem id fieri per figuram aut imaginem, quæ nequit eſſe principium actiuum aut paſsiuum naturalis motus.

Alia via pergit Pomponatius pertinax defenſor imaginum Aſtronomicarũ, lib. 4. de incantationibus: & reſpondens D. Thomæ rationibus, fatetur, figuram non eſſe principiũ operationis: ait tamen valde cõduce-

Pomponat.

ducere ad operationem. Etenim ſæpe fieri videmus, vt figuræ deformes pauorem, & triſtitiam afferant, & conſequenter malam valetudinem: ſpecioſæ verò figuræ, lætitiam, & recreationem, & conſequenter ſanitatem. Sed hæc nihil ad rem faciunt: tùm quia imagines Aſtronomicæ ferè omnes (vt pote animalium ferocium, aut fictorum) deformes ſunt, ac proinde omnes nocerent valde; neque eſſent aptæ ad ſanitatem conferendam, ad quam pleræque illarum ordinantur. Tùm quia cæteri characteres Magici nihil deformitatis aut ſpecioſitatis notatu dignum habent. Tùm tertiò: quia etiam admiſſo ſupplamento Pomponatij, tantùm inſertur imagines ſua ſpecioſitate aut deformitate mouere partem intellectiuam, ad amorem, aut timorem, & per redundantiam, ad aliquot corporales immutationes. Ex quo non colligitur, imagines aut figuras eſſe principia operationum: neq; hoc erit ſpeciale imaginibus Aſtronomicis: quod intendunt ſtabilire Aſtronimi iſti.

Sed maioribus argumentis erutis, non ex Platonicis figmentis; ſed ex Peripatetica Schola, ſententia diui Thomæ, & eius rationes concutiendæ ſunt. Et primò ad hominem (vt dicitur) ſit argumentum ex libro tertio contra Gentes, capite 105. circa finem: vbi in hunc modum loquitur: *Quia verò figuræ in artificialibus ſunt quaſi formæ ſpecificæ, poteſt aliquis dicere, quod nihil prohibet quin conſtitutionem figuræ, quæ dat ſpeciem imagini, conſequatur aliqua virtus ex influentia cœleſti, non ſecundùm quod figura eſt, ſed ſecundum quod cauſat ſpeciem artificiati, quod adipiſcitur virtutem ex ſtellis. Sed de literis quibus inſcribitur aliquid in imagine vel characteribus, nihil aliud poteſt dici quam quod ſigna ſint.* Hæc ibi. Vbi clare aſſerit artificiatum, in quantum conſtituitur in ſpecie artificiati, ſuſcipere poſſe influxum cœleſtem. At conſtitui in ſpecie artificiali, conuenit corpori, in quantum artificiale: imò hoc eſt conſtituere corpus in tali eſſe artificiali. Et rurſus, hoc non conuenit artificiato ſolùm ſecundùm materiam naturalem, ſed ratione figuræ, quæ eſt forma. In hoc autem articulo expreſſe dicitur, quòd non ſortiuntur efficaciam in quantum artificialia, ſed ſolùm ſecundùm materiam naturalem: ergo ſibi ipſi contrarius eſt ſanctus Doctor. Secundò: quia iſtæ figuræ, quæ ſunt in imaginibus, fiunt per motum: omne autem quod ſic fit, neceſſe eſt à corporibus cœleſtibus dependere: ergo falſo ait diuus Thomas in hoc articulo, figuras non eſſe effectus cœleſtium corporum. Tertiò: quamuis figura non ſit operationis principium, eſſe tamen comprincipium non eſt ambigendum, vt liquet in artium mechanicarum inſtrumentis, quæ diuerſas operationes efficiunt pro diuerſitate figuræ. Item ferrum in latum deductum, ſuperhatat aquis, quod ſi eſſet alterius figuræ mergeretur: ergo ex hac parte, à corpore hac vel illa figura affecto, diuerſitas operationum poterit prouenire. Quartò: figuræ rerum naturalium poſſunt eſſe, & ſunt comprincipium, & diſpoſitiones naturales ad formam, quæ eſt naturalis operationis principium: ergo etiam figuræ artificiales poſſunt eſſe comprincipium; & diſpoſitiones ad recipiendos influxus, & proprietates cœleſtes, quibus mediantibus artificiata mirabiles effectus corporales operentur. Antecedens manifeſtatur in figura hominis, quæ ſicut eſt conſequens formam hominis; ita ſimilis figura in materia eſt diſpoſitio ad ſuſcipiendam eandem formam hominis: & figuræ cuiuſcunque organi naturalis, putà cordis, hepatis, manus, &c. inter diſpoſitiones ad formas organicas numerantur, & ad operationes deſeruiunt non quatenus figuræ, ſed quatenus terminationes quædam corporum naturalium. Quintò: eſtò figura imaginum non ſit diſpoſitio alteratiua ad recipiendum influxum cœleſtem in corpore cuius eſt figura; erit tamen diſpoſitio per modum cuiuſdam ſimilitudinis, & ſimpathiæ cum imagine cœleſti aut ſidere, à quibus expectatur ille influxus: qui modus diſponendi, non ſolùm poſſibilis, verùm actu exercitus ſæpe eſt: ergo, &c. Antecedens patet in cythara, de qua diximus, ſi ei opponatur alia cythara chordis vniformiter tenſis, quarum vnam ſi ferias, altera pariter reſonabit: nimirum quia propter ſimpathiam, ictus vnius ad alteram deriuatur. Confirmatur. Si aurum, verbi gratia, obſeruato ſigno leonis, effigiatur figura leonina, credibile eſt propter conformitatem, & ſimilitudinem cum illa conſtellatione cœleſti (maximè ſi ea regnante cudatur) aliquam virtutem ab illa recepturum:

D. Thom.

ergo, &c. Antecedens probat Caietanus primò, quia ſicut aggreſsio bellica, licèt ſit voluntaria, poteſt ſuſcipere robur, ſi fiat ſub tali ſidere, & in tali tempore: ita & illa conſtructio imaginis leoninæ. Secundò, quia aliter ſtare non poteſt id quod communiter approbatur, imaginem ſub leone factam, prodeſſe non omnibus hominibus, ſed leoninis, & ſic de alijs: tanquam oporteat actiones fieri in patiente proportionato, nimirum per conformitatem prædictam. Tertiò, quia non ſunt damnandi omnes qui vtuntur his imaginibus Aſtronomicis.

Caietan. Propter hæc argumenta Caietanus in hoc articulo non reprobat imaginum Aſtronomicarum efficaciam, non quia figura ſit actionis, aut paſsionis principium: ſed quia habent rationem comprincipij, & propter conformitatem ad cœleſtia corpora. In qua ſententia valde fauet figmento Platonicarum, & aliorum magnificientium eas imagines, quas *D. Thom.* diuus Thomas in hoc articulo efficaciter damnat. Quare ad argumenta Caietani continuò reſpondetur. Ad primum deſumptum ex teſtimonio diui Thomæ, multa congerit Caietanus, vt accõmodet ſuæ ſententiæ: nos breuiter dicimus, diuum Thomam non in perſona propria, ſed aduerſariorum, eam reſponſionem adhibuiſſe; quam de nouo non refutat, ſed admittit tanquam fugam rationum contra ipſos factarum. Et ea admiſſa, non effugere, inquit, argumentorum vim, quantum ad characteres, & literas: conſtat enim iſta tantùm eſſe ſigna, quidquid ſit de imaginibus.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, ea quæ per motum voluntarium fiunt, non dependere ab influentia cœlorum: ſicut neque voluntas à qua procedunt. Tales ſunt omnes figuræ artificiatorum, de quibus loquitur Angelicus Doctor. Secus dicendum eſt de figuris naturalibus rerum naturalium, quæ citra dubium à cœlo dependent, ſicut diſpoſitiones, & formæ, ad quas conſequuntur. Exempla peruia ſunt in figura hominis, & organorum eius. Non tamen inde licet inferre, eas figuras eſſe principium, aut diſpoſitio naturalis, ad immutationes corporum: quia figura principium actiuum, aut paſsiuum eſſe nequit, licet aliquando indicium naturale ſit alicuius immutationis corporalis, quia conſequitur ad aliquas proprietates, quæ eos effectus producunt: verbi gratia, lapis ſelinitim (ſi credimus Proclo) habet effigiem Lunæ, motumque eius imitatur, & producit mirabiles effectus, etiam geſtatus, non propter Lunæ figuram, ſed propter formam, & diſpoſitiones naturales, ad quas figura conſequitur. Idem dicendum de altero lapide, quem vocat Helioſelinon, qui Solis, Lunæque coniunctæ naturaliter habet imaginem. Ad tertium reſpondetur, figuram eſſe diſpoſitionem vt agens, vel inſtrumentum, poſsit melius applicari huic, vel illi loco, prout ad actionem intentam expedit, & quantum ad hoc meritò eſt vtilis: quia per motum localem tendit ad vbi, ipſa autem figura ſeruat proportionem cum vbi, & ideò ad localem applicationem deſeruit; & ideò fiunt variæ diuiſiones continui, nunc per dolabrum, nunc per aſciam, ſeu ferram; non verò in operationibus, quæ fiunt per alterationem, de quibus in præſentia diſputamus: an figura ſit tranſmutationis corporalis principium, quo mouens mouet, aut motum mouetur? Ad quas alterationes parum refert alterata eſſe huius, vel illius figuræ, ſicut lignum non melius calefit, eo quod ſit huius, vel illius figuræ, niſi fortè vt melius applicetur calefacienti. Ad quartum negatur antecedens. Licèt enim formæ illæ relatæ, non introducantur niſi in materia organizata, & debitè figurata; non ideò hoc fit, quia figura ſit diſpoſitio materiæ, per quam illæ formæ introducantur: ſed quia requirunt talem materiæ diſpoſitionem, ad quam talis figura conſequitur; nam diuerſas formas materiales, diuerſæ formæ conſequuntur. Propter quod, figura eſt maximum indicium ſpeciei, in aliquo per ſe vno. Ad quintum, & eius confirmationem, quatenus nititur conformitati imaginum terreſtrium cum cœleſtibus, reſpondetur, negando antecedens, vt latius in ſolutione ad primum principale initio quæſtionis propoſitum. Etenim illa conſonantia, vel ſimilitudo (ſi cõmentitia non eſt) inter imaginem ſublunarem, & cœleſtem, cùm ſit tantùm relatio, vel quædam extrinſeca denominatio, nil conferre poteſt ad influentias ſuſcipiendas. Illud autem, quod de cytharis æquè temperatis adducitur, non facit ad rem: quia

aërem

chordæ criſpatæ vnius cytharæ, mouent aërem circunſtantem aliam cytharam propinquo ſtantem, vt eodem modo moueantur eius chordæ, ſicut motæ fuerant chordæ cytharæ prius pulſatæ: quæ omnia ad motum localem pertinent. Nos verò in præſentiarum de alteratione, & tranſmutatione, quæ fit in materiam, ſermonem facimus: cuius non poteſt eſſe principium figura aliqua. Ad confirmationem ſimiliter negatur antecedens. Ad primam probationem, admiſſo illo caſu, reſpondetur, nos non negare quin aliquando in conſtructione imaginis, vel propter contuſionem, vel propter alterationem materiæ, robur accipiat materia ad aliquos effectus ex impreſſione ſiderum: non verò propter imaginem, aut figuram, quæ omninò pendent à conceptione artificis. Sicut aggreſsio bellica vt voluntaria eſt, non pendet à cœlo: ſed vt motus quidam corporalis eſt. Ad ſecundam probationem dico, illud eſſe merè figmentum, & inuentionem diabolicam, implicare conantem homines ſub velamine harum imaginum. Ad tertiam, meritò eſſe damnandos, niſi eos excuſet ignorantia, aut aliquorum Doctorum ſententia, ne dicam pertinacia, cùm rationes D. Thomæ à nobis allatæ oppoſitum oſtendant.

Ex dictis non eſt difficile reſpondere argumentis factis in diſputationis initio. Ad primum, reiecto illo fundamento communi, ſeu potius figmento Platonicorum, conſtituentium omnia cœleſtia efficere vnum animal, &c. negatur antecedens: etenim illas imagines eſſe fictitias in prima aſſertione docui. Fictitia verò nullam efficaciam realem habere poſſunt: nec ad ea vllus amor, aut ſimpathia. Item: dato illas cœleſtes imagines non eſſe commentitias; cùm ſint inanimes, nullam poſſe habere compaſſionem erga inferiora, palam eſt. Rurſus, nec figura vt figura eſt, poteſt eſſe principium actiuum, aut naturale, ad recipiendas cœleſtium impreſsiones, vt probauimus. Ad confirmationem negatur conſequentia, & paritas: nam in echo cuncta ſunt realia entia, homo loquens, & vox repercuſſa; ſecus in imaginibus. Secundò, nulla eſt parietis cum homine ſimilitudo, qualis dicitur illarum eſſe imaginum. De ſpeculis

A idem dicito: in cytharis verò aperta reperitur à parte rei conuenientia, chordarum concinitas, cytharatum debita approximatio, ſimilis aëris criſpatio, quæ ſonitum ac ſi pollice ferires eliciat. Ad ſecundum reſpondetur, omnes illos in eo extitiſſe errore, cuius conuincuntur ab omnibus Peripateticis: & ex Platonicis, & Hebræis quidam irridentiſtorum poſitiones. Illi autem effectus mirabiles, qui narrantur effecti virtute imaginum, aut anulorum, in dæmones ſunt referendi (vt videbimus) præter ſanationem ſerpentis metallini, Numero- *Num. 21.*
B rum vigeſimo primo, quem attenta influentia ſiderum eſſe fabricatum, delirium quorundam eſt. Sed eam virtutem à Deo ſupernaturaliter accepiſſe, ſacræ Scripturæ interpretes teſtantur. Ad tertium negatur maior à diuo Thoma in ſolutione ſecundi: circa quam tantam machinam ſuperinduximus, præcipuè in ſecunda aſſertione.

Ex dictis haud difficile erit decidere quæſtionem principalem: vtrùm ſcilicet licitæ ſint, an illicitæ obſeruationes deſumptæ ex figura artificiatorum ad immutanda corpora, putà ex imaginibus, anulis, ſigillis, characteribus, &
C ſimilibus? De qua re dico: Omnes præfatæ obſeruationes illicitæ ſunt, & ſuperſtitioſæ. Probatur: quia omnes hæ figuræ non habent virtutem naturalem ad immutanda corpora, vt probaui, neque ſupernaturalem: non enim legimus in Scriptura authentica, neque habetur ex traditione Eccleſiaſtica, talem, Deum dediſſe his figuris virtutem, præter quam ſerpenti metallino, neque promiſit, aut reuelauit daturum: ergo ad dæmones operantes referendæ ſunt iſtæ obſeruationes, qui vtuntur eis
D vt ſignis ad pacta conuenta explicitè aut implicitè. Egregiè Tatianus Aſirius, ſi aliquid his figuris efficiatur, id fieri quia dæmones hæc ſibi ſigna conſtituerunt, & quaſdam quaſi teſſeras militares, & pacta conuenta, vt homines ſolent verborum certas formulas. *Tatianus.*

Ex his infertur, eſſe ſuperſtitioſum vti imaginibus, aut artificiatis Aſtronomicis, quia vt ſupra probatum eſt, nullam ex ſideribus ſumunt influentiam ad aliquem effectum. Infertur etiam ſecundò: Vti imaginibus aut figu-

ris, quæ fabricantur præcedentibus quibusdam impijs ritibus, quos supra enarraui in vltimo notabili, non solùm superstitiosum est, quia speratur effectus vnde sperari non potest; verùm & idolatricum: quoniam per eas suffumigationes, & exorcizationes, fit præparatio ad sacrificia offerenda dæmonibus, & per ea expresse inuocantur. Tales censeo figuras omnes, & imagines, quas maleficiales appellant: verbi gratia, illæ, quæ effinguntur ex cera, aut plumbo, acubus transfixæ, & alijs impijs modis: vt illæ personæ, quarum sunt imagines, pereant, aut tabescant. Puto enim has non fieri nisi inuocato dæmone, saltem per maleficos plasmantes, vel plasmare docentes. Infertur tertiò, illicitum, & superstitiosum esse, vti imaginibus, aut figuris illis tertij generis, quas in eodem vltimo notabili ad necromanticas reduxi. Probatur: quia in eis non attenditur efficacia aliunde, nisi ex characteribus, aut picturis barbaris, siue ignotis, quæ esse dæmonum inuenta, perspicuum erit, etiam cæcis. Vnde enim poterunt habere aliquam efficaciam, nisi ab hostibus humani generis? Illud verò, quod adiungitur de nominibus quatuor illorum principum; malitiam magis prodit: quia illi sunt dæmones fingentes se regnare in Oriente, Occidente, &c.

Ad hoc genus figurarum reduco quas Magi fabricant ad similitudinem rei, quam operans animo concepit: verbi gratia, si Magus optet duos rixari, construit duorum inter se pugnantium imagines: si verò amorem conciliare velit; duorum se complectentium: si aliquid propitium desiderat, in pectore; si verò infaustum, in dorso desiderata res scribenda. Si seni vis proficere, aut nocere; per imaginem Saturni: si puero; per imaginem Mercurij: si viro; Iouis: & sic de alijs. De his omnibus extat articulus vigesimus primus Parisiensis, in hunc modum: *Quod imagines ex metallo, cera, vel alia materia, ad certas constellationes fabricatæ* (istæ sunt imagines Astronomicæ) *vel certo charactere, vel figura efformatæ* (en tertium genus imaginum) *aut etiam baptizatæ, exorcizatæ, aut consecratæ, seu potius execratæ, secundum prædictas artes, & sub certis diebus* (ecce secundum genus imaginum necromanticarum) *habeant virtutes mirabiles, error est in fide, & Philosophia naturali, & Astronomia vera.* Hæc Academia Parisiensis. *Parisiens.*

Vltimò infertur. Qui Astronomicis imaginibus vtuntur, non quia putent aliquam virtutem eis inesse, sed quia materia, ex qua fabricantur, aliquibus proprietatibus naturalibus proficuis pollet: non sunt damnandi tanquam superstitiosi, vt patet ex dictis. Expediret tamen illis non vti: tùm quia vtentes scandalum præbent videntibus, dum putant eas propter efficaciam gestari: tùm quia suspecti sunt de superstitione, à qua aliquo modo excusabuntur, dicentes, eas imagines, & non alias sculpi in materia virtuosa, vt significetur à quo sidere, vel corpore cœlesti, materia imaginum aliquam efficaciam, aut virtutem habeat. Præstaret certè imaginem Christi, aut diuorum his materijs insculpi, vt eorum patrocinio virtus naturalis materiæ artificiatæ stabiliretur, & augeretur.

Demum moneo hos imaginum Astronomicarum defensores, caueant, ne aliquos ritus adiungant, vel maleficiales, vel idolatricos, aut superstitiosos: facilis enim est transitus ab imaginibus Astronomicis, ad necromanticas, & euidenter superstitiosas: verbi gratia, si talem desideres effectum, in tergo figuræ eum debere inscribi: si contrarium; in fronte. Idque faciendum aliquando manu dextera, aliquando læua: imaginem esse subtus terram condendam, modò capite sursum, modò deorsum, & similia, quæ apertè produnt suam superstitionem, & inutilitatem.

De obseruantijs colorum.

FERE omnes citati in secundo argumento præcedentis disputationis, optimum putabant præter lineamenta artificiatis colores inferere tres potissimè, viridem, aureum, sapphirinum, cœli præcipuis Astris dedicatos: viridis quidem Veneri simul atque Lunæ, humidus videlicet humidis, atque nascentium proprius accommodatus atque matribus: aureus, Soli; & à Ioue, & Venere non alienus: sapphirinus Ioui, cui & sapphirus ipse dicitur consecratus, vnde & lapis lazulus

hoc

hoc colore dotatus ob virtutem Iouiam, contra bilem atram à Saturno profectam, prærogatiuam à Medicis habere dicitur: naſciturque cum auro aureis diſtinctus notis. Similem vim habere creditur lapis armenus colorem ſimilem cum viridi quodammodo poſsidens. Expediri igitur iudicabant ad iſtorum Planetarum influentias recipiendas, tres præfatos colores potiſsimè contueri, atque artificiata eiſdem picturare. Fundamentum huius ſententiæ non aliud inueni, niſi quia colores ſunt quædam lumina, hæc autem quantæ actiuitatis ſint nullus ignorat. Adiuuatur etiam iſtorum poſitio: quia Opthalmia laborantes oculi, colore viridi ſanari dicuntur: melancholici purpureo, & ſic de alijs. Nihilominus exiſtimo per omnia de efficacitate colorum iudicandum eſſe, ſicut de figuris, qui nullam efficaciam habent, niſi ratione materiæ, in qua exiſtunt: colores enim non ſunt qualitates actiuæ, neque alteratiuæ, ſicut neque lumen: oblectant quidem, ac recreant ſenſus, & animum: vnde ſanitas quandoque comparatur. Sed hoc non eſt habere efficaciam actiuam, neque eſſe diſpoſitiones ad recipiendos influxus cœleſtes, ſed motiua, & occaſiones alterationum, quæ interdum conducunt ad eos ſuſcipiendos. Quare iſto pacto vti eis, non eſt ſuperſtitioſum, neque damnabile, aliàs erit vituperabile.

De obſeruantijs numerorum.

NOn minora nugamenta reperies circa numerorum obſeruationes, quã circa figuras, & imagines. Pythagoras, & poſt eum multi magnifecerunt numeros, ad quædam mira efficienda. Et vt ab vno diſcas in alijs philoſophari; de numeri ſeptenarij efficacitate aliqua narrabo, ſicut legi apud quoſdam. Et primo in Luna, mira efficacia ſeptenarij aſpicitur; luna mutat figuram ſepties, vt tradit Clemens Alexandrinus primo ſtromatum. Et in Oceani fluxu, & refluxu, per ſeptem dies, obſeruatur eius incrementum, & per totidem decrementum. In hominibus naſcendis, magna eſt efficacia numeri ſeptenarij; nam partus octimeſtris, lethalis eſſe dicitur à Medicis, & experientia comprobatur; ſeptimeſtris, & nouimeſtris, vitalis. Septima poſt partum hora, manifeſtum, aut vitæ, aut mortis, argumentum affert: vltra hunc enim numerum, qui halitum aëris ſuſtinuerit, intelligitur natus ad vitam. Et Hippocrates, per ſeptem ætatum curſus, vitam noſtram vſque ad ſenectutem tranſcurri, ſuis explicuit libris. Prima ætas infantia eſt: ſecunda, pueritia: tertia, adoleſcentia: quarta, iuuentus: quinta, virilis ætas: ſexta, quæ maturitas: ſeptima, ſenectus. Sic autem loquitur: infans eſt vſque ad annos ſeptem, dum emittit dentes. Puer ad quatuordecim, dum ſemen in eo creſcere incipit, ad geminatum ſcilicet ſeptenarium. Adoleſcens, vſque ad vigeſimum primum, ideſt, ad annum ter ſeptimum, dum barba pubeſcit lanugine. Iuuenis, vſque ad trigeſimum quintum, dum totius corporis augeſcunt vires; quod eſt ad quinquies ſeptimum. Vir vſque ad vndequinquageſimum, nempe ad ſepties ſeptem. Veteranus, ad quinquaginta ſex, ideſt ad ſepties octo. Senex, quod inde reliquum eſt, obtinet temporis.

In ægritudinibus etiam oſtenditur ſeptenarij vis. Acuti enim corporum morbi, præſertim cum ex mala temperatura in febres continuas incidimus, ſeptimo fermè die iudicantur. Hic enim in tali occaſione, alijs ſalutem, alijs mortem decernit. Et Auicena, vt acutas ſeptimo die; ita diuturnas, ſeptimo menſe, ſeptimo anno, quarto decimo, viceſimo primo, vt plurimum terminari contendit. Ita enim comparatum eſt, vt per dies impares, acuti morbi moueantur. Si verò diuturniores, per pares. Ita Hippocrates, & Galenus, qui tres ſcripſit libros de diebus criticis, ideſt, iudiciarijs, ſeu decretorijs. In annis etiam climatericis, ideſt, ſcalaribus, etiam efficaciam numeri ſeptenarij conantur oſtendere; docentes ſeptimum quemque annum ætatis hominum, eſſe periculoſum valde, & formidabile, & eum præcipuè, qui per ternas hebdomadas aſcenderet, qualis eſt annus vigeſimus primus, qui ex tribus ſeptenarijs conſtat: item quadrageſimus ſecundus, & ſexageſimus tertius, & omnium maximus octogeſimus quartus. Imò & phyſionomi aſſerunt, ſeptimo quoque anno, quædam accidentia, & lineamenta nouæ figuræ, nouos colores, & geſtus, nobis ſuboriri. Adducunt etiam de ſeptenario mirabile experimentum, quod omnis maſculus

Pythagor. *Cle. Alex.* *Hippocrat.* *Auicena.*

septimus, absq; fœmella intermedia natus, habet vim curandi strumas, seu scrophulas solo verbo, vel tactu. Imò & asseuerant, multos morbos numero septenario fuisse curatos. Multa pariter comminiscuntur de efficacia aliorum numerorum, licet septenarium potentiorem esse affirment.

His non obstantibus, assertio nostra sit. Ad transmutanda corpora, nullam habent numeri efficaciam, neque naturalem, neque supernaturalem: & de naturali patet, eisdem rationibus, quibus idem probauimus de figuris. Numerus enim, quantitas discreta est; cuius non potest esse maior efficacia, quàm continuæ: imò fortasse minor apud illos, qui censent numerum nõ B esse aliquid reale. De supernaturali verò efficacia, adhuc apertior est assertio: cum nullibi habeatur, talem, Deum dedisse, aut promisisse efficaciam numeris.

Ad ea, quæ in oppositum obijciunt numerizantes, respondetur præmittendo, numeros quosdam esse veluti naturales, consequentes ad complexiones, & humorum periodos naturales vitæ hominum. Tales sunt anni climaterici, dies critici, & huiusmodi. Alij sunt numeri, qui voluntarie multiplicantur, aut decurtantur; sicut comedere tres aut duos panes. Neutri, qua ratione numeri sunt, habent vllam efficaciam, vt probauimus. At prioris generis, indicatiui sunt C quarundam proprietatum, & temperiei humorum repertorum, certis naturalibus periodis: ex quibus licet dijudicare de sanitate & ægritudine, sicut medici periti coniectãt. De posterioris generis numeris non licet iudicare sine superstitione, quæ à superstitiosis fundatur in efficacia numerorũ, quæ nulla est. Reddere autem in speciali rationem harum periodorum naturalium, ad Medicos expectat. Quod si quando inueneris apud Patres mirifica de numeris: totum id ad significationem mysticam referendum est, vt in numero ternario, trinitas, in binario, discordia; in septenario, sanatio lepræ Naaman, & similia, quæ ad D mysticam pertinent considerationem.

Ex dictis cognosces, superstitiosum esse vsum herbæ pentaphili, vno folio ad sanandam ephymeram: tribus, ad tertianam: quatuor, ad quartanam. Item quod heliotropij grana tria, tertianæ; quatuor, quartanæ prosint. Item quod pirulæ purgatiuæ dentur in numero impari: quia ille efficacior est, licet dentur in æquali quantitate. Illud verò experimentum de masculo septimo inter suos fratres, inanis ac ridicula superstitio est.

De obseruantijs verò sumptis à circunstãtialoci, & temporis, opportunior erit tractatio in articulo proximè sequenti. Modò verò disputandum de obseruantijs, quæ sumuntur ab actionibus hominum. Quapropter sit

DISPVTATIO V.

An licitæ sint obseruantiæ, quæ ab operibus imaginatiuæ, seu phantasiæ sumuntur.

DIuus decisio, ex efficacitate istarum operationum expendenda est: nam si hæc potentia valeat, omnes effectus naturaliter producere (vt quidam autumant) obseruantiæ, quæ ab ea sumuntur, non erunt superstitiosæ: sin minus, obnoxiæ superstitionis censendæ sunt.

Et videtur imaginationis vim, potentissimam esse, atque ad omnes effectus, maximè corporales, se extendere. Primò, ex effectibus mirandis, quæ experimur, & legimus accidisse, solius imaginationis efficacitate. Aliqui sine morbo, in ægritudinem incidunt, aut ad sanitatem reducuntur, vi solius imaginationis, sine vllis pharmacis. Alij *Augusti.* non vsti, calore feruent. Diuus Augustinus, de Ciuitate Dei, narrat se vidisse hominem qui ex sola imaginatiuæ apprehensione, quoties volebat, copiosè sudabat. Et alium, qui audito cantu lugubri, patiebatur animæ deliquium, sic validum, vt vulnera, aut combustionem corporis non sentiret. *Guillelm.* Guillelmus Parisiensis ait, se nouisse quendam, qui sola apprehẽsione Medicinæ purgatiuæ, exonerabat ventrem eisdem humoribus, ac si in ventrem traiecisset. Quod si cõcedas imaginatiuę, potentiã ad immutandũ propriũ imaginantis corpus, non aliena: Secundò argumentor, ex innumeris experientijs mirabilium immutationũ factarũ circa aliena corpora, ex sola imaginatiuæ facultatis operatione: vt cũ ex vtroq; parente Æthiope, nata est proles alba; & è contra: & ex parentibus glabris, filij pilosi, sicut cameli, quia in cõclaui vbi coierant, erat imago D. Ioannis Baptistæ, induta pelle camelina. Quinimo Columela de re rustica, & alij, quã *Columela.* do

do equos, aut pecudes volũt gigni verſicolores, virgulta, aut virgas populeas, amygdalinas, caſtaniceas, aut quas facilè corticibus expoliare poſsint, edolatas, corticibus interſectas, circulis redimitas, & ſinuatas vti colubros, albo nigroque intertinctas colore, iuxta aquas in paſcuis, & præſepibus figunt, vbi grex ouilis pecoris ſtabulatur; vt coitum ineundo, & oculos luſtrando, nihil niſi virgas aſpiciant; & ſic efficacia imaginatiuæ fœtus, diuerſi coloris fiant: & paſsim candida vellera nigris offuſcabuntur maculis. Hac eſt vſus arte Iacob, Gene. 30. vt malitiam ſoceri ſui deluderet: quod & fœliciter illi obuenit. Et eadem poteris vti arte erga omnia pecora. Valet etiã hoc in equis: idque plurimum obſeruant, qui eis procurandis incumbunt. Nam ad coitum equas non admittunt, donec equilia, vbi coitum explent, tapetis, & pannis varijs depictis coloribus exornant. Vnde diſcolores equos, ſeutulatos, ſpadiceſque efficiunt. *Geneſ. 30.*

Non agimus in præſentiarum de imaginatiua turbata, aut læſa, quæ miris, ac inſolitis modis facit apparere effectus, qui nec ſunt, nec eſſe poſſunt: de quo multa audiuimus, & legimus. Quoſdam inuenies (ait Galenus tertio de affectis locis) qui ſe putãt figulina vaſa: quapropter contactum hominum, & omnem propinquitatem expaueſcunt, ne comminuantur, aut decurtentur. Alij aſpicientes gallum gallinaceum, prius quam cantet alas excutere; ipſi quoque ſimiliter brachia motitant, & mox canunt. Alij ſunt, qui in perpetuo timore degunt, ne Athlas fulciens cœlum, laſſetur, & feratur in præceps; & omnes vna pereant ruina: ac proinde fugam ſemper meditantur, ac ſi ex hoc mundo, ad alium ſe proripere poſſent. Ita Celius Rodiginus lib. 17. cap. 2. Et multa alia narrantur fictitia, quæ propter læſionem, aut turbationem facultatis imaginatiuæ, hominibus apparent, ac ſi eſſent: ſed re vera non ſunt. Et de his non loquimur in præſentiarum. *Galenus.* *Rodiginus.*

Sed ſermo nobis eſt de imaginatiuæ facultatis vi, ac poteſtate, circa veram corporum immutationem, quam ad omnes corporeos effectus, etiam vltra imaginantis corpus valde diſtantes, ad ſanitatem valere, ad pluuias, & fulgura elicienda, & ad multa alia ſe extendere multi arbitrari ſunt. Auicena id aſſeruit, vt refert D. Thom. 3. cont. Gentes, cap. 103. & ſecuti ſunt Gentilis Fulginas, & alij. Mouentur, quia putat Auicena id iure habere animam rationalem, ſupra omnes res corporales, vt eiuſdem omnes obediant imperio. Alij idem cenſent, ſed ob aliam rationem, nempè per quoſdam, ab imaginatrice facultate ad cætera, radios emiſſos, quos illi fingunt: ita Alkindus lib. de imaginatiua. Alij per ſpiritus, ex corpore, vi imaginatiuæ expulſos: ita Paracelſus lib. de imaginatione, Pomponatius lib. de incantatione, cap. 3. & 4. Andreas Catanius lib. de mirabilibus effectuum cauſis. Hos omnes ex profeſſo refellere non vacat, neque eorum fundamenta digna ſunt, vt in his, quia chimerica ſunt, immoremur. *Auicena.* *D. Tho.* *Fulginas.* *Alkind.* *Paracelſ.* *Pompon.* *And. Cata.*

Pro deciſione dico primò. Ex mente D. Thomæ, & Peripateticorum omnium, imaginatiua facultas, potens eſt media ſua actione, tranſmutare omnes corporis imaginantis partes corporeas, ac facultates: quandoque per motum localem; ſicut cùm quis ambulans ſuper trabem in alto poſitã, imaginatur cadere, & cadit: non autem caderet, ſi illa trabes eſſet poſita ſuper terrã, vnde caſum non imaginaretur: & quandoque per alterationem, ſicut quando ad ſolam apprehenſionem imaginatiuæ caleſcit corpus, ſicut accidit in concupiſcentibus, vel iratis: aut etiam infrigidatur, ſicut accidit in timentibus. Quandoque etiam immutantur ex forti apprehenſione ad aliquam ægritudinem. Aſſertio probatur primò experientia, qua oſtenditur quanta ſit potentia imaginatiuæ, ad inducendas mutationes magnas, & mirabiles, in imaginantium corpore. Secundò. Inter omnes potentias corporales eiuſdem ſuppoſiti, eſt magna connexio, ac colligantia: ſed inter eaſdem, principem locum tenet imaginatiua facultas: ergo ad eius immutationem, cæteræ neceſſariò immutantur. Eſt enim imaginatiua, ad alias potentias corporales comparata, ſicut primum mobile ad reliqua cœleſtia corpora, quæ rapit ſecum iuxta motum ſuum. Hæc experimur, ſed reddere huius rei rationem, haud facile eſt. Etenim ex prædicta ratione tantùm videtur haberi, imaginatiuam mouere cæteras potentias apprehenſiuas, ſupra quas dominatum habet: non verò probatur, mouere reliquas facultates, putà nutritiuam, vel alteratiuam: neque mouere per localem motum, aut alterationem, omnes compoſiti partes, ſicut re vera videmus moueri. Franciſcus Valleſius c. 11. de ſacra Philoſophia ſubti- *Valleſi.*

ſubtilem de hac re tetigit dubitationem. Nobis ſolidior apparet reſponſio D. Thomæ 3. contra Gentes, capit. 103. ſic dicentis contra Auicenam: *Ex apprehenſione ſola non ſequitur aliqua immutatio corporis, niſi apprehenſioni adiuncta fuerit paſſio aliqua, vt gaudij, vel timoris, vel concupiſcentiæ, aut alterius paſſionis. Huiuſmodi autem paſſiones, accidunt cum aliquo determinato motu cordis, ex quo ſequitur vlterius immutatio totius corporis, vel ſecundùm motum localem, vel ſecũdùm alterationem aliquam. Vnde adhuc remanet quod apprehenſio ſpiritualis non alterat corpus, niſi mediante motu locali.* Hæc D. Thom. & idem ferè tradit 1. 2. q. 17. art. vlt. ad 3. Ex quibus patet ad obiectionem factam contra rationem noſtram: & ex eadem colligitur, imaginationem nõ habere efficaciam ad ea, quæ cum eius operatione non habent connexionem, & colligantiam, putà ad immutandam figuram manus, aut pedis; ad augendum notabiliter corpus proprium, iuxta illud dictum Chriſti Domini Luc. 12. dicentis: *Quis veſtrum cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuã cubitum vnum?*

D. Thom.

Luc. 12.

Secundò dico. In corpus alienum, ſeparatum omninò ab imaginante; anima humana mediante imaginatiuæ operatione, nihil poteſt efficere corporale. Probatur, quia cum alieno corpore non habet imaginatrix facultas connexionem aliquam; quã diximus eſſe neceſſariam, vt in corpus aliquod operetur. Secundò. Nulla tranſmutatio fit, niſi per motum localem, aut alterationis; hæc nequeunt fieri, niſi per contactum formalem, vt quando duo ſe corpora tangunt; vel virtualẽ, mediante aliqua qualitate impreſſa ab operante, quæ abſunt, quando corpus diſtat à ſuppoſito imaginante: ergo, &c. Illud verò, quod citati quídam aiunt, de radijs emiſsis ab imaginatione ad corpus diſtans, commentitium eſt, & ſine vllo fundamento: ſicut & illud quod addit Pomponatius, ſpecies ſpirituales imaginatiuæ, commotas à vehementi impetu imaginatricis facultatis; poſſe gignere aliquid reale, nempè id cuius ſunt ſpecies. In quam poſitionem videtur inclinare Valleſius vbi ſupra: ſed non ita clarè, quin poſſit effugere notam hanc. Pomponatius verò ſuam poſitionem confirmat, ſimilitudine dicta ex ideis, quæ ſunt in mente diuina, omnium rerum effectrice. Verùm ſimilitudo nihil ad propoſitum facit, quia ideæ in mente diuina non ſunt accidentia, ſed ſubſtantiæ. Imò ipſa eſſentia diuina eſt omnium rerum prima cauſa: ſpecies verò imaginatiuæ facultatis, accidentia, & in perfectiſsimo modo exiſtentia, cùm extra imaginatiuam nequeant conſiſtere: & ſi foras emitterentur (vt illi autumant) propter ſui debilem eſſendi modum, ſtatim corrumperentur. Tantum abeſt, vt aliquid operari valerent, extra ſuum ſubiectum. Itẽ incredibile, & omninò alienum à ratione eſt, vt imaginatiuæ ſpecies, ſibi ſimile producant: verbi gratia: ſpecies equi gignat equum, aut ſpecies caloris, quam ego in imaginatione verſo, calefaciat algentem, à me longè poſitum. Denique ſi tanta eſſet potentia imaginatiuæ, etiam ad effectus longè poſitos (vt præfati ſomniant) quis non acquiſiuiſſet ſibi montes aureos imaginando? Quis agricola deſideraſſet opportunam pluuiam, qui eam imaginando non accerſeret in proprios agros?

Valleſius.

Pomponat.

A

B

Dico tertiò. Si quando iuxta deſiderium imaginantis, imbres, niues fulgura, & alia huiuſmodi excitata ſunt: totum id dæmoni adſcribendum eſt, qui propter pactum tacitum, aut expreſſum, magis imaginantibus adeſt, ſuadens virtute imaginationis id totum fieri. Et iſte modus deceptionis, frequens eſt apud omnes ſuperſtitioſos, qui in omnibus operibus ſuis, petunt imaginatiuæ actus ſortes: quibus poſitis, aiunt omnia facillima eſſe. Mitto modò quoſdam Planetarios, aſſerentes, per imaginationis efficaciam præcipuè homines diſponi ad ſuſcipiendos, & hauriendos cœleſtes influxus.

C

Ad argumenta poſita in principio reſpondetur. Ad primum; probare noſtrum primum aſſertum. Ad ſecundum reſpondetur, in caſibus ibi relatis, & alijs ſimilibus, productionem eorum admirandorum effectuum nõ eſſe attribuendam primo, & per ſe efficacitati imaginatiuæ, niſi occaſionaliter: eo quod imaginatiua apprehendente, & partibus affectiuis corporeis operantibus ſimul, & corde mouente ad modum explicatum, alteratur ſemen imaginantis, illis qualitatibus, quæ ſint proportionatæ ad eos fœtus edendos. Itaque ſemen ſic affectum fuit in cauſa, vt tales producantur partus, mediante tactu, & immiſsione, non verò imaginatio, niſi occaſionaliter. Secus dicendum eſt, quando nullus adeſt contactus inter imaginantem, & rem diſtantem, ſicut in ſecundo aſſerto diximus.

D

Ex doctrina tradita, facile iudicabit confeſſa-

ſeſſarius, quando licitæ ſint obſeruantiæ ab imaginatiua ſumptæ; quando verò illicitæ: verbi gratia: quando quis ſumit pharmaca purgatiua, fortiter imaginari de purgatione, vt purgatio fœliciter ſuccedat; conſilium eſt Medicorum, dicentium imaginationem caſum facere, & licitum eſt hæc obſeruare. Item licitum eſt coniugatis, in cubili ſecreto habere imagines pulchras, & honeſtas, vt filij progignendi non naſcantur deformes. At verò conari per imaginatiuæ opera, elicere imbres, pluuias ciere, tempeſtates commouere: ſuperſtitioſum eſt, & in vſu veneficorum, & lamiarum.

DISPVTATIO VI.

An licitæ ſint obſeruantiæ deſumptæ ex viſione ad immutanda corpora?

NEmo (quē ego legerim) vſus fuit ſola oculorum viſione, ad ſanitatem inducendam (ſi tamen excipiamus Hebræos, qui aſpectu ſerpentis ænei ſanabantur, Num. 21.) multis autem contigit, per viſionem, ægritudinem inducere. Qui nocendi modus, faſcinatio dicitur: cuius frequens mentio habetur apud ſacros Autores, & profanos, Sapientiæ 4. ad Galat. 3. & Poëtarum multos. Sufficiat modò Latinus Poëta:

Num. 21.
Sapien. 4.
Ad Gal. 3.
Virgil.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Ex Philoſophis, Medicis, & Theologis, plures ſparſim citandi. Nos verò methodum D. Thom. in hoc articulo ſequentes, dubitationem propoſitam diffiniemus, inueſtigantes: an faſcinatio, id eſt, morbi illatio per oculorum viſionem, ſit naturalis, & efficacia viſionis inducatur; an verò ope dæmonum? ſi enim prius dederis; non eſt cenſenda ſuperſtitioſa, ſed aliàs illicita. Si verò ſecundum admiſeris; planè ſuperſtitioſa erit.

Et videtur, oculos quorumdam, naturaliter habere efficaciam ad faſcinandum, & ægritudinem ingerendam ijs, ad quos viſionem direxerint. Primò Iſogonus, & Memphrodorus, aiunt (referente Plinio lib. 7. cap. 2) Africæ eſſe familias quaſdam, quæ ſi multum laudent pulchras arbores, aut ſegetes, infantes pulchriores, pertices equos, pecudes opimos; areſcere, & mori repente. Et apud Tiballos, & Illirios, eſſe quaſdam familias; quæ pupillas binas in oculis habent, atque ijs quos diutius intuēatur (iratis præcipuè oculis) necem afferant, maximè infantibus. Et in hac re multa admiranda narrant Philoſophi, ac Medici. Et Ariſtoteles in problematibus, ac Plinius in ſua naturali hiſtoria, multa remedia tradidêre contra faſcinationem; ſupponentes nempe, naturalem efficaciam habere, ad ægritudines inducendas. Et confirmatur ex Gloſſa ordinaria ad Galatas 3. *Quidam* (inquit) *habent oculos vrentes, qui ſolo aſpectu inficiunt alios*. Secundò, experimentis videtur res apertè probari. Nam amor, ex mutuo aſpectu, quomodo concitari poteſt; niſi faſcinatione? Aſpiciens enim amans rē amatam (aiunt quidam) & ipſe ab oculis eius vulneratur: nempè, quia rei pulchræ effigies in corde amantis reſidet, & igniculos accendit: & quia ibi molliſsimus amati ſanguis vagatur; ſic non quieſcit, & ſic ab eo trahitur, vt vulnerati ſanguis in vulnerantem labatur. Secundum experimentum ſumitur ab ijs, qui lippitudine oculorum laborant: quos viſione inficere viſos, videmus, ſicut & mulieres menſtruatæ, ſolo aſpectu ſpecula commaculant, perfundentes ea guttis quaſi ſanguineis, & aliquando vertentes in atrum colorem. Cur ergo non inficient eodem aſpectu corpora maximè tenella? Tertium experimentum reperitur in Baſiliſco: de quo communiter dicitur, aſpectu, quoſlibet aſpexerit ad certam diſtantiam necare, herbas marceſcere, plantas exſiccare: lupos itidem, ſi priores aſpexerint homines, raucedinem inducere. Nō ergo eſt difficile credere, vetulas mulieres, ſuo aſpectu, tenellos, ac pulchellos pueruloſ faſcinare: in his enim vetulis, potiſsimè adeſſe vim faſcinandi, fama eſt. Quartum: ex multis quæ extra ſe animalia ſola viſione faciunt, colligere licet, faſcinationem nō eſſe naturaliter impoſsibilem. Struthiocamelum, & teſtudinem aſpiciendo oua, pullos ſuos excludere dicitur. Leones, galli gallinacei aſpectum non ferentes, fugiunt. Galgulus auis, ſi oculos in ictericum defigat; ſibi morbum, ægro ſanitatem affert, vt narratur à quibuſdam.

Ariſtot. Plinius.
Gloſ. ordin.

Pro parte negatiua non deſunt Autores graues ſentientes, naturaliter loquendo, omnem faſcinationem eſſe impoſsibilem, & ea quæ de ipſa dicūtur fabuloſa. Ita Leonardus Vayrus lib. 2. & 3. de faſcin. Laurentius Ananias lib. 4. de natura dæmonum,

Vairus. Ananias.

Fran-

Vallesius. Franciſcus Valleſius de ſacra Philoſophia,
Scaligerus. c. 68. & Scaligerus de ſubtilitate, exercitat.
Delrius. 349. Martinus Delrio lib. 3. diſquiſitionum Magicarum 1. p. q. 4. ſectione 1. Secundò
Basilius. probatur ex D. Baſilio, homil. de inuidia, qui irridet faſcinationem, vt muliebres nugas. Tertiò. Neq; Hippocrates, neque Galenus, neque vllus veterum Medicorum, faſcinationis meminerunt (vt refert Valleſius) cùm tamen copioſiſsimè egerint de cunctis morborum differentijs, & cauſis. Quartò. Nam ægritudo non infertur niſi per alterationem: viſio non eſt alteratio: ergo per viſionē nequit induci faſcinatio. Quintò. In oculis qua ratione vident, non eſt niſi poteſtas viſiua, ſpecies viſibiles, & viſio: nil iſtorum ægritudinem valet inferre: ergo per aſpectum faſcinationem inferri, naturaliter loquendo non eſt poſsibile. Maior patet ex ſententia Peripateticorum ſentientium, viſionem fieri per introſuſceptionem ſpeciei, obiectum repræſentantis. Minor quoad primam partem, ex eorundem ſentētia perſpicua eſt. Nam poteſtas videndi neq; alterat, neq; alteratur: ſimiliter neq; ſpecies viſibilis. Tertia pars probatur, quia viſio actio immanēs eſt, nil emittens in obiectum viſum. Hæ rationes ſupponunt, viſionē fieri per intus ſuſceptionem: quæ eſt ſententia omniū Philoſophorum benè ſentientiū, à tēpore Ariſtotelis, qui in lib. de ſenſu, & ſenſato, refutat Platonē, ſentientē fieri per extramiſsionē radiorū quorundā viſibilium, ab oculo vſq; ad obiectū viſiuū emiſſorū. Quæ etiā ſentētia eſt eorum quos retulimus, aſſeuerantiū eſſe veram, ac naturalē faſcinationē per ſolum aſpectum. Quod ſi vera eſſet opinio Platonis, non eſſet iſtorum poſitio impoſsibilis. Exiſtimo autem falſiſsimam Platonicam ſententiam: quia cum illi radij viſibiles, per reſolutionem crearentur; totum videtis corpus in radios reſolueretur, & vix ſufficeret. Sed in dogmate Platonis refellē do, non libet immorari. Qui ampliora cupit, legat Alfonſum Toſtatum ſuper cap. 21. *Abulenſ.* Num. q. 11. vbi decem & octo rationes adducit contra Platonicorū poſitionem. Nos verò ad dubitationem propoſitam per aſſertiones ſequentes reſpondemus.

Prima eſt. Impoſsibile eſt ſecundùm naturæ curſum, aliquod malum, aut morbum inferri, per ſolam oculorum viſionem. Hæc concluſio probatur rationibus adductis in oppoſitum: & eſt contra autores citatos pro parte affirmatiua; qui vt ſuam tueantur imaginationem (ſicut ſolent falſitatis defenſores) diuerſis vijs pergūt. Quidam cōfugiunt ad influentias Aſtrorum, quando faſcinatores generati ſunt. Sed tunc omnes illa hora generati, faſcinatores eſſent: eſſent autem innumeri. Alij aiunt, cauſam faſcinationis eſſe maleuolentiam, aut inuidentiā. Quod ſic explicant. Animo male affecto, malè habet corpus; putà inuidus tabeſcit: & non ſolùm corpus totum proprium malè affecti, ſed etiam alienum, maximè ſi fortis imaginatio adhibeatur. Et ideò ſicubi fla grantes inuidia oculos, & truces quis deflexerit, & pernicioſe nocendi cupido acrius micat ex oculis, & inteſtinus ardor proficiſcitur ab eis: aſtantium corporibus, maximè ſpecioſis, malum inferunt; & oculorum acies velut tellum tranſuerberat, præcordia perurit, & maciei præbet cauſam, ſi cholerici, & ſanguinei præſertim fuerint. Nam pororum apertura, & humorum ſubtilitate, facilè depaſcitur morbus. Ita Ioannes Baptiſta à Porta Neapolitanus, & alij, *Baptiſta.* qui non ſolùm ſupponunt, viſionem fieri per extramiſsionem cum Platone: verùm & delirium Auicenæ ſequuntur, exiſtimantes, per imaginationem immutari non ſolùm corpus imaginantis; ſed & alia externa corpora, de quo in præcedenti diſputatione. Ex hac aſſertione infertur, nullam reperiri naturaliter faſcinationē, qualem vulgus putat, & autores citati tuentur: ſed eſſe fabuloſam, nullis naturæ principijs ſuffultam.

Secunda aſſertio. Aliquam poſſe inferri læſionem; quæ ab oculis prodeat, & diſtantes res viſas inficiat; non ſolùm poſsibile eſt, verùm & ſæpe contigit. Pro huius aſſertionis cognitione, probatione, & explicatione aduertendum eſt, ſupradictam læſionem dupliciter contingere. Vno modo, quando præ abundantia humorum in corpore videntis, ſpiritus noxij, ac putridi in oculos prorumpunt: & inde ad res viſas delati; eas inficiunt, ac morboſas reddunt. Et hoc idem etiam dupliciter contingit. Vno modo, quia aër proximus, medijs illis ſpiritibus inficitur, & vſque ad certam diſtantiam aëris infectio peruenit: & ſic nocet alteri, quamuis aliquantulum diſtet. Secundo modo, quia ipſimet ſpiritus noxij, qui ſubſtantiæ quædam ſunt humidæ, & ſiccæ; vſq; ad res viſas per aërem emittuntur: quibus vehementius nocent per ſe ipſos, quàm per aërē infectum. Hoc modo opthalmia, id eſt

lippi-

lippitudine laborantes; ſolent alios lippos reddere. Secundus modus inferendi læſionem in res viſas, ſic perficitur. Detinetur aliquis quadam vehementi animi paſsione: v.g. odio, liuore, ſeu inuidia alicuius adſtantis: tunc ex forti animæ imaginatione, & paſsione, immutantur humores; & conſequenter, ſpiritus noxij aëris generati, in oculos præcipuè prorumpunt, vt in partes delicatiores, & ſubtiliores: quorum ſpirituum maligna, & nociua qualitas, ab oculis ad res viſas vſque diffunditur, vel ſpiritibus per aëra delatis; vel (quod frequentius fit) per aëris diuerſas partes continuatim infectas, & ſic aſpectus faſcinatoris fit venenoſus, & noxius, maximè puerulis obeſsioribus, & alijs, qui habent corpus tenerum, & de facili receptiuum impreſsionis. Et hic modus faſcinationis, naturaliter reperitur, & approbatur à Peripateticis, & à D. Thom. 1. p. q. 117. art. 3. ad ſecundum, & 3. contra Gentes, cap. 103. & ſuper capit. 3. Epiſtolę ad Galatas in principio. Ab Abulenſi ſuper cap. 21. Numerorum à q. 13. vſque 15. incluſiuè, & paradoxa 4. cap. 16. & Ricardo quodl. 3. q. 12. & alijs recentioribus Philoſophis, ac Theologis, qui non attendunt ad fabulas, aut ſuperſtitiones: ſed ad rationes depromptas ex ipſo naturæ lumine.

D. Thom. *Abulen.* *Ricard.*

Inter has faſcinationes, fabuloſam ſcilicèt, ac veram, multa diſcrimina reperiuntur. Primum: nam in faſcinatione fabuloſa à nobis repudiata, fingitur viſionem faſcinatoris eſſe principium quo, inferendi nocumentum rebus viſis. Nos impoſsibile reputamus, actionem immanentem, extra ſuum organum aliquid operari: & idem dicimus de potentia viſiua, quæ nihil ad extra operatur. At in Philoſophica faſcinatione, & vera, principium effectuum alterationis in rebus viſis, ſit ab aliqua qualitate venenifera, exiſtente in oculo, aut in interna corporis diſpoſitione, complexione, aut humoribus: quæ communicatur ſpiritibus vitalibus, qui imaginatione, & animi attentione commouentur, & ad oculos perueniunt. Secundum diſcrimen: nam in faſcinatione fabuloſa, medium per quod venenum defertur vſque ad res viſas, eſt viſio, aut radij quidam viſuales, qui emittuntur ab oculo ad rem viſam vſque. Defenſores autem veræ, ac Philoſophicæ faſcinationis, negant viſionem vllo modo extra emitti: neque admittunt vllos radios eſſe viſibiles. Viſionem verò rei faſcinatæ, vel non eſſe neceſſariam, vt ſi quis oculis clauſis inficiat aërem propter lippitudinem circa oculi palpebras, aut concauitates exiſtentem: vel concomitanter ſe habere; vel tantùm requiri, vt conditionem ſine qua non. Quo fit interdum poſſe contingere, vt faſcinator rectà reſpiciat aliquem, cui non noceat, ſed alium: quia ventus perflans aërem infectum, aut ſpiritus noxios, à recto tramite aliorſum diuertit. Tertium diſcrimen: nam illius fabuloſæ faſcinationis defenſores, aſſeuerant eſſe aliquos, qui naturali ſua complexione faſcinatores ſunt. Nos verò hoc impoſsibile reputamus: quia cùm nil patiatur niſi à ſuo diſsimili, vt ait Ariſtoteles lib. 1. de generatione, cap. 7. temperamenti autem, aut ſubſtantiæ non poteſt eſſe tanta differentia, & antipathia inter res eiuſdem naturæ, & ſpeciei, vt ſuis naturalibus proprietatibus ſe ſe interimant. Si quidem ex differentia naturæ, ſequitur differentia, & contrarietas temperamenti, & è contrà. Confirmatur: quia licèt Baſiliſcus propter ſuam naturalem proprietatem, per oculos res viſas enecet: non tamen alium Baſiliſcum. Vnde natum prouerbium: *Serpens ſerpentem non nocet*. Reputamus autem poſsibile, aliquos faſcinatores eſſe, ad modum dictum in ſecunda aſſertione, propter aliquam malignam qualitatem, quæ præter bonam conſiſtentiam naturæ, in eorum oculis emicat. Quartum diſcrimen: nam defenſores illius fictæ faſcinationis aiunt, faſcinatores in ſua habere poteſtate, hos viſos faſcinare, & non alios: etiam ſi vtrique ſuæ viſioni expoſiti ſint. Nos verò id reputamus impoſsibile in motu naturali alterationis; qui æquè tangit omne ſubiectum æqualiter diſpoſitum: ſecus ſi inæqualiter. Vnde promanat, vt res molles viſæ faſcinentur; non autem duræ, aut fortis complexionis: quia hæ, venenoſæ faſcinatoriæ qualitati reſiſtunt; illæ autem nequaquam propter ſuam teneritudinem.

Ariſtot.

Tertia aſſertio. Poſsibilis eſt faſcinatio ſpontanea per viſionem, quę ortum habeat à pacto inito inter faſcinatorem, & dæmonem: hoc eſt, poteſt fieri vt maleficus, aut malefica pepigerint cum dæmone, vt ad eorum aſpectum, vel laudem, dæmon varijs, ac diuerſis modis lædat rem viſam, aut laudatam, arbitratu maleficorum: & hæc, faſcinatio proprie dicitur, & eſt maleficiũ, cùm de ratione maleficij ſit, proficiſci à malefico, ex dæmonis ope, aut pacto: ita Diuus Thomas 1. par. loco citato, dicens:

D. Tho.

Poſſi-

D. Thom. *Poſſibile eſt quod ex Dei permiſſione, vel etiam ex aliquo pacto occulto, cooperetur ad faſcinationem malignitas dæmonum: cum quibus vetulæ ſortilegæ aliquod fœdus habent.* Modus autem perſpicuus eſt. Etenim ad aſpectum maleficorum, propter pactum illorum cum dæmone expreſſum, aut tacitum; dæmon qualitatem malignam faſcinatiuam per aërem circunſtantem diffundit: & homo aërem infectum ſibi proximum reſpirando, per cordis arterias ad cor trahit, vnde labes toti corpori communicatur.

Supereſt reſpondere ad argumenta poſita in dubitationis initio: quatenus militare videntur contra primam aſſertionem. Ad primum reſpondetur, nos parum curare de Poëtarum dictis, qui ſuis poëmatibus omne fictitium, omne fabuloſum interſerunt: maximè vt morem gerant vulgi opinionibus. Philoſophi autem, & Medici citati ſequuntur Platonis, & Auicenæ placita, à ſapientibus noſtris iſtis temporibus, in hac materia, reiecta vt vana: tùm, quia aliqui ex eis, vt Ioannes Baptiſta à Porta Neapolitanus, non eſſe in hac parte agendum rationibus præſupponit his verbis: *Neque hiſtorijs fidem derogari opus eſſe cenſui, ſi veras rei cauſas aptare validis rationibus nequimus. Prætereo plerasq; per veſtigationem penitus ſe mouentia.* O ſapientem Philoſophum! qui vt aniles fabulas (quas hiſtorias vocat) defendat, rationum trutinam ſubire recuſat. Ad confirmationem reſpondetur, ex traditis in ſecunda aſſertione. Sic enim eſt intelligenda Gloſſa, & alij Autores probati, quando de faſcinatione loquuntur.

Baptiſta.

Ad ſecundum argumentum ſumptum ex experimentis reſpondetur. Ad primum experimentum: ridiculum eſt putare, amantes ſe inuicem faſcinare; niſi fortè metaphorica ſit faſcinatio. Sic enim interpretandus eſt Sapiens Eccleſ. 31. dicens: *Nequius oculo quid creatum eſt?* & illud Threnorum 3. *Oculus meus depredatus eſt animam meam*: eo quod oculi feneſtræ eſſe ſolent, malorumque animi affectuum indices; & conſequenter illecebroſi, ac ad malum amorem prouocatiui. Certè viſus, initi amoris tantùm eſt occaſio quædam: nam principio, viſæ formæ ſimulacrum potentia viſiua offert imaginationi: quod ipſa voluens, ac reuoluēs, in cauſa eſt, quod homo obiectum viſum iudicet dignum amore præ cæteris. Hoc eſt, initium amoris. Mox amor præſentia rei amatæ fouetur, & gliſcit: non quod obiectum neceſſe ſit oculis externis videre (nam & abſentes magis amore cruciantur) ſed quod aſſiduè de illo cogitet, illudque pluris quam æquum eſt æſtimet; & ſibimet, imaginando, fomenta, & faces præbeat ardoris. Hic modus fouendi amorem mutuum, per internam fit affectionem; non per externum quid, ab oculis pendens. Nam ſi à viſione penderet; cur cum plures ſimul eandem mulierem pulchram videant, & ab eadem videantur, vnus iſtam deperit, cæteri contemnunt? Ad ſecundum experimentum de lippis alios inficientibus, & mulieribus menſtruatis ſpecula commaculantibus, reſpondetur, eam infectionem non promanare à viſione ipſa, ſed à qualitate maligna: quæ ab oculis exiens, ad alios, vel ad ſpecula tranſmittitur, vt explicuimus circa ſecundam aſſertionem. Quod ſi cupis ſcire quare ſpecula duriſſima, & calybea inficiuntur; non verò terra, aut aliæ res, quæ molliores ſunt: ratio eſt, quia ſpiritus noxij menſtruatarum, per aërem ad ſpecula relati, propter ſpeculorum duritiem, ſolidatatem, & terſitudinem, in ſuperficie continētur, & ab aëre circunſtante, & frigore ſpeculorum, condenſantur, & apparent in ſpeculis. In alijs verò rebus mollioribus, ſecus contingit, in quibus non apparent; quia intra corpus imbibuntur. An verò illi ſpiritus infecti, per ipſorum oculorum pupillas erumpant; an per concauitates oculis vicinas? Quidam aiunt in oculo eſſe foramen, cui indita pupilla; ex qua per neruum opticum, viſio procedit; quam non eſſe principium actiuum faſcinationis iam diximus. Eſt etiam foramen cerebri aliud, vnde neruus motiuus, de ſecundo coniugio neruorum innatus prodit. Per hoc foramen cerebrum fundit lacrymas, lippitudinem, & alios prauos humores, ac ſpiritus: & inde per exteriores oculi partes, & orbis ipſius circunferentiam, inter palpebras, & tunicam candidam, huiuſmodi fluores ſtillant. Itaque cenſent ab organo viſus, nequaquam hos ſpiritus infectos prodire. Hæc ego Medicis, & Anatomiſtis diſputanda relinquo: nobis ſatis ſit eam infectionem, quam faſcinationem appellamus; non prodire per viſionem, vt exiſtimat vulgus, ſed per ſpirituum infectorum emiſſionem, vt explicatum eſt. Idem dico de Baſiliſci aſpectu: cuius naturā maximè eſſe infectiuam ab omnibus narratur: crediderim, halitu, & aëre per nares erumpente, plus nocere

Eccle. 31. Threnor. 3.

cere quàm viſu: quia illæ viæ paratiores ſunt ad ſpiritus noxios emittendos, vel eorum malignam qualitatem diffundendam. Illud verò quod dicitur, referente Syluestro lib. 2. de ſtrigimagis, c. 2. in fin. Baſiliſcus ſi prior videatur ab homine volente eũ occidere, & qui ideò ſpeculis ſe muniuit; poſtquam ad ſpecula infectus aër attigerit; reflectitur vſque ad Baſiliſcum; & proprio veneno Baſiliſcum occumbere, falſum reputo. Quia aër infectus procedens à naturali complexione Baſiliſci, ei non nocet, neque alijs Baſiliſcis, vt nuper docebam. Ad illud de raucedine, quam lupos inferre dicitur, reſpondent quidam, id accidere propterea quod qui in beſtiã improuiſam incidunt, ob ſplendentes eius oculos, & aſpectum trucẽ, metuunt vehementius: & timor repentinus ſanguinem verſus cor inci tat, ac frigus cæteris membris conciliat; & ſubitam totius corporis alterationẽ: hinc raucedo, & vocis impedimentum. Fortaſsis vera eſt ruricolarum ratiocinatio, quæ ſupponit lupos humoribus infectis abũdare, ac ſpiritus noxios vndiq;, maxime per halitũ exhalare. Lupus autẽ hoc agnoſcens inſtin ctu naturæ, ſi prior prope ſe hominem videat; ſe ad nocumentum inferendum parare fertur, & ſic noxium quendã illi, ne clamare valeat, vaporem quaſi inſufflare: qui cũ venenatus ſit, poteſt raucedinẽ afferre: cùm verò ſe ab homine iam viſum videt, metuit, & fugam parans, de hoc vapore emittendo non cogitat. Hęc ſint dicta, ſi vera ſunt, quæ de lupo raucum faciente hominem prius viſum, dicuntur (nam nugatorium hoc eſſe vehementer coniector.) Illud verò de faſcinatione vetularum, intelligendum reor iuxta tenorem noſtrę ſecundæ, & tertiæ concluſionis.

Syluest.

Ad alia experimenta reſpond. Struthiocamelum, & terreſtrem teſtudinem nequaquam viſione ſua pullos ab ouis excludere: in arenis enim ea relinquunt, & adſtant aſpicientes, non vt educant fœtus, ſed vt arceant nocitura, & poſtea calore arenarũ, terra maturat, ſicut & lacertis accidit. Quod verũ eſſe cõfirmatur, ex eo quod mihi hæc ſcribenti, à fidedigno narratũ eſt, videlicet; Hiſpaniæ in viridario Regali (vocatur Aranjuez) apparatu Regio aues peregrinæ ali: & eſſe ibi domunculã pro Struthiocamelis, in qua hæ aues ſua oua reponunt, multaq; vigilantia, ac cura cuſtodiunt: nũquam tamen ab ouis pullos excludunt, quãtumuis attenta viſione aſpiciant. Euidens

A argumentũ, ſe viſione fœtus non educere; ſed calore telluris, qui in ea regione exiguus eſt (ſaltẽ non ſufficiens) ad oua maturanda, ſicut Africæ, & alijs regionibus calidioribus, vbi hæ aues in magna copia gignũtur, & procreãtur. Inſuper fatemur, leonẽ gallũ gallinaceum formidare, ac fugere, nõ à viſione fugatũ; ſed ex arcana antipathia: quia ſcilicet, vt dicitur, gallus gallinaceus magis ſolaris eſt, & ideo formidabilis Leoni. Illud verò quod retulimus ex galguB lo aue, vel fictitiũ eſt, vel ex occulta ſimpathia morbi, & auis prouenit; non à viſione: hæc tantum eſt occaſio alterationis, quę rem perficit.

Ad argumenta pro parte negatiua, quatenus contra ſecundam aſſertionem procedunt, reſpondetur. Ad primũ, eos Autores nequaquam admittere vllam faſcinationem ſuperſtitioſam: nos verò admittimus, ratione, & autoritate ſapientum, ac experientia perſuaſi. Nec D. Baſilius hoc negat; ſed eã quam vulgus admittit, reijcit, ſicut & nos facimus. Ad tertiũ reſpond. faſcinatio à nobis acceptata, quædã ſpecies contagij eſt. Quapropter Medici illi veteres, agẽtes de morbis contagioſis, de faſcinatione egiſſe certum eſt: licèt non meminerint eius, ſub nomine faſcinationis.

C

Sed aduerſus nos Valleſius inſurgit. Id cõtagij quod per oculos ad res viſas tranſmittitur, nequaquã faſcinatio dicenda eſt. Nunquid manus ſcabioſa, aut membrũ putridũ, aërem inficiens, & præbens nocumẽtũ adſtantibus; faſcinare dicitur? aut oculi lippi alios lædentes, dicentur faſcinare? nequaquã: ſed contagio ſuo inficere. Reſpõd. vocabulis vtendum eſt cum pluribus: & nõ conſuetum eſt, ea contagia commemorata, faſcinationem vocare, ſed id quod per oculos tranſmittitur, nõ qualitercunq;, ſed humoribus putridis cõmotis, & ſpiritibus noxijs concitatis, mediante aliqua animæ paſD ſione, putà odio, inuidentia, & huiuſmodi, à qua nomen faſcinationis deſumptum eſt. Faſcinatio enim (vt initio dicebamus) inuidentiã ſonat: & faſcinare inuidere eſt. Hinc poteris diſcere definitionem faſcinationis naturalis. Eſt namque læſio ab oculis illata, ex inuidentia, aut aliqua vehementi paſſione exorta. Ad quartũ, & quintum, patet ex noſtris aſſertionibus: quas egregiè probant ea argumenta. Ex dictis infertur reſponſio ad dubitationem initio propoſitã: nam faſcinatio, quæ modo naturali perficitur, licèt ſit illicita, multiſque vijs: non tamẽ

Valleſius.

eſt

est superstitiosa, nisi ope dæmonum perpetretur, per solam,& præcisam visionem.

DISPVTATIO VII.

De observantijs à contactu desumptis.

PER solum contactum videmus tot mirabiles curationes morborum, ac vulnerum fieri, tot sanitatum beneficia impertita: vt meritò dubitari queat, an istæ curationes superstitiosæ sint, & ad dæmonis pacta significationum reducendæ? an vero ad causas naturales; & subinde licitæ censeantur?

Et videtur ad causas naturales esse reducendas: primò, quia experientia, & fide dignis narrationibus, compèrimus multo mirabiliores effectus,quàm quæcunque sanationes morborum,ac vulnerum,fieri per solum contactum brutorum quorundam, animantium, aut rerum sensus expertium: ergo id etiam reperietur in tactu hominũ, qui hac potentia excellunt animalia cũcta. Antecedens multiplici experimento probatur: nam vt fertur, Hienæ vmbra canes obmutescunt; serpentes quernis contactæ frondibus, moriuntur; viperæ arundine, vel fagina virgula percussæ, torpescunt; torpedo hamo icta, tenentis manum, imò & totum corpus torpefacit; pennæ Aquilarum cæteris commixtæ, eas absumunt; lupinæ chordæ cytharæ,si agninis iungantur, faciunt eas disilire. Secundò. Illustre exemplum sumitur ab experimento sæpe celebrato de Remora piscículo, sistente,& immobilem reddente nauim. Tertiò. Magnes solo attactu, ferrum ad se trahit. Quarto. Taurum furentem, si ficui alliges, mansuetus redditur: quòd si creditur Plinio, ficus collo circundata idem efficit. Quintò, quod mirabilius est: cadauer coram occisore, propter præcedentem contactum, dicitur sanguinem emittere.

Secundum argumentum principale sumitur ex varijs curationum generibus, quę sine vllo pharmaco, per solum contactum medicantium quotidie fieri videmus. Nam militum plurimi solo afflatu, osculo, aut nudi lintei appositione, vulnera sanant etiam atrocissima: quam vocant artem sancti Anselmi. Item quoddam hominũ genus (quod Hispani vocant saludadores, & Itali appellant sanctæ Catherinæ, eo quod dicantur habere scapulis impressam effigiem rotæ sanctæ Catherinæ) tactu dicunt omne virus expellere, maximè illud quod morsu canis rabidi, aut aliorum inducitur: & alij (qui dicuntur filij Paraseues apud Belgas, quia eo die nati sunt) multas prodigiosas curationes tactu solo efficere, omnes passim experiuntur. Tertiò, ratione arguitur. In herbis, lapidibus, & animantibus, reperitur virtus sanandi multas infirmitates, vt experientia,& Medici demonstrant: ergo in hominũ specie, omnes eas virtutes tanquam in microcosmo inueniri, haud incredibile est; ita quod in vno homine sit virtus talis lapidis; in alio talis planctæ, &c. Quartò. Quidam homines naturali constellatione, vel complexione sunt nociui, vt diximus agentes de fascinatione: ergo propter easdem causas, naturali constellatione, vel complexione, quidam erunt salutiferi, vel medicatiui.

Pro decisione dico primò. Nulla naturalis virtus inest hominibus sanandi graues morbos, aut vulnera, vel ferrum infixum extrahendi, solo contactu manus, aut oris osculo, vel quauis alia operatione tactiua. Probatur, quia illa virtus si naturaliter adesset, ortum haberet vel à forma, siue temperamento specifico naturæ humanæ, vel à constellatione indiuiduali eorum hominum, qui hac pollent facultate; aut verò à complexione indiuiduali: nil istorum verum est: ergo fictitia est talis virtus naturalis. Minor quoad primam partem clara est: etenim inde sequeretur, omnes homines, vt pote participantes omnia quæ ad speciẽ humanam pertinent, eam etiam virtutem participare: quod apertè falsum est. Quoad secundam partem probatur: aliàs omnes quotquot nati sunt eo tempore, quo natus est is, qui dicitur habere talem facultatem, ea potirentur: & propter alia multa, quæ adduxi circa consimilem positionem contra Astrologos, supra quæstione immediatè præcedenti, articulo quinto. Quoad tertiam, in qua plusculum difficultatis est, probatur: quia cùm complexiones indiuiduales suppositorum vnius speciei, radicentur in natura specifica eorum; non potest esse, intra latitudinẽ temperamẽti debiti speciei humanæ tanta disconuenientia, & antipathia, vt vnius indiuidui complexio superet,& excedat valde eas facultates,quæ cõsequuntur naturam specificã: siquidem accidentia propria imperfectiora multo sunt, quàm natura specifica. Nec vnius indiuidui

comple-

complexio, sat erit ad sanandum, & quasi à morte reuocandum quempiam; & alterius complexio ea virtute omninò careat: sicut etiam intra eamdem speciem, non potest esse tanta diuersitas & antipathia, vt vnius complexio tactu occidat, & alterius sanet: vt docui in simili agens de fascinatione. Confirmatur, quia si virtus illa naturalis esset, multo indigeret tempore vt sanaret, vt videmus in virtutibus pharmacorum: at salutatores isti, qui hac virtute dicuntur pollere, si sanant, subitò sanant: ergo non per naturalem virtutem. Secundò, quia si illa vis naturaliter inesset; in omnes æqualiter ageret, quos tãgeret: sanaretque etiam quos nollent sanare salutatores, neque opus esset vt operaretur, mediantibus ritibus, aut cæremonijs: quod tamen aliter fieri videmus. Consultò dixi in assertione, non adesse talem virtutem naturalem ad grauia & atrocia vulnera, seu morbos grauissimos sanandos per contactum: quia leuicula vulnera, aut morbi, fortasse tactu aliquorum beneuolo, poterũt mitigari aut sanari. Scio istos salutatores, & eorum defensores recurrere ad gratiam gratis datam, & ad donum curationis, eis supernaturaliter à Deo concessum. Contra quos

Dico secundò. Etsi gratia hæc sanitatum perficiendarum sit in Ecclesia; & ea quãdoque inueniatur in vsu apud quosdã, qui solo tactu sanarunt infirmos: tamen vt plurimum isti curatores ea non pollent: sed superstitiosè curationes has exercent, mediante ope dæmonum accurrentium, propter pacta eorum explicita, aut implicita.

1. Cor. 12. *Marci vlt.* Prima pars assertionis habetur ex D. Paulo 1. ad Corint. 12. secũda pars, Marci vltimo, & aliàs in Euangelio, & in legendis Sãctorum passim narratis, & experientia quotidiana docet. Tertia verò pars videtur esse

Nauarrus. contra Nauarrum, qui in manuali. c. 11. nu. 36. sic loquitur: *porro illi qui vulgò salutatores vocantur, quantumcunque aliàs sint perditissimi homines; licitè possunt suo munere perfungi: quoniam gratia illa gratis data huiusmodi hominibus, à solo Deo conceditur in vtilitatem aliorum*: & allegat margaritam confessorũ. Nos verò licèt doctrinam hanc non omninò reprobemus: tamen vt plurimum eos salutatores, vel ea gratia non pollere, vel ea abuti censemus. Primò, quia in hac curatione, modum quendam tangendi, numerum, & alias cæremonias, dicunt debere necessariò obseruari: quas extra rem curationis esse, superius ostendimus. Secundò dicunt, se multo vini potu indigere vt virtus hæc sanatiua fœlicem habeat successum. Quod de ea, siue naturalis sit, siue supernaturalis, nequit dici. Tertiò, panem à se morsũ, aiunt prodesse vulneratis à cane rabido, aut toxico infectis. Quod ridiculum videtur, cum virtus salutatorum, quæ à complexione eorum dicitur oriri, non appareat, quomodo tam facile migret in morsicula panis. Quartò aiunt, in præsentia alterius salutatoris, habentis maiorem vim salutandi, se sanare non posse. Quod ab omni ratione alienũ est; potius deberet vis illa, si naturalis esset, magis intendi: & si supernaturalis, sine inuidia, maior minorem adiuuare. Quintò, mentiuntur cum dicunt, naturaliter vnum salutatorem, ab alijs salutatoribus cognosci; licèt eum prius nunquam viderint. Sextò, quia iactitant, omnes veros salutatores habere impressa vestigia rotæ sanctæ Catherinæ. Quod si quibusdã accidat, vel mera impostura est imprimẽtium suis paruulis, punctoris acus, vel alio modo; aut à dæmone ijs stigmatibus inuruntur, sicut dicitur de lamijs, quæ à dæmone quibusdam notis sigillantur. Septimò falluntur quando dicunt, hanc vim competere septimo cuique eorum filio, si masculinum ordinẽ fœmineus partus non interruperit: res risu digna. Octauò, gloriantur sibi reuelari quæ procul in eorũ absentia gesta fuêre: vt ille qui Torquemadæ patrem à morsu canis rabidi sanauit. Rem narrat autor libri Horti florum, colloquio tertio. Vltimò iactant se tractare posse sine vstione carbones ignitos, & ardentem clibanum intrare. Quod naturaliter fieri non potest, nisi se præmuniant lotione, aut vnctione succorum frigidissimorum; quæ tamen non possunt nisi ad modicum ignis actiuitati resistere. Vnde & narratur aliquando accidisse, vt occluso clibani ostio, ipsis ignorantibus, magno edito vlulatu arsisse.

Ad argumenta in contrarium facta supereſt vt respondeamus. Ad primum, quod ex multis experimentis desumptum est, respondetur, eos effectus, & nullos alios reales, extra tangentem existentes, fieri per contactum præcisè, vt actio quædam immanens, & vitalis est, vt probauimus in simili, agentes de fascinatione per visionem. Quod si dicamus cum quibusdam, argumentum non procedere de contactu præcisè, vt actio immanens est; sed de virtute quadam physica, quæ

ſpiritus per arteriam ex corde promanantes, facit per poros tangentis erumpere, & ſe arterijs corporis tacti inſinuare; & eo efficacius penetrare, quo ſpiritus immiſsi fuerint vehementiori voluntate tangentis. Contra hos militant rationes primæ aſſertionis. Et ad primum argumentum, admiſſo antecedenti, negatur conſequentia: eo quod experimenta primæ coordinationis, procedunt ex quadam antipathia naturali, quæ reperiri poteſt inter res diuerſæ ſpeciei; non verò inter homines, qui eiuſdem ſpeciei ſunt. Illud verò quod de Remora adducitur, neſcio quam veritatem habeat: certè noſtris temporibus tale experimentum nõ capeſsiuimus. Sed eo admiſſo, non fauet ſalutatoribus, & alijs huiuſmodi; quia Remoræ omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, à qua poteſt ea relata virtus ſiſtendi nauim promanare. At virtus ſanãdi per contactũ, non ponitur adeſſe omnibus hominibus, ſed tantùm quibuſdam: quod eſſe impoſsibile naturaliter demonſtrauimus. Similiter reſpondetur ad experimentum ex contactu magnetis, & ex arbore ficu, cui alligatur taurus: licèt ego non auderem, cornua ſic alligati ferocientis tauri, ſæpè contrectare. Illud verò quod refertur de cadauere occiſi, fabuloſum puto: quod ſi aliquoties accidit; id caſu euenisſe, aut medio miniſterio dæmonum, volentium imbuere ſuperſtitione videntem, puto. Quod ſi adhuc nimis credulus es: reſpondeo cum Vincentio Belua

Beluacenſ. cenſi in ſpeculo naturali, c. 13. Vulnus infectum ſpiritibus interficientis, ex forti imaginatione odij, ad ſe trahit aërem infectum. At tranſeunte interfectore, ſanguis emanat; quia ad præſentiam interfectoris, aër incluſus in vulnere, cum illa mala qualitate; ſicut ab interfectore promanauit, ita ad eius præſentiam commouetur: ex qua commotione ſanguis erumpit. Alij ad cauſam ſuperiorem reducunt, quæ primo homicidæ dixit: *Genes. 4.* *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ad ſecundum reſpondetur, illam militum curationem ſuperſtitione plenam eſſe. Nam cùm naturalis non ſit vt liquet, neque ſupernaturalis eſt; quia dona ſupernaturalia non diſcuntur arte (vocant autem milites modum iſtum ſanandi, artem D. Anſelmi: cùm tamen inuentum fuerit magi Parnẽſis, Anſelmus vocati) neque ex voluntate hominum ab vno in alterum deriuatur; neq; ritibus ſuperfluis exercetur. Quæ omnia in iſta militari curatione inueniuntur. Accedit ad hęc, quod ſic à vulneribus, vel morbis ſanati; poſteà in dolores grauiſsimos, & ſæpè morbos ſeuiores reincidunt, vt refert Ananias li. 4. de *Ananias.* natura dæmonum: & vt plurimum ſanati, & ſanatores, infœlicem vitæ exitum ſortiuntur. Ad illud verò quod de ſalutatoribus dicitur; iam reſpondimus, plerumque impoſtores, & ſæpe Necromanticos eſſe. Per quod tamen non negamus fuiſſe, & modò exiſtere aliquos, ſed paucos, qui dono ſanitatum perficiendarum, ſupernaturaliter potiantur. Tale puto curationis donum, collatum Regibus Franciæ, vt ſolo tactu ſcrophulas ſanet. Nam ſi vis ea naturalis fuiſſet: non in ſolum Regem, omiſsis alijs fratribus ſuis, traduceretur, regni verò cõditio nil tale poteſt naturaliter largiri. Non tamen admittimus, vt quidam, natos in die Paraſceues habere donum à febribus ſanandi: cùm neque experimento, neq; ratione firma id fulciatur. Sic neque illud, quod quidam antiqui fabuloſe narrarunt de Pyrrho Rege, omnes morbos, digiti cuiuſdam contactu, ſanante. Ad tertium, quod eſt Pomponatij, negat. conſeq. quia herbæ, lapides, &c. quæ habent ſanãdi aliquot infirmitates vim, id ex tẽperamento debito ſuę naturæ ſpecificæ habẽt. Vnde fit vt omnis magnes trahat ferrũ, omne reubarbum purget cholerã. At homines omnes nõ habent virtutẽ contactu ſanandi; quia ea nõ proue nit ratione ſpecificę naturæ humanę. Quare non eſt par ratio in hominibus, & allatis in argumẽto. Id autẽ non conuenire herbis ratione indiuidualis tẽperamenti, iam probauimus. Itẽ licèt homo microcoſmos dicatur, quia corporeus eſt cum lapidibus, vegetatur cum plãctis, ſentit cũ brutis, intelligit cum Angelis; non tamen ob id dicitur habere omniũ rerum temperamẽta, & virtutes, quia hominis forma diuerſiſsima eſt à forma, v. g. magnetis, aut reubarbi: quare & temperamentum corporis humani diſcrepat valde à temperamẽto magnetis, aut reubarbi: nam alias longè diuerſas diſpoſitiones requiret forma hominis, quam plãctæ, aut lapidis: ergo neq; vis eadem naturalis conuenit, ratione temperamenti magnetis, aut reubarbi. Ad quartum reſpondetur primò, negando conſequentiam, non enim valet: nociua eſt qualitas hominis in hominem: ergo qualitas ſanatiua: cùm plura neceſſaria ſint ad ſanitatem, quàm ad ægritudinem, vt docet Ariſtot. in proble. *Ariſtot.* ſect. 7. imò in vniuerſum bonũ eſt ex integra cauſa: malũ ex quouis defectu. Secũdò reſpon-

reſpond. neg. anteced. Non enim naturali qualitate homo homini nociuus eſt, ſed extranaturali, vt ſupra docuimus.

Habemus ergo ex prædictis, hos ſalutatores, curatores, ac repentinos chirurgos, eſſe vt plurimũ vt homines ſuperſtitioſos, relegandos à iudicibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus. Quare quotquot hac facultate medendi morbis, aut vulneribus ſe iactitãt: ante quam permittantur ea vti, examinãdi eſſent, an naturalibus vtantur remedijs, an verò per gratiam gratis datam, an per pactũ cũ dæmone operẽtur. Quod ex dictis à me perſpiciendum erit: nec ſemper, & omnes reijciendi; quia fortaſsè ſunt quidam qui habent curationis gratiam gratis datam: nec omnes, ſed pauci admittendi, propter rationes dictas. Rude verò vulgus, quod hos ſæpè admittit, & eorum opera vtitur; cum communiter laboret ignorantia (niſi affectata, aut craſſa ſit) excuſandũ erit à peccato mortali. Non enim tam preſſe tenetur abijcere opinionem ferè totius populi, admittentis iſtorum curationes.

DISPVTATIO VIII.

An liceat vti obſeruantijs, quæ in locutione, & vocum prolatione conſiſtunt, vel ad ſanitatẽ inferendum, vel ægritudinem gignendum, vel quouis alio modo corpora immutandum?

NOta rei difficultas in eo ſita eſt: an vocibus aliqua vis inſit naturalis, vel diuina, ad immutanda corpora? nã ea poſita, nõ erit illicitũ talibus vocibus vti: ſin minus, verè illicitum erit. Et videtur vera pars affirmatiua ex ſacris Literis Pſ. 57. *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas: quæ non exaudiet vocem incantantiũ, & venefici incantantis ſapienter.* Vbi ſatis oſtenditur ſerpentis calliditas, obturantis aures ſuas, ne voce incantatoris cõpellatur: & quod inde ſequitur vis, & efficacia vocũ naturalis, quæ ſi nõ eſſet, nõ ſerpẽs ſe præmuniret naturali inſtinctu, ne à vocibus incantatoris cogeretur. Hierem. 8. *Ecce ego mittã vobis ſerpentes regulos, quibus nõ eſt incantatio*, id eſt, qui non ita facilè cedunt naturali efficaciæ incãtationũ, ſicut alij ſerpentes. Secũdò arguitur autoritate quàplurium Philoſophorum, & Medicorũ infra ſparſim citandorũ, qui id incunctanter aſſeuerant. Tertiò: ſæpè videmus, vocibus, & ſonis terribilibus auditis, quoſdam infirmari, & aliquando mori: & è cõtrà vocibus, & cantibus delinitos, ſanitatẽ recuperare. De Iſchiadicis refert Theophraſtus carminibus ſanari: & Cato, laxatis mẽbris carmen auxiliari. *Theophraſ. Cato.*

Nullum Magicarum obſeruationum genus, apud antiquos, & modernos Magos, frequentius quã incantationes, quæ in verbis cõſiſtunt: ſicut neque aliud operationis genus magis in promptu eſt quã locutio. Quapropter operæpretium exiſtimamus, bonitatem, aut malitiam prædictarũ obſeruantiarum indagare: relatis, quæ de hac re extiterint, ſententijs Autorum, qui in duas claſſes diuiſi, è regione pugnãt. Prima claſſis eſt eorum, qui nõ mediocrem efficaciã, & naturalẽ vocibus detulêre. Ex antiquioribus Plin. li. 28. c. 2. & quidam recentiores videntur ſequi. Picus in poſition. Magicis, Marſilius Ficin. libello de vita cœlitus cõparanda, Quint. Serenus lib. de re medica, Actius li. 8. c. 5. Octauia. in euporiſtis, Marcellus, & Trallianus paſsim, & alij multi ſuperſtitioſi. Qui omnes in partẽ affirmatiuã huius diſputationis cõuenerunt: ſed diuerſis principijs nituntur. Plinius, & Medici citati, farraginem experimentorum adducunt: quorum multa colligit Leonardus Vairus lib. 1. de faſcino, c. 5. Cabaliſtæ, & Arabes, ac recentiores Iudæi, harum incantationũ præcipui defenſores; vt ſuũ dogma defendant, adijciunt fundamenta ſanè delira. Primum, literis, & ſyllabis quandam eſſe cum cœleſtibus corporibus, & mentibus ſimphatiæ connexionem; probant ſuo, & aliorum Magorum teſtimonio. Secundum: eas voces naturã ſua eſſe maioris efficaciæ, quæ ſunt orta à lingua digniore, & à ſanctiori dignitate inſtitutas; & quæ res ſanctiores ſignificant: ita Ananias lib. 3. de natura dæmonum. Tertium: nomina propria, radios quoſdam eſſe rerum quas ſignificãt: à quibus vitam, & vim effectiuam effectuum mirabilium recipiunt. Loquuntur de vocibus linguæ Hebrææ: & aiunt, Deum, & Adamum ea impoſuiſſe ita adaptata, vt influxum à naturis ſignificatis reciperent. Hinc inferunt, voces ſignificatiuas, primariò per influxum cœleſtem ſignificari: ſecundariò, per hominum impoſitionẽ. Quartum: vim propoſitionum eſſe efficaciorem, quàm vocum ſimplicium: quia in propoſitionibus ſignificatur veritas, *Vairus. Ananias.*

cuius vis magna est, quando formula, seu carmen veritatis, ac operationis Astri, seu numinis, quod precatur, continet commemorationem. Secundò, quia qui propositionem pronuntiat, vehementius attendit, quàm qui vnum, aut alterum simplex verbum. Quare vis quoque vehementior imaginationis concurrit, & spiritus copiosior in rem incantatam transit.

Pro decisione sit prima assertio. Nullæ reperiuntur voces, quibus naturalis insit virtus, corpora extrinseca immutãdi, putà per morbum, aut sanitatem, aut quouis alio modo. Omittimus in præsentiarum voces sacramentales, & exorcismos Ecclesiæ, quas habere vim spiritualem ad quosdam mirabiles effectus docui cum D. Thom. suprà q. 90. artic. 2. & 3. tantùm loquor modo de virtute naturali, id est, consequente ad rerum naturas, ex suis naturalibus principijs. Probatur assertio autoritate omnium Patrum (excepto fortasis Origene lib. 5. & 1. contra Celsum) & D. Tho. & omniũ Theologorum, ac Medicorum sapientiorum, inter quos Hippocrates de sacro morbo, Galen. li. 6. & 10. simplic. medica. Frenelus de abditis rerum causis, & alij. Fauent etiam Philosophi melioris notæ, Plutarc. in vita Periclis, Theophr. li. 9. de hist. plantarũ, & alij recentiores. Deinde ratione probatur, quia voces pro formali, ad genus quãtitatis pertinẽt: at quantitas nõ est operatiua, vt ait Aristot. in prædicamentis: ergo nec voces operari quidquam possunt, circa immutationem exteriorum corporum, aut ęgritudines. Confirm. ad sanationem, vel ęgritudinem, necesse est sensum tactus immutari; sed vox, quæ nil aliud est quam sonus, ictu aëris verberati causatus, non valet in quantum vox est, magis tactum immutare, quã color auditum, vel dulcedo visum, quia nõ sunt sensuum istorum obiecta: ergo nulla naturalis vis inest vocibus ad sanitatem, aut ægritudinem inducendam. Quod si cõtingat quandoque aërem, ex quo vox conflatur, esse pestilentem, aut salutiferum, nõ id habet quatenus vox est, neq; quatenus materia vocis est, sed vt substantia, quæ est pestilenti, aut salutifera qualitate affecta. Secunda assertio. Ego ignoro verba, quæ vim effectiuam supernaturalem habeãt, ad immutanda corpora, siue ad ęgritudinẽ, siue ad sanitatem: nec credo esse, nisi fortè in lege scripta Num. 5. adiuratio, & maledictiones zelotypiæ, quæ faciebant vterum adulteræ intumescere. Probat. quia nõ reperio verba, quibus Deus hanc proprietatem inserit efficacitatem, nec Ecclesię vnquam hoc reuelauit; reuelasset vtiq; ad bonum Ecclesiæ suæ, si essent. Tertia assertio. Quando vocibus medijs, aliquot efficiũtur effectus corporum immutatiui, veluti sanitas, aut ægritudo; non est ea efficacitas tribuenda naturali virtuti verborum, aut supernaturali: sed dæmonibus ex pacto operantibus eos effectus, vel administratis pharmacis nobis ignotis, quæ eum affectum præstare valent. Ipsi enim sciunt, quas res, quibus polleant virtutibus; vbi locorum lateant; quibus cum rebus temperari, aut augeri debeant; quo tempore sint administrandę: & simul morborum essentias, & causas etiam sapientioribus Medicis occultas, & ijs adhibitis remedijs, morbos aliàs incurabiles sanare facile valent. Fateor, aliquando posse sanare per seipsos sine vllis medicamentis, per solum localem motum; putà spiritus, & humores vtiles, intra corpus mouendo, turbando, accendendo, & noxios in præcipuas corporis traducendo vias, & ductus corporis deludendo, ac partium structuram permutando, & sic continuò sanare possent sine pharmacis, sed per se ipsos; aut verò ægritudinem causare, licèt de sanitate beneficio dæmonum causata plurimum aduerterint, vel simulatam esse, vel ad tempus tantùm manentem; & postea miseros clientulos, varijs vijs plus faciunt torqueri.

Ex dictis facile erit colligere, omnes medicationes, incantationes, & quotquot obseruantiæ fiunt ad corpora immutanda siue ad ægritudinem, siue ad sanitatem, aut ad aliud quoduis, esse illicitas, & superstitiosas, pertinentes ad pacta implicita, aut explicita, cum dæmonibus fœderata. Patet, quia omnes voces carent facultate naturali, & supernaturali, ad hos effectus patrandos, vt probatum est: ergo si contingat, aliquot operari effectus maximè mirandos (contingit autem sæpè) dæmonibus adscribẽdi sunt. Et memẽto, in hac disputatione nos nõ egisse de vocibus sacris, aut orationibus, de quibus art. 4. seq. sed de ijs, quę ab incãtatoribus putantur vim naturalem habere.

Ad argum. in oppositũ respõd. ad primũ, serpentes naturali instinctu agnoscere, & experiẽtia aliquali, se cogi, aut immutari ab incantatore, verba incantatoria proferente: an autẽ id fiat virtute verborũ, vel aliunde, nõ agnoscunt: at re vera, à dæmone cogũtur, & immutantur. Ad Hieremiæ testimoniũ respond. dæmones suis clientulis persua-

D. Tho. Origen. Hippocrat. Galenus. Frenelus. Plutarc. Theophraſ. Ariſtot. Num. 5.

suadent, & decipiunt, quosdam serpentes esse difficilioris incantationis; sed mera impostura est versipelliū. Nullus enim serpēs valet corāviribus resistere, dicēte Iobo: *Nō est potestas super terram, quæ cōparetur ei.* *Iob. 41.*

Ad secundum, illis superstitiosis Philosophis, ac Medicis, opponimus ingentem classem Theologorum nimis peritorum, Medicorum, ac Philosophorū, qui nobiscum tenent. Rursus: illi futilibus fundamentis nituntur: nos rationibus è visceribus Philosophiæ erutis aduersus eos vtimur.

Ad tertium respondetur: verba non habere per se vim immutandi corpora, vel ad ægritudinem, vel ad sanitatem: sed qualitates, quæ per accidens vocibus aduenientes, ab imaginatiua, vel à parte intellectiua percipiuntur. Quibus immutatus animus; per redundantiam, & connexionem, & sensus externi immutantur. Et interdum tanta est immutatio, vt sanitas, ægritudo, aut quid simile causetur.

Sed insurget quis: ergo saltem concedere debemus: licet per se primò voces non immutent tactum, vt ægritudo, aut sanitas causetur; saltem per accidens, & secundariò immutabunt; sicut videmus fieri (inquit *Pomponat.* Pomponatius) ab oratoribus facultate Rhetoricæ, & à peritis musicis vi harmoniæ. Respondetur: Talis efficacia per accidens non stabilit positionem incantatorum: nam oratores non verbis nudis, sed copia, & sententiarum grauitate persuadent, & commouent animos audientium: at si nuda tantùm, vel non significantia, aut aliàs ridicula, aut parum composita, vt sunt incantatorum verba, nunquam animos concitarent. In musicis, ipsa suauitas, & armonia vocum distrahit animū à doloris cogitatione, & ad lætitiā prouocās, lenit, & cōtēperat humores: nil autem horū reperitur in sibilis, susurris, vocibus barbaris, & horridis Magorum.

Parī fermè modo respondeti potest quibusdam dicentibus, fidem, seu fiduciam, qua incantatores verba proferunt, mirabiles effectus producere. Vnde & eam exigunt ab incantatore, & incantato: imò & ab adstantibus. Est enim hisce superstitiosis commune proloquium: operare forti imaginatione; & videbis mirabilia. Quorum sententiam adiuuare possumus autoritate *Galenus.* Galeni in lib. de incantationibus (si tamen illius est) vbi ait, confidentia incantati sibi prodesse carmina, & eum valde iuuare ad sanitatem. Hinc (Mesnis dicebat) ille Medicus plures sanat, in quem plures confidunt. Respondetur. Iam supra agens de imaginatiuæ virtute docui, imaginationem adstantium, vel incantatoris, nil posse operari in ægroti corpus, vel animam: non tamen nego, quin ipsius ægri credulitas, confidentis se iuuari posse ab ea re, quę nullam vim habet iuuandi naturaliter, tam vehemens esse posset, vt humorum inducat alterationem, vnde sanitas quandoque subsequatur. Sed in tali casu sanitas non est attribuenda vocibus vt causis, sed vt occasioni cuidā, & per accidens, vt nuper explicabā.

Ad fundamenta Cabalistarum, & Arabum respondetur. Ad primum, non esse credendum eorum testimonio, maximè quia sine ratione, imò contra rationem loquuntur: & similiter ad secundum. Ad tertium verò, delirium putamus eam fictionem de irradiatione rerum ad nomina. Similiter certò pronuntiamus, nullum idioma etiam Hebręum, naturaliter significare, sed per hominum impositionem: & Adamus nomina quædam dicitur imposuisse, iuxta naturas rerum, vel per onomathopeiam, vel alia via, habito respectu ad rerum proprietates; non tamen per influxum cœlestem. Quare fabulosum censemus quod dicunt Rabbini de puero nulli idiomati assueto, quòd Hebraicè loqueretur: nequaquam, sed ipse sibi cōfingeret idioma. Mitto barbaram quorundam positionem, asserentium plus efficaciæ habere voces nō significatiuas, vt tradidit Picus citatus. Quartum fundamentum ex dictis suam prodit falsitatem. Etenim numen illud, quod dicunt vocibus esse comprecandum, dæmon est. Illud verò, quod additur de vehementia imaginationis, iam explosimus.

Explicatis præcipuis capitibus, vnde superstitiosi sumunt suas superstitiosas obseruantias ad immutāda corpora, operæpretiū duxi, aliquas alias adnotare, quarū frequēs vsus est apud superstitiosos quosdā homines. Et primò de obseruātijs Alchymistarū.

DISPVTATIO IX.

An liceat vti obseruationibus, quibus alchymistæ vtuntur in arte sua exercenda?

ALchymistæ omnibus notissimi sunt. Hi se iactitant, ex materia viliori aurum efficere, obseruatis quibusdam documentis, secundū artem chymicā, quā magnopere extollūt.

Et quidē ſi res exactè tractanda eſſet, inueſtigare prius oporteret, an poſsibile ſit per artem, præſidio rerum naturalium adiutam, verum aurum ex non auro produci? Dubitatio ſanè nimis contentioſè à Philoſophis tractata. De qua re tres reperio ſententias. Prima eſt omninò negatiua. Ita Abul. *Abulen.* Exod.7.q.10. AEgidius Romanus quodli. *Ægidius.* 3.q.8.&alij. Secunda affirmat, poſſe per artem chymicam fieri aurum verum, & multo perfectius, quàm id quod in viſceribus terræ generatur. Ita ſentiunt multi Iuriſperiti, Ioannes Andreas in additione ad *Ioa.Andr.* ſpeculum, titulo de crimine falſi, Panor- *Panormit.* mitanus cap.2. de ſortilegijs. ex Medicis *Ambianus* Fernelius Ambianus lib.2.de abditis rerum *Arnaldus.* cauſis, Aurelius Augurelus in poëmate de chriſopeia, Arnaldus de Villanoua, & alij innumeri. Tertia eſt D.Tho.in 2.d.7.q.3. *D.Thom.* art.1.ad ſecundum, poſſe quidem produci aurum per eam artem, pollēs externis qualitatibus auri, putà colore, duritie, & ſimilibus, ſed neutiquam verum quātum ad ſubſtantiam, & proprietates auri intrinſecas, putà lętificare cor, cōſeruare valetudinem, & ſimilia. Sed hanc dubitationem neque agitare, neque decidere eſt in animo: quia ad alia propero. Satis mihi fuerit, & deſeruiens præſenti inſtituto: ſit ne licitus, an illicitus huius artis vſus?

Dico primò. Omnes quotquot bona fide ea vtuntur, à crimine ſuperſtitionis excuſarem. Probatur, quia non eſt vſq; adeò certum, eam artem eſſe vanam: neque eſſe impoſsibile, vt mediantibus eius documētis, ex alia materia viliori aurum producatur. Ergo neque certum eſt, alchymiſtas vti medijs ad eos effectus, ad quos non ſe valent extendere; in quo conſiſtit ſuperſtitio, & inuocatio tacita dæmonum.

Secundò dico. Vſus iſtius artis multis vijs illicitus eſt, quia pernicioſus, dum ad commercia humana adaptat aurum non habēs eas proprietates, quas poſsidet quod in viſceribus terræ generatur. Nec licet eo vti in pharmacorum compoſitione, auri maſſam exigentium; propterea quod vires eas non habet ſalutares, quas verum aurum habet: imò quaſdam noxias, interdum contractas ab igne carbonario, & venenato hidargiro. *D.Thom.* De quo vide vtrumque Thom.2.2.q.77. ad primum. Eſt item illicitus ratione ſtultæ prodigalitatis, ea arte vtentium; qui ferè omnes ſuas facultates inſumpſerunt in experimentis iſtius artis: & poſtremò non aurum, ſed fumum acquiſierunt. Demum,

A vt benè aduertit Nicolaus Eymericus in *Nic.Eym.* directorio Inquiſitorum, par.3. vt plurimū Alchymiſtæ quando non poſſunt pertingere ad finem interitum, quærunt auxilium dæmonis, eum inuocant, & implorāt, & tacitè, vel expreſsè ei ſacrificant: vel ſaltem multas ſuperſtitioſas obſeruantias, & interdum ſacrilegas, admiſcent. Præcipui huius artis defenſores Arnoldus à Villanoua, *Arnaldus.* Raymundus Lullus, Geber Bachonus, *Raymund.* Ricardus Anglicus, valde ſuſpecti fuēre fa- *Lullus.* miliaritatis cum dæmonibus. Mitto Para- *Bachonus.* celſum, Agrippam, & Guillielmum Conſ- *Rica.Ang.* tantinum, & alios, qui fuerunt compre-
B henſi in hoc crimen incidiſſe.

Demum concludamus, adductis in medium grauiſsimis verbis Ioannis Vigeſimi ſecundi in Extrauaganti, libro quinto de crimine falſi: *Spondent* (inquit Pontifex) *quas non exhibent diuitias pauperes alchymiſtæ; pariter qui ſe ſapientes exiſtimant, in foueam incidunt, quam fecerunt. Nam haud dubiè huius artis alchymiæ alterutrum ſe profeſſores ludificant, cum ſuæ ignorantiæ conſcij, eos qui ſupra ipſos aliquid dixerint huiuſmodi, admirentur; quibus cum veritas quæſita non ſuppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt; ijdemque verbis diſ-*
C *ſimulant falſitatem; vt tandem quod non eſt in rerum natura, eſſe verum aurum, vel argentum, ſophiſtica tranſmutatione confingant. Eoque interdum eorum temeritas damnata, & damnanda progreditur, vt fidis metallis, cudant publicæ monetæ characteres fidis oculis, & non aliàs, alchymitum fornacis ignem, vulgum ignorantem eludant. Hæc igitur volentes perpetuis exulare temporibus, hac edictali conſtitutione ſancimus: vt quicumque huiuſmodi aurum, vel argentum fecerint, vel fieri ſequuto facto mandauerint, vel ad hoc ſcienter dum id fieret, facientibus miniſtrauerint, aut ſcien-*
D *ter, vel argento, vel auro vſi fuerint, vendendo, vel dando in ſolutum, verum tanti ponderis aurum, vel argentum, pœnæ nomine inferre cogantur, in publicum pauperibus erogandum, quantum alchymitum exiſtat, circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitimè conſtiterit deliquiſſe. Facientibus nihilominus aurum, vel argentum alchymitum, aut ipſo (vt præmittitur) ſcienter vtentibus, perpetuæ infamiæ nota reſperſis. Quod ſi ad præfatam pœnam pecuniariam exoluendam, delinquentium ipſorum facultates non ſufficiant: poterit diſcreti moderatio iudicis pœnam hanc in*

aliam

aliam (putà carceris, vel alteram, iuxta qualitatem negotij, personarum differentiam; aliasq; attendendo circunstantias) commutare, illos verò, &c.

Sed huius Extrauagantis verba videntur labefactare nostrum primum assertum: primò, quia reputant impossibile, per artem alchymiæ verum aurum produci: secundò, quia absolutè damnant omnem alchymiæ vsum. Respondent quidam, eam Extrauagantem non fuisse vsu receptam, & per non vsum abolitam. Colligunt, quia multo post editam constitutionem à Ioanne XXII. viguit in Curia Romana vsus alchymiæ, videntibus, & tacentibus Summis Pontificibus; imò fortassè approbantibus. Nam Aurelius Augurelus poema suū in commēdationem chrisopeiæ, Leoni X. dicauit: & eiusdem tempore, celebris per totam Italiam peruagauit quidam liber de auro conficiendo, Ioanni Pico Mirandulano attributus. Secundò respondetur, Ioānem in procœmio Extrauagantis, in sententiam negatiuam de efficacitate artis alchymicæ declinasse, & postea in progressū functionis, ea opinione suppositā, omne aurum, vel alchymicū, vt falsum reprobasse; & præcipuè prohibuisse in ordine ad cōmercia humana: & nos etiam damnamus, quia rarò, aut nunquam aurum verum, per alchymiā effectum putamus. At verò prefatus Ioannes nil de possibilitate artis, aut impossibilitate diffiniuit. Et ideò si aliquādo verum aurum efficeretur, non damnaretur eius vsus, sed abusus semper damnatur, propter antedicta inconuenientia.

DISPVTATIO X.

An superstitiosæ sint, vel alias illicitæ aliquot obseruationes, quibus malefici solent vti, ad immutanda corpora à sanitate ad ægritudines, vel alia mala?

IT videtur non esse superstitionis vitio notandas. Primò, quia sæpè vtuntur ad hos effectus rebus naturalem vim venenosam habentibus, ad inferendos cruciatus, morbos, & aliquando neces: sed vti rebus habētibus virtutes naturales ad suos proprios & genuinos effectus, nō pertinet ad superstitionem, vt expressè docetur à D. Tho. in prima cōclusione huius articuli: ergo præfatæ obseruationes non sunt superstitiosæ. Confirm. Si homines alias non diti magiæ, siue vllo pacto, aut ope dæmonum, sed odio, aut inuidia instigati, res aliquas venenosas suis inimicis propinarent, non incurrerent crimen superstitionis, sed odij, aut homicidij: ergo idē dicēdū est de maleficis.

Illæ obseruationes, & actiones ordinatæ ad inferenda mala corporibus, siue illa sint ægritudines, aut mutilationes, aut cuiusuis generis morbi, in vtroq; iure famosa nuncupatione, vocantur maleficia: illæ præcipuè, quæ ope, aut interuentu dæmonum fiunt. Vnde & in eodem vtroque iure extant multi tituli de huiusmodi maleficijs, propter iniquum, aut crebrum vsum eorū. Et ideò nos vtile censemus, de istis maleficijs aliquāto fusius disserere: tùm vt technas dæmonum, & maleficorum pandamus: tùm vt grauitatem istorum criminū (quod præsenti articulo proprium est) manifestemus. Et primò

De maleficio lethali, seu morbifero.

MAleficium lethale, seu morbiferū, est dictum, vel factum, ad inferendam mortem alicui, vel aliquid ad mortem disponens: quod præcipue, & strictè maleficiū dicitur, si adiutoriū, aut inuocatio dæmonis interueniat. Hoc maleficiū triplex est: vnū quod in se virtutē naturalē continet mortē inferendi, aut quoduis aliud malū ad mortē disponens: sed tamē vt minimū docēte dæmone. Nisi enim interueniat dæmonis opera, saltē antecedenter docendo, non erit maleficiū: vt superius insinuabam. Huiusmodi sunt venena, aut venenosæ mixturæ, quas malefici propinant maleficiandis. Alterum est, quod nullam naturalem virtutem nocendi habet: sed eo posito, accurrit dæmon, vt per se ipsum mortem, aut alia damna inferat. Quod nullum concursum physicum habet ad ea ingerenda damna: sed est merum signum, quo posito, mediante pacto explicito, aut implicito, dæmon præsto est, vt morē gerat malefico sibi deuoto. Huiusmodi maleficium est quod constat solis verbis, aut rebus expertibus virtutis ad noxia ingerenda. Tertium maleficium mixtæ qualitatis est, videlicet quando in se continet aliqualem virtutem inducendi mortem, aut morbum à malefico intentum. Ea tamē vis nō est sufficiēs ad eū effectū peragendū; & ideò dæmonis opera indiget, & adiuuatur.

Hæc omnia inferius exẽplis illuſtrabũtur.

Hoc poſito dico. Duplicem agnoſco modum, quo maleficia præfata, maleficiandis applicari ſolent. Primus eſt per intus ſuſceptionem: ſecundus per extrapoſitionem. Rurſus, modus applicandi per intus ſuſceptionem, bifariam contingit. Vno modo quando venena dantur à maleficis in cibo, aut potu, vt plurimum eis mixta per puluerizationem. Secundo modo, per inhalationem, qui eſt omnium peſtilentiſſimus. Nec enim maligna venen orũ qualitas, humoris, vel craſsioris materiæ vehiculo indiget: ſed ipſa tenuitate ſua, aut aëris ore attracta, citò ad cor penetrat. Et iſto modo malefici interdum afflando, vel grauiſſimè inficiunt, vel necant. Exemplum nobis ſuppeditat doctiſsimus Sprengerus in par. 2. mallei, q. 1. c. 11. In diœceſi Cõſtantienſi, ait, maleficam dum à lictore ſtrui lignorum ſibi pro incendio paratæ imponeretur, dixiſſe: en tibi à me mercedem. Et ſic inſufflando in eius vultum, horrenda lepra cooperuit: qua paucos poſt dies vitam finiuit. Item in eadem diœceſi, mulierẽ quãdam cum vicina litigaſſe: ac mox cũ prope crepuſculum ante oſtium domus aliquid ageret; ventum quendam calidum, à domo alterius mulieris ex oppoſito habitantis, in faciem ei inſufflaſſe: vnde & ſubitò lepram contraxerit. Hæc quidam referunt ad anhelitus virulentiam. Sed credo non poſſe eſſe tantam vnius hominis ad alterum antipatiam, ex naturali qualitate ortã. Quod ſi extranaturalis eſſet; noceret etiam inſufflanti, & multo plus: vtpotè habenti eam in inteſtinis. Item, quomodo poterat ab vna domo, in alteram penetrare tam citò? Exiſtimo ad dæmonis operationem eſſe referenda, afflante Magò, & putante ſe lepram inducere: ſed falsò, quia dæmon inferebat. Quare maleficia illa per halitum, puto ad tertium maleficij genus pertinere.

Secundum modum applicandi venefficia per extrapoſitionem, trifariam poſſe contingere meditatus ſum: vno modo per contactum realem, & immediatum veneni, ad carnem maleficiandi: qui licèt fiat aliquando puluerib⁹ effricatis; frequentius tamen per inunctionem: quando malefici, quem malo afficere volunt, dormientem, ſuis liquoribus, aquis, oleis, aut pinguedine, ſiue alijs ſimilibus vnctionibus, plura, & diuerſa venena continentibus, inungunt quãdoque femora, quandoque ventrem, aut caput, guttur, pectus, ſeu aliam partem corporis maleficiandæ perſonæ, quæ ſic dormiens nil ſentit. Eſtq; tanta vis, & potentia illius vnctionis: quod paulatim, durante calore ipſius dormiẽtis, ingreditur intus carnes, & vadit ad penetralia cordis maleficiati. Vnde paulò poſt, cauſantur ingentes cruciatus, & dolores; cùm primum ſcilicet, maleficium, vel factura (vt dicunt) tangit inteſtina maleficiati: & illinc ſuccedunt maximi vllulatus, & lamentationes tam crebræ. Hunc modum maleficiandi reperiri poſſe, mediantibus rebus habentibus naturalem virtutem intoxicandi, aut grauia mala inferendi (quarum multæ reperiuntur in natura) nullus inficiabitur. Credo tamen hæc venena, & eorum compoſitiones, diabolos docuiſſe: & à maleficis in maleficos traductam fuiſſe doctrinam. Probe Grilland. vbi ſup. q. 3. n. 27. ait, hęc veneficia fieri per cõpoſitiones, & mixturas multiformium venenorum, quædam ex herbarum ſolijs, feſtucis, aut radicibus, animalibus, piſcibus, aut reptilibus venenoſis, lapidibus, & metallis; & interdum in puluere⁹, interdum in liquida, ſeu vnguenta reducuntur. Secundo modo poteſt fieri iſta extrapoſitio veneni nõ immediatè ad carnem maleficiãdi, ſed mediatè. Dubitari autem poterat, an ijs venenis extra poſitis, quę carnem immediatè nõ contingunt, inſit naturalis vis inferẽdi necem, aut morbos eam citò inducentes? Multi affirmant: inter quos Iubertus Medicus Aquitanus, aſſerens eſſe quoddã venenum adeò efficax, vt ſi ipſo ſtapedes inungãtur, equitem eodem perire neceſſe ſit. Alij vim veneni agnoſcunt: ſed ocreis, caligis, & alijs inuolucris penetratis; à pedibus ad cor vſque, tam citò peruenire vix credunt. Neq; ego quidẽ, ſed exiſtimo, hoc ad tertij generis maleficiũ pertinere. Quod licèt aliqualẽ virtutẽ nocendi habeat, nõ tamẽ tantã, ac tã efficacem, vt tot interpoſita impedimenta cito motu penetret: quare dæmonũ opera intercedere cenſeo. Tertio modo fit applicatio maleficij omninò extrinſecè: v. g. quãdo ſolis verbis fiunt, in quibus certũ eſt mala induci à ſolo dęmone, ex pacto, cõ currẽte ad ſignum ſtatutum. Idẽ dico quãdo ſortilegia ſub certa quadã forma cõpoſita, pallio, aut tunicæ aſſuunt, vel in lecto abſcondũt ipſius maleficiãdi, ſeu in aliquo loco ſubterraneo, ſcrobe facta, aut ſub limine oſtij, ſuper quo maleficiandus ſit tranſiturus, & alia huiuſmodi. Et iſtum modum maleficiandi, puto eſſe frequẽtiorem: quia facilior eſt maleficis, vtpotè qui paratiora,

& cum

Sprenger. *Grilland.* *Iubertus.*

& cum minori labore, ea maleficia compingunt. Dæmones autem vt Magos in ſua cæcitate detineant, malunt per ſe ipſos neces aut morbos inferre (negotium illis facile) quàm ſuos deuotos aggrauare inquiſitione venenorum ſelectorum, & eorum artificioſa compoſitione: ne labore, & cura preſſos, à maleficiando deterreantur. Itaq; aliqua ad primum genus maleficij, plura ad tertium; multo plura ad ſecundum pertinent. Cuius euentus non paucos, recentes, & antiquos, nobis autores fidedigni narrãt. Noſtrorum temporum maleficas quaſdam dicitur magna cura exquirere reſidua eorum, quos inficere volũt, vt vnguium præſegmina, capillos, & alia huiuſmodi. Alias exhumare mortuos, & vti eorum vel veſtitu, vel carnibus, vel pinguedine, vel oſſibus. Alias à ſuſpendioſis mutuari nonnulla, maxime ab his qui deſperatione inducti ſe interemerunt. Et ex ijs & alijs, quæ à diabolo edocentur, componunt ſua maleficia, quæ etiam fuerunt in vſu apud antiquos maleficos, vt licet colligere ex Poëtis, maxime ex Lucano, lib. 6. Pharſal. vbi erudito carmine ferè omnia, quæ enumerauimus, ipſe recenſet, & plura. *Lucanus.*

Apud antiquos etiam, & modernos maleficos, fuêre in vſu imaginum quaſdam fabricationes: quas vel acubus pungunt, vel igne liquant, aut cõfingunt. Et ſic certum, his, quos tales imagines deſignabãt, necẽ tabe, vel alio mortis genere adferre, & ad minus morbos graues. Meminerunt harum imaginum multi Iuriſconſulti, Grillandus, quæſt. 5. Accurſius, Salicetus Angl. in lege *multi*. C. de maleficis: & Theologi, videlicet Inquiſitores Germaniæ in parte prima mallei q. 2. Caſtro lib. 1. de iuſta hęreticorũ punitione. Et Hector Boetus narrat vnũ mirabile, ait enim: *Cum Chenitus Rex Cruthlintũ Fenellæ filiũ occidiſſet, tùm etiam Malcolmũ Duffum Regẽ, & affinem Fenellæ: illi ſtatuam mira arte fabricari iuſſit (dæmonum opificio) in cuius manu pomum aureum gemmis nobilioribus refertum erat. Quam cum quiſpiam tetigiſſet, ſtatim multis iaculis confoſſus, interitum ſibi accerſeret. Eo igitur dolo, Regem nil ſuſpicantem, inuitatum occidit. Cumque paratis equis ad portum primum, inde in Hyberniam ſe tranſtulit, euaſitq;.* Hæc Boëtus, lib. 11. rerum Scoticarum. Ad has imagines fit alluſio apud Ouidium Epiſtola Hipſipelles, de Medea canentem. *Grillandus. Accurſius. Salicetus. Caſtro. Hector.*

Deuouet abſentes, ſimulacraq; cerea fingit;
Et miſerum tenues in iecur vrget acus.

Multa de ijs imaginibus apud autores reperies, & fama eſt, apud ſagas noſtri temporis frequenter eſſe in vſu, vel ad neces inferendas, aut morbos grauiſsimos. De quadam imagine cerea ad morbum inferẽdum narrat Sprengerus parte prima mallei quæſt. 1. cap. 12. per eam abſconſam ſuper oſtij limen, quandam fœminam ingentem infirmitatem contraxiſſe. Imago cerea erat in longitudine vnius palmi, vndique perforata, habens duos acus ex aduerſo per latera: ad modum quo fœmina maleficiata, punctiones viſcerum, & torſiones, quaſi duo gladij eſſent pectori infixi, ſentiebat. Inuenta imaguncula, extractæ ſunt acus, & peciæ panniculorum diuerſæ, plurima grana, ac ſemina, & oſſa continentes, ſunt igni traditæ cum contentis in eis, & fœmina conualuit. In volucris etiam ſolis ſine imaginibus, maleficia fiunt. De quibus latè Sprengerus ibidem. Circa quæ aduertendum, nullam huiuſmodi maleficij naturalem vim maleficiandi ineſſe, nilque ad neces, & morbos inferendos, maleficos operari, ſed dæmones eos effectus perficiunt. Iſtæ verò facturæ in volucra aut imagines, dumtaxat ſigna ſunt pacti, & conuentus inter dæmonem, & Magum: quibus effectis, dæmon accurrit, & ipſe per ſe ipſum, mortes aut vulnera, ſeu morbos incutit, fingens Magos per eas facturas (quas vocant effectus) perficere, vt eos, & rudem plebẽ decipiat. Et hæc ſatis ſuperque dicta ſint de maleficio lethali, cui etiam morbiferum adiunximus. *Sprengerus*

Cum autem ſapientibus non ſat ſit ſcire effectus, ſed maximè cupiant, modum cõficiendorum effectuum clarè & radicitus intueri: libet paucula de hac re dicere, monentes lectorem, recolere ea quæ de poteſtate dæmonum dixi ſupra, diſputatione 3. præambula. Et quidem, quomodo per maleficia venenaria, habentia naturalem virtutem, efficacem ad neces, & morbos inferendos, ea mala inferantur, res perſpicua eſt: cùm ea venena, ſiue porrigantur à malefico, ſiue non conſimilem effectum habere neceſſe ſit. Quando autem maleficia, talem venenariam virtutem non habent: non deſunt qui affirmãt, dæmones per ſe ipſos, nullos poſſe generare morbos (nam de poteſtate neces, & vulnera inferendi, non vertitur in dubium) quos conuincere erroris, non erit difficile ex multis ſacræ Scripturæ teſtimonijs, præcipuè Iob 2. quem diabolus percuſsit vlcere peſsimo. Viden- *Iob. 2.*

Hierony. dus eſt Hieronymus in 4. caput Matthæi.
Chryſoſt. Chryſoſtomus homil. 54. in cap. 12. & D.
D. Thom. Thom. 1. parte quæſt. 115. art. 5. maximè in ſolutionibus argumentorum. Et experientia nos docuit, quam plurimas illatas fuiſſe infirmitates à dæmonibus per ſe ipſos, ſine applicatione venenorum naturalium. Modus autem traditur à Franciſco Valleſio Medico peritiſsimo Complutenſi, lib. de ſacra Philoſophia cap. 28. vbi ſupponit, dæmones eſſe cauſas extrinſecas, eo quod extrinſecus adueniunt, morbos illaturi. Et ſubdit, ſi morbi ex materia pendeant; mouent internas cauſas. Sic melancholicos morbos excitant: nam principio bilem atram, quæ corpori inerat, commouent: & fuligines in cerebrum, & internorum ſenſuum cellulas propellunt: deinde adaugent bilem atram, admotis cauſis exurentibus: vel detento iſto humore, ne expurgetur, epilepſiam, paralyſim, & ſimiles noxas inferunt, per ſucci craſsioris delationem, obturato ventriculo cerebri, vel obſtructis radicibus neruorum: cæcitatis vel ſurditatis cauſæ ſunt noxia excrementa, ad aures vel oculos ea coaceruando. Interdum etiam poſſunt hæc per ſe ſine ipſa materia, ſiue interna cauſa præſtare, ſi impediant vel lædant ſenſationes, & ſpiritus animales, vel detineant, vel ſubtrahant: & alijs multis modis, quos præ ingenij ſubtilitate, & experientia nouerunt. Et hæc omnia per motum localem operãtur, in quo potentiſsimi ſunt. Et eodem motus genere procedunt vt plurimum, quando morbi ab internis cauſis non pendent: v.g.
Valleſi.
Nicolaus. in eo euentu, quem narrat Nicolaus Remigius, lib. 2. demonolatria, cap. 4. de quadam malefica, quę irata, pomum coctũ manui alterius ſic fecit conglutinari, vt & acerbiſsimum inferret cruciatum: & nulla arte poſſet diſſolui, vel deglutinari. Hæc vera eſſe reor loquẽdo de morbis in generali: immiſit tamen, & immittit dæmõ quoſdam adeò monſtruoſos morbos, vt vix credi queat neque opera diaboli inferri poſſe.

A fide dignis accepimus, maleficos quibuſdam ſic adeò incommodaſſe, vt poſt longos, & duros cruciatus, per os, & alias partes obſtruſiores, & anguſtiores, maleficiati eijcerent ſpinas, oſſa, ligna, ſaxa, fruſta vitrorum, acus, cultros, & alia ferramenta, glomos pillorum, pannos, ſetas cornu lucernæ, & huiuſmodi, quæ vel comeſtione vel aliter, in corpus immitti videtur impoſsibile. Hiſtorias ac prodigioſos euentus narrant Hiſtoriographi, à quibus ſuperſedeo: tùm quia lõgior eſt narratio: tùm quia credo dicentibus. Si quis vacat, legat Sprengerum parte 2. mallei, quæſt. 1. cap. 13. Cornelium Gemmam poſt calcem li. 2. coſmo. & caſum admiratione plenum, apud Gaufridum in vita ſancti Petri Tarantaſij. Sunt & alij multi Hiſtoriographi, qui multa de hac re ſcripſêre. Euentus credimus, cauſam & modum inueſtigemus. Et quidem multa ex nominatis, quæ per os vel alias partes, maleficiati eiecerunt, potuiſſe naturaliter gigni ex infectis intraneis humoribus, ſit mihi veroſimile: v.g. tophi, lapilli, capilli, oſcilla, conchilia, ſpinæ, glomi pillorum. Ita Medici antiqui, & moderni, Galenus, lib. 2. ad Glaucum, Celſus lib. 5. cap. 6. Actius, lib. 16. cap. 100. & alij. Et eadem multo facilius potuiſſe dæmonem, mediãte miniſterio maleficiorum, procreare in corporis ſinibus, & locis internis, certius eſt. Sed ſi ſit ſermo de acubus, cultris, forcipibus, & metallis: in corpore humano naturaliter generari poſſe ex quãtauis putrefactione, impoſsibile exiſtimo. Quia calor naturalis, non videtur metalla ibi gignere poſſe, niſi longo annorum ſpatio: & multo minus repentino, ad certam diſpoſitionem artificioſam, videntur tam varij humores conuenire poſſe. Quare horum omnium formatio, ingeſtio, & egeſtio, ad dæmones operãtes, mediantibus maleficijs, neceſſariò referenda ſunt.

Sprenger. *Cornelius.* *Gaufridus.* *Galenus.* *Celſus.* *Ætius.*

Primò poſſunt ſic ſenſibus illudere, vt quis putet iſta in corpus ingeri vel corpore egeri; cùm tamen re vera dumtaxat dæmõ, cultros veros, & huiuſmodi reliquam (quæ euomitur) artificioſam materiã, quæ in ægri corpore nunquã fuerat, vel etiam ipſos humores qui eijciũtur, faciat apparere. Secundò poſſunt, citra vllam fictionẽ, præfatæ res per dæmonem in os occultè ingeri, vnde mox eijciantur: poſſunt etiam alijs corporeis partibus inſeri, & includi. Nec abnuũt Medici, & chirurgi peritiſsimi; qui tales res teſtantur ex corporibus excerni, aut exſecari: & eos manibus ſuis contrectaſſe. Ita Trallianus lib. 4. cap. 6. Beneuent. de abdit. morb. & ſanat. cauſis, ca. 24. & 80. Benè hæc dicuntur: ſed intelligere modum quo præfatæ res ingerantur, & egerantur; hîc labor hoc opus: iudicio tamen meo, & aliorum, multiplex modus deſignari poteſt. Primus quem ſequuntur multi, inter quos Nicolaus Remigius, lib. 3. de monolatria, cap. 8. & Paracelſus lib. de occultis Philoſophiæ, aiunt à dæmone poros corporis extendi, per eos dein-

Trallian. *Remigius.* *Paracelſ.*

deinde duriora hæc & maiora inſeri, & po A bis ſint incognita pharmaca, iis conſolidā-
ros rurſus cōcludi, quorū apertione itera- dis, & reuniendis idonea; dæmoni tamen
ta, demū quādo dæmoni videbitur intruſſa ſunt notiſsima. Præterea, quamuis ſponte
expellantur. Explicant exemplo fulminis, ſua non dilatentur niſi ad naturales ſuos ef-
quod ſine læſione vaginæ, poros penetrat, fectus: per violentiam tamen extra conſue-
ac enſem chalybeū liquat. Item iactus lapis tum ordinem dilatari, & comprimi non
ſub aqua recōditur, & ſtatim nō apparet via, eſt impoſsibile. Cuius rei duas hiſtorias ad *Ambroſius Pareus.*
per quam lapis in aqua penetrauit. Hic mo fidem faciēdam attulit Ambroſius Pareus,
dus diſplicet, quia ſi ſupponit, corporum lib. 2. Chirurg. cap. 17. Prior eſt de ſtudio-
penetrationem eſſe naturalem, improbabi- ſo quodam, qui cum ſpicam germinis de-
lis eſt eorū poſitio. Sin verò dicant, corpo- glutiſſet, eaque in pulmonem per opercu-
reas dimenſiones non penetrari; ſed id fie- lum gutturis deſcendiſſet: natura, illā tranſ-
ri per pororum dilatationē: ea incredibilis uerſis pulmonum lobis integris, etiam co-
eſt, quia pori illi anguſtiſsimi cum ſint, ſine ſtarum muſculis, & quæ ſuccingit eas mem
magna læſione diſtrahi eſt impoſsibile. Si- brana incolumi, integram expulit. Poſte-
milia autem adducta, diſsimillima ſunt his, B tior eſt de opilatione, qui ſemipedalem cul
de quibus tractamus. Nam fulmen eſt res tellum, cui corneum erat manubriū craſsi-
quædam ſubtiliſsima, & tenuiſsima, hanc tudinis polycaris, in fauces à prædonibus a-
habens naturalem vim, vt duriora atque re- perto ore adactum, per aliquot menſes in
ſiſtentia conſumat, mollia verò & cædere corpore retinuit: & tandem nata in inguine
facilia, dimittat. Ita Seneca, lib. 3. natura- vomica; inde chirurgus extraxit. At citra
Seneca. lium quæſt. & Iſidorus. lib. 13. Etymolo- dubiū neceſſe fuit, per anguſtiſsimos mea-
Iſidorus. giarum. At ferrum, ligna, lapides, & ſimilia, tus, à faucibus in inguinem cultrum perue- *Remigius*
res ſunt ſpiſſæ, duræ, & minimè aptæ ſic ſe nire. Nicolaus Remigius tertium euentum
per poros immittere. Aqua corpus eſt li- ſimilem narrat de Morione, qui apud Ar-
quidum, humidum, tenue, fluitans, cuius moricos mucronem gladij tres digitos lon-
rei ſolidæ loco cedens, & impulſu rerum, gum, per os in fauces adactum; duodecimo
quæ injiciuntur, hinc inde eis aperiens viā, poſt die, per anum egeſsit. Certè culter iſte
& ijs ſublatis vi ſua ſtatim reuniri, ac proin- per plures ſinus inteſtinorum ſubtiliſsimo-
de ſicut ſine partium ſeparatione conden- rum, & per illud quod vocatur à re ipſa, in-
ſatur, ſic ſine earundem noua mutatione ra C teſtinum tenue, fuit deuolutus. Si natura id
refit, atque extenditur, quæ quàm ſint ab potuit, & caſus; cur ex propoſito id non
humani corporis membris aliena, quis ig- valebit, ſubtiliſsimus, & antiquus hoſtis?
noret? Tertius modus eſt Sylueſtri verbo *male-* *Syluester.*
Binsfeld. Secundus modus qui placuit Binsfeldio *ficium*, quæſt. 5. videlicet, dæmonem polle-
in lib. 4. Cod. de maleficis, quæſt. 7. concl. re arte, ac peritia res ſolidas diuidendi, &
6. iſte eſt, vt dæmon ſomnio conſopiat ho- comminuendi in partes minutiſsimas, etiā
minē, & ſenſum doloris auferat: tùm dein- inſtar pulueris, & eas iterum vniēdi, appli-
de dextrè incidat membrum, & materiam catis (ſicubi opus eſt) naturalibus actiuis;
illam duram imponat. Denique eadem idque tam ſubtiliter, & ſubitò, vt viden-
dexteritate vulnus adeò conſolidet: vt nul- tium oculi nequeant, ob nimiam motus ce-
la cicatrix, vel eius veſtigium relinquat, leritatem, quidquam horum aduertere:
quod periti chirurgi aliquando faciunt. Di- ideòque putent adſtātes, ea integra immit-
cet quis: eſtò dæmon hęc poſſet efficere in ti, & emitti. Iſte modus dicendi mihi magis
partibus carnoſis, & facile dilatabilibus, & D placet. Quod ſi quiſpiam alium probabi-
promptæ conſolidationis, non tamen id po liorem meditatus fuerit; libenter auſculta-
terit in alijs, quibus illa facilitas non eſt bor, & probabo.
propria: v.g. in orificio ſtomachi, gutture, Demum propter aliquos dubitātes, diſ-
inteſtinis, arterijs, & huiuſmodi, quæ an- cutiendum eſt, quomodo malefici vtentes
guſta valde ſunt, nec dilatantur niſi ad fun- venenoſis maleficijs, lædant quoſdam, qui-
ctiones ſuas naturales, & non tam ampla bus noceri intendunt; alijs non læſis: quam-
dilatatione: vel etiam ſi ſectione diuiſa fue- uis venena omnes adſtantes contingant.
rint, non poſſunt reuniri. Reſpondetur: fa- Etenim ea venena per contactum nocent:
teor in enumeratis rebus, difficiliorem eſſe ergo omnibus, quotquot tangunt, nocent,
hanc partium apertionem, & ſolidationem, neque intentio malefici valebit efficere, vt
abſolutè tamē poſsibilem. Licèt enim no- ij inficiantur, & alij illæſi euadant. Augetur

dubi-

dubitatio in ijs maleficijs, quæ per inhalationem noxia ſunt. Nam ſi nocet halitus maleſici alijs; quomodo nõ ſibi? Dices: quia eſt naturalis halitus venenoſus quibuſdam, alijs verò adſtantibus lethalis, aut peſtifer. Cõtrà: nã nulla qualitas naturalis poteſt eſſe mortifera, aut morbifere ſpeciei. Quod ſi dicas, nõ eſſe naturalẽ, erit etiã noxia ſubiecto in quo eſt. Mittamus modò puellã Napello nutritã, miſſamq́; dono Regi Alexandro: quã Ariſtoteles nouit Regi exitiũ allaturam, ſi ei aſſueſceret. Prætera: quia noſtra difficultas procedit de veneficis, quæ in ore geſtantes venenũ halitu ſuo inficiunt quos inſufflãt. Reſpõdetur: ſi venena applicẽtur à dæmonibus per ſe ipſos, perſpicuus eſt modus inficiẽdi, quos maleſica vult eſſe inficiendos, & nõ alios, quibus nocere non deſiderat, videlicet quia illis dæmones applicant venena, & nõ his. Totũ igitur difficultatis põdus in id inclinat, quãdo ſcilicet maleficia venenoſa multos contingunt, & noxia ſunt ijs, quibus maleficus nocere deſiderat, & nõ alijs. Dico igitur, opera, & arte diaboli id fieri vno ex duobus modis. Primus: quia dæmõ venenoſos ſpiritus, aut qualitates peſtiferas, medio aëre per anguſtum tramitem defert vſq; ad eum, quẽ maleficus inficere aut occidere vult. Ita feciſſe credo, in eo exẽplo quod nuper retulimus de maleſica, quæ vento vrenti lepra infecit ſuam vicinam ex aduerſo commorantẽ. Secundus modus: quia dæmon antidotis cõtra venenum ſelectis munit, quibus nocere non cupit. Exemplũ eſt, in eo qui carnificẽ halitu ſuo leproſum effecit: & in Medico Italo Catherinę Medices Pariſijs chariſsimo, qui chirotecis, globolis, vel pulueribus ſuaue fragrãtibus, alios ſolo necabat odore, illæſus ipſe. Quantũuis enim venena efficacia ſint: poterit dæmon quoſdam præſeruare, ſuis antidotis cõmuniendo, ita vt ipſi innoxij ſeruẽtur, & alios ipſi mortẽ, aut necem, eiſdem venenis inducãt. Hactenus de maleficiorũ lethalium ſubtiliſsimis nocẽdi modis: ſupereſt vt de alijs hoſtilibus dicamus.

De maleficio impeditiuo actus Venerei, quod ligaminis dicitur.

NVllum maleficium frequentius, aut vſitatius reperitur apud fœminas veneficas, quã maleficiũ ligaminis, eo quod mulieres ægre ferentes à maritis ſuis derelinqui, aut ad aliarũ thorũ tranſire (vt natura ſua ſunt appetentes vindictæ) ad maleficium ligaminis accurrũt: ne aliæ riuales fœminæ concupitis fruantur amplexibus, quibus ipſæ fruſtrantur. Qua de re multa in ſacro iure Can. ſi per ſortiarias. 23. q. 1. & toto titulo extra de frigidis, & maleficiatis. Multa etiã apud Theologos in 2. diſt. 34. Id ipſum docuit experientia. Quare nõ eſt dubitandum, huiuſcemodi maleficiũ eſſe: idq́; à Cham filio Noe initiũ ſumpſiſſe, eo quod parentẽ ſuũ tali damno maleficiauerit, quidã Rabbini aſſeruerunt. Maleficiũ hoc præcipuè exercetur, in actu virtutis generatiuę impediendo. Impedimẽtũ autem iſtud dupliciter inferri poteſt à dæmone, mediante miniſterio maleſici: vno modo, naturalibus medijs impeditiuis actus generationis, vt caſtratione, eliſione, ruptione, deſiccatione, infrigidatione, & ſimilibus. Hoc autem malũ poſſe dæmonẽ inducere, pueri vidẽt: cùm ab homine etiam induci poſsint. Altero modo infertur maleficiũ à dæmone, vtẽte non ſolũ naturalibus cauſis: v. g. ſæpe cõtingit, vt qui cũ vna nõ valet opus perficere; poſsit cum alijs. Vel qui cũ cæteris poteſt: cum vna non poſsit. Itẽ vt non poſsit cũ ea ſola, quã maximè amat. Item vt ablato dumtaxat ligamine: fiat potens qui prius non poterat. At eiuſmodi varietas, ex naturalibus cauſis (quæ vniformiter operãtur) nõ valet prouenire. Ergo ex ſupernaturali ſeu prodigioſa: non diuina: ergo Angelica: non bonorũ Angelorũ efficientia: ergo malorũ. Ipſæ autem facturæ, ſeu media quibus maleficæ vtuntur, tot & tam varia ſunt, vt autor dæmonomaniæ plura quam quinquaginta reperiri ſcripſerit. Sed cũ inuentio à diabolo ſit, nõ dubito eſſe innumera. Quidã maleſici, dũtaxat ligulã cũ certis verbis prolatis coniungunt: ſed interea dæmon malũ irrogat, & ſiue fœminas, ſiue viros, reddit impotentes: frequentius autem viros, vbi plus operæ, & inſtrumentorum naturalium requiritur, & ideò in eis facilius impedimẽtum, ſeu defectus occurrit. Aut fortaſſe quia plures ex fœminis maleficijs intendũt quàm viri, vt infra latius dicetur.

Nicolaus Remigius.

Non erit abs re, cauſas proximas huius impedimenti, ex varijs autoribus, ad certa capita reducere: præcipuè ex Paludano in 4. & Sprengero 1. p. mallei, q. 8. & Sylueſ. de ſtrigimagis, li. 2. c. 6. pũct. 2. Prima cauſa qua dæmõ vtitur eſt, quãdo corpora maris, & fœminæ impedit, ne queãt mutuò appropinquare: & ſic ea diuidit, vel detinẽs ea in diuer-

Paludan. Sprenger. Syluest.

diuersis locis, vel cũ conãtur iungi, assump to corpore, se aut quid simile interponẽdo: sicut accidit cuidam iuueni, qui & idolum, & iuuenculam desponsarat, quam ideò cognoscere non valebat, sẽ in assumpto corpore dæmone interponente. Rem narrat fusè diuus Antoninus parte secunda Summæ historialis titulo 16. cap. 7. §. 4. ex Beluacensi, lib. 26. Historiæ. Secunda causa, quando dæmon alterum coniugum alteri reddit odiosum, vel inuicẽ odiosos facit, vel per calumniam, suspicionem, aut morbi alicuius immissionem. Sic pharmaco iniecto, dicitur à Natali Comite in mythologia, lib. 6. cap. 7. Medeam fecisse, vt omnes fœminæ Lemni ore fœterent: & ideò eas mariti sunt aspernati. Aut id facit dæmon, phantasia seu imaginatiua turbata: sic adeò, vt aliquid in vno aut vtroque coniuge videatur formidabile, aut odiosum nimis. Mirabile refert de hac re Aeneas Syluius in historia Bohemorum, & Baptista Egnatius, lib. 3. cap. 2. videlicet Valascam Libussæ Bohemæ famulam, mulieres à virorum amore, turbata phantasia, sic auertisse, vt coniuratione inita, suos quæque maritos, fratres, patres, filios, vna nocte interfecerint. Mox arcẽ Visegradensi obsessa, Primislai Regis exercitum, ad internecionem ferè ceciderunt. Aliquando facit dæmon, vt redament vehementissimè, sed quando tempus copulæ instat, subitò accensi odio, alter alterum cędat, vel vnguibus laceret. Et primò dæmon excitat affectum libidinosum, proposita forma coniugis sub specie pulchra, aut cõcupiscibili: & quando venitur ad amplexus tunc proponit vt odiosam, faciens vt mẽbra generationis appareant vel magnitudinis incongruæ, vel formæ horribilis, & supra modum fœdæ. Tertia, si spiritus vitales prohibeantur transire ad membra generationis, & sic seminis decisio impediatur. De quo latè Ioannes Maior in 4. dist. 34. art. 3. Quarta, si semen exsiccetur, & substrahatur. Quinta, si membri virilis vigor impediatur, aut aboleatur, saltem quando instat tempus coëundi. Sexta, si aliquot pharmaca applicentur, quibus per infrigidationem vel alio modo, natiua vis insit tollẽdi facultatem exercendi actum Venereum. De ijs multa apud Theologos in 4. loco citato, & Abulensem super cap. 19. Matthæi, quæst. 9c. Septima, potest esse causa, circa ipsa vasa mulierum, & circa genitalia membra virorum, quędam incommodatio. Et quidem si de fœminis sermo sit, potest dæmon, & aliquando obserat, vel nimium coarctat vasa fœminea, siue coarctatio sit in ossibus, siue in carnositate. Nec mirũ, nam id posse fieri ex naturalibus morbis, certum est, & multo certius per motum localem dæmonum, aut per applicationem actiuorum ad passiua. De eo quod fit in membris genitalibus virorum narrant nobis miranda Sprẽgerus. 1. parte mallei. quæst. 1. cap. 7. & Nicolaus Remigius, lib. 2. de Monolatria, cap. 5. & post eos Syluester vbi supra, puncto 3. & exemplis veris ostendunt, aliquos fuisse impeditos à generationis actu per genitalium retractionem, seu abscessionem, aut verò per realem aut veram ademptionem. Hoc posterius posse dæmonem efficere non dubito: qui scissione, aut trucatione, aut morbo alia membra secare potest. De facto autem id efficere, vel rarò, vel nũquam putamus: sed præstigiosè, & apparenter (quidquid dixerit illa malefica apud Sprengerum secunda parte mallei, cap. 7. quæ in auium nidis ea membra abscisa ostentabat, sed præstigiosè.) Ad hoc mouemur: tùm quia huiusmodi membra abscisa, malefícæ nequirẽt restituere, quacunque diabolica potestate adiutæ. Etenim ficut visum, aut oculos omninò ablatos, aut alia demolita membra, non valent dæmones restituere, quia hoc ad vera miracula diuina expectat: sic neque membra genitalia abscisa, aut demolita, aut arefacta. Videmus autem, & ex historijs innotescit, maleficas ea restituisse. Signum ergo clarum est, præstigiosè & non veraciter esse adempta. Modum autem præstigiorum faciendorũ inferius discutiemus. Si placet lege de præstigiosa adẽptione membri virilis, Sprengerum vbi supra, quæst. 9. Pro nunc satis sit nobis scire, dæmonem posse occultare membrum virile, ita vt habens neque possit tactu percipere se illud habere: præsertim formata specie humani ventris sine membro genitali, eamq; ipsi fascino superponendo. Demum notandum est, impedimentum hoc, quoddam esse temporarium, quoddam perpetuum. Vocamus perpetuum, quod vsque ad mortem duraturum est, eo quod nullo naturali remedio, neque alias licitè auferri potest. Temporarium verò, quod tolli potest. Sed de hoc inferius tractantes de remedijs maleficiorum.

Antonin. Beluacens. — Sprenger. Remigius. Sylvest. — Æneas Syluius. Egnatius. — Maior. — Abulens.

Huic maleficio ligaminis alia adiungo, quæ sunt impedimenta quorundam, quæ ad prolem susceptam ex generationis actu procedit. Hæc sunt aborsum efficientia

diffi-

difficilem partum, aut lactis exſiccationem. De primo Nider in formicario, lib. vltimo narrat, in oppido Boltigenſi Lauſanenſis Diœceſis, quidam grandis maleficus captus à iudice loci, faſſus eſt ſe in certa domo vbi vir & vxor ſimul manebant, per ſua maleficia in vtero vxoris præfatæ ſucceſsiuè ſeptem circiter infantes, ita vt ſemper abortum faceret, in fœmina annis multis necaſſe. Simile fecit in eadem domo omnibus pecoribus fœtoſis, quorum nullum partum edidit viuum in eiſdem annis. Poſtea ex eiuſdem cõfeſsione, quod fuerit maleficij inſtrumentum oſtendit, his verbis: ſubter limen oſtij domus ſe lacertam poſuiſſe dixit (quibus prolatis verbis, non dixit) & ſi amoueretur fœcunditatem reſtituendam prædixit. Cum autem ſerpens ille quæreretur ſub limine, nec inueniretur (quia in puluerem fortaſsis redactus erat) puluerem ſeu terram deſuper poſitam aſportabant, & in eodem anno vxori, & omnibus iumentis domus, fœcunditas reſtituta eſt. De pariendi difficultate, ſic Apuleius, lib. 1. de aſino aureo: eamdem amatoris ſui vxorem, quòd in eam dicaculè probrũ dixerat: iam in ſarcinam prægnationis obſeſſo vtero, & repugnato fœtu, perpetua prægnatione damnauit: vt cuncti numerãt, octo annorum miſella illa onere, velut elephantum paritura diſtenditur. Pauſanias in Boëticis ait, Pharmacidas Thebani à Iunone miſſas fuiſſe, vt parturienti Alcmenæ impedimento eſſent. Sed eas dum Alcmenæ partum inhiberẽt, à Thireſiæ filia hiſto ride tali cõmento illuſas. Ex eo namque loco, vnde illæ facile audire poſſent, clamauit, peperiſſe iam Alcmenam, illas ea voce deceptas ſtatim abijſſe, Alcmenam illicò puerum enixam. De lactis exſiccatione Sprengerus multa, inter alia de malefica præcipuè, quæ ſuæ vicinæ mãmellas lacte priuauerit perpetuò. Et Grillãdus ait, quædam veneficia fieri ad deſiccandum totum lac vnius gregis, vel fœcundi armenti vaccarum, adeò quod nil caſei penitus reddãt, quamuis antea in magna abundantia reddidiſſent. Enumerata maleficia præcipua ſunt, ad quæ cætera omnia reducere nõ eſt difficile. Eſt enim maleficium, non amorem, ſed odium concilians. De quo, ſicut de amatorio iudicandum eſt: cum contrariorum ſit eadem diſciplina. Eſt itidem maleficium, quod ſomnificum dicitur, eo quod ad inducendum ſomnum ordinatur, interdum adhibita potione ex ſoporiferis compoſita, interdum malo carmine, vel alijs ſuperſtitioſis applicatis. De quo Petrus Binsfeldius de confeſsione maleficarum, parte 1. & Nicolaus Remigius, lib. 2. cap. 4. & Virgilius 6. Aeneidos de Cerbero, & Cumea, & Ouidius de Medea, lib. 7. Metamorphoſeos tetigerunt. Sed hoc maleficium, vt præparatorium ad hoſtile, aut amatorium, eis cõnumerandum eſt. Amatorio quidem, vt quando maleficæ volentes potionem amatoriam intromittere, ſomnum inducũt. Hoſtili verò, quando vt furentur, occidant, lædántve, ſomno immergunt.

Nider. *Apuleius.* *Pauſanias.* *Sprenger.* *Grilland.* *Binsfeld.* *Remigius.* *Virgilius.* *Ouidius.*

Præfata ſi attentè legiſti, amice lector, facilè diſſinies quale ſit peccatum, his obſeruationibus maleficialibus vti. Huc enim tendunt noſtræ animaduerſiones: & diſputationis titulus hoc exigebat. De quare

Dico primò. Vſus rerum naturalium, habentium naturalem efficacitatem ad ligaminis mala, morbos, aut necem inferendam; ſi non interueniat pactum, aut aliquo modo operatio demoniaca: non eſt peccatum ſuperſtitionis, licèt alia peccata committantur, putà odij, inimicitiarum, homicidij, & huiuſmodi. Aſſertum patet ex argumento primo poſito in diſputationis initio.

Secundò dico. Vſus rerum habentium virtutem, & efficaciam naturalem ad inducendum ligamina potentiæ generatiuæ, morbos, aut mortem; ſi interueniat actuale dæmonis adiutorium, vel edocendo earum rerum naturalium occultas proprietates, vel aliunde aduehendo, vel quid ſimile: peccatum eſt ſuperſtitionis. Probatur, quia nequit reperiri familiaritas cum dæmone ſine ſuperſtitione, vt latius probaui contra quoſdam modernos circa articulum ſecundum quæſtionis præcedentis: ſed in caſu aſſerti huius palam eſt intercedere dæmonis commercium, & familiaritatem: ergo eſt ſuperſtitio. Conſultò dixi, ſi interueniat actuale dæmonis adiutorium: nam ſi quis olim Magus edoctus à dæmone, multas rerum proprietates naturales agnouerit; & poſtea renuntians diabolo, vtatur notitia ac arte quæſita dæmonis edoctione ſiue in bonum, ſiue in malum: non erit cenſendus ſuperſtitioſus, neque habere commerciũ cum illo, ſed dumtaxat vtitur doctrina, & ſcientia aliàs male parta. Vnde patet reſponſio ad confirmationem initio poſitam. Et præterea addo, in Iure non appellari maleficium, niſi interueniat dæmonis adiutorium, & Magorum operatio: at generali quadam

accep-

acceptione, pro omni illatione nocumenti vſurpatur, vt in caſu primi aſſerti.

Tertiò dico. Quando malefici ad inferendos morbos, aut neces, vel quid ſimile, vtuntur rebus non habentibus virtutem, & efficaciam, ad eos effectus patrandos: res citra controuerſiam eſt, committi ſuperſtitionis vitium. Mitto multa alia peccata, quæ ſolent in ſimilibus obſeruationibus admiſceri, putà ſacrilegij, quando admiſcētur res ſacræ; idololatriæ, quando comitantur ſacrificia, preces, &c. homicidij, quando mors infertur, aut mutilatio, vel aliæ ægritudines, de quibus multa diximus. Vndecimo loco apponi oportet

DISPVTATIO XI.

Quibus ſignis agnoſcatur, quempiam eſſe maleficiatum?

RAtio dubitandi eſt: omnes noxæ quæ per maleficia inferri poſſunt à cauſis etiam naturalibus prouenire valēt, & ſolent: vt inductione patere poteſt cuilibet conſideranti. Et tunc ea mala inflicta, non erunt à dæmone operante, ac ex conſequenti neque maleficia dicentur. Inueſtigare igitur oportet, quando per maleficia inducantur, quando aliunde, vt ſciamus quibus præſidijs vtendum ſit ad eas excutiendas. Multum enim intereſt, ſcire cauſas efficientes malorum; vt eis occurratur.

Sprenger. Sprengerus 1. parte, in fine narrat modum quendam hoc inquirendi inter ſuperſtitioſos (vt reor) ſatis vſitatum. Is eſt, ſuper infirmum tenent plumbum liquefactum, & in ſcultellam plenam aquæ infundunt; & ſi imago aliqua condenſata cernitur, tunc infirmitatem ex maleficio iudicant. Et iſti qui experimentum ſic capere ſolent, interrogati, an talis imago opera dæmonum; an naturali virtute erumpat? Reſpondent, virtute naturali Saturni ſuper plumbum: qui aliàs malus exiſtit. Sicut Sol ſuper aurum veneficium ſua virtute oſtendere ſolet. Modus iſte non totaliter reijcitur ab eodem Sprengero ſecunda parte, quæſtione ſecunda. Miror tamen virum ſapientem, illum non damnaſſe. Quæ enim virtus Saturni ad effigiendas imagines, plus quam arcam, aut ſcamnum? Aut quæ intelligentia Planetæ inſenſibili, ad artificioſam imaginem fuſilem fabricandam? Certè diabolus eas imagines cudit. Quare à viris Chatolicis non eſt iſte modus vſurpandus, & multo minus approbandus.

In hac re prudentes, & ſapientes Medici conſulendi ſunt, vt ex modo infirmitatum, & ex alijs circunſtantijs iudicent, an malum illatum à cauſis naturalibus prouenerit, an verò à maleficis, aut dæmone operante. Coniecturæ multæ ſunt. Prima, quando inflicta mala ſunt in ligaturis, in ſchedulis, carminibus, & huiuſmodi (quæ certè de ſe nullam naturalem efficaciam habent) ſignum certum eſt ea à dæmone eſſe per miniſterium maleficorum. Secunda: ſi Medici ex circunſtantijs, putà ex ætate infirmi, complexione ſana, & ſubito quaſi in ictu oculi immutata: & quòd non ex defectu ſanguinis, ſtomachi, aut labe, infirmitas acciderit, iudicant illam non ex defectu naturæ, ſed ab extrinſeco accidiſſe; non certè ab alio eſſe poteſt niſi à malefico, operante dæmone. Tertia coniectura Medicorum. Si viderint morbum ab intrinſeco prouenire, ſed non ex infectione venenoſa, aut morbida (quia ſi ita fieret, malis humoribus ſanguis, & ſtomachus eſſent repleti: quod aliter accidere experiuntur) rectè coniectant id à maleficio aliquo prouenire. Quarta: cum Medici viderint morbum eſſe eius ſpeciei aut generis, qui curari ſæpe ſoleat: multis tamen medicaminibus adhibitis in nullo releuatur; ſed potius ex eorum applicatione aggrauatur, ac fit incurabilis: cōiectura vehemens eſt à maleficio prouenire. Quinta ſumitur, quando ſic ſubitò morbus inuadit infirmum, vt nullam eius noxæ præſenſerit diſpoſitionem; maximè ſi adiungatur leuicula cauſa, nullo modo valens id morbi genus inducere: ſapienter tunc iudicabitur opus eſſe dæmonis maleficiantis. Exemplū ponit Sprengerus 1. parte. q. 18. de quadam *Sprenger.* muliere rixoſa, quæ cùm ſemel cum viro ſuo ſtidioſe contenderet, ait ad virum volentem abire: nequaquam domo egredieris niſi me verberaueris; & ille quaſi ſubridēs ipſam leuiter digitis vix applanatis ſuper ſcapulas tetigit. Et ſubitò ad terram collisus ſenſum perdidit, & plures ſeptimanas lecto decumbens, grauiſsimè infirmatus eſt. Certè morbus hic non potuit à cauſa naturali prouenire, ſed à maleficio illius iniquæ mulieris. Sexta coniectura, imò & cognitio certa eſt, quando res duræ ac ſolidæ, ſiue naturales, ſiue artificiales, intra corpus humanum

manum generantur, vt acus, ligna, ferrum, quæ post (vt diximus) per alui secessum egeruntur: & quæ naturaliter in humano corpore non posse generari Medici periti, & imperiti affirmant. Hæc enim à causa naturali prouenire non posse, sed à maleficiante, vel cæci videbunt. Alia signa apponuntur in Sacerdotali Romano, puta constrictionem cordis, & oris stomachalis, & quando infirmus videtur habere vnum bolum super stomachum. Alij habent punctiones in corde, acsi acubus pungerentur: alijs videtur cor corrodi: alij tot & tam crudeles cruciatus patiuntur, vt sibi videantur à canibus lacerari: alijs videtur se habere bolum in gutture, & quod ascendit & descendit: alij per vomitum emittunt quidquid comedunt, aut bibunt. Hæc & ijs similia, vt signa sint vehementia maleficiorum, regulanda sunt iuxta ea quæ paulò ante dicebamus: nam si ita vt iacent considerentur, indifferentia sunt ad naturales morbos, & maleficiales.

Non desunt etiam coniecturæ, ac signa ad dignoscendum effectus maleficiales, in maleficio amatorio. Quandoque enim contingit, virum, relicta vxore iuuencula ac pulchra, deperire vetulam deformem, ac prorsus despicabilem. Qui ineptus amor regulariter non est à dæmone tentante, neque à concupiscentia alliciente: ille enim facilius persuadet, pulchro obiecto proposito, quàm deformi; hæc verò ad pulchrius, & delectabilius effrenis properat. Procedit igitur hic cæcus amor à maleficio maleficæ, cui vt morem gerat dæmõ, turbat imaginatiuam patientis, vt ei deforme plus placeat. Secundò id ipsum potest agnosci, quãdo iudicium rationis in amante sic adeò ligatur; vt nullis plagis, verbis, suasionibus factis, aut etiam confusionibus subsequutis, valeat ab amore alicuius auerti. Et tertiò ac potissimè, quando non, aut vix, se continere potest, quin sæpe inopinatò nullis difficultatibus detentus, non asperitate aut longitudine itineris, non tenebris noctiũ densissimis, non infamiæ nota, nullo denique obstaculo potest contineri, quin ad amasiam properet. Illi insani amores nequeũt fieri à dæmone communiter tentante, neque à concupiscentia vrgente: maximè quando in domo propria adest facilis copia explendæ voluptatis, sine his difficultatibus, cum pulchra, honesta, ac amabili coniuge. Sunt igitur à malefacio. Vide si placet D. Chrysostomũ super Matth. cap. 20. more suo eleganter concionantem cõtra istos effrenes amatores. *Chrysost.*

Nunquid in ligatis ad coëundum, deerũt signa ad cognoscendos effectus maleficiales? nequaquam. Quando enim aliquis semper, & cum omnibus impotens est ad coëundum, dubitari potest; an damnum illud, à naturæ defectu emanet; an à maleficio: & tunc ex alijs circunstantijs, hoc discrimen inquirendum est. Si verò (quod sæpe fit) qui cum vna non est potens, potest cum alijs; vel qui cum cæteris potest, cum vna non potest: item quando quis aliquam deperit, & valde amat, & cum ea non potest; cum tamen possit cum alijs: isti meritò cẽsentur ligati maleficio; & multo plus illi, qui cum antea essent impotentes, per solã ablationẽ ligaminis fiunt potentes. Probatur: quia huiusmodi varietas, non potest prouenire à natura operante vniformiter: prouenit ergo à supernaturali, seu prodigiosa causa: non diuina, nec Angelorum bonorum, qui ligamina vxoratis, ad proprios amplexus à Deo concessos non inducunt: ergo prouenit hoc à dæmonibus: maximè quia vix repertus est aliquis ligatus ad coitum illicitum, sed tantùm ad licitum.

Duodecimo loco inuestigare oportet, quibus modis, quibúsve remedijs occurratur noxijs, ac damnis illatis per cõmemorata maleficia. Et de hoc sit

DISPVTATIO XII.

Sint ne dumtaxat exorcismi, quibus vtendum, an alia remedia sufficiant?

NON enim satis me fecisse putarem, prauitatem horum criminũ detexisse; nisi & remedia maleficiorum propallauero. Sed prius notare oportet, effectuũ istorum, siue noxarum maleficialium quasdam initio à dæmone pependisse: sed iam illatas, ab eius concursu non pendere: alteras verò & pependisse, & pendere à dæmonis influxu, & causalitate. Exemplum priorum, in morbis illatis per maleficos ope dæmonum; sed illis illatis, dæmon recessit, relinquens maleficiatum affectum morbo: vt quando maleficus per venenorum aplicationem, aliquos immorbidauit. Exẽplũ posteriorũ, in malis illa-

illatis opera dæmonum, & eadē conſeruāte illa mala, vt quando maleficia non habent aliam vim nocendi, præter eam quam dæmō infert. Hæc nota ſunt ex ſuperioribus. Secundò notandum, quando certū eſt, noxas ſeu effectus maleficiales, ad primū genus noxarum pertinere; clarum itidem eſt, à Medicis, & Pharmacopolis petenda eſſe remedia: quia infirmitates, quas ægri patiūtur, eiuſdem rationis ſunt cum eis, quæ à ſolis cauſis naturalibus prouenire ſolent: ſi verò ad ſecundum noxarum genus pertinent, alia via ſuccurrēdum eſt. Tertiò animaduerte, quædam eſſe remedia aduerſus has noxas, ante quam infligantur, quæ præſeruatiua poſſumus appellare: quædā verò poſt inflicta damna appellātur remedia ſanatiua. De his omnibus diſſerendum decreui. Diuido igitur remedia maleficiorum, in ſuperſtitioſa, naturalia, moralia, ac ſupernaturalia.

A

B

Superſtitioſa remedia

EA ſunt, quæ nullā efficacitatē habent ad medēdum noxis maleficialibus; putantur autem habere ex aliqua vana obſeruatione, vel ex cultu implicito, aut explicito dæmoniorū. Pauca exēpla neceſſariò ponēda ſūt vt res innoteſcat. Iudæi frontales quaſdā faſciolas capiti, & manui læuæ imponebant; & valuis, quæ ad portæ dexteram erant, chartulam ſeu faſciolam, multis cęremonijs prorſus vanis, infigebāt: atque ita credebant, omne maleficium dæmonum impediri. Has faſcias appellabant thephilim. Iſtorum vanitatem, & ſuperſtitioſas cæremonias refert Oleaſter, cap. 13. Exod. Plura alia ſuperſtitioſa remedia, quę poterāt accerſiri ex ſcrinijs Cornelij Agrippæ, Paracelſo, & Pſello, lubens negligo: tū quia autores iſti non benè de fide ſenſerūt, & omnes eorū libri prohibitæ ſunt lectionis: tū ne offendiculū præſtem amatoribus ſuperſtitioſæ curioſitatis, qui multi ſunt: & ideò ſi aliqua commemorauero, truncata, & non integra proponam.

C

Oleaſter.

D

Naturalia remedia

SVnt illa, quæ naturalem efficaciam ad curanda maleficia habent. Quod ſi damna aut morbi illati, eiuſdem rationis ſunt cum eis, qui à cauſis naturalibus prouenire poſſunt, non dubito multa naturalia remedia inueniri. Si verò dæmonis opera damna conſeruantur, ineptum iudico, aliquam rebus ſenſibilibus adeſſe naturalem virtutem contra dæmones, qui ſpiritus ſunt. Quamplura autem multum prodeſſe ad diſſipandas diſpoſitiones, quibus dæmones gaudent, iam docui in quæſtionis nonageſimæ articulo ſecundo. Credo autem, ſub hoc velamine, multa ſuperſtitioſa introducta eſſe: imò ferè omnia hoc vitio inficiuntur. Exempla aliquot proponam. Hienæ ſanginem inunctum impedire omnes Magorum artes, ait Plinius, *Plinius.* lib. 28. cap. 8. fel canis nigræ, ſi ex eò ſuffiatur domus, valere contra cuncta maleficia: lib. 30. cap. 10. eandem vim eſſe Amiantho lapidi, lib. 20. cap. 19. menſtruoq; ſanguine tactis poſtibus, lib. 28. cap. 7. canis nigri ſanguine reſperſis parietibus, eiuſque genitali ſub limine ianuæ defoſſo, lib. 30. cap. 10. Sed hæc ita ridicula ſunt, & ſuperſtitioſa, vt cæci videant. Quid enim hæc contra dæmones? Radices quaſdam cōmendat Ioſephus, lib. 8. antiquitatum, ca. 2. *Ioſephus;* & lib. 7. de bello Iudaico, ca. 23. Sed modus euellendi, & ea quæ addit, rem vt ſuperſtitioſam notant. Amatus Luſitanus iudaizās, *Amatus.* Atapſia ſcripſit dæmones fugari in Dioſco ridem, lib. 4. Plinius pęoniam nigram commendat lib. 25. cap. 4. veneficia depelli: Rhamni ramo, ad valuas, & feneſtras poſito, ſcribit Dioſcorides, lib. 1. cap. 100. Cōfirmat Bionis exemplum: ſed lauri additis *Dioſcorid.* folijs, apud Illuſtrium in eius vita. Sed quid poteſtatis hæc contra dæmones? Ego nullam credo: quia nulla naturalis vis aduerſus eos præualet. *Illuſtrius.*

Nihilominus non ob id, omnia remedia damnanda ſunt: ſed ſola ſuperſtitioſa, aut ſuperſtitioni admixta. Et præ oculis habēda eſt diſtinctio effectuum maleficialium, poſita in primo notabili huius dubitationis. Quidam enim, licèt illati fuerint dæmonum opera: tamen iam eorum concurſus ceſſauit, & remanent effectus maleficiales, putà morbi, aut quid ſimile. Quidam verò & illati ſunt, & fouētur à dæmonibus actualiter concurrentibus. Prioris generis maleficia curari poſſunt per naturalia pharmaca, aut res ſimplices, ad id habentes naturales virtutes. Super quo Medici periti conſulendi ſunt: quia ſi dæmon dumtaxat vſus fuit efficacitate agentis naturalis, nec de ſuo addidit aliquid malitiæ, artificioſa commixtione, vel induſtria, ſibi nota, & hominibus incognita, vel fractura,

ſiue continui ſolutione, vel detorſione occulta: tum citra dubium, naturalibus remedijs, totum damnum illatum, à Medicis ſapientibus curari poterit. Si verò aliquid ex præfatis immiſcuit: vix aut nunquam, maleficia per artem medicam in integrum ſanari poterunt. Tùm; quia vix poſſunt Medici coniectare, quibus medijs naturalibus dæmon ad nocendum ſit vſus: tùm, quia (quæ ſua iniquitas eſt) poteſt vim remediorum naturalium debilitare Deo permittente. Et propter hanc cauſam, communiter Doctores negant, morbos ex maleficio naturalibus remedijs tolli. Secundi generis affectus maleficialis, nullatenus poteſt naturalibus remedijs auferri: quia nullæ res corporeæ fugare poſsũt dæmones, mediantibus virtutibus naturalibus, ne contra homines operentur. Sunt tamen quædam res, quarum virtutes, licèt nõ ſint efficaces ad dæmones profligandos, ne noceant: valent tamen ad inducẽdas diſpoſitiones corporales ingratas dæmonibus, vel abſolutè, vel in ordine ad noxam maleficialem inferendã, & ob id aliquandò recedit à noxa inferenda, vel aliquatenus aleuiatur infirmus. De quo ſapientes conſulẽdi ſunt, ne in ijs remedijs, quæ naturalia putantur, abſcondatur dæmonis hamus. Eſto exemplũ, vnde poteris in cæteris coniectare, quid ſit agendũ. Eſt aliquis maleficio amatorio affectus (quod dignoſcetur ex ſignis poſitis in præcedẽti diſputatione) ad remedia properatur: quod ſi oblata pertinent ad vanam obſeruantiã, reſpuenda ſunt, & multo magis ſi dæmonis pactum interueniat: quia ad dæmoniacam magiam expectãt. Si remedia ſunt in genere moris peccata: abijcienda ſunt: talia Raſis, ac Pauli Aeginetæ balnea promiſcui ſexus, tripudia, commeſſationes: & quæ ad hæc ſequi ſolent, deteriora. Tale etiam illud Fauſtinæ; quo vſus Marcus Antonius, gladiatorem eius adulterum occidi iuſsit, & illam incidere inter caput, & collum. Quod ſi naturalia tantùm iudicentur pharmaca, maniam purgantia, & ardorem libidinis temperantia, vt agnus caſtus, & ſimilia: dum modo non obſint valetudini; licebit eis vti. Si verò dubitetur, an inſit illis vis naturalis; an verò ſint merè ſuperſtitioſa remedia, aut ſuperſtitioni admixta: nullatenus eis vtẽdum. Qualia ſunt quædam, quæ prudens omitto, & habentur apud Plinium, lib. 28. ca. 32. & 39. & apud alios.

Plinius.

Remedia moralia

SVnt, quæ ad mores pertinent: & præcipuè valere creduntur ad medicandũ amatorio maleficio. Et vt omittamus ieiunia, humi cubationes, & huiuſmodi pœnitentiæ opera, quæ potius ad remedia Eccleſiaſtica, & ſupernaturalia volo reducere; alia etiam ſunt, quæ partim in omittendo, partim in committendo poſita ſunt. Omittenda ſunt libidinis incitamenta, de quibus optimè Helinandus, vt refert D. Antoninus. *Vis extinguere libidinẽ?* (ait) *amoue ligna de igne, ſi ſtridet incendium.* Ligna quam plura: ſed potiſsima

Helinand.

Otia, ſegnities, ſomnus, caro, fœmina, virum, Proſperitas, ludus, carmina, for ma, puer.

De otio Ouidius.

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus;
Deſpectæque iacent, & ſine luce faces.

Ouidius.

De ſegnitie Martialis.

Queritur Ægiſthus, quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

Martialis.

De ſomno Cato in diſticis moralibus.

Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto;
Nam diuturna quies, vitijs alimenta miniſtrat.

Carnis eſum, ſi immodicus eſt, incentiuum eſſe libidinis demonſtrant ſtatuta Religioſorum, ob id prohibentia carnes edere. Fœminæ etiam aſpectum, colloquia, conuictus, periculum magnum ingenerare caſtitati, res eſt ab hominibus vitæ ſpiritualis magiſtris decantata. Hieronymus: *Ferreas mentes libido domat.* De vino Apoſtolus ad Epheſ. quinto ait: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et Hieronymus ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis: *Si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obteſtor, vt ſponſa Chriſti vinum fugiat, pro veneno, &c.* Videndus eſt etiam epiſtola de viduitate, ad Furium.

Hierony.
Epheſ. 5.

De proſperitate Ouidius.

Luxuriant animi, rebus plerumq; ſecundis.

Ouidius.

Et Auguſtinus: *Plus obfuerunt Salomoni ſecundæ res, quàm profuerit ipſa ſapientia.* Cætera verò, ideſt, ludum, ſeu omne genus ioci, carmina, ideſt, muſicam quamuis voluptuoſam, pulchras aſpectare fœminas, pueruliſque conuerſari, eſſe valde aduerſa pudicitiæ, quis non videat? Hæc paulò fuſius D. Antoninus ex Helinando.

Auguſt.

Alia remedia quæ in faciendo conſiſtũt, bipartita ſunt. Quædam quæ finẽ ſupernatura-

turalem perſpiciunt: de quibus in claſſe remedium ſupernaturalium, quædam intra
Nider. fines naturæ continentur. Et Ioannes Nider in ſuo formicario ex Auicena in tertio, ſeptem enumerat. Primũ eſt, agnoſcere perſonã, cuius amore furit, & aliquando ægrotat quis: quã agnoſces ex faſsione infirmi, vel ex variatione pulſus ad nominationem amati: & agnoſcere hoc, multũ proderit ad liberandum infirmum. Sicut & cognoſcere infirmitatis radicem, ad eruendã eam, & labefactandã, inter primas curas Medici collocant. Secundum eſt, copula per matrimonium, ſi hoc lex ſuſtinet: quia ita quidam ſanantur, cum obeditur naturæ. Tertium eſt, applicatio medicinalium: de quo ibidẽ Auicena. Sed hoc remedium potius ad naturalia pertinet, quàm ad moralia. Quartum, vt amorem ſuum erga dilectũ, per licita remedia, ad alium diligendum conuertat, quod prior prælegere debet: & ita fugere præſentiã rei amatæ: quia ſic diſtrahitur animus. Quintũ, ſi ille nõ ſit rudis aut hebetis ingenij, corrigatur, ſuadeatur, & à valẽte facere (ſi opus eſt) tribuletur: & amoris opus, magnam eſſe miſeriam, multiſq; inuolui fœditatibus, doceatur. Crediderim tamen ego, nõ eſſe ad particulares fœditates deſcẽdendũ, ne dum conamur è cœno ſubleuare; demergatur. Videmus enim animalia bruta, horũ olfatu nequaquam à coitu deterreri, ſed potius incitari. Homines autem luxurioſi, æquales aũt deteriores beſtijs ſunt: qui velut ſues, voluptuoſe in cœno delectantur.
Cardanus. Quare merito explodendus eſt Cardanus, lib. 2. de varietate, qui quodam fœtore immundiſsimo, cẽſet huiuſmodi liberari, potius immergetur, quàm incolumis euadat. Sextum, mittantur ad eum vetulæ, quæ aſpectu, & monitis vituperent (quantũ ſine crimine poſsint) corpus, & diſpoſitionem dilecti, ac mores, cum tranſfiguratione facierum turpi ſeu deformi. Hoc remediũ reprobat, & meritò præfatus Nider: quia quãdo aliquis philocaptus eſt, ſæpe affricata memoria relatione amati, ſiue in bonũ, ſiue in malum, inardeſcit. Vnde metuendũ eſt, ne dum incendium putamus extinguere: acriores flammas excitemus. Septimum, ſic maleficiati inſania amatoria, occupentur in curis grauioribus, officijs (ſi fieri poteſt) honorificis, vt his neceſſariò occupati, deſiſtant à cogitationibus amatorijs, quæ nutrimenta ſolent eſſe amoris.

Ad claſſem hanc remediorum moraliũ, poſſent reduci alia: v.g. petitio à maleficis, vt diſſoluant maleficij inſtrumenta, ac ligamina: nos verò de hac re q. 95. art. 4. fuſius.

Remedia hiperphyſica, ideſt ſupernaturalia

ILla ſunt, quæ Dei virtute ſupernaturali ac diuina, maleficia expugnant. Hæc carent omni peccato, & periculo: hæc à Chriſto, vel Apoſtolis ſumpſerũt originẽ, & ab eorum ſucceſſoribus vel inſtituta, vel vſui mãdata. Hæc efficaciora, quàm cætera inueniuntur. De quo eſſet nobis amplus co dex texendus, ſi in ſuperioribus, rẽ multis non tractaſſemus. Modò verò curſim enumerare ſat erit. Hæc ſunt orationes, pœnitẽtiæ opera, peregrinationes, virtutũ ſtudiũ, maximè Theologicarum, Sacramentorum frequentia, Sanctorum implorata auxilia, maximè Beatæ Virginis, & Angeli Cuſtodis, Crucisſignatio, nominis Ieſu inuocatio, Sanctorum Reliquiæ, & rerum ſanctarum vſus. Hæc & ſimilia non ſolùm à maleficijs liberant iam infirmatos, verùm & præſeruant, ne infirmentur. Sunt enim Medicinæ nõ ſolũ curatiuæ, ſed & præſeruatiuæ. Sunt arma non ſolùm offenſiua, ſed & defenſiua. His armis tectos, formidare dæmones autores maleficiorum ſæpe experientia compertum eſt. Caſsianus collatione 2. abbatis *Caſsianus.* Sereni in hęc verba concludit: *Diffinit* (inquit) *Beatus Antonius, nullatenus dæmonem poſſe mentem cuiuſquam, vel corpus inuadere: neque habere facultatem in cuiuſlibet animam penitus irruendi, niſi eam primò deſtituerit omnibus cogitationibus ſanctis.* Quod tamen intelligẽdum eſt regulariter quoad maleficia corporis, vt docui ſuperius, & maximè in maleficio ligaminis coniugatorum, quorum plerique actum coniugalem exercent affectu nimis libidinoſo: & ideò permittit Deus dęmones ſuper huiuſmodi poteſtatem accipere. Hac de cauſa (inquiunt Doctores) Aſmodæum dæmonem, ſeptem viros Saræ interfeciſſe, To- *Tobiæ 6.* biæ 6. Nam alia cauſa, quæ ab alijs narratur, quia ſcilicet Aſmodæus adamabat Saram, fictitia eſt. In maleficio itidem amatorio, ſemper aut ferè, in pœnã peccati, Deus ſinit homines maleficio affici.

De exorcismis.

FOrtasse aliquis opinabitur, nos non numerasse inter remedia supernaturalia maleficiorum, exorcismos: quia ad id nullius efficaciæ sunt. Nil minus; quin potius quia efficaciores sunt, & ex vi suæ institutionis, & promissionis diuinæ, ad dissipandas molestias dæmonum instituti, in vltimo, & nobiliori loco collocamus. Vnde Hincmarus Remensis Archiepiscopus, & refertur 33. quæst. prima, Can. *Si per sortiarias*, sic ait: *Si per sortiarias, atq; maleficas artes occulto, sed nunquam iniusto, Dei iudicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur: hortandi sunt quibus ista eueniunt, vt corde contrito, & spiritu humiliato, Deo, & Sacerdoti, de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus, atq; ieiuniis, Domino satisfaciant* (en præparationem ante exorcismos) *& per exorcismos, ac cætera Ecclesiastica medicinæ munia, ministri Ecclesiæ, tales quantum Dominus annuerit* (qui *Abimelech, ac domũ eius, Abrahæ orationibus sanauit*) *sanare procurent*. Ecce ferè omnia remedia Ecclesiastica, & supernaturalia enarrata: & præcipuè exorcismos. Et licèt hic tantùm fiat mentio de maleficio ligaminis: eadem monitio ad reliqua, à paritate rationis extendenda est. Nihilominus vt veritas hæc magis innotescat, sit

Hincmar.

DISPVTATIO XIII.

An ad sanandos maleficiatos exorcismi conducant?

IT videtur vera pars negatiua. Primò, quia per maleficia superius commemorata, semper aut ferè, morbi ingenerantur, vulnera infliguntur, aborsus causantur, virtus generatiua ligatur: ac denique mediante ministerio rerum corporearum, infirmitates incutiuntur, eiusdem rationis cum eis, quæ à causis naturalibus solent prouenire: quia eas dæmones applicando actiua passiuis inducunt. Sed ad hæc & similia sananda, potius essent exquirendæ Medicinæ corporales, sicut ad similia, quando ex causis naturalibus proueniunt: ergo non est recurrendum ad exorcismos, qui nõ diriguntur ad morbos, sed ad dæmones propulsandos.

A

Secundò diuus Thomas in quarto, distinctione 34. articulo 3. ad 3. ait: *Exorcismi Ecclesiæ non valent ad reprimendum dæmones semper, quantum ad omnes molestias corporales, iudicio diuino hoc exigente* (molestias corporales appellat effectus maleficiales, vt videre licet in textu) *semper tamen valent contra illas infestationes dæmonum, contra quas principaliter instituti sunt.* (alluso fit ad obsessionem dæmonum.) Ecce Doctor Angelicus duo dicit, quæ vehementer vrgent partem negatiuam dubitationis. Primum est, exorcismos non esse principaliter institutos contra maleficia. Secundum, non valere semper aduersus maleficia. Ergo remedium hoc exorcismorum contra noxas maleficiales, exile, ac debile est. Confirmatur: nam rarò videmus hos maleficiales effectus exorcismis sanari, ac proinde vix dignantur maleficiati exorcizari, & exorcistæ maleficiatos exorcizare. In oppositum est Canon citatus: *Si per sortiarias.*

D. Thom.

B

Pro decisione recolere oportet id quod sæpe inculcatũ est: tripliciter scilicet se pos se habere dæmonem, ad quosuis effectus maleficiales inducẽdos per maleficia. Vno modo, inferendo & conseruando noxas, per assistentiam sui actualem, ac concursum: verbi gratia, quando defossa imagine, aut transfixa eius qui maleficiatur, vehementes illi ingerit cruciatus. Altero modo, inferendo morbos aut plagas, per applicationem actiuorum ad passiua: quibus illatis, recedit secundum præsentiam, licèt maneat secundùm effectum: verbi gratia quando propinauit venenum, vnde sequuti sunt morbi, & infirmitates, quo facto recessit. Tertio modo, quando per applicationem actiuorum ad passiua, ingessit morbos, & eos sua actuali præsentia conseruat. Huius exempla ferè innumera sunt.

C

His suppositis dico primò. Ad primi generis maleficia sananda, directè prosunt exorcismi ab Ecclesia instituti. Probatur: quia exorcismi ab Ecclesia instituti, ad hoc à Deo ordinantur, vt dæmonum potestas retundatur: eorumque assistentia dissipetur, Lucæ decimo: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes:* ideſt dæmones: *& nil vobis nocebit*, ideſt vt nil vobis noceant. Sed tota maleficia-

Lucæ. 10.

D

torum

torum ſalus, in caſu poſito, eſt ſita in propulſatione dæmonis aſsiſtentis effectui maleficiali: ergo per exorciſmos procurãda eſt, ad quam plurimum conducunt.

Secundò dico. Ad ſanandum maleficiales effectus ſecundi generis, nil proſunt exorciſmi. Probatur: quia exorciſmi verba quædam ſunt imperioſa, quibus iubetur dæmon recedere, ceſſare, & huiuſmodi. Sed iam dæmon in præfatis maleficijs receſsit, ceſſauit, &c. ergo inutiles erunt exorciſmi. Confirmatur: quia illius generis maleficiales effectus, eiſdem remedijs medicari debent, ac ſi à cauſis naturalibus oritẽtur, quia eiuſdem prorſus rationis ſunt. Sed ſi à cauſis ſolis naturalibus ortum haberent, non eſſet vtendum exorciſmis, ſed ad Pharmacopolas, & Medicos recurrendum: ergo idipſum ſentiendum de huiuſmodi noxis, & infirmitatibus ſecundi generis.

Dico tertiò. Ad tertij generis effectus maleficiales ſanandos, exorciſmi valde conducunt: ſed non ſoli ſufficiunt. Hoc patet ex primo, & ſecundo dicto, & eius probationibus. Item: quia dæmon tunc adeſt in his maleficijs, ſecundùm præſentiam, & concurſum, & ſecundùm effectum morborum. Ad primum, exorciſmi diriguntur: ad ſecundum, pharmaca medicinalia neceſſaria ſunt.

Dico quartò. Plerique effectuum maleficialium pertinent ad tertium genus. Vix enim reperies maleficium, cui dæmon non aſsiſtat, & ſecundùm eſſe ſuum ſuo concurſu: & ſecundum effectum, per affixionem aliquarum qualitatum morboſarũ. Ex his infertur, duplici curatione hæc maleficia communiter indigere, vna ad Medicos expectante, altera ad exorciſtas per exorciſmos. Infertur etiam, maioris difficultatis eſſe maleficiatum liberare, quam obſeſſum, propter rationem dictam, & quia vt ſuperius docuimus, frequenter aliqui obſidentur ſine vlla culpa ſua, quibus Deus propitior eſt. Maleficiati autem adulti, in punitionem criminum, maleficiantur: maximè in ligaminis maleficio, quod omnium maleficiorum frequentiſsimum eſt, ortum habens ex amaſsiarum, & amaſsiorum obſcœnis amoribus. Videntes enim fallaces fœminæ, ſuos amaſsios ad nuptias aliarum conuolare: vndique procurant (& ſæpe inuocato dæmone) eos eunuchizare, vt amplexibus optatis coniugum non fruantur.

A Hinc non erit difficile reſpondere ad argumenta pro parte negatiua. Ad primum, ex dictis colligitur reſponſio; probare ſcilicet ſecundum, & tertium aſſertum. Ad ſecundum dicimus, actum adæquatum poteſtatis exorcizandi dæmones, eſſe dæmones propulſare, ne hominibus noceant, ſiue hoc, ſiue illo nocumento, vt ait Diuus Thom. in art. 2. quæſt. 90. & colligitur ex Lucæ decimo: *Ecce dedi vobis, &c.* Primarius autem, & præcipuus actus huius poteſtatis, eſt eijcere dæmones ab obſeſsis: tùm quia ad eum expreſsius eſt collata poteſtas, Matthæi decimo, & Marci vltimo: tùm quia inter mala, quæ à dæmone hominibus infliguntur, maximum eſt hominem obſidere, & poſsidere. Et ob id exorciſmi, qui inſtrumenta ſunt præfatæ poteſtatis, principalius, & directius ad dæmones eijciẽdos ab hominibus obſeſsis inſtituuntur, & diriguntur. Et quia ad hanc miſeriam curandam, non eſt in terra facultas, ſed à ſolo Deo communicata hominibus, maximè per exorciſmos: ad cætera verò mala, v. g. ad maleficia, alia interdum remedia reperiuntur. Quod verò rarò proſint exorciſmi ad maleficia ſanãda; ſæpius verò ad obſeſſos liberandos, prouenit ex difficiliori curatione maleficiorum, exquirenda nempè ferè ſemper à Medicis carnis, & ab exorciſtis ſimul, vt ſupra docui in corollario illato ex noſtris aſſertis. Ecce quomodo vera ſunt, quæ dixit Doctor Angelicus: & etiã verum eſt, exorciſmos eſſe magnæ vtilitatis, & efficacitatis in maleficijs. Et in dubio vtrùm noxæ illæ ſint primi, an ſecundi generis, ſiue tertij: applicandi ſunt exorciſmi deuotè, & legitimè, ſine ſuperſtitione. Quod vt facias, lege Sacerdotale Romanũ, & vtere aduertentijs à me poſitis ſuperius, pro exorcizãdis arrepticijs, in articulo ſecundo ſæpe citato. Denique aduertas oportet, ferè omnia remedia, quæ ad maleficiatos liberandos conducere diximus: ea proportionaliter animalibus maleficiatis applicanda eſſe. Et hæc dicta ſint pro explicando vſu ſuperſtitioſo vanarum obſeruantiarum, circa corpora immutanda. De qua re compendioſe D. Thom. in hoc articulo, & nos latius in gratiam lectorum diſcuſsimus.

D. Thom. Lucæ. 10.

Matth. 10. Marc. vlt.

B

C

D

ARTICVLVS III.

Vtrùm obseruationes quæ ordinantur ad præcognoscendum aliquà fortunia, vel infortunia, sint illicitæ?

Opusc. 26. Et Gal. 4. lect. 4.

AD TERTIVM sic proceditur. Videt quòd obseruationes, quæ ordinãtur ad præcognoscendũ aliqua fortunia vel infortunia, non sint illicitæ. Inter alia enim infortunia hominũ sunt etiã infirmitates. Sed infirmitates in hominibus quædã signa præcedũt, quę etiam à medicis obseruãtur: ergo obseruare huiusmodi significationes nõ videtur esse illicitũ.

2 ¶ Pręterea. Irrationabile est negare illud quod quasi cõmuniter omnes experiũtur. Sed quasi omnes experiuntur ꝙ aliqua tẽpora, vel loca, vel verba audita, vel occursus hominum, siue animaliũ, siue distorti aut inordinati actus, aliquod pręsagium habent boni vel mali futuri: ergo obseruari ista non videtur esse illicitum.

3 ¶ Præterea. Actus hominũ, & euẽtus ex diuina prouidẽtia disponũtur secundũ ordinẽ quendã ad quem pertinere videtur, quod præcedẽtia sint subsequẽtiũ signa. Vnde ea, quę antiquis Patribus contigerũt, signa sunt eorũ quę in nobis cõplẽtur, vt patet per Apost. 1. ad Cor. 10. Obseruare autẽ ordinem ex diuina prouidentia procedentem non est illicitum. Ergo obseruare huiusmodi præsagia non videtur esse illicitum.

¶ SED CONTRA est, quòd Aug. dicit in 2. de doct. Christ. quòd ad pacta cũ dæmonibus inita, pertinẽt millia inaniũ obseruationũ: putà si mẽbrum aliquod salierit, si iunctim ambulãtibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit: limẽ calcare, cum ante domũ suã aliquis transit: redire ad lectum, si quis cũ se calciat, sternutauerit: redire domũ si procedens offenderit: cum vestis à soricibus rodit: plus timere superstitiones mali futuri quã pręsens dãnũ dolere. Li. 2. c. 20. tom. 3.

¶ RESPONDEO dicẽdũ, quòd homines huiusmodi obseruationes attendunt, non vt quasdam causas, sed vt signa quædã futurorũ euentuum bonorum vel malorum. Non obseruantur autem sicut signa à Deo tradita, cum nõ sint introducta ex autoritate diuina, sed magis ex vanitate humana, cooperante dæmonum malitia, qui nitũtur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare. Et ideò manifestũ est omnes huiusmodi obseruationes, esse superstitiosas, & illicitas. Et vidẽtur esse quædã reliquiæ idolatriæ, secũdam quam obseruabantur auguria, & quidam dies fausti vel infausti, quod quodammodo pertinet ad diuinationem, quæ

fit

fit per aſtra, ſecundùm quæ diuerſificantur dies. Videtur ergo quòd huiuſmodi obſeruationes ſint ſine ratione & arte, vnde ſũt magis vanæ, & ſuperſtitioſę.

¶ Ad primvm ergo dicẽdum, quòd infirmitatum cauſæ præcedunt in nobis: ex quibus aliqua ſigna præcedunt futurorũ morborum: quæ licitè à Medicis obſeruãtur. Vnde & ſi quis præſagium futurorum euentuũ conſideret ex ſua cauſa, nõ erit illicitum, vt ſi ſeruus timeat flagella videns iram domini ſui. Et ſimile etiã eſſe poſſet, ſi quis timeret nocumentũ alicui puero ex oculo faſcinante, de quo dictum eſt in lib. 1. Sic autem non eſt in huiuſmodi obſeruationibus.

1. p. q. 17. art. 3. ad 2.

¶ Ad ſecundũ dicendum, quòd hoc quod à principio in iſtis obſeruationibus aliquid veri homines experti ſunt, hoc accidit caſu. Sed poſtmodũ cum homines incipiunt ſuũ animũ huiuſmodi obſeruantijs implicare, multa ſecundũ huiuſmodi obſeruationes eueniũt per deceptionẽ dæmonum: vt in his obſeruationibus homines implicati, curioſiores fiant, & ſe magis inſerant multiplicibus laqueis pernicioſi erroris: vt Auguſ. dicit 2. de doct. Chriſtiana.

Lib. 2. c. 23 paulò à pri. tom. 3.

¶ Ad tertium dicendum, quòd in populo Iudæorum, ex quo Chriſtus erat naſciturus, nõ ſolùm dicta, ſed etiã facta fuerunt prophetica: vt Aug. dicit contra Fauſtum. Et ideò licitum eſt illa facta aſſumere ad noſtrã inſtructionem, ſicut ſigna diuinitus data. Non autẽ omnia quæ agũtur per diuinam prouidentiam, ſic ordinantur, vt ſint futurorũ ſigna. Vnde ratio nõ ſequitur.

Lib. 4. c. 2. & li. 22. c. 24. to. 6.

Summa Articuli.

Conclusio. Manifeſtum eſt, omnes huiuſmodi obſeruationes eſſe ſuperſtitioſas, & illicitas, & videntur eſſe quædam reliquiæ idololatriæ, ſecundùm quam obſeruantur auguria, & quidam dies fauſti, vel infauſti. Probatur: quia huiuſmodi obſeruationes, non attenduntur vt cauſæ neque vt ſigna à Deo inſtituta: ſed vt ſigna introducta ex voluntate humana, cooperãte dæmonum malitia. Secunda pars concluſionis manifeſta erit conſideranti progreſſum Gentilium in ſuo idolatrico cultu: & ideò non probatur à D. Thoma, ſed à nobis ex hiſtorijs Gentilium oſtendetur.

Contra concluſionem diui Thomæ arguitur primò. Periti Medici, ex quibuſdã licitè obſeruatis, cognoſcunt morbos futuros, & interdum mortem: ergo concluſio D. Thomæ vniuerſim prolata falſa eſt. Cõfirmatur: nam ſuperius docuimus ſomnia quandoque ſignificare humores prædominantes, qui interitus cauſa eſſe ſolent: ergo ex his ſomnijs obſeruatis licet cognoſcere imminentem mortem, aut morbos ad id properantes.

Secundò. Benè ſtat aliquid infauſtũ obſeruatũ, eſſe coeffectũ alterius futuri mali: v. g. poteſt cõtingere, vt ceſpitatio in egreſſu à domo, ſit coeffectus depreſſionis futuræ, ex communi cauſa cœleſti: ergo licitè huiuſmodi obſeruabuntur, & timebuntur, ſicut quęlibet mala imminentia, obſeruare, timere, ac cauere licet. Idem argumentum fiet, de quocunque fœlici obſeruato, quod poteſt eſſe coeffectus boni futuri. Antecedẽs patet ex dictis circa articulũ quintũ, & ſextum quæſtionis præcedentis. Tertiò, id quod frequenter accidit, neq; vanum, neq; ſuperſtitioſum iudicari debet: ſed obſeruationes fortuniorum, aut infortuniorum ſæpe legimus, & audiuimus indicaſſe futuros euentus: ergo, &c.

Galat.4. In oppoſitum eſt D.Paulus ad Galtas 4. dicens: *Dies obſeruatis & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis.* Quas obſeruationes Patres explicant de his ſuperſtitioſis, ad infortunia, vel fortunia prænoſcēda ordinatis.

D. Thom. Meritò diuus Thomas, in concluſionis ſecunda parte ait, obſeruationes ad dignoſcendum fortunia, aut infortunia, eſſe quaſdā reliquias idololatriæ; etenim cæca Gentilitas ita his obſeruationibus dedita fuit, vt vix quidquam ſine omine, ideſt vana obſeruatione, agere, aut non agere liceret. Vagaturque hæc ſpecies ſuperſtitionis, ferè per omnes diuinationis ſpecies: de qua re refertæ ſunt profanæ paginæ. Sed pudendum, nam hoc tempore abundant Reſpublicæ, abūdā: Regna ominoſis, & ſuperſtitioſis hominibus, præcipuè obſeruantibus tempora, dies, & menſes ad opus aggredien dum, vel ab opere ceſſandum: quos reprehendit D. Paulus in verbis citatis ex epiſtola ad Galatas; & nos reiecimus in articulo quinto quæſtionis proximè præcedentis, diſputantes contra eam Aſtrologiæ partem iudiciariam, quæ dicitur auſpicationum, ſiue electionum. Nec hac ominoſa obſeruatione contenti, ad multo plures vanas, & ſuperſtitioſas obſeruationes, ſe viri ominoſi extendunt: quarum plura referunt ſancti Patres, Chryſoſtomus homilia 21. ad populum Antioch. *Et quid tandē* (inquit) *ſunt omina? Sæpe domum ſuam quis egreſſus hominem videt vnoculum, vel claudicantem, & ominatus eſt.* Et poſtea: *ſi virgini occurreris, ſterilis dies erit: ſi verò meretrici, dextera, & bona, & plena multa mercatione.* Et ſtatim in hoc delirium inuehitur. Et diuus Auguſtinus præcipuè in ſecūdo de doctrina Chriſtiana cap. 20. ſic ait: *His adiunguntur millia inaniſſimarum obſeruationum, ſi membrum aliquod ſalierit: ſi iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit: atq; illud quòd lapidem calcant, tanquam diremptorem amicitiæ, minus moleſtum eſt, quàm quod innocentem puerum colapho percutiunt, ſi pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum eſt, quod aliquando pueri vindicantur à canibus: nam plerumque tam ſuperſtitioſi ſunt quidam, vt etiam canem, qui medius interuenerit, ferire audeant, non impunè: namq; à vano remedio, citò interdum ille percuſſorem ſuum, ad verum Medicum mittit. Hinc ſunt etiam illa: limen calcare, cum ante domum ſuam tranſit: redire ad lectum, ſi quisdum ſe calciat ſternutauerit: redire domum, ſi procedens, offenderit: cùm veſtis à ſoricibus roditur, plus timere ſuſpicionem futuri mali, quàm præſens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictū eſt Catonis, qui cum eſſet cōſultus à quodam, qui ſibi à ſoricibus eroſas eſſe caligas diceret? reſpondit: non eſſe illud monſtrum, ſed verè monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur.* Hæc Auguſtinus lepidè, enumerans tot genera inanium obſeruationū. Alij addūt, ſi domum alienam ingreditur canis niger; ſi anguis per impluuium decidit de tegulis; ſi ſalinum euerſum; vinum effuſum; ſi crebrius, vel rarius in menſa ſternutatum; ſi quis crus cruri impoſuerit; ſi quod in conuiuio verbum triſte prolatum; ſi canis vlularit; ſi coruus tecto inſidens crocitauit. Quidam etiam ſuperſtitioſe obſeruant, an cum ſurgunt primò induerint calceum, vel femorale dextrum, an ſiniſtrum, aut quo pede primum tangāt terram, vel domo egrediantur, & huiuſmodi. Quæ foris eueniunt plura ſunt: idque diuus Auguſtinus retulit. Item leporem tranſuerſo ſaltu iter dirimiſſe, lupum, caprum, aut aliud animal in via vidiſſe: & vt hæretici aiunt, obuium habuiſſe Monachum: & alia ſine numero, quorū vanam ſuperſtitionem, præter probationē diui Thomæ, & Patrum verba, vel hoc ſolo licet confundere: quia ſi his eſſet attendendum ad cognoſcendum quid agendū, & quando ab opere ceſſandum, ad ſciendum fœlices, vel infœlices ſucceſſus, vix homines ambulare, egrediè domo, cōſiſtere, nubere, legere, mutire, aut ſputum emittere auderent: adeò innumera ſunt omina ſe ſe offerentia.

Ad primum reſpondetur, D. Thomam non negare licitum eſſe ex cauſis effectus præſagire, & infauſtos timere ac præcauere: ſicut ſeruus timet flagella, videns iram domini ſui. Et ob id licitum eſt Medicis, obſeruare quædam antecedentia infirmitates: quia earum ſunt cauſæ. Iſto pacto licitè obſeruant dies criticos, annos climatericos, ſomnia, pulſum, vrinam, & huiuſmodi. Nautæ ſimiliter tempeſtatum cauſas; agricolæ, & paſtores, ſterilitates paſcuorum, aut ſegetum, efficientium vt ſibi prouideant, & præcaueāt. At obſeruationes, quas D. Tho. illicitas eſſe, & ſuperſtitioſas affirmat; nequaquā cauſæ ſunt fortuniorū, aut infortuniorū, ſed damnat ſigna cōuenta, non inter Deū, & homines, ſed inter diabolos, & Magos: & ideò meritò reprobantur. Et ſic patet ad primum, & eius confirmationem.

Secun-

Caietan. Secundo argumento conuincitur dominus Caietanus, in commentarijs huius articuli; & clarius in summa, verbo *superstitio*, dicens: *Potest homo absque omni præsagio cauere prudenter ab immmentibus; dubitando ne præsens occursus sit signum futuri, ex communi vtriusque causa cœlesti, vel etiam diuina prouidentia: vt si quis cadens corporaliter, timeat aliquem casum in statu, vel honore, &c. Propterea tamen non desistat ab operibus prudenter agendis: sed cautius vigilet, &c. Potest enim esse, vt iste casus effectus sit causæ futuri casus: & propterea significet illum.*

Hæc sententia Caietani mihi valde displicet. Primò: quia aperit viam defendendi omnem ominosam obseruationem: quæ *August. D. Thom.* Diuo Augustino, & Diuo Thomæ, ac alijs sapientibus, visa est non solùm vana, sed vt vanissima, & ominosa, reprobanda. Etenim si offensionem pedum licet accipere vt signum mali alterius futuri, ex communi ad vtrumque malum causa; cur non idem dicere licebit de sternutamentis? de caligis erosis à muribus? de cane interueniente inter amicos ambulantes? de tinnitu auris dextræ, quæ superstitiosè dicitur portendere, amicum nostri memoriam habere? si verò sinistræ sonitus sit; indicare inimicum de nobis cogitare, aut obloqui? & sic de alijs ominationibus. Secundo: quia neq; Gentiles mediocriter sapientes, hoc suffu- *Cicero.* gium admisêre: Cicero irridens li. 2. de diuinatione ait: *Hoc si suscipimus; & pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternutamenta, erunt obseruanda.* Tertiò: quia Gẽtiles nimis dediti superstitionibus, nõ amplius quàm Caietanus admittebant re ipsa. Obseruarunt Tiberium Grachum quo die occisus fuit, è domo egredientem ad limen *Valerius. Plutarch.* pedes offendisse: ita Valerius lib. 1. c. 4. Plutarchus in Grachis: & idem accidisse Crasso in die infausti belli, ait Plutarchus in Crasso: & hoc ipsum obseruare posse Christianos, ait Caietanus.

Sed pro solutione argumenti aduertendum: effectus obseruatos prouenire posse à causa aliqua, ipsis, & futuris euentibus cõmuni, tripliciter: vel à causa cœlesti, vel à diuina, aut à dæmoniaca. Rursus: in ominosa obseruatione duo possunt intẽdi. Primũ est, cognitio euentus alicuius futuri: & hoc ad diuinationis quandam speciem pertinet (siue subalternam, siue specificam specie atoma, non moror) & sub ista consideratione, quando, & quomodo peccatur

A in tali obseruatione, diximus in art. 7. quæstionis præcedentis, agentes de ominibus. Secundum, quod in ominosa obseruatione, potest intendi, est cognitio futuri euentus ordinata ad opus: vel quod idem est, operari ex cognitione præhabita futuri euentus: putà timere, & præcauere sibi, si præcognoscatur euentus infœlix futurus: vel sperare, & disponi ad amplectendum effectum, si prænoscatur fœliciter successurus. Et in ista secunda consideratione, agimus in hoc articulo de ominosis obseruationi- *D. Thom.* bus: de quibus Diuus Thomas ait, pertinere ad superstitionis vitium. Quod citra cõ-

B trouersiam debet teneri, quando euentus ominatus pendet à libero arbitrio. Secundò: quando certo, vel quasi certo constat ex sapientium prænuntiatione, res obseruatas, neque esse causas, aut effectus futurorum euentuum; vel non esse coëffectus eiusdem causæ communis. Tales iudicantur à sapientibus, omnes relatæ obseruationes ex Augustino, & alijs, maximè offensio pedum, ad significandum oppressionẽ futuram, sternutatio, & huiusmodi: quæ ferè semper casualiter contingunt, in illa habita confœderatione cum euentibus futuris. Dices cum Caietano: potest reperiri ea

C confœderatio: ergo licite potest timere homo, & præcauere sibi ab ominato malo. Concedo antecedens in aliquo casu rarò, & multum accidentaliter: & negatur consequentia: nam si illa connexio est à diabolo; quomodo erit obseruanda, nisi ipso edocente, cui non debemus credere, nec associari? Neque timendum: aliàs in omnibus ad hostilem affectum eius trepidaremus. Si à Deo est; nisi ipse reuelet, aut probabilibus coniecturis ostendat: vanum est obseruare; & multo vanius, ob id incertum, & rarò contingens, tremere. Maximè, quia his leuiculis signis relatis, non solet Deus

D hominibus minitari; sed grauioribus, & probabilioribus, vt narrauimus in artic. 8. præcedentis quæst. agentes de prodigijs, & portentis. Ait Caietani tenax discipulus: potest esse obseruata res coeffectus futuri euentus, à communi causa cœlesti. Fateor, aliquando, & rarò: sed cum hoc ignoretur, qui obseruaret, vt præcaueret sibi, vel timeret, vitium timiditatis, & vanæ obseruationis incurreret, trepidando vbi non est timor, obseruando quæ de se omnium æstimatione vana iudicantur, & nullam habentia connexionem cum euentu futuro: & peccaret mortaliter, si propter eam

obſeruationem timeret, aut ſperaret euentus liberos, vt ipſe Caietanus in ſimili aſſeruit, in commentarijs articuli quinti quæſtionis præcedentis: vel ſi deſiſteret ab agendis neceſſariò, vel ageret neceſſariò nõ agenda. Aliàs tantùm erit veniale peccatum timiditatis, & obſeruationis vanæ.

Tertium argumentum, ſæpè à D. Tho. & à nobis inculcatum eſt: nec mirum, nã eſt præcipuum aſſyllum ſuperſtitioſorum. Cui reſpondetur: eas obſeruationes à principio caſu accidiſſe, verum euentum ſignificantes: ſed poſtea homines cupidi ſciẽdi ignota, à dæmonibus implicati, his dulcibus laqueis decipiũtur: & dæmonum aſtu fit, vt obſeruata, quæ de ſe vana ſunt, re ipſa contingant.

DISPVTATIO II.

An licita ſit obſeruatio dierum fœlicium, aut infœlicium, ad aliquod opus agendum?

ET videtur vera pars affirmatiua. Primò ex vſu antiquo Eccleſiæ, quem refert Gloſſa Canone *non obſeruatis*. 26. q. 7. iuxta quem in Kalendarijs ſuis deſignabantur dies infauſti, quos AEgyptiacos vocant: nimirum, vt eos obſeruatos, ad quidpiam operis faciendi vitarent. Secundò. Medici licitè obſeruant dies criticos, & Lunæ, ac influentiarũ ſideralium, ad applicanda pharmaca: quæ conſtat ſub vna conſtellatione fœliciter operari, ſub alia infœliciter. Agricolæ ſimiliter certa tempora licitè obſeruant ad ſeminandum, nautæ ad nauigandum, & ſimilia. Quis enim horum obſeruationes audeat damnare?

Gloſſa.

Pro parte negatiua facit Apoſtolus citatus, ad Galatas 4. & Patres illud teſtimoniũ explanantes. Diuus Ambroſius ſic ait: *Dies obſeruant, qui dicunt, vt putà, craſtino proficiſcendum non eſt: poſt craſtinum enim nõ debet aliquid inchoari, & ſic ſolent magis decipi. Hi autem colunt menſes, qui curſus Lunæ perſcrutantur, dicentes, vt putà: ſeptima Luna ſtrumenta confici non debent: nona Luna ſeruum emptum, vt putà, domum duci non oportet: & per hæc faciliùs ſolent aduerſa prouenire. Tempora verò ſic obſeruant, cùm dicunt: hodie Veris initium eſt, feſtiuitas eſt; poſt cras Vulcanalia ſunt. Et talia iterum a-*

Ad Gal. 4. Ambroſ.

iunt: poſterum eſt (id eſt, aduerſum, & præpoſterum) *domum egredi non licet. Annos ſic colunt, cùm dicunt: Kalendis Ianuarijs nouus eſt annus: quaſi non quotidie impleantur anni. Sed vt Iani illius memoriam recolant bifrontis, hac ſuperſtitione vtuntur: quæ longè debet eſſe à ſeruis Dei. Si enim Deus ex toto corde diligatur, ipſo propitio, nulla debet eſſe formido, neque ſuſpicio harum rerũ: proſperè enim poteſt cedere, quidquid ſimpliciter ſub Dei deuotione fit.* Diuus Auguſtinus epiſtola 119. capit. 7. eos vt ſuperſtitioſos damnat, qui dicunt: *Non proficiſcar, quia poſterus dies eſt, aut quia Luna ſic fertur: vel proficiſcar, vt proſpera cedant, quia ita ſe habet poſitio ſiderum: non agam hoc menſe commercium, quia illa ſtella mihi agit menſem: vel agam, quia ſuſcepit menſem: non plantem hoc anno vineam, quia biſſextus eſt.* Et idem Auguſtinus in inchiridio. cap. 79. *Sicut obſeruant, qui certis diebus, ſiue menſibus volũt, & nolunt aliquid inchoari: eo quod ſecundum vanas doctrinas hominum, fauſta, vel infauſta exiſtiment tempora.* Et ſuper cap. 4. ad Galatas, idem ſic ait: *Plena ſunt conuenticula noſtra hominibus, qui tempora rerum agendarum à Mathematicis accipiunt. Iam verò ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum, aut huiuſmodi aliquid operum, diebus, quos Ægyptiacos vocant: ſæpè etiam nos monere non dubitant.* Referuntur hæc 26. q. 7. Canone *non obſeruetis*, & Canone, *qui exiſtimaret*. Et Martinus Papa (refertur 26. q. 5.) ſic ait: *Non licet Chriſtianis tenere traditiones Gentilium, & obſeruare, & colere elementa, aut Lunæ, & Stellarum curſus, aut inanem ſignorum fallaciam pro domo facienda, vel propter ſegetes, vel arbores plantandas, vel coniugia ſocianda.*

Auguſt.

Marti. Pa.

Pro deciſione præmittendum, dies omnes, menſes, & annos, de ſe bona eſſe, nec quicquam mali habere: vtpotè facta à Deo, vt ſint regula, & menſura noſtrarum actionum. Vnde Pſalmo 73. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es Auroram, & Solem: Æſtatem, & Ver, tu plaſmaſti ea.* Et alibi: *Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.* Si quid autem mali dicuntur habere, id totum expendendum eſt, ex maligna influentia ſiderum erga corpora inferiora, his, vel illis diebus, aut temporibus: & tota eorum obſeruatio (ſi quæ in temporibus eſt) ab influxu ſiderum deſumenda eſt. Hoc ſuppoſito

Pſalm. 73.

Dico primò. Obſeruare dies, menſes, annos

annos, aut quæuis alia tempora, seu influẽtiam siderum, in eis temporibus, ad euentus futuros, qui ex libero arbitrio hominum pendent: superstitiosum, & vanum est, desumptum à ritibus Gentilium. Casus harũ obseruationum petendi sunt ex Patribus: maximè ex Ambrosio, & Augustino allatis. Et probatur: quia tota istorum temporum obseruatio, nititur in constellatione, & positione Astrorum, ac siderum in hisce diebus, aut temporibus: sed euentus pendentes à libero arbitrio, neque eorum significatio, non subduntur causalitati cœlestium corporum, vt ostendimus sæpè, & præcipuè, circa articulum quintum quæstionis præcedentis: ergo obseruationes temporum, quæ ordinantur ad operationes, à libero arbitrio pendẽtes, vanæ sunt, & superstitiosæ. Hoc crimine inuoluuntur, qui obseruant dies certos, ad inchoandas lites, ad gratiam Principum aucupandam, ad ineunda matrimonia fœlicia, aut infœlicia, & similia.

Secundò dico. Qui obseruat dies, mẽses, vel annos, aut quæuis tempora, ad euentus fortuitos, & per accidens euenientes, superstitiosus est. Probatur: quia istorum causalitas, & significatio non cadit sub efficacitate corporum cœlestiũ, quę in his, vel in illis diebus diuerso modo influunt, vt ostendit Diuus Thomas in art. 5. citato. Quo fit, vt sint obseruationes superstitiosæ; eligere certos dies, aut horas, ad ingrediendum, aut egrediendum à ciuitate, ad ædificandam domum, ad ludum inchoandum, ad iter agendum, & huiusmodi: quia timetur, vel speratur euentus fortuitus, aut per accidens, puta: si hac hora egrediar domo, à muro obruar: si iter egero, discerpar à bestijs, &c. Deinde probatur, quia in his commemoratis euentibus, aliquid admiscetur de intellectiua potentia; cuius actus, aut habitus non subduntur sideribus: verbi gratia: in ædificatione domus ars interuenit, in itineris inchoatione, consilium, &c.

Tertiò dico. Obseruare dies, annos, aut tempora quæuis ad euentus purè corporeos, vel fugiendos quia infœlices, vel amplectendos quia faustì, eo quod illis temporibus sidera influunt, aut adiuuant eos euentus, non est superstitiosum, aut illicitum. Probatur, quia licitum est vti causis ad suos effectus: ergo & easdem obseruare, & tempora quibus causant. Hinc infertur nõ esse illicitum, Medicos attendere Lunæ dies in augmento, aut decremento; & influentias Astrorum: vt applicatio medicamentorum fœlicius succedat. Licitum est scisoribus lignorum, obseruare quædam tempora, quibus, si scindant ligna, carie inficiuntur: alijs verò, illæsa seruantur. Vnde Columela, lib. 14. *Omnis materia in ædificia, succidi debet Luna decrescente, à vigesima vsque in trigesimam: quia sic cæsa, iudicatur carie non infestari.* Item agricolæ licitè obseruant quosdam dies, propter influẽtiam siderum, & positionem, aptos, aut ineptos, his, vel illis effectibus: verbi gratia: ad serendum attenditur quod Sol sit in Scorpione, vel in principio Sagittarij: ad seminandas fabas, in Tauro: ad serendum hordeum, quod sit in Libra, vel in principio Scorpionis. De quo Columela, Virgilius, & alij, qui scripsêre de re rustica. Fateor, hæc nimis attendere, si non superstitiosum, saltem nimis noxium est: iuxta illud: *Qui obseruat ventum, non seminat*, Ecclesiast. 5. Idem dicito de pastoribus, ad miscendos mares fœminis; ad tondenda vellera, &c. & de nautis obseruantibus dies Alcyoneos, & similia. De quibus obseruationibus multa scripsêre vacantes rei rusticæ.

Colume. *Colume.* *Virgilius.* *Eccles. 5.*

Dico quartò. Obseruare dies, annos, aut tempora, ad euentus corporeos, qui nequeunt effici à cœlorum influentia mediãtibus rebus obseruatis, illicitum est, & superstitiosum. Ratio manifesta est, quia sumitur obseruatio, vnde desumi non potest: v. g. obseruare diem, in quo si egrediatur quis domo, inueniet thesaurum, aut morietur: si inchoauerit domum inhabitare, aut ædificare, citius morietur: si consuerit vestem nouam, aut vestierit; pauco tempore fruetur: si quis iter tali die inchoauerit, infœlices, aut fœlices experietur successus, & similia. Quę omnia illicita sunt, vana, ac superstitiosa. Sed speciatim reprobabitur vna obseruatio istarum vana: vt inde discas alias expugnare. Nam rogo istos obseruatores, à quo causatur breuitas vitæ, obseruata in hac hora, si egrediatur domo, aut vestem nouam induerit? Non ab influentia cœlesti in hac hora vrgente: quia omnes alios, siue intra, siue extra domum existentes, morte mulctabit. Nõ à domo, quia siue egrediaris, siue maneas; ab eadem inficieris: neque à veste, quia siue vestiaris ea hac hora, vel altera, morieris male affectus ab eius maligna efficacitate. Superest ergo, vt vanissimum sit huiusce modi obseruare.

Dico

Dico quintò. Obſeruare dies, menſes, aut annos, vt ominoſos, ſiue in bonũ, ſiue in malũ, nulla habita ratione ad ſiderũ influẽtias, ſuperſtitioſum eſt. Probatur, quia tẽpus non eſt operatiuũ aliquorum effectuũ: ergo neq; ſignificatiuũ, ac proinde vanũ eſt, & ſuperſtitioſum, obſeruare illud.

Alexan. ab Alex. Auguſt.

Omnes fere dies ominoſos cunctarũ nationum, colligit Alexander ab Alex. lib. 4. dier. gen. c. 20. & hos dies vocat Auguſt. lo ciscitatis Aegyptiacos: & eodem pacto nũ cupãtur in Iure Canonico, vbi ſup. Quare autem vocentur Aegyptiaci, nil certi reperio. Omnes dies funeſtos ſic vocari, cõmune proloquiũ eſt: & apud Hiſpanos vocãtur *dias aziagos*, voce, *Ægyptiacos*, corrupta. Quidã aiũt propterea Aegyptiacos vocari, quia in illis Deus plagas intulit Aegyptijs, qui nolebant dimittere Hebræos. Sed hæc opinio reijcitur, & meritò ab Abulenſi ſuper cap. 15. Exodi, q. 15. tũ quia non fuerũt tot diebus plagati, neque tot plagis Aegyptij, quot numerantur dies Aegyptiaci. Tum quia fabuloſum eſt, omnes illos dies plagarum, pro omnibus hominibus fuiſſe à Deo maledictos, & illos funeſtos effeciſſe. Alij, & melius, dictos fuiſſe Aegyptiacos, quia ab Aegypto, plena ſuperſtitionibus, adinuentos. Et fortaſſe inde ad omnes ominoſos dies, cuiuſuis nationis vocabulum extenſum eſt. Singulo quoq; menſe, duos Aegyptiacos dies notatos fuiſſe, ait Abulenſis, vbi ſupra, & Petrus Breſlaius libro 1. notabilium, c. 53. huiuſmodi dicit eſſe, Ianuarij, primum, & vigeſimum quintum: Februarij, quartum, & vigeſimum ſextum: Marcij, primum, & vigeſimum octauum: Aprilis, decimum, & vigeſimum: Maij, tertium, & vltimum: Iunij, decimum, & decimum ſeptimum: Iulij, decimum tertium, & vigeſimũ ſeptimũ: Auguſti, primũ, & vigeſimũ quartũ: Septẽbris, tertiũ, & vigeſimũ primum: Octobris, tertium, & vigeſimum ſecundum: Nouembris, quintum, & vigeſimũ octauũ: Decembris, ſeptimum, & vigeſimũ ſecundũ. Suſpicor, hos accepiſſe, ex Kalendarijs antiquiſsimis, vbi aſtu ſuperſtitioſorũ hi dies intruſi ſunt. Exempla plura horũ dierũ ſuperſtitioſorum ſuppeditant Patres citati, prẽcipuè Ambroſius. Et modò non deeſt noua inuentio dierum ſuperſtitioſorum: nam fertur, quoſdã habere diem Magdalenæ, & diem Lunæ, & alios, vt infauſtos, ad iter, aut rem aliquã inchoandã. Sicut & Mendocino ſanguine illuſtri apud Hiſpanos nati, habent omnes dies Martis, vt ſibi infenſos. Alij certis diebus ſcopis tãgunt olera, ne ab erucis, vel alijs nociuis animalculis lędãtur. Ad eandem ſuperſtitionem referẽdi, nolẽtes præſcindere vngues feria ſexta, vel nere die Sabbathi; cum eiſdẽ diebus non abſtineant ab alijs operibus ſeruilibus: qui credunt maiorẽ ineſſe vim aquæ benedictæ Dominicis poſt quatuor tẽpora, quàm alijs diebus: qui oua, quæ gallinæ pariunt in die Paraſceues, ſeruant toto anno, quia ea credũt habere vim ad extinguenda incẽdia, ſi in ignem proijciãtur. Ridicula hæc. Et vt ab huius poſtremi exami ne diſcas irridere cætera; rogo: vnde huiuſcemodi ouis virtus hęc? nam ſi naturalis eſt; vel à gallina parturiẽte; vel à die: nam nulla matri prærogatiua; nil die illo magis ſingulare ſidera ouis influunt. Si dicas, virtutem eſſe ſupernaturalẽ. Et quare ouis partu ritis in die Paraſceues; & nõ enixis die Natiuitatis Domini? Dices, priuilegio peculiari. Vnde noſti? & quando cõceſſum? & cui? Dicent, experientia ſuaſit. Quaſi hæc nugamẽta non exerceat diabolus, vt ſub prætextu ſanctitatis, mortales vanitatibus, & ſuperſtitionibus implicet. Pari ratione, ſuperſtitionis rei ſunt qui colligunt herbas in die ſancti Ioannis, ad certos quoſdam effectus, prẽcipuè herbæ Filicis grana, Hiſpanè *Helecho*, quibus Magi vtũtur ad quædã veneficia. Item ſuperſtitioſi ſunt, qui in die Annũtiationis inſerũt arbores; vel in feſto S. Stephani minuunt ſanguinem equorum; & qui ſimilia faciũt, cauſam naturalem attẽdentes, quæ nulla eſt. Si verò directè iſta attribuerint meritis Sanctorum, & Deo effectum, excuſarem eos.

Abulenſ. Breslai.

Ambroſius

Dico ſextò. Obſeruare dies certos, menſes, aut annos vt ominoſos, etiam ſub prætextu malignæ alicuius influẽtiæ cœleſtis, aut fauorabilis: v.g. certos dies hebdomadæ vnius mẽſis, aut anni, ſuperſtitioſum eſt ſecundũ ſe. Exẽpla multa ſunt poſita in prẽcedẽti aſſerto. Quod probatur adducto in medium primo die Ianuarij, qui reputatus eſt ominoſus in malũ; & præcipuè nona hora, iuxta illud: Prima dies, nona ſit Ianuario, ſcorpius hora. Et argum. ſic: Infauſtæ conſtellationes nõ eueniunt ſingulis annis eodem die, & hora: etenim Sol, Luna, & aſtra nõ permanẽt in eodẽ loco, aut eiſdẽ ſignis, ſed ſunt in perpetuo, ac velociſsimo motu; nec habẽt inter ſe eoſdẽ aſpectũ, & diſtãtias quolibet die, aut hora anni: in cuius ſignum certiſsimũ facit, quod dies prima Ianuarij in vno anno ſerena eſt, in alio nubiloſa; in

vno

vno pluuiosa, in alio sicca. Confirmatur; quia coniunctio Solis, & Lunæ, quæ præcipuè conducit ad variandum constellationē, in vno anno contingit prima die mēsis, in altero, secunda, aut quinta. Similiter & aspectus siderum certi, in vno anno eueniunt hac die; in alijs, diuersis diebus: ergo obseruare certos dies vt ominosos, sub prętextu constellationis contingentis singulis annis eodem die; vanum est, & sine fundamento asseritur. Dicet fortasse quispiam; Sol singulis annis, eodem die iungitur eisdem stellis fixis: & hoc sufficit. Respondetur, assumptum esse falsum; quia singulo quoque anno Sol prætergredietur cursum suum in proximè precedenti anno per sex horas, ex quibus annus bissextilis conflatur: ergo non fit eadem coniunctio Solis, & stellarum fixarum eodem die cuiusque anni. Imò neque post multum temporis fiet cōiunctio præfata eodem mēse. Quinimò, dato Solem eodem modo concurrere cum stellis fixis in die certo anni, putà primo die Ianuarij: sed tamen neque esset eadem constellatio, neque ijdem effectus, propter diuersos aspectus Lunæ, Solis, ac Astrorum, vt dictum est: ergo superstitiosum est secundum se, præfatos dies obseruare. Dico, secundum se, quia istos qui sic obseruant, putantes effectus ijs diebus cōtingere, propter influentiam siderum similem in similibus diebus; excusarem à superstitione, propter ignorantiam, nisi crassa esset, & affectata: non tamen excusarem à vanitatis vitio. Ad hanc classem reduco eos, qui obseruant certas festiuitates, vt Purificationis, conuersionis Beati Pauli, Vincentij, Vrbani, vel aliorum: quibus si pluat, aut cœlum serenum sit; sibi promittunt serenitatem, fertilitatem, vini copiam, vel inopiam, aut pluuiam continuatam per tot dies, iuxta versus quosdam:

Clara dies Pauli, bona tempora denotat anni, &c.

Ad argumenta posita in principio disputationis pro parte affirmatiua, quatenus militant contra primum, quartum, quintū, & sextum asserta: respondetur ad primum argumentum: eos dies notatos vt ominosos in Kalendarijs antiquis, non ab Ecclesia ibi insertos, quæ cum Paulo huiusce modi dies execratur: sed ex abusu, & malitia superstitiosorum subrepsisse. Quare ab his noua Kalendaria purgata sunt, & sinceræ antiquitati restituta: qua in re Glossator valde errauit. Ad secundum respondetur, probare tertium assertum: neque expugnare cætera. Ad testimonium Diui Pauli pro parte negatiua, quatenus omnem obseruationem temporum videtur prohibere, respondetur, germaniorem illius loci sensum esse, de superstitioso cultu Iudæorum, circa dies, menses, & annos, festiuos secundum legem; quos dies Galatæ imitabantur. Ita Diuus Thomas, & ante eum omnes ferè Græci, & D. Hieronymus. Non tamen negandum est, quin aliquid Paganismi irrepterit apud Galatas obseruantes superstitiosè dies, menses, & annos, iuxta ea quæ animaduertimus: quos acerrimè obiurgat D. Paulus, tùm propter superstitionem iam commemoratam in primo, quarto, quinto, & sexto assertis. tùm maximè, propter ido lolatriam admixtam; quia in honorē Deorum falsorum eos dies obseruabant; implorantes eos, quos illis diebus putabant præsidere, vt primo die Ianuarij Ianum bifrōtem; alio die Martem; alio Saturnum. Et sic est interpretandum Decretum Martini Papæ citatum, & patet attentè legenti. Cui responsioni intelligendæ proderit legisse quod ait Suetonius in Augusto, & Caligula, diem primum Ianuarij magna solemnitate celebrari solere apud Ethnicos: & inter cæteros eius solemnitatis ritus, dabantur strenæ, id est, certa quædam munera, in omen, seu precationem bonam anni prosperè decursuri. Strenæ autem dictæ sunt, quasi trena, & litera, S, præposita, strena, à numero ternario, alterum tertiumque venturum similis commodi: vel ab strenuitate, vt placet Nonio, eo quod illis datis muneribus, omina strenua, & fausta sperabantur. Has strenas, propter huiusmodi superstitiones Concilium Altisiodorense cap. 1. vocat diabolicas: & eorum, qui eas mittebant illo primo die Ianuarij, videntur fecisse mentionem D. August. relatus, Canone *non obseruetis*. 26. q. 7. & Martinus Papa relatus, c. *non licet*, eadem causa, & quæstione: *Non licet* (inquit) *iniquas obseruationes agere Kalendarum, & otijs vacare, neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos. Omnis enim hæc obseruatio Paganorum est.* Videndus est textus ex Zacharia Pontifice, Canone *si quis Kalendas*. 26. q. 7. Quare si quis modò, in honorem Iani, vel Strenię Deæ epulis vacaret, aut strenas mitteret; idolatra esset. Si id faceret dumtaxat, vt omen certum prosperi euentus, esset vana obseruantia, quam damnat D. Thomas, in hoc articulo, peccati plerumque mortalis.

D. Thom. Hierony.

Sueton.

August. Mart. Pa.

D. Thom.

At ve-

At verò si id faceret vt incertum omen, vel augurium: peccatum esset veniale. Si animi recreandi, aut amicitiæ conseruandæ causa, pro consuetudine Christianorum illo die; nullum esset crimen. Imò si faceret in honorem Circuncisionis Dominicæ, quam tunc celebrat Ecclesia; opus religionis exerceret. Nam iam obliuioni traditæ sunt illæ cæremoniæ Gentilium, ob quas tam seueræ sanctiones Canonum conditæ sunt.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm suspendere diuina verba ad collum, sit illicitum?

Quodli. 12. cap. 14.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd suspendere diuina verba ad collum non sit illicitum. Nó enim diuina verba minoris sunt efficaciæ cum scribuntur quàm cum proferuntur. Sed licet aliqua sacra verba dicere ad aliquos effectus: putà ad sanandum infirmos, sicut Pater noster, vel Aue Maria, vel qualitercumque nomen Domini inuocetur, secundùm illud Marc. vl. In nomine meo eijcient dæmonia, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: ergo videtur quòd licitum sit aliqua sacra scripta collo suspendere in remedium infirmitatis, vel cuiuscumque nocumenti.

2 ¶ Præterea. Verba sacra non minus operantur in corporibus hominum, quàm in corporibus serpentum, & aliorum animalium. Sed incantationes quandam efficaciam habent ad reprimendum serpentes, vel ad sanandum quædam alia animalia. Vnde dicitur in Psal. 57. Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter: ergo licet suspendere sacra verba ad remedium hominum.

3 ¶ Præterea. Verbum Dei non est minoris sanctitatis quàm Reliquiæ Sanctorum. Vnde Aug. dicit, quòd non minus est verbum Dei, quàm corpus Christi. Sed Reliquias Sanctorum licet homini collo suspendere, vel qualitercumque portare ad suá protectionem: ergo pari ratione licet homini verbo, vel scripto verba sacræ Scripturæ ad suam tutelam assumere.

In lib. 50. Homi. Ho. 26. ante med. to. 10.

¶ SED CONTRA est, quòd Chrysosto. dicit super Matthæ. Quidam aliquam partem Euãgelij scriptam circa collũ portant, sed nonne quotidie Euangelium in Ecclesia legitur, vt audiatur ab omnibus? Cui ergo in auribus posita Euangelia nihil prosunt, quomodo possunt eum circa collum suspensa saluare? Deinde: vbi est virtus Euangelij? In figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, benè circa collum suspẽdis: si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quàm circa collum suspensa.

Hom. 43. in Matth. in opere imperfect. à med. illius, to. 2.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd in omnibus incantationibus

nibus, vel ſcripturis ſuſpenſis duo cauenda videntur. Primò quidem, quid ſit quod profertur, vel ſcribitur: quia ſi eſt aliquid ad inuocationes dęmonum pertinens, manifeſtè eſt ſuperſtitioſum, & illicitum. Similiter etiam videtur eſſe cauendum, ſi contineat ignota nomina: ne ſub illis aliquid illicitum lateat. Vnde Chryſoſt. dicit ſuper Matth. quod Phariſæorum magnificantium fimbrias ſuas exemplo, nunc multi aliqua nomina Hebraica Angelorum confingunt, & ſcribunt, & alligant: quæ non intelligentibus metuenda videntur. Eſt etiam cauendum ne aliquid falſitatis contineat: quia ſic eius effectus non poſſet expectari à Deo, qui non eſt teſtis falſitatis. Deinde cauendum eſt ſecundò, ne cum verbis ſacris contineantur aliqua vana: puta aliqui characteres inſcripti prętter ſignum Crucis. Aut ſi ſpes habeatur in modo ſcribendi, aut ligandi, aut in quacunque huiuſmodi vanitate, quæ ad diuinam reuerentiam non pertineant: quia hoc iudicaretur ſuperſtitioſum: aliàs autem eſt licitum. Vnde in Decretis dicitur 26. quæſt. 5. cap. non liceat Chriſtianis, &c. Nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales ſunt, aliquas obſeruationes, aut incantationes licet attendere, niſi tantùm cum Symbolo diuino, aut Dominica oratione: vt tantùm Creator, & Deus omnium adoretur, & honoretur.

Homil. 43. in opere imperf. à med. tom. 2.

26. q. 5. ca. Non liceat

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd etiam proferre diuina verba, aut inuocare diuinum nomen, ſi reſpectus habeatur ſolùm ad Dei reuerentiam, à qua ſpectatur effectus, licitum erit. Si verò habeatur reſpectus ad aliquid aliud, vanè obſeruatum illicitum erit.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd etiam in incantationibus ſerpentum, vel quorumcumque animalium, ſi reſpectus habeatur ſolùm ad verba ſacra, & ad virtutem diuinam, non erit illicitum. Sed plerumque tales incantationes habent illicitas obſeruantias, & per dęmones ſortiuntur effectum: & præcipuè in ſerpentibus: quia ſerpens fuit primum dæmonis inſtrumentum ad hominem decipiendum. Vnde dicit Gloſ. ibidem. Notandum quia non laudatur à Scriptura vndecunque datur in Scriptura ſimilitudo: vt patet de iniquo iudice, qui rogantem viduam vix audiuit.

Gloſ. ordin. Pſa. 57. ſuper illud: Furor illi ſecundum ſimilitudinem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd eadem etiam ratio eſt de portatione Reliquiarũ: quia ſi portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum quorum ſunt Reliquię, non erit illicitum. Si autem circa hoc

ca hoc attenderetur aliquid aliud vanum: putà quod vas esset triãgulare, aut aliquid aliud huiusmodi, quod non pertineret ad reuerentiam Dei, & Sanctorum, esset superstitiosum, & illicitum.

¶ Ad quartũ dicẽdum, quòd Chrysost. loquitur, quando respectus habetur magis ad figuras scriptas, quàm ad verborum intellectum.

Summa Articuli.

PRima conclusio. In incantationibus, vel scripturis suspẽsis, si id quod profertur vel scribitur, pertinet ad dæmonum inuocationes; talis obseruatio est manifestè superstitiosa, & illicita. Hæc cõclusio secum affert suam probationem. Secunda conclusio. Si id quod profertur, vel scribitur, contineat ignota nomina: metuẽdum est, ne sub illis aliquid illicitum lateat. *Chrysost.* Probatur autoritate Chrysostomi, homilia 43 operis imperfecti. Tertia conclusio. Cauendum est, ne id quod profertur, aut scribitur, aliquid falsitatis contineat: quia sic eius effectus non posset expectari à Deo, qui non est testis falsitatis. Quarta conclusio. Quando simul cum verbis sacris continentur aliqua vana, putà aliqui characteres inscripti, præter signum Crucis (& idem est de imaginibus Diuorum) aut si spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in quacunque huiusmodi vanitate, quæ ad diuinam reuerentiam non pertineat, hoc iudicatur superstitiosum. Quinta conclusio. Si absint præ dicta, quæ dicuntur superstitionem inducere, licitum est aliquot verba sacra proferre, & ad collum suspensa gestare. Hæc, & præcedens conclusio probatur ex Martino Papa, & refertur 26. q. 5. c. *Non licet Christianis, &c. Nec in collectionibus herbarũ, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes licet attẽdere, nisi tantũ cũ Symbolo diuino, aut Dominica oratione, vt tã tũ Deũ creator omniũ adoretur, & honoretur.* *Mart. Pap.*

Mirabile dictu! Diuus Thomas, qui totã rationem superstitiosarum obseruationum expendit ex defectu causalitatis: & in articulis præcedentibus aliqua edocuit de causalitate naturali rerum, & de rerum artificialium defectu efficaciæ: nec verbum quidem fecit de causalitate supernaturali rerũ, ad efficiendos mirabiles effectus. Nam si ea reperitur in eis; absque dubio licitum erit eas res tali pollentes virtute obseruare, & ipsis vti. Fortasse id conticuit, vel quia pro certa præsupponebat partem negatiuam; aut verò breuitati studens, occultè id tradit in hoc articulo, maximè in solutione ad primum, dum de vsu, & obseruatione vocum, ac scripturarum sacrarum disputat. Quibus si vlla virtus inest, ea supernaturalis debet esse; non naturalis: vt ostendimus in præcedentibus. Nos verò agitantes ea, quæ Diuus Thomas in hoc articulo tradidit; aliquid etiam de hac causalitate attingemus: quantum scilicet sat fore iudicabimus nostro instituto deuana obseruatione. Sit igitur disputatio prima aliquanto latior, quàm titulus articuli prima facie præ se ferre videtur.

DISPVTATIO I.

Vtrùm obseruationes, quæ sumuntur ex verbis, aut scriptis sacris, imò ex quibuscunque alijs rebus, quæ putantur virtute supernaturali operari effectus (Latini amuleta, seu periapta vocant) sint licitæ?

ET videtur semper esse licitas. Primò: in lege veteri multæ res sunt donatæ à Deo virtutibus supernaturalibus, ad efficiendos mirabiles effectus: v. g. lignum vitæ ad prolongandam vitam per magnum tempus: vel, vt alij volunt, ad efficiẽdos homines immortales, Genes. 3. Serpens æneus sanabat morsos à serpentibus, Numer. 21. Aquæ maledictę faciebãt putrescere femora adulterę, Numer. 5. Philacteria, quæ Iudæi ponebant in frõte conseruabat eos illęos ab omnibus periculis; vt ipsi se iactitant, autore Hieronymo sup. c. 23. Matthæi. Ergo potiori ratione in lege gratiæ, vbi abundantiora sunt dona Dei, multæ res inueniũtur facultate supernaturali pollentes ad efficiendos mirabiles effectus, quibus vti, & quas obseruare ad eos, non erit illicitum. *Genes. 3.* *Numer. 21* *Numer. 5.* *Hieronym.*

Secundò. Verba sacra magnam habẽt efficа-

ficaciam ad reprimendum ſerpentes, quod
Pſal. 57. & laudatur in ſacra Scriptura Pſalmo 57. *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas; quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter* : id eſt legitimè, & licitè : aliàs non ſapienter. Et Marci
Marci vlt. vltimo, *Serpentes tollent in nomine meo.* Habent itidem efficaciam ad ſananda animalia bruta. Legitur enim de quibuſdam viris ſanctis, aut aliàs probis, quod benedictionibus quibuſdam vtentes, ſanant animalia bruta; cur ergo eadem verba non licebit dicere, & ſcripta perferre, vt hominibus ſalus detur, aut conſeruetur?

Marci vlt. Tertiò. Marci vltimo, multorum effectuum mirabilium patrationem Deus promiſit credentibus. *In nomine meo* (inquit) *dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent.* Et tangentibus ægros, morborum curationes. *Super ægros* (inquit) *manus imponent, & benè habebunt.* Ecce abſq; vlla reſtrictione conceditur poteſtas illa mirabilis. Ergo non ſunt culpandi, qui ea vtuntur quibuſuis verbis, quibuſuis tactionibus, quibuſuis geſtibus, aut cæremonijs. Nam cùm Chriſtus nõ eam facultatem reſtrinxerit: nec nos reſtringere debemus. Confirmatur. Qui vteretur ad ſanandum Chriſti nomine, aut ſigno Crucis, non culparetur: ergo nec ille, qui paulò plus rituum, aut verborum, quæ mala non ſunt, adhiberet.

Quartò. Quia multæ ſunt formulæ verborum, aut amuletorum, quæ Theologi damnant, vt videbimus: quæ nil aliud continent, niſi verba ſancta, è ſacra Scriptura extracta: ergo irrationabiliter eorũ vſum, ſiue in vocibus, ſiue in ſcriptis ad collum ligatis condemnant.

Quintò ad idem: nam experimur, vtentes verbis, aut ſcriptis, quæ Theologi cenſent ſuperſtitioſa; multa ſanitatum bona impertiri, multa mala auertere: quæ ergo inuidia eſt, eorum vſum prohibere?

Sextò contra ſecundam concluſionem D. Thomæ. Eccleſia licitè retinet, & vtitur quibuſdam vocibus obſcuris, vt Kyrie eleyſon, Alleluya, deſumptis ex idiomate Hebraico: ergo licet vti vocibus ignotis quibuſdã, ſicut eſt illud, *Ananiſapta*: quod tentum, & portatum, omnibus credentibus, ſecurè ſe ſanandos, aut peſte non in-
Fœlix. ficiendos, ait Fœlix malleolus certam ſanitatem præbuiſſe.

Septimò. Reliquiæ portatæ, exorciſmi pronuntiati, & aliquando collo appenſi, magnam vtentibus vtilitatem attulêre, approbante tota Eccleſia: ergo & alia verba ſacra, dicente Auguſtino lib. 10. Homiliarum, Homil. 26. *Non minus eſt verbum Dei, quàm corpus Chriſti.* *Auguſt.*

Octauò. Multi ſimplices ruſtici, & aliàs probatæ vitæ amuletis multis vtuntur, cæremonijs, ac geſtibus, ad ſanitates procurandas, moti deuotionis feruore: qui non ſunt damnandi, eo quod à maioribus ſuis acceperunt, & bona ſequuta, aut mala repulſa teſtantur, eas obſeruationes eſſe ſanctas, & pias, ac nullo modo peccato ſuperſtitionis inquinari: ergo, &c.

In oppoſitum faciunt multa iura, iſta amuleta (quæ philacteria vocant, id eſt, conſeruatoria) ſeueriſsimè prohibentia; & pœnis inſectantur vtentes, maximè clericos. 26. quæſtione 5. Canone *ſi quis.* & Canon. *non oportet.* eadem cauſa, & quæſtione. *Non oportet ſacris officijs deditos* (inquit Concilium Laodicenſe) *facere philacteria, quæ animarum ſuarum vincula probantur: hos autem qui talibus rebus vtuntur proijci ab Eccleſia iuſsimus.* *Laodicenſe Concil.*

Pro deciſione ſit prima aſſertio. Nullam vocem, nullam ſcripturam, nullam denique rem agnoſco, præter verba, quæ pertinent ad Sacramentorum formas, aut fortaſsis aliqua ſacramentalia, quæ habeant efficaciam ſupernaturalem ad faciendos aliquos effectus naturales, vel ſupernaturales certò, & infallibiliter. Aſſertionem intelligo, ſiue ſit ſermo de efficacia phyſica ex opere operato, qualem credo habere ſacramenta nouæ legis ad cauſandam gratiam; ſiue de efficacia morali, qua Deus ad præſentiam quorundam ſolet, aut aliquando fecit, vt certi quidam effectus infallibiliter ſequantur. Et iſto modo intellecta aſſertio, probatur: quia efficacia ſupernaturalis, ad certos effectus ſemper efficiendos, ſiue corporeos, ſiue ſupernaturales, neceſſariò debet fundari in Dei promiſsione, aut beneplacito. Sed nuſquam legimus in ſacra Scriptura, neque in Decretis Conciliaribus, aut definitionibus Pontificum; neque per traditionem Eccleſiæ habemus, Deum circa aliquas res talem protuliſſe promiſsionem, aut indicaſſe beneplacitum: ergo neutiquam eſt tale quid aſſerendum: ſicut neque dicendum, verba, aut ſcripta ſacra, virtutem naturalem habere ad eoſdem effectus: tum, quia quandoque effectus ſupernaturales ſunt: verbi gratia, remiſsio

peccatorum, indulgentia pœnarum, &c. aut pendentes à libero arbitrio: ac proinde, in nullis vocibus, aut scripturis potest esse efficacia vlla naturalis ad eos perficiendos. Tùm, quia vt superius ostendimus, nullis vocibus inest naturalis virtus actiua efficiendi etiam corporea, quamuis voces sacræ sint.

Secunda assertio. Qui vtuntur vocibus, aut scripturis sacris, siue quibuslibet alijs rebus sacratis, putantes eas habere efficaciam infallibilem: aut eis adhibitis, sequi infallibiliter quosdam effectus, siue spirituales, siue corporales: superstitiosi sunt. Excipimus semper voces sacramentales; & quædam alia sacramentalia. Probatur, quia præfatis rebus non vtuntur tanquam causis, neque enim virtutem naturalem, aut supernaturalem habent aliquid efficiendi: neque tanquam signis à Deo institutis, quod pertinet ad causalitatem moralem; qua carere probauimus, quia id non habetur authentico testimonio: ergo necessariò reducendæ sunt eæ obseruationes sub ea existimatione, ad significationes per pacta dæmoniaca, siue implicita, siue explicita. Ista argumentatione vsus est Diuus Thomas sæpe in hac quæstione: & nos ea vtimur, ac conuincimur.

Tertia assertio. Vti vocibus, aut scripturis, vel rebus alijs sacris quibuscunque, ad impetrandum à Deo aliquos effectus, siue spirituales, siue corporales, non est illicitum, aut superstitiosum secundùm se; sed potius pium, & sanctum. Probatur ex testimonio Martini Papæ cap. *non licet Christianis*. 26. quæstione 5. & Actorum 19. *Virtutes non modicas quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia; & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur*. Et de Beato Barnaba refert Diuus Thomas, ad Romanos primo, sanasse infirmos imposito super eos Euangelio. Et de sancta Cecilia in eius probata historia refertur, quod semper gerebat Euangelium Christi in pectore. Quod licèt intelligi possit de pectore spirituali, id est, mente (quod commune est omnibus Sanctis) existimo tamen, vt præclarum, ac laudabile opus, & peculiare laudari, quòd semper in sinu portabat, vt amuletum pretiosum, Euangeliorum codicem. Item, de quodam à luxuria stimulato legitur, quod pro remedio contra luxuriam, Euangelium in sinu corporaliter deferebat, secundùm consilium cuiusdam Patris spiritualis. Hic victus à passione, aliquando ad meretricem accedens, audiuit ab ipsa: recede à me, quia video super te mirabilia: qui ex hoc in meliora, vitio deserto mutatus est. Item ab Ecclesia sancta Catholica, per benedictionem, & superse portationem ipsorum Agnus Dei, & schedularum sancti Vincentij Ordinis Prædicatorum, scilicet, *Super ægros manus, &c.* appensarum collo febricitantium: & exportatione Reliquiarum sanctarum, nostra assertio comprobatur esse vera. Et in vita sancti Antonini narrat Surius tomo 3. infestationem dæmonũ, cùm preces quasdam membranulæ scripsisset, & in cubiculo ante Deiparæ Virginis imaginem affigi iussisset, expulisse. *Surius.*

Deinde ratione probatur: quia in vsu istarum vocum, seu rerum sacrarum portatione, Deo reuerentia exhibetur: ac proinde pro cultu ipsi subijcimur, supplicantes formaliter, vel virtualiter, pro obtinendis bonis, & auertendis malis, & similia: ergo licitum, & salubre est, his amuletis sacris vti secundùm se. Dico secundùm se: quia vt Diuus Thomas compendiosè docuit in articulo; multis, ac varijs modis, istarum rerum sacrarum vsus, inquinari potest, & in superstitionem vergere. Quapropter multis cautelis vtendum est, vt ab hoc vitio liberemur: de quibus in fine huius disputationis sigillatim agere decreui. Sed prius ad argumenta posita in principio respondendum est.

Ad primum negatur consequentia, si sermo sit de efficacia ad corporea obtinenda, putà sanitatem, & similia: eo quod legis illius antiquæ cultores, nimis terreni, erant ad diuina inducendi expressioribus promissionibus rerum temporalium: ac proinde conferendæ erant facultates supernaturales multis rebus; vt ijs mediantibus, eas obtinerent. Secùs dicendum est in lege gratiæ: cuius professores arcentur à temporalium solicitudine, & ad superna expressiùs anhelant. Et ob id in gratiæ supernis donis, debuerunt præ cæteris abundare: quibus Christus Dominus prouidit instituendo sacramenta, in verbis præcipuè consistentia, habentibus virtutem mirabilem supernaturalem ad possidenda spiritualia dona. Et descendendo in particulari, ad ea quę in argumento allata sunt. Respond. arbori vitæ oppor-

Mart. P4. Actor. 19.

D. Thom.

opportunè enarratam vim Deum præstitisse; siue ea supernaturalis fuerit, siue naturalis (vt alij volunt) vt homines vitam fœliciſsimam ducerent in Paradiſo. At hominibus inde relegatis, non fuit neceſſe, vt ſimilis virtus hominibus communicaretur: & ideò arbor illa, fortaſsis neque in Paradiſo modò extat. Serpentem verò æneum, eam vim ſupernaturaliter habuiſſe, teſtes ſunt omnes Orthodoxi: quamuis non defuerit quidam Baſtamante Medicus Complutenſis, qui in *Baſtaman.* libro ſecundo de animalibus ſacræ Scripturæ, cap. 4. videatur velle quodammodò eam curationem ad naturalem facultatem reducere; ſed ſine firmo fundamento. Supernaturalis igitur ea facultas medicatiua fuit potiſsimè inſtituta, vt eſſet ſymbolum Chriſti in Cruce pendentis, vt habetur Ioannis 3. Pariter reſpondemus ad *Ioann. 3.* illud, quod affertur de aquis maledictis, ad manifeſtationem adulteræ; eam ſcilicet virtutem, ſupernaturaliter inditam fuiſſe: quæ non eſt neceſſaria in lege gratiæ, vbi eius cultores, non ad manifeſtationem, & punitionem adulteræ anhelant: ſed potiùs ad occultationem, & indulgentiam, quando opus eſt, vt conſtat ex facto Chriſti Domini, Ioannis 8. Id verò quod He- *Ioann. 8.* braei dicunt de virtute ſuorum Philacteriorum; fabuloſum eſt. Nam legitimus eorum vſus, dumtaxat ad conſeruandam memoriam legis diuinæ adinuentus eſt. Vnde Hieronymus vbi ſupra meritò re- *Hierony.* prehendit Phariſaicam illam ſuperſtitionem, expectantem auxilium, & protectionem ab ipſis pittatiolis; non deſuper à Domino Deo.

Ad ſecundum reſpondetur, licitum eſſe vti verbis ſacris, & rebus, ad benedicenda animalia. Sic Diuus Hieronymus, ligno *Hieronym.* Crucis, & Dei auxilio inuocato, ſanauit pedem Leonis: & exoreiſmis ſanctis quidam Viri ſancti extinxerunt, vel fugauerunt animalia noxia; ſed ſine vlla ſuperſtitione admixta verborum, aut geſtorum, aut proceſſus iudiciarij formati contra ea. De quo nos latè in articulo tertio quæſtionis 90. Item licitum eſt, quædam quaſi amuleta ſuſpendere arboribus, fructetis, vitibus, putà ramos benedictos, Cruces appenſas, & ſimilia, citra ſuperſtitionem: quæ non aberit ab eis, qui vtuntur formulis impertinentibus, & quæ non ſunt ab Eccleſia inſtitutæ, aut à viris ſapientibus examinatę, *D. Thom.* & approbatæ. Fateor cum D. Thoma hic

A in ſolutione ad ſecundum, plerumque has incantationes, & amuleta, habere illicitas obſeruantias, & per dæmones ſortiri effectus, præcipuè in ſerpentibus: quia ſerpens fuit primum dęmonis inſtrumentum ad homines decipiendos. Et Diuus Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad literam, c. 28. *Auguſt.* cenſuit, Deum frequentiùs permittere ſerpentum, quàm aliarum ferarum incantationes; & maiorem illorum eſſe cum dæmonibus familiaritatem, non natura, ſed diuina permiſsione, ob fraudem, qua primi parentes à ſerpente decepti ſunt. Vnde illud quod adducitur ex Pſalmo 57. de in- *Pſalm. 57.*
B cantatione aſpidis ad ſuperſtitioſam incantationem referendum eſt. Nec obſtat dici ſapientis opus, & quaſi laude dignum: quia ſacra Scriptura loquitur more loquendi conſueto vulgi, quod id, quod efficaciter ſortitur effectum, videtur laudare; ſicut illud quod dicitur Lucæ 16. *Filij huius* *Luc. 16.* *ſæculi, prudentiores ſunt filijs lucis*: & vilicus iniquitatis laudatur ibidem. Et Gloſſa *Gloſ. ordin.* ordinaria ſuper Pſalmum citatum: *Notandum, quod nõ laudatur à Scriptura, vndecunq; datur à Scriptura ſimilitudo: vt patet de iniquo iudice, qui rogantẽ viduam vix audiuit*. De alijs feris eſſe etiam ſuperſtitioſe à Magis incantatas, multæ narrantur hiſ-
C toriæ. Vnam adducam ex Grillando quæ- *Grilland.* ſtione 8. his verbis: *Et ego* (inquit) *alias vidi Romæ quendam Magum excellentiſsimum Græcum, tempore Adriani Sexti, antequam perueniret ad Vrbem ipſe Pontifex, quod ſolis verbis compreſſerat vires cuiuſdam ferociſsimi tauri exiſtentis in armento in loco ſyluestri. Quem ſic affixum (vt ita dixerim) & humiliatum apprehendit per cornua, & chordula quadam ſatis debili, arte tamen Magica fabricata, taurum ipſum ligatum, quò voluit adduxit, media nocte circiter quatuor, aut quinque milliaribus, quæ viſa fuerunt per ducentos, & vltra viros*. Hæc ſuperſtitioſe fa-
D cta eſſe, & incantationibus Magicis, ipſe Grillandus fatetur, & ego credo: licèt aliquis poſsit reducere ad naturalia, dicente AEliano, taurum manſueſcere, ſi dextrum *Ælianus.* ipſius genu faſcia deligetur; ſicut & illud, quod tauri indomiti, & ferocis, fico alligati cicurari dicuntur: quod & caprifico illorũ collis circũdatę, Plinius aſcripſiſſe videtur.

Huius argumenti occaſione, mea refricata memoria eſt, quid ſentiendum ſit, de quodam celebratiſsimo vſu, & incantatione apud Hiſpanos, in oppido *de las Broças*. Res ſic habet, innumeris teſtib⁹ ocularibus

comprobata. Præfecti Confraternitatis, quæ dicitur ſancti Marci, eligunt ferociſſimum taurum, inponuntq; nomen Marci, & ſingulo quoque anno, in vigilia celebritatis eiuſdem Diui, pergunt ad montes, vbi taurus paſcitur: ac denudato capite, interpellant taurum, ac iubent in nomine Domini, & Diui Marci, vt adſit eius feſtiuitati. Taurus verò relictis vaccis, ipſos Præfectos ſequitur: vel ſaltem permittit ſe ſolum duci. Atque ingrediens Eccleſiam, refertam numeroſo populo vtriuſque ſexus, depoſita ferocitate, manſuetus adeſt iuxta altare dum diuina officia celebrantur, tam in vigilia, quàm in die celebri: ita vt pueri, & fœmellæ eius cornua attrectent, & inde corollas ſuſpendant. Peractis verò officijs diuinis dimittitur, vadens magno impetu, & quaſi reſtituta priſtina ferocitate. Et quod amplius eſt, vbicumque fundatur conſimilis fraternitas, conſimile miraculum tauri manſuefacti editur. An hic vſus, & vocatio tauri, ſit ſuperſtitioſa nec ne? Et an manſuefactio, ad virtutem diuinam referenda ſit, an ad dæmoniacam? ignoro: quia nondum ad manus meas peruenerunt leges, & obſeruantiæ, quas ſcripto habere, & ſeruare præfatos Confratres certum eſt. Magna autem me tenet formido, ſuperſtitioſa hæc eſſe. Primò: quia poteſtas miraculorum nullis adſtringitur vocibus, nullis legibus, quas dicuntur ſeruare iſti Diui Marci Confratres. Secundò: quia iam ſtabilita fide, maximè apud Hiſpanos, non eſt opus credulitatem ſanctitatis Diui Marci corroborare, ſicut neque deuotionē nutrire, magis quàm aliorum Sanctorum, illa miraculoſa beſtiæ ferocis manſuefactione. Tertiò: quid Diuo Marco cum tauro? cùm ex illa myſtica quatuor animalium viſione, potius ſibi obtigerit figura leonis? Denique cupio videre leges, & obſeruantias requiſitas, vt inde poſsim venari, quid ſit de hac re ſentiendum: vbi aliquid pietatis in Diui Marci reuerentiam admiſcetur.

Circa ſolutionem ad tertium, recolenda ſunt quæ diximus ſuprà, articulo 2. quæſtionis 90. circa expoſitionem illius loci ex Marci vltimo. Modo verò reſpondetur negando conſequentiam, quando verba, aut geſtus, vel alia obſeruata, impertinentia ſunt, aut vana. Nec per hoc facultatem conceſſam à Chriſto reſtringimus: ſed iubemus abſtinere ab his, quibus propter ſui vanitatem, & interdum eo peius, Deus tantùm abeſt vt colatur, quod inhonoratur: qualia ſunt pleraque admixta verbis, aut rebus ſacris, quibus Apoſtolos non legimus fuiſſe vſos, ſed tantùm ſimplici pronuntiatione nominis Dei, aut Ieſu. Rurſus: ea poteſtas miraculorum ibi conceſſa, data eſt omnibus credentibus firma fide ad ſtabiliendam fidem, quam proceres primitiuæ Eccleſiæ prædicabant. At verò modò ſtabilita fide, rarò vſum huius facultatis largitur Deus, ceſſante eius potiſsimo fine. Iſti verò nimis obſeruatores vocum ſacrarum, aut amuletorum; paſsim, & pro re parui momenti, verbi gratia, pro equo curando, pro vacca inuenienda, pro infirmo quocumque (cuius ſalus parui refert ad bonum Eccleſiæ) curando, & huiuſmodi: volunt hanc facultatem adaptare, alligatam ſuperſtitioſis, ac vanis vocibus, ritibus, ſeu alijs impertinentibus. Et ideò nos eas obſeruationes, cum Doctore Angelico, & alijs doctis, reijcimus vt ſuperſtitioſas. Ad confirmationem negatur conſequentia, ſi illæ obſeruationes additæ inquinentur vanitate, aut inefficacia: quæ examinanda ſunt ex traditis à D. Thoma in hoc articulo.

Ad quartum reſpondetur: in quibuſdam obſeruationibus, ſiue vocalibus, ſiue ſcriptis, deſumptis ex ſolis ſacræ Scripturæ verbis, ſine admixtione vlla extranea, ad efficiendos effectus mirabiles ſanitatis, aut ſimilium, diligenti, & ſagaci conſideratione vtendum eſt, ne decipiamur: quia ſub floribus ſolet latere ſerpens qui mordeat; & ſub ſpecie externa ſacrorum verborum ſuperſtitio pernicioſa. Vnum, aut alterum exemplum adducam. Primum ſe offert, formula quædam curandi, de qua retroactis multis annis interrogatus fui. Res ſic geritur apud Hiſpanos, præcipuè milites: adducitur coram eis ægrotus, aut vulneratus, & applicantes quaſdam linteorum particulas, recitant quædam verba ex ſacra Scriptura deſumpta, in hunc modum: *Per Chriſtum, & cum Chriſto, & in Chriſto, eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti, omnis honor, & gloria, per omnia ſæcula ſæculorū. Oremus. Salutaribus præceptis moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter, qui es in cœlis, &c. Amen Ieſus. Potentia Patris, ſapientia Filij, vir-*

tus

tus Spiritus sancti, sanet hoc vulnus ab omni malo. Amen Iesus. Domine mi Iesu Christe, credo quod nocte Ioānis sancti, postquam lauasti pedes sanctorum tuorum Discipulorum, accepisti panem sanctissimis manibus tuis, & benedixisti, & fregisti, & dedisti tuis sanctis Discipulis dicens: Accipite, & comedite: hoc est enim corpus meum. Similiter accepisti calicem in sanctissimas manus, & gratias egisti, & tradidisti illis dicens: Accipite, & bibite, quia hic est meus sanguis noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc quotiescunque feceritis, facite in meam commemorationem. Obsecro te, Domine mi Iesu, vt per hæc sanctissima verba, & per virtutem illorum, & per meritum sanctissimæ passionis tuæ sanetur hoc vulnus, & malum istud. Amen Iesus.

Contra hanc, & similes formas curandi, multa se offerunt non contemnenda argumenta. Primo: nam in hac totus effectus expectatur à Deo per modum miraculi: sed miracula assiduè, & quasi ex consuetudine poscere, est Deum tentare. Deinde: sancti viri in miraculorum patratione non sunt alligati, neque vsi certis, & quasi conceptis verborum formulis: sed modo sic, modo aliter, prout Spiritus sanctus dator donorū suggesserit. Tertio: neque miraculorum patratores suis semper verbis adesse virtutem diuinam putabant, sicut existimant hi milites. Quartò: quia licèt miracula possint fieri à viris sceleratis: sed copiosius donum miraculorum Sanctis concessum est: at hoc hominum genus multis, ac grauibus solent irretiri peccatis. Nec sat est dicere, hos sanatores gratis curare, & esse probatæ vitæ: quia probatam vitam appellant milites, quę grauibus peccatis, aut perturbātibus Rempublicam, non grauatur. Quintò. Qui accipiunt à Deo donum sanationum, non accipiunt sub conditione, vt talibus, vel talibus vtantur verbis: ac proinde tales formulæ sunt indicia pacti (saltem latentis) cum dæmone. Sextò: licentiosè abutuntur verbis sacratioribus Canonis: & quod ferendum non est, applicant verba consecrationis ad effectum, ad quem instituta non fuerunt. Et præterea petunt effectum sibi concedi virtute prædictorum verborum: quæ vis non ad vulnerum sanationem, sed ad panis, & vini transsubstantiationē, à Christo Domino collata fuit. Neq; omittendū: hęc sacrosancta verba consecrationis in tāta veneratione Ecclesia semper habuit; vt nefas ducerem illis vti, nec voce fonare, nisi in Missæ sacrificio, aut quando in disputationibus scholasticis, eis necesse est vti. E contrario diabolus, & mēbra eius malefici, nullis rebus vtuntur libentius, aut frequentius ad sua execranda sacrilegia, quàm ipsa venerabili Eucharistia, & ijs, quæ ad illā pertinent. Quare ad argumentum negatur cō sequentia. Non enim reperitur peccatum in vsu præfato, quia materia, putà verba, aut scripta, mala, aut vana sint: sed propter abusum verborum, ad ea quæ Spiritus sanctus nullo modo intendit: ad eum modum, quo sacræ Scripturæ verbis, quandoque homines vtuntur ad amatoria obscœna, aut cantilenas impias. Fateor, si quis prænarratis verbis, & similibus vteretur, non quasi formulis habentibus virtutem sanatiuam, sed quasi quibusdam orationibus, & verbis sacris, excitantibus deuotionem ad petendum, & impetrandum à Deo sanitatem: cessarent inconuenientia allata, & non condemnarem proferentes vt superstitiosos. Sed longe est à praxi istorum isthæc moderatio, cum edoceantur huiusmodi formulæ: & vt pretiosa amuleta habentia virtutem sanatiuam, à magistris in discipulos eius artis transferantur.

Ad quintum respondetur: non quæcunque sortiuntur effectum licita sunt: alias oporteret approbare omnia maleficia, incantationes, & superstitiosa opera; quibus se ingerit dæmon, simulans efficaciam ab obseruationibus prouenire: cùm tamen ipse sit, qui eos effectus operetur, non res adhibitæ, nisi tantùm vt signa, non effectus futuri, cuius aliquando non habent significationem: sed pacti conuenti cum dæmone, aut quia ipse se ingerit sine vlla significatione verborum. Narrat quidam fidedignus, vetulam laborantem opthalmia, quendam scholarem conuenisse, ab eoque petijsse, vt quę in schedula, quam illa monstrabat, continebantur, sibi non grauaretur transcribere, quia certè sciebat si collo illam gestasset, se oculorum lippitudine liberandam. At iuuenis scripti illius characteres, vel obsoletos cernens, vel obscuriores legere non valens, eorum loco hæc verba scripsit in schedula: *Diabolus huic vetulæ oculos eruat*: & amuletum illud vetulæ tradidit. Quod cum de collo suspendisset, post paucos dies sanata est. Ex quo colliges, in istis superstitiosis neq; efficaciæ, neq; significationi esse adscribendos effectus, sed dæmonis malitię

volentis homines, in ſuperſtitione firmare.

Ad ſextum reſpondetur, Kyrie eleiſon, & Allelluia, non eſſe nomina ignota, ſed ab Eccleſia Latina retenta, propter iuſtas, & pias rationes: de quibus Durantus libro ſecundo de ritibus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 13. Alia verò barbara verba, aut ignota, quæ interdum nullius ſignificationis, non recepit Eccleſia: quamobrem, meritò ſuſpecta ſunt de ſuperſtitione. Illud verò verbum *Ananiſapta*, laudatum à Fœlice malleolo, reijciendum eſt, vt planè ſuperſtitioſum, ſicut & præfatus Fœlix, cuius omnia opera prohibitæ ſunt lectionis, vt videre licet in Catalogo librorum vetitorum. Imò non deſunt qui dicant, vocem illam eſſe ex Chaldæo, & Hebræo conflictam, & ſignificare dæmonem, qui præeſt diuinationi, & dijudicationi, ac ſanationi morborum. Ac proinde per eius pronuntiationem, aut geſtationem dæmonem illum inuocari. Ita Martinus Delrio, libro 3. diſquiſitio. Magicarum, par. 2. quæſtione 4. ſectione 8.

Durantus

Delrius.

Ad ſeptimum reſpondetur, nos approbare vſum Reliquiarum, & verborum ſacrorum, vt diximus in tertia aſſertione. Pariter etiam dicimus, aliquando admiſceri varias circunſtantias, quæ reddunt talem vſum ſuperſtitioſum: verbi gratia, quòd reliquiæ ſint in vaſe triangulari, vel rotundo, tribuendo vim formæ, vel materiæ: quòd amuleta ex ſacris vocibus, ſcribantur in pergameno virgineo; aut quòd ſcribantur oriente Sole; vel alligata ab incorrupto, tot filis, vel talibus, &c.

Caietan.

Ad vltimum reſpondet Caietanus in commentarijs huius articuli, & in ſumma, verbo *Superſtitio*, ad hunc modum: *Quarta ſuperſtitio eſt obſeruationum in verbis, aut ſacris portandis, dicendis, vtendis, adiunctis aliquibus conditionibus non malis, quarum ratio neſcitur: vt patientes ſpaſmum neruorum, primo carmo oblato Chriſti Cruci in Paraſceue, vtuntur pro remedio, confecto ex illo anulo: & ſic de ſimilibus. Quantum enim apparet in huiuſmodi ſuperſtitio interuenit: quoniam vanæ conditiones apparent. Si tamen ex mera deuotione fiunt, & non niſi à Deo intendant, & ſpectent effectum, putantes Deum inſpiraſſe alicui ſancto Viro huiuſmodi conditiones; non audeo damnare, ſed tolerabile mihi videtur.* Intelligendus eſt Caietanus, id eſt, excuſandi ſunt: quia ex deuotione mouentur, vt putent ibi adeſſe diuinam virtutem: moti, quia à maioribus ſic acceperunt; & quia fortè Deus alicui Sancto has conditiones inſpirauit: & difficile eſt confutare, quod ſeniorum traditione, & autoritate firmatum, vulgares acceperunt, quando aliquod obtendiculum excuſationis à malo afferri poteſt. *Non ſunt tamen hæc extendenda* (ait Caietanus) *ſed prudenter declaranda, & ab his arcendi homines, vbi fructus ſperatur; ne deteriora eueniant. Videntur enim hæc, ſic ſimplici corde ex deuotione facta, valde imperfectè ſuperſtitionem ſapere: ſicut mendacium iocoſum imperfectum eſt in genere peccati in proximum.* Hæc Caietanus in commentarijs, cuius doctrina plus diſplicet in probatione, quàm in concluſione: excuſat enim hos ſanitatum effectores mediantibus operibus bonis, admixtis alijs non malis; quorum ratio neſcitur: quare poſſunt putare Deum inſpiraſſe alicui ſancto Viro huiuſmodi conditiones. Certè hæc excuſatio Caietani ſi admittatur, aperit ianuam excuſandi, & occultandi mille vanas Magorum obſeruationes, cùm tamen ratio harum condemnandarum ſit, alienum eſſe ab Eccleſiæ conſuetudine tribuere virtutem aſſiſtentem, naturalem, aut ſupernaturalem ſanandi, vel quidpiam ſimile efficiendi, aliquibus verbis, aut actionibus, præter quam verbis Sacramentalibus. Quapropter iſti ſanitatum effectores miſcentes vana cum pijs; ac putantes eis talem virtutem infallibilem ineſſe, non ſunt excuſandi, niſi rarò propter ignorantiam; nec ſunt abſoluendi in foro conſcientiæ, niſi reſipiſcant. At verò ſi qui viri boni, ſecluſo omni odore pacti dæmoniaci, putantes Deum per illa opera eam gratiam alicui Sancto conceſſiſſe, velint illum imitari, ſperantes ſe ſimile beneficium aſſequuturos, non infallibiliter ex Dei promiſsione, (in qua infallibilitate video deficere iſtos ſanitatum promiſſores) ſed quia impetratio per opera bona ſperari poteſt. Iſti, inquam, excuſandi ſunt de mixtione vanorum cum bonis operibus. Monendi tamen, vt deſiſtant, ne fiant ſuperſtitionis rei: & ſic intellige Caietanum.

Caieta.

Circa vltimam concluſionem Diui Thomæ, in qua monuit eſſe cauendum ne in verbis ſacris, aut ſcriptis, aliqua ſuperſtitioſa admit-

admiſceantur: libet aliquas cautelas adnotare, pro eruditione fidelium.

Prima cautela.

CIrca materiam, quæ pronuntiatur, ſcribitur, aut quouis modo geſtatur, cautela non mediocris adhibēda eſt: putà, ne voces, aut ſcripturę contineant aliquid falſum, aut apocriphum: verbi gratia, quod Chriſtus Dominus habuit febres, quod non poterat vocem emittere in Cruce pendens; cùm tamen dicat ſacer Textus, quod clamans ſpiraſſet: quod Virgo Deipara paſſa ſit animæ deliquium, aut ſpaſmum in die Paraſceues. Si aliquid huiuſmodi, amuleta geſtata, aut pronuntiata contineant; ſuperſtitioſa eſt, & blaſphema obſeruatio. Item ſi à Deo in oratione petantur, aut expectentur iniuſta, aut quouis alio modo mala: verbi gratia: mors inimicorum, amor impudicus, &c. ſuperſtitio Deo, & hominibus iniurioſa eſt. Et idem dico de amuletis, & collo ſuſpenſis, quæcumque illa ſint; etiam ſi conſtent ſolis verbis ſacris. Item ne vſurpentur characteres, aut verba ignota, ſiue dicantur eſſe Dei, ſiue Angelorum: quæ communiter nomina ſunt dæmonum, aut ab eis conficta, ad firmandum pactum initum cum Magis, & eorum ſectatoribus. Tales ſunt orationes, in quibus ponuntur nomina Angelorum, præter illa tria, Michael, Gabriel, Raphael. Quod ſi adducas contra hoc Trithenium, & Rabbanū, qui alia nomina Angelorum adinuenerunt. Reſpondetur, falſo his iſtam ſententiam adſcribi. Et quidquid de hoc ſit, plus credendum eſt Concilio Romano, Romæ ſub Zacharia Pontifice, contra errores Aldeberti, & Clementis. Vbi lecta eſt vna oratio Aldeberti, in qua continebantur hæc verba: *Supplico vos Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabbaoth, Angelus Simihel.* Quibus lectis, Zacharias Papa interrogauit Epiſcopos, vt ſententiā de his ſuam proferrent. Illi damnandum Aldebertum pronuntiarunt vt hæreticum. Cauſa verò ſubditur: & ipſum Decretum Concilij, his verbis ait: *Octo enim nomina Angelorum, quæ in ſua oratione Aldebertus nuncauit, non Angelorum, præter Michaelis, ſed magis dæmonum nomina ſunt: quos ad præſtandum ſibi auxilium inuocauit: nos autem, vt à ſancto veſtro Apoſtolatu edocemur, & diuina tradit autoritas, non plus quam tria Angelorum nomina agnoſcimus: id eſt, Michael, Gabriel, Raphael. Zacharias Papa dixit: optimè prouiſum eſt à veſtra Sanctitate, &c.* Vide in Surio tomo tertio mense Iunij in vita ſancti Bonifacij. Similiter, pronuntiare, aut ſcribere verba inepta, & abſurda, vt illa veterum damnata *Daries, &c.* & recentia, *Abram, Amon, &c.* vel illa pani inſcripta, *Ixioni, Kirioni, &c.* vel iſtud *hax, pax, max, &c.* contra morſus canum rabidorum. Item contra dolores dentium, *Strigiles falceſque, &c.* In vſu iſtorum nominum ignotorum Hebræi ſunt ſuperſtitioſiores: præcipuè Rabbi Hama lib. ſpeculationis.

Secundò cauendum, ne rebus ſacris vtamur, putantes in eis ineſſe virtutem infallibilem ad eos effectus, ad quos inſtitutæ non fuêre: verbi gratia: vana obſeruantia eſt, per certa ieiunia, & quaſdam orationes (in quibuſdam libellis, à Papa Pio Quinto damnatas) quærere, & ſpectare dubias indulgentias, & remiſſiones peccatorum, & conſequutionem rei optatæ: putà videre Deiparam horā mortis; eamdemque ſcire determinatè. In qua re, & ſimilibus, vltra vanam obſeruationem; periculum eſt deceptionis dæmoniacæ in tali apparitione, & reuelatione. Item vana obſeruantia eſt, & quæ multos fefellit, vti orationibus ſancti Leonis, & aliorum Sanctorum; quia ijs recitatis, aut portatis, putant ſe illæſos ſeruari à vulneribus, à periculo ignis, aquæ, & huiuſmodi. Item ſi putemus, verba conſecrationis habere virtutem ad ſanandas ægritudines: vel ſchedulas cum quibuſdam verbis ſacris, ad arcendos lupos, & ſimilia: in quibus, cītra dubium occultatur ſuperſtitio, eiſque ſe ingerere ſolet dæmon. Feſtiuum huius rei exemplum narrat Georgius Pictorius, Iſagoge de dæmonibus ſublunaribus, ex Abbate Spanhementi, ſubulcum quendam fuiſſe, qui in baculo paſtorali ſchedulam nomine Diui Blaſij inſcriptam habebat, cuius baculi vi, & potentia, porcos ſuos ab omni luporum vi, & raptu tutos credebat. Ac tantùm ſchedulæ numinis tribuebat, vt etiam porcos in agris ſolos paſcendos abigeret: tamen contingente quodā tempore, cū gregi paſtor abeſſet,

Trithen. *Rabbanus.* *Cōc. Rom.* *Surius.* *Geor. Pict.*

eſſet, & quidam præteriens dæmonem cuſtodire vidiſſet, illique dixiſſet: quid ipſe illic cuſtodiret, qui hominũ ſalutis perſecutor fuerit peſsimus? reſpondit: porcos cuſtodio. Retulit alter: cuius iuſſu? Dæmon inquit: ſtultæ paſtoris confidentiæ. Nam ſchedulam quandam ſuo baculo inclusit, cui diuinam adſcribit virtutem, vel inde quod ſancti Blaſij nomine eſt inſcripta: & eam porcos ſuos ab iniuria luporum defendere, contra legem ſuam credit, mihi falſa ſuperſtitione adhærens. Vbi cum per me fuiſſet vocatus, & non comparuiſſet: me ſancti Blaſij vice, huc cuſtodiendum contuli. Vt enim ſemper vices Dei, & Sanctorum vices gero; ita & nunc libentiſsimè pro ſuo ſancto Blaſio illi porcos cuſtodio, vt ſtultum hominem in ſua vana confidentia extollam, ac roborem: ac eò perducam, vt talem ſchedulam, pluris quã Deum faciat.

Huc referendas cenſeo ſuperſtitiones, circa amuleta ex rebus naturalibus, quę ineptè putãtur habere virtutes naturales, vel ad effectus pendentes à libero arbitrio, vel ad cognitionẽ cogitationum cordis: qualia ex lapidibus pretioſis refert, vt puto ex aliorum ſententia, Abulenſis ſuper caput 28. Exodi: vel ad effectus corporeos, qualia ſunt illa ſuperſtitioſa, quæ narrat Plinius, vt Hienæ ſanguinem inũctum impedire omnes Magorum artes, lib. 28. cap. 8. fel canis nigræ amuletum eſſe totius domus eo ſuffitæ, purificatæve, contra cuncta maleficia, lib. 30. cap. 10. eandem vim eſſe Amiantho lapidi, lib. 20. cap. 19. menſtruoque ſanguine tactis poſtibus, aut nigri canis ſanguine reſperſis parietibus, eiuſque genitali ſub limine ianuæ defoſſo, lib. 28. cap. 7. & 10. & lib. 25. de mandragoræ effoſione. Pari ratione, ſuperſtitioſum iudico, gagatem collo puerorum appenſum, ſub certa figura (Hiſpani *higam* vocant.) Hæc, & ſimilia, certè inepta amuleta. Quod ſi his nugis delectaris; lege Marcellum Empyricum in libro Medico, & Vegetium in libro de veterinarijs. Sed auidius lege Auguſtinum hæc damnantem libro ſecundo de doctrina Chriſtiana, capite vigeſimo, & refertur capite *illud*. 26. quæſtione prima: *Ad hoc genus* (inquit) *pertinent omnes ligaturæ, atque remedia, quæ Medicorum quoque diſciplina condemnat, ſiue in præcantationibus, ſiue in quibuſdam notis, quas characteres vocant: ſiue in quibuſdam rebus ſuſpendendis, atque ligandis, vel etiam ſaltandis quodammodo; non ad temperationem corporum, ſed ad quaſdam ſignificationes occultas, aut etiam manifeſtas: quæ mitiori nomine phyſicam vocant, vt non ſuperſtitioſè implicare, ſed natura prodeſſe videantur: ſicut ſunt mauros in ſummo aurium ſingularum, aut de ſtruthionum oſſibus anſulæ in digitis, aut cum tibi dicitur ſingultienti, vt dextra manu ſiniſtrum pollicem teneas.* Quæ Auguſtini verba attentè legenda: ipſe enim capite 29. ſe explicat dicens: *Quamquam vbi præcantationes, & inuocationes, & characteres non ſunt, plerumque dubium eſt, vtrùm res, quæ alligatur, aut quoquo modo adiungitur ſanando corpori vi naturæ valeat, quod liberè adhibendum eſt: an ſignificatiua quadam obligatione proueniat, quod tanto prudentiùs oportet cauere Chriſtianum, quanto efficaciùs prodeſſe videbitur. Sed vbi latet qua cauſa quid valeat, quo animo quiſque vtatur, intereſt.* Ex quibus verbis tria colligo. Primum: ſi putatur res naturaliter prodeſſe, tunc licet ſuſpendere de corpore: quia hoc fit tanquam remedium. Secundum: ſi putatur non prodeſſe naturaliter vt cauſa, ſed dumtaxat vt ſignum futuræ ſanationis; tunc omninò abſtinendum. Tertium: ſi res dubia ſit, neque adſint Medici qui conſulantur; tunc animum, & intentionem appendentis, rem bonam, vel malam facere: bonam, ſi faciat opinione priori; malam, ſi poſterius credat. Tunc enim incideret quis in capite *Admoneant.* 26. quæſtione 7. quo laici anathemati; Clerici, degradationi ſubduntur.

Eadem ſuperſtitionis nota inurenda ſunt amuleta ex imaginibus Aſtronomicis, & multo peiora, ex Necromanticis. Contra quas, & contra characteres, ac alias figuras, etiam contra rhithmos, cantilenas, voces incantatorias, quę Gentilibus, & quibuſdam Chriſtianis ſunt in vſu: latè diſputaui circa artic. 2. quorum vſus longè debet eſſe à Chriſtianæ Religionis cultoribus, à quibus eæ tantùm imagines ſunt deferendæ, quæ Deum, ac Diuos repræſentant: eæ tantum voces vſurpandæ, quas Eccleſiaſtica ſanxit conſuetudo. Quod ſi obijcias iure Canonico tantùm permitti, ex imaginibus ſignum Crucis; & ex vocibus ſacris orationem Dominicam, & Symbolum fidei, capite *non liceat*, 26. quæſtione 5. & cap. *non obſeruetis*. 26. quæſtione 7.

Reſpon-

Abulenſ. *Plinius.* *Marcellus.* *Vegetius.* *Auguſt.*

Reſpondetur, Canonem agere de characte A ribus, quibus Crucem annumerat: non agere de imaginibus, quæ citra dubium, ſicut ſancte adorantur, licitè etiam geſtari poſſunt. Illud verò quod dicitur de oratione Dominica, & Symbolo, gratia exempli dictũ eſt: tum quia ſi piè recitantur alia ſacra verba, cur non piè geſtentur? Tum quia ad geſtationem piam quorumcunque verborum ſacrorum (ſi aliqua vana obſeruatione non inquinentur) eadem ratio prodeſt, quæ ad orationẽ Dominicam, & Symbolum fidei.

Tertiò cauendum eſt, ne rebus ſacris vt Reliquijs Sanctorum, aut verbis, vel ſcriptis ſacris, adiungantur aliqua vana, vel ex B parte materiæ geſtatæ, aut pronũtiatæ, vel ex parte perſonæ geſtantis, aut pronuntiatis, vel ex parte modi geſtandi, pronuntiãdi, aut quoquo modo vtendi, vel ex parte effectus vani ſperati. Contra hæc omnia *Auguſt.* Auguſtinus, tractatu ſeptimo in Ioannem his verbis: *Fingunt ſpiritus mali vmbras quaſdam honoris ſibimetipſis, vt ſic decipiant eos qui ſequuntur Chriſtum, vſque adeò fratres mei, vt illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſceant præcantationibus ſuis nomẽ Chriſti: quia tam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, vt dent venenum, addunt mellis aliquantulum.* Hæc Auguſtinus.

Ex parte materiæ adiunguntur vana re- C bus ſacris: vt ſi vocibus ſacris adiungantur res naturales, nullam efficacitatem habentes ad effectum ſperatum producendum: verbi gratia, vt ſcriptum ſit in pergameno virgineo. Ex parte perſonæ; vt alligatum ſit ab incorrupto. Ex parte modi, innumeræ ſuperſtitiones contingunt in rebus ſacris portandis, vocibus ſanctis, aut ſcripturis vſurpandis. Verbi gratia, quod Reliquiæ aut amuleta alia, ſint in vaſe triangulari, aut rotũdo, vel alia figura, vt ſic efficaciam habeant: quod ſcriptum fiat oriente ſole: quod alligatum tot filis, vel talibus. Item in morbis ſanandis; ſi quis faciat oblationẽ D ex bonis eleemoſyna impetratis, credens ea maioris efficaciæ ad effectum conſequẽdum, ſuperſtitioſus eſt. Qui putat Crucem, ex eleemoſynis emptam vel factam, eſſe ſanctiorem, & efficaciorem: qui offerunt Sanctis ceram, vel aliam materiã, illi immiſcentes capillos hominis, aut animalis ægri: qui mergunt imagines in aqua pro pluuia *Martinus Arles.* obtinenda: cuius occaſione edidit libellum contra ſuperſtitioſos Martinus de Arles.

Qui pro quibuſdam capitis doloribus, & ſimilibus morbis curandis, ad porcorum lintrem, ſeu obbam, collum applicant, in nomine Patris, &c. Qui metiuntur cingulum ægrotantis, ad cognoſcendum à quo Sancto ſit ſanitas impetranda: adhibitis aliis certis ritibus. Qui pro quibuſdam pecudum morbis, ignes accendunt ex peculiaribus quibuſdam lignis, & in eos animalia impellunt, vel in orbem circunducunt: & quod primo loco tranſit animal, hoc Sãctis offerunt, & alia innumera huiuſmodi.

Ex parte etiam effectus ſperati, multæ ſuperſtitioſæ obſeruationes poſſunt accidere: vt quando effectus ſuperant facultatẽ naturalem obſeruationum, vel quia ſunt merè contingentes, & caſuales, ſeu fortuiti; vel quia pendent à libero arbitrio: aut verò quia etiam ſi corporei ſint, vanè tamen ſperantur à quibuſdam obſeruationibus, quæ ad id potẽtes non ſunt, vt ſtatuas loqui, ſeu motu progreſsiuo ambulare, & huiuſmodi: de quibus ſupra multa diximus circa articulum ſecundum. Item, quando effectus in ſe vani ſunt, ideſt nullius momenti: vt ſi dictis quibuſdam verbis ſacris, facias mouere anulum ſuper filum, & ſimilia vana. Ex hoc enim quod vanus eſt effectus, palam fit non aſsiſtere virtutem Dei, ſed diaboli: qui vt decipiat, fingit ſe amare, & aſsiſtere verbis ſacris, cùm tamen aſsiſtat cultui, qui ſibi exhibetur ſub velamine vocum ſacrarum, ab habente pactum explicitum, vel implicitum cum dæmone. Cuius rei adfert mirabile experimentum dominus Caieta- *Caiet an.* nus, in Summa verbo, *incantatio.* His cautelis ſi vtaris non erit, vt exiſtimo, difficile diſcernere, non ſolùm obſeruationes ſuperſtitioſas à non ſuperſtitioſis: verùm inter quæcunq; alia ſuperſtitioſa: quibus diſcernendis, vel omnes, vel ferè omnes cautelæ recitatæ applicari poterũt. Maximè ſi vtaris hac ratiocinatione, quavelut telo præcipuè vſi ſumus cum D. Thoma, ad explodendam omnem vanam obſeruationem. Ratiocinatio ſic procedit. Hæc obſeruata, verbi gratia, vox, non habet virtutem naturalem ad hunc effectum producendum, vt probauimus latè, neque ſupernaturaliter, & miraculoſe operatur Deus per eam: quia non perhibet teſtimonium de hoc ſacra Scriptura, traditio, Cõcilia, aut Eccleſiæ doctrina, ſicut de verbis ſacramentalibus: ergo effectus iſte ſi fiat, procedit ex occulta ſpiritualis creaturæ operatione: nõ Angelicæ: quia Angeli ſemper faciunt Dei voluntatem,

tem, & cum Deo, mendacium, ac vanitatem deteſtantur: ſupereſt ergo vt effectus illi ſint adſcribendi dæmonibus ſuperſtitionum inuentoribus, & amatoribus.

Hæc dicta ſufficiant pro explanatione doctrinæ diui Thomæ, in hac quæſt. 96. & proximè præcedenti 95. quibus vltimam manum imponam, tractans de pœnis, quibus ſuperſtitioſi diuinatores, malefici, & ſortilegi, in iure puniuntur. Quæ tractatio nequit diffiniri, niſi præmittamus doctrinam.

De qualificatione ſuperſtitionum.

PRo quâ præmittendum, ſuperſtitiones, maximè quæ ad cognitionem, vel operationes ordinantur, eſſe in duplici differentia. Quædam cum expreſſa dæmonum inuocatione; quædam cum ſola tacita. Rurſus, quæ cum expreſſa dæmonis inuocatione, tripliciter contingũt: vel exhibendo dæmoni latriæ cultum, cuiuſmodi eſt ſacrificare, adorare, genu flectere, ſuffumigare, ſe dæmonibus deuouere, obedientiam promittere, iurare, vel adiurare per talem, vel talem dæmonem, laudes dæmoni canere, pro dæmonis reuerentia ieiunare, caſtitatem ſeruare, ſanguinem proprium ex ſe emittere, ſal in ignem iacere. Hæc, & ſimilia ſeruare necromanticos, aſſerit Eimericus, ſe accepiſſe ex quodam libro impio, qui theſaurus necromantiæ dicitur, quem ab ipſis accepit, & combuſsit. Secundo modo, exhibendo dæmoni cultum duliæ: verbi gratia, honorando vt Dei famulum, aut aliqua iuriſdictione, ſeu excellentia conſpicuum; cuiuſmodi eſt nomina dæmoniorum, inter nomina ſpirituum beatorum vel ſanctorum, quibuſdam impijs orationibus miſcere: cereos accendere; & per eorum nomina, vel merita obſecrare. Tertio modo, inuocando illum abſque vllo cultu, ſed ſolùm vocãdo vt ſapientem, qui cõſulat; vt potentem, qui adiuuet, in eis quæ ipſe ſuis viribus poteſt ſcire, aut facere. Verbi gratia, vt reuelet theſauros, vel furta abſcondita, vt ſanet morbos aliàs ſanabiles, ac ſi Medicus vocaretur, &c.

Eimericus.

Secundò ſupponendum, ſuperſtitiones omnes, ſiue quæ fiunt cum dæmonis inuocatione expreſſa, ſiue quæ cum implicita; poſſe reperiri ſine infidelitatis errore, aut A hæreſis prauitate. Res hæc citra controuerſiam eſt, ſcienti hæreſis vitium non eſſe ſine errore intellectus, circa dogmata fidei; adiuncta etiam pertinacia non credentis. Conſtat autem vtrunque præfatum genus ſuperſtitionum, ſine errore intellectus reperiri poſſe.

Tertiò aduertendum; id dictum, vel factum, ſapere hæreſim manifeſtam; ex quo ſaltem probabiliter infertur, intellectum ea operantis, verſari in aliquo errore, aut hæretico ſenſu. Verbi gratia, rebaptizat quis aliquem: rebaptizatio hæc ſapit hæreſim manifeſtam: quia probabile eſt, talem rebaptizantem, eum tenere errorem, vt bap- B tiſma ſit iterandum. In his tamen ſapientibus hæreſim, non eſt æqualis gradus: nam quædam plus, quædam minus ſapiunt hæreſim.

His ſuppoſitis dico primò. Eæ ſuperſtitiones, ſeu ſortilegia, quæ fiunt interueniẽte inuocatione expreſſa dæmonum ad aliquid faciendum, vel iudicandum, quod dæmonis ſcire, aut potentiam ſuperant: verbi gratia, ad ſuſcitandum mortuum, aut diuinandum occulta cordium, vel actus liberi arbitrij futuros, & ſimilia; manifeſtè ſapit hæreſim. Et quidem ſi ea inuocatio fiat, exhibendo dæmoni cultum latriæ, res comperta eſt apud omnes. Et probatur: tùm C quia exhibendo cultum latriæ, nimirum ſoli Deo debitum, ipſo facto proteſtatur, dæmonem eſſe verum Deum: tùm quia videtur credere, dæmonem habere cognitionẽ futurorum merè contingentium, aut à libero arbitrio procedentium, vel cogitationum cordis, quod ſolius Dei eſt. Si autem ea inuocatio fiat exhibendo dæmoni cultum duliæ; pari ratione aſſertum clarũ eſt: & quia proteſtatur dæmonem dulia dignũ, & quia credit dæmonem ſcire, aut poſſe, quæ ſolius Dei ſunt.

Sed quid ſi inuocatio, ſine vllo cultu fiat? Etiam aſſertio noſtra verum habet, quando D inuocatio eſt ad ſcienda, vel facienda, quæ dæmonis vires ſuperant. Probatur: quia ipſo facto inuocans proteſtatur dæmonem ea poſſe, quæ ſolum Deum poſſe fides eſt, niſi eam inuocationem per iocum faciat; tunc enim licèt peccet grauiſsimè: non tamen inuocatio hæreſim ſapiet manifeſtam.

Dico ſecundò. Quando ſuperſtitioſa inuocatio, & expreſſa, fit ſine cultu aliquo dæmonis, ad ea ſciẽda, vel faciẽda, quæ dæmonis vires, aut cognitionem non ſuperãt:

verbi

verbi gratia, ad ſciẽda occulta furta, ad ſanandum morbos aliàs ſanabiles: probabile cenſeo, non ſapere hæreſim manifeſtam. Explicatur aſſertio: poteſt quis inuocare dæmonẽ imperando, quia in vi pacti præcedentis, putat ſe id facere poſſe (ſed fallitur, vt alibi docuimus) aut ſine imperio, vocando: quia ſic pepigerunt homo, & dæmon, vt adeſſet vocatus: ſi iſto pacto fiat iuuocatio, puto eam inuocationem non ſapere hæreſim manifeſtam, quantum eſt ex parte operis. Hæc eſt ſententia Franciſci Pegna, in Commentario 67. ſuper directorium Inquiſitorum, parte ſecunda, quæſt. 42. Et probatur, quia tales inuocatores, neque colunt dæmones, neque ipſo facto proteſtantur aliquid, quod dæmoni non conueniat: ergo eorum inuocatio non ſapit hæreſim manifeſtam, quantum eſt ex parte operis. Conſultò dixi, quantum eſt ex parte operis: quia ex parte operantis, fortaſſe hæreſim manifeſtam ſapit. Iſtiuſmodi enim inuocatores propter fœdus initum cum dæmonibus; valde credibile eſt, aliquo errore, circa dæmonis potentiam eſſe detentos: ac proinde eorum inuocationes ſapere hæreſim, licèt non vſque adeò manifeſtam. Idem dico de phyltris amatorijs, quæ inuocato dæmone adhibentur: ſed ex rebus allatis, naturalem vim habentibus, ad inclinandum in amorem, aut furias Venereas. De quo ſupra.

Pegna.

Dico tertio. Quãlo inuocatio dæmonũ fit expreſſe, nullo alio præcedente cultu, niſi quod dæmon obſecratur, & exoratur, vt tanquam ſciens, aut potens aliqua reuelet, quæ eius ſcire non excedunt; aut aliqua faciat, quæ eius vires non ſuperant, probabile cenſeo, eam inuocationem ſapere manifeſtè hæreſim. Hæc aſſertio eſt contra dominum Caietanum, ſupra quæſt. 95. art. 4. ſed aſſeritur à Iuriſconſulto Barbatia, conſilio 55. libro 1. & ab Spino, Apologia quarta contra Poncinibium, & à Pegna in directorio Inquiſitorum, quæſt. 42. cõment. 67. Probatur: quia ſola obſecratio dæmonis (quam interuenire dicimus in hac inuocatione) rationem habet aliqualis cultus, vt deduxi latè, circa articulum quartũ quæſtionis 95. non diffitetur Caietanus: ergo ea inuocatio ſapit manifeſtè hæreſim. Probatur conſequentia, quia eo ipſo, quod quis obſecratur, obſecrans proteſtatur ſe illi inferiorem, vt pote, cuius auxilio indiget; ac proinde, eſſe dignum cui quis ſubijciatur: quod de dæmone aſſerere hæreſis eſt. Fateor, non eſſe hoc aſſertum tam certum ſicut præcedentia: ac proinde non tenetur à multis Iureconſultis, putà Oldrado conſilio 210. Tiraquello de Pau. cauſa 4. num. 3. Geminia. conſilio. 54. Alberto rubrica de hæreti. Iulio Claro. §. hæreſis, nu. 25. Farinac. quæſt. 20. Niſi velis hos Iuriſtas, cum Barbatia, & Pegna concordare; vt illi loquantur in caſibus ſecundi aſſerti: hi verò in caſu tertij.

Caietan. Barbatia. Spino. Pegna.

Oldradus. Tiraquel. Geminian. Albertus. Clarus. Farinac.

Hæc quando in ſuperſtitionibus interuenit inuocatio, ſeu pactum expreſſum cũ dæmone. In diuinationibus autem, & obſeruationibus ſuperſtitioſis, merè & ſine vlla admixtione fœderis expliciti cum dæmone: verbi gratia, in chiromantica diuinatione, aut augurio, & huiuſmodi, non eſt ita facile iudicare, quando eæ ſuperſtitiones ſapiant hæreſim, nec ne. Sed aliqui aſſignantur à Doctoribus caſus, in quibus etiam citra pactum expreſſum cum dæmone, reperiuntur ſuperſtitiones, ſiue ſortilegia, ſapientia hæreſim manifeſtè. Primus caſus, quando aliqui ſortilegio Deum abnegant; Cruces, ac imagines Sanctorum conculcant, etiamſi conculcatio, direptio, aut inhonoratio fiat ex iracundia, vel dolo: ſapit enim hoc hæreſim Lutheranam, de imaginibus explodendis. Secundus caſus, ſi qui baptizent imagines, vel rebaptizent pueros, vel hæretici ſint: ſi putent imagines eſſe capaces baptiſmi, vel vt minimum ſint vehementer ſuſpecti de hæreſi, etiam ſi negẽt ſe hoc credere: quia tales actus indicatiui videntur hæreſis manifeſtæ. Tertius caſus, ſi aliqui in ſuperſtitionibus ſuis, vel ſortilegijs, vtantur Euchariſtiæ Sacramento, aut oleo Chriſmatis, vel quouis alio Sacramento, aut etiam ſacramentalibus, vt aqua benedicta, vel Reliquijs Sanctorum, vel imaginibus cereis à Summo Pontifice conſecratis, quas vocamus Agnus Dei, vel alijs rebus ſacratis, vt veſtibus Sacerdotalibus, & ſimilibus: vehementer ſuſpecti ſunt de hæreſi, & illæ ſuperſtitiones, in quibus hæc admiſcentur, manifeſtè eam ſapiunt. Probatur: quia tales ſignificant ſe credere, huiuſmodi adhibita vim habere ad maleficiorum operationem. Et de hac credulitate debent examinari à iudicibus legitimis: & ſi nolint reſpondere, poſſunt torqueri: & ſi non fateantur, debẽt vt vehementer ſuſpecti abiurare.

Et ſi roges, quid ſit ſentiendum de ijs, qui citra pactum expreſſum cum dæmone, ad ſciendum quæ dæmon poteſt oſten-

dere

dere, aut faciendum quæ poteſt facere; vtuntur rebus non ſacris, quæ deſtinantur ad ſacra: verbi gratia, ſi vtantur hoſtia non cõſecrata ad phylitra; probabile eſt, hoc ſortilegium non eſſe hæreticale, etiam ſi ſuper eam hoſtiam Sacerdos Miſſam celebret. Ita Oldradus conſilio 10. & Grillandus quæſt. 10. numero 13. & quæſt. 11. numero 19. & 20. & Farinacius numero 8. qui intelligendi ſunt, modò non putent eam hoſtiam non conſecratam habere vim ad effectus Magicos, qua ratione ad ſacra ordinatur, ſed ſicut de qualibet alia re non ſacra apponenda iudicant. Et multo magis debent intelligi, ſi illi non malè ſentiant de tranſubſtantiatione hoſtiæ in corpus Chriſti: quia tunc hæretici iudicandi ſunt. Et credo quotieſcunque non conſtet de intentione: ſi in loco ſacro hæres adhibeantur, verbi gratia, ſuper altare, ſuperſtitionem ſapere hæreſim: eo quod niſi crederent, ex loco ſacro, vel alia conſideratione ſacra habere vim ad effectum Magicum, ea hoſtia, vel alijs rebus non vterentur. Huius rei multa inferius producuntur exempla. Ex his, & ſimilibus diſces, quando ſuperſtitiones citra pactum expreſſum, ſapiant hæreſim, & quãdo non: ſæpiſsimè enim, & multis modis cõtingunt obſeruationes ſuperſtitioſæ, quæ nullo modo ſapere hæreſim dicendæ ſunt.

Grilland.

Farinac.

Ex dictis colligitur deciſio alterius dubitationis, quæ ſit ſecunda in ordine ad præcedentem

DISPVTATIO III.

Quando ſcilicet ſuperſtitiones, aut ſortilegia, & eorum patratores, ſubdantur quoad punitionem, iudicio Inquiſitorũ hæreticæ prauitatis?

DIco primò. Attento iure communi Canonico antiquo, quando ſortilegia, aut ſuperſtitiones ſapiunt hæreſim manifeſtam; ad Inquiſitorum præfatorum tribunal ſpectat, ea ſortilegia, aut ſuperſtitiones punire. Quod ſi non ſapiant hæreſim; ad eos non ſpectat talium punitio. Aſſertum probatur, ex celebri capitulo, *accuſatus*, in ſexto titulo de hæreticis. §. ſanè cum negotium fidei. At verò ſi dubium ſit, an aliquæ ſuperſtitiones, vel ſortilegia ſapiant hæreſim? non pertinet ad Inquiſitores iudicare, aut cognoſcere ſint ne talia, vel non: ſed hoc qualificatoribus Theologis committendum eſt. Ita Gloſſa ſuper præfatum capitulum. Addit tamen Pegna vbi ſupra: ſed poſtquam conſtat eam ſapere hæreſim; dubitatur verò tantùm, an ſapiat manifeſtam: poſſunt de illa qualificatione cognoſcere, & pronuntiare ſe iudices eſſe, vt fert communis ſententia. *Pegna.*

Dico ſecundò. Attento iure nouo, id eſt, Extrauaganti Sixti Quinti, lata contra exercentes Aſtrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcunque diuinationum genera; iam facultas facta eſt Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, & ſimiliter Epiſcopis, ac alijs Prælatis, aut Superioribus, contra quoſcunque ſuperſtitioſos procedere: vnde crimina hæc facta ſunt mixti fori. Cuius Extrauagantis tranſumptum volui in gratiam lectorum hic apponere.

CONSTITVTIO

S. D. N. Sixti Papæ V. contra exercentes Aſtrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcunque diuinationum genera, libroſq; de eis legentes, ac tenentes.

Sixtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

COeli & terræ creator Deus, quem vnum omnipotentem corde credimus ad iuſtitiam, & ore confitemur ad ſalutem, etſi homini, quem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creauit, mentem dederit, quæ non ſolùm diuino fidei lumine illuſtrata, myſteria illa cognoſceret, quæ humanam intelligentiam ſuperant; ſed etiam naturæ ſuæ vi, magno licèt cum labore, præclara multa inueſtigaret, atque intelligeret: tamen, vt ſuperbum animal

home

homo non altum ſaperet, ſed timeret, & immenſam ſui conditoris maieſtatem humi ſtratus veneraretur: ſibi ſoli eorum quæ euentura ſunt, ſcientiam, & futurarum rerum cognitionem ſeruauit. Solus enim ipſe, cuius oculis omnia nuda, & aperta ſunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat: & conſequẽtes eorum actiones intuetur. Solus ipſe, qui vocat quæ nõ ſunt tanquam ea quæ ſunt: omnia præſentia, & ante oculos poſita habet. Solus deniq; omnia, & ſingula quæcunq; totius tẽporis decurſu, & Jaculorũ ætatibus futura ſunt, ab omni æternitate nouit, & admirabili prouidentia diſpoſuit, quæ non modò humanæ mentis imbecillitas ignorat, ſed nec dæmones ipſi præſentire poſſunt. Quare idolorũ inſtuturis annũtiandis falſitatem, & imbecillitatẽ; & eorũ, qui eis cultum adhibent, vanitatem irridet Spiritus ſanctus, apud Iſaiam, illis verbis: Annuntiate quæ uentura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos. Et in nouo Teſtamento Chriſtus Dominus Diſcipulorũ ſuorum de futuris euentibus paulò cupidius inquirentium interrogationem graui illa reſponſione retudit, qua etiam omnium fidelium ſuorum curioſitatem coërcuit. Non eſt veſtrũ ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Nec verò ad futuros euentus, & fortuitos caſus prænoſcendos (futuris euẽtibus ex naturalibus cauſis neceſſariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) vllæ ſunt veræ artes, aut diſciplinæ, ſed fallaces & vanæ, improborum hominum aſtutia, & dæmonum fraudibus introductæ: ex quorum operatione, conſilio, vel auxilio omnis diuinatio dimanat, ſiue quod expreſſe ad futura manifeſtanda inuocentur, ſiue quod ipſi prauitate ſua & odio in genus humanum occultè, etiam præter hominis intentionem ſe ingerant, & trudant vanis inquſitionibus futurorum, vt mentes hominum pernicioſis vanitatibus, & fallaci contingentium prænuntiatione implicentur, & omni impietatis genere deprauentur. Quæ quidem ipſis cognita ſunt, non diuinitate aliqua, nec vera futurarum rerum ſciẽtia, ſed naturæ ſubtilioris acumine, & alijs quibuſdam modis, quos hominum obtuſior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non eſt, in huiuſmodi futurorum contingentium, & fortuitorum euentuum inquiſitione, & præcognitione, diaboli operationi ſe fallaciter immiſcere, vt ſua fraude, ac dolis, miſeros homines à via ſalutis auertat, & laqueo damnationis inuoluat. Quæ cùm ita ſint nonnulli hæt fideliter, & religioſe, vt debent, non attendentes, ſed curioſa ſectantes; graui-
A ter Deum offendunt, errantes ipſi, & alios in errorem mittentes. Tales in primis ſunt Aſtrologi, olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarij vocati, qui vanam falſamq; ſiderum, & Aſtrorum ſcientiam profitentes, diuinæq; diſpoſitionis ordinationem, ſuo tempore reuelandam præuenire audaciſſimè ſatagentes: hominum natiuitates ſeu genituras, ex motu ſiderum, & Aſtrorum curſu metiuntur, ac iudicant futura, ſiue etiam præſentia, & præterita occulta: atque ex puerorum ortu, & natali die, ſiue quauis alia temporum, & momentorum vaniſſima obſeruatione, & notatione,
B de vniuſcuiuſque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, diuitijs, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitijs, carceribus, cædibus, varijs diſcriminibus, alijſq; proſperis, & aduerſis caſibus, & euentibus, præcognoſcere, iudicare, & affirmare, temerè præſumunt, non ſine magno periculo erroris, & infidelitatis: cùm S. Auguſtinus, præcipuum Eccleſiæ lumen, eum, qui hæc obſeruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem, & Baptiſmum præuaricaſſe affirmet: vt illos meritò Apoſtolus arguat, atque increpet illis verbis;
C Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos, timco vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis. Hi igitur leuiſſimi, & temerarij homines, in miſerandam animarum ſuarum ruinam, graue fidelium ſcandalum, & Chriſtianæ fidei detrimentum, futuros rerum euentus, & quæcumque proſperè, vel aduersè obuentura ſunt, ac actus humanos, ea denique quæ ex libera hominum voluntate proficiſcuntur, Aſtris, ſideribuſq; aſcribunt, eiſq; eam facultatẽ, vim, ſeu virtutem, & efficaciam tribuunt ſignificandi futura, & ad præcognita ita inclinandi, vt ſic omninò, nec aliter euentura ſint: atque ob eam cauſam, de ijs rebus omnibus iudicia facere, prognoſtica, prædictiones,
D & præcognitiones ſibi aſſumere, & palam vẽditare non dubitant. Quibus non pauci rudes; & imperiti, alijq; nimis credoli, & imprudentes, tantam fidem præſtant, vt ex huiuſmodi iudiciorum, & prædictionum præſcripto, aliquid certo eſſe credant, aut ſperent, quorum ſanè, & mendacium magiſtrorum temeritas, & infœlicium Diſcipulorum credulitas magnopere deploranda eſt: qui vel diuinis literis admoniti, non intelligunt hominis præſtantiã, cui cœli, & ſtellæ, & clariſſima cœli ſidera, Sol, & Luna (Deo ita diſponente) non imperant, ſed inſeruiunt. Sic enim Moyſes populum Dei, vt hunc errorem caueret, præmone-

bat.

bat. Ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia Aſtra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creauit Dominus Deus tuus, in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt. Sed quid ſidera mirandum eſt homini ſeruire? nonne nobiliſſimæ intelligentiæ Angeli ipſi, omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? nam rationales oues ita diligit Deus, vt non ſolùm Epiſcopos, quemadmodũ à ſancto Ambroſio ſcriptum eſt, ad tuendum gregem ordinauerit, ſed etiam Angelos deſtinauerit. Præclarè etiam ſanctus Hieronymus: Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Quod ſi Angeli homines cuſtodiunt, quid aduerſus Angelorum cuſtodiam, & tutelam, Aſtra moliri, aut efficere poterunt; quæ cum ipſis Angelis nullo modo ſunt comparanda? Nec ſanè hoc loco prætereunda eſt eximij Eccleſiæ Doctoris, & Beatiſſimi Pontificis Magni Gregorij ſententia, qui Priſcillianiſtas hæreticos, vnumquemque hominẽ ſub conſtitutionibus ſtellarum naſci putantes, magno rerum, & verborum pondere confutat. Abſit (inquit) à fidelium cordibus, vt aliquid eſſe fatum dicant: vitam quippe hominum, ſolus hanc conditor qui creauit adminiſtrat. Neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter homines factæ ſunt: & ſi ſtella fatum hominis eſſe dicitur, ipſis ſuis miniſterijs ſubeſſe homo perhibetur. Vtinam inſani homines hæc ſaperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Leuitico dicentis: non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Nec enim quæ Chriſtiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto ſtudio inueſtigarent, ijſdemq; miſerè ſe decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curioſi, vel impij, & irreligioſi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeò anxiè habere ſtudent, vt ob eadem prænoſcenda, & inueſtiganda in diuinæ legis offenſionem multipliciter incurrant. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, alijſque ſortilegijs, & ſuperſtitionibus, non ſine dæmonũ ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione, operam dare, ſeu aleis, ac ſortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum iactu vti non verentur. Alij verò aliquas priſtinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ idolatriæ reliquias retinentes; quibuſdam augurijs, auſpicijs, ſimilibusve ſignis & vanis obſeruationibus, ad futurorum diuinationem intendunt. Alij item ſunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui ſimiliter ad occultorum diuinationem, ad inueniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum diabolo pactione facta, in manifeſtam ſuarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, inſtrumenta, & veneficia adhibent; circulos, & diabolicos characteres deſcribunt; dæmones inuocant, aut conſultant, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumicationes, aliaue ſacrificia offerunt, candelas accendunt; aut rebus ſacris, vel Sacramentis, aut ſacramentalibus ſacrilegè abutuntur; adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obſequia præſtant; cultum, veneration emve tribuunt, aut anulum, vel ſpeculum, aut paruas phyalas ſibi fabricant, aut fabricari curant, ad dæmones in eis alligandos, ſeu includendos, vt putant, ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alij præterea, etiam in corporibus obſeſsis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus, dæmones de futuris vel occultis rebus, aut factis, exquirunt: vt meritò ab eis, quos Dominus in Euangelio tacere imperauit, vanas, mendaceſq; referant reſponſiones. Alij quoque præſtigiatores, frequentius verò mulierculæ, quædam ſuperſtitionibus deditæ, in phyalis ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo, accẽſis candelis etiã benedictis ſub nomine Angeli ſancti, & albi, diabolum omniũ malorum factorem, ſupplices adorantes: vel in vnguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis, eundem omnium fallaciarũ architectum orant, vt ſimiliter futura, vel occulta quæuis per ſpectra, & apparentes imagines, ſeu phantaſticas viſiones ſibi oſtendat: aut ab eodem patre mendacij diabolo, alijs incantationibus, aut varijs ſuperſtitioſis obſeruationibus, futurorum, & occultorum huiuſmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos ſupra enumerauimus, conſimilis impietas prauum exitum habet, nimirum, quod dæmonis præſtigijs, ac dolis, tùm qui diuinant, tùm qui diuinationem expetunt, illuſi, ac deluſi miſerrimè reperiuntur. Itaque cum futuros euentus in ſe ipſis conſiderare antequã fiant, ſit Dei proprium, illud neceſſariò conſequitur, vt Aſtrologi, & alij prædicti, qui huiuſmodi futura prænuntiare, aut prænoſcere quocunque modo, niſi Deo reuelante, audent, iniuſtè, ac imprudenter, quod Dei eſt ſibi aſſumant, & vſurpent. Sic fit, vt dum ab

eis

eis quod ſolius eſt creatoris perperam creaturis tribuitur, diuina maieſtas grauiter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioſo Chriſti ſanguine redemptis, peſtis, atque exitium importetur. Et licèt iam pridem regulis indicis librorum prohibitorum, ex Decreto ſacri generalis Triden. Conci. confecti, illud inter cætera conſtitutum fuerit, vt Epiſcopi diligenter prouiderent, ne huiuſmodi Aſtrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, ſucceſsibus, fortuitisve caſibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare auderẽt: permiſsis tamen iudicijs, & naturalibus obſeruationibus, quæ nauigationes, agriculturæ, ſiue medicæ artis iuuandæ gratia conſcripta fuiſſent. Libros verò omnes, & ſcripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, ſiue in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicæ, prorſus reijci, & aboleri curarẽt. Non tamen errorũ, corruptelarum, delictorũ, & abuſuum prædictorũ extirpationi vſq; adeò prouiſum eſt: quin etiã adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curioſius vigeant, cũ val de frequenter detectis diaboli inſidijs, diuinationũ, ſortilegiorum, & variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe in dies detegantur. Nos igitur qui pro noſtro paſtoralis officij munere, fidei integritatem inuiolatam conſeruare debemus, & animarum ſaluti proſpicere, quantũ diuina gratia adiutrice poſſumus: ex paternæ charitatis viſceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus diuinationũ, quæ diabolo autore ad fidelium deceptionem à prædictis curioſis, vel perditis hominibus fieri ſolent: cupientes præterea ſanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, præſertim de ſumma creatoris Dei poteſtate, ſapientia, & prouidentia ab omni erroris labe integram, atque incorruptam, vt par eſt, retineri. Volentes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac huiuſmodi illicitarum diuinationum, & ſuperſtitionum deteſtabili ſtudio, & execrandis flagitijs, ac impuritatibus occurrere, vt de Chriſtiano populo meritò dici poſsit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt: Non eſt augurium in Iacob, neque diuinatio in Iſraël: hac perpetuò valitura conſtitutione, Apoſtolica autoritate ſtatuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcunque dictæ iudiciariæ Aſtrologiæ artem, præter quam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam, imposterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus ſucceſsibus, fortuitisq; caſibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiam ſi id ſe nõ certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur: quàm contra alios vtriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, ſiue ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, quive huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtãda ſcelera, & delicta, vt præfertur faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cuiuſcunque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant: tam Epiſcopi, & Prælati ſuperiores ac alij Ordinarij locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ prauitatis, vbiq; gentium deputati, etiam ſi in pleriſq; ex his caſibus antea nõ procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant; atque in eos ſeuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant. Prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus huius iudiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur: ac vt ſupra in memorato indice interdictos, ſub cenſuris, & pœnis in eo contentis, à quibuſcunque Chriſti fidelibus legi, aut quo modolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem autoritate ſtatuimus, & mandamus vt contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta huiuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter ijdem Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere poſsint. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Vt autem præſentes noſtræ literæ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, iubemus illas in valuis Baſilicarum ſancti Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de vrbe, ac in acie campi Floræ affigi, ſeu appendi, eiſq; detractis, ipſarum exempla etiã impreſſa, eiſdem in locis affixa relinqui. Et inſuper vniuerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, locorum Ordinarijs, & Prælatis, necnon Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet conſtitutis, per hæc cõmittimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium, ſeu

alios easdē præsentes literas, postquā eas rece perint, seu earū notitiam habuerint, in suis, & singulis Parochialibus Ecclesijs, dū in eis populi multitudo ad diuina cōuenerit: deinde verò semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant. Quia verò difficile foret præsentes literas ad singula quæq; loca, in quibus de eis fides faciēda erit deferri: volumus, vt earū trāsumptis etiā impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac paruo sigillo sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, aut alicuius Prælati, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra, vbiq; locorū adhibeatur, quæ eisdē originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominū liceat, hāc paginā nostrorum statutorū, mandatorū prohibitionis, iussionis, cōmissionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorū eius, se nouerit incursurū. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo, octogesimo sexto. Nonis Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

DISPVTATIO IIII.

De pœnis sortilegorū, maleficorum, incantatorum, & similium.

HI omnes puniuntur iure Canonico, & Ciuili multis in locis, ac multis supplicijs: sed vtriusq; Iuris periti hoc cōmune consilium depromunt, vt eodē iure scilicet per totum iudiciū arbitrio iudicis relinquatur: sic tamen vt Canonibus, legibusq; se accōmodet, nec eorū præscripta transgrediatur temerè, videlicet nisi qualitas facti, conditio personarum, animus delinquentis, scandalū inde exortū, aut similia suadeāt pœnā augere vel minuere. Ita Abbas cap. 1. de sortilegijs. Grillandus de sortilegijs quæst. 11. Menochius de arbit. casu 388. num. 11. Farinacius, quæst. 20. num. 49.

Abbas. Grilland. Menoch. Farinac.

Canones aliquos, & leges ferentes pœnas cōtra hos sortilegos indicabo. Ca. 1. de sortilegijs, puniuntur in foro pœnitentiali pœnitētia 4. dierū: & in foro exteriori quinquenio, cap. *qui diuinationis*, 26. q. 5. sed iā vsus istarum pœnitentiarum publicarū pretermissus est, & non hæreticalia sacrilegia A conficiens, si laicus est, pro prima vice erit excommunicandus, cap. *siquis Episcopus*, c. *aliquanti*, 26. q. 5. si monitus perseuerat, & est vilis persona, publicè est verberandus, vel mithra cartacea opprobrio capite circū dandus. Si non est persona vilis, relegādus vel perpetuo carceri mancipandus. Ita Grillandus, & Menochius vbi supra, ex capitulo *contra idolorum*, dicta quæs. 5. Cōsequitur autem infamia hoc crimen; etiam si iudex non inflixerit prædicta opprobria, c. 3. 2. q. 8. cap. *infames*. 6. quæs. 1. Hæc omnia approbat ius Ciuile, quando ob malum finem sortilegia patrantur: permittit verò, vel laudat quando ob finem bonum. L. B *eorum*. C. de malefi. statuitur ne malefici puniantur, qui aliquando sua arte vsi, ob finē bonum conficiunt. Cæterum ius Canonicū puniendos decernit, etiam si ob bonum finem fiant: & etiam si cōstet, obseruationes, & vsus earum rerum sortilegarum, nullius esse efficaciæ; & tunc pœna est arbitraria. Vide Grillandum, & Farinacium. Colligitur ex cap. *illos*, 26. quæst. 2. & cap. *ex tuarum*, de sortilegijs.

Clerici verò vtentes his superstitionibus, & sortilegijs non sapientibus hæresim, in simplicitate cordis, & zelo bono: verbi gratia, pro inueniendo bona Ecclesiæ furto sublata, suspenduntur à diuinis per annum, C & vltra, iudicis arbitrio, secundùm facti turpitudinem, & criminis qualitatem: ita cap. 2. de sortilegijs. Quid si dolo malo fecisset? Deponendus esset ab ordine sacro, omnibus beneficijs priuaretur, etiā in Monasterium perpetuo detruderetur, cap. *si quis Episcopus*, 26. quæst. 5. Imò vt aiunt multi canonistę, talis Clericus infamis effectus tonsurari solet, & in modum stulti decaluari, vestibus ante, & retro scissi, & decurtatis: & mox degradari, hoc est perpetuò ab altaris administratione remoueri.

Sed rogas, an sortilegi, incantatores, D diuinatores, & huius sectæ homines, & qui eorum arte aut opera vtuntur, aut eos consulentes, excommunicatione puniantur? Respondetur, multis in locis iubentur excommunicari, cap. *non oportet*, cap. *aliquanti*, cap. *siquis Clericus*. 26. quæst. 5. Cæterùm non inuenio excommunicationem latam, nisi fortè in cap. *Siquis ariolos, aruspices, incantatores, vel seruat, vel obseruauerit, aut phylacterijs eorū vsus fuerit: anatema sit.* Quæ verba quidam sic interpretantur: anathema sit, idest anathemate feriatur. Ego

verò

verò certius puto, significari excommunicationem latam contra sortilegos omnes, & eos fultores: nulli tamen reseruatam. Et in Extrauaganti quadam, quæ habetur in Directorio Inquisitorum, parte 2. quæst. 43. Ioannes XXII. ipso iure excommunicationis pœnam infligit ijs omnibus qui sacramẽtis aut rebus sacris in diuinationibus abutuntur, aut nefarijs precibus dæmones inuocant, aut sacrificia eis offerunt, aut eos venerantur, & colunt, aut cum eis impia pacta faciunt. Sed ij sortilegi sunt hæretica-
les, de quibus in capitulo *ad abolendam*, de hæreticis. dicitur: *Omnes illi quorum diuinationes, aut superstitiones manifestè sapiunt hæresim, ipso facto sententia excommunicationis innodantur, saltem in foro exteriore: & eisdem pœnis, quibus hæretici puniuntur, in eodem foro plectuntur.* Quæ autem sortilegia sapiant hæresim; diximus in prima disputatione, post commentaria quæst. 96.

In iure etiam Ciuili, sortilegi diuinantes, ac malefici, multis subiecti sunt pœnis. L. *quicunque*. C. de maleficis, sancitum est, vt cuique liceat maleficum apprehendere, & illico ad Magistratus, & iudices deferre, vt communis salutis hostem. L. *& si*. C. de maleficis, statuitur, vt licèt homines in dignitate constituti, non debeant nisi ob crimen maiestatis, & falsi, torqueri: si tamen in cõmitatu Principis, aliquis aruspex, ariolus, augur, mathematicus, aut somniorũ interpres, aut diuinandi artem exercens, licet in dignitate fuerit; tormentis subijcitur. L. *nemo*, eodem titulo. arioli, Mathematici, & diuinandi artẽ exercentes, gladio puniuntur. L. *nullus*. C. de maleficis, præcipit Constantinus, vt diuinantes concrementur, qui ad alienam domum accesserunt; & qui eos deuocauerint deportentur publicatis eorum bonis. L. *multi*. C. eodem titulo. decretũ est à Iustiniano, Magicis artibus deditos, quia elementa turbare, feralí peste absumi. Quæ sit autem ista feralis pestis (de qua Iustinianus) vix inter Iurisperitos conuenitur. Nã quidam de vltimo supplicio loqui Iustinianum aiunt, non exprimendo aliquod pœnæ genus. Alij putant per feralem pestem intelligi ignis supplicium, eo quod per illud, Dijs Manibus cõsecrarẽtur: vt quemadmodum in feralibus (festa quædam erant idolatrarum) pecudes absumebantur, & ipsa cadauera, ita Manibus consecrarentur, quos in carminibus suis inuocassent. Ita Iacobus Reuardus, lib. 5. variorum, cap. 3. & Dionysius Gothofredus in notis ad l. *mul-*

Reuardus. Gothofred.

ti. Alij dicunt sensum esse, Magos feralis pestis absumat, idest obijciantur feris laceranda: ita Odofredus, & Cuiacius, & Accursius super dictam legem, *multi*: quibus magis assentior. *Odofredus. Cuiacius. Accursius*

Aduertendum tamen, huiusmodi mortis pœnam, nequaquam posse à iudicibus Ecclesiasticis infligi secundũ ius commune, vt patet extra, c. *Sententiã sanguinis*. nec Clerici, vel Monachi. Sed si habuerint incarceratũ sortilegũ hæreticalẽ; si ille paratus sit abiurare, & condignam subire pœnitentiam, non possint eum tradere iudici seculari, nec etiam illi communicare copiam processus, aliàs incurrent irregularitatem, vt patet ex multis capitibus iuris: de quo Ancharranus in ca. *ea quæ*. de regulis iuris. in 6. quæst. 4. Farinacius supra num. 105. dumtaxat in quibusdam casibus sortilegi hæreticales possunt tradi brachio seculari: idest, si fuerint doctores, & seductores; nisi sponte sua ad Ecclesiam redierint, & hæreses abiurauerint, seque cõtra illas strenuos præbuerint. Secundo si sint relapsi: tertiò si sint impœnitentes vel conuicti negãtes pertinaciter. Ita Simancas in praxi cap. 59. An verò sint alij casus, ad Iurisperitos pertinet iudicare, sicut & de pluribus contentis in hac disputatione. Nobis Theologis sufficiet aliqua ex eorum scrinijs desumpsisse. *Ancharra. Farinac. Simancas.*

DISPVTATIO V.

De ijs quæ sancita sunt contra tenentes libros, & scripturas, quæ docent aut continent superstitiosas diuinationes.

IN librorum prohibitorum indice, edito in Cõcilio Tridẽtino Regula 9. sic habetur: *Libri omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aëromantiæ, Pyromantiæ, Ænomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ: siue in quibus cõtinentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes, artes Magicæ, prorsus reijciuntur. Episcopi verò diligenter prouideant, ne Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris cõtingẽtibus successibus fortuitis ve casibus, aut in actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturũ affirmare audẽt. Permittuntur autẽ iudicia, & naturales obseruationes, quæ nauigationis, aut agriculturæ, siue medicæ artis tuẽdæ gratia cõscripta sunt.* *Conc. Trid.*

Hæc regulà, & Sixtus Quintus in Extrauaganti paulò ante relata, prohibet eosdem libros censuris, & pœnis, quæ in indice continentur, ne à Christi fidelibus legi possint, aut quomodolibet retineri: & ait, illos Episcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus exhiberi, & tradi oportere. Imò Ioannes XXII. in constitutione, cuius superius mentionem fecimus, excommunicatione ferit omnes tenentes libellos, scripturásve continentes aliquos ex prædictis in ea constitutione errores, vel in eis studentes; nisi infra octo dies aboleant, & comburant in totum, vel ex parte. Hæc ibi. Et in indice nouissimo, autoritate Clementis VIII. in obseruatione circa nonã regulam eiusdem indicis dicitur: *Ab Episcopis, & Inquisitoribus, Christi fideles sedulò admonendi sunt, quòd in legentes aut retinentes contra regulam hanc libros huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ, diuinationum, & sortilegiorum, rerumq; aliarum in eadẽ regula expressarum, procedi potest, non modò per ipsos Episcopos, sed etiam per Inquisitores locorum ex constitutione fœlicis recordationis Sixti V.* Hæc in indice.

Sanctiones hæ abijciendi hos libros Magicos, fuêre executioni mandatæ multis retro antiquis temporibus: cuius rei mentio habetur Actor. 19. & D. Augustinus testatur Psal. 61. in fine. D. Damascenus de Barlaam, & Iosap. cap. 32. Sed nunquid quidam possunt legere ac tenere hos libros vetitos? Respondetur, Inquisitores, & eorum Commissarij pro tempore, ac ex eorũ cõmissione publici censores: at verò neq; Episcopi, quia Episcopi sunt, neq; Doctores, quia Doctores, hac licentia fruuntur. Ita Pegna ad Directorium parte 2. cap. 4. Comment. 3.

Sunt autẽ tales libri non autoritate propria comburendi, sed potius deferendi ad Inquisitores: qui eos retinent, nisi deferre parati sint, non sunt absoluendi: & hæc absolutio reseruata est habentibus potestatẽ absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ Domini. Sunt etiam tales retinentes, vehementer de eadem hæresi suspecti. Hæc omnia fuse Simancas in praxi supra posita.

Augusti. *Damasce.* *Pegna.* *Simancas.*

QVÆSTIO XCVII.

DE TENTATIONE DEI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Dei tentatio consistat in aliquibus factis, in quibus solius diuinæ potestatis expectatur effectus?

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd tentatio Dei non consistat in aliquibus factis, in quibus solius diuinæ potestatis expectatur effectus. Sicut enim Deus tentatur ab homine, ita etiam homo tentatur, & à Deo, & ab homine, & à dæmone. Sed non qualitercunque tẽtatur homo, expectatur aliquis effectus potestatis ipsius: ergo etiam neq; per hoc quòd Deus tentatur, expectatur solus effectus potestatis ipsius.

Præte-

2 ¶ Præterea. Omnes illi qui per inuocationem diuini nominis miracula operantur, expectant aliquem effectum solius diuinæ potestatis. Si ergo in factis huiusmodi consisteret diuina tentatio, quicunque miracula facerent, Deum tentarent.

3 ¶ Præterea. Ad perfectionẽ hominis pertinere videtur, vt prętermissis humanis auxilijs in solo Deo spem ponat. Vnde Ambros. super illud Luc. 9. Nihil tuleritis in via, &c. dicit. Qualis debeat esse qui euãgelizat Regnum Dei, præceptis Euangelicis designatur: hoc est, vt subsidij secularis adminicula nõ requirat, fideiq; totus inhærens putet, quominus ista requiret magis posse suppetere. Et beata Agatha dixit: Medicinam corporalem corpori meo nunquá exhibui, sed habeo Dominum Iesũ Christũ qui solo sermone restaurat vniuersa. Sed Dei tentatio non cõsistit in eo quod ad perfectionem pertinet: ergo Dei tentatio non consistit in huiusmodi factis, in quibus expectatur solùm Dei auxilium.

Lib. 6. in Lucam in c. Qualiter discipuli ab Christo missi, tom. 5.

¶ Sed contra est, quòd Augustin. dicit 22. contra Faustum, quòd Christus, qui palam docendo, & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere in se aliquid non sinendo, Dei demonstrabat potestatem: idem tamen fugiendo, & latendo hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat: quando habet quod faciat, vel quod cauere oportet, euadat. Ex quo videtur, in hoc Dei tentationem consistere, quando prætermittit homo facere quod potest ad pericula euadenda, respiciens solùm ad auxilium diuinum.

Li. 22. c. 36 à med. to. 6

¶ Respondeo dicendum, quòd tentare est proprie experimentum sumere de eo, qui tentatur. Sumimus autem experimentum de aliquo, & verbis & factis. Verbis quidem, vt experiamur an sciat quod quærimus, vel possit, aut velit illud implere. Factis autem cùm per ea, quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, vel voluntatem, vel potestatem. Vtrumque autem horum contingit dupliciter. Vno quidem modo apertè: sicut cùm quis tentatorem se profitetur: sicut Sanson Iudi. 14. proposuit Philistęis problema ad eos tentandum. Alio verò modo insidiosè, & occultè: sicut Pharisæi tentauerunt Christum: vt legitur Matthæi 22. Rursus quandoq; quidem expresse, putà cùm quis dicto vel facto intendit experimentum sumere de aliquo. Quandoque verò interpretatiuè, quando scilicet, etsi hoc non intendat vt experimentũ sumat, id tamen agit vel dicit quod ad nihil aliud videtur

ordinabile, niſi ad experimentum ſumendum. Sic ergo homo tentat Deum quandoque verbis, quandoque factis. Verbis quidem Deo colloquimur orando. Vnde in ſua petitione expreſſe aliquis Deum tentat, quando ea intentione aliquid à Deo poſtulat, vt exploret Dei ſcientiam, poteſtatem, vel voluntatem. Factis autem expreſſe aliquis Deum tentat, quãdo per ea quæ facit intendit experimentum ſumere diuinę poteſtatis ſiue pietatis atque ſciẽtiæ. Sed quaſi interpretatiuè Deum tentat, qui etſi non intendit experimentum de Deo ſumere, aliquid tamen petit vel facit, quod ad nihil aliud eſt vtile, niſi ad probandam Dei poteſtatem, vel bonitatem, vel cognitionem: ſicut cum quis equũ currere facit, vt euadat hoſtes, hoc non eſt experimentum de equo ſumere. Sed ſi equum currere faciat abſque aliqua vtilitate, hoc nihil aliud eſſe videtur quàm experimentum ſumere de equi velocitate. Et idem eſt in omnibus alijs rebus. Quando ergo propter aliquam neceſſitatem ſeu vtilitatem committit ſe aliquis diuino auxilio in ſuis petitionibus vel factis, hoc non eſt Deum tentare. Dicitur in 2. Paralip. 20. Cũ ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolũ habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Quando verò hoc agitur abſq; vtilitate, & neceſsitate, hoc eſt interpretatiuè tentare Deum. Vnde ſuper illud Deut. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum: dicit Gloſſ. Deum tentat qui habens quod faciat, ſine ratione committit ſe periculo, experiens vtrùm poſsit liberari à Deo.

¶ Ad primum ergo dicendũ, quòd homo etiã quandoque factis tẽtatur, vtrũ poſsit, vel ſciat vel velit huiuſmodi factis auxilium vel impedimentũ pręſtare.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd Sãcti ſuis precibus miracula facientes ex aliqua neceſsitate vel vtilitate mouentur ad petendũ diuinæ poteſtatis effectum.

¶ Ad tertiũ dicendũ, quòd prædicatores Regni Dei ex magna neceſsitate, & vtilitate ſubſidia tẽporalia prætermittunt, vt verbo Dei expeditius vacẽt. Et ideò ſi ſoli Deo innitantur, non ex hoc tentãt Deum. Sed ſi abſque vtilitate vel neceſsitate humana ſubſidia deſererent, tentarẽt Deum. Vnde & Auguſtin. dicit *Li. 22. c. 30 à med. to. 6.* 22. contra Fauſtum, quòd Paulus non fugit quaſi non credendo in Deum, ſed ne Deũ tentaret ſi fugere noluiſſet, cùm ſic fugere potuiſſet. Beata verò Agatha experta erat erga ſe diuinam beneuolentiam, vt vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali medicina indigeret, vel ſtatim ſentiret diuinæ ſanationis effectum.

Sum-

Summa Articuli.

PRima concluſio. Homo tentat Deũ, quandoque verbis, quandoque factis. Probatur, explicato quid nominis tẽtationis, & applicando Dei tentationi: de quo inferius nos dicemus. Secunda concluſio. Quando propter aliquam neceſsitatem, ſeu vtilitatem, committit ſe aliquis diuino auxilio in ſuis petitionibus, vel factis: non debet dici Deum tentare. Probatur ex 2. Paralipo. 20. Tertia concluſio. Quando ſine neceſsitate, aut vtilitate, aliquis prætermiſsis humanis mediis, ſe committit ſolo diuino auxilio: interpretatiue tẽtat Deum. Probatur ex teſtimonio Deuter. cap. 6. & Gloſſa ibidem, & ex diuo Auguſtino, citato in argumento, ſed contra.

2. Para. 20

Deute. 6.

Auguſt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm tentare Deum ſit peccatũ?

1. q. 112. 4. 2. corp.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videt quod tẽtare Deum non ſit peccatum. Deus enim nõ præcipit aliquod peccatũ. Præcipit autem vt homines eum probent, quod eſt cum tẽtare. Dicitur enim Mala. 3. Inferte omnem decimam in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea: & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli: ergo videtur quod tentare Deũ non ſit peccatum.

2 ¶ Præterea. Sicut aliquis tẽtat ad hoc quòd experientia ſumatur de ſcientia vel potẽtia eius, ita etiã, & de bonitate & voluntate ipſius. Sed licitũ eſt quòd aliquis experimentũ ſumat diuinæ bonitatis ſiue etiã volũtatis. Dicitur enim Pſal. 33. Guſtate & videte quoniã ſuauis eſt Dominus. Et ad Rom. 12. Vt probetis, quæ ſit volũtas Dei bona, & beneplacẽs & perfecta: ergo tẽtare Deum non eſt peccatum.

3 ¶ Præterea. Nullus vituperatur in Scriptura ex eo quòd à peccato ceſſat, ſed magis ſi peccatum committit. Vituperatur autem Achaz, qui Domino dicẽte. Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, reſpondit: Non petã, & non tentabo Dominum. Et dictum eſt ei. Nunquid parum eſt vobis moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? vt dicitur Iſa. 7. De Abraham autem legitur Gene. 15. quòd dixit ad Dominum. Vnde ſcire poſſum quòd poſſeſſurus ſim eam, ſcilicet terram repromiſſam à Deo? Similiter etiam Gedeon ſignũ à Deo petijt de victoria repromiſſa, vt legitur Iudicum 6. qui tamen ex hoc non reprehenduntur: ergo tentare Deum non eſt peccatum.

¶ SED CONTRA eſt, quòd prohibetur in lege Dei. Dictur enim Deut. 6. nõ tentabis Dominum Deum tuum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, tentare eſt experimentum ſumere: nullus autem experimentũ ſumit de eo, de quo eſt certus. Et ideò omnis tẽtatio ex aliqua ignorãtia vel dubitatione procedit, vel eius qui tẽtat, ſicut cum quis experimentũ de aliqua re ſumit, vt eius qualitatẽ cognoſcat, ſiue aliorũ: ſicut cum quis

ar. præced.

experimẽtum de aliquo ſumit, A vt alijs oſtendat: per quem modum Deus dicitur nos tentare. Ignorare autem vel dubitare de his quæ pertinent ad Dei perfectionem, eſt peccatum. Vnde manifeſtum eſt quòd tentare Deum ad hoc quòd ipſe tentãs cognoſcat Dei virtutem eſt peccatum. Si quis autẽ ad hoc, experimentum ſumat eorũ, quæ ad B diuinam perfectionẽ pertinent, non vt ipſe cognoſcat, ſed vt alijs demonſtret, hoc non eſt tẽtare Deum: cùm ſubſit iuſta neceſsitas, ſeu pia vtilitas, & alia quæ ad hoc concurrere debẽt. Sic enim Apoſtoli petiuerunt à Domino vt in nomine Ieſu Chriſti fierent ſigna: vt dicitur Act. 4. ad hoc ſcilicet quòd virtus C Chriſti infidelib⁹ manifeſtaret.

¶ Ad primvm ergo dicendũ quòd ſolutio decimarum erat in lege præcepta, vt ſupra habitum eſt. Vnde habebat neceſsitatem ex obligatione præcepti, & vtilitatem, quæ ibi dicitur: vt ſit cibus in domo mea. Vnde ſoluendo decimas non tentabant Deum. Quod autem D ibidẽ ſubditur: Et probate me, non eſt intelligendum cauſaliter, quaſi ad hoc ſoluere deberent decimas, vt probarent ſi Deus aperiret eis cataractas cœli: ſed conſecutiuè: quia ſcilicet ſi decimas ſoluerent, experimẽto probaturi erant beneficia, quæ eis Deus conferret.

q. 87. ar. 1.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd duplex eſt cognitio diuinæ bonitatis vel voluntatis. Vna quidem ſpeculatiua. Et quãtum ad hanc non licet dubitare nec probare, vtrùm Dei voluntas ſit bona: vel vtrùm Deus ſit ſuauis. Alia autem eſt cognitio diuinæ volũtatis ſiue bonitatis, affectiua, ſiue experimentalis: dũ quis experitur in ſe ipſo guſtum diuinæ dulcedinis, & cõplacentiam diuinæ voluntatis. Sicut de Ierothæo dicit Dio. 2. cap. de diui. nom. quòd didicit diuina ex compaſsione ad ipſa. Et hoc modo mouemur vt probemus Dei voluntatem, & guſtemus eius ſuauitatem.

C. 2. par. 1. in fine.

¶ Ad tertiũ dicendum, quòd Deus volebat ſignũ dare Regi Achaz non pro ipſo ſolùm, ſed pro totius populi inſtructione. Et ideò reprehenditur quaſi impeditor communis boni, & ſalutis, quòd ſignum petere nolebat. Nec petendo tentaſſet Deum: tùm quia ex mandato Dei petijſſet, tùm quia hoc pertinebat ad vtilitatẽ communẽ. Abraham autem ſignum petijt ex inſtinctu diuino, & ideò non peccauit. Gedeon verò ex debilitate fidei ſignum petijſſe videtur, & ideò à peccato nõ excuſatur: ſicut ibidẽ Gloſſ. dicit. Sicut & Zacharias peccauit, dicẽs, Luc. 1. ad Angelũ. Vnde hoc ſciã? Vnde & propter hãc incredulitatem punitus fuit. Sciendũ tamen

tamen quòd dupliciter aliquis signum petit à Deo. Vno modo, ad explorandam diuinam potestatem aut veritatem dicti eius: & hoc de se pertinet ad Dei tentationem. Alio modo, ad hoc quòd instruatur quid sit circa aliquod factum placitum Deo. Et hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem.

Summa Articuli.

PRima conclusio. Tẽtare Deum, vt tẽtans cognoscat Dei virtutem, est peccatum. Probatur, quia omnis tentatio procedit ex ignorantia, vel dubitatione tentantis, vel eorum, in quorum vice tentat: ignorare autem, vel dubitare de his, quæ pertinent ad Dei perfectionem, est peccatum, ergo, &c.

Secunda conclusio. Si quis ad hoc, experimentum sumat eorum, quæ ad diuinam perfectionem pertinent, non vt ipse cognoscat, sed vt alijs demonstret: hoc non est tentare Deum, cùm subsit iusta necessitas, seu pia vtilitas, & alia quæ ad hoc concurrere debent. Probatur ex facto Apostolorum, Actor. 4. petentium à Deo fieri signa in nomine Iesu, ad hoc scilicet quod virtus Christi infidelibus manifestaretur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm tentatio Dei opponatur virtuti religionis?

ADTERTIVM sic proceditur. Videtur q̃ tentatio Dei nõ opponatur virtuti religionis. Tentatio enim Dei habet rationem peccati ex hoc q̃ homo de Deo dubitat vt dictũ *Art. præce.* est. Sed dubitare de Deo pertinet ad peccatum infidelitatis, quod opponitur fidei: ergo tentatio Dei magis opponitur fidei, quàm religioni.

A 2 ¶ Præterea Eccl. 18. dicitur. Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Vbi dicit Gloss. Interl. qui scilicet tentãs Deũ orat quod docuit, sed nõ facit quod iussit. Sed hoc pertinet ad præsumptionem, quæ opponitur spei: ergo videtur quòd tentatio Dei sit peccatũ *Glo. Interlin. ibid.*

B oppositum spei.

3 ¶ Præterea. Super illud Psalm. 77. Et tentauerunt Deũ in cordibus suis: dicit Gloss. quòd tẽtare Deum est dolosè postulare vt in verbis sit simplicitas, cũ sit in corde malitia. Sed dolus opponitur virtuti: ergo tentatio Dei non opponitur religioni, sed veritati. *Psalm. 77. Glo. Inter. ibid.*

C ¶ SED CONTRA est, quòd sicut ex prædicta Gloss. habetur, tentare Deum est inordinatè postulare. Sed debito modo postulare est actus religionis, vt supra habitum est: ergo tentare Deum est peccatum religioni oppositum. *In arg. præcedent.* *q. 83. ar. 3.*

D ¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut ex supradictis patet finis religionis est, Deo reuerentiam exhibere. Vnde omnia illa, quæ directè pertinent ad irreuerentiam Dei, religioni opponuntur. Manifestum est autem, quod tentare aliquem, ad irreuerentiã eius pertinet. Nullus enim præsumit tẽtare eum, de cuius excellentia certus est. Vnde manifestum est, quod tẽ- *q. 81. ar. 1. 2. & 4.*

tare Deum eſt peccatum religioni oppoſitum.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum
9. 87. ar. 7. eſt, ad religionem pertinet protestari fidem per aliqua ſigna ad diuinam reuerentiam pertinentia. Et ideò ad irreligioſitatem pertinet, quòd ex incertitudine fidei homo aliqua faciat, quę ad diuinam irreuerentiam pertinent, cuiuſmodi eſt tentare Deũ: & ideò eſt irreligioſitatis ſpecies.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ille qui ante orationem animam ſuam non præparat, dimittẽdo ſi quid aduerſum alicuem habet, vel aliàs ad deuotionem ſe non diſponendo, nõ facit quod in ſe eſt, vt exaudiatur à Deo: & ideò quaſi interpretatiuè tentat Deum. Et quãuis huiuſmodi interpretatiua tentatio videatur ex præſumptione ſeu indiſcretione prouenire, tamen hoc ipſum ad irreuerentiam Dei pertinet, vt homo præſumptuoſè, & ſine debita diligẽtia ſe habeat in his quæ ad Deũ pertinẽt. Dicitur enim prima Petri. 5. Humiliamini ſub potenti manu Dei. Et ſecundæ ad Timotheum ſecundo. Solicitè cura, te ipſum probabilem exhibere Deo. Vnde huiuſmodi tentatio irreligioſitatis ſpecies eſt.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd in comparatione ad Deum, qui nouit cordis abſcondita, non dicitur aliquis doloſè poſtulare, ſed per reſpectum ad homines. Vnde dolus per accidens ſe habet ad tentationem Dei. Et propter hoc non oportet quòd tẽtatio Dei directè opponatur veritati.

Summa Articuli.

B Concluſio eſt affirmatiua. Probatur, quia ad Dei irreuerentiam pertinet, dum tentans præſumit reuocare in dubium Dei excellentiam, de qua certus debet eſſe.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm tentatio Dei ſit grauius peccatum, quàm ſuperſtitio.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd tentatio Dei ſit grauius peccatum quàm ſuperſtitio. Maior enim pœna pro maiori peccato infertur. Sed grauius eſt punitum in Iudæis peccatum tentationis Dei, quam peccatum idolatriæ, quod tamen eſt præcipuũ inter ſuperſtitiones: quia pro peccato idolatrię interfecti ſunt ex eis viginti tria millia hominum. vt legitur Exod. 32. Pro peccato autem tentationis omnes vniuerſaliter in deſerto perierunt, terrá promiſsionis non intrantes, ſecundùm illud Pſal. 94. Tentauerunt me patres veſtri. Et poſtea ſubditur. Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt

in

in requiem meam. Ergo tentare Deum eſt grauius peccatum quam ſuperſtitio.

2 ¶ Præterea. Tanto aliquod peccatum videtur eſſe grauius, quanto magis virtuti opponitur. Sed irreligioſitas, cuius ſpecies eſt tentatio Dei, magis opponitur virtuti religionis quàm ſuperſtitio, quæ habet aliquam ſimilitudinem cum ipſa. Ergo tentatio Dei eſt grauius peccatum, quàm ſuperſtitio.

3 ¶ Præterea. Maius peccatum videtur eſſe irreuerenter ſe habere ad parentes, quàm reuerentiam parentibus debitam aliis exhibere. Sed Deus eſt honorandus à nobis ſicut omniũ pater, vt dicitur Malach. 1. Ergo maius peccatum eſſe videtur tentatio Dei, per quam irreuerenter nos habemus ad Deum, quàm idolatria, per quã reuerentia Deo debita, exhibetur creaturæ.

¶ Sed contra eſt, quòd ſuper illud Deuteronom. 17. Cùm reperti fuerint apud te, &c. dicit Gloſſa: Lex errorem, & idolatriam maximè deteſtatur. Maximum enim eſt ſcelus honorem Creatoris impendere creaturæ.

Glo. ord. in prmc. c. 17.

¶ Respondeo dicendum, quòd in peccatis, quæ religioni aduerſantur, tanto aliquod grauius eſt, quanto magis diuinæ reuerentiæ aduerſatur. Cui quidẽ minus aduerſatur, quòd aliquis de diuina excellentia dubitet, quàm quòd contrariũ per certitudinem ſentiat. Sicut enim magis eſt infidelis, qui in errore confirmatus eſt, quàm qui de veritate fidei dubitat, ita etiam magis contra Dei reuerentiam agit, qui ſuo facto proteſtatur errorem contra diuinam excellentiam, quàm qui proteſtatur dubitationem. Superſtitioſus autem proteſtatur errorem, vt ex dictis patet. Ille autem qui tentat Deum verbis vel factis, proteſtatur dubitationem de diuina excellentia, vt dictum eſt. Et ideò grauius eſt peccatum ſuperſtitionis, quàm peccatum tentationis Dei.

Art. 1. & 2.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd peccatum idolatriæ non fuit punitum illa pœna quaſi ſufficienti, ſed in poſterum pro illo peccato grauior pœna reſeruabatur. Dicitur enim Exod. 32. Ego autem in die vltionis viſitabo hoc peccatum eorum.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſuperſtitio habet ſimilitudinem cum religione, quantum ad materialem actum quẽ exhibet, ſicut religio: ſed quantum ad finem plus contrariatur ei, quàm tentatio Dei: quia plus pertinet ad diuinam irreuerentiam, vt dictum eſt.

In corp. ar.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd de ratione diuinæ excellentiæ

eſt, quòd ſit ſingularis, & incommunicabilis. Et ideò idem eſt contra diuinam reuerentiã agere aliquid, & diuinam reuerentiam alteri communicare. Non eſt autem ſimilis ratio de honore parentum, qui poteſt ſine culpa alijs communicari.

Summa Articuli.

COnclusio eſt negatiua. Probatur: ſuperſtitioſus proteſtatur errorem: ille, qui tentat Deum, proteſtatur dubitationem de diuina excellentia: ſed minus aduerſatur religioni qui dubitat de diuina excellentia, quàm qui contrarium per certitudinem ſentit: ergo grauius peccatum eſt ſuperſtitionis, quàm tentationis Dei. Sit

DISPVTATIO I.

An tentatio Dei peccatum ſit, & cuius ſpeciei, ac grauitatis?

ET videtur non eſſe peccatum. Primò ex multis locis ſacræ Scripturæ, in quibus habetur, aliquos viros probatæ virtutis Deum tentaſſe: nec tamen propter hoc reprehenduntur. Abrahã petiuit à Deo ſignum, vnde ſcire poſſet ſe, & ſemen ſuum poſſeſſurum terram ſibi à Deo promiſſam, *Geneſ.* 15. Geneſ. 15. quod ad tentationem Dei pertinet, dum intenditur experimentum ſumere de Dei veracitate, & fidelitate, in adimplendis promiſſis. Et Gedeon ſimiliter, poſtulauit à Deo ſignum, de conſequenda *Iudic.* 6. victoria promiſſa, Iudicum 6. Et Eliezer conſtituendo ſibi ſignum, pro eligenda *Geneſ.* 24. vxore filij domini ſui, Geneſ. 24. tentauit Deum, eo quod relictis diligentijs humanis pro inueſtiganda virgine digna connubio Iſaac; voluit vt Deus ſigno id oſtenderet: quod etiam ad tentationem Dei pertinet. Et 1. Reg. 14. habetur ferè idem de *1. Reg.* 14. Ionatha filio Saulis. Et Malachię 3. ait Do- *Malach.* 3. minus: *Inferte omnem decimam in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea: & probate*

A *me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli.* En Dominus præcipit, vt tentent eum: ac proinde non eſt peccatum. Idem ferè accidit Regi Achaz, Iſaiæ 7. cui Dominus iubet: *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo*: & iratus eſt Dominus, eo quod non petiiſſet: & Luc. 9. Chriſtus ad Diſcipulos: *Nil tuleritis in via, &c.* ſuper quæ verba Ambroſ. *Qualis* (inquit) *debeat eſſe, qui euangelizat Regnum Dei, præceptis Euangelicis deſignatur; hoc eſt, vt ſubſidij ſecularis admimicula non requirat*: & Matth. 10. *Cùm ſteteritis ante Reges, & Præſides; nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, &c.* quod ad tentationem Dei videtur pertinere. *Iſai.* 7. *Luc.* 9. *Ambroſ.* *Matth.* 10.

B Secundò. Aliquando licet dubitare de Dei perfectionibus: ergo tẽtatio Dei præcipua, cuius malitia dicitur originari in prædicta dubitatione, non eſt peccatum. Antecedens manifeſtatur in eo, cui proponitur aliqua veritas fidei, vel veritas naturalis pertinens ad fidem. Ea tamen propoſitio non eſt ſufficiens: ſicut dicitur accidiſſe Indis Occidentalibus, reſpectu totius Euangelij illis indecenter, & malè annuntiati, propter malitiam, vel ignorantiam prædicantium. In hoc enim caſu, & ſimilibus, benefacerent iſti infideles dubitantes de veritate doctrinæ prædicatæ, ne laberentur in errorem. Nam vt ait Sapiens: *Qui citò credit leuis eſt corde.* Et in re tanti momenti, videntes humana remedia, ad verificandam doctrinam ſibi prædicatam, non ſuppetere; non peccarent petendo à Deo aliquod extraordinarium ſignum, vt innoteſceret, vtrùm veritates illæ eſſent à Deo, vel non.

C *Eccleſi.* 19.

Tertiò. Aliquando licet dubitare de Dei voluntate, circa aliquod particulare, quod neſcimus: v. g. an Turca hoc anno morietur; an ſegetes vberes prouenient, &c. & ad hanc cognitionem capiendam petere à Deo ſignum: quod eſt experimentum velle ſumere de Dei voluntate; quod ad tentationem Dei manifeſtè pertinet. Et tamen hæc tentatio non erit illicita; quia non procedit ab aliqua ignorantia, aut dubitatione diuinæ perfectionis, quod requiritur, teſte D. Thom. ad malitiam tentationis diuinæ: ergo aliqua tentatio non eſt illicita. Confirmatur, quia in caſu huius argumenti, potiùs peccatur curioſitatis vitio, quàm tentationis oppoſitæ virtuti religionis per irreuerentiam, quæ nulla in hoc caſu reperitur.

D

Quar-

Quartò. Tentatio, præcipuè expressa, habet rationem peccati, quia homo de diuina virtute, aut potestate dubitat, vt docet
D. Thom. Diuus Thom. in artic. 2. sed dubitatio hæc pertinet ad infidelitatem, quia dubius in fide infidelis est: ergo tentatio, quæ totam suam malitiam habet à perfecta dubitatione, potius opponitur fidei, quàm religioni, quod est contra Diuum Thomam in artic. 3.

Sed non minora argumenta extant contra doctrinam traditam à Doctore Angelico circa tentationem interpretatiuam: quę, vt dictum est, non committitur per hoc, quod homo intendit explorare, aut experimentum sumere expresse de Dei perfectionibus, aut voluntate: sed in hoc, quod homo prætermissis medijs humanis, aut neglectis concursibus causarum secundarum ad obtinendum aliquem effectum; cõmittit se absque necessitate, & vtilitate, soli diuino auxilio. Et contra hoc

Quintò arguitur ex factis Sanctorum, ac aliorum probatæ virtutis, qui neglexerunt auxilia, & media humana, ad sanitatem obtinendam proportionata; sperantes à Deo se eam consequuturos. Beata Agatha grauiter vulnerata dixit volenti sibi mederi: *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui: sed habeo Dominum Iesum Christum, qui solo sermone restaurat vniuersa.* Et de sanctis Martyribus in agone constitutis, non legimus petijsse, aut permisisse, vt suis plagis medicamenta adhiberentur. Et de alijs sanctis Confessoribus, qui varijs morbis, ac vlceribus premebantur, legimus respuisse medicamentorum applicationẽ, committentes diuinæ dispositioni suam sanitatem. Confirmatur: nam Monachi Carthusienses quando infirmantur, etiam si cibo ex carnibus condito sciant mortem euasuros; licitè à carnium esu abstinent, salutemque suam diuinæ dispositioni committunt. Confirmatur secundò: omnes illi, qui propter inuocationem diuini nominis miracula operantur, expectant aliquem effectum diuinæ potestatis, omissis medijs humanis: ergo tentatio Dei interpretatiua, non est intrinsecè mala.

Sextò. Expectare à Deo solo aliquem effectum, neglectis auxilijs causarum secundarum, secluso errore, ignorantia, aut dubitatione circa Dei perfectiones; magna reuerentia, & veneratio Dei est: & in quo homo magnificè de Deo sentit, credens illum solum, sine creaturarum mediatione,

A posse omnes effectus producere, & nobis auxiliari, vt eos assequamur: & ex hac credulitate, & fide nascitur, vt homo Deum colat tanquam excellentem, & omnipotentem; non solùm, quia omnia potest, verùm quia sine adiutorio creaturarum potest: ergo huiusmodi expectatio non est peccatum, sed potius actus meritorius virorum perfectorum, collocantium in Deũ spem suam, iuxta illud Psalmi 54. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te nutriet, &c.* *Psalm. 54.*
& Matth. 6. Christus inquit: *Ne sollicitus sitis animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori vestro quid induamini. Respicite volatilia cœli quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa.* *Matth. 6.*
& 1. Petri 5. sic Petrus ait: *Omnem vestram sollicitudinem in eum proijcientes, quoniam ipsi cura est de vobis.* *1. Petr. 5.*
Confirmatur, quia valde honoraret Regem paratum, & potentem beneficia conferre, qui ab eo solo suppliciter peteret, & expectaret subueniri: sed Deus omnia potest, paratus insuper est nobis subuenire: ergo ab eo solo expectare, & petere beneficia, meritorius actus, & eius potentiam extollens debet censeri; tantum abest vt peccatum sit. Dicet fortasse quispiam: sic
C expectare à Deo, ordinem debitum speciei excedere, neglectis causis secũdis, sine necessitate, & vtilitate.

Contrà septimò: quia talis expectatio, estò sit indebitus cultus Dei, potius vitiatur per excessum, quàm per defectũ; quod alienum est à tentatione Dei, cuius malitia consistit in defectu, & contrarietate cultus, non in excessu, vt adnotauit D. Thom. in procœmiolo huius quæstionis.

Octauò. Nam purgationes vulgares: v. g. quando aliqui se obijciunt igne exurendos, ad suam innocentiam manifestandam, putantes se à Deo liberandos à flammis;
D aut ieiunant quadraginta diebus continuis, ad imitationem Christi; confidentes se à Deo pascendos, sicut legitur fecisse quosdam Monachos ineptos: istæ inquam purgationes vulgares, tentationes Dei sunt, vt videbimus inferius: & tamen isti tentatores non peccant contra religionem, sed crimine temeritatis, & periculi propriæ vitæ, aut scandali; cùm sæpè morti se tradant; imò & delictum, à quo se purgare volunt, probatum censetur à rudi vulgo, quod vidit eos mori: ergo quamuis demus eas probationes peccata esse, non tamen contra religionem, quod est cõtra D. Tho. in ar. 3.

Quod

Quod ſi dicas, ea peccata pertinere ad Dei tentationem: quia ea patrantes putant ad Dei prouidentiam pertinere, vt ab igne non lædantur, vel inedia non conſumantur, in quo conſiſtit peccatum tentationis contra religionem:

Contrà arguitur nonò. Nam omnis tentatio debet dimanare à dubitatione alicuius perfectionis Dei, vel ſaltem eius voluntatis circa aliquid agendum, vt docet D. Thom. in art. 2. ergo vt ſit interpretatiua tentatio, neceſſarium eſt præcedere interpretatiuam dubitationē. In his autem caſibus, & ſimilibus, nulla dubitatio inuenitur; ſed potius nimia adhæſio, & credulitas de aliquo futuro euentu, ex prouidentia Dei ſpeciali. Et confirmatur, quia illud potius videtur eſſe vitium præſumptionis, ſpei oppoſitum per exceſſum, & procedens etiam ex quadam fide nimia ſtulta; & ideò hoc vitium valde alienum eſt à tentatione Dei, quæ procedit ex defectu fidei, vel confidentiæ in Deo.

Vltimò. Eſtò hæc actio, quæ vocatur interpretatiua tentatio, vera culpa ſit (quod dubitatione caret) tamen non eſſe peccatum tentationis diuinæ, ſed ab eo longe abeſſe videtur, eo quod in nullo conuenit cū formali tentatione. Etenim hæc procedit ex dubitatione aliqua: illa verò ex nimia adhæſione, & confidentia. Item formalis tentatio, eſt exploratio diuinæ perfectionis, aut voluntatis: interpretatiuè autem potius diuina aliqua perfectio imploratur. Quodſi dicas cum D. Thoma, conuenire cū tentatione Dei formali; eo quod actio illa ad nihil aliud vtilis eſt, niſi vt experimentum ſumatur de diuina aliqua perfectione, putà ſapientia, aut potentia: Contra hoc replicatur, nam multoties hæ tentationes putantur à facientibus vtiles ad alios fines, vt ad probandā alicuius innocētiam; quamuis fortaſſe illa exiſtimatio vana ſit: vel aliquando ad confirmandam veritatem etiā fidei, ex zelo indiſcreto, & auſu temerario: ergo ratio D. Thomæ ad probandum per eas actiones ſumi interpretatiuè experimentum de aliqua diuina perfectione, falſo nititur fundamento.

In oppoſitum eſt doctrina D. Thomæ in tota hac quæſtione, confirmata multis teſtimonijs ſacræ Scripturæ, & Sanctorum, quæ & nos recitabimus infra.

Pro deciſione, & declaratione, aliquot præmittenda ſunt. Primum, explanatio nominis, *tentatio diuina*, imò & quidditatis. Sed prænoſſe oportet, quid ſit tentatio, ſeu tentare quod ſit ab homine (nam de alijs tentatoribus, putà Deo, dæmonibus, carne, & mundo modò nō diſſerimus.) Tentare igitur hominis, eſt experimentum de eo qui tentatur, ſumere: & hæc experimenti ſumptio, multiplici partitione diuiditur. Primò ex parte actus quo experimentum ſumitur, qui interdum pertinet ad verba, quando verbis conamur experiri de aliquo an ſciat quod quærimus; vel poſsit, aut velit illud implere. Interdum pertinet ad facta; quando ſcilicet per ea quæ facimus explorare conamur alterius prudentiam, voluntatem, vel poteſtatem. Rurſus. Tentatio diuiditur ex parte intentionis tentatoris, habentis formalem intentionem tentandi. Nam quandoq; tentatio fit apertè; id eſt manifeſtata, & palam poſita intentione tentantis: ſicut cum quis ſe tentatorem profitetur: verbi gratia, quando Samſon Iudicum quarto, propoſuit Philiſtæis problema ad eos tentandum: & ſicut diſcipuli proponunt argumenta magiſtris ad eorum ſcientiam explorandam. Quandoque verò tentatio fit inſidioſè, & occultè, id eſt ſimulata, & occultata intentione tentandi: ſicut Phariſæi tentauerūt ſæpe Chriſtum Dominum. Item diuiditur tentatio ex parte intentionis tentatoris, in tentationem expreſſam, id eſt procedentem ex intentione expreſſa tentandi, vt cum quis explicitè, & formaliter intendit experimentum ſumere de aliquo: & in tentationem interpretatiuam, ſeu implicitam. Et hæc contingit quando homo, etſi non intendat verbis ſuis, aut factis, experimentum ſumere de aliquo; agit tamen aliqua, vel dicit, quæ ad nihil aliud videntur ordinabilia, neque alia intentione facta, niſi ad experimentum ſumendum. Et licèt tam hæc, quàm precedens diuiſio tentationis, ſumantur ex parte intentionis tentatoris: differunt tamen, quia prior diuiſio ſumitur ex parte formalis, & actualis intentionis, habitæ à tentatore; poſterior verò, generalius conſiderat intentionem hanc penes explicitum, & implicitum: id eſt penes expreſſam intentionem, & interpretatiuam. Hæc Diuus Thomas in primo art. & inde gradum facit ad inueſtigandum, in quo conſiſtat tentatio, qua homo tentat Deū, & quotuplex ſit. Tētat quidē, quando experimētū de Dei virtute conatur ſumere, an ſciat, an poſsit, an velit aliquid implere eorum, quæ intendimus.

Iudic. 4.

D. Thom.

Rur-

Rurſus. Tẽtatio Dei quandoque fit verbis, vt in oratione in qua Deo colloquimur orantes: factis etiam, quando per ea, quæ facimus, intendimus de Deo experimentum præfatum ſumere. Item tentatio Dei poteſt fieri apertè, & doloſè: quod nequit fieri ſine magno infidelitatis crimine. Rurſus. Tẽtatio Dei aliquando ſit expreſſe ſiue verbis, ſiue factis, quando tentator habet expreſſam intentionem explorandi eius ſcientiam, poteſtatem, vel voluntatem. Aliquando fit interpretatiuè, quando ſcilicèt homo etiam ſi non intendat intentione expreſſa, & formali de Deo experimentum aliquod ſumere; aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud eſt vtile, niſi ad probandam Dei poteſtatem, bonitatem, vel cognitionem. Explicat hoc D. Thom. appoſitiſsimo exemplo. Sicut cũ quis (inquit) equum vrget ad curſum, vt euadat hoſtes, hoc non eſt experimentum de equo ſumere, ſed ſuæ conſulere neceſsitati, aut vtilitati: at ſi equum currere faciat abſque aliqua neceſsitate, aut vtilitate, etiam ſi non intendat ſumere experimentum equi, tamen re vera interpretatiuè ſumit de eius velocitate: cùm illa impulſio ad curſum ſine neceſsitate, aut vtilitate ad nihil aliud videatur ordinabilis, niſi ad ſumendum experimentum de pernicitate equi. Sic, inquit, in noſtro propoſito; quando quis cõmittit ſe diuinę diſpoſitioni, omiſsis, aut neglectis auxiliis cauſarum ſecundarum ſine neceſsitate vrgente, aut vtilitate exigente, tentat Deum: quia experimentum ſumit interpretatiuè, vt explicatum eſt, de Dei virtute, aut poteſtate. At ſi inſtante neceſsitate, aut vtilitate id faciat; non dicetur tẽtare Deum, neque experimentum illius ſumere. Sed rogas: quando aderit neceſsitas, aut vtilitas talis, vt ab experimento illo, & tentatione Dei excuſetur? Tunc ſcilicet; quando non ſuppetunt remedia humana, neque concurſus cauſarum ſecundarum valent effectum optatum producere: & vltra hoc requiritur, vt concupiti effectus neceſſarij ſint ad ſalutem propriam, vel aliorum, vel ad voluntatem Dei implendam; aut verò vtiles valde ad aliquod commune bonum. Tunc enim ſine tentationis vitio, licitum erit à Deo petere extraordinarium opus, ad optatos effectus adipiſcendos. Et hinc infertur, quòd ſiquis petat à Deo miraculoſe edoceri, aut poſsidere res parui momenti, peccat crimine tentationis diuinæ; quia non verè dicitur adeſſe neceſsitatem, vt potè de re futili. Itaque ſi adſint remedia humana ad effectus deſideratos conſequendum, vel ſint parui momenti: velle à Deo, aut exigere miracula, tentatio Dei eſt, vt adnotauit Auguſt. lib. 16. de Ciuitate cap. 19. & D. Thom. in arti. 1. refert ex Gloſſa Deut. 6. illum tentare Deum, qui habens quid faciat, ſine cauſa petit opus extraordinarium à Deo.

D. Thom.

Auguſt.

His ſuppoſitis ſit prima aſſertio. Tentatio diuina eſt dictum, vel factum, in quo ſine neceſsitate, vel vtilitate, expectatur aliquis effectus à ſola diuina virtute; omiſſis cauſarum ſecundarum auxilijs, aut operationibus. Quòd ſi hoc fiat ex formali, & expreſſa intentione experiendi aliquam diuinam perfectionem, aut voluntatem, formalis, & expreſſa tentatio Dei eſt. Si autem non fiat ex hac expreſſa intẽtione, ſeu ex nimia Dei confidentia; tentatio interpretatiua eſt. Aſſertio patet ex prænotatis.

Secunda aſſertio. Tentatio Dei graue peccatum eſt, & religioni contrarium. Prima pars probatur Deuteron. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et confirmatur à Chriſto Domino Matth. 4. & Pſalm. 77. *Tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Et malè loquuti ſunt de Deo. dixerunt: Nũquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Nunquid, & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? Ideò audiuit Dominus, &c.* Vbi vides tentationem Dei, vt grauiſsimum crimen à Deo punitam. Deinde probatur ratione facta à D. Thom. in 1. concluſione artic. 2. Secunda pars probatur, quia quouis modo de perfectionibus diuinis dubitare, aut eas culpabiliter ignorare, irreuerentiam diuinam inducit, vt deſe patet. At ex tali dubitatione, aut ignorantia, omnis tentatio proficiſcitur, vt in artic. 2. docuit D. Thomas: ergo.

Deuter. 6.

Matth. 4.

Pſalm. 77.

Tertia aſſertio. Tentatio Dei interpretatiua, id eſt, non ex intẽtione formali explorandi aliquam diuinam perfectionem, aut voluntatem; licèt de genere ſuo ſit peccatum mortale, quia opponitur religionis virtuti; tamen in indiuiduo ferè ſemper eſt veniale: niſi magnitudo, ſeu qualitas tentationis deducat actum in naturam ſuæ formæ, quantum ad hoc quod eſt eſſe mortale. Probatur, quia talis tentatio eſt quid imperfectum in ſpecie tentationis, eo quod ſic tentans Deum, vel non dubitat de diuinis perfectionibus, vel multum debiliter, &

per

per reductionem quandam: vt in prænotatis aduerti, & fulius dicã in ſolutionibus argumentorum. Et ideò ea tentatio venialis eſt, propter imperfectionem actus ex parte formæ. Exceptio autem manifeſtatur in tentatione, qua quis ſe obijcit periculo vitæ amittendę; vt ſi in rogum ſe conijciat, confidens Deum actiuitatem ignis compreſſurum: vel ſine commeatu, vaſtam, ac ſterilem eremum per multos annos conetur habitare, putans ab Angelis eſſe paſcendum, vel quid ſimile. De quo latiùs infrà.

Quarta aſſertio. Tentare Deum ad cognoſcendam eius voluntatem, vel determinationem de aliquo euentu futuro, aut iam facto; peccatum mortale eſt ex genere ſuo contra religionem. Probatur, quia non modica irreuerentia irrogatur Deo, volendo ab ipſo per mediũ miraculoſum, ſeu extraordinarium, eius voluntatem præſcrutari, aut rimari, ſine neceſsitate, & vtilitate: ita Caiet. in ſumma, verbo *tentatio*. Quod manifeſtiùs fiet in ſolutione tertij argumenti. Sed prius aduertendum, extra controuerſiam eſſe, hoc peccati genus quãdoque eſſe mortale ex adiunctis: v. g. ſi finis huius tentationis ſit peccatum mortale: aut propter periculum alicuius grauis damni, vt ſite proijcias in puteum, vt Deus indete deducẽdo oſtendat ſuã erga te beneuolentiam: aut ſi in ea tentatione adſit periculum grauis ſcandali, vt ſi petas populo proſpiciente miraculum, vt innocentia tua pandatur, vel quid ſimile. Nos autem in aſſertione, ſeclusis his adiunctis loquimur, & dicimus: per ſe loquendo, & ex ratione ſui obiecti, eam tentationem eſſe peccatum mortale. Erit autem quandoque veniale, ſed rarò, vt ſi quis motus inepta pietatis ſpecie, velit à Deo edoceri de futuro aliquo euentu, ignorans culpabiliter, ſed non craſſe, hanc eſſe grauem Dei irreuerentiam.

Quinta aſſertio. Omnis tentatio Dei formalis, & explicita, procedens ex intentione formali explorandi diuinam virtutem, aut perfectionem quampiam, ſemper eſt peccatum mortale etiam in indiuiduo. Probatur: quia omnis expreſſa dubitatio de diuina perfectione eſt culpa grauis: atque adeò, omne opus procedens ex tali dubitatione grauiter lædit diuinam excellentiam; atque ex conſequenti omnis huiuſmodi tentatio peccatum lethale eſt. Et quamuis poſsit eſſe veniale propter imperfectionem deliberationis actus, quod commune eſt in omni crimine, tamen nunquam poterit eſſe veniale ex parte materiæ, quia quodlibet dubium deliberatum in materia fidei, peccatum mortale eſt. Cõſultò loquutus ſum de tentatione formali, procedente ex intentione explorandi diuinam virtutem, aut perfectionem: quia contingit interdum aliqua Dei formalis tẽtatio, non ex intentione explorandi diuinam virtutem, ſed aliqua adiacentia, & quodammodo concomitantia, & tunc propter imperfectionem actus ex parte formæ, erit tantùm peccatum veniale. Exemplum ſit in Zacharia in petitione ſigni de annũtiato ortu filij ſui Ioannis, Luc. 1. quam tentationem eſſe peccatum, omnes ſacræ Scripturæ interpretes affirmant. Ita D. Auguſ. in libro quinquaginta Homiliarum, Homilia 44. Beda, & Theophilactus Luc. 1. Imò Caluinus hęreticus in armonia cenſet peccaſſe mortaliter, quia dubitauit de Dei potentia, exiſtimans non poſſe facere, vt ſenex ex coniuge ſene ſterili ſuſciperet liberos. Sed fallitur Caluinus. Etenim ſanctus & in lege doctus vir, qui legerat, & crediderat, Deo fauente Abrahamum ex Sara ſene ſterili genuiſſe Iſaac, non incideret in hanc rudem dubitationem de Dei potentia. Melius alij, tantùm peccaſſe venialiter, tentando Deum in petitione ſigni pro adimpletione promiſsi filij, tẽtatione quadam imperfecta propter imperfectionem actus ex parte formæ. Sed in quo conſiſtat iſta imperfectio, dupliciter explicatur. Primò: quia quamuis opinaretur, Angelũ ſanctum eſſe qui ſibi nuntiabat filij ortum; tamẽ ex parte naturalis impoſsibilitatis ſuæ, & vxoris, propter ſenectutem, & ſterilitatem: non plenè credidit, iſta ab Angelo annuntiari vice Dei. Et propter hanc fidei debilitatem, petebat ſignum, vt firmiter adhæreret. Hæc autem infirmitas fidei non fuit de potentia, neque de excellentia, aut prouidentia diuina, neque de veritate diuini dicti; ſed de nuntio Dei: ſuperflua tamen, quia ex circunſtantijs, & dictis, & quia nihil ei mandabatur agendum cum aliquo periculo: debebat firmare iudicium ſuum, quo ſibi videbatur nuntius Dei eſſe, & conſequenter credere omnia futura. Et ideò fuit veniale peccatum, propter actus imperfectionem, in genere tẽtationis formalis: cui atteſtatur pœna temporalis, & ſubſequuta amplitudo Spiritus ſancti. Ita Caiet. in commen. huius art. & ad Luc. c. 1.

Auguſt. Beda. Theophila.

Caietan.

Alij

Alij aliter explicant istam tentationem imperfectam. Zacharias (inquiunt) dubitauit de Angeli promissis, quia dubitauit, an Angelus ille esset Angelus sanctus à Deo missus, an verò dæmon volens decipere. Quam dubietatem volens auferre, Zachariæ dubitanti ait: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare*: ac si dicat, noli timere me non esse Angelum sanctum, &c. & hęc nõnulla incredulitas fuit, venialis tamẽ. Quia quamuis interdum Sathanas se transfiguret in Angelum lucis; tamen ex circunstantijs poterat, & debebat credere esse tanctũ Angelum, putà, quia nuntiabat de Verbi aduentu in carnem, & de Præcursore eius, quæ in proximo adfutura, homo doctus in lege, & Prophetis citra dubium legerat, & sciebat. Tũm maximè, quia nil agendũ, aut prætermittendum iubebat, in quo esset deceptio periculosa. Peccauit ergo venialiter tantùm, propter actum tentationis in suo genere imperfectum. Et ad hunc modum philosophandum est in casibus similibus. Aduertendũ tamen tam in tentatione formali, quàm in materiali, posse repetiri peccatum veniale propter imperfectionẽ actus, quantum est ex parte actus, id est, propter non plenam deliberationem, sicut contingit in motibus primis.

Ad argumenta posita in principio respõdetur. Primum multis sacræ Scripturæ testimonijs conflabatur. Ad primum testimoniũ, de petitione signi quod postulauit Abrahã; pro certo debet statui, virum sanctissimum, qui paulò ante Deo maiora, & difficiliora promittenti crediderat, & tam firma fide, vt dicat sacer Textus, fidẽ eam sibi imputatã esse ad iustitiam; neutiquã in minore promissione titubasse, & ideò à Deo signum petijsse. Verba igitur illa: *Vnde sciam, quod possessurus sum eã?* ne dubitationẽ aliquam includere videantur, multipliciter à sacræ Scripturæ interpretibus exponũtur. Prima expositio, dubitasse Abrahã, vtrùm illa Dei promissio esset absoluta, quæ scilicet omninò esset implẽda; nec propter improbitatem posterorum Abrahæ futura inefficax: an verò esset promissio cõditionalis, cuius generis tam promissiones, quàm cõminationes Dei legũtur in sacris literis. Cõditionalis autẽ promissio nõ habet effectũ, nisi seruata conditione. Itaq; dubitabat Abrahã, an illa promissio tantùm cõplendã esset sub ea conditione: si posteri eius in cultu Dei, & diuinorum præceptorum obediẽtia permanerẽt. At verò possessio terrę Chanaam, absolutè, & sine cõditione promissa est posteris Abrahæ: sed perpetua eius terræ possessio, non nisi sub ea conditione eis promissa est, si Dei cultores, & legis obseruatores essent. Quam conditionẽ, quia sæpè violarunt, idcircò de terrę illius possessione electi sunt. Hæc expositio non displiceret, si in sacro Textu aliquod fundamentum haberet: quod non video. Secunda expositio est Augustini lib. 16. de Ciuit. cap. 24. & Chrysost. homil. 36. in Genes. Theodore. in Genes. q. 64. Hi dicunt, Abraham non dubitasse de promissione Dei: sed modum, ordinem, & tempus eius promissionis implendæ nosse cupiebat. *Quemadmodum* (inquit Augustinus) *non fuit diffidentia beatissimæ Virginis Mariæ, cum dixit Angelo: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Sed quod futurum esse certa erat: modum quo fieret inquirebat.* Et Chrysostomus eleganter: *Tametsi* (inquit) *testata prius sit Scriptura, Abraham credidisse Deo, & id fuisse illi reputatum ad iustitiam: attamen audiens sibi denuò promitti illius terræ possessionem: modum consequendi eam scire cupit, & ita loquitur: ijs quidem, quæ à te dicuntur Domine, impossibile est, vt non credam: verumtamen rationem perueniendi ad effectum huius tui promissi, doceri vellem. Video enim me ab extrema senectute nõ procul abesse, & ad hunc vsque diem in hac terra peregrinari, & quasi erroneum huc illuc vagari; quo circa non possum humana ratione comprehendere, quemadmodum hoc tuũ promissum implendum sit. Non enim dubito de veritate, aut potentia tua, vt quem sciam ex nihilo produxisse omnia, & posse quidquid velit; nec posse quisquam obsistere voluntati tuæ. Interrogo igitur, non vt incredulus, sed quia iterum mihi possessionem huius terræ nominasti, vellem equidem crassius aliquod, & clarius signum accipere; quod possit infirmas meas cognitiones solidare.* Et Theodore. verã esse hanc interpretationẽ probat, ex proximè adiũcto sacrificio Abrahæ, & sermone quẽ habuit Deus cũ eo, qui modum, ordinẽ, & tempus cõplendæ illius promissionis, distinctè, ac dilucidè ostendit. Prædicit enim Deus, fore vt posteri Abrahæ per quadringẽtos annos peregrinentur in terra aliena, & aspera seruitute premẽdos: sed inde mirabiliter liberatos, ac locupletatos, terrã promissam obtenturos: & alia quæ colligit Theod. ad hoc cõducẽtia, ex sacro tex.

August. Chrysost. Theodoret.

Tertia expositio est Ruperti in Gen. li. 5 cap.

cap.20. & Caietani, ſuper 15.caput Geneſeos, videlicet, Abrahamum deſideraſſe, eam Dei promiſsionem aliquo ſigno firmari, aut pacto; non propter defectum ſuæ fidei, quæ adeò firma erat, vt his non egeret præſidijs: ſed propter ſuos poſteros, qui tum propter conſequendæ rei difficultatẽ, tum ob futuras calamitates dubitare poſſent, niſi promiſsio illa manifeſto Dei pacto, & inſigni aliquo fœdere, aut ſigno præmunireturꝰ. Rupertus ſic ait: *Sicut dixit Abraham, vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim terram hanc? cur non antea ſimiliter dixit: vnde ſciam quod qui egredietur de vtero meo, ipſum habiturus ſim hæredem? ſed id ſimpliciter credidit Deo: & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Quid enim plus eſt; hæreditatem poſsidere, quæ tam erat? an hæredem accipere innumerabilem gentem, quæ non erat? Non ergo tanquam incredulus, infirmata fide dubitauit: ſed tanquam pius pater, futuris filijs prouidit, ne fortè peccantibus illis, pœniteret Deũ huius ſui promiſsi. Et idcircò in promiſsione aliquod ſibi optauit dari firmamentũ fixæ ſtabilisq; veritatis, & quaſi interpoſitionẽ iuramẽti. Nec moratus Dominus Deus, quod optabat amicus fidelis, cũ petere nõ auderet, ſpõte obtulit: continuò namq; reſpondẽs, ſume, inquit, mihi vaccam triennẽ, &c. ſacrificiũ enim quod ſibi Deus fieri iuſsit ſeruo ſuo Abrahã, adumbratè ſignificauit fœdus, & pactũ, quod tunc Deus pepigit cum Abraham de tradenda poſteris eius poſſeſsione terræ Chanaam.* Hæc Rupertus. Breuius & compendioſius confirmat Caietanus: *Nec tentãtis Deũ fuit illa petitio, ſed conſulens ille ſemini ſuo, ſupplicauit pro ſigno neceſſario, quo ſemen ſuum euidenter cognoſceret, ac firmè confideret hæreditaturum ſe terram Chanaam. Verebatur enim Abraham, ne forte non ſibi crederet ſemẽ ſuũ teſtanti, apparuiſſe ſibi Deum, & promiſiſſe daturum ſe ſemini ſuo poſſeſsionẽ illius terræ. Propterea igitur petijt firmitatis ſignum, ex quo ſciret, pro ſuo ſemine hæredem ſe inſtitutũ à Deo illius terræ.* Hæc Caietanus.

Rupertus.

Caietan.

D.Thom.

At D.Thomas in hoc art. tantùm ait Abraham non peccaſſe petendo ſignũ; quia ex Dei inſtinctu poſtulauit: quod verum credo. Cùm enim Abrahamus tã Deo eſſet familiaris, & charus; videns Deus in ipſius corde verſari deſideriũ petẽdi ſignũ ab eo, vel propter rationẽ reddità ab Auguſt. vel propter traditã à Ruperto: nec audere ore proferre quod corde verſabat, propter Dei reuerẽtiã (nec mirũ, nã volẽs loqui ad Deũ ſimiliter dicebat: *loquar ad Dominũ meũ, eũ ſim puluis, & cinis*) probabiliter creditur, Deum ipſum inſtigaſſe interius, vt propter motiua relata vel in ſecunda, vel in tertia expoſitione, peteret ab ipſo ſignum.

Ad ſimilem Dei inſtinctũ refertur, & benè, illud ſignum, quod ſibi quaſi pro omine cõſtituit Eliezer ſeruus Abrahæ, Geneſ. 24. Mouit enim Deus corda Abrahæ, & Eliezeri, vt ſibi proponerẽt illud ſignum, ne vagaretur errãs in faciẽda inquiſitione de moribꝰ puellarũ Meſopotamiæ in vrbe Nachor: ſicut & illud, quod ſibi præfixit Ionathas. 1.Reg.14. Circa quem locũ ait Caietanus: *Magna fuit Ionathæ fiducia, ſolùm cum armigero ſuo aggredi hoſtiũ caſtra, ſed nõ imitãda. Euentus tamẽ oſtendit, eam fiduciã diuinitus ei fuiſſe inſpiratam. Sicut etiam decernere ſibi illud omen ſine diuina inſpiratione, illicitum profectò fuiſſet: nam fuiſſet nõnullum diuinationis peccatum, quemadmodum & illud fuiſſet tentare Deum.* Hæc Caietanus.

Geneſ. 24.

1.Reg.14. Caieta.

Ad illud quod in argumento inducitur, de petitione ſigni Gedeonis, reſpondet D. Thom. in ſolutione ad tertium ſecundi art. *Videtur petiſſe ſignum ex debilitate fidei, & ideo à peccato non excuſatur, ſicut ibidem Gloſſa dicit.* Fortaſſe mouetur Diuus Thomas, & Gloſſa, ex eo quod cùm antea certificatus fuerit de victoria, non debuiſſet aliquo modo de ea dubitare, replicata petitione ſigni. Et addit Caietanus, tantũ fuiſſe peccatum veniale, *quia per modum humilis deprecationis, infirmitatem fidei ſuæ adiuuandam petijt conſolatione ſignorum, licèt crederet quod prius didicerat ab Angelo: quaſi fuerit tunc Gedeon diſpoſitus eo modo, quo fideles firmiter perſiſtentes in fide, ſunt diſpoſiti, quando tentantur intrinſecus de fide. Ita quod imperfectio actus quaſi vacillandi, ex quo proceſſit humilis ſupplicatio, infra venialium latitudinem retinuit actum tentationis.* Hæc Caietanus.

D.Thom.

Caietan.

Cæterum idem Cardinalis in hoc eodẽ loco, ab omni peccato Gedeonẽ excuſat, eo quod non tanquam diffidens de promiſsione Dei, ſibi ſignum promiſit; ſed populo, quem congregauerat: tum vt daret Deo gloriam viſis ſignis: tum vt animaretur, & confortaretur eo ſigno; & ſic ardentius, & alacrius ad bellum procederet. Idem dicit ſuper ſextum caput Iudicum. Et Lyranus idem ſentit ſic dicens: *Quando petitur ſignum ex diffidentia, poſt certificationem de nuntio Dei, peccatum eſt. Sed cum petitur ex quadã familiaritate diuina, ac deſiderio, vt manifeſtetur alijs Dei gloria, tũc non eſt peccatũ.*

Lyranus.

Sicut

Sicut Ezechias petiuit signum de sanitate sua futura, quam tamen ei nũtiauerat Esaias Pro
4.*Reg.* 20. *pheta, vt habetur* 4.*Reg.*20.*&* Esaiæ.38. *&*
Esai.38. *hoc modo Gedeon petijt signum de victoria sibi futura.*

Ad testimonium ex Malachia respondet D.Thom. in solutione ad primum secundi articuli, solutionem decimarum, vt pote lege præceptam, non posse ad Dei tentationem pertinere. Quod autem dicitur à Propheta in Dei nomine, *& probate me*, non est intelligendum causaliter, quasi ad hoc deberent soluere decimas, vt probarent si Deus aperiret cataractas cœli: sed cõsequutiuè, quia scilicet, si decimas soluerent experimento probaturi erant beneficia, quæ eis Deus conferret. Simili modo interpretandus est locus Esai. *Esai.1.* 1. *Quærite iudicium, subuenite oppresso, &c. & venite, & arguite me, dicit Dominus.*

Ad locum Esaiæ respondetur. Achaz nõ tentasset Deum, si peteret signũ à Deo: tum quia ex mandato eius petijsset: tum quia hoc pertinebat ad vtilitatem communem: nam Deus volebat dare illud, nõ solùm pro Achaz, sed etiam pro totius populi instructione. Ipse autem Rex sub prætextu pietatis, id est, non tentandi Deum, voluit tanquam impius, & idolatra, ne Deus collato signo liberationis à duobus Regibus inimicis, exaltaretur, & populus ad Deum verum, abiectis idolis, conuerteretur.

Ad D.Lucæ testimonium respondet D. *D.Thom.* Tho. eo in loco Christum Dominũ voluisse, *vt prædicatores verbi Dei ex magna necessitate, & vtilitate, subsidia temporalia prætermittant: vt sint expeditiores ad explicandum Euangelium. Et ideò si soli Deo innitantur, non ex hoc tentant Deum: sed si absque vtilitate, & necessitate subsidia humana desererent, tentarent Deum.* Hæc D.Tho. Pro quorum explicatione duo sunt cauenda extrema à prædicatoribus Euangelicis. Primum, ne nimis solliciti sint de commeatu pro itinere peragendo ad annuntiandũ verbum Dei, lautum vt sit, & delitiosum: 1.*ad Tim.*6 sed iuxta Apostolum, habentes alimenta, 1.*Corin.*9. mediocria, & quibus tegantur vestibus, his contenti sint. Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, vt expeditius currat. A quo documento quam longe absunt qui stipari militibus, opiparè nutriti, ad conuertendum infideles pergunt. Hi & paruam frugem Deo acquirunt; & vestigia Apostolica non sectantes, parum fidunt Dei promissis. Huc enim tendunt

A verba allata in argumento, vt videlicet resecetur à prædicatoribus Euangelicis nimia cura rerum temporalium, quæ impedimento esse solet prædicationi verbi Dei. Alterum extremum vitandum est, ne temerè soli Deo confidentes, subsidia temporalia omninò repudient, cum periculo mortis, aut morborum, vel quorumlibet malorum ingentium incurrendorum; sicut narratur de quibusdam ineptis Monachis, qui verbis ante recitatis ex Diuo Luca deceptis, in eremum sine cibo, & vestitu perrexerunt, & ibidem perierunt. Hi peccatum tentationis diuinæ, & proprij homicidij incurrerũt. Fateor, in casu possent hæc subsidia laudabiliter negligere, committentes se diuinæ prouidentiæ: vel vrgente necessitate, v.g. quia instat præceptum baptizandi, prædicandi, vel aliquid dignum concionatore Euangelico faciendi, vbi necesse est adminicula humana deficere: aut verò vtilitate exigente, vt si profectus spiritualis exposcat, talia auxilia negligere, tunc enim tentatio Dei cessat, vt patet ex ante dictis.

Sed adhuc vrget testimonium citatũ ex C Luca, vbi iubentur prædicatores hæc temporalia subsidia, & omninò necessaria abijcere: quod videtur ad tẽtationem Dei pertinere. D.Th. 1.2.q.108. art.2.ad 3. & infra *D.Thom.* q.185.art.6.ad2. præter explicationem D. Hieronymi pertinentem ad sensum mysticum, duas illius loci apponit expositiones. Prima August. in lib.2.de consensu Euang. *August.* super similia verba ex Matthæi 10. sicut *Matth.*10. citata, vt non sint præcepta, sed potius concessiones. Cõcessit enim Apostolis, vt possent ire ad prædicationis officiũ sine pera, & baculo, & alijs huiusmodi, tanquam habẽtes potestatem necessaria vitæ accipiẽdi ab illis, quibus prædicabãt, vnde subdit: *dignus est operarius mercede sua.* Ita tamen quod si D aliquis proprijs sumptibus vteretur in prædicatione Euangelij, ad supererogationem pertineret; sicut Paulus de se ipso dicit 1.ad 1.*ad Cor.*9. Corin.9. Secunda expositio est D. Chrys. *Chrysost.* in homilia super illud Pauli, *Salutate priscam, & aquilam*, & habetur immediatè post expositionẽ epistolæ ad Romanos: vt intelligatur illa, Dominum præcepisse discipulis, dumtaxat quantum ad eam missionẽ, qua in illo tempore missi sunt ad prædicãdum Iudæis ante Christi passionem: tunc enim Discipuli imperfecti, erudiendi erant ad abijciendum sollicitudinem temporalium; quod repudium valde necessarium est prædicatoribus Euangelicis; & animandi

erant ad Dei confidentiam, vt experientia
Luc. 22. edocti, viderent ſibi nil defuiſſe: vnde Lucę 22. dixit illis: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, ac calceamentis; nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil.* At verò expleta illa legatione, & ipſis iam exercitatis in abdicatione rerum temporalium, illa prohibitio ceſſauit, & præcepta illa remouit, vt conſtat ex adiunctis ad locum nuper citatum: *Sed nunc* (inquit Chriſtus) *qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram.* Iam enim imminebat tempus perfectæ libertatis, vt totaliter ſuo dimitterentur arbitrio in his, quæ ſecundùm ſe non pertinent ad neceſsitatē virtutis. Vtraque expoſitio eſt contra quoſdam, qui errarunt, putantes Euangelicos Prædicatores prohibitos eſſe vſu rerum temporalium, totos ſe committendos diuinæ prouidentiæ: qui tamen ſatis confutantur ex dictis: & quia Ioan. 12.
Ioan. 12. dicitur de Iuda: *Quod loculos habebat, & quæ mittebantur portabat:* & cap. 6. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* & ſecundæ ad Ti-
2. Timo. 4. motheum 4. *Penulam, quam reliqui Troadæ veniens, affert tecum.* Igitur vel illa verba, non deſignant præcepta, vel ea dumtaxat pro illa prima miſsione data ſunt. Quinimò ſi ſecundùm corticem vellent ea verba ſeruare noſtri Prædicatores ſine neceſsitate, vel vtilitate; peccatum tentationis diuinæ incurrerent.

Ad illud ex Matthæi 10. *dum ſteteritis*,
Matth. 10. reſpondetur ex Diuo Thoma ſuprà,
D. Thom. quæſtione 53. articulo 4. ad primum: *Dominum in citatis verbis non prohibuiſſe conſiderare ea quæ ſunt agenda, vel dicenda, quando homo habet opportunitatem: ſed dat fiduciam diſcipulis, vt deficiente ſibi opportunitate, vel propter imperitiam, vel quia ſubitò præoccupantur; in ſolo diuino confidant auxilio: quia cum ignoramus quid agere debeamus; hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad Dominum: ſicut dicitur 2. Paralipomenon 20. alioquin ſi*
2. Paral. 20 *homo prætermittat facere quod poteſt, ſolùm diuinum auxilium expectans, videtur tentare Deum.* Hæc Diuus Thomas. Itaq; ſenſus illorum verborum: *Nolite cogitare, &c.* eſt, nolite nimis ſolliciti eſſe, poſiti in tem-
Nauar. poris anguſtia, &c. Hanc doctrinam ſequutus Nauarrus in Manua. cap. 11. numero 4. ait peccare mortaliter eum, qui voluntariè omiſſa præuia meditatione concionatur.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur: is qui dubitaret de veritate Euangelij, aut quacunque veritate pertinente ad fidem; & ad credendum peteret ſignum miraculoſum à Deo, citra dubiū peccaret peccato tētationis diuinæ, ſi eæ veritates eſſent ſufficienter propoſitæ: quia dubitaret de quadā Dei perfectione, putà veracitate Dei loquentis per Prædicatorem, aut Prophetā. At ſi accideret vt in caſu argumenti, veritatē illam, aut veritates non eſſe ſufficienter annuntiatas; ſicut non peccaret dubitando de illis annuntiatis veritatibus; ſic neq; petendo à Deo ſigna oſtenſiua earum veritatum, quando alia via non poſſet edoceri aut illuminari. Quando igitur dicitur petitionem ſigni procedentem ex dubitatione alicuius veritatis, eſſe Dei tentationem: intelligendum eſt, quādo ea dubitatio illicita eſt. Quod rectè animaduertit Caiet. quādo in art. 2. dixit tentare Deum inuoluere ignorantiam, vel dubitationem malā: & ideò
Caietan. ait: *Si quid eſt, quod licet dubitare de Deo, hoc extra tentationem Dei eſt, ſi cū debitis circūſtantijs fiat.* Imò ſi rectè res penſetur in caſu argumenti non dubitatur de perfectione aliqua diuina: ſed dumtaxat, an ille, qui annūtiat eas veritates, eas proponat vice Dei; & petit ſignum à Deo, non vt experimentum ſumatur de eo, ſed vt inſtruatur homo à Deo in re magni momenti: quod non eſt in hoc caſu tentare Deum, vt circa reſponſionem ad primum notaui in facto Abrahę, Eliæ, & Gedeonis.

Tertio argumentò conuictus Gregor. de
Valentia. Valentia 2.2. diſp. 6. q. 14. de tentatione Dei, cenſet, velle à Deo explorare eius voluntatem circa negotium, aliquid petendo à Deo circa eam inſtrui ſine neceſsitate, aut vtilitate; eſſe quidem curioſitatis, aut vanitatis crimen, inſuper & aliqualis irreuerentiæ erga Deum: non tamen pertinere ad Dei tentationem. Et augetur difficultas in fauorem huius ſententiæ. Huiuſcemodi namque petitio, neque eſt mala ex obiecto petito, ita enim ſupponimus (nam ſi eſſet mala, vel ordinaretur ad malum, aut aliqua mala circunſtantia veſtiretur, peccatum eſſet interdum mortale, vt animaduerti circa quartam concluſionem) neque etiam eſt mala grauiter ex modo indebito, qui eſt petere à Deo tale ſignum; quia per hoc non irrogatur Deo grauis iniuria: ex quo etiam adiuncto principali argumento, benè infertur, nō pertinere ad tentationem Dei. Oppoſitam ſententiam tenemus cum Caieta. citato circa 4. aſſertio. & cum alijs multis. Pro cuius explanatione, & argumento-

mentorum contra eam solutione aduertendum, in tētatione Dei expressa, & formali ad explorandam aliquam Dei perfectionem (quæ tentatio omniū pessima est) duplicem includi malitiā. Prima, dubitatio aut ignorantia culpabilis circa aliquam Dei perfectionē. Secunda, irreuerētia erga Deū, dū alicuius perfectionis experimentum intētatur: quæ irreuerentia nō potest esse modica, cū ab infidelitate, & dubitatione circa res fidei procedat. In casu autē huius tertij argumenti non inuenitur illa duplex malitia, sed vna dumtaxat. Nō quidem præcedit dubitatio de diuina perfectione, sed dubitatio de obiecto diuinæ voluntatis circa aliquod particulare negotium. Quod si Deus non reuelauit, nullum est peccatum. Sed tamen reperitur imploratio diuina ad illud sciendum: quæ si fiat sine necessitate mala est, non solum, quia vana, & curiosa inutiliter, sed etiam irreuerens notabiliter: quia sic petens vult, vt Deus ad satisfaciendum suæ vanæ curiositati, aliquid mirabile, vel extraordinarium operetur. Quod est valde alienum à sapientia, & prudentia Dei: imò indecens diuinam Maiestatem, vt in re futili se exhibeat doctorem, per ostensionē potentiæ suæ. Egregiè Caietanus vbi supra. *Caietan.* *Quærere à Deo* (inquit) *institutionem, aut notitiam sine rationabili causa, quid velit circa aliquid particulare: ad irreuerentiam diuinam expectat. Si enim excellentiam diuinæ voluntatis homo reuereretur; non nisi ex rationabili causa præsumeret quærere secretum illius velle nosse, vt experimur in hominibus. Nullus enim, sine irreuerentia Principis, quærit ab ipso absque rationabili causa, quid velit: sicut neque quid sciat, aut quid possit.* Hæc Caietanus. Sed dices, ex his non haberi, hoc peccatum tentationis esse, vt argumentum propositum in principio disputationis probare videtur. Ad quod respondetur, tentationem perfectæ malitiæ, intra speciem tentationis expressæ, necessariò debere procedere ab ignorantia, vel dubitatione perfectionis diuinæ. At hoc non est necesse reperiri in tentationibus alijs expressis, quales sunt in argumento allatæ: sed sat est procedere à dubitatione obiecti voluntatis diuinæ in hoc, vel illo euentu: à qua dubitatione dum homines cupiunt indebito modo liberari à Deo, experimentum volunt sumere, & explorare diuinam voluntatem: quod citra dubium ad tentationem Dei pertinet. Et certè cùm Deuteronomij. 6. *Deuter. 6.*

A & Matthæi 4. prohibetur tentatio Dei; de hoc modo tentationis videtur fieri sermo. Quando enim diabolus à Christo petijt: *Mitte te deorsum*, non videtur postulasse, vt probaret diuinam potentiam, sed beneuolentiam erga ipsum: & ideò adiunxit: *Angelis suis mandauit de te, &c.* & tamen illi Christus respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et hoc ipsum ostendit, hoc crimen grauem iniuriam esse Dei, non leuem, vt ait Valentia. Et iuxta dicta est intelligendus Diuus Thomas. Mitto modò, quod ipse non dixit, omnem tentationem procedere ex dubitatione aliqua, vel ignorantia, quod etiam *Matth. 4.* *Valentia.*

B in casu argumenti reperitur. Neque etiam dixit, debere procedere ex ignorantia, aut dubitatione illicita: aliquando enim procedit ex dubitatione, aut ignorantia licita, vt patet in eodem casu. Verificauit autem vniuersalem propositionem, in pessima omnium tentationum explicita: vbi clarius apparet veritas vniuersalis propositionis. Ad confirmationem fatemur, in casu argumenti semper reperiri curiositatis vanæ vitium: quod reperiretur, si quis ab homine plebeio vellet instrui de re inutili. Sed vltra hoc dicimus, esse peccatum irreligiositatis, à Deo velle explorare, quid

C velit, aut quid facturus sit in re non necessaria, aut inutili.

Quartum argumentum est primum in articulo tertio Diui Thomæ, cui Doctor sanctus respondet, quòd sicut ex certitudine, quam quis concipit ex actibus fidei, nascitur, vt homo Deo exhibeat reuerentiam: sic ex incertitudine fidei, homo aliqua facit, quæ ad diuinam irreuerentiam pertinent; cuiusmodi est tentare Deum. Itaq; licèt reuerentia nascatur ex fide, ad religionem formaliter pertinet: ita irreuerentia tentationis diuinæ licèt procedat ex infidelitate; est vitium irreligionis, vt patet in idolatria. Sed contra hoc instatur. Nam huiusmodi irreuerentia non est formaliter

D contra religionem; sed tantùm materialiter, ad eum modum quo credere aliquid contra fidem, aut dubitare de illa iniuriosum Dei est; & odium Dei, ac desperatio, & huiusmodi: quæ tamē formaliter nō pertinent ad irreligiositatem, sed ad vitia contraria Theologicis virtutibus: ergo idem erit de tentatione Dei. Respondetur. In omni peccato, maximè cōtra virtutes Theologicas, aliqua materialis irreuerentia reperitur; quæ non est formaliter contra virtutem

tutem religionis. At tentatio, licèt exigat dubitationem pertinentem ad infidelitatẽ; non tamen in ea consumatur : sed vlterius necesse est, alium actum distinctum superaddi, in quo quidditas tentationis consistit : qui est petere, aut desiderare à Deo signum, quo exploretur aliqua eius perfectio. Et huiusmodi actus, irreuerentiam erga Deum non exiguam, oppositam formaliter religioni continet, vt dictum est. Explicatur quod dicimus. Potest quis profiteri, & exterius dubitare de hac, vel illa veritate fidei, & in hoc consumare malitiam infidelitatis, & tamen per illum actum precisè sumptum, nondum tentat Deum. Si autem vlterius procedat, & à Deo petat nouum, & extraordinarium modum ostendendi illam veritatem, quod est explorare illam; nouum genus peccati committit, quod non pertinet ad speciem infidelitatis ex parte obiecti sui, sed habet nouam deformitatem, quæ consistit in hoc, quod à Deo aliquid in materia indebita postulatur : in quo formaliter fit contra religionem : & hoc est tentare Deum. Nec verum est quod in argumento assumitur; tentationem, quia procedit ab infidelitate; non habere aliam malitiam præter infidelitatis. Nam sæpè actus imperatus habet nouam malitiam, præter illam, quæ est in actu imperante, quam sumit à proprio obiecto: sicut furtum imperatum à luxuria, habet etiam malitiam furti.

Pro solutione quinti argumenti, & sequentium, aduertenda est doctrina Caietani in articulo primo: formale interpretatiuè tentationis Dei in hoc cõsistere, quod absque necessitate, vel vtilitate, respuat homo causas secundas, & earum auxilia. Quod dupliciter potest intelligi. Primo modo præcisè, id est, in nullo alio consistere, nisi in hac respuitione negatiua. Secundo modo non ita præcisè, quin simul cũ præfata respuitione, velit homo à Deo effectum obtinere, vel expressè ab eo illũ postulando, vel saltem implicitè. Nam hoc ipso quod vult effectum, si respuit concursum causarum secũdarum; necesse est velle ipsum esse à Deo: cum effectus nequeat esse, nisi à causa prima, vel secunda. Priori modo ea respuitio non pertinet ad tentationem Dei, quia tentatio non fit, nisi opus illud fiat cum aliquo respectu ad Deum. At si posteriori modo contingat respuere causas secundas, sine necessitate, aut vtilitate postulando, vel volendo effectum à Deo fieri; peccatum diuinæ tentationis committitur. Explicatur partitio posita, & doctrina tradita. Si quis pyram ingrediatur, non vt liber euadat, sed vt comburatur; non tentat Deum, sed conatur se occidere, vel per desperationem, vel per specialem instinctum Spiritus sancti, vt legitur de beata Apollonia. Ex quibus omnibus colligitur, ad tentationem Dei interpretatiuam non satis esse respuere primo modo causas secundas, nollendo effectum; sed oportet velle effectum sine causis secũdis. Et sic est intelligenda doctrina Caietani apprimè necessaria in hac materia. Hoc fundamento iacto, ad argumenta sequentia non est difficilis solutio.

Ad quintum Caietanus dicit tria. Primũ est, respuere medicinam tempore martyrij, non est tentare Deum, quoniam vtilitas maxima est, & necessitas promptitudinis animi ad sustinendam mortem, & sic prompte testimonium perhibendum fidei Christianæ. Nam si medicinam corporalẽ martyr susciperet, videretur minus sponte pati, & euitare passionem quantum posset: cuius oppositum sancti Martyres facto docuerunt. Hæc Caietanus, & benè, si intelligatur de martyribus, quando in actuali cõfessione fidei, & mortis agone, coram tyranno assistunt. Nam tormentis superatis, si martyres aliquando viui euaserint, non est contra martyrij rationem, sanitatem per medicamenta procurare, sicut de sancto Sebastiano in eius historia legitur. Insuper ego dico: si aliquis falso nomine martyrij glorians, pro errore, aut re parui momenti se morti offerret, nollens liberari, sed potius pati, esset quidem sui homicida, & temerarius vitæ prodigus, & eo peius: sed non tentare Deum; quia non habet actum positiuum erga Deum, quo explorare velit aliquid Dei : quod esse necessarium ad Dei tentationem ex fundamento præiacto docuimus. At si se morti obijceret quis sine necessitate, aut vtilitate, cupiens à Deo liberari; ille crimen tentationis incurreret. Et hoc est quod Augustinus dixit in libro de opere Monachorum, cap. 27. Quod si Christi Discipuli persecutores fugientes, interrogarentur cur non starent potius, & inuocarent Deum, vt per eius mirabilia eruerentur? responderent (inquit) non se oportuisse tentare Deum; sed tunc eum talia si vellet esse facturum, cum ipsi quid facerent non haberent. Secundo dicit Caietanus: respue-

Caietanus. *Augustin.*

reſpuere medicinam abſolutè, & toto vitæ tempore, de communi lege hoc eſſet tentare Deum (intelligitur ſi explicitè, vel implicitè vellet à Deo ſanari, alioquin non tentator, ſed potius prodigus vitæ propriæ eſſet) cæterum qui haberet experientiam de Dei adiutorio ſine medicinis, excuſabitur à tentationis crimine, ſicut excuſat ſanctus Thomas Beatam Agatham, quia experta erat erga ſe diuinam beneuolentiam, vt vel infirmitates non pateretur pro quibus corporali medicina indigeret, vel ſtatim ſentiret diuinæ ſanationis effectum. Tertiò dicit: reſpuere medicinam ratione ſpiritualis profectus, ſi intra limites rationabilis obſequij fit; non eſt tentare Deum, ſed ſemetipſum offerre hoſtiam viuentem Deo. Et hoc modo Sancti, qui dati ſunt in exemplum cæteris, & præſertim religioſi, in hoc mundo dolores iliacos, vlcera, & cætera quę patiuntur, ſuſcipiũt libenter, & vtuntur eis vt inſtrumentis diuinitus ſibi conceſsis ad carnis ſubiectionem, & mortificationem, & Ieſu Chriſti paſsionis participationem: & ideò reſpuunt medicinam, & ægrè ferrent ſi hoc ſignum filialis dilectionis perderent, ſanitatem recuperando. Sed hi licèt infirmentur in carne, fortiſsimi ſunt ad ſpiritualia, ita vt nihil mali videãtur quandoque habere. Ita Caietanus veriſsimè, & deuotiſsimè; ſed aliquot circa hoc aduertenda ſunt. Primũ, quod ſi quis aliquẽ grauem morbũ, vel vlcus patiatur, & reſpuit cauſas ſecundas nullam adhibendo medicinã, non vt ſine his cauſis ſanetur per ſolam virtutẽ Dei; ſed quia nõ vult ſanari, ſed potiùs illam infirmitatem continuè pati: ille non tentat Deum, vt habetur ex præiacto fundamento; quia neque formaliter, neque virtualiter aliquid de Deo explorat. Quare ſi imprudenter id agat, peccat quidem, non tamen contra religionem, neque cõtra Dei honorem: ſed contra ſuam ſalutem. Si verò ex bono fine imprudenti diſcretione id faciat, vt de viris ſanctis dicit Caietanus, faciet quidem opus virtutis, nõ tamẽ ex obiecto facit opus religionis oppoſitum tentationi diuinæ, ſed patientiæ, humilitatis, aut aliquid huiuſmodi: quia vt dictum eſt, ad tentationem interpretatiuam Dei non eſt ſat reſpuere cauſas ſecundas nollendo effectum; ſed oportet velle effectum ſine cauſis ſecundis, & conſequenter ex virtute cauſæ primę, cum nullus poſsit intelligi effectus ſine concurſu cauſæ primæ, aut ſecundæ.

A Secundò, circa idem dictum tertium Caietani, ne aliquis ceſpitet, aduertere debet illam duplicem limitationem doctrinę Caietanicæ, ſcilicet ratione ſpiritualis profectus, & intra limitem rationabilis obſequij. Quo fit, vt ſiquis tẽpore quo tenetur ſuam procurare ſalutẽ ne moriatur, aut ne vita abbreuietur, reſpuat medicinã adid neceſſariã, & commẽdet ſe Deo; peccat peccato homicidij, & tentationis diuinæ. Quãdo autem obliget præceptum talis conſeruationis, habetur ex D. Thom. ſup. q. 64. ar. 5. & eius interpretibus. At verò ſi quando homo excuſetur ab eius præcepti obligatio- *D. Thom.*

B nẽ, ratione ſpiritualis profectus: ab vtroque crimine etiam excuſabitur: verbi gratia: mulier prægnans animato fœtu, ſi timeat probabiliter aſſumpto pharmaco aborſum facturam; poterit illud reſpuere, etiam ſi certò ſciatur quod morietur eo non aſſumpto, vt infans natus baptizetur. Similiter ſi quis conſultis Medicis, ſciat mortem nõ euaſurum, niſi martimoniali copula fœminæ adhæreat; poterit reſpuere tale conſilium committendo ſoli Deo ſuam ſalutem: ſicut dicitur feciſſe Michaelem Verinum propter virginitatem ſeruandam. Item ſi quis profeſsione Carthuſienſis ſciat condimento ex carnibus cõdito mortem euaſu-

C rum; poterit illud medicamentum negligere propter bonum abſtinentiæ à carnibus, quod profitetur. Ex quo patet reſponſio ad confirmationem ſecundi argumenti. Item ſi quis infirmatur infirmitate inducente debilitationem ſalutis, non verò mortem, vt ſæpè contingit in languoribus habitualibus; licitum, & laudabile eſt, vel ad edomandam carnem, & eius deſideria cõprimenda, vel ne integra valetudine elatus ſuperbiat, vel propter aliud ſimile rationabile Dei obſequium, reſpuere medicinam ſanatiuam. Et hic eſt caſus poſitus à

D Domino Caietano, ſed intelligendus cum grano ſalis: dummodò ex recuperatione ſanitatis per meditinam, non impediatur aliquod maius bonum, & in ijs hominibus qui ſui iuris ſunt: aliàs non erit licita talis medicinę reſpuitio. Verbi grãtia: qui inſignis eſt Euangelij concionator, aut ex profeſsione id muneris habet, aut Monachus dicatus choro: ſi certò ſcit, vel probabiliter, aſſumpto pharmaco integram ſanitatem ad ea munia obeunda neceſſariã recuperaturum; ſi id deſpiciat, committens ſoli Deo ſuam ſalutem, tentat Deum, & peccat contra alias virtutes. Quod ſi adhuc

cum debilitate, aut languore, potens eſt ea officia exercere; & propter ſpirituales profectus iam relatos, vel ſimiles renuit curari; opus magnæ virtutis exercet, ſicut legitur de Gregorio Magno, qui cum perpetuo ſtomachi languore laboraret, crudis leguminibus victitabat, & tamen aſſiduus valde erat in legendo, dictãdo, orando, & Summi Pontificis officium adminiſtrando. Et in vita ſancti Bernardi legitur, noluiſſe Cœnobia ſua ædificari in locis nimis ſalubribus: ne ſui Monachi forti valetudine pollentes, inſultus ferocis carnis paterentur.

Ad ſecundam confirmationem vt reſpondeatur notandum eſt, quòd licèt ad petendum à Deo eius adiutorium omiſsis cauſis ſecundis, quia non ſuppetunt; aut neglectis, etiam ſi adſint; vt non incurratur vitium tentationis diuinæ, requiratur id fieri neceſsitate, aut vtilitate exigentibus: tamen ad petendum à Deo miraculoſum opus, ſiue in communi, ſiue determinatè, nõ quæuis neceſsitas ſufficit: ſed ingens, & vrgentiſsima requiritur, & in rebus maximè ponderis, & momenti: quam vix, aut nunquam reperiri cenſeo, ſeeluſo Dei peculiari inſtinctu, & motione, vt in facto Abrahæ, Eliæ, & Eliezer ſupra retuli. Ratio eſt, quia cum miracula ſint, & fiant præter totum naturæ ordinem, vt teſtificantia Dei omnipotentiam, & potiſsimè inuenta ad confirmationem fidei, vel aliarum rerum ad id adiuuantium: niſi Deus moueat ad illa petendum, vix poteſt fieri ſine crimine. Imò exiſtimo, quoties Sãcti popoſcerũt à Deo ſignũ aliquod publicum ad cõfundendum hæreticum, aut veritatẽ fidei manifeſtandã, vel cõfirmandã; nõ id egiſſe, niſi ab Spiritu ſancto moti: tum, quia eſt hæc petitio tam excellẽs, vt ſine ſpeciali Dei motione fieri non poſsit ſine crimine: tùm, quia niſi firma eſſet conſecutio eiuſmodi petitionis (firma autem non erit, niſi Deo reuelante, aut mouente) veritates fidei, ac res magni ponderis, inſuper & viri ſancti eas poſtulantes ludibrio haberentur. Ex his patet ad confirmationem.

Ad ſextum reſpondetur, illum qui credit Deum omnia poſſe facere ſine ope cauſarum ſecundarum, magnificè de Deo ſentire: & hinc naſcitur ipſum extollere, ac venerari. At verò velle ipſum ſine neceſsitate, ſeu ſufficienti vtilitate, ſe ſolo aliquem effectum à cauſis ſecundis producibilem producere; non eſt magnificè de Deo ſentire: ſed ipſum iniuria, & irreuentia afficere, procedente ab ignorantia, ſeu dubitatione ordinis, ſeu prouidentiæ diuinæ: quæ in hoc conſiſtit, quod quamuis ſe ſolo poſsit omnia producere, diſpoſuit tamen ſua admirabili prouidentia, vniuerſum iſtud ferè ſemper gubernare mediante efficacitate creaturarum. Itaque à Deo ſolo velle adiuuari, neglectis, aut omiſsis cauſis ſecundis ſine vtilitate; tentatio Dei eſt procedens ab ignorantia, ſeu dubitatione ordinis diuinæ prouidentiæ, & quodam modo vnius attributi diuini, putà eſſe gubernatorem vniuerſi. Et huiuſcemodi expectatio, neque actus meritorius eſt, neque virorum perfectorum, ſed tentantium Deum. Ad confirmationem reſpondetur: iniuriam Regi faceret, qui in omnibus negotijs quorum curam Rex demandauit miniſtris ſuis, peteret vt ſe ſolo adiuuaret; niſi vrgente neceſsitate, aut magna interueniente vtilitate, ob quam eſſet negligendum adiutorium miniſtrorum Regis.

Ad ſeptimum. Ex nuper dictis eruitur ſolutio. Nam licèt tentatio hæc interpretatiua oriatur ex nimia quadam confidentia, in qua peccatur per exceſſum; & ſecundùm corticem, atque in primo proſpectu à fide exceſsiua, qua creditur Deum facturum plus quam par eſt: verumtamen in ea credulitate per defectum peccatur, quia de Deo creditur, aut dubitatur aliquid contra attributum gubernationis, ſeu contra ordinem eius prouidentiæ. Et ſimiliter irreuerentia, quæ illi irrogatur, implorando ſine neceſsitate, aut vtilitate eius ſolam efficaciam, & operationem; peccatum eſt per defectum ſcilicet reuerentiæ, qua ratione gubernat vniuerſum iſtud ſecundum debitum ordinem ſuæ ſapientiæ, nempè medijs cauſis ſecundis: quem ordinem interturbat, quantum in ſe eſt, ille qui ſine neceſsitate, aut vtilitate vult ipſum ſe ſolo, ſine cauſis ſecundis operari: ac proinde per contrarietatem, & defectum peccat.

Ad octauum benè ibi reſponſum eſt: & præterea addendum, quod quando aliquis, verbi gratia, probaturus innocentiam ſuam ingreditur pyram accenſam; præter peccata temeritatis, & periculi propriæ vitæ, ac quandoque publici ſcandali (ſæpè enim continget, & innocentem comburi, & vulgarem populum decipi; dũ cenſet illo modo delictum eſſe comprobatum,

tum, cũ re vera non ſit) præter peccata, in quũ, illa, in eo opere neceſſariò interuenit vel formalis, vel ſaltem virtualis imploratio auxilij diuini: quia eius intuitu, & confidentia homo aggreditur tale opus, & ſæpè cum periculo vitæ: quæ aggreſsio interdũ fit cum expreſſa inuocatione diuini auxilij, quæ eſt expreſſa imploratio; & interdũ tacitè intendit adiuuari ab eo, quod eſt implicita imploratio. Hæc autem imploratio fit indebito modo, & contra rationem, & in materia, in qua Deus irreuerenter tractatur: quia contra ordinem ſuæ gubernatiuæ prouidentiæ imploratur, ac ex conſequenti ad irreligioſitatem pertinet tentationis diuinæ, vt diximus, & dicemus.

Ad nonum reſpondetur, tentationem interpretatiuam procedere ex dubitatione interpretatiua, vel ignorantia alicuius pertinentis ad Deum; nimirum ordinis diuinæ prouidentiæ circa gubernationem vniuerſi, vt in ſolutione ad ſextum explicatum eſt.

Vltimo argumento quidam perſuaſi cẽſent, tentationem interpretatiuam non eſſe ſimpliciter, & abſolutè tentationem Dei: ſed dumtaxat ſecundùm quid. Quorum ſententia etiam confirmatur ex c. 18. Eccleſiaſtici: *Ante orationem* (inquit) *præpara animam tuam: & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum*; apertè ſignificans irreuerentiam, quæ Deo fit, quando quis irreuerenter orat ſine præuia præparatione, ad interpretatiuam tentationem pertinere: quia relictis medijs ad orandum, vult à Deo effectum orationis; & tamen non appellat eam ſimpliciter, tentationem, ſed diminutiuè quaſi tentationem. Nihilominus dico. Tẽtatio interpretatiua eſt verè ſimpliciter propriè tentatio, & non tantùm ſecundùm quid. Probatur ex multis iuribus infra citandis, & ex Sanctorũ loquendi phraſi. Videatur Auguſt. in lib. de opere Monach. cap. 27. & lib. 22. contra Fauſtum, cap. 36. Item ex Theologis omnibus, præcipuè ex D. Tho. in tota hac quæſtione. Dicere autem hos omnes impropriè, & ſecundùm quid loquutos fuiſſe, non placet, nec decet. Secundò idem probatur ratione, quia huiuſmodi tentatio quamuis in multis differat à tentatione formali; tamen cum ea cõuenit in præcipua illius ratione: tùm, quia tentatio interpretatiua, eſt formalis, vel virtualis petitio diuini auxilij contra ordinem diuinæ prouidentiæ: tùm quia fit per opus quod ad nil aliud eſt vtile, niſi ad ſumendũ experimentum de Dei perfectionibus, vel de aliquo pertinente ad Deũ: quod certè videtur D. Aug. dixiſſe 16. de Ciu. c. 19. *Quod ſi Abraham* (inquit) *periculum quantum cauere poterat non caueret; magis tentaret Deũ, quàm ſperaret in eo.* Ex quibus patet ſolutio vltimi argumenti. Ad replicam autem contra D. Thom. in argumento factã, vt reſpõdeatur præmittendum eſt, opus aliquod de ſe ordinari ad aliquem bonũ, vel malum finẽ; quia de ſe habet proportionem cum illo, etiãſecluſa intentione formali operãtis: v.g. effigiare alas ad volandũ, acuere enſem ad ſcindendũ. Rurſus. Opus poteſt ordinari ad aliquem finem, ad quem nõ habet proportionem; ſed ex intentione operantis ad illum deſtinatur; vt ſi quis lectionem ordinet ad ſalutem, vel quid ſimile. Hoc ſuppoſito reſpõdetur, probationes vulgares (quas dicemus ad tentationem Dei pertinere) ex ſe non habere proportionem ad probandũ id, quod per eas intenditur probari: v.g. innocentia alicuius, vel quid ſimile: ſed ex inſtitutione inepta vulgi introductum eſt, vt ad præfatum finem cenſeantur vtiles. At verò eædem probationes ex ſe habent proportionem ad explorandam ſapientiã, aut potentiam diuinam. Vnde meritò dictum eſt, illas ad nihil aliud eſſe vtiles, niſi ad hunc finem: ac proinde ad tentationẽ Dei iure referuntur. Itaque ingreſſus in ignem, ex inepta inſtitutione vulgi putatur eſſe vtilis ad probandam innocentiam ingredientis: non quia in ipſo opere talis proportio reperiatur; cùm idemmet opus ex libito operantis poſsit ad contrarios fines induci. At vero idem ingreſſus cum confidentia liberationis diuinæ, de ſe eſt opus exploratiuum diuinæ potentiæ, aut ſapientiæ, & ad nil aliud ordinabile: quare ad tentationem Dei pertinet. Et per hæc patet ad replicam argumenti vltimi, negando ea opera tentatiua de ſe eſſe vtilia ad aliud, quàm ad experimentum ſumendum de Deo. Quod verò putentur vtilia ad alios fines, non habent ex ſe, ſed ex ordinatione voluntaria inſtituentium. Ad confirmationem ex Eccleſiaſtico reſpondetur primò cum Ianſenio ſuper illum locum, eum in oratione tentare Deum, qui temerè Dei potentiam declarari petit, prætermiſsis his, quæ in hominis ſunt poteſtate. Et ſi iſto pacto vtamur voce tentationis, diuerſa exiguntur in duabus particulis illius periodi: primum: *Ante orationem præpara animam tuam*: ſecundum valde diuerſum:

Auguſt. *Eccleſi. 18.* *Auguſt.* *Ianſenius.*

uerſum: *noli eſſe quaſi homo qui tentat Deũ*: & tunc vocula, *quaſi*, non diminutiuè, ſed confirmatiue accipitur: ſicut ſæpe fit in ſacro eloquio, & multis exemplis declarat *Pereſius.* Sebaſtianus Pereſius Epiſcopus Oxomenſis in regula 21. de ſenſibus ſacræ Scripturæ. At verò, quia communiter illa verba Eccleſiaſtici vt vna tantum periodus acceptãtur: reſpondetur ſecundò iuxta mentem *D. Thom.* D. Thom. in ſolutione ad ſecundum, artic. 3. quod ſi quis ad orandum accedens, contemneret attentionem, & deuotionem habere, quæ ſunt media ex parte hominis requiſita, vt Dei adiutorium in oratione imploret; citra dubium non eſſet quaſi qui tentat Deum, ſed ſimpliciter, & abſolutè tentaret Deum. At verò qui negligenter accederet ad orandum, non ſe præparando, vt decet, quod ſæpè ex fragilitate humana orantibus contingit, iſte peccat contra religionem per irreuerentiam. Exiſtimo tamen non eſſe interpretatiuam tentationem ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſecundum quid, & largo modo, vt ait Caietanus circa art. 3. & D. Thom. ait, ſic orantem quaſi interpretatiuè tentare Deũ. Et hoc etiam voluit ſignificare Sapiens, qui loquitur in hoc poſteriori caſu, vt reprehendat negligenter orantem, dicens: *Quaſi homo qui tentat Deum.* Itaque talis oratio habet aliquid de tentatione interpretatiua, quia prætermiſſis mediis à Deo ordinatis, vult à Deo fructum orationis. Sed non eſt ſimpliciter tẽtatio interpretatiua, quia nõ facit opus exploratiuum diuinæ potentiæ, aut ſapientiæ; cum ea oratio, etſi peccaminoſa, poſsit eſſe vtilis ad multa: v. g. ſi ſit in præcepto, vt per eam impleatur. Item, vt Deus exaudiat. Et hinc ſequitur, ſic orantem non dubitare etiam interpretatiuè de aliqua Dei perfectione. Quam dubitationem diximus reperiri in tentatione interpretatiua. Ex dictis tamen non infertur, omnem tentationẽ interpretatiuam eſſe quaſi tentationem, & ſecundum quid; quod erat probandum ab Autoribus oppoſitæ ſententiæ.

In hoc eodem argumento vltimo tangitur dubitatiuncula; an tentatio formalis, & interpretatiua differant ſpecie? Quidam affirmant, tùm propter diuerſa principia à quibus procedunt: tùm quia diuerſa ratione pertinẽt ad irreuerentiam Dei. Puto tamen neutiquam ſpecie differre, neque diuerſa ratione pertinere ad irreuerentiam Dei: ſed habent ſe ſicut perfectum, & imperfectum, ſicut explicitum, & implicitum A inter eandem ſpeciem. Procedere autem à diuerſis cauſis non variat ſpeciem, vt videre licebit inferius in ſacrilegio contra perſonam ſacram, ortum habens aliquando ex voto, aliquando ex immunitate Canonis: quod tamen nõ differt ſpecie, vt docet D. Thom. in materia de ſacrilegio. At verò fatemur, hanc differentiã formalis, & interpretatiuæ tẽtationis, eſſe in cõfeſsione apperiẽdã, propter magnam malitiarũ diuerſitatẽ: etiam ſi intra eandem ſpeciem contineantur. Et hæc ſatis ſint de hac diſputatione.

DISPVTATIO II.

B *Vtrùm licitum ſit, & ſine tentationis crimine, expectare à Deo oſtenſionem, vel probationem alicuius occulti, putà innocẽtiæ ſeruatæ, pudicitiæ cuſtoditæ, furti, aut homicidij perpetrati, & ſimilium, per probationes quaſdam, ſiue purgationes, quæ canonicæ, aut vulgares appellantur, quibus aliquando vſi ſunt perſonæ publicæ, & priuatæ: v. g. ingreſſus in ignem, vſus aquæ feruentis, &c.*

C

T videtur vera pars affirmatiua. Primò: in veteri lege ad inueſtigandum adulterium, quod teſtibus comprobari non valebat, ex Dei præcepto dabatur potus aquarũ amariſsimarũ mulieri ſuſpectæ de adulterio: & Deus miraculoſè, ſi mulier adulteriũ cõmiſerat, faciebat intumeſcere ventrẽ, & cõputreſcere femur: ſin autẽ innocens fuiſſet, illa ſa aſſumpto potu permanebat, vt latiùs habetur D Num. 5. ergo in lege gratiæ, per cõſimiles *Num. 5.* probationes aquæ feruẽtis, aut ferri candẽtis, & ſimilia, licitè expectabitur à Deo manifeſtatio innocẽtiæ, aut reatus erga aliquod crimẽ, quod alia via manifeſtari nõ poteſt. Secũdò. Prædictæ probationes frequentibus ſunt illuſtratę miraculis (aliqua inferius enarrabimus) ergo licitæ ſunt; non enim Deus frequentat operationes miraculoſas, quarum expectatio illicita eſt. Tertiò. Multæ ſunt editæ leges approbantes haſce purgationes, apud Longobardos lib. 1. tit. 11. de parricidis apud Francos, lib. 4. cap. 56.

apud

Meier. apud Flandros, vt refert Meier. in Chronicis Flandriæ; & multæ apud populos Septentrionales: multus denique earum probationum vsus, vt videre licet in omnium nationum annalibus: ergo eas vt illicitas condemnare, perinde est ac si damnaremus ferè omnium populorum consuetudines. Quartò. Finis illarum probationum est, vt innocentia pandatur, vt crimina perniciosa Reipublicis, quando aliàs detegi non possunt, puniantur: ergo vsus earum sanctus est, & ad promouendum bonum publicum accõmodatus. *Sprenger.* Quinto. Sprengerus, parte secunda malleiquæst. 2. allegans Scotum ait, licere absque mortali, ad tollendum maleficium vti remedijs vanis, & superstitiosis: dummodo sine alio maleficio fiant, & desit omne pactum cum dæmone etiam implicitum, quia hoc est destruere opera diaboli: ergo id ipsum in his probationibus sentiendũ est. Confirmatur: nã idem Sprengerus probat, saltẽ non improbat vsum quorundam, qui liquefacto plumbo in sculptela immittũ, agnoscunt an morbus sit à maleficio, vel à causa naturali. ergo idem dicere de manifestatione alicuius criminis, vel innocentiæ, per aquæ vel ignis probationes, non est omninò condemnãdum. Sextò. Licitum est à Deo solo expectare, & quærere miraculosas operationes, proficuas, aut necessarias, quando alias haberi non possunt: ergo licitum erit, per probationes præfatas à solo Deo expectare, & quærere manifestationem veritatis, quando probationes humanæ desunt. Antecedens, & consequentia probatur: quia quod à solo Deo præstari potest, licitè expectatur, & postulatur à Deo solo: aliàs non liceret Deum exorare pro sanitate irrecuperabili secundum naturæ vires; ac denique neque vllum effectum miraculosum. Quod illatum falsum declarant, tot miracula à Sanctis postulata, & obtenta. Confirmatur: nam per sortes consultorias, licitum est vrgente necessitate, quando effectus necessarius aliter haberi non potest, à Deo consilium exquirere: vt supra circa articulũ octauum quæstionis 95. docuimus. Ergo etiam per enarratas in argumento probationes, licitum erit à Deo manifestationem veritatis exquirere, quando per media humana sciri veritas non potest: si quidem vsus earum probationum, genus quoddam sortitionis *D. Thom.* est, vt docuit D. Thom. supra, quæst. 95. art. vltimo ad tertium. Septimò. Quãuis duella illicita sint iure naturæ, tamen vt quis euadat mortem, aut mutilationem sibi per iniuriam infligendam, licitus est eorum vsus: quia scilicet certam mortem affuturam commutant in incertam, vt latius diximus superius circa articulum octauum quæstionis 95. Ergo quando vrget tyrãnus Princeps, aut iudex iniquus subire præfatas probationes, aliàs minitans mortem, aut mutilationẽ, sicut legitur iussisse Philippus Comes Flandrensis circa annum Domini 1164. vt narrat Meierus in Chronicis Flandriæ editis his legibus: si quis vulnus in nocte acceptum alij imputauerit, si Scabinis dignum videtur, ferro candente se excusabit accusatus. Si aufugerit, manum perdet, &c. Et Ioannes Trithemius in Chronicis, cap. 22. narrat de quodam Conrado Manspurgio Inquisitore Apostolico, quod si accusati de hæresi negabant, iudicio ferri cãdentis experiebatur: & si comburebantur, eos committebat rogo: ergo in eo casu, & similibus, poterat saltem qui innocentem se agnoscebat, committendo se diuinæ misericordiæ subire prædictas probationes.

Meierus. *Trithem.*

In oppositum pro parte negatiua faciũt multa iura, eas probationes prohibentia. Cap. Mennam. secunda quæst. 5. *Gregor.* Gregorius sic ait: *Vulgarem denique, ac nulla canonica sanctione fulcitam legem, feruentis scilicet aquæ, siue frigidæ, ignitiq; ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inuentionis (quia fabricante hæc sunt omninò facta inuidia) nec ipsum exhibere, neque aliquo modo te volumus postulare: imò Apostolica autoritate prohibemus firmissimè.* Et Stephanus V. relatus *Stephanus.* 2. quæst. 5. cap. *consuluisti*, scribens ad Archiepiscopum Maguntinum, sic ait: *Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione, confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent Canones. Et quod documento sanctorum Patrum, sancitum non est: superstitiosa adinuentione non est præsumendum, spontanea enim cõfessione, vel testium approbatione publica delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro iudicare. Occulta verò, & incognita sunt illi relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominũ.* Quibus verbis subdit Gratianus, non hæc duo tantùm purgationis genera, quæ hic nominantur, sed & quælibet similia inhibita videri: eo quod in quibuscunque talibus, ratio quam Pontifex addit, procedere intelligatur. Quod apertè dicitur in vltimis verbis Gregorij citatis in cap. *Mennam*: & Ho- *Honor. 3.* norius III. (refertur extra de purgatione vulgari cap. *dilecti filij.*) expressè testatur,

ferri candentis iudicium pœnitus esse interdictum, in quo Deus tentari videtur. Et iubet Templarios, qui Liuonios hoc iudicium subire compellebant, per censuras Ecclesiasticas cogi eo abstinere. Et Lucius tertius, cap. *ex tuarum*. de purgatione canonica, aquæ frigidæ purgationem vocat peregrinum iudicium, ideſt alienum ab Ecclesiæ vsu, & declarat inualidum. *Lucius 3.*

Hæ probationes ferri igniti, aquæ feruentis, vel frigidæ temporibus legis gratiæ introductæ sunt, occasione sumpta, & imitatione (vt reor) ex concessione diuina apud Iudæos de probatione adulterij, mediante potu aquarum amaricantium, & maledictarum, vt habetur Nume. 5. de quibus probationibus multa scripsêre autores sacri ac profani. Multa etiam in Iure Canonico, vbi appellantur probationes vulgares, ad differentiam Canonicarum purgationum. Has enim Ius Canonicũ approbat, & præscribit in titulo de purgatione canonica: illas verò damnat, titulo de purgatione vulgari, appellans eas vulgares, quia vulgi obseruatione fuêre introductæ: aut verò quia nobiles eas subire non cogebantur, vt habetur in Concilio Triburiensi, & refertur cap. *nobilis*. de purgatione canonica. Rursus: istæ vulgares probationes, quædam fiebant iubente, aut compellente publica potestate; quædam verò se sponte offerentibus, qui se purgare ab aliquo crimine cupiebant; aut aliquam veritatem mediantibus ijs probationibus manifestari intendebant. Præterea: quædam fiebant per ignem, vel ignita, putà per ingressum in pyram accensam, per calcationem prunarum, aut gestationem in sinu, aut manibus, per apprehensionem ferri candentis, aut laterũ, aut chirotecarum ferrearum ignitarum. Quod si probandus abibat illæsus: innocentia eius, aut victoria probabatur. Aliæ verò fiebant per aquam feruentem; à qua si quis exibat illæsus; innocens probabatur: aut per aquam frigidam, à qua si quis comburebatur nocens credebatur: quia naturalis aquæ frigiditas in ardorem quasi ignis miraculosè commutabatur. Alij aliter explicant probationem aquæ frigidæ, qua quis in aquam totus mergebatur: & si emergeret tertiò, vt innocentem absoluebant. Mitto modò quandam probationem aquæ frigidæ, quę dicitur modò esse in vsu apud quosdam iudices in Germania, ad inquirendum maleficos, vel maleficas. Quas enim fama, vel aliorum depositione suspectas habent; eas statim absque vlteriore inquisitione capiunt: captasq; extra vrbem deducunt, & in aquam frigidam ita conijciunt, vt dextra manus sinistro pedi, sinistra verò dextro pedi sit alligata: & si supernatant, veneficas, aut sagas vehementius suspicantur, sin submergantur, innocentes esse credunt. Ridicula probatio, & nullis suffulta vel apparentibus fundamentis: & ideò alijs impugnandam relinquo. De quo latè Martinus Delrio lib. 4. disquisitionum Magicarum, quæstione 5. sectione 1. *Delrius.*

Demum, vt melius percipiatur modus, quo istæ probationes fiebant, aliquos casus insigniores harum probationum referre nõ grauabor.

De probatione per ignem.

SAxo Danus lib. 14. historiæ Danorum scribit, in Russia fuisse matronam quandam per iniuriam à marito accusatam, quæ cùm ad purgandam infamiam manum admouisset candenti laminæ; subito ferrum quod erat exceptura, perinde atque innoxiæ manus contactum fugiens, neglecto pondere sublime se extulit: penduloque motu, gradientis fœminæ incessum comitans: cùm ante aram iactandum esset, inter religiosam adstantium admirationem, proprio impulsu humi decidit. *Saxo.*

Gregorius Turonensis, lib. de gloria Cõfessorum, cap. 14. narrat inter Catholicum Hispanum, & Arrianum Gotthũ, tempore Leouigildi Regis, ortam fuisse contentionem de veritate Christianæ fidei. Et Catholicus cùm nil rationibus proficeret, ait ad Arrianum: est in digito meo anulus aureus, ego eum in ignem iacio, tu cãdentem collige. Proiectumque inter prunas anulum, ita igniri permisit, vt eis similis cerneretur. Conuersusque ad hæreticum ait: si vera est prosecutio tua, sume eum ab igne. Illo autem recusante, ait: immensa Trinitas Deus, si quid indignum te credo, ostẽde, certè si recta est fides mea, nihil mihi prævalebunt hæc incendia sæua. Et ablatũ ab igne anulũ, diutissimè palma sustinuit, & nihil est nocitus. Aliud narrat idem Gregorius, lib. 2. Historiæ, cap. 1. & Sabellicus exemplorum lib. 10. cap. 2. Fulgosus, Marullus, & alij de beato Briccio, diui Martini in Episcopatu successore. Hunc enim populus insimulabat strupi cum muliere religiosæ professionis, quæ linteamina Episcopi *Gregor. Turonens. Sabellicus. Fulgosus. Marullus.*

copi lauare ſolita, ex aliquo improbo pe- A
pererat. Briccius iuſsit ipſum infantem, non dum menſtruum in medium afferri, & coram populo interrogauit, num ipſe pater eius foret? Reſpondit infans, eum non eſſe, ſed alium, quem non nominauit. Fiebat id virtute diuina: ſed plebs dæmonis operæ adſcribebat. Prunis itaque candentibus birrhũ implet Briccius, & tota defert vrbe illæſus. Sic ſe à libidinis carnalis flagitio alienum profeſſus, ſicut flaminis veſtimentum intactum: nec tamen furentibus perſuaſit, ſed ab Epiſcopatu fuit deturbatus. Tantùm debacchatur vulgus effrenè.

De alijs pyram ingreſsis ad manifeſtationem alicuius veritatis, & ipſorum egreſſu ſine læſione, multa leguntur. De quodam Petro Maſilienſi Epiſcopo, ad purgandum ſuſpicionem de hæreſi, lege Paulũ Aemilium, lib. 4. hiſtoriæ Frãcorum. De quodam Popone, ob confeſsionem veræ fidei, lege Crantzium, lib. 3. metro p. c. 43. & Saxonẽ in Hiſtoria Danorum, lib. 10. & de quodam Abbate, ad comprobandam cuiuſdam Epiſcopi ſimoniam, vide Fulgoſum, lib. 8. cap. 1.

Ægilius.

Crantzius.

Saxo.

Fulgoſus.

Nec hæc probatio per ignem tantùm exercita eſt circa corpora humana, ſed etiã circa alias res. Zonaras tomo 3. & Cedrenus referunt, in comprobationem veræ fidei, librum Euangeliorũ in rogum miſſum, illæſum perſtitiſſe. Et in vita diui Dominici fundatoris Ordinis Prædicatorum dicitur, quod ipſo exiſtente in partibus Tholoſanis, ſemel apud Fanum Iouis ſolemnis diſputatio inter Catholicos, & Hæreticos habita eſt. Et tandem vtrique in hoc conuenerunt, vt vtriuſque partis libelli, quos de ſuis dogmatibus conſcripſerant, in ignem proijcerentur: & quòd in illo qui maneret illæſus, vera contineri fidei aſſertio crederetur ab omnibus. Singulis aduerſariorũ libellis ad primam proiectionem combuſtis: ſolus Beati Dominici codex pro parte Catholica præſentatus, ſecundò, & tertiò igni iniectus, ſtatim ſemper illæſus, & integer reſiliuit.

Zonaras.

C

D

Aliam probationem per ignem factam circa Codices ſacros, referunt Hiſpanicarũ rerum ſcriptores, contentione vrgente, an Miſſa Mozarabum, quæ dicitur fuiſſe cõpoſita à ſancto Iſidoro, antiquanda eſſet, an retinenda. Sic narrat Ioannes Mariana, lib. 9. cap. 8. de rebus Hiſpanicis: *Communi conſenſu* (inquit) *de Gotthica precum ratione antiquanda actum: tentatum id quidem aliquo-*

Mariana.

ties erat: nec tamen ſucceſsit. Et poſt aliqua, ait: *viſum eſt controuerſiam ignis iudicio permittere (ſic eius ſeculi mores erant rudes, & agreſtes, nec ſatis expenſi ad Chriſtianæ pietatis regulam) rogo in platea accenſo, liber vterque Romanus, & Gotthicus in ignem proiecti: & Romanus quidem continuò in ignem iniectus, proſilijt. Id populus victoriam interpretabatur: nam liber alter ſub flammis, & igne diu permanens, illæſus inuentus eſt, Rege arbitro. Nihilominus populo perſuaſum, vtrãque precandi rationem ſuperis placere, quando vterque liber ex incendio euaſiſſet incolumis.* Vide fuſius tractantem Villegam in diſputatione de hac re, poſt Hiſpanorum ſanctorum vitas.

Villegas.

B

De probatione per aquam feruentem.

GRegorius Turonenſis, lib. 1. de gloria Martyrum, cap. 81. ait: *Cum Diaconus Catholicus cum Presbytero Arriano diſputaret: & ad fidei veritatem comprobandam, ait Catholicus: ſuccendatur igni æneũ, & in feruenti aqua anulus alicuius proijciatur: qui verò eum ſuſtulerit ex vnda feruenti; ille iuſtitiam conſequi comprobetur. Conditionem hæreticus accipit. Interea Diaconus diffidentia quadam tentatus, vnguentis quibuſdam brachium manumq; illiuit: hæreticus recuſat periculum ſubire. Cum Catholicus brachium educeret vnguentis delibutum exclamat, aduerſarium magicis præſidijs confidere, non fidei. Oritur altercatio. His ita litigantibus, ſuperuenit Diaconus alius ex vrbe Rauenna Hyacinthus nomine. Sciſcitanſque quæ eſſet hæc altercatio; vt veritatem cognouit, nec moratus extracto è veſtimentis brachio, in æneum dexteram mergit. Anulus autem qui eiectus fuerat, erat valde lenis, ac paruulus, nec minus ferebatur ab vnda, quam vẽto ferri poſſet vel palea. Quem diu multumq; quæſitum, infra vnius horæ ſpatium reperit. Accendebatur interea vehementer focus ille ſub dolio, quo validius feruens, non facile poſſet aſſequi anulus â manu quærentis. Extractuſque tandem, & nihil Diaconus ſentit in carne ſua: ſed potius proteſtatur in imo eſſe frigidum æneum, in ſummitate verò teporem caloris modici continentem. Quod cernens hæreticus, valde confuſus iniecit manum audax in æneum dicens: præſtabit mihi hæc fides mea. Iniecta manu, protinus vſque ad oſſium internodia, omnis caro liquefacta deflu-*

Turonenſis.

xit,& ſic altercatio finem accepit. Hæc Gre A gorius.

De his,& ſimilibus probationibus multi admirandi effectus poterant enarrari,ſed hi relati ſufficiant.

His præmiſsis proveritatis explanatione dico primò. Commemoratæ probationes, ſiue per ignem,ſiue per aquam,vel quæcunque ſimiles, ordinatæ ad exquirendam alicuius rei cognitionem miraculoſam,quando ea notitia quæ inquiritur, alia via & alijs humanis mediis ſciri poteſt,illicitæ ſunt,& ad crimem tentationis diuinæ pertinent. Hæc aſſertio indubitata eſt apud omnes mediocriter inſtitutos. Sed probatur, quia expectare à Deo effectum miraculoſum ſi ne vrgenti neceſsitate,aut vtilitate;tētationis diuinæ peccatū eſt, vt patet ex ſuperius dictis. Sed in caſu huius aſſertionis à Deo ſperatur effectus miraculoſus, putà quod ignis non cōburat,aut aqua feruens, vel quid ſimile;& nulla vrgente neceſsitate, ſiquidē (vt ſupponit) alia adſunt humana media, quibus inueſtigari poteſt agnitio, quæ deſideratur:ergo,&c. B

Secundo dico. Etiam ſi aliqua res ita occulta ſit, vt nullis mediis humanis ſciri valeat,& licèt eius cognitio ſit valde vtilis Rei publicæ aut cuiuis priuato innocenti:velle aut intentare eius rei notitiā per probationes ignis, aut aquæ feruentis, vel per alias ſimiles;illicitū eſt multis titulis. Hæc aſſertio probatur ex Canonibus citatis pro parte negatiua. Vbi Pontifices Sūmi,multis probroſis titulis præfatas probationes improbant,appellantes populare inuentionem,& inutilem, peregrinum iudicium, ideſt alienum ab Eccleſiæ moribus, fabricationem inuidiæ, ſuperſtitioſam adinuentionem,iudicium nulli ſanctioni diuinæ,aut Eccleſiaſticæ innixum: ac demum crimen diuinæ tentationis. De qua re videndus eſt diuus C

D.Thom. Thom. ſupra quæſt. 95. art. vltimo ad tertium. vbi ait has probationes eſſe vſurpatorias iudicij diuini,cui reſeruantur iudicanda occulta, & quæ vijs humanis inueſtigari non poſſunt. Et inde etiam colligitur hoc crimen ad diuinam tentationem ſpectare, quia nulla neceſsitas vrgere poteſt ad ſciendum, quæ Deus cognoſcenda ſibi ſoli deputauit. D

Tertiò dico. Purgationes per iusiurandum,vel perſonæ purgandæ,vel aliarū eius nomine,licitæ & ſanctæ ſunt, vocanturque canonicæ purgationes: quia conſentaneæ ſunt, & approbatæ regulis Canonici iuris; imò & interdum poſtulatæ, vt videre licet 2.quæſt.4. & extra de purgatione Canonica,per multa capita.

An verò ſint aliæ purgationes Canonicæ, meritò dubitatur, propter purgationem,quæ aliquando in Germania conſueuit fieri per ſacratiſsimæ Euchariſtiæ ſumptionem : & propter prouocationem ad Dei iudicium, quam ſæpe legimus factam ab his, qui ſe iniuſtè grauari aſſeuerarunt. De qua re

Dico quartò. Probatio per Sacramenti Euchariſtici ſumptionem,ſiue ſponte offeratur, ſiue à iudice aliàs legitimo imponatur, illicita eſt. Hæc aſſertio eſt contra Martinum Delrio, li.4. diſquiſitionū Magicarum cap.4.quæſt.3. ſed probatur. Exigere miraculum à Deo nulla vrgente neceſsitate,peccatum eſt tentationis diuinæ: ſed qui vult probare veritatem aliquam, aut negotium ſcire per probationem præfatam; ſine neceſsitate illud expectat:ſiue res aliàs ſciri non poſsit,ſiue ſciri,vt in ſimili probaui circa ſecūdū aſſertū:ergo,&c. Dicet fortaſſe præfatus autor,non iniungi dictā probationem, vt Deus criminis reū viſibiliter, & miraculoſe puniat; ſed vt inuitatus ad ſacram buccellam,expaueſcat ſi reus eſt,& ſic victas dedat manus : quod ſi non eſt reus, libenter ſumat ad ſui purgationem. *Delrius.*

Contra hoc arguitur primò:quia vti medio per ſe non ordinato, vel non proportionato ad aliquid inueſtigandum, illicitum eſt, vt patet inductiuè,& Caietanus latius dedu *Caieta.* xit in Monomachia: ſed ſumptio Euchariſtiæ non eſt medium per ſe ordinatū, neq; ex inſtitutione Chriſti Domini ad probationem criminū,aut purgationē in foro exteriori,corā iudice de crimine aliquo interrogante:ergo illicita eſt talis probatio. Minor probatur: quia licèt hoc Sacramentum inſtitutum fuerit ad vitam ſpiritualem cōferendam dignè ſumentibus, & ſit in exitium indigne ſumentibus, & debeat ſe homo probare antequam venerabile Sacramentum manducet : non tamen inſtitutum eſt in explorationem criminum puniendorum in foro iudiciali exteriori, neq; talis inſtitutio legitur in Euangelio,aut ſanctis Patribus. Secundo:qui crimina aliàs occulta vult hac probatione propallare, & vſurpat iudicium Dei ſibi illa reſeruantis agnoſcenda, & iudicanda; & iniuriam irrogat Chriſto Domino, dum vtitur medio ad id non ordinato. Confirmatur. Vel crimen, de quo iudex ſcire deſiderat

derat per probationem prædictam, est ita occultum, vt etiam adhibitis diligentijs humanis nequit sciri eius patrator: & sic velle scire per probationem Eucharistiæ, non minus pertinere videtur ad tentationem Dei, quàm probatio per aquam frigidam in consimili casu: aut verò potest sciri per humanas diligẽtias: & sic clarius spectat ad tentationem Dei hac probatione vti, quia neglectis medijs humanis, à Deo solo expectat effectum.

Tertio. Præfata probatio est inutilis, laqueos, & scandalum parans ijs qui eam iubentur subire: ergo non est licita. Probantur singulæ antecedentis partes: & prior de inutilitate sic. Demus furtum patratũ esse; quis autem fuerit fur ignoratur, & à iudice desideratur sciri: ac ob id iubet aliquem, vel aliquos suspectos de illo crimine, Eucharistiam sumere: iste enim est casus, in quo præfatus censet eam probationem esse licitam. Tunc sic argumentor: vel illud crimen est occultum, sic adeò vt non possit probari, adhibita diligentia, quæ solet à iudicibus apponi: vel potest probari. Si detur primum; qui reus est, etiam interrogatus non tenetur se prodere: ergo si pœniteat criminis admissi, & præmittat confessionem; secura conscientia poterit venerabilem Eucharistiam sumere, & deludere vt inutilem prædictam probationem. Si dicas probari posse; imò & peccare, non confitẽdo crimen: si audacter sumat, nihil emolumenti habebitur ex ea probatione intẽtata. Dices: Deus puniet visibiliter audacem sumptionem. Imò Deus multo maiora crimina solet in aliud sæculum punienda relinquere. Non enim de hac re vlla extat promissio, aut comminatio diuina. Posterior pars de scandalo, & offendiculo quod præstatur reis, qui hac probatione se purgare iubentur, probatur: etenim considerantes ex vna parte, si probationem recusent se prodere, & offerre vt criminis reos puniẽdos; & ex alia parte, si sumant etiam indignè, euasuros pœnam in hoc seculo: audacter plerique reorum sacrum Eucharistiæ Sacramentum sument; ac proinde, vrgens & vehemens occasio peccandi per hanc probationem probandis offertur.

Quintò dico. Probatio præfata per Sacramenti Eucharistici sumptionem, vt exploretur à Deo per ostensionem miraculosam aut extraordinariam, crimen aliquod patratum, aut innocẽtia circa idem: eisdem & pluribus malitijs scatet, quibus aliæ probationes per ignem, aut aquam feruentem: inuoluiturque non minus quàm illæ, tentationis diuinæ crimine. Probatur ex nuper dictis, & ex D. Thom. in 3. parte loco inferius citando, qui intelligendus est in casu huius dicti. *D. Thom.*

Dico sextò. Probatio per sumptionem Eucharistiæ, si non fiat vt Deus manifestet sumentis crimen, aut innocentiam, vt in casu præcedentis asserti; sed vt horrens indignè sumere, veritatem fateatur: licet sit illicita multis titulis, de quibus dixi, insuper & sacrilega, quia abusus est venerabilis Sacramenti Eucharistici; non tamen est diuina tentatio. Probatur: quia per illam, neque virtualiter à Deo aliquid exigitur, aut exploratur; sed dumtaxat ab homine: ergo potius hominis tentatio dicetur, quàm Dei. Etenim circa proximè præcedentem disputationem docuimus, non inueniri peccatum tentationis diuinæ: nisi aliquid Dei exploretur per illud. Quod si obijcias D. Thom. inferius referẽdum, qui asserit, eam probationem esse Dei tentationem: intelligendus est in casu quinti asserti, vbi perfectiùs reperitur malitia huius probationis.

Pro opposita sententia instar præfatus autor: nos eius instantias augebimus. Et primò ex Concilio Vvormacien se: & refertur 2. quæst. 5. alias 4. cap. *Sæpe contingit*, vbi sic habetur: *Sæpe contingit, vt in monasterijs Monachorum furta perpetrentur: idcircò statuimus, vt quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo ex præsentibus fratribus: & sic expleta Missa, omnes communicentur in hæc verba: Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem.* Item cap. *Si Episcopo*. ibidem: *si Episcopo, aut presbytero aliquod maleficium imputatum sit; pro singulis Missam celebrare debet, & communicare: & de singulis imputatis se innocentem ostendere. Quod si nõ fecerit; quinquennio à liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur.* Respondetur: hi Canones, à Concilio Vvormacien si, quod fuit Prouinciale editi sunt: vnde non mirũ si errauerit. Benè Glossa, esse per alios Canones summorum Pontificum reuocatos. Et D. Thomas 3. parte. quæst. 80. art. 6. ad 3. sic ait: *Ad tertium dicendum, quòd decreta illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa: ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione cõfessionem extorqueri à quolibet, sacri Canones non concedunt, &c. Sicut supra* *Concilium Vvormac.* *Glossa.* *D. Thom.*

supra citauimus. Et idem habetur extra de purgationibus, cap. ex tuarum. In omnibus enim talibus, esse videtur Dei tentatio: vnde sine peccato fieri non possunt. Et grauius videretur, si in hoc Sacramento (Eucharistiæ) *quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis, vnde nullo modo Corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem.* Hæc D. Thomas. Vbi grauius peccare dicit, qui vtuntur hac probatione Eucharistica, quàm qui per aquam & ignem.

Secundum argumentum pro eadem sententia, ex vsu quorundam Romanorum Pontificum, qui hanc probationem postularunt. Sigisbertus in Chronicis, circa annum Domini 870. narrat Adrianum Summum Pontificem eam probationem exegisse à Lothario Rege. Et de Gregorio VII. narrat Lambertus Schaff Naburgensis, circa annum Domini 1077. eandē exegisse ab Henrico Imperatore. Respondetur, hos Pontifices non diffiniuisse, aut doctrinaliter tradidisse eam probationem asse licitam; sed si veræ sunt præfatæ historiæ, eam tantùm exegisse, motos priuatis effectibus; laudamus zelum, sed nō factum. Quibus opponimus Pontifices citatos, qui improbantes probationes ignis candentis, & aquæ feruentis; etiam hanc Eucharisticam, & similes improbarunt.

Sigisbertus *Lambertus*

Tertium argumentum. Nam sic opinantes, consentimus hæreticis hanc probationem reijcientibus. Respondetur: nos veritatem approbamus à quocunque dicatur. Num sanctæ Trinitatis confessionem abijciemus, quia hæretici Lutherani eam tenent? Absit. Quare licèt reijciant hanc probationē Lutherani, quia digna reiectu est: & nos explodimus, non vt ipsi, quibus fortè displicet propter errores circa veritatem Eucharistiæ: nobis verò orthodoxis valde placet; sed propter rationes superius factas.

Quartum argumentum. Purgatio per iusiurandum licita, & Canonica est, quamuis aliqui ea vtentes audacter peierent: ergo & Eucharistica probatio licita erit: neq; ab eius vsu abstinendum propter malitiam ea abutētium. Respondetur negando consequentiam: quia iuramentum iure naturæ aut quasi iure naturæ, medium est ordinatum ad veritates indagandas, & extorquendas: sacrum autem Eucharistiæ Sacramentum ad hoc institutum non est.

Ad argumenta posita in principio huius disputationis respondetur. Ad primum de probatione mulieris adulteræ respondet Alexander Alensis. 3. parte, quæst. 45. membro 3. §. 1. illam legem fuisse tantum permissiuam, sicut lex de libello repudij. Secundò respondetur, & melius, cum D. Thom. 1. 2. quæst. 105. art. 4. illud præceptum inter iudicialia esse computandum, ac proinde, cum tunc constaret de diuina voluntate, cui placebat de illo crimine per miraculum inuestigari, licita erat, & expediens bono cōmuni illius populi talis purgatio: eo quod timoribus inculsis pœnarū, gens illa potissimè gubernabatur, vt colligitur ex multitudine præceptorum sibi impositorum. Et fortè viri Iudæi spiritu zelotypiæ laborabant; & mulieres carnalis commixtionis auiditate: quod agnoscens Dominus prefatum præceptum imposuit. At verò cum illud præceptum modo cessauerit, & de tali modo purgationis non habeamus nouum præceptum diuinum, neque de alijs relatis purgationibus: ordinario modo res est peragenda; alioquin incurretur crimen diuinæ tentationis. Nec oportuit similia præcepta imponi in lege gratiæ, in qua potius ducimur amore, quàm timore pœnarum. Ad secundum respondetur, non esse impossibile, imò sæpe contigisse, Deum effectus miraculosos fecisse, licèt media ab hominibus apposita fuerint illi ita; vt patet in victoria Gedeonis mediante illicita petitione signorum: in portatione nauis à virgine idolatra Vestali, quā fuisse factam à Deo asserit D. Thomas in quæstionibus de potentia, quæst. 6. art. 5. ad quintum. Itaque aliquando eas probationes fuisse miraculis plenas fatemur, propter fines diuinæ prouidentiæ: sæpe autem defecisse non dubito. Sed cùm defectus miraculosus non extiterit, de eo narrando non fuerunt soliciti Historiographi. Præcipuè quia pauci, secluſa diuina reuelatione aut instigatione, illis probationibus se cōmitterent, timentes vstionē ignis aut aquæ feruentis; cùm si saperent, deberent scire, Deum neutiquam promisisse, innocentes, ab illis probationibus illæsos euasuros. Secundò respondetur, pleraſque istarum probationum, quæ fœliciter successerunt, ex Dei præcepto, reuelatione, aut instigatione fuisse assumptas. Quod colligimus, quia si benè animaduertatur, fere omnes in fauorem fidei vrgente magna necessitate, aut in defensionem alicuius rei ad bonum commune promouendum, exercitæ fuêre. Nostræ

Alex. Al. *D. Thom.* *D. Thom.*

stræ verò assertiones intelligendæ sunt seclusis Dei præceptis, reuelationibus, aut instigationibus: sine quibus viri sancti non auderent se eis committere, ne crimen temeritatis, aut tentationis diuinæ incurrerent.

Ad tertium respondetur, mores, leges, aut consuetudines, antiquitus nimis agrestes, & duras præ inopia doctrinæ extetisse, vt patet in legibus, & vsu duellorum. Modò verò: imo & multis retro temporibus, vt patet ex Canonibus citatis, merito, & vrgentibus rationibus, Summi Pontifices, & Doctores Ecclesiæ has probationes, earum vsum, ac leges approbantes, dānarunt.

Ad quartum respondetur. Finis & intentio bona, aliquando excusant à peccato actum, qui aliàs peccatum est; nimirum interueniente ignorantia inuincibili. Non tamen faciunt actum de se non esse peccatum. Fines & intentiones bonæ, per media licita debent executioni mandari. Quod si sint illicita, vt de his probationibus ostendimus; etiam ipsi fines, quodammodo ex illicitis medijs inquinantur: sicut sanitatem intendere per fornicationem, aut maleficium peccatum est.

Ad quintum respondetur; nos superius improbasse, & modò improbamus opinionem illam, siue Sprengeri, siue cuiusuis alterius fuerit: & putamus temerariam vt minimum. Sic patet ad confirmationem.

Idem respondeo ad sextū: concedo esse licitum petere à Deo miraculosas operationes, id exigente necessitate, aut vtilitate, quando effectus necessarius est, & à solo Deo effici potest: at petere, aut exquirere per probationes prædictas, semper est illicitum citra Dei instigationem, tùm quia nunquam vrget talis necessitas, nimirum manifestandi vel delicta occulta, vel innocentiam; quin potius necessarium est hæc non inuestigare, ne vsurpemus diuinum iudicium, ad quem expectat de occultis iudicare: tùm quia admissa ea necessitate, aut magna vtilitate; probationes præfatæ non sunt media proportionata ad eam manifestationem, vt pote quæ non sunt à Deo vel Christo Domino ad id muneris institutæ, neque vlla de hac re extat promissio diuina. Ac proinde earum vsus ad tentationem Dei spectat; & ob id nullo modo admittendus. Quare ad argumentum concesso antecedenti, negatur consequentia. Ad confirmationem respondetur, has probationes nō pertinere ad sortes consultorias, sed ad diuinatorias: nam consultoriæ quærunt quid agendum, aut quid iudicandum sit in futuro: diuinatoriæ, quid euenturum sit, vel quid factum latens. In his verò probationibus non quæritur de futuro, neque de eo quid faciendum; sed tantùm de præterito, siue de culpa, & commisso non aperto. Igitur ad sortes diuinatorias, quas esse prohibitas diximus, pertinent hæ probationes. Secundò respondetur, & melius, has pertinere ad sortes consultorias: nam licet finis immediatus sit scire occulta præsentia, aut præterita; tamen finis magis intentus, est ex veritate agnita venari quid agendum, quidve omittendum sit. Et isto admisso antecedenti, negatur esse licitas has sortes: quia semper deest necessitas sic sortiendi, sicut circa solutionem sexti explicabamus. Ac denique quia semper hæ probationes, adferunt secum Dei tentationis crimen, & temerariam de Deo præsumptionem, quæ ad nihilum proficua est, nisi vt de Dei virtute experimentum sumatur, cùm expectetur ab eo miraculosus effectus non promissus, & per media non proportionata.

Ad septimum respondetur, concedendo totum quod in argumento intenditur. Verùm enim verò, in eo casu ex parte subituri probationes eas, non assumuntur vt media ad manifestationem alicuius veritatis: (si enim hac intentione vsurparentur, illicitæ essent) sed assumuntur vt media defensiua vitæ, aut truncationis membrorum. Itaque probationes illæ aliàs illicitæ, resoluuntur in iustam defensionem; sicut de duello in simili casu docuimus, quæst. 95. art. vltimo. Neque obstat, tyrannum ad eas compellere ad manifestationem culpæ, aut innocentiæ: quia compulsus retorquet licitè in alium finem licitum, putà iustam defensionem. Quin imò addo, etiam si compulsus sit reus illius criminis aliàs occultissimi, & per iniuriam interrogetur de illo: si compellitur eas probationes subire; licitè id valebit efficere titulo iustæ defensionis, vt dictum est. Et cum hac limitatione sunt intelligendæ nostræ assertiones positæ supra de hac re, & iura Canonica prohibentia huiusmodi probationes.

DISP.

DISPVTATIO III.

Vtrùm illicitæ ſint, & ad tentationem Dei pertineant quædam citationes, ſeu prouocationes ad Dei tribunal, quæ ſæpe fieri ſolēt ab his qui ſe iniuriā paſſos conqueruntur?

EXplicatur diſputationis titulus. Contingit quandoque, aliquos, qui ſe iniuria affici ab alijs exiſtimant, videntes nullum auxilium ſibi ab hominibus ſupereſſe, ad Deū confugere, non quidem, vt ab illis malis eos eripiat, ſed vt ſumpta de perſecutoribus vltione; cunctis faciat manifeſtum, tali indignos iniuria fuiſſe: ſupplices manus ad cœlum leuant, citantes ſuos perſequutores, & prouocantes ad ſiſtendum in iudicio diuino.

Et videtur eſſe licitas huiuſcemodi prouocationes, & citationes, exemplo Sanctorum. Sara dixit Abrahæ, Geneſ. 16. *Iudicet Dominus inter me, & te.* Et Dauid ad Saulem, 1. Regum 24. *Iudicet Dominus inter me & te, & viciſcatur me Dominus ex te.* Denique innumeræ imprecationes contra ſuos perſequutores leguntur factæ in ſacra Pagina.

Geneſ. 16.

1. Reg. 24.

Confirmatur: quia ſæpe iſtæ citationes, mala imprecata attulerunt inferentibus iniuriam. Nota eſt apud Annales Hiſpanorum hiſtoria duorum fratrum nobiliū (qui Caruajales nuncupabantur) qui cum accuſarentur vt rei Maieſtatis Regiæ læſæ, ac conſtanter crimen negaſſent: iuſſit eos Ferdinandus III. Rex ab altiſſima turri, vel rupe præcipitari. Ipſi verò fruſtra pro ſalute rogantes, tandem ad diuinum tribunal prouocarunt, Regique denuntiarunt, vt ibi ſe ante triceſimum diem ſiſteret. At Rex poſtea ipſo triceſimo die ſubita morte correptus eſt. Ita Ritius, lib. 3. de Regibus Hiſpaniæ, Mariana in Annalibus, lib. 15. cap. 11. Et de quodam Ioanne Turſones ſic ſcribit Olaus, lib. 14. Hiſtoriæ Aquilon. cap. 20. quod quendam capite damnauerat, & is genibus flexis: En morior iniuſtè (inquit) teque voco in hac hora ante tribunal Dei; vix autem capite plexus fuerat, cùm iudex cecidit ex equo exanimis. Omitto

Ritius.

Mariana.

Olaus.

A citationem, quæ omnibus nota eſt, facta à quodam equite Templario aduerſum Clementem V. ac Philippum Pulchrum Francorum Regem, qui intra annum citati, infra illum dicuntur vitam finiuiſſe.

Pro deciſione præmittendum, prædictas citationes ad Dei iudiciū, quandoque abſolutè fieri nullo præfixo tempore ad comparendum coram Deo: interdum verò aliquo præfixo temporis ſpatio: verbi gratia, triginta dies, vel vnum annum.

Hoc ſuppoſito dico primò. Si eæ citationes fiant abſolutè, nullo præfixo tempore, ſano modo intellectæ, & propter bonum finem; ac nullis malis motiuis, putà odij, B inuidiæ, liuoris, & ſimilium, licitæ ſunt. Probatur: quia re vera iſtæ citationes ſunt quædā imprecationes aduerſus eos, qui iniuſtè nos perſequuntur: at has licitè fieri, ſi prænotatis circunſtantijs veſtiantur; ſuperius probaui, quæſt. 83. art. 8. & id ipſum modò oſtenditur ex argumento primo huius diſputationis: ergo, &c. Expendere tamen oportet, qui ſint iſti fines, qui licitè adiunguntur: & motiua quæ abeſſe debēt. Fines poterunt eſſe, vt innocentia oppreſſi appareat, ne infamia grauetur familia, aut vt mundus tali tyranno liberetur; vel vt reſipiſcat, ceſſetque ab oppreſsionibus iniuſtis, vel quid ſimile. Motiua arcenda, communiter ſunt odium, impatientia, vindictæ C cupiditas, ira, deſperatio, vanitas, & aliæ ſimiles vitioſæ affectiones. Rurſus, iſtiuſmodi citationes non ſunt vſurpandæ ab hominibus imperfectis, qui affectionibus præfatis ſolent abundare; inſuper & putare ſe iniuriam pati, quando res ex voto non ſuccedunt.

Dico ſecundò. Dictæ citationes, ſi fiant præfigendo tempus perſecutoribus, ad cōparendum coram Dei tribunali; meo iudicio illicitæ ſunt, & ad tentationem Dei expectant. Probatur, qui peteret miraculum D à Deo fieri intra certum tempus ſignatum ſine neceſsitate vel vtilitate; tentaret Deū: ſed huiuſmodi eſt talis citatio: ad quid enim neceſſarium eſt tale præfigere tempus, in quo oppreſſor moriatur, & ad Dei tribunal deportetur? ergo, &c. Secundò: qui Dei nomine intimaret, voluntatē eius eſſe vt quis moriatur intra certum tempus, (ſecluſa Dei reuelatione) temerarius, & iniurius eſſet Deo, & interpretatiuè tentaret Deum, faciendo ſcilicet aliquid ad nil aliud vtile, niſi ad experimentum ſumendum de Dei voluntate. Tales ſunt iſti citantes ſuos perſe-

perſecutores ad Dei iudicium, intra certũ præfixum tempus: ergo, &c. Tertiò probatur aſſertio ex verbis Iudith cap. 8. quæ Iſraëlitis, qui præfixerant tempus quinque dierum, quo tranſacto, ſi Deus non mitteret adiutorium contra Holofernem, polliciti ſunt ſe ciuitatem tradituros; exprobrauit dicens: *Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominum?* In quo? *quia poſuiſtis tempus miſerationum Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei.* En Iſraëlitæ ex hoc quod à Deo poſtularunt liberationem certè miraculoſam (non enim viribus ſuis tam ingenti exercitui reſiſtere poterant) & præfixerunt Deo quinque dierum terminum ad miſerendum, & auxilium mit- A tendum; dicuntur peccaſſe peccato tentationis diuinæ: ergo id ipſum dicendum erit de citantibus ſuos oppreſſores ad Dei tribunal. Petunt enim à Deo effectum, præfigendo tempus, vt homo quaſi miraculoſe moriatur intra illud, & Dei iudicio ſiſtatur, rationem redditurus de oppreſsione iniuſta. Ex dictis patet ad primum argumentum: probat enim primum aſſertum noſtrum. Ad confirmationem iam reſpondimus in præcedenti diſputatione. Ad ſecundum, ſæpe Deum miracula egiſſe motum oratione, aut alijs quæ peccata erant: vel potius motus à ſua iuſtitia, volente vindicare crimina opprimentium miſeros.

Iudith. 8.

QVAESTIO XCVIII.

DE PERIVRIO.

NOTATIO.

QVæſtionem de Iuramento, in primo tomo conſultò, & iuſtis de cauſis omiſſam, decreueram hoc in loco diſcutere, non habita ratione literæ Diui Thomæ: ſed diſputationum cumulo, de iuramento, & eius oppoſito periurio, diſſerere. Poſtea verò animaduertens quantum emolumenti fuerit diſcipulis, & lectoribus, literam, & ordinem pene diuinum Angelici Doctoris ſequi; mutato conſilio, quæſtionem 89. omiſſam, & eius articulos commentari volo: quo perfecto, quæſtio hæc de periurio facilius & vtilius expedietur, dum oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcent.

QVÆSTIO LXXXIX.

DE IVRAMENTO.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm iurare ſit Deum teſtem inuocare?

Inſ. ar. 4. cor. & q. 98. art. 2. cor. & 3. di. 39. art. 1.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd iurare nõ ſit teſtem Deum inuocare. Quicunque enim inducit autoritatem ſacræ Scripturæ, inducit Deum in teſtimonium, cùius verba proponuntur in ſacra Scriptura: Si ergo iurare eſt teſtem Deum inuocare, quicunque inducit autoritatem ſacræ Scripturæ, iuraret: hoc autem eſt falſum: ergo & primum.

2 ¶ Præterea. Ex hoc quod aliquis inducit aliquem in teſtem, nihil ei reddit. Sed ille qui per Deum iurat, aliquid Deo reddit. Dicitur enim Matth. 5. Reddes Domino iuramenta tua. Et Auguſt. dicit quòd iurare, eſt ius veritatis Deo reddere: ergo iurare non eſt Deum teſtem inuocare.

Inſer. 23. de verbis Apoſto. parum ante med. to. 10.

3 ¶ Præterea. Aliud eſt officium iudicis, & aliud teſtis: vt ex ſupra dictis patet. Sed quandoq; iurando implorat homo diuinum iudicium, ſecundùm illud Pſal. 7. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab animicis meis inanis: ergo iurare non eſt teſtem Deum inuocare.

q. 67. per tot. & q. 70. per tot.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Auguſtin. dicit in quodam ſermone de periurio, Quid eſt iurare per Deum, niſi teſtis eſt Deus?

Ser. 28. de ver. Apoſt. parum ante med. to. 10.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut Apoſtolus dicit ad Hebr. 6. Iuramentum ad confirmationem ordinatur. Confirmatio autem in ſcibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quę ſunt infallibiliter vera. Sed particularia facta cõtingẽtia hominum, non poſſunt per rationem neceſſariam cõfirmari. Et ideò

ea

ea quæ de his dicuntur ſolent cõfirmari per teſtes. Sed humanum teſtimonium non eſt ſufficiens ad huiuſmodi confirmandum propter duo. Primò quidẽ propter defectum veritatis humanæ, quia plurimi in mendacium labuntur, ſecundùm illud Pſalm. 16. Os eorum locutum eſt mendacium. Secundò, propter defectum cognitionis, quia homines non poſſunt cognoſcere, neque futura, neque cordium occulta, vel etiam abſentia: de quibus tamen homines loquuntur: & expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua de his habeatur. Et ideò neceſſarium fuit recurrere ad diuinum teſtimonium, quia Deus neque mentiri poteſt, neque eum aliquid latet. Aſſumere autem Deum in teſtem, dicitur iurare: quia quaſi pro iure introductũ eſt, vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, pro vero habeatur. Diuinum autẽ teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerendum præſentia, vel præterita: & hoc dicitur iuramentum aſſertorium. Quandoque autem inducitur diuinum teſtimonium ad confirmandum aliquid futurum: & hoc dicitur iuramentũ promiſſorium. Ad eaverò quæ ſunt neceſſaria, & per rationem inueſtiganda, non inducitur iuramentum. Deriſibile enim videretur, ſi quis in diſputatione alicuius ſcientiæ vellet propoſitum per iuramentum probare.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd aliud eſt teſtimonio Dei vti iam dato, quod fit cum aliquis autoritatem ſacræ Scripturæ inducit: & aliud eſt teſtimonium Dei implorare, vt exhibendum: quod fit in iuramento.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd dicitur aliquis reddere iuramenta Deo ex hoc, quòd impletillud quod iurat: vel quia in hoc ipſo quòd inuocat Deum in teſtem, recognoſcit eum habere omnium cognitionem, & infallibilem veritatem.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd alicuius teſtimonium inuocatur ad hoc, quòd teſtis inuocatus veritatem manifeſtet circa ea, quæ dicuntur. Deus autem manifeſtat, an verum ſit quod dicitur dupliciter. Vno modo, ſimpliciter reuelando veritatem, vel per internam inſpirationem, vel etiam per factidenudationem, dum ſcilicet producit in publicum ea, quæ erãt occulta. Alio modo, per pœnã mentientis: & tunc ſimul eſt iudex & teſtis: dum puniendo mẽdacem, manifeſtat mẽdacium. Et ideò duplex eſt modus iurandi. Vnus quidem per ſimplicem Dei conteſtationem: ſicut cum aliquis dicit: Eſt mihi Deus teſtis, vel corã Deo loquor, vel per Deum, quod idem eſt, vt

Lib. 1. de ſer. Dom. in monte, cap. 30. tom. 4.

dicit Auguſ. Alius modus iurãdi eſt per execrationẽ, dũ ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi ſit verum quod dicit.

Summa Articuli.

AD hanc difficultatem reſpondet D. Tho. per tres propoſitiones. Prima cõcluſio. Iurare eſt Deum in teſtem aſſumere. Probatur: iuratio eſt veritatis cõfirmatio in rebus moralibus, quę in particulari contingunt, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 6. *Omnis controuerſiæ finis, ad cõfirmationem, eſt iuramentum.* Sed huiuſmodi cõfirmatio certa eſſe nequit, niſi Deus in teſtem aduocetur: ergo iurare, eſt Deum in teſtem aſſumere. Cõſequentia, cũ minori eſt nota; & minor probatur: in ſcibilibus quæ in ratione poſita ſunt, cõfirmatio veritatis procedit ex ijs, quæ ſunt naturaliter nota, atq; adeò illic nec teſtibus, neq; iuramento opus eſt. In moralibus verò, quoniã contingentia ſunt, nõ poteſt res ratione ſtabiliri, ſed neceſſarij ſunt teſtes. Teſtimoniũ autẽ humanum duplici cauſa eſt fallax: tùm ex vitio voluntatis hominis, qui contra id quod mente ſentit, pronuntiare poteſt: tùm ex defectu intellectus, qui propter ignorantiã ſæpe fallitur in occultis, & abſentibus. Cùm ergo in his cauſis omnis homo ſit mendax; dictorũ veritas ſolius Dei teſtimonio ſufficienter cõfirmabitur. Secũda concluſio. Diuinũ teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerenda præſentia vel præterita, & hoc dicitur iuramentum aſſertorium: quandoque verò ad confirmandũ id quod in futuro promittitur, & hoc dicitur iuramẽtũ promiſſorium. Tertia concluſio. Ad ea quæ ſunt neceſſaria, & per rationem inueſtiganda, non inducitur iuramentum: etenim deriſibile eſſet, ſi quis in diſputatione ſcientiæ, ſi ratio non occurrat, iuramento confirmaret.

ad Hebr. 6.

Circa literam Diui Thomæ annotationes.

PRimò adnotare oportet, de iuramento aſſignatas eſſe ab autoribus, præcipuè Iuriſperitis, ferè innumeras diffinitiones, vt videre licebit apud Sylueſtrum, Angelum, & alios Sũmiſtas: & fuſius apud modernum Seluam in tractat. de iuram. 1. parte. Sed definitio D. Thom. deſumpta ex

Syluest. Angelus. Selua. D. Thom.

A Auguſt. ſerm. 28. de verbis Apoſtoli, cap. 6. dicente: *iurare eſt Deum in teſtem inuocare*, compẽdioſior eſt, vt pote includens omne cauſarum genus. Et præſtantia eius ex litera Doctoris Angelici perſpicuè colligitur, ſi ex eodem ſic definias: *Iuramentũ eſt inuocatio Dei in teſtem, ad confirmandũ id quod à iurante aſſeritur.* En cauſa finalis iuramenti eſt confirmatio veritatis: de quo latius circa articulũ quintum. Cauſa materialis, pro qua iuramentũ ſupponit, eſt inuocatio ſeu enũtiatio alicuius affirmationis, vel negationis. Cauſa formalis eſt inuocatio ſeu imploratio Dei in teſtem: Dei, inquam, veri vel exiſtimati, ſi velis comprehendere iuramenta B Paganorum per falſos Deos. Hinc colligit D. Tho. n. etymologiam vocabuli *iuramẽtum*, quod antiquum eſt, licèt apud Latinos priſcos non multum in vſu, ſicut eius ſinonomum iusiurandum. Iuramentũ ergo deducitur à iure, quia id quod diuino teſtimonio firmatur, quaſi iure ſuo pro vero habendum ſit, vel quia id quod in iuramẽto promittitur, ita firmum eſſe debeat, ac ſi iure eſſet ſtabilitum.

Secundò vt penetres naturam iuramẽti, & quæ ad illum requiruntur, recolere operæ pretium erit, diſcurſum prudentialem, quem adnotaui circa primum articulum de C voto, in primo tomo: nam ferè omnia ibi dicta, facile poterunt accommodari iuramenti naturæ, & eſſentiæ perueſtigãdę. Et modò breuiter aduerte, ad iuramentum requiri propoſitum iurandi, ideſt, adducendi Deum in teſtem; aliàs non eſſet actio humana, prolatio verborum quibus iuratur: vel ſi eſſet actio humana, propter voluntatem proferendi verba iuratoria, iuramentum eſſet fictum, quod non eſſe verum iuramentum cenſeo. Item requiritur vt tale propoſitum, ſeu voluntas iurandi libera ſit, & cum pleno rationis iudicio, ſaltem quod ad peccandum mortaliter ſufficiat, iuxta dicta de voto, in primo tomo.

D Tertiò notandum, iuramentũ vt plurimum, ſigno ſenſibili conſumari, ſæpe voce, & aliquando ſcriptura, vel alio ſigno: quod puto verum de iuramento aſſertorio, nam internum ſoli Deo debet fieri, ſicut votũ. Cùm autem Deus ſit certus de omni veritate, & omni hominis loquentis conceptu; fruſtra afferretur vt teſtis vt certior fieret, & ad veritatem roborandam. At verò iuramentum promiſſorium, factum ſoli Deo, mente ſola fieri poteſt, ſicut de voto dictũ eſt: non vt Deus certior fieret de re iurata,

ſed

ſed vt iurans, quantum in ipſo eſt, maiorem firmitatem ſuæ promiſsioni adhibeat. Et ſi roges, in quo formaliter, & eſſentialiter cõſiſtat iuramentũ; & pro quo ſupponat? Reſpondetur in inuocatione in teſtem, quæ nil eſt aliud quàm intellectualis quædã loquutio ad Deum directa. In ſecunda, & tertia concluſionibus, tractat D. Tho. de materia circa quam iuramentum verſatur. Et circa tertiam aduertendum, materiam circa quã iuramenti, debere eſſe contingentem, & aliquo modo dependentem à voluntate humana. Quare de neceſſarijs, & per rationẽ inueſtigandis, non fit iuramentum, niſi iurans velit deriſui haberi: nec de re impoſſibili, propter eandem rationem, poteſt fieri iuramentum.

Sed contra hoc ſunt quædã obijciũculæ: nã multæ ſunt veritates, quæ licèt in ſe habeant principia neceſſaria, quibus probari poſsint; tamẽ à nobis ignorãtur, & ideò ſæpe illas probamus iuramẽto: v.g. Romę talẽ ſignũ accidiſſe, Hiſpali ingentẽ pluuiã, & ſimilia, quæ nõ ſunt facta hominũ contingẽtia. Secũdò. Etiã effectus neceſſariò futuri, & qui per demõſtrationẽ cognoſci poſsũt, aliquãdo iuramento cõfirmantur, apud eos qui nõ ſunt demõſtrationis capaces: vt Aſtrologus poteſt iurare futurã eſſe eclipſim, vel quid ſimile. Tertiò. Huiuſmodi veritates neceſſarias, quæ nõ pendent à voluntate iurantiũ, ſæpe cõfirmamus teſtimonijs humanis: v.g. quod Auguſt. vel Ambroſ. hoc vel illud dixit; cur nõ & diuino? Confirmatur, nam quando dicimus: ita habetur in ſacra Scriptura, videmur afferre Deum in teſtẽ; & tamen non videmur iurare.

Nihilominus dico, concluſionẽ D. Tho. eſſe veriſsimã, ſiue intelligatur de iuramẽto aſſertorio, ſiue de promiſſorio. De aſſertorio quidẽ, quia illud immediatè nõ cadit ſupra rem iuratã ſecundũ ſe: ſed in dictum iurantis, & veritatẽ eius, quã iurans nititur facere certam, implorando teſtimoniũ Dei infallibile. Quare ſi veritas eſt neceſſaria, vel per diſcurſum agnoſcibilis, fruſtra Deus imploratur vt teſtis. Et ſi loquamur de iuramento aſſertorio, clarior eſt concluſio D. Thom. quia illud eſt de facto præſtando à iurante: quod cõtingens eſt, vt de ſe patet. Quare ſi quis iuret aliquid eſſe faciendum ab alio, intelligendus eſt promittere, & iurare, ſe appoſiturum ſuam induſtriã vel diligentiam, vt opus iuratum ab alio fiat: quod eſt iurare actum proprium contingentem, à voluntate iurantis pendentem. Sic exponunt Canoniſtæ iuramenta de facto alieno: tùm quia non præſumitur iurans peccaſſe iurando rem incertam: tùm quia iuramentũ ob Dei reuerentiam ſemper eſt intelligendum valere, eo modo quo poteſt, vt late Gutierrez de iuramento, parte 2. ca. 2. n. 3. Ita etiam Panorm. in cap. *ex literis*, ſecundo. de ſponſal. num. 3. cum Gloſſa prima ibi, Antonio, & alijs, ſequitur Couarrub. ca. *quamuis*, 2. §. 5. num. 2. Greg. Lopez, l. 11. titul. 1. & alij, qui loquũtur quando ex verbis conſtat ſufficienter de promiſsione: nam ſi iuramẽtum fiat ſolùm per modũ aſſertionis, quomodo ſit intelligendum ſtatim dicemus. *Gutierrez. Panormit. Antonius. Couarrub. Gre. Lopez.*

Ad primam obijciunculam reſpõdetur, ea iuramenta ibi allata non eſſe de veritate neceſſaria ſecundùm ſe, ſed relata ad iurantem, ideſt, de notitia quam iurans iurando declarat ſe habere. Et tunc quando iuratur Hiſpali fuiſſe pluuiam, vel quid ſimile, ſenſus eſt: ego iuro quod habeo notitiam certam Hiſpali ingentem pluuiam fuiſſe, aut Romæ tale ſignum, &c. Itaque iuramentũ non eſt de veritatibus neceſſarijs, ſed de notitia iurantis erga eas: quam eſſe veritatem contingentẽ clarum eſt. Idem dicito ad ſecundam obiectionẽ: & ad tertiã ſimiliter, quãdo veritates diuinæ, & humanæ iuramẽto confirmãtur. Ad confirmationẽ etiã eodem modo reſpondetur. Itaque quando iurat quiſpiã, Deus hoc dixit, vel Angelus dixit: ſenſus eſt: ego ſentio Deũ dixiſſe, vel Angelũ, & id contingens eſt. Secundò reſpondetur cum D. Tho. ad primũ, reddente rationẽ quare adducere ſacrã Scripturã, & dicere Deum dixiſſe, non eſt iuramentum: quia aliud eſt teſtimonio Dei iam dato vti; quod fit cũ aliquis autoritatẽ ſacræ Scripturæ inducit; & aliud eſt teſtimoniũ Dei implorare vt exhibẽdũ, quod fit in iuramẽto.

Circa ſecundam concluſionem, D. Thomas verſat diuiſionem celebrem iuramenti, in aſſertorium, & promiſſorium; inquiens, illud eſſe ad aſſerendum præſentia, vel præterita: hoc verò ad confirmandum aliquid futurum. Quam diuiſionem quidam nimis ſcrupuloſe rimantur dicẽtes, in promiſſorio iuramento includi aſſertionem de præſenti: nam qui iurat ſe promittere aliquid, vel ſe aliquid facturum, eo ipſo affirmat, & iurat ſe habere propoſitum faciendi id quod promittit: aliàs erit reus fracti iuramenti. Aiunt etiam iuramentum promiſſorium poſſe dici aſſertorium: quia promittere iurando, aſſerere eſt. Sed iſtæ cauillationes ſuperfluæ ſunt.

Prior perimitur si dicamus, hæc iuramenta distingui quasi formaliter in suis præcisis rationibus, licèt aliquando cõiungantur. Itaque iuramentum promissoriũ est quod vt sic includit promissionem, siue assertionẽ includat, siue non: assertorium verò, quod nequaquam promissionem includit.

DISPVTATIO I.

An reperiatur iuramentum promissorium sine vlla promissione?

ET videtur vera pars affirmatiua primò: quia contingit quãdoque iurari nudam assertionẽ de futuro, sine vlla promissione; vt si quis iuret se locuturum aut dormiturum, vel aliquid simile: in quo casu iurans nil promittit Deo, neque homini: quia solùm simplicem assertionem de aliquo futuro faciẽdo, iuramento confirmat. Confirmatur: quia si quis asserat se facturum aliquid, simplici assertione, nil promittit: & hoc ipsum potest iuramento cõfirmare: ergo potest reperiri iuramentũ promissorium sine promissione supra quam cadat. Probatur consequentia: quia tale iuramentum non est assertorium, cùm circa rem in futurum faciẽdam versetur, quod est proprium iuramẽti promissorij, & in quo discriminatur ab assertorio, vt notauit D. Tho. erit ergo promissoriũ; aliàs diuisio data erit insufficiens. Pro parte negatiua arguitur ex significatione vocis: iuramentum enim promissoriũ dicitur, quia habet pro materia promissionem.

Quidam subindicant, eo ipso quod assertio iuratur, eam transire in promissionem. Ita videtur sentire Caietanus infra art. 9. vbi ait omnia iuramenta, quæ cùm sint vota sunt Papæ reseruata, manere etiam reseruata: hoc enim verũ non est, nisi talia iuramenta transirent in vota. Et idem sentit Sotus lib. 3. de iust. q. 1. art. 9. clarius Nauar. in Man. cap. 27. num. 275. & alij circa articulũ nonum citandi. Alij moderni oppositũ censent. Ratio est; quia pura assertio de futuro ex solo proposito, est prior omni promissione ex natura sua, & potest simpliciter proferri, vt de se constat: ergo & iurari sine interuentu promissionis, quia hoc pendet ex hominis libertate. Hæc pars verior videtur. Quare ad argumentum pro parte negatiua respondetur, promissionem propriè sumptam non esse adæquatam materiam iuramẽti promissorij: vocatur autem sic eo quod assertio iurata promissioni æquiualet, vel eminenter eam continet. Secundò respondetur, nomẽ à promissione esse sumptum, quia frequentius eam supponit: plus tamen significat, quia materia adæquata huius iuramenti, est factum præstandũ à iurãte ex vi iuramenti, siue illud expresserit per verba assertoria de futuro, siue per promissoria.

Caietan. *Sotus.* *Nauarrus.*

DISPVTATIO II.

An inter iuramentum assertorium & promissorium sit differentia specifica, & formalis, an tantũ accidentalis, & materialis?

HANc disputationem versat Caietanus, & docet differre tantùm accidentaliter, & materialiter: sequũtur ferè omnes Thomistę. Fundamentum huius sententiæ est: quia in vtroque iuramento adducitur Deus vt testis veritatis; quod perficit rationem formalem iuramenti: reliqua omnia materialiter se habent, & accidẽtaliter. Explicatur hoc: quia in vtroque iuramento inducitur Deus sub vna ratione formali, scilicet vt testis veritatis: solùm est differentia, quòd in iuramento assertorio, veritas consumatur per conformitatem dicti ad factam rem: in iuramento autem promissorio veritas quasi expectatur consumanda per conformitatẽ facti postea subsecuti ad verbum præteritum. Confirmatur: quia vtrunque iuramentum pertinet ad vnam Religionem, quę est vna specie atoma: ergo non differunt specie: quam cõsecutionem nos cum D. Tho. firmã existimamus, quidquid aliqui oblatrent: de quo copiosius in nostro primo tomo, quæst. 81.

Caietanus.

Oppositam sententiam tenet Franciscus Suarez in secundo tomo de Religione, lib. secundo de iuramento assertorio, cap. 9. asserẽs, iuramentũ assertorium, & promissorium distingui in ratione formali iuramẽti, & diuini cultus, non propter materialẽ differentiam inter promissionẽ, & assertionẽ, sed propter inuocationem diuini nominis sub diuersa ratione. Probatur primò: quia in iuramẽto assertorio inuocatur Deus vt testis veritatis, in promissorio autem vt tale est, vt fideiussor promissionis seu verbi dati: hæ autem rationes formales diuersę sunt, ac proinde morales obligationes diuersarũ ratio-

Suarez.

rationum inducunt. Maior probatur quoad ſecundam partem, nam de prima nullus dubitat: quia in iuramento promiſſorio reſpectu facti futuri, non poteſt induci vt teſtis: etenim teſtimonium non datur de re nondum facta. Confirmatur ex varijs effectibus moralibus, qui ab illis iuramentis procedunt: nempè quod maior ſit obligatio iuramenti aſſertorij quàm promiſſorij, nam huius obligatio ſæpe venialis eſt, aſſertorij nunquam.

Continuò reſpondetur ad hæc argumẽta. Ad primum negando maiorem; gratis enim dicitur quod Deus in iuramento promiſſorio imploratur vt fideiuſſor. Ad probationem dicitur, quod etſi teſtificatio nõ fiat niſi de re præterita, ſed tamen imploratio teſtificationis benè poteſt fieri, etiam in humanis, de re futura. Itaque quando adducitur quis in teſtẽ facti futuri, ſenſus eſt: quando ego perfecero factum, tu eris mihi teſtis quòd ſim verax, & fidelis in meis promiſsis: aut ſaltẽ: teſtis modò eris quod ego ſum verax, & vt talis quod promitto præſtabo. Omitto modò, quod cùm Deo etiã futura præſentia ſint, rectè inuocatur vt teſtis rei futuræ: quod ita benè poſſet quadrare in creaturarum inuocatione, vt teſtes, alicuius rei futuræ teſtes ſint. Ad reliqua argumenta dicimus, eas differentias morales effectuum non probare differentiam ſpecificam, ſed indiuidualem.

Quod dicimus de iuramento aſſertorio, & promiſſorio, etiam dicendum eſt de iuramento ſimplici, & execratorio, quorum meminit D. Thom. in ſolutione ad ſecundum huius articuli, dicens, iuramentum ſimplex eſſe, quod ſimplici pronũtiatione inuocat Deum vt teſtẽ veritatis iuratæ: execratorium verò quando non ſolùm adducit Deũ in teſtẽ, verũ & implorat vt iudicẽ puniturũ iurantem ſi falſa iuret: v.g. Deus me occidat ſi hoc nõ eſt vt dico. Et de iſtis iuramentis dico, nõ differre ſpecie, ſed tantùm accidentaliter, nã vt benè aduertit Caietanus, hoc quod eſt adducere Deum in teſtẽ, eſt ratio formalis iuramenti, quæ in promiſſorio, & aſſertorio, in ſimplici, & execratorio reperitur. Reliqua verò omnia licèt inter ſe differant; valde accidentaria tamen ſunt rationi formali iuramenti: ſicut animali, differentiæ penes album, & nigrum, accidentales ſunt, licèt inter ſe reſpectu coloris eſſentiales differentiæ ſint.

Caieta.

DISPVTATIO III.

An iuramentum neceſſariò conſtet verbis, aut aliquo exteriori ſigno?

EST videtur vera pars affirmatiua ex D. Tho. qui in proœmiolo huius quæſtionis iuramentũ inter actus religionis enumerat. Secundò: iuramentum eſt diuini teſtimonij inuocatio ad confirmandã veritatem iurantis, ideſt, vt innoteſcat iurantem verũ dicere, aut promiſſa ſeruaturũ: ſed hoc non habet locum, ſi per ſolos conceptus talis inuocatio fiat: etenim Deo, cui ſoli noti cõceptus ſunt, omnia ſunt nuda, & aperta præterita, præſentia, & futura: ergo in actibus interueniẽtibus nõ habet locũ iuramentũ. Et cõfirmatur: nam ineptè quis imploraret teſtimoniũ Petri videtis me ſcribere, vt ille crederet me ſcribere: cũ ergo Deo omnia ſint præſentia, ineptè ipſe inuocaretur, vt crederet quod videt. Tertiò in l. *qui iuraſſe*. ff. de iure iurã. videntur exigi verba ad valorem iuramenti, & ita ibi aſſerunt Bartolus, Iaſon, & alij: ergo. *Bartol. Iaſon.*

In oppoſitum eſt: Iurare eſt Deũ teſtem inuocare, hoc fieri poteſt tantũ mentaliter, vt de ſe patet: ergo ad iuramẽtũ, neq; verba, neque alia exteriora ſigna requiruntur.

Pro deciſione dico primò. Quãuis eſſentia iuramẽti reperiri poſsit ſine verbis, imò ſine vllo ſenſibili ſigno, vt argumẽtũ in oppoſitũ factũ probat: tamẽ attẽto fine præcipuo iuramẽti: cuius gratia adinuentũ lumine naturę fuit, cũ maiori proprietate, verbis vel aliquo ſenſibili ſigno fit. Probatur argumentis factis in principio, & explicatur: nã etiã ſi quis nutu, vt mutus, iurare intẽdat, verũ iuramentũ eſt. Itẽ ſiquis rogatus iurare per quatuor Euangelia, tãgat ea; verè iurat: vel ſi conſuetudo ſit in aliqua Prouincia, vt quæ quis dixerit eleuando digitũ in cœlũ, cenſeantur eſſe iurata. Ita Sylueſter verbo *iuramentum* primo, & alij cõmuniter. Itaq; non ſolùm verbis iuratur, ſed quocunque alio æquipollenti ſigno externo. *Sylueſter.*

Secũdò dico. Stãdo in foro contentioſo, quædam iuramenta ſunt, quæ non faciunt fidem in eo foro, neque obligationẽ inducunt, niſi verbis exprimantur: & hoc modo requirunt iura ciuilia propria verba in ſtipulationibus: & ideò neque inter abſentes, neq; cum muto vel ſurdo fieri poſſunt: ita lex 1. ff. de verb. oblig. Itaque vbi lex humana

mana poſtulauerit formaliaverba ad valorē iuramenti, ibi erunt neceſſaria. Quibus autem caſibus leges humanæ id diſpoſuerūt, Iuriſperitis decidendum relinquo. Videndus eſt Couarrubias in cap. *quamuis pactū*, de pactis. in ſexto, vbi multas Iuriſperitorum ſententias refert, num. 4. Hoc dictum probat argumentum ſecundum in oppoſitum.

Couarrub.

DISPVTATIO IIII.

De varijs iurandi formulis.

DIcere: iuro hoc vel illud, verum iuramentum eſt: niſi additum ſit aliquid quod declaret proferentem nolle Deum teſtem inuocare: verbi gratia, iuro per ſanctum Liriſcum, vel quid ſimile ridiculum: ſimiliter illud verbum, voueo, quando materia nō eſt capax voti, ſed iuramenti, verum iuramentum eſt, ſicut eſt in abuſu Hiſpanorū, Voueo Deum hoc eſſe, vel nō eſſe. Sed tamen hic abuſus eſſet exterminandus propter ineptam phraſim, & propter irreuerentiam ea vtentium. Item hæ formulæ, per Deum, ſcit Deus, teſtis eſt Deus, teſtem Deum inuoco, viuit Dominus, coram Deo, in præſentia Dei, & ſimiles iuramenta ſunt, & habentur frequenter in ſacris Literis. Illa autem forma, teſtis eſt mihi Deus, Deus ſcit, iuratoria eſt; niſi proferens tantùm intendat per modum enuntiationis proferre, non per modum iuramenti: ſed ſolùm ad oſtendendam perfectam conſiderationem loquentis, & intelligentis, ſe non eſſe auſurum ita loqui, niſi vera diceret, cùm non ignoret Deum veritatem ſcire. Vel vt Sotus ait in materia de iuramento, viri timorati, ſæpe per illa verba ſubmittunt ſermonem ſuum ſcientiæ Dei: quomodo videtur dixiſſe Paulum 2. ad Corint. 11. *Quare? quia non diligo vos, Deus ſcit.* Itaque hæc formula magis pendet ex intentione loquentis. Idē dicito de alijs formulis, coram Deo, in conſpectu Dei, quæ poſſunt enuntiatione proferri ad conciliandam credulitatem in illa fundatam: quanquam communius ſunt iuramenta, vt colligitur ex D. Thom. ſolut. ad tertium. Ex dictis non eſt difficile de alijs iurandi formulis iudicare. De iuramentis per creaturas, infra circa articulum ſextum.

Sotus. *2. Cori. 11.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſit licitum iurare?

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd non ſit licitum iurare. Nil enim quod prohibetur in lege diuina eſt licitum. Sed iuramentum prohibetur in lege diuina Matth. 5. Ego dico vobis non iurare omninò, &c. Et Ia. 5. dicitur: Ante omnia fratres mei nolite iurare. Ergo iuramētum eſt illicitum.

Inf. art. 3. cor. & 3. diſt. 39. ar. 2. q. 2. & Ro. 1. lect. 5. Et Heb. 6. lect. 4. Cor. 1.

2 ¶ Præterea. Id quod eſt à malo videtur eſſe illicitum, quia vt dicitur Matth. 7. Non poteſt arbor mala fructus bonos facere. Sed iuramentum eſt à malo. Dicitur enim Matth. 5. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non. Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt: ergo iuramētum videtur eſſe illicitum.

3 ¶ Præterea. Exquirere ſignum diuinæ prouidentiæ eſt tentare Deum, quod eſt omninò illicitum: ſecundùm illud Deut. 6. Non tētabis Dominum Deum tuum. Sed ille qui iurat videtur exquirere ſignum diuinæ prouidentiæ, dum petit diuinum teſtimonium, quod eſt per aliquē euidentem effectum. Ergo videtur quòd iuramētum ſit omninò illicitum.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Deu. 6. Dominum Deum tuum

tuum timebis, & per nomen eius iurabis.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd nihil prohibet aliquid eſſe ſecundùm ſe bonum: quod tamen cedit in malum eius qui non vtitur eo conuenienter. Sicut ſumere Euchariſtiam eſt bonum. Et tamen qui indignè ſumit, iudicium ſibi manducat, & bibit, vt dicitur primæ ad Corin. 11. Sic ergo in propoſito dicendum eſt, quòd iuramentũ ſecundùm ſe, eſt licitum, & honeſtum. Quod patet ex origine, & ex fine. Ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductum ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuerſalem omnium cognitionem, & prouiſionem. Ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iuſtificandum homines, & ad finiendum controuerſias, vt dicitur ad Hebr. 6. Sed iuramentum cedit in malum alicui ex eo quod malè vtitur eo, id eſt, ſine neceſſitate, & cautela debita. Videtur enim paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtem inducit: quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiam periculum periurij: quia de facili homo in verbo delinquit, ſecundùm illud Iacobi 3. Si quis in verbo nõ offendit, hic perfectus eſt vir. Vnde & Eccleſiaſt. 23. dicitur: Iurationi non aſſueſcat os tuũ: multi enim caſus in illa.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Hieronymus ſuper Matth. dicit: Conſidera quòd Saluator non per Deum iurare prohibuerit, ſed per cœlum, & terram. Hanc enim per elementa iurandi peſſimam conſuetudinem habere Iudæi noſcuntur. Sed iſta reſponſio non ſufficit: quia Iacob addidit: neque per aliud quodcumq; iuramentum. Et ideò dicendũ eſt, (ſicut Auguſt. dicit in libro de mendacio) quòd Apoſtolus in epiſtolis ſuis iurans, oſtendit quomodo accipiendum eſſet quod dictum eſt: Dico vobis non iurare omninò: ne ſcilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur, & ex facilitate iurandi ad conſuetudinem, & à conſuetudine in periurium decidatur: & ideò non inuenitur iuraſſe niſi ſcribens, vbi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem.

Super illud Mat. 5. ego dico vobis, non iurare, tom. 9.

In libro de mendacio, ca. 15. circa med. to. 4.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut Auguſt. dicit in lib. de ſermone Domini in monte: Si iurare cogeris, ſcias de neceſsitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades: quæ vtique infirmitas malum eſt. Itaque non dixit: quod amplius eſt, malum eſt. Tu enim non malum facis, qui benè vteris iuratione, vt alteri perſuadeas quod vtiliter perſuadeas. Sed à

Li. 1. c. 30. à med. to. 4.

malo eſt illius,cuius infirmitate iurare cogeris.

¶ Ad tertium dicendum,quòd ille qui iurat non tentat Deum: quia non implorat diuinũ auxilium abſque vtilitate, & neceſſitate.

¶ Præterea. Non exponit ſe alicui periculo, ſi Deus teſtimonium adhibere noluerit in præſenti. Adhibebit autem pro certo teſtimonium in futuro, quando illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium,vt dicitur primæ ad Corinth.4. Et illud teſtimonium nulli iuranti deficiet, vel pro eo,vel contra eum.

Summa Textus.

PRima concluſio.Iuramentum ſecundùm ſe eſt licitum, & honeſtum. Probatur primò ex origine, ſcilicet ex fide, qua homines credunt,Deum habere infallibilem veritatem, & omnium cognitionem,& prouiſionem.Secundò ex fine iuramenti, qui eſt finire controuerſias.Secunda concluſio. Iuramentum propter malum eius vſum, videlicet quia ſine neceſsitate,& cautela fit; ſæpius in malum cedit: tùm, quia irreuerentia fit Deo, eum ex leui cauſa in teſtem adducendo : tùm, quia conſuetudine iurandi, periculum peierandi creatur, quia facilè homo in verbo delinquit,Iacobi 3.& Eccleſiaſtici 23.

Iacob.3. *Eccleſi.23.*

DISPVTATIO I.

Contra primæ concluſionis veritatem.

NAM Chriſtus Dominus Matthæi 5. ait: *Audiſtis,quia dictum eſt antiquis: non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis: non iurare omninò.*

Matth.5.

A Quibus verbis benè expenſis videtur prohibere iuramentum in lege gratiæ, quia quoad hoc videtur quaſi abolere antiquum præceptum; illa enim particula *omninò* hãc vim habere videtur. Quod cum magna exaggeratione explicat Diuus Iacobus ſuæ epiſtolæ cap.5.dicens: *Ante omnia autem fratres mei nolite iurare, neque per cœlum,neque per terram: neque aliud quodcunque iuramentum.* Secundò. In eodem loco ſic ait Seruator noſter:*Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt, non,non. Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* En Chriſtus Dominus ait,iuramentum eſſe illicitum: nã quod

B à malo procedit non poteſt bonum eſſe, iuxta illud Matth.7. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere.* Et idem Iacobus in loco citato repetit verba modò citata Chriſti Domini:*Sit autem ſermo veſter,&c.* Et reddens rationem ait: *Vt non ſub iudicio decidatis*: id eſt, vt non condemnemini in diuino iudicio:ſentit ergo, quodcũq; iuramẽ tũ puniri in diuino iudicio, & cõſequenter eſſe illicitum. Tertiò.Patres ſæpè videntur huic ſententiæ fauere, vt Baſil. homil. in Pſa.14.Chryſo.homil.19.& 79.ad popu.& 17.in Matth.& ibi Theophilactus Matt.5. Origc.tracta.35.in Matth.& Tertul.lib.de

C idolat.c.11.dicens: *Taceo de periurio,quãdo neque iurare quidem licet*: & Clemens lib.6. conſtit.Apoſt.cap.11. *Magiſter*(ait)*noſter præcepit, vt neque per verum Deum iuraremus, vt ſermo noſter firmior, credibiliorq; ipſo iureiurando haberetur.*

Baſilius. *Chryſoſt.* *Theophila.* *Origen.* *Tertullia.* *Clemens.*

Quartò.Exquirere ſignum diuinæ prouidentię à Deo,eſt illicitum,pertinet enim ad vitium tentationis diuinæ, vt diximus quæſt.97.de tentatione Dei:hoc fit per iuramentum: ergo illicitum eſt iurare. Probatur minor: quia iurare eſt inuocare Deũ in teſtem veritatis, vel promiſsionis iuratæ,id eſt, inuocare ipſum vt teſtificetur dictis iurantis per aliquem effectum euidentem:v.g.per miraculum,per reuelationem, vel aliquid huiuſmodi:aliàs nullius eſſet vtilitatis talis inuocatio ; imò neq; eſſet Deũ in teſtem inuocare. Confirmatur: quia ſi quis per orationem inuocaret Deum,vt aliquo ſigno euidenti panderet eſſe vera, quæ ab orante dicuntur, tentaret Deum: ſed quando ob eundem finem adducitur Deus vt teſtis eorundem dictorum, idem exigitur,cùm imploretur diuinum teſtimonium manifeſtandum aliquo ſigno ſenſibili, & euidenti: ergo hoc ad tentationem Dei pertinet, & conſequenter illicitum eſt.

Quin-

Quintò. Eſtò poſſet homo Deum afferre in teſtem pro ſtabiliendis rebus ſuperioris ordinis, v.g. pertinentibus ad fidem: tamen peruerſus ordo videtur, perſonam Dei omni reuerentia dignam, adducere ad humana negotia, facta, aut verba confirmanda; quia inuerſus ordo eſt, res ſuperioris ordinis ordinare ad res inferioris ordinis. Demum quamuis in aliquo caſu poſsit iuramentum ſine inconuenienti vſurpari; tamen ita eſt periculis expoſitum, vt vix ſine crimine fiat, iuxta illud Eccleſiaſtici. 23. *Eccleſi. 23.* *Iurationi non aſſueſcat os tuum, quia multi caſus in illa.* In lege autem gratiæ tenentis perfectionis apicem prohiberi debuerunt non ſolùm peccata, ſed etiam quæ moraliter, & proximè ad peccatum implicant: qui enim amat periculum, peribit in illo.

Ferè omnes hæretici antiqui, & moderni contra ſanctitatem iuramenti conſpiraruntaſſeuerantes, ita eſſe Chriſtianis interdictum iurare, vt nunquam liceat. Ita Albani, Bagnoleñ. Catharistæ, & alij, quos refert *Prateolus.* Prateolus, & Caſtro, verbo *iuramentum*, *Caſtro.* hæreſi. 1. Vvaldenſes, & Pſeudo-Apoſtoli *Ianſenius.* Anabaptiſtę. Ita Ianſenius cap. 40. concordant. vbi etiam refert ex Auguſtino Pelagianos in eodem fuiſſe errore. Et idem di- *Bernard.* cit Bernard. homil. 69. in Cant. Mouentur hæretici argumẽtis factis, præcipuè primo, & ſecundo in initio diſputationis poſitis.

Pro deciſione ſit prima aſſertio. Iuramentum non eſt intrinſecè malum, & conſequenter non eſt lege naturali prohibitum. Hæc de fide eſt: & probatur primò: quia in ſacris literis iuramenta approbata ſunt verbo, & exemplo: Deutero. 6. & 20. *Deuter. 6. & 20.* *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis.* Nec ſat eſt dicere eſſe permiſsionem: in Pſalmo namque 14. laudatur *qui iurat proximo ſuo, & non decipit:* & Pſalm. 62. *Laudabuntur* (inquit) *omnes qui iurant in eo.* Exempla Sanctorum frequentia ſunt tam temporis legis naturæ, quàm ſcriptæ. De Abraham, Iſaac, & Iacob, Geneſ. 26. & 32. de Moyſe, Deuterono. 3. & 4. Dauid, & cæteri Prophetæ frequenter vtuntur illa forma iurandi: *Viuit Dominus.* Secundò probatur ratione: quia iuramentum eſt inuocatio quędam diuini nominis in teſtificationem veri, quæ continet egregiam Dei confeſsionem, quòd ſit prima veritas, & mentiri non poſsit, quòd omnia ſint ei aperta. Neq; circunſtantiæ illud vitiant, quia veſtiri poteſt egregijs circunſtantijs, de quibus art. ſequẽ.

A Secunda aſſertio. In lege gratiæ licitum eſt Chriſtianis iurare, ſi debitis circunſtantijs veſtiatur. Probatur: quia iurare non eſt intrinſecè malum, vt probabamus: neque à Chriſto, vel Apoſtolis prohibitum, vt patebit in reſponſione argumentorum. Secundò probatur exemplis Sanctorum pertinentium ad legem gratiæ. Paulus ad Ro- *Ad Ro. 1.* ma. 1. *Teſtis eſt mihi Deus, &c.* ſecundæ ad *2. Corin. 1.* Corinth. 1. *Ego autem teſtem Deum inuoco:* & primæ ad Timot. 5. & 2. ad Timot. 4. *1. Ad Timot. 5.* *Coram Deo, & Chriſto Ieſu:* ad Galat. 1. *Quæ* *2. Ad Timot. 4.* *autem ſcribo vobis, ecce coram Deo quòd non* *Ad Gal. 1.* *mentior.* Vnde Auguſtinus in expoſitione *Auguſt.* epiſtolæ ad Galatas dicit, non eſſe au- B diendos, qui has iurationes eſſe non putant: & refertur in cap. 1. 22. q. 1. in qua quæſtione multa Patrum teſtimonia congeruntur ad hoc probandum idonea. Tertiò probatur ex conſuetudine Eccleſiæ Chriſti, nam ſæpè exiguntur iuramenta eadem Eccleſia iubente; vel in iudicijs, vt conſtat ex titulis de iureiurando, & teſtibus; vel ad abiurandam hæreſim, vt habetur in titulo de hæreticis, & ex Conc. Epheſino 1. & ex Con- *Concil. Epheſi. 1. &* ſtantienſi in Bulla Martini Quinti. Deni- *Conſtant.* que ad firmandam pacem, ad commercia ſtabilienda, vſus ſanctus Eccleſiæ idem cõfirmat, & colligitur ad Hebr. 6. *Ad Heb. 6.*

Præcipua huius rei difficultas eſt in diſ- C ſoluendis argumentis pro parte negatiua factis. Ad primum ex loco perdifficili Mat thæi 5. diuus Hieronymus ibidem duas af- *Hieronym.* fert expoſitiones. Prior eſt, Chriſtum ibi non prohibuiſſe iurare per Deum, ſed per creaturas; nã Iudæi (inquit) habebant peſſimam conſuetudinem iurandi per Angelos, per vrbem Hieruſalem, per Templum, & per elementa: & Iudæi ſic iurantes, creaturas, reſque carnales venerabantur honore, & obſequio Dei. Hanc expoſitionem ſecutus eſt Innocentius Tertius in cap. & *ſi Chriſtus*, & eam approbat Theophilact. Matth. 6. Sed hæc expoſitio diſplicet Diuo D Thomæ in ſolutione ad primum huius articuli, & meritò, nam D. Iacobus addidit: *Neque aliud quodcumque iuramentum.* Itẽ, quia non eſſent tam inepti Iudæi, maximè legis Doctores, vt putarent, iurare per creaturas exhibendo illis honorem diuinum, eſſe licitum: neque vt tale opinantes reprehenderentur à Chriſto. Secunda expoſitio Diui Hieronymi eſt, iuramentum eſſe *Hieron.* permiſſum Iudęis tanquã paruulis: *Quomodo* (inquit) *victimas immolabant Deo, ne illas idolis immolarent, ſic & iurare permittebãtur*

in Deum: nõ quòd rectè hoc facerent, ſed quòd melius eſſet Deo id exhibere, quàm dæmonibus. Euangelica autem veritas non præcipit iuramentum, cùm omnis ſermo fidelis pro iureiurando ſit. Eandem expoſitionẽ ſequuntur Chryſoſt. homil. 27. in Matth. & Theophilactus. Quæ expoſitio videtur non parum fauere errori relato Hæreticorum: præcipuè verba Chryſoſtomi, qui loquitur in hunc modum: *Porrò ſi dixeris, quòd & lex Moyſi mala erat quoniam iurare iubet; dic quòd tunc non erat malum iurare: poſt Chriſtum autem malum eſt, ſicut circuncidi, & in ſumma quidquid eſt Iudaicum.* Sed certè nõ erat tantùm permiſſum iuramẽtum, verùm & laudatum, vt videmus: quare hæc expoſitio meritò reijcienda eſt, nec ſequendi in hac parte ſanctiſsimi viri Hieronymus, & Chryſoſtomus; quibus opponimus Auguſtinum, Chromatium, Druthmarum, Bernardum, Bedam, & alios, imò totius Eccleſiæ ſenſum, & definitionem.

Chryſoſt. Theophil.

His expoſitionibus reiectis, mirum eſt quàm variè ſentiant Doctores de illius loci explicatione: quinimò tam lubricè loquuntur, vt citius anguillam apprehendas, quàm eorum ſententiam penetres. Quod ego pro tui intelligere (neſcio an aſſequutus fuero) eſt, duas eſſe huius loci expoſitiones. Prima affirmat, in eo loco nullum à Chriſto Domino adhiberi præceptum, ſed tantùm conſilium nunquam iurandi, etiamſi licitè poſsit iuramentum aliquando fieri, niſi inſtante neceſsitate iuſtitiæ, vel charitatis proximi. Itaque licèt plures occaſiones occurrere poſsint, in quibus ſine peccato poſsit iuramentum præſtari: nihilominus ordinariè, & religioſius fiet ſimpliciter loqui, quàm cum iuramento. Et ita videmus religioſos viros hoc ſeruare conſilium: à quo non recedunt quãdo iurant propter neceſsitatem, aut charitatem, quidquid dicat Aragonius circa hunc articulum: arguit enim ſic. Iurare ſimpliciter eſt Chriſti conſiliũ: ergo iurare nunquam eſt in præcepto. Negari poteſt conſequentia: quia non nubere eſt in conſilio, & tamen in aliquo caſu eſt præceptum nubendi. Hanc interpretationem ſequitur D. Bern. hom. 65. in Cantica. Beda Iacobi 5. & Caſtro, qui refert Chriſtianum Druthmarum dicentem, Chriſtum ibi non prohibuiſſe, ſed perfectionem docuiſſe. Secunda expoſitio eſt, vt in illis verbis non prohibeatur iuramentum abſolutè: ſed declaratur, præceptum eſſe intelligendum de iuramento ſine neceſsitate, aut vtilitate. Quod ſic debuit intelligi in omni legis ſtatu: ſed vera intelligẽtia apud Iudæos obſcurata erat. Cui expoſitioni videtur fauere Auguſtinus in locis quamplurimis, & Chromatius in lib. ſuper cap. 5. & 6. Matthæi, dicens, per illa verba ſolùm voluiſſe Chriſtum, vſum iurationis, & aſſuetudinem huiuſmodi erroris auferre. Et Cornelius Papa epiſt. 2. ad Ruffum ait, hoc in loco prohiberi iuramenta incauta. Diuus Thomas in hoc articulo ad primum, ſequens diuum Auguſtinum in lib. de mendacio, cap. 15. ait, quòd Apoſtolus in epiſtolis ſuis iurans, oſtendit quomodo accipiẽdum eſſet quod dictum eſt: *Ego autem dico vobis non iurare omninò*: ne ſcilicet iurando, ad facilitatem iurãdi, id eſt frequẽtiã, perueniatur, & ex facilitate iurandi ad cõſuetudinẽ: & ex cõſuetudine in periurium decidatur. Quæ verba licèt poſsint priori expoſitioni, Bernardi ſcilicet & aliorum adaptari; tamẽ congruẽtius huic poſtremæ expoſitioni: videlicet vt ſicut in lege naturæ prohibita erat frequentia iurandi propter periculum peierandi; ſic in lege gratiæ: quod explicuit Dominus dicens: *Dico vobis, non iurare omninò*: id eſt ſecundùm quamcunque iurandi formam in omni euentu, & pro arbitratu iurantis: ſed cum attentione, & iudicio, ac cautela non modica.

Cornel. Pp. D. Thom.

Inter tot, & tam illuſtres viros arbitrum ſedere, non ſine metu fit. Nihilominus dico, in verbis Domini allatis, omnes debemus fateri, non extare nouum præceptum non iurandi, quod non extiterit in lege naturæ, aut ſcripta. Hoc tamen aſſertum certũ eſt, quia in lege gratiæ nullũ præceptũ diuinum neq; affirmatiuũ, neq; negatiuum extat, præter præcepta fidei, & Sacramentorũ, vt omnes Doctores ſentiunt.

Aragon.

Secundò dico. Exiſtimo in verbis citatis Chriſtum explicaſſe præceptum naturale de non iurãdo temerè, & paſsim, ſine neceſsitate, & vtilitate, quod obnubilauerãt Iudæi ſuis falſis interpretationibus, & traditionibus, ſicut in pleriſque alijs fecerant, v.g. in præcepto de dilectione proximi, quod Iudæi ad ſolos amicos extẽdebãt, in præcepto de occiſione priuata, & alijs: de quibus multa in præfato c. Matth. 5. ſub his verbis: *Auditis quia dictũ eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis.* Itaq; in prædicto c. noluit Chriſtus introducere pro ſtatu legis gratiæ noua præcepta in materijs moralibus, de quib⁹ loquitur; neq; voluit immutare, cùm ipſe noua præcepta nõ appoſuerit præter ſpectãtia ad fi-

Bernard. Beda. Caſtro.

Matth. 5.

ad fidem; & ſacramenta: ſolùm ergo voluit prauas de eiſdem præceptis auferre expoſitiones. Et vt in propoſito loquamur, per ſecundum præceptum Decalogi exiſtimabant Iudæi, dumtaxat prohiberi periurium, in quo falſum iurabatur: vnde inferebant non peccari iurando, dummodò ſeruetur veritas: imò exiſtimabant cõſultiùs eſſe frequentius iurare. Et in hoc ſenſu videntur intellexiſſe quod Chriſtus refert: *Non periurabis; reddes autem Domino iuramẽta tua.* Et inde duo inferebant: vnum eſt, iuramentum per Deum, dummodò verum ſit, frequentandum eſſe, vt expreſsè refert Abulenſis Deuter. 6. & 10. quia per ſe pertinet ad cultum Dei: & ideò dicebatur in lege: *Per nomen illius iurabis*, Deuter. 6. Secundum eſt: iurare per creaturas non eſſe iuramentum, neque ſpecialem malitiam habere, vt colligitur ex Matt. 23. Igitur Chriſtus Dominus, vt has falſas interpretationes Iudæorum abijciat, & verum ſenſum præcepti tradat; docet non eſſe iurandum omninò, id eſt, ſecundùm omnem iurandi formam, & temerè, & pro libito: ac proinde neque per Deum, neque per cœlum, & terram, &c. Et hoc eſt quod docuit D. Bonauentura in 3. diſt. 39. art. 2. q. 1. licet eius ratio non mihi placeat. Ait enim, nõ dixiſſe Chriſtum omninò iurare; quia noluit iuramentum ſimpliciter prohiberi, ſed, *non iurare omninò*, id eſt, omni modo, aut ſine cauſa. Ratio indigna eſt ſuo autore, quia illæ ſophiſticæ regulæ Dialecticæ non ſunt vſurpandę in communi modo loquendi, & multo minus ad interpretationem ſermonum Chriſti Domini, vt benè notauit Gabriel q. 1. Aragonus, & alij. Quare citra dubium, illa locutio, *non iurare omninò*, eadem eſt cum illa: omninò non iuretis: tamen vt continet præceptum, cadit prohibitio ſuper omnem iuramentum incautum, aut nõ neceſſarium.

Abulenſ. *Deute. 6.* *D. Bonau.* *Gabriel.* *Aragon.*

Secundo argumento conuincor, vt exiſtimem, in illis verbis ſuperaddi præcedentibus admonitionem, ſeu conſilium nunquam iurandi, niſi propter iuſtitiã, aut proximorum charitatem. Quæ exceptio, ſuppoſito quod iuramentum ex natura ſua nõ eſt illicitum, ſubintelligenda eſt. Et ratio huius conſilij, ſeu admonitionis eſt, ne per iurandi frequentiam etiam licitam, perueniatur ad illicitam, iuxta illud Eccleſiaſtici. 23. *Iurationi non aſſueſcas os tuum: multi enim caſus in illa: &, Vir multum iurans, replebitur iniquitate.* Quod & indicauit D. Thom. in ſolut. ad 1. ex mente Auguſtini, Gregorij, & Origenis: *Non omninò* (inquit) *iurare prohibuit; ſed occaſione periurij, quod perfectius eſt docuit.* Et idem ſentit Auguſt. lib. 1. de ſerm. Domini in monte, c. 17. & clarius in epiſt. ad Publi. & refertur cap. 3. 22. q. 1. quod ſic habet: *In nouo teſtamento dictum eſt, ne omninò iuremus: quod mihi quidem propterea dictum eſſe videtur; non quia iurare peccatum eſt: ſed quia peierare immane peccatum eſt, à quo longè nos eſſe voluit qui omninò ne iuremus commonuit.* Nimirum in illis verbis: *Sit ſermo veſter: eſt, eſt, non, non.* Verba autem ſubiuncta: *Quod amplius eſt, à malo eſt*, non indicant ſemper eſſe malum iurare; non enim dixit Dominus: quod amplius eſt, malum eſt: ſed *à malo eſt*: quia iuramentum quando probè fit, eſt non à malo iurantis, ſed à malo exigentis illud, vel audientis; vel ab incredulitate audientium, vel à defectu veritatis humanæ in natura corrupta. Quæ expoſitio eſt D. Auguſtini cap. 17. Cornelij Papæ in epiſt. 2. ad Ruffum, Innocentij III. in cap. *& ſi Chriſtus*, & D. Thom. in ſolut. ad 2. Intelligitur ergo non de malo culpæ, ſed de malo pœnæ imperfectionis humanæ: nam inde factum eſt, vt iuramentum neceſſarium ſit, aut vtile.

Auguſt. *Auguſt.* *Corn. Pap.* *Inno. III.* *D. Thom.*

Ad tertium ex teſtimonijs Patrum, Caſtro vbi ſupra planè fatetur, eos in hac parte erraſſe contra Auguſtinũ, & alios quãplures Patres: imò contra totius Eccleſiæ ſenſum, & autoritatẽ: ſed mihi non fit veroſimile, Patres illos, præcipuè Hieronymũ, & Chryſoſtomum, ac Theophilactum eius aſſeclam, tã fœdè erraſſe (nam cæteros allatos in argumento in alijs erraſſe cõpertum eſt) maximè, quia Auguſtinus, iuramenti licitum vſum, vt rem antiquiſsimam refert. Quare Soto conatur eos excuſare; ſed meo iudicio, non proficit: fortaſsè loquuntur de iuramento cum aliqua circunſtantia, qnæ tunc erat in abuſu fidelium quorundam: v.g. quia vtebantur iuramento, ſolùm vt eſt fidei proteſtatio, vel quid ſimile.

Caſtro. *Sotus.*

Ad quartum D. Thomas ad 3. duplicem dat ſolutionem. Prima eſt, quod ille qui iurat, non tentat Deum, quia non implorat diuinum auxilium abſque vtilitate, & neceſsitate. Sed certè non quæuis vtilitas excuſat à tentatione Dei, quando ab eo exigit aliquod ſignum, quod communiter non ſolet à Deo exhiberi, quale eſt quòd Deus teſtificetur, vel reuelatione, vel quouis alio modo.

D. Thom.

Eccle. 23.

modo. Secũdo reſpõdet, & melius, quod iu A rãs nulli ſe exponit periculo, ſi Deus teſtimoniũ adhibere noluerit in præſenti: adhibebit autẽ pro certo teſtimonium in futuro, quando illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, 1. Corin. 4. vt dicitur 1. ad Corin. 4. & illud teſtimonium nulli iuranti deficiet, vel pro eo, vel contra eum. Hæc ſolutio tenenda eſt: ſed adhuc non videtur ſatisfacere; quia in humanis veritas dicentium non fit credibilior audientibus, ex hoc quod aliquis adducat in teſtem eum, qui non conteſtatur de preſenti, aut proximè, ei qui teſtem illum adducit. Nam ſi ego adduco in teſtem mutum B non loquentem, aut ſaltem nutibus oſtendentem ita eſſe, ſicut ego dico; illa adductio teſtimonij nullius eſt vtilitatis. At quando iurans adducit Deum in teſtem ſuorum dictorum; Deus nullo prorſus ſigno annuit ita eſſe, ſicut per iuramentum dicitur: ergo illa iuratio nullius eſt vtilitatis, quamuis in fine ſæculi manifeſtet, an id quod iuratur verum ſit, an falſum. Reſpõdetur, præmittendo citra controuerſiam eſſe, vnum modum confirmandi dicta, aut promiſſa, per teſtes fieri; qui quanto excellentiores ſunt, magis dicta confirmant. Cùm ergo Deus omnium teſtium digniſsimus ſit, vt potè C qui nec fallere, nec falli poteſt; quando veritas per eius teſtificationem confirmatur; abſque dubitatione admittenda erit. Teſtificabitur autem omni veritati ſaltem in futuro ſæculo, in die extremi iudicij. Quare qui illum in teſtẽ inuocat, fatetur huiuſmodi excellentiam ſupra omnes teſtes: & ex vi talis inuocationis naſcitur, vt ſic inuocãti firmius credatur, & debeat credi. Non enim deberet eſſe veroſimile, vt tali inuocatione quis vteretur, niſi verum diceret: alioquin Deo magna irreuerentia irrogaretur. Dices; non teſtificatur ſigno aliquo. Ita eſt in præſenti: ſed ſat eſt in futuro, quando D officium teſtis exercebit dum manifeſtauerit conſilia cordium, & officium iudicis: quia tunc laus erit vnicuique à Deo. Itaque qui iurat, non petit à Deo, vt modò ſigno aliquo manifeſtet, an verum, an falſum dicatur; quia hoc eſſet tentare Deum: ſed intendit, vt propter reuerentiam tanti teſtis adducti, ſuus ſermo credibilior reddatur: teſtificabitur autem ad minus in ſæculo futuro. Ex his patet ſolutio ad quartum negando minorem, & eius probationem, quatenus conatur perſuadere, iuramẽtum eſſe nullius vtilitatis: eſt quidem maximæ vtilitatis, vt declaratum eſt. Ad confirmationem negatur conſequentia propter eandem rationem. Circa materiam quinti argumenti Eraſmus Matth. 5. videtur aſſerere iuramenta eſſe illicita, in annotationibus verò excipit cauſas fidei, & pietatis: & Vvicleph dixit, non poſſe iuramentum exhiberi ad roborandum humanos contractus, & commercia ciuilia. Ita refertur in Concilio Conſtantienſi, ſeſ. 8. numero 43. Fortaſsè mouentur argumento quinto, ſed veritas fidei iam ſtabilita à nobis eſt: & ad argumentum reſpondebitur infra art. 5. vbi agemus de fine iuramenti. Ad vltimum reſpondetur, probare non eſſe paſsim, & ſine delectu iurandum. Quomodo autem conſuetudo iurandi poſsit eſſe peccatum; infra in materia de periurio.

Eraſmus.

Vvicleph.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ad honeſtatem iuramenti, veritas, iuſtitia, & iudicium requirantur?

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter ponantur tres comites iuramenti, videlicet iuſtitia, iudicium, & veritas. Ea enim quorum vnum includitur in altero, non ſunt connumeranda tanquam diuerſa. Sed horum trium vnum includitur in altero, quia veritas eſt pars iuſtitiæ ſecundùm Tullium. Iudicium autem eſt actus iuſtitiæ, vt ſupra habitum eſt: ergo inconuenienter ponũtur tres comites iuramenti.

Inf. arti. 7. corp. & q. 98. ar. 1. ad 1. & 3. diſt. 39. art. 2. q. 3. Et quodl. 5. artic. 27.

Li. 2. de inuentione in fol. 4. ante fin. lib. Quæſt. 60. art. 2.

2 ¶ Præterea. Multa alia requiruntur ad iuramentum, ſcilicet deuotio, & fides, per quam credamus Deum omnia ſcire, & mentiri non poſſe. Ergo videtur

tur, quòd insufficienter tres comites iuramenti enumerantur.

3 ¶ Præterea. Hæc tria in quolibet opere humano requirenda sunt. Nihil enim debet fieri cõtra iustitiam, aut veritatem, aut sine iudicio, secundùm illud 1. ad Tim. 5. Nihil facias sine prę-iudicio, id est, sine præcedenti iudicio: ergo hæc tria non magis debent associari iuramento, quàm alijs humanis actibus.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Hier. 4. Iurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia. Quod exponẽs Hieron. dicit: Animaduertendum est, quòd iusiurandum hos habet comites, scilicet veritatem, iudicium, & iustitiam.

Et habetur 22. q. 2. c. Animaduertẽdum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum est, iuramentum non est bonum, nisi ei qui benè vtitur iuramento: ad bonum autem vsum iuramenti duo requiruntur. Primò quidem, quòd aliquis non leuiter, sed ex necessaria causa, & discretè iuret. Et quantum ad hoc requiritur iudicium, scilicet discretionis, ex parte iurantis. Secundò, quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, vt scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum. Et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat quod verum est, & iustitia per quã confirmat quod licitum est. Iudicio autem caret iuramentum incautum: veritate autem iuramentum mendax: iustitia autem iuramentũ iniquum, siue illicitum.

Ar. præce.

A

B

C

D

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd iudicium non sumitur hîc pro executione iustitię, sed pro iudicio discretionis, vt dictum est. Neque etiam veritas hîc accipitur secundũ quòd est pars iustitiæ, sed secundùm quòd est quædam conditio loquutionis. *In cor. art.*

¶ Ad secundum dicendum, quòd deuotio, & fides, & omnia huiusmodi, quæ exiguntur ad debitum modum iurandi, intelligũtur in iudicio. Alia enim duo pertinent ad rem, de qua iuratur: vt dictum est. *In cor. art.*

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd in iuramento est periculũ magnum: tum propter Dei magnitudinem, cuius testimonium inuocatur: tùm etiam propter labilitatem linguæ humanæ, cuius verba iuramento confirmãtur. Et ideò huiusmodi magis requiruntur ad iuramentum, quàm ad alios humanos actus.

Paraphrasis Articuli.

CONclusio est affirmatiua, quæ communis est: & probatur à D. Thom. ex Hierem. 4. *Iurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia,* super quem locũ D. Hiero. dicit animaduertendum esse, quòd iuramentum hos habeat comi- *Hieremi. 4. Hieronym.*

comites, veritatem, iudicium, & iuſtitiam: & refertur 22. quæſt. 2. c. *animaduertendum.* vbi conſentiunt omnes Iuris Canonici periti. Sed ſigillatim Doctor ſanctus explicat ſignificationem horum comitum iuramenti.

Primus comes veritas eſt, ſine quo honeſtas iuramenti omninò tollitur; quod & lumine naturæ notum, & de fide eſt. Lumine, inquam, naturæ notum, quia inter præcepta naturalia, Exodi 20. & quia finis iuramenti eſt confirmatio veritatis; qua ablata neceſſe eſt iuramenta ruere: & quia Deo grauis iniuria irrogaretur, ſi in teſtem falſitatis adduceretur. Sed notandum, in iuramento promiſſorio duplicem veritatem requiri, vnam de præſenti, alteram de futuro. Quoad priorem, iuramentum promiſſorium habet rationem aſſertorij: nam qui promittit, in præſenti affirmat ſe habere animum, & propoſitū implendi quod promittit. Deerit autem hæc veritas, ſi quis promittat cum iuramento, ſine animo implendi promiſſa: quia falſam aſſertionem iuramento confirmat. Idem dicendum de eo, qui iurat, ſciens non habere, neque habiturum poteſtatem implendi quod promittit: quia cum tali ſcientia nequit haberi propoſitum implendi promiſſum. Quoad poſteriorem veritatem, ea exigitur ad honeſtatem talis iuramenti; quia ad illam confirmandam inducitur, & ad hoc diuinum nomen interponitur.

Secundus comes iuramenti iuſtititia, eſt ex parte materiæ, id eſt honeſtas eſt requiſita: ſic enim vtimur impræſentiarum nomine *iuſtitia*. Et quidem ſi ſermo ſit de iuramento promiſſorio, res clara eſt: quia vt dicemus in art. 7. niſi ſit de re, quæ honeſtè & ſtudioſe impleri poſsit, licitum non eſt. De iuramento autem purè aſſertorio dubitat Caietanus, an illi neceſſarius hic comes ſit. Etenim licèt praua facere turpe ſit, non tamen illa ſcire: ergo neque illa narrare, aut teſtificari: ergo neque iuramento confirmare. Et confirmatur: Teſtes qui de adulterio, vel homicidio teſtificantur, licitè iurant, quamuis materia iuramenti turpis ſit: ergo. Reſpondet Caietanus, hanc conditionem, ſi referatur ad rem quæ iuratur, non requiri in iuramento aſſertorio, ſed tantùm in promiſſorio: ſi autem referatur ad cauſam iurandi (quæ debet eſſe honeſta) ſic iuſtitia requiritur, non ſolùm in promiſſorio, verùm & in aſſertorio iuramento. Honeſta autem cauſa erit, quæ iuſtè mouet hominem ad iurandum, etiamſi materia iurata aliquando turpis ſit. Et hoc eſt ad mentē D. Thomæ, qui in ſolutione ad 2. cùm dixiſſet, iuſtitiam pertinere ad rem, de qua iuratur, ſubiungit: *Quamuis poſſet dici, quod iuſtitia pertinet ad cauſam, per quam iuratur.* Quod benè declaratur in exemplo allato: nam qui propter ſeruandam iuſtitiam iurat circa turpe factum, licitè iurat. Qui verò turpe factum proximi occultum, iniuſtè reuelat iurando, illicitè iurat: & huic iuramento verè dicitur deeſſe ſecundum comitem, qui iuſtitia eſt, quia deeſt cauſa iuſta.

Tertius comes eſt iudicium, ſine quo iuramentum non fit licitè. Fit autem iuramentum cum iudicio, id eſt, cum debita & prudenti conſideratione. Sed dices: ſic explicatus comes includit veritatem, & iuſtitiam: quia ſicut prudentia dictat de alijs circunſtantijs in iuramento ſeruandis, ita de veritate, & honeſtate. Reſpondetur, eſſe diſtinguēdos hos comites ne coincidāt. Quare ſub iudicio comprehenduntur reliqua omnia, quæ præter veritatem, & iuſtitiam, ad debitum modum ſecundùm rectam prudentiam requiri videantur. Et ita ad iudiciū reducit D. Thomas in ſolutione ad 2. deuotionem, & fidem: & in corpore articuli, neceſsitatem, & vtilitatem iuramenti: quæ ſi deſint in iuramento, iudicio diſcretionis caret; quod dictat non eſſe firmandas iuramēto, & Dei teſtificatione, niſi res ſeriæ, & quæ firmitate indigent. Dices: quanta debet eſſe hæc neceſsitas ad iurandū? Nō poteſt certa regula cōſtitui; ſed iudicio prudē tū relinquenda eſt. Ad iudiciū etiā ſpectat, vt iuramenta præſtentur cum ijs conditionibus, quæ ſæpe exiguntur in iure ad debitum modū iurandi: de quibus fortaſſe circa artic. 10. Quæ autem peccata comitentur defectum iſtorum comitum; dicemus circa articulum 2. & 3. quæſtionis 98.

Caieta.

D. Thom.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm iurare ſit actus religionis, ſiue latriæ?

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd iuramentū non ſit actus religionis, ſiue latriæ. Actus enim latriæ ſunt circa aliqua ſacra, & diui-

diuina. Sed iuramenta adhibentur circa controuersias humanas, vt Apostolus dicit ad Hebræos 6. Ergo iurare non est actus religionis, seu latriæ.

2 ¶ Præterea. Ad religionem pertinet cultum Deo offerre, vt Tullius dicit. Sed ille qui iurat nihil Deo offert, sed Deum inducit in testem. Ergo iurare nō est actus religionis, seu latriæ.

Lib. 2. de inuent. in fol. 4. ante finē lib.

3 ¶ Præterea. Finis religionis, seu latriæ est reuerentiam Deo exhibere: hoc autem non est finis iuramēti, sed potius aliquod verbum confirmare. Ergo iurare non est actus religionis.

¶ SED CONTRA est, quòd dicitur Deuteronomij 6. Dominum Deum tuum timebis, & ipsi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Loquitur autem ibi de seruitute latriæ. Ergo iurare est actus latriæ.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut ex dictis patet, ille qui iurat, inuocat diuinum testimonium ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur nisi per aliquid quod certius est, & potius. Et ideò in hoc ipso quòd homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, vt pote cuius veritas est indefectibilis, & cognitio vniuersalis. Et sic Deo aliquo modo reuerentiam exhibet. Vnde & Apostolus dicit ad Hebræos 6. quòd homines per maiores se iurant. Et Hieronymus dicit super Matth. quòd qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat. Philosophus etiā dicit in 1. Metaphys. quòd iuramentum est honorabilissimum. Exhibere autem reuerentiam Deo pertinet ad religionē, siue latriam: vnde manifestum est quòd iuramentum est actus religionis, siue latriæ.

Ar. 1. huius quæst.

Matt. 5. super illud: ego autē dico, non iurare omninò. to. 9. Lib. 1. c. 3. dum refert opinionem Thaletis, tomo 3.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in iuramento duo considerantur, scilicet testimonium quod inducitur: & hoc est diuinum. Et id super quo inducitur testimoniū, vel quod facit necessitatem testimoniū inducendi: & hoc est humanū. Pertinet ergo iuramentum ad religionem ratione primi, non autem ratione secundi.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in hoc ipso quòd aliquis assumit Deum in testem per modum iuramenti, profitetur eum maiorem; quod pertinet ad Dei reuerentiam. Et sic aliquid offert Deo, scilicet reuerentiam, & honorem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd omnia quæ facimus debemus in Dei reuerentiam facere. Et ideò nihil prohibet, si in hoc ipso quod intendimus hominem certificare, Deo reuerentiam exhibeamus. Sic enim debemus aliquid in Dei reuerētiā facere, vt ex hoc vtilitas proximis proueniat: quia etiā Deus operatur ad suam gloriā, & nostrā vtilitatē.

Summa Textus.

COnclusio huius articuli eſt affirmatiua: quam probat D. Thom. in argumento, ſed contra, ex illo Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſoli ſeruies: ac per nomen illius iurabis.* Vbi tria verba ponuntur, in quibus diuinus cultus ad latriam pertinens conſiſtit. Quorũ vnũ eſt: *Ac per nomen illius iurabis.* Et in corpore articuli hac ratione. Qui iurat, diuinum teſtimonium ad ſua dicta confirmanda inuocat: ſed nihil confirmatur, niſi per id quod certiùs, & potiùs eſt: ergo eo ipſo quod quis iurat per Deum, profitetur ipſum eſſe potiorem; vt potè cuius veritas eſt indefectibilis, & cognitio vniuerſalis. Atq; ex conſequenti, iuratio per Deum eſt quędam fidei profeſsio, & actus religionis, quo Deum reueremur. Propter quod dicebat Diuus Paulus ad Hebr. 6. *Homines per maiores ſe iurant*: & Diuus Hieronymus ſuper cap. 5. Matth. *Qui iurat; aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat*: & Ariſtoteles lib. 1. Metaphyſi. *Iuramentum eſt honorabiliſsimum.*

Deute. 6.

Ad Heb. 6. Hierony. Ariſtot.

Explicatio Articuli.

COnclusio huius articuli eſt certa, & extra controuerſiam poſita. Quemadmodum enim contemplatio, quæ conſiſtit in mente; & oratio vocalis; & ſacrificium, quod fit opere, ſunt cultus religionis; ſic etiam & iuratio. Et ſicut per precationes inuocatur Deus, vt auxiliator; ſic etiam per iusiurandum inuocatur vt teſtis. Atque adeò vtrobique eſt eadem religio, & eiuſdem fidei profeſsio: nempè quod omnia ſcit, & omnia poteſt. Sed diſtinguendũ eſt de iuramento, quòd legitima iuratio, eſt cultus religionis: vana verò, eſt religionis contaminatio. Et vtrumque præceptum, ſcilicet: *Ne iures vana per eum*; &, *In neceſſitate eſt iurandum*, pertinet ad idem Decalogi: ſecundumque reducitur ad primum. Si quis autem quærat, cur non fuerit vtrũque expreſſum, ſed tantùm illud negatiuũ: *Ne iures vana per eum?* Reſpondeo, quòd quia iusiurandum per ſe nõ eſt virtus, ſicut cultus Dei, & feſtorũ ſanctificatio; ſed ſolũ ob neceſsitatem conceſſum: natura ipſa rerum exigebat, vt præcepta cultus, & ſanctificationis feſtorum, qualia ſunt duo priora, eſſent affirmatiua, tanquam de rebus, quæ per ſe ſunt optandæ: aliud verò negatiuum; ſcilicet, ne vana eſſent noſtra iuramenta. Præterquamquòd hæc negatio eſt ſimpliciter neceſſaria: affirmatio verò non item, niſi in caſu neceſsitatis. Imò ſi omnes homines eſſent innocentes, nihil aliud oporteret quàm dicere: eſt, eſt; non, nõ, vt Chriſtus admonuit. Itaque in illo præcepto: *Ne iures vana per eum*; includitur etiam, quòd vbi fuerit neceſſarium, ſolidè, & legitimè per Deum iuremus. Nec opus fuit hoc exprimere, ſed iuri naturæ relinquere, qui ſint dicendi caſus neceſsitatis. Et ideò omni iure tam naturali, quàm ciuili, & diuino, fuit ſemper iusiurandum tanquam cultus religionis habitum, quem antiqui nunquam niſi illis, quos pro Dijs colebant, tribuerunt. Imò Hieremiæ capite quinto conqueritur Deus de filijs Iſraël, quòd eum reliquerint, iurauerintque in ijs, qui non erant Dij. Sed contra hoc eſt argumentum: Finis religionis eſt reuerentiam Deo exhibere: finis autem iuramenti non eſt hoc; ſed confirmare dicta humana, quæ per ſe infirma erant: ergo iuramentum non eſt actus religionis. Ad hoc argumentum vt reſpondeat Caietanus aduertit, quòd in iuramento poſſumus duo conſiderare. Vnum quod pertinet ad eſſentiam iuramenti, & eſt inuocatio diuini teſtimonij, quod inuocare formaliter eſt reuereri ipſum Deum, vt ſuperiorem, & omnia ſciẽtem. Et hic honos, & cultus, inquit Caietanus, non ordinatur ad aliquid humanũ: ſed exhibetur Deo propter ſe ipſum, & nõ alterius rei gratia: & ſecundùm hoc, iuramentum dicitur actus religionis. Alterum, quod poſſumus conſiderare in iuramento, eſt manifeſtatio, atque confirmatio veritatis. Quæ manifeſtatio non eſt iuramentum ipſum; ſed potiùs eſt effectus, & quid conſequens iuramentum: & iſta manifeſtatio habet pro fine res humanas. Et ſic nihil obſtat argumentum. Hæc tamen ſolutio Caietani mihi non placet. Nam manifeſtatio, & confirmatio veritatis, eſt quidem effectus iuramenti: ſed eſt effectus præuiſus, & intentus, & cuius efficiendi gratia, iuramentum ipſum aſſumitur. Si ergo vtimur iuramento ad conſequendum hunc effectum, ſcilicet, manifeſtandam veritatem; & iſte effectus, qui eſt manifeſtatio veritatis, ordinatur ad res humanas: de primo ad vlti-

Hierem. 5.

Caietanus.

vltimum, ipſum etiam iuramentum ordinabitur ad res humanas; quod eſt contra ſententiam Caietani. Quo circa aliter reſpondetur, & melius, quod iuramentum poteſt comparari & ad animum iurantis, & ad habitum religionis exiſtentem in voluntate eius qui iurat: à quo habitu proficiſcitur illud iuramentum. Et quidem iuramentum per ordinem ad animum iurantis, habet pro fine præcipuo confirmare veritatem, & efficere auditorem certum earum rerum, quas audit. At verò iuramentum, id eſt, ipſa inuocatio diuini teſtimonij per ordinem ad habitum religionis, à quo oritur; quamuis fiat pro veritate confirmanda: præcipuè tamen fit propter Deum colendum. Et ratio eſt: nam religio, quoniam inclinat animum hominis ad cultum Deo exhibendum, quacunque in materia poſitum: & adducere Deum in teſtem quando eſt neceſſe, eſt ipſum Deum honorare, atque cultu afficere: idcircò religio ipſa, & habitus ille inclinat, non vt dicta noſtra confirmare velimus; nam id ad aliam pertinet virtutem: ſed ſuppoſito quod confirmare noſtra dicta volumus; inclinat nos, vt illa diuino teſtimonio inuocato confirmemus. In quo ipſe habitus religionis intendit duo. Primum, quod eſt minus principale, eſt confirmare veritatem diuino teſtimonio. Secundum, atque præcipuum, eſt exhibere Deo hunc cultum, atque honorem, quo Deus afficiatur ex veritatis confirmatione. Et per hoc facilè reſpondetur ad argumentum propoſitum.

Sed adhuc dubitas; nam ferè ſemper iurantes non ordinant iuramentum ad Dei cultum, ſed ad confirmandum, quæ ab ipſis aſſeruntur, vel promittuntur: ergo tunc non erit iuramentum actus elicitus à religionis virtute. Reſpondetur, duobus modis ſe poteſt habere homo, qui iurat, circa obſeruantiam religioſam in iurando (nam de irreligioſa iuratione non tractamus; quam non eſſe actum religionis certum eſt) poteſt iurans ad religioſam iurationem attendere, non dirigendo actualiter iuramentum ad cultum Dei; ſed tamen prudenter obſeruando, ne inter iurandum aliquid contra religionem fiat. Secundo modo poteſt hanc intentionem actualem habere: id eſt, dirigendo iuramentum ad Dei cultum, & honorem, ſicut re vera dirigibile eſt, quia iurando, ipſum profitemur omnia ſcientem, & verisſimum, in quem nulla cadit falſitas. Quando hoc poſteriori modo iuratur, res ſine controuerſia eſt, iuramentum tam ex ſe, quàm ex parte operantis, actu & formaliter eſſe actum elicitum à religione. At verò ſi priori modo fiat iuramentum, quidam exiſtimant non eſſe actu, & formaliter elicitum à virtute religionis, ſed tantùm in potentia, id eſt, ſi poſteriori modo fiat: quod falſum eſſe exiſtimo, quia vt aliquis actus ſit elicitus ab aliqua virtute, ſat eſt regulari iuxta regulas, & normam illius virtutis, ſicut ſupra in primo tomo agentes de oratione, articulo tertio, diſputatione vnica docuimus. Quibus addo, in homine licitè iurante, ſemper adeſſe voluntatem obſeruandi, & cauendi ne aliquid contra religionem fiat; & illam voluntatem ad religionem ſpectare nullus inficiabitur: quia non ſolùm eſt officium alicuius virtutis, amare, & intendere honeſtatem eius, ſed etiam cauere contrariam malitiam. Et ideò ex omnium conſenſu debet dici, iuramentum eſſe elicitiuè à religione, ſaltem ſecundùm hanc conſiderationem.

ARTICVLVS V.

Vtrùm iuramentum ſit appetendum, & frequentandum tanquam vtile, & bonum?

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd iuramentum ſit appetendum, & frequentandum tanquam vtile, & bonum. Sicut enim votum eſt actus latriæ, ita & iuramentum: ſed facere aliquid ex voto eſt laudabilius, & magis meritorium, quia votum eſt actus latriæ, vt ſupra dictum eſt: ergo pari ratione facere, vel dicere aliquid cum iuramento, eſt laudabilius,

Sup. q. 89. ar. 3. cor. Et 1. 2. q. 107. ar. 2. cor. & ad 2. Et 3. diſt. 39. art. 2. q. 1. & Pſa. 14. fi. Et Rom. 1. lec. 5.

Quæſt. 88. ar. 5. & 6.

& ſic iuramentum eſt appetendum tanquam per ſe bonum.

2 ¶ Præterea. Hieronymus dicit ſuper Matth. quòd qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat. Sed venerari, aut diligere Deum eſt appetendum tanquam per ſe bonum: ergo & iuramentum.

Mat.5.ſuper illud, Ego autem dico vobis, non iurare. tom.9.

3 ¶ Præterea. Iuramentum ordinatur ad cõfirmationem, ſeu certificationem: ſed quod homo confirmet ſuum dictum, bonum eſt: ergo iuramentum eſt appetendum tanquam bonũ.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Eccleſ.23. Vir multum iurans, replebitur iniquitate. Et Auguſt. dicit in lib. de mendacio: quòd præceptum Domini de prohibitione iuramenti ad hoc poſitum eſt, vt quantum in te eſt, non affectes, vt quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas iusiurandum.

In lib. de mendacio, ca.15.circa med. to.4.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd id quod non quęritur niſi ad ſubueniendum alicui defectui, non numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria: ſicut patet de medicina, quę quęritur ad ſubueniendum infirmitati. Iuramentum autẽ quæritur ad ſubueniendum alicui defectui, quo ſcilicet vnus homo alteri diſcredit. Et ideò iuramentum nõ eſt habendũ inter ea, quę ſunt per ſe appetẽda, ſed inter ea, quæ ſunt huic vitæ neceſſaria: quibus indebitè vtitur quicunque eis vtitur vltra terminos neceſſitatis. Vnde Auguſt. dicit in lib. de ſerm. Dom. in monte: Qui intelligit non in bonis, id eſt, per ſe appetendis: ſed in neceſſarijs iurationẽ habendam, refrenet ſe quantum poteſt, vt non ea vtatur, niſi neceſſitas cogat.

Li.1.c.30. à me. to.4.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd alia ratio eſt de voto, & iuramento: nam per votũ aliquid in Dei reuerentiã ordinamus: vnde ex hoc ipſo fit religionis actus. Sed in iuramento è conuerſo reuerẽtia diuini nominis aſſumitur ad promiſſi cõfirmationẽ. Et ideò illud quod iuramento cõfirmatur, nõ propter hoc fit religionis actus: quia ſecundùm finem morales actus ſpecies ſortiuntur.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd ille qui iurat, vtitur quidem veneratione, aut dilectione eius per quẽ iurat: non autẽ ordinat iuramentum ad venerandũ, aut diligendum eum per quem iurat, ſed aliquid aliud, quod eſt neceſſarium præſenti vitæ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut medicina eſt vtilis ad ſanandum, & tamen quanto magis eſt virtuoſior, tanto maius nocumentum inducit, ſi nõ debitè ſumatur: ita etiã iuramentum vtile quidẽ eſt ad confirmationẽ: tamen quanto eſt magis venerandum, tanto eſt magis pericu-

periculosum, nisi debitè inducatur: quia vt dicitur Ecclesiastici 23. Si fruſtrauerit, id est, deceperit, fratrem, delictum ipsius supra ipsum eirt. Et si dissimulauerit, quasi per simulationem iurando falsum, delinquit dupliciter, quia scilicet simulata æquitas est duplex iniquitas. Et si in vanum iurauerit, id est, sine debita causa, & necessitate, non iustificabitur.

Summa Textus.

COnclusio est negatiua: quam probat in argumento, sed contra, ex illo Ecclesiastici 23. *Vir multum iurans replebitur iniquitate.* & ex D. Augustino lib. de mendacio, cap. 15. dicente: *Præceptum Domini de prohibitione iuramenti ad hoc positum est, vt quantum in te est non affectes, vt quasi pro bono, cum aliqua delectatione appetas iuramentum.* Et in corpore articuli hac ratione: id quod non per se, sed ad subueniendum alicui necessitati quæritur, non enumeratur inter illa, quæ sunt per se bona & per se appetenda, vt est videre in medicina, quæ tantum salutis consequendæ gratia appetitur: sed iuramentum, vt supra diximus, non quæritur propter se, vt charitas: sed quatenus necessitas asserendæ veritatis cogit: ergo ipsum per se non est bonum, nec appetendum. Imò qui eo extra terminos necessitatis vtitur, est violator religionis, vt Diuus Augustinus docet in libro de sermone Domini in monte, capite 30.

Eccli. 23. Augusti.

Augusti.

Explicatio Articuli.

PRo intelligentia huius articuli notare oportet, quòd ex virtutibus quædam sunt simpliciter bonæ, & honestæ, & simpliciter appetendæ, vt fides, spes, charitas, iustitia, &c. quæ sunt quasi ipsa salus, & incolumitas animæ. Aliæ autem sunt, quę tantum sunt appetendę vt media ad finem. Itaque quemadmodum medicamenta non ipsa per se sunt bona, nec appetenda; sed quatenus conducunt ad morbos depellendos: ita etiam sunt aliquæ virtutes, quæ ipsæ per se non sunt appetendæ, sed appetuntur quatenus media vtilia. Cuiusmodi generis est virtus pœnitentiæ, quæ necessaria est suppositio peccato, & eatenus est virtus, quatenus conducit ad illud remittendum: & sic in statu innocētiæ opus nō esset virtute pœnitentiæ. Et ad hanc rationē pertinet iuramentum, quod suppositā humani generis pronitate ad fallēdum, approbatur tanquam res vtilis ad nostram fidem in rebus dubijs & grauibus confirmandā. Et idcircò non est per se appetendū, nec frequētandum, nisi quatenus fuerit opportunū, & necessarium ad dictorum nostrorum confirmationem.

Solutiones argumentorum dignæ sunt consideratione. Et circa solutionem ad primum posset tractari, quomodo iuramētum prout est actus religionis possit licitè ordinari ad confirmandas veritates humanas. Quod videtur asserere D. Th. quia id quod præstantius est, id est, cultus iuramenti, non debet rationē medij habere in ordine ad id quod inferius est, id est, rerum & negotiorū humanorū confirmationem De hoc aliqua tetigimus in 1. tomo. q. 81. a. 7. disp. 1. & forsasse copiosiorem disputationē apponemus infra, si tempus permiserit. Modò verò breuiter respondeo, iuramentū prout est actus religionis, ordinari ad confirmandas veritates humanas; quia deferendo cultum & honorem Deo, potest inde resultare homini aliquis effectus, & commoditas temporalis: quæ etiam potest intendi vt aliquis iuramēti finis. In eadem solutione ad primū, circa illud quod ait Diuus Thomas de differentia inter votum & iuramentum, difficultas est, an vera sit? Ait enim rem promissam per votum, eo ipso fieri actum religionis: non sic autem rem iuramento promissam. Quam differentiam approbant Caietan. & Aragon. art. 8. & Soto dicta quæst. 1. artic. 8. Sed videtur hoc esse falsum: nam si actiones vtroque modo promissæ materialiter considerētur; neutra est actus religionis vt constat. Si verò considerētur vt sunt promissæ per votum, vel per iuramentum: sicut actio promissa per votum religiosè impletur; ita etiam actio cum iuramento promissa. Ideò enim quando homo implet iuramentum, non homini, sed Deo dicitur implere iuramentum suum, vt sumitur ex capite. 5. Matthæi, & ex capite *debitores.* de iureiurando. Ergo sicut quod voto promittitur, ita etiam quod promitti-

Caietan. Aragon. Sotus.

mittitur iuramento, eo ipſo fit actus religionis. Reſpondetur, vera ſunt quæ hic inferuntur, ſed non contra D. Tho. Nam ille tantùm ait materiam voti, per ipſum votum ordinari ad cultum Dei: & ideò quantum eſt ex parte voti, actus promiſſus Deo, duplici ratione pertinet ad cultum eius: videlicet, in quantum in ſe continet aliquam ſignificationem diuini honoris, ad quem per votum ordinatur; & in quantum per illum ſeruatur fidelitas Deo ex voto debita. At verò materia iuramenti promiſſorij, ex vi iuramenti non ordinatur ad cultum Dei, quia non fit ad hoc, ſed ſolùm ad confirmandam promiſsionem, in ſua ſpecie, & natura permanentem. Hoc tamen non obſtat, quominus ſicut iurare promiſsionem eſt officium religionis; ita adimplere promiſsionem iuratam, ratione iuramẽti, & intuitu eius: quia æquè pertinet ad cultum Dei. Eiuſdem enim rationis ſunt iurare, & ſeruare iuramentum. Vnde etiam transgreſsio contraria, religioni repugnat, vt infra latiùs dicetur.

Hieronym. In ſolutione ad ſecundum, Diuus Thomas adducens teſtimonium Hieronymi dicentis: *Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat*: ait: *Ad ſecundum dicendum, eum qui iurat vti quidem veneratione, aut dilectione eius per quem iurat: non autem ordinat iuramentum ad venerandum, aut diligendum eum per quem iurat; ſed ad aliquid aliud quod neceſſarium eſt præſenti vitæ.* Hoc videtur falſum: aliàs iuramentum non eſſet actus religionis. Reſpondetur, dictum Diui Thomæ eſſe intelligendum de intentione, & ordinatione, quæ ibi ſiſtat. In quo etiam videtur votum differre à iuramento per ſe loquendo: nam ita tendit votum in cultum Dei, vt ibi ſiſtat. Iuramentum autem præter cultum Dei, ordinatur ad aliquid aliud neceſſarium præſenti vitæ: putà ad contractus firmandos, vel quid ſimile. Non tamen excluditur quin ex vi iuramenti, poſsit à iurante fieri propter venerationem Dei, vt explicatum eſt. Neque hoc D. Thom. negat: ſed explicat id quod per ſe requirit iuramentum.

Et ſi quis contra D. Thomam argumentetur. Quòd quiſque ſuam veritatem confirmet, eſt per ſe bonum, & appetendum: ſed hoc fit per iuramentum: ergo eſt per ſe appetendum. Reſpondet Diuus Thomas in ſolutione ad tertium, quod quamuis facere certam, & firmam veritatem, ſit per ſe bonum; illud tamen facere per iuramentum abſque neceſsitate, bonum non eſt. Cuius rei appoſitiſsimũ dat exemplum in medicina. Procurare namque ſalutem, bonum per ſe eſt: tamen illud per efficaciſsimum, & violentum pharmacum intentare, niſi vbi grauiſsima fuerit neceſsitas, periculoſum eſt. Eſt quidẽ iuramentum ſanctiſsimũ & validiſsimũ medium ad veritates probãdas. Atq; adeò quãto venerabilius, tanto periculoſius, niſi vrgẽte neceſsitate exhibebitur. Quod & ſignificare voluiſſe videtur Eccleſiaſticus c. 23. vbi de viro multum iurante loquens, in hunc modum dicit: *Si fruſtrauerit fratrem, delictum illius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulauerit, delinquet dupliciter: & ſi in vacuum iurauerit, non iuſtificabitur: replebitur enim retributione domus illius.* Cuius loci variæ dantur expoſitiones: ſed præſtantior eſt illa, quam ſequitur Lyranus ſuper iſtum locum. Et eſt, quod tres comites iuramenti, illic vitiati deſignantur. Qui fratrem fruſtratur eſt ille, qui falſum iurans, fratrem ſuo fine priuat, expoliando nempè illum, vel pecunia ſua, vel honore, vel fama. Et de hoc ſubdit: quod delictum illius ſuper ipſum erit: hoc eſt, manebit culpa infectus, & obligatione reſtituendi onuſtus. Qui diſſimulauerit, eſt ille, qui bonum fratris fingens; aut veritatem, quam reuelare iuramento tenetur, celat: aut illam, quam occultare deberet, iuramento prodit. Et de hoc dicit quòd delinquit dupliciter: non quia duplo plus quam prior delinquat: peius eſt enim falſum imponere; quàm verum celare, aut occultum detegere: ſed quia illa ſimulata æquitas, eſt duplex iniquitas: eſt enim iniuſtitia, etiam ſi verum prodat; atque etiam palliata iniquitas, quod eſt nouum crimen. Qui in vanum iurauerit, eſt ille, qui ſine neceſsitate, & iudicio, quamuis verum & iuſtum iurat: & hic non iuſtificabitur, quia ſaltem venialiter delinquet. Itaque ex defectu cuiuſcunque comitis in iuramento, culpa incurritur, atque pœna: maior, vel minor, iuxta grauitatem culpę quæ ex tali defectu reſultat. Defectus veritatis eſt maior: deinde defectus iuſtitiæ; & tandem minimus defectus iudicij.

Eccleſi. 23.

Lyranus.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

Vtrùm liceat per creaturas iurare?

3. dist. 39. art. 1. & in expo. lit. Et Hebr. 6. lect. 4. cor. 2.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quòd non liceat per creaturas iurare. Dicitur enim Matth. 5. Ego dico vobis non iurare omninò: neque per cœlum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neq; per caput tuum.

Super illud Matt. 5. Ego dico vobis non iurare. tom. 6.

Quod exponens Hieronymus dicit. Considera quòd hic Saluator non per Deum iurare prohibuit, sed per cœlum, & terram, &c.

2 ¶ Præterea. Pœna non debetur, nisi culpæ. Sed iuranti per creaturas adhibetur pœna. Dicitur enim

22. q. 1. ca. Clericum.

22. q. 1. Clericũ per creaturam iurantem acerrimè obiurgandum; si perstiterit in vitio, excommunicandum placuit: ergo illicitum est per creaturas iurare.

3. ¶ Præterea. Iuramentum est

Art. 4. huius quæst.

actus latriæ, sicut dictum est. Sed cultus latriæ non debetur alicui creaturæ, vt patet Rom. 1 ergo non licet iurare per aliquã creaturam.

¶ SED CONTRA est, quòd Ioseph iurauit per salutem Pharaonis, vt legitur Genes. 42. Ex consuetudine etiam iuratur per Euãgelium, & per Reliquias, & per Sanctos.

Ar. 3. ad 3. argum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut sup. dictũ est, duplex est iuramentũ. Vnum quidem, quod fit per simplicem contestationem, in quantum scilicet testimonium Dei inuocatur. Et hoc iuramentum innititur diuinæ veritati, sicut & fides. Fides autem est per se quidẽ, & principaliter de Deo, qui est ipsa veritas, secundariò autẽ de creaturis, in quibus veritas Dei relucet vt sup. habitum est. Et similiter iuramentum principaliter refertur ad ipsum Deũ, cuius testimonium inuocatur: secundariò autem assumuntur ad iuramentũ aliquæ creaturæ, nõ secundũ se, sed in quantũ in eis diuina veritas manifestatur. Sicut iuramus per Euangelium, id est, per Deum, cuius veritas in Euangelio manifestatur: & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderũt, & obseruauerunt. Alius autem modus iurandi est per execrationẽ. Et in hoc iuramento inducitur creatura aliqua, vt in qua diuinũ iudiciũ exerceatur. Et sic solet homo iurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliam rem quã diligit. Sicut & Apostolus iurauit 2. ad Corint. 1. dicens: Ego testem Deum inuoco in animã meam. Quod autẽ Ioseph per salutem Pharaonis iurauit, vtroque modo intelligi potest, vel per modũ execrationis, quasi salutem Pharaonis obligauerit Deo; vel per modum contestationis, quasi contestando ve-

ritatem diuinæ iuſtitiæ, ad cuius executionem Principes terræ conſtituuntur.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd Dominus prohibuit iurare per creaturas: ita quòd eis adhibeatur reuerentia diuina. Vnde Hieronymus ibidem ſubdit, quòd Iudæi per Angelos, &c. huiuſmodi iurantes, creaturas venerabantur Dei honore. Et eadem ratione punitur, ſecundùm Canones, Clericus per creaturam iurans: quod ad blaſphemiam infidelitatis pertinet. Vnde in ſequenti cap. dicitur. Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blaſphemia contra Deum vſus fuerit: ſi in Eccleſiaſtico ordine eſt, deponatur.

Loco citato in argumẽ.

22. q. 1. ca. Si quis per capillum.

¶ Et per hoc patet reſponſio ad ſecundum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cultus latrię adhibetur ei, cuius teſtimonium iurando inuocatur. Et ideò prȩcipitur Exo. 23. Per nomen externorum Deorũ non iurabitis. Non autem exhibetur cultus latriæ creaturis, quæ in iuramento aſſumuntur, ſecundùm modos prædictos.

Summa Textus.

SVppoſita diuiſione iuramenti, in vnũ, quod fit per ſimplicem conteſtationem; alterum quod fit per execrationem: reſpondet Diuus Thomas per duas concluſiones. Prima concluſio. Licitum eſt iurare per creaturas in Deum relatas, hoc eſt, quatenus in eis diuina veritas reſplendet; ſiue hoc fiat per modum ſimplicis atteſtationis, ſiue per modum execrationis. Et quidem quòd liceat iurare per creaturas, vt referuntur ad Deum, per modum atteſtationis, eſt res manifeſta. Nam hoc nihil aliud eſt quàm iurare per Deum: quod in ſuperioribus licitum eſſe diximus in caſibus neceſsitatis. Quòd aut ſimiliter liceat iurare per eaſdem creaturas per modum execrationis, probat D. Thom. ex Gen. 42. vbi Ioſeph iurauit per vitam Pharaonis: & ex Diuo Paulo 2. ad Corinth. 1. qui dixit: *Ego teſtem Deum inuoco in animam meam*, hoc eſt, in vitam meam. Secunda concluſio. Iurare per creaturas, exhibendo illis eam reuerentiam, & latriam, quæ ſoli Deo debetur, non eſt licitum: ſed blaſphemum, & idolatriæ impietas. Probatur, nam hoc eſt gloriam Dei in creaturas transferre.

Gene. 42.

2. Corint. 1.

Primam concluſionem D. Thomæ verã eſſe, ſtando in iure naturæ, rationes eiuſdem Angelici Doctoris oſtendunt: & ex ſacra Scriptura apertè colligitur, vſum iurandi per creaturas eſſe licitum, Deuter. 3. & 4. & etiam ex vſu Eccleſiæ idem habetur. Sed tamen eſt

Deutero. 3. & 4.

DISPVTATIO I.

An iure Diuino, Poſitiuo, vel Eccleſiaſtico ſit prohibitum iurare per creaturas?

ET videtur quòd ſic: quia Chriſtus Dominus, Matth. 5. videtur prohibuiſſe iuramentũ per creaturas. Quod videtur ſenſiſſe Hieron. ibi, & Innoc. III. in c. *& ſi Chriſtus*. de iureiurando. Dicunt enim, prohibuiſſe iuramentum per creaturas. Non prohibuit autem tantùm iurare per creaturas, vt per idola, tribuendo eis honores diuinos, quod ex verbis Chriſti Domini colligitur: *Neq; per cœlum, quia thronus Dei eſt: neq; per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, &c.* Ergo Chriſtus prohibuit iurare per creaturas, etiam conſideratas cum habitudine ad Deũ. Secundò, nam c. *Clericum*. 22. q. 1. acriter reprehenditur Clericos per creaturas iurãs, & idem habetur cap. *ſi quis*.

Matth. 5.

Hieron.

Dico. Nullo iure poſitiuo prohibetur iurare per creaturas cum habitudine ad Deũ.

De iu-

De iure Euangelico, inquam (nam de Moſayco nihil ad nos) patet, quia contra illud non egiſſet Paulus relatus, iurans per creaturas. Item: quia nulla prohibitio, aut præceptum nobis à Chriſto Domino datum eſt præter naturalia, niſi circa fidem, aut Sacramenta. Quare verba Chriſti Domini interpretatur diuus Thomas ad primum, de iuramento per creaturas eis exhibendo diuinos honores; ſicut Iudæi faciebant quando per Angelos iurabant: & idem habet Hieronymus vbi ſupra. Sed hæc verba latius explicata vide ſupra, circa articulum ſecundum. Similiter explicat textus allatos ex iure Canonico contra Clericos, qui illo in tempore permixti Gentilibus iurabant per Iouem, Venerem, & ſimiles creaturas. Quæ explicatio ſatis inſinuatur in can. 94. Trullano. Aduertendum tamen ſummopere eſt, quòd licèt iurare per creaturas cum habitudine explicata ad Deum, licitum ſit: tamen cauendum eſt ſcandalum apud eos qui neſciunt hoc diſcernere; maximè apud degentes permixtè cum paganis. Quare Chriſtiani vt præfatam habitudinem ad Deum explicent; ſolent adducere nomen Dei in obliquo, vt per cœlum Dei, per terram Dei, &c.

Notandum etiam, ne quando per creaturas iuratur, aliquid turpe nominetur, nam ex ea parte poſſet iuramento adiungi irreuerentia, aut blaſphemia: verbi gratia, iurare per membra Chriſti, aut Sanctorum inhoneſta; graue peccatum blaſphemiæ eſt. Nam licèt Chriſtus, atque Sancti ea membra poſſideant, & non ſit ignominioſum ea habere: tamen qui ea nominant, obijciũt illis ea tanquam probroſa, & ignominioſa. Et idem dicendum de quibuſcunque alijs loquutionibus, quæ ad irriſionem, vel dimi nutionem diuini honoris obijciuntur. Ita Caietanus in Sũma verbo *blaſphemia*. Corduba, lib. 1. quæſtionum, quæſt. 17. §. 15. At verò iurare per membra Chriſti, & Sanctorum honeſta, ferè ſemper eſt veniale: quia præ ſe fert quandam rationem contemptus, & irreuerentiæ. Quod ſi magna iudicabitur à viro prudenti, peccatum mortale erit. Fateor poſſe aliquando ſine irreuerentia aliqua nominari: & tũc nullum erit peccatum, vt docet Syluester verbo, *iuramentũ* 2. §. 10. vt ſi præſente Eucharistia, & cum debitis comitibus, quis iuret: per hoc Chriſti corpus, vel per illa ſancta oſſa, vel quid ſimile. At verò, qui iuraret per membra Dei, ſemper peccaret mortaliter, & blaſphemè: quia tribuuntur Deo membra, quibus carere certum eſt. Sed de hoc latius ſupra quæſt. 13. Circa eandem concluſionem eſt

Caietan. *Corduba.* *Syluest.*

DISPVTATIO II.

Vtrùm iuramentum per creaturas ſecundùm ſe ſpectatas, & ſine vlla habitudine ad Deum ſit licitum?

PRo deciſione præmittendum, huiuſmodi iuramenta non pertinere ad virtutem Religionis, quæ circa Deum verſatur: atque adeò non debere propriè appellari iuramenta, quæ actus latriæ eſſe, ait D. Thom. & omnibus cenſentur. Sed modò dubitatur, an inuocatio creaturarum in teſtes, quæ quodammodò iuramentum videtur, ſit licita? Secundò præmittenda eſt diuiſio creaturarum, in rationales, & irrationales. Et quidem per priores nullo modo licitè poſſe fieri hæc, vel apparentia iuramenta, res perſpicua eſt: tùm quia homines per maiorem ſe iurant, ad Hebræos 6. Creaturæ autẽ irrationales ſunt homini inferiores. Tùm quia non poteſt eſſe teſtis veritatis, qui illam non valet cognoſcere, vt ſunt irrationalia. Quo fit, vt qui ſic iuraret per creaturas; ex aliquo errore iurare neceſſe ſit, putans eas habere aliquid diuinum, & ſuperius homini: quod ad idololatriam ſpectat. Vel impoſsibile eſt vt intentionem iurandi habeat, niſi ignoret iurare eſſe, eum per quem iuratur adducere in teſtem veritatis. Et Nauarrus cap. 12. num. 5. ait, nullum eſſe peccatum ſic iurare: quia ſolùm eſt verbo iurare, non re: & ſolum materialiter nominatur creatura ſub verbo iurandi, quaſi ad fallendum appetitum iurandi: vel fortaſſe ad euitandum verum iuramentum. Imò aliquando poteſt fieri in contemptum dæmonis, ſicut refert Tertullianus in Apolog. cap. 44. Socratem ſolitum fuiſſe iurare per canem, & hircum, in contemptum falſorum Deorum. Quod Nauarri dictũ verum eſſe credo per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, & loquẽdo de peccato contra Religionem: nam ordinariè tale verbum poterit eſſe otioſum, vel falſum; vt ſi quis dicat ſe iurare, quando re vera non iurat.

ad Hebr. 6. *Nauarrus.* *Tertullia.*

De rationalibus creaturis diſtinguendũ

est. Nam si sunt damnatæ, vt dæmones, vel animæ damnatæ; neutiquam licet per eas iurare. Esset enim error in fide, vel saltem superstitio grauis, dum sic iurantes putarēt dæmones omnia nosse, & mētiri non posse, vel saltem esse dignos fide; & in hoc grauissimè errant, quia mendax est, & pater eius. Præterea superstitiosi essent: quia dæmonem honorant, & cum illo societatem habent. Et eadem ratio est de iurantibus per homines damnatos, vt per Mahometum. Imò aduertere hic opus est, esse etiam illicitum per tales creaturas iurare, etiam cum habitudine ad Deum. Quia licèt reuera in eis, quantum ad esse naturæ, reluceat veritas Dei; & in pœna eorum, potentia, & iustitia diuina: tamen ratione status indignæ sunt vt in eis, vel earum nomine inuocetur Deus in testimonium veritatis. Præcipuè quia talis inuocatio, iuxta communem sensum fidelium, non accipitur in eo sensu: sed tanquam præbens aliquem honorem dæmonibus. Et ideò errorem inducit, & blasphemia simpliciter iudicatur, cap. *monet.* 22. quæst. 1. & notat Nauarrus supra num. 4.

Nauarrus.

De Sanctis, Angelis, & hominibus cum Christo regnantibus, haud dubium quin frequenter, & studiosè per eos iuretur in tuitu Dei, qui in eis peculiari modo inhabitat, & virtutem, & veritatem ostendit. Quia verò huiusmodi creaturæ, quatenus intellectuales sunt, possunt veritatem agnoscere, & testificari; capaces sunt vt per eas iuretur. Sed tamen, quia sola sua natura considerata, non sunt infallibilis veritatis, neque omnia norunt; & iuramentum ex sui ratione hæc duo postulare videtur: non esset per eas vt sic iurandum. Sed quia per gloriam, eas duas perfectiones participant, scilicet non posse mentiri, & in verbo videre omnia, quæ ad suum statum pertinent ex actibus nostris, vt sunt illi qui ad eos diriguntur; ad gloriam eorum aliquo modo pertinent. Sic igitur, sine vitio aut errore posset per eos iurari: sed sic per eos iurare non fit sine habitudine ad Deum, à quo eas perfectiones participāt. Si autē instes: quid si considerētur Sancti secundum honorem eis delatum per iuramentum, præcisè ratione creatæ perfectionis, quam in se habent? Respondetur: illius generis cultus non est latriæ, sed duliæ. Vnde propriè loquendo, sic per eos iurare non est iuramentum, quia actus latriæ est: nec est in vsu fidelium has præcisiones facere, neque sic iurare; sed quatenus illius perfectionis creatæ Deus largitor est.

De hominibus viatoribus tandem dico, posse vocari in testes veritatis humanæ, non tamen in testimonium infallibile, sed dumtaxat probabile, quod falli aut fallere potest. Et ideò talis inuocatio, nec iuramentum est, nec tali nomine digna est apellari, vt notauit diuus Thomas in tertio, dist. 39. quæst. 1. art. 1. ad secundum. Imò talis inuocatio fieri potest, ita vt non cedat in specialem honorem eius qui in testem inuocatur: vt contingit in modo communi inducendi, aut trahendi homines ad testificandum in causis & litibus communibus.

D. Thom.

DISPVTATIO III.

De aliquibus iurandi formulis per creaturas.

QVædam formæ iurandi per creaturas sine ambiguitate, tales sunt: v. g. per Crucem, per Deiparam Virginem, & similes. Quædam verò sunt phrases, seu modi loquendi, de quibus dubitatur inter Doctores, quę proin de à nobis discutiendæ sunt: verbi gratia, per fidem meam, sine in fide mea: quæ à multis Iurisperitis iuramenta censentur, vt videre licet apud Felinū in cap. *querelam.* de iure iurando num. 7. vbi refert Innocentium, & alios. Idem sentit ibi Panormitanus, & alios refert Couarrubias supra. §. 2. Fundantur in aliquibus decretis, in quibus significari videtur, eum qui fidem frangit, esse periurum: vel è conuerso, eum qui dat fœnori virtute iuramenti. Quādo autē quis dicit per fidem meam, vel quid simile, præstat fidem: ergo. Maior patet ex cap. *ad aures.* de his quæ vi, & cap. *querelam,* ne prælati vices suas, & alibi sępe. Deinde ratione: nam qui fidem suam iurat, cùm sit Christianus, intelligitur affirmare per fidem Christi, quæ est simpliciter fides inter Christianos. Item quia licèt esset de hoc dubium; inclinandum esset in fauorem iuramenti. Ita sentiunt Altiatus, & alij quos refert, & sequitur Antonius Padilla in l. *si quis maior.* C. de transactionibus, num. 33. Alij distinguunt de fide simpliciter apposita; aut cum aliquo addito. Si priori modo, non est iuramentum: ita Caietanus in hoc articulo, Soto dicta quæst. 1. art. 6. Couarrubias dicto. §. 2. Nauarrus dicto cap. 12. numer. 2. & com-

Felinus. *Panormit.* *Couarrub.* *Altiatus.* *Padilla.* *Caietanus.* *Soto.* *Couarrub.* *Nauarrus.*

communiter Theologi,& Summiſtæ: Pi-
Pinelus. nelus in l. 2. C. de reſcindend. vendit. 3. parte,num. 13.Auendaño,lib.de exequen-
Gutierrez. dis mandatis Regum, cap.27. num. 6. Gutierrez in authent. *Sacramenta puberum*, C.ſi aduerſus venditionem.num.149.Fundamentum huius eſt: quia illa verba ſimpliciter prolata,intelliguntur de fide humana: & ideò per illa non adducitur Deus vt teſtis,ſed iurans tantùm affert in teſtimoniũ veritatis ſuam fidelitatem, quod ſolùm eſt per ſe ipſum iurare.Et propterea talis locutio nõ addit robur, & autoritatem aſſertioni,ſed ſolùm maiorem quandam exaggerationem,& declarationẽ aſſertionis loquentis. Maior huius diſcurſus certa mihi videtur,quidquid aliqui moderni Iuriſperiti ob latrent: quia illa habetur ex communi vſu, & ſenſu loquentium,& audientium.Senſus autem verborum ex communi vſu petendus eſt. Quare non placet diſtinctio, qua vſus eſt Soto dicta quæſt.1.art.1.Nam ſi di-
Sotus. catur (ait) in fide, non eſt iuramentum: ſi, per fidem, videri iuramentum. Verumtamen non video ex communi ſenſu loquentium hanc diſtinctionem colligi;nam communiter dicitur pro eodem *por mi fe*,& *à fe*. Similiter non placent qui aiunt, eum qui aliquid aſſerendo interponit fidem ſuam,ſi habet intentionem iurãdi verè iurare: quia vtitur creatura cum habitudine ad Deum. Reſpondetur:poterit eſſe iuramentum putatum ex conſcientia erronea. Nos verò cũ communi ſententia, quam approbamus, loquimur de verbis ipſis iuxta id quod ſignificant:quod ſi abſit error,ſed iurans ſciẽs, & prudens,velit fidem etiam humanam cũ habitudine ad Deum interponere; citra dubium iurabit: ſed nihil contra nos, qui loquimur attenta ſignificatione verborũ tantùm. Quando verò fides interponitur cum aliquo addito, diligenter examinanda eſt additio,an contrahat fidem ad diuinam; nã tunc iuramentum erit. Si verò non coarctet ad illam;non erit iuramentum. Quare exiſtimo,eos qui aſſerunt,dicentes Hiſpanè: *A fe de Caualiero*: *A fe de Hidalgo*,non iurare:quia ea fides humana eſt.Item,dicere:in bona fide, Hiſpanè, *en buena fe*, non eſt iuramentum,propter eandem rationem; quidquid dicant Pinelus, Auendaño,& Gutierrez vbi ſupra. Quibus oppono Caietanum, Sotum, & Nauarrum, quia fides humana,etiam bona fides eſt.Idem dicẽdum, ſi dicamus: in veritate bona, *en buena verdad*. At verò ſi dicatur:in fide Chriſti, vel Chriſtiana,iuramentum eſt: quia eſt atteſtatio per rem ſacram. Denique iurare per Euangelia,iuramentum,& ſatis celebre à iure eſt.Quid ſi dicatur,in fide hominis Chriſtiani: *A fe de Chriſtiano?* Reſpondetur:non eſt iuramentum: quia etiam fides humana, fides eſt hominis Chriſtiani, niſi ex intentione iurantis ad fidem ſupernaturalem determinetur.Hæc vera ſunt in rigore ſignificationis verborũ: ſed tamen expendenda eſt intentio loquẽtis. Et huiuſmodi phraſes non ſunt frequenter vſurpandæ quando ambiguæ ſunt, & aures audientium offendunt: ſæpe fortaſſe in foro exteriori reputabuntur iuramenta.

Iuxta hæc intelligẽda ſunt iura pro prima opinione citata. Et ad caput, *ad aures*, reſpondent aliqui, ibi eſſe ſermonẽ de fide Chriaſtiana, qualem ſermonem decet eſſe in iure Canonico Chriſtiano,maximè quia cum Clericis loquitur:& ferè eodem modo cætera iura interpretanda ſunt. Et illud quod dicitur: quando res dubia eſt eſſe inclinandum in fauorem iuramenti, & pro famoſiori ſignificato, videlicet, pro fide Chriſti. Reſpondetur: imò præſumendum eſt in ſalutem animæ, quia iuramentum eſt ſtricti iuris, propter periculum, & grauitatem eius,maximè quando communis vſus fauet benigniori interpretationi.

Ex dictis patet quid ſit dicendum de alijs iurandi formulis per creaturas: verbi gratia, in veritate mea, non eſt iuramentum. Secus ſi dicatur, in veritate Chriſti, aut Dei. At verò ſi dicatur,in veritate hominis Chriſtiani,habet ambiguitatem, ſed reſoluendam iuxta ſuperius dicta de fide. Idem dicendum de hac formula: in conſcientia: ſed magis ambigua eſt formula hæc,& conſulenda intentio iurantis. Nam ſi per conſcientiam intelligat animam; iuramentum eſt:ſi verò per conſcientiam intelligatur, ideſt, ſecundùm quod ego ſentio; non eſt iuramentum: quia tota illa teſtificatio reſoluitur in aſſerentem, & non in Deum.Si autem intelligatur teſtimoniũ hominis vt diuinum eſt, verè iuramentum erit.Et ſic de alijs formulis, ſeu modis aſſeuerandi aliquid, iudicato.

Pro coronide harum atteſtationum per creaturas, libet in medium adducere quendam modum aſſeuerandi aliquot enuntiata, quem grauiſsimum reputant, & quo vtuntur Hiſpani nobiles; proprio idiomate vocant *Pleyto omenage*,latinè Homagium.

Fit

Fit autem hoc modo. Nobilis, poſitis manibus ſuis intra manus alterius qui homagium recipit, fidem ſuam adſtringit Hiſpanè in hanc formam: *Doy mi fe y palabra, haziendo como hago pleyto omenage, como Cauallero y Hidalgo, ſegun el fuero de Eſpaña, de cumplir, &c.* Doctores Hiſpani ſunt diuiſi. Quidam cenſent homagium non eſſe iuramentum: quia nil reperitur in forma relata, quod diuinum ſonet; ſed omnia ad fidem humanam referuntur. In oppoſitum faciunt leges Hiſpanicæ: in quibus declaratur, violare homagium eſſe peierare, in l. 26. titulo 11. partita 3. Item quia ſi ſine iuramento, debilis eſſet eius firmitas. Priorem partem tuentur Gregorius Lopez in dicta lege, & Gutierrez. Poſteriorem tenet Couarrubias in dicto cap. *quamuis pactum*. Credo tamen de ſe non eſſe iuramentum, ſed ſolùm quoddam pactum humanum: non tamen fit ſine iuramento concomitante. Quod non ſolùm ex iuribus citatis à Couarrubia colligitur verum, ſed etiam ex legibus Hiſpaniæ l. 4. titulo 26. partita 4. ibi, promittendo, iurando, & faciendo homagium. Sed puto diuerſo modo fieri homagium in diuerſis nationibus: & ex earũ ritibus iudicandum eſt, an ſit iuramentum, vel cum iuramento; nec ne.

Greg. Lop. Gutierrez. Couarrub.

Demum circa formas execratorias per creaturas, aduertendum, quaſdam eſſe per creaturas dilectas: verbi gratia, per vitam meam, filij mei, &c. Et ſenſus eſt, Deus auferat mihi vitam, vel filio, &c. ſi hoc quod dico non eſt, aut erit verum: & has ad iuramentum pertinere non eſt dubium, vt D. Thomas docuit in hoc articulo. Quædam verò ſunt formæ execratoriæ per imprecationem mali alicui perſonæ, aut rei dilectæ: verbi gratia, Deus me occidat, Deus me priuet vita æterna, &c. ſi hoc non eſt ita. Et hæ formulæ, citra dubium, iuramenta, & grauia ſunt. Denique in his omnibus conſulenda eſt intentio iurantis: nam ſæpe fieri contingit, vt putet iuramentum eſſe, quod non eſt; & ideò peccet ex conſcientia erronea: vel è conuerſo, vt putet non eſſe iuramentum, quod re vera eſt. Et excuſabitur ſi credulitas inuincibilis ſit: vel accuſabitur, ſi vincibilis, iuxta regulas generales de ignorantia, vel errore accuſante, vel excuſante.

D. Thom.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm iuramentum habeat vim obligandi?

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd iuramentũ non habeat vim obligandi. Inducitur enim iuramentum ad confirmandum veritatem eius quod dicitur. Sed quando aliquis dicit aliquid de futuro, verum dicit, etiam ſi non eueniat quod dicit: ſicut Paulus, quamuis non iuerit Corinthum, ſicut dixerat: non tamẽ eſt mentitus, vt patet ſecundæ ad Corinth. primo: ergo videtur quòd iuramentum non ſit obligatorium.

3. diſt. 39. a. 3. q. 1. & 2. & 4. di. 29. ar. 1. ad quartum. Et quodl. 3 art. 14. Et quodl. 5. ar. 27. Et quodl. 12. a. 22.

2 ¶ Præterea. Virtus non eſt virtuti contraria, vt dicitur in prædicamentis. Sed iuramentum eſt actus virtutis, vt dictum eſt. Quandoque autem eſſet contra virtutem, aut in aliquod eius impedimentum, ſi quis ſeruaret id quod iurauit: ſicut cùm aliquis iurat ſe facere aliquod peccatum, vel cùm iurat deſiſtere ab aliquo opere virtutis: ergo iuramentum nõ eſt ſemper obligatorium.

Li. 2. Topi. cap. 3. & in cap. de oppoſitis. to. 1 Art. 4. huius quæſt.

3 ¶ Præterea. Quandoque aliquis inuitus cõpellitur ad hoc quòd ſub iuramento aliquid promittat. Sed tales à iuramenti nexibus ſunt per Romanos Pontifices abſoluti, vt habetur extra

In Decreto lib. 2. tit. 24 cap. 15.

extra de iure iuran. cap. Verum in ea quæſt. &c. ergo iuramentum non ſemper eſt obligatorium.

4 ¶ Præterea. Nullus poteſt obligari ad duo oppoſita: ſed quandoque oppoſitũ eſt quod intendit iurans, & quod intendit ille cui iuramentum præſtatur: ergo iuramentum non poteſt eſſe ſemper obligatorium.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Matth. 5. Reddes Domino iuramenta tua.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd obligatio refertur ad aliquid quod eſt faciendum, vel dimittendum. Vnde non videtur reſpicere iuramentum aſſertorium, quod eſt de præſenti vel de præterito. Neque etiam iuramentum de his, quæ ſunt per alias cauſas fienda: ſicut ſi quis iuramento aſſereret, quòd cras pluuia eſſet futura: ſed ſolùm in his, quæ ſunt fienda per illum qui iurat. Sicut autem iuramentum aſſertorium, quod eſt de præterito vel de præſenti, debet habere veritatem, ita etiam & iuramentum de his quæ ſunt fienda à nobis in futurum. Et ideò vtrunque iuramentum habet quandam obligationem, diuerſimodè tamen: quia in iuramento, quod eſt de præterito vel præſenti, obligatio eſt non reſpectu rei, quæ iam fuit vel eſt, ſed reſpectu ipſius actus iurandi, vt ſcilicet iuret id quod iam verum eſt, vel fuit. Sed in iuramento, quod præſtatur de his, quæ ſunt fienda à nobis, obligatio cadit è contra ſuper rem quam aliquis iuramento firmauit. Tenetur enim aliquis, vt faciat verum eſſe id quod iurauit: alioquin deeſt veritas iuramento. Si autem eſt talis res quæ in eius poteſtate non fuit, deeſt iuramento diſcretionis iudicium: niſi fortè quod erat ei poſſibile, quando iurauit, reddatur ei impoſſibile per aliquẽ euentum, putà cùm aliquis iurat ſe pecuniam ſoluturum, quę ei poſtmodum vi, vel furto ſubtrahitur. Tunc enim videtur excuſatus eſſe à faciendo quod iurauit, licèt teneatur facere quod in ſe eſt: ſicut etiam ſuprà, circa obligationem voti diximus. Si verò ſit quidem poſſibile fieri, ſed non debeat, vel quia eſt per ſe malum, vel quia eſt boni impeditiuum, tunc iuramento deeſt iuſtitia. Et ideò iuramentum non eſt ſeruandũ in eo caſu quo eſt peccatum, vel boni impeditiuũ. Secundũ enim Auguſtin. vtrunque eorum vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendum eſt, quòd quicunque iurat aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quòd veritas impleatur: ſi tamen alij duo comites adſint: ſcilicet iudicium, & iuſtitia.

q. præc. art. 3. ad 2.

Habet. 22. q. 4. ca. ſi aliquid, Et cæteri cæteri.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum,

dum, quòd aliud eſt de ſimpli- A ci verbo, aliud de iuramento, in quo diuinum teſtimonium imploratur. Sufficit enim ad veritatem verbi, quòd aliquis dicat id quod proponit ſe facturum, quia hoc iam verum eſt in ſua cauſa, ſcilicet in propoſito facientis. Sed iuramentum adhiberi non debet niſi in re, de qua aliquis firmiter certus eſt. Et ideò ſi iuramentum adhibeatur propter reuerentiam diuini teſtimonij, quod inuocatur, B obligatur homo vt faciat eſſe verum id quod iurauit, ſecundùm ſuam poſſibilitatem: niſi in deteriorem exitum vergat, vt *In corp. ar.* dictum eſt.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd iuramentum poteſt vergere in deteriorem exitum dupliciter. Vno modo, quia ab ip- C ſo principio habet peiorem exitum, vel quia eſt ſecundùm ſe malum, ſicut cùm aliquis iurat ſe perpetraturũ adulteriũ: ſiue quia eſt maioris boni impeditiuum: putà cùm aliquis iurat ſe nõ intraturum Religionem, vel quòd non fiet Clericus, aut quòd non accipiet prælationẽ D in caſu in quo expedit eũ accipere, vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi. Huiuſmodi enim iuramentum à principio eſt illicitum, differenter tamen: quia ſi quis iuret ſe facturum aliquod peccatum, & peccat iurando, & peccat iuramentum ſeruando.

Si quis autem iurat ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur: peccat quidem iurando, in quantum ponit obicem Spiritui ſancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator: non tamen peccat iuramentum ſeruando, ſed multo melius facit ſi non ſeruet. Alio modo vergit in deteriorem exitum propter aliquid quod de nouo emerſerat, quod fuit impræmeditatum: ſicut patet in iuramento Herodis, qui iurauit puellæ ſaltanti ſe daturum quod petijſſet. Hoc enim iuramentum poterat eſſe à Principe licitum, intellecta debita conditione, ſcilicet ſi peteret quod dare deceret. Sed impletio iuramenti fuit illicita. Vnde Ambroſius dicit in primo de Officijs: Eſt contra officium nonnunquam promiſſum ſoluere ſacramentum: ſicut Herodes qui necem Ioannis præſtauit, ne promiſſum negaret. *Lib. 3. c. 12 to. 1. Et habetur 22. q. 4. ca. Eſt etiam contra.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd in iuramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Vna quidem, qua obligatur homini cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur vt ei promiſſum non ſeruetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat quod per nomen eius promiſit. Et talis obligatio non tollitur

tur in foro conſcientiæ : quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quàm iuramentum violare. Poteſt tamen repetere in iudicio quod ſoluit, vel Prælato denuntiare, non obſtante quòd contrarium iurauit : quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum: eſſet enim contra iuſtitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiuſmodi iuramentis homines abſoluerunt, nō quaſi decernentes huiuſmodi iuramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi huiuſmodi obligationes ex iuſta cauſa relaxantes.

¶ Ad quartum dicendum, quòd quando non eſt eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, ſi hoc prouenit ex dolo iurantis, debet iuramentum ſeruari, ſecundùm ſanum intellectum eius, cui iuramentum præſtatur. Vnde Iſidor. dicit: Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ita accipit ſicut cui iuratur intelligit. Et quòd hoc intelligatur de doloſo iuramēto patet per id, quòd ſubditur: Dupliciter reus fit qui & nomen Dei in vanum aſſumit: & proximum dolo capit. Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundùm intentionem iurantis. Vnde Gregorius dicit 27. Moralium: Humanæ aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant. Diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.

Lib. 2. de ſummo bono, ca. 31. à med.

L. 27. ca. 7. ante med.

Summa Textus.

SVppoſito quòd obligatio referatur ad aliquid quod eſt faciendum vel dimittendum; & quòd ſicut iuramentum aſſertorium, quod eſt de præterito, vel de præſenti, debet habere veritatem; ita etiam & iuramentum de ijs quæ ſunt fienda: reſpondet diuus Thomas ad propoſitam diffi cultatem per aliquot propoſitiones. Prima concluſio. In iuramento tam aſſertorio, quàm promiſſorio ſua ineſt obligatio, quāuis diuerſimodè. Nam in iuramēto aſſertorio, obligatio eſt vt res præſentes vel præteritæ reſpondeant dictis. At verò in promiſſorio, vt res futuræ dictis correſpondeant. Secunda concluſio. Si quis id iurat quod nō eſt in ſua poteſtate, vt ſi pauper ſub iureiurando talentum polliceretur; deeſt iuramento tertius comes, nempè diſcretionis iudicium: & tunc per impoſsibilitatem excuſatur iurans à voti adimpletione, dummodo quantum eſt in ſua poteſtate faciat. Tertia concluſio. Si quis iuret poſsibilia, illicita tamen, aut maioris boni impeditiua; deeſt iuramento ſecundus comes, nempe iuſtitia: & ipſum iuramentum nullam obligationem inducit. Quarta concluſio. Quicunque iurat ſe aliquid facturum, modò iuret comite iudicio, atque iuſtitia, tenetur id quod promiſit verum efficere. Has omnes concluſiones, velut notas ex terminis relinquit diuus Thomas.

Circa articulum notatio.

IN hoc articulo, omiſſa obligatione iuramēti aſſertorij (de qua ſatis dictum eſt in præcedentibus) multa de obligatione promiſſorij meditanda ſunt, deſumenda partim ex ipſamet obligatione; partim ex materia circa quam iuramentum verſatur; partim ex circūſtantijs quę iuramentum promiſſorium comitantur. Sit igitur

PRI-

PRIMA DISPVTATIO.

Quanta est hæc obligatio iuramenti promissorij?

EX dictis in articulo quinto facilis fit respõsio. Est obligatio religiosa, prouenìens ab actu pertinente ad virtutẽ Religionis : estque ex genere suo obligatio grauis. Quod vel ex eo colligitur, quia pertinet ad virtutẽ valde perfectam ac proximam Theologicis virtutibus. Insuper ex materia circa quam versatur colligitur, videlicet res grauissimæ pacis ac belli, quæ iuramento firmantur: hìc enim est iuramenti finis, dicente Paulo ad Hebr.6. Hoc non obscurè indicat D. Tho. infra q.98.art. 3. dicens periurium etiã cõtra iuramentum promissorium esse peccatum mortale ex genere suo. Vide in primo tomo, quæst.88.art.5.disp.4.

ad Hebr.6.
D.Thom.

Aliæ hic deberent disputari quæstiones: An ad obligationem iuramenti promissorij requiratur deliberatus cõsensus, & intentio iurandi, ac se obligandi? Quæ in simili de voto, à me disputatę sunt in primo tomo, q. 88.disp.4.5.& 7. quæ si recolantur, & iuramento applicẽtur, nil desiderabitur: & ideò ne eadem bis repetamus, ad eum locum Lectorem remitto.

DISPVTATIO II.

An in iuramento promissorio acquiratur obligatio alteri cui fit promissio? An soli Deo?

DIco primò. Obligatio iuramenti promissorij, primariò, & principaliter est respectu Dei. Probatur: quia actus iuramenti primariò pertinet ad Religionem : religio autem primariò reddit debitũ Deo. Secundò: quia stat aliquando iuramentum promissoriũ, sine promissione factà homini: vt quãdo quis iurat actum futurum, qui nõ est promissio: ergo tunc ille actus respicit Deum primariò: imò nullo modo hominem : quia nulla ei fit promissio.

Secundò dico. Quando iuramẽtum promissorium supponit veram promissionẽ factã homini, licèt primariò & principaliter eius obligatio attẽdatur respectu Dei, ideſt propter reuerentiam ei debitã : secundariò tamen etiã attenditur respectu hominis, & tunc ille actus iurandi est à fidelitate debita homini, & à Religione; atque adeò obligatio nascitur à duplici virtute. Vide quæ dixi in simili de voto in primo tomo, quæst. 88.art.5.disp.2. Quibus superaddo, &

Dico tertiò. Si vera est ea sententìa, quæ asserit, posse reperiri iuramentum promissorium sine vlla promissione, neque in ordine ad Deum, neque respectu hominis; tale iuramentum nõ inducit aliam obligationem præter quam in ordine ad Deum, & nullam respectu hominis, cuia interest obseruatio iuramenti. Assertio conditionalis (& si antecedens est verum, de quo supra circa articulum primũ disputatione prima) ex terminis clara est. Exemplum in eo qui propositum faciendi aliquid iuramento firmat, nullo modo intendẽs promittere. Probatur assertio: quia nõ implens huiusce modi iuramentum, offendit dumtaxat Deum, & non hominem, cui neque promisit aliquid, nec cum illo pactum fecit. Ergo solũ contra Religionem peccat, quia adducit Deum vt testem futuri actus, quem opere non præstat.

DISPVTATIO III.

An iuramentum per falsos Deos sit obligatorium?

AAriè de hoc loquũtur Doctores. Quidam affirmãt. Ita multi Theologi in 3.dist.39. Anton.2. parte tit.10.ca.4. Innocent. Parnorm. & alij in c. *& si Christus.* de iureiurãdo, Sylueſt. verbo, *iuramentum.* 4.q.4. Hæc sententia probatur primò ex Augustin. epist.154. ad Publico. & refertur in cap. *mouet.* 22. q. 1. vbi clarè asserit, eum qui per falsos Deos iurat se fidem seruaturum, & illã non seruat, bis peccare : quia & fidem, & iuramentum frangit. Ergo supponit illud iuramẽtũ obligare. Confirmatur : quia iurans mẽdacium assertoriũ per falsos Deos, periurus est: ergo frangens iuramentum promissoriũ simile, periurus erit. Turrecremata in dicto c. *mouet.* art.1. & D. Antoninus vbi supra sentiunt, ea iuramenta obligare ratione fœderis, & pacti initi, licèt non obligent ratione iuramenti.

Antoninus
Innocent.
Panormit.
Sylueſt.
Augustin.

Turrecre.
Antonin.

Pro decisione dico primò. Iuramentum per falsos Deos, per se, & ex vi sua nõ obligat. At ex conscientia erronea iurantis, ipsum obligat. Ita Sotus, lib.8.de iust. q.2. art.3. & Couarru. supra, parte 1. §.10.n.10. versu

Sotus.
Couarrub.

verſ. *ego ſanè*. Prima pars probatur: quia præ A fata iuramenta non ſunt iuramenta vt dictũ eſt ſupra circa articulum ſextum: ergo nullam obligationem inducunt. Secundò, quia obligatio iuramenti eſt à virtute Religionis, & pertinet ad veri Dei honorem: ſed iſtihæc iuramenta vtroque carent: ergo. Secunda pars aſſertionis probatur: quia conſcientia erronea habet vim obligandi, ſub ea ratione ſub qua concipitur, vt habetur 1.2. quæſt. 19. In his autem iuramentis interuenit conſcientia erronea, nimirum quia putantur eſſe vera iuramenta, maximè ab infidelibus exiſtimantibus (ſed erroneè) eos per quos iurant eſſe veros Deos, & iurare per ipſos cedere in Dei veri honorem, & eos actus à virtute Religionis proficiſci: ergo huiuſcemodi conſcientia erronea dictat, ea eſſe obligatoria & ſeruanda. Vnde Cicero Gentilis colens idola, lib. 3. de Officijs ait: *Nullum vinculum ad ſtringendam fidẽ iureiurando maiorem eſſe voluerunt*.

Cicero.

Ex hoc ſequitur primò. Si infideles conuertantur ad fidem, vel intelligant ſuorum Deorum falſitatem: nõ obligantur iuramentis factis per falſos Deos, quia illa tantùm obligabant ex conſcientia erronea: hæc depulſa eſt per cognitionẽ veræ fidei: ergo, &c. Secundo ſequitur, iuramentum per falſos Deos emiſſum ab homine fideli, nõ obligare illum in vi iuramenti. Hoc eſt contra Innocent. & Abbatem vbi ſupra. Probatur: quia iam diximus huiuſmodi iuramenta non obligare etiã infideles, niſi ex conſcientia erronea: ſed hæc non eſt in homine fideli; ſupponimus enim adhuc permanere fidelem, ſed fortè vt morem gerat Principi infideli, vel vt ſe in caſu infidelem ſimulet, ſic iurare: ergo, &c. Quod ſi ineptè exiſtimet, iuramentum ſic factum obligare illum; obligabitur ex erronea conſcientia: qua depulſa non amplius obligabitur. Obijciet quis cum præfatis autoribus in dicto cap. *& ſi Chriſtus*. non eſſe iurandum per creaturas: & ſi iuretur, iuramentum eſſe implendum. Reſpondetur melius quàm Gloſſa, ibi fieri ſermonem de iuramento facto per creaturas vt relatas ad verum creatorem. Quod non infimè colligitur, ex his quæ ſubduntur: nempe quia teſte veritatis, qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper thronũ. Hæc tamẽ duo corolaria intelligenda ſunt formaliter, de obligatione iuramenti vt iuramentũ eſt: nam ſi res iuratæ per huiuſmodi iuramenta, habent fœdera vel pacta, quæ ſeruari poſſint ſine præiudicio fidei, & Religionis Chriſtianæ, & aliàs licita: firma manent quoad obligationem iuſtitiæ vel fidelitatis humanæ: quia hæc non tollitur per hoc quod iurentur iuramento peruerſo: ſic enim vocat illud D. Tho. in hac quæſt. art. 1. ad primum, non quia verum ſit, ſed tantùm putatum. Et D. Auguſt. relatus in c. *monet*. intelligendus eſt de eo qui ex conſcientia erronea iurat per falſos Deos.

D. Thom.

Auguſt.

DISPVTATIO IIII.

De duplici obligatione iuramenti promiſſorij.

DOminus Caietanus circa ſolutionẽ ad primum D. Tho. notat & benè, duas in quolibet iuramẽto promiſſorio reperiri obligationes. Sicut enim requiruntur duæ veritates: vna in qua conuenit cum aſſertorio, ſcilicet vt dicat verum, hoc eſt vt quando iurat habeat propoſitum adimplendi quod promittit; quæ eſt veritas de præſenti: Altera in qua differt ab aſſertorio, videlicet vt poſt factum iuramentũ, impleat quod iurans promiſit ſe facturũ: ita etiam habet duplicem obligationem, alteram cadentem ſuper ipſo actu iurandi, videlicet vt iuret verè promittere, ideſt habere animũ implendi promiſſum quando iurat: & in hoc conuenit cum iuramento aſſertorio. Alteram cadentem ſuper rem, quæ adimplenda iuratur, ſcilicet vt faciat ſic eſſe tempore quo tenetur; & in hac differt ab aſſertorio, nam in priori pro aſſertorio iudicatur. Hęc ab omnibus acceptantur.

Caietanus.

Sed difficultas eſt: An in eis iuramẽtis, quæ circa articulum primum inter promiſſoria numerauimus, in quibus rigoroſa promiſsio nõ inuenitur, reperiantur hæc duplex veritas, & hæc duplex obligatio? v.g. ſiquis habeat propoſitũ faciẽdi aliquid, putà legere aut ſcribere, nulla ſuperaddita promiſsione id ipſum iuramento cõfirmet. Et quidẽ illis autoribus quos vbi ſupra citauimus, aſſerentibus tale propoſitum iuramento firmatũ tranſire in promiſſionem nullam; hæc dubitatio faceſſet negotiũ, nã conſequenter dicent, duas in præfatis iuramentis reperiri obligationes, ſicut in iuramento cõfirmante veram & rigoroſam promiſsionem. Solũ dubitatio procedet pro ijs, qui cenſent nullam ibi reperiri promiſsionẽ. Et videtur non adeſſe ibi ſpecialẽ obligationem adimplendi rem iuratam: ſed dũtaxat reperiri obligationem habendi de præſenti, cũ iuratur, propoſitum implendi. Et arguitur ſic: Præfata iuramẽta ſunt aſſertoria tantùm: ergo non inducunt obligationem in futu-

rū, ſed ſolùm dicendi veritatem cum fiunt. Antecedens probatur: quia hoc eſt propriū iuramenti promiſſorij, vt cadat ſupra promiſsionem: quæ nulla extat in præſentiarum vt ſupponimus. Secundò, ſi quis iuraret expreſſe hoc modo: iuro me habere propoſitū faciendi cras hoc vel illud, obligatus eſſet ad habendum nunc illud propoſitum: tamen ex vi iuramenti, non teneretur perſeuerare in illo propoſito, quia non iurauit hoc: vnde nec teneretur ex vi eiuſdem iuramenti id exequi quod propoſuit. Sed non plus iurat, qui ſimplicem aſſertionem de futuro iurat: ergo non plus obligatur. Probatur minor: quia qui ſimpliciter dicit ſe facturum hoc ſine promiſsione, non aliud dicit niſi ſe habere propoſitum faciendi, quia, vt ait diuus Thomas in ſolutione ad primum, non plus requiritur ad veritatem ſuæ aſſertionis: ergo etiam qui talem aſſertionem iurat, non plus iurat. Ergo non plus obligatur illo iuramento, quàm ſi expreſſe iuraſſet, ſe habere propoſitum faciendi hoc.

Pro deciſione ſit noſtra aſſertio. Iuramentum cadēs in aſſertionem de futuro, etiam ſi promiſsionem non ſupponat (de quo ſupra circa articulum primum dixi) præter obligationem dicendi verum de præſenti, quam includit vel ſupponit, inducit ſpecialem obligationem ad faciendū id quod iuratū eſt. Hæc habetur ex D. Tho. hîc ad primū, & in corpore articuli, vbi nulla facta mētione promiſsionis ait, iuramentū de aliquo faciēdo, quod eſt in poteſtate iurantis, obligare in futurū ad faciendum illud. Vnde quando dicit, iuramentum aſſertorium obligare tantùm ad veritatē præſentem, vel præteritam; apertè reſtringit ſermonem ad iuramētum de re præterita vel præſenti. Et loquens de iuramento rei futurę ſolum excipit vel ea quæ futura ſunt ab alijs cauſis, vel quæ non ſunt in poteſtate iurantis ſimpliciter, vel honeſtè, & rationabiliter. Et tandē concludit, iuramentum de futuro ſi habeat alios comites iudicij, & iuſtitiæ, obligare vt fiat quod iuratum eſt, vt tertius comes, ſcilicet veritas, iuramento non deſit. Veritas autem reſpicit aſſertionem vt talis eſt: ergo etiamſi nulla fiat promiſsio, ſola aſſertio de futuro ſufficit, vt ratio iuramenti omninò verificanda ſit. Quod magis declarans in ſolutione ad primum ait, quòd iuramentū adhiberi non debet, niſi in re de qua aliquis firmiter certus eſt. Ergo quando iurat aſſertionem futuram, ſi rectè iurat, illam affirmat vt firmiter ſibi certam, quantum in ipſo eſt, vt aſſertio iurata firma permaneat. Præterea probatur aſſertio. Interdum accidit, promiſſionem iuratam eſſe inualidam in ratione promiſsionis; vt promiſsiones per iniuriam extortæ: & nihilominus iuramentum obligat ad faciendum quod dictum eſt, vt infra dicemus: ergo ibi tota ratio obligationis conſiſtit in faciendo veram aſſertionem de futuro.

Ad argumenta facta in oppoſitum reſpondetur. Ad primum, huiuſmodi iuramenta dici promiſſoria, eo quod aſſertio de re faciendā in futurum, hoc ipſo quod iuramento firmatur, habet vim pollicitationis ſeu promiſſionis, vel formaliter, vel eminenter: & ideò appellari ſolere promiſſoria iuramenta, quæ illam aſſertionem confirmant. Declaratur à ſimili: quia promiſsio etiam ſimplex, addit vltra puram aſſertionem faciendi aliquid in futurum, quandam firmitatem in præſenti propoſito faciendi illud: quæ conſiſtit in obligatione perſeuerandi in illo, donec impleat quod promiſſum eſt. Ita iuramentum ſuperueniens veritati de futuro, dat illi quandam firmitatem altioris ordinis, quam ea quæ eſt in promiſsione, videlicet ad faciendum vt in tali aſſertione veritas non deficiat: ideòque talis aſſertio iurata pro pollicitatione habetur, & illo nomine ſignificatur. Et fortaſſe hoc voluerunt citati autores, dicentes talem aſſertionem iuratam tranſire in promiſsionem: nimirum quia equiualet promiſsioni. In hoc tamen reperio diſcrimen: quia in riguroſo iuramento promiſſorio, promiſsio prius natura ſupponitur, & ſupra illā cadit iuramentum dans illi firmitatem maiorem quàm antea habebat, videlicèt dimanantem à virtute Religionis, quæ poſtulat vt propter reuerentiam diuini nominis inuocati, promiſsio firmior ſit. At in iuramentis his de aſſertione pura faciendi aliquid in futurum; iuramentum ſupra veritatem de futuro cadit, nullam habentem firmitatem pro futuro, niſi illam quam accipit ex vi iuramenti ſupra illam cadentis. Ea autem naſcitur, ex eo quod inuocatur ſupra illum Deus in teſtem: & ratione talis inuocationis, & reuerentiæ debitę diuino nomini, tantam accipit firmitatem, vt ſine noxa nequeat tempore ſuo illa veritas iurata non adimpleri.

Ad ſecundum negatur minor: nam quando aliquis iurat abſolutè aliquid facturum, non tantùm iurat ſe habere tunc propoſitum id faciendi; ſed ſimul etiam iurat ſe permanſurum in illo propoſito, donec cum effectu illud impleat: & ad hoc totum firmandum, Deum in teſtem adducit. De illo etiam qui

A B C D

D. Thom.

qui ſimpliciter, & ſine iuramento affirmat, ſe aliquid facturum, non verè dicitur illum ſolũ affirmare, ſe habere tunc propoſitum faciẽdi: nam verba illa plus ſignificant, & ille totum id affirmat, quod verba ſignificant. Nec diuus Thom. in citata ſolutione oppoſitum docet: ſed duntaxat ait, vt ille verum loquatur ſatis eſſe quod habeat tunc propoſitum faciendi; nam hoc ſatis eſt vt probabiliter exiſtimet ſe id facturum. In quo ſenſu intelligitur eſſe vera illa propoſitio contingens ſimpliciter pro lata: & quia per illam aſſertionẽ ſolã non obligatur quis ad faciendum, vt illa propoſitio de futuro re ipſa verificetur. Et ideò ad illius veritatem dicitur ſufficere propoſitum faciẽdi quod dicitur: non quia illud ſolùm ſignificetur, ſed quia illud ſolùm exigitur ad definitã veritatem de præſenti, & probabilem de futuro, quæ ſolùm in tali ſermone exigitur. At verò quando additur iuramentum, additur obligatio faciendi verum, & certum factum futurum, quantum in ſe eſt, propter reuerentiam diuini nominis inuocati: & quoad hoc non eſt ſimilis ratio.

In corpore articuli, & in ſolutione ad ſecundum, Angelicus Doctor agit de materia neceſſaria, circa quam iuramentum verſari debet, vt obligationem inducat: de qua re nos multa diſputabimus. Et ideò ſit

DISPVTATIO V.

An iuramentum promiſſorium de re impoſsibili iuranti ſit obligatorium?

D.Thom. DIuus Thomas in corpore articuli ſic ait: *Tenetur iurans facere verũ eſſe id quod iurauit, alioquin deeſt veritas iuramento. Si autem eſt talis res quæ in eius poteſtate non fuit; deeſt iuramento diſcretionis iudicium: niſi fortè quod erat ei poſsibile quando iurauit, reddatur ei impoſsibile per aliquem euentum. Tunc enim excuſatus eſſe videtur à faciendo quod iurauit: licèt teneatur facere quod in ſe eſt, ſicut etiam circa obligationem voti diximus.* Hæc D. Tho.

Ex quibus verbis duo colliges. Primum diuerſe iudicandum quando à principio iuramenti materia erat iuranti impoſsibilis, & tunc iuramentum fuiſſe nullum certò certius eſt. Si verò à principio materia erat poſsibilis, ſed propter aliquem euentum facta fuit impoſsibilis: tunc iurantem eſſe excuſatum à iuramento præſtando, quamdiu illa impoſsibilitas durat; etiam certũ eſt. Secundum videre licet apud D. Tho. ſe remittentẽ ad ea quæ dixit in materia de voto, quod & nos ſequentes eius veſtigia faciemus, notantes aliqua quando materia partim poſsibilis eſt, partim impoſsibilis, vel quando eius partes ſunt ſimul incompoſsibiles. De quo

Dico primò. Quando materia totalis iuramenti eſt totum aliquod moraliter, & ſecundùm ordinarium vſum indiuiſibile, quando aliqua eius pars phyſicè ſit poſsibilis: iuramẽtum de illo toto factum non eſt obligatoriũ: v.g. ſi quis iurat confiteri peccata ſua; ſi non poteſt confiteri, non tenetur habere dolorẽ de peccatis, licèt ille ſit pars Sacramenti confeſsionis. Item, ſiquis iuret ſe ædificaturum templum, & tantùm poſsit ſacellũ conſtruere, non tenetur ex vi iuramenti. Probatur: quia materia illius iuramenti eſt iuranti impoſsibilis.

Secundò dico. Quando materia iuramenti totalis non eſt totum aliquod moraliter, & ſecundùm ordinarium vſum indiuiſibile, ſed eſt tantùm vel ſpecies quædam, aut collectio actuum: tunc licèt nõ ſit poſsibile, totam materiam, & ſingulas partes ſeruare, tamen iuramentum obligat ad partes, vel collectionem partium poſsibilem, quando de contraria intentione iurantis non conſtiterit: v.g. ſi quis iuret totam Quadrageſimam ieiunare; ſi non poteſt integram, ſed partem, id tenetur ſeruare.

Dico tertiò. Quando impoſsibilitas materiæ iuramenti prouenit ex modo acceſſorio actui principaliter iurato; iuramentum obligat ad actum ipſum ſecundùm ſe ſecluſo modo: v.g. ſi quis iurauit ire Hieroſolymam genibus flexis; tenetur ire modo poſsibili, reiecto impoſsibili. Hæc omnia à me diſputata & deciſa ſunt in ſimili de voto, circa articulum ſecundum diſp. 5. ideò ab eorum copioſiori diſputatione ſuperſedeo.

Dico quartò. Si res iurata facta eſt impoſsibilis poſt iuramentum emiſſum, non obligatur iurans ad ſeruandum iuramentũ. Hæc aſſertio patet ex D. Thom. hîc.

Dico quintò. Si poſt emiſſum iuramentũ validum, ceſſet cauſa finalis iuramenti; ceſſat obligatio eius: quia iuramentum debet eſſe actus humanus, qui ſine fine non conſiſtit. De hac re multa dixi in primo tomo, agens de voto in diſputatione 12. circa articulum tertium; quæ omnia procedunt de iuramento.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm iuramentum promiſſorium de actu moraliter malo ſit obligatorium?

ACtum moraliter malũ appellamus eum qui ſine peccato præſtari non poteſt. Et aſſertio cõmunis omniũ eſt negatiua & certa: quam innumera iura clamãt, cap. *Quanto.* de iureiurãdo. vbi & ratio redditur: quia iuramentum, non vt eſſet vinculum iniquitatis eſt inſtitutum. Vnde eſt regula iuris §8. in 6. *Non eſt obligatoriũ contra bonos mores præſtitũ iuramẽtũ.* Vbi Gloſſa citat plura iura, & habentur 22. quæſt. 4. ferè per totam, vbi ex Concilijs, & Patribus multa referũtur. Et cap. *ſi verò*, & in cap. *non contingat*, de iureiurando. dicitur, iuramẽtum quod vergit in interitum ſalutis æternę, non obligare. Qui textus, & cap. *quamuis.* de pactis in 6. vel loquuntur ſpecialiter de iuramento, quod ſine mortali culpa impleri non poteſt: vel quod verius credo, loquuntur generaliter de omni culpa tam mortali quã veniali: & veniale ſaltem, quãuis immediatè nõ priuet vita æterna; nihilominus diſponit ad mortale: nam qui minima negligit paulatim defluet, & impedit quamdiu durat cõſecutionem vitæ æternæ, & reddit hominem aliquo modo indiſpoſitum ad Dei amorem. Quare meritò dici poteſt, vergere in diſpendiũ ſalutis æternæ: quod alia iura vocant iuramentum vergere in peiorem exitum in cap. *ſi aliquid.* 1. & 2. 22. q. 4. Igitur aſſertio noſtra intelligitur de iuramento, quod ſine culpa ſiue mortali, ſiue veniali impleri non poteſt. Et ratio deſumitur ex D. Thoma ad ſecundum: nam virtus non eſt virtuti contraria: ſed iuramentum eſt actus virtutis, vt dictum eſt art. 4. huius quæſtionis: ergo ſi emiſſum de culpa obligaret, eſſet contrarium virtuti, quæ obligat ad cauendam culpam: & ſic homo ad duo cõtraria obligaretur, nimirum ad cauendam culpam, & ad eam perpetrandam propter iuramenti obligationem.

D. Thom.

Contra hanc aſſertionem ſolent obijci aliquot ſacræ Scripturæ teſtimonia; in quibus iuramenta de re culpabili, vt obligatoria recẽſentur. Primum teſtimoniũ eſt Leuit. 5. *Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis, vt vel malè quid faceret, vel benè, & non fecerit, & id ipſum iuramento, & ſermone firmauerit: obliataq; poſtea intellexerit delictum ſuum; agat pœnitentiam pro peccato, &c.* En iuramentum de aliquo malo faciendo, obligatoriũ erat. Reſpõdet Lyra, ibi non fieri ſermonem de iuramẽto faciendi aliquod malum: ſed de iuramento de aliquo bono faciendo, quamuis malefacto, putà quia leuiter, & ex impetu paſſionis. Sed hæc expoſitio aliena eſt à textu, qui non ait, ſi quis benè vel malè iurauerit; ſed qui iurauit vt malè vel benè quid faceret. Alij dicunt verbum illud *male facere*, non intelligi de malo culpæ, ſed de malo pœnæ: v. g. iurare ſe ipſum affligere, vel proximũ iuſta afflictione. Ita Cyril. Hieroſol. lib. 3. in Leuit. & Oleaſter ibi, exponens *male facere*, ideſt affligere ſe. Eſtq; probabilis expoſitio. Alij, peccatum pro quo ibi iubetur offerri ſacrificium, non eſſe dũtaxat peccatum non implendi iuramentum, ſed abſolutè quodcunque peccatum in iuramento cõmiſſum, ſiue illud fuerit in iurando, ſine in non implendo quod iuratum eſt. Quam expoſitionẽ amplectitur Abulenſis, & eſt conſentanea Auguſtino, quæſt. 3. in Leuit. Sed facilior eſt, & fortaſſe verior ſecunda expoſitio.

Lyranus. *Cyrillus.* *Oleaſter.* *Abulenſ.* *Auguſt.*

Secundum teſtimonium habetur Iudic. vltimo, vbi narratur, filios Iſraël iuraſſe, non daturos filijs Beniamin filias ſuas in vxores: quod iuramentum videtur factum praua intentione extinguendi Tribum Beniamin, & nihilominus illud iuramentum ſeruatum eſt. Ad hoc variè reſpondent Autores. Quidã, illud iuramentum non fuiſſe de re intrinſecè mala, quia bellum Iſraël contra Tribũ Beniamin erat iuſtũ, & ex Dei voluntate, vt patet ex cap. 20. Vnde in pœnam delicti Beniamitarũ, potuit illud iuramentũ ſine peccato fieri. Abulenſ. ibi quæſt. 6. tenet Iſraëlitas graui ter peccaſſe in illius iuramenti emiſsione: quia in caſu illo neceſsitatis, iniquũ (ait) erat non dare illis vxores. Et quæſt. 7. ait, deceptos eſſe ignorantia culpabili. Quocũque modo exponas, nil contra noſtram aſſertionem.

Iudi. vlt. *Abulenſ.*

Tertium teſtimoniũ habetur 1. Eſdræ 10. duxerant enim Iſraëlitæ vxores alienigenas, & ex illis filios procreauerant, & poſtea iurarunt proijcere illas cum filijs ſuis: quod iuramentum videtur eſſe contra legem naturalem de perpetuitate matrimonij, & contra legem de alendis filijs etiam illegitimis. In quo teſtimonio explanando, ſupponendum eſt vt certiſsimum, iuramentum illud factũ, iubẽte Eſdra viro ſanctiſsimo & doctiſsimo, fuiſſe licitum; ſiue illud fuerit per declarationem præcepti, ſiue per diuinã diſpenſationẽ. Vnde Auguſt. lib. 1. de adulterinis coniugijs, cap. 18. inquit: *Quas duxerant Domino prohibente, Domino iubente dimiſerunt.* Aut fortaſſe ſine diſpen-

Leuit. 5. *1. Eſd. 10.* *Auguſt.*

diſpẽſatione ea electio vxorum, & filiorũ ſancta eſt: quia non poterant fideles cum alienæ ſectæ mulieribus cohabitare ſine iniuria creatoris, iuxta verbũ Domini Deut. 7. in illo autem caſu licitum eſt dimittere vxorẽ infidelem, vt ſumitur ex Paulo 1. ad Corint. 7. & 2 Corint. 6. Et ita ibi nihil actum eſt cõtra perpetuitatem matrimonij, quę hanc conditionẽ habet incluſam: neque etiã contra legẽ de alẽdis filijs: quia educati erant à ſuis matribus ritu Gentilico, vel quia non conſtat illos dimiſiſſe ſine neceſſarijs alimentis. Alij dicunt, illas alienigenas non fuiſſe veras vxores, ſed concubinas, vetante Domino illa matrimonia Deut. 7. Ita Gratianus 28. quæſt. 8. Sed hoc in materia matrimonij: ſatius eſt præcedentes ſententias ſequi.

Deut. 7. *1. ad Cor. 7* *2. ad Cor. 6.* *Gratianus.*

Quartum teſtimoniũ habetur Ioſue 9. vbi narratur, Ioſue iuraſſe fœdus initum cum Gabaonitis: & ſe illo iuramento obligari ſenſit, quauis tale iuramentum eſſet contra præceptum Domini, Deut. 7. *Non inibis cum eis fœdus.* Præterea colligitur illud iuramentũ fuiſſe validum ex 2. Reg. 21. vbi dicitur, Deum afflixiſſe fame populũ propter Saul: quia occidit Gabaonitas contra fœdus iuratum: ergo obligabit illud iuramẽtũ. Hoc teſtimonio cõuictus Gratianus 22. q. 4. §. vlt. ait, iuramentũ contra præceptum diuinũ aliquando obligare, ſaltem interueniente ignorantia facti: ſed valde errat Gratianus. Quare meritò à Gloſſa, & ab omnibus reprobatur: quia cũ tale iuramentum ſit contra diuinum ius; non minus reprobandũ eſt, quàm ſi eſſet contra ius naturale: quia ſupra peccatũ cadit. Gratianum rectè impugnat Abulenſis Ioſue 9. q. 29. quia quãuis ignorantia Iſraëlitarũ, ſi perſeueraret, potuiſſet facere vt ex cõſcientia erronea obligaret iuramentum; tamen ablata ignorantia non poterat durare obligatio iuramenti, quia iam ceſſabat conſcientia erronea, & conſtabat rem iuratam non eſſe licitam: quia præcedens ignorantia non abſtulit re ipſa obligationem legis Dei. Ergo ablata ignorantia, iam non poterat obligare iuramentum ad faciendum contra illam.

Deut. 7. *Gratianus.* *Abulenſ.*

Alij dicunt, illud iuramentũ non fuiſſe de re illicita, aut cõtraria legi Dei, quæ eſt Scholaſticorum opinio, quos infra referam, & eam defendit Lyra in Ioſue, & indicat Ambroſ. lib. 3. Officiorum, cap. 10. dicens: *Ieſus pacem quam dederat, reuocandam non cenſuit, quia firmata erat ſacramenti religione: ne dum alienã perfidiam arguit, ſuã fidem ſolueret.* Neque ab eadem ſententia eſt alienus Auguſt. q. 13. in Ioſue, vbi eandem quæſtionẽ tractat, & eaſdẽ ponit rationes dubitandi: & nihilominus ait, Deo non diſplicuiſſe obſeruationẽ illius iuramenti: tum quia quãuis Gabaonitæ Hebræos fefelliſſent, tamẽ pro ſua ſalute, & Deũ timendo in populo eius, id fecerunt; tùm etiam, quia ad clementiam ſententiæ Ioſue flectebatur. Et in q. 14. addit, quod niſi placuiſſet Deo illa iuratio: ipſe illuminaſſet Ioſue, etiã ſi non fuiſſet ab eo interrogatus. Sicut ſtatim in cap. 10. in ſimili caſu legitur: & ibi ait credidiſſe Gabaonitas Deo, & promiſsionibus ſeu comminationibus eius: & hanc eorum fidem per illud fœdus remuneraſſe.

Lyranus. *Ambroſ.* *Auguſt.*

Quod autem illud iuramentum non fuerit contra legem Dei, colligit Lyran. ex illis verbis Ioſue 11. *Non fuit Ciuitas, quæ ſe traderet filijs Iſrael, præter Heuæum qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit.* Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorũ, & pugnarent contra Iſraël, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent ſicut præceperat Deus Moyſi. In quibus verbis declarari videtur præceptum datum Moyſi, de perdendis illis gentibus, & non ineundo fœdere cum illis: ſcilicet intelligendum eſſe de illis gentibus perſeuerãtibus in ſua infidelitate, & duritia, in qua tunc erãt, & reſiſtentibus populo Dei: non tamen fuiſſe contra illud præceptum, aliquam clementiam concedere ijs, qui conuerſi ad Deum, & moti eius fide, ſubiecti & humiles fœdus poſtulabant. Et confirmari hoc poteſt: quia etiã erat præceptum Dei, non accipere vxorẽ de filiabus alienigenis: & nihilominus ſi mulier deſerebat patrios mores, & conuertebatur ad fidem; accipi poterat in vxorem.

Lyran.

Sed obijcit Abulenſ. quia ſi hoc verũ eſſet nõ ſolũ Ioſue obligaretur illo iuramento, ſed etiam malè feciſſet redigendo Gabaonitas in ſeruitutẽ: quia nullũ habebat ius ad eos affligendos illo modo, ſi nõ erant cõprehenſi ſub ſententia Dei, de puniendis & perdendis illis gentibus. Item argumẽtatur: quia verba præcepti erant abſoluta, & vniuerſalia, vt patet Exod. 34. & Deut. 7. ergo nõ licebat Ioſue illo modo ea limitare, vel exceptionẽ addere. Præterea, quia licèt fortaſſe Deus decreuiſſet parcere Gabaonitis, hoc nõ cõſtabat ipſi Ioſue, qui os Domini nõ cõſuluerat ad faciendũ iuramentũ; neq; etiã conſuluit poſt intellectã fraudẽ ad obſeruandum illud. Deniq; argumẽtari poſſumus: quia ſi illa exceptio vera eſſet, etiã ſi non præceſsiſſet iuramentũ, nec deceptio, & Gabaonitæ apertè, & ſincerè veniſſent petẽdo pacẽ, & ſe ſubmittẽdo Deo, & populo eius: potuiſsẽt, imò & debuiſsẽt nõ occidi,

Abulenſ.

quia præceptum Dei ad hoc non obligabat, ſi vera eſt dicta eius interpretatio,& alio iure occidi nō poterant. Conſequens autē falſum eſſe colligitur ex eodem Ioſue 9. nam cùm vellet populus contra eos bellū mouere,reſponderunt Principes: *Iuranimus eis in nomine Dei Iſraël, & ideò non poſſumus eos contingere.* Ergo ſecluſo iuramento nullam prætenderent excuſationem.

Ad hæc imprimis reſpōdere poſſumus, Ioſue in toto illo negotio motū fuiſſe peculiari inſpiratione diuina,& ex illa ſic legē intellexiſſe,nō per modū peculiaris diſpenſationis, ſed per modū legitimæ interpretationis,cōcurrētibus ſimul alijs Principibus;inter quos præcipuè cōprehendi Sacerdotes,&maximè Summū,manifeſtū eſt. Poteſtq; illa interpretatio cōfirmari ex verbis Deut.20. *Si quando acceſſeris ad expugnandā Ciuitatē, offeres ei primùm pacē.Si receperit, & aperuerit tibi portas: cunctus populus qui in ea eſt ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo.* Quæ verba nō fuerunt dicta de illis vicinis Ciuitatibus,ſed de alijs quę procul valde erāt,vt ibidē explicatur: ideoq; poſſunt in contrariū retorqueri. Tamen quia Gabaonitæ præuenerūt populū Dei, & animo ac ſubiectione ſe geſſerūt eo modo, quē Deus à diſtātibus Ciuitatibus poſtulabat:ideò iudicari potuerūt exēpti ab illo rigore ſententię latę cōtra propinquas Ciuitates;&iuxta legē diſtantiū Ciuitatū fuiſſe tractandos. Et ita ad primā replicā reſpondetur,meritò Gabaonitas fuiſſe redactos in ſeruitutē: quia hoc ipſum cōtinebatur in lege pro his populis,quibus vita concedebatur. Potuitq; hæc ſeruitus grauior Gabaonitis imponi: tū quia erant de propinquis Ciuitatibus,quæ dignæ erāt maiori ſupplicio:tū etiā, quia per deceptionem,& fraudē veniā extorſerant: tū deniq; quia licèt iuramentū obligaret ad remittendā pœnam voti, nō verò ad non cōmutandā illam in aliā leuiorem. Id ergo facere potuit Ioſue,per poteſtatē ſibi à Deo conceſſam, ad puniēdas gētes illas. Ad ſecundā iam reſponſum eſt.credibile eſſe, interpretationē illam non fuiſſe factam ſine inſpiratione diuina:& potuiſſe etiā Ioſue illam colligere, per quandam æquiparationem ex alia lege Dei. Item,ex prohibitione ipſa diuina,& ratione eius, poterat aliquo modo illa interpretatio colligi:ſic enim dicitur Exod.34. *Ne ineas pactū cum hominibus illarū regionū : ne cum fornicati fuerint cum dijs ſuis,& adorauerint ſimulachra eorum, vocet te quiſpiam vt comedas de immolatis.* Deut.autē 7.dicitur: *Non inibis cum eis fœdus: nec miſereberis earum.* In prædicto autem caſu nō poteſt dici, Ioſue miſertū fuiſſe Gabaonitarū : tùm quia nō vt eis parceret, ſed vt iuramentū impleret,mortē remiſit: tùm etiā, quia ſatis grauiter eos puniuit. Et præterea:quia cùm iam Gabaonitæ viderentur conuerſi ad Deū per fidem,teſte Auguſt.d.q.14. conſequenter ceſſabat in eis ratio legis. Vnde Auguſt.ſupra in q.13.eos reputat tanquam de populo Dei,dicens, Deum vindicaſſe Gabaonitas de domo Saul, tanquam populi ſui homines. Denique hanc illius legis interpretationem ſequutum fuiſſe Ioſue,& in ea non erraſſe,ſentit diuus Tho.in 3.d.39.q.1.art.3.q.1.ad primū dicēs. *Iuramentum Ioſue non fuiſſe de eo quod ſecundùm ſe eſſet illicitum : ſed de eo quod factū erat illicitum quia prohibitum. Vnde in hoc ſufficiebat intentionem ſeruare prohibentis, &c.* Et idē tenet Bonauent.ibi dicens,præceptū Dei intelligendū fuiſſe quantū ad eos qui erant incorrigibiles. Idem Ricard.art.2.q.3 ad primū,& ita eſt reſponſum ad tertiā. Ad vltimā verò probabiliter concedi poteſt, quòd licèt non interueniſſet iuramentum, potuiſſet licitè Ioſue cōmutare pœnam mortis,in pœnam ſeruitutis, ſi homines illi voluntariam ſubiectionem,& correctionem oſtenderent : quāuis ad ſedandū populum,& rationem illi reddendam,facilius viſum fuerit obligationē iuramenti allegare. Suppoſita autem capacitate materiæ illius iuramenti:quia non erat mala, nec prohibita,ſecundū veram intelligentiam legis,non debuit prætermitti obſeruantia iuramenti,propter artificiū Gabaonitarū. Primò: quia licèt per fraudē illam nō potuerint obligare Iſraëlitas in vi pacti,& promiſsionis humanæ,nihilominus quod poſtulabant, bonū & iuſtum erat;& ideò iuramentum de illo præſtitum,tanquam per ſe ſtans,obligare potuit. Secundò : quia illa deceptio non fuit in re ſubſtantiali,ſed tantū in modo accidentali, artificioſè inuento ad maiorem ſecuritatem perſonarum, & maiorē facilitatem obtinendi veniam. Declaratur hoc. Nam vt dicebam,eo ipſo quod cum fide,& ſubiectione veniā poſtulabant, iuſtè & ſanctè eis concedi poterat quoad vitam,commutando mortem naturalē in ciuilem,qualis eſt ſeruitus,vt dicit D.Tho. ſupra, & Gloſſa verbo *decepti.* in §. ſed cum his 22.quæſt. 4. Quia ergo illi non falſò oſtendebant hanc ſubiectionem, & fidem; ſed ſolam diſtantiam locorum : ideò dicimus, errorem illum circa perſonas fuiſſe accidentalem, & non in conditione ſubſtantiali, vel neceſſaria ad validitatem fœderis iuramento confirmati. Tertiò, non parum iuuat, quòd Gabaonitæ non decipiebant Principes

He-

Deute.20. *Exod.34.* *Deut.7.* *Auguſt.* *D.Thom.* *Bona uent.* *Ricard.* *D.Thom. Gloſſa.*

Hebræorum, in re illis iniurioſa aut nociua, & alioqui illud fingebant propter vitā tuē dam, vt notat dicta Gloſſa. Sic ergo valde probabile eſt, iuramētū illud obligaſſe, nō obſtātibus dictis apparentibus nullitatibus.

Abulenſ. Nihilominus Abulenſ. in d. c. 9. Ioſue, à q. 17. contendit, iuramētū illud in ſe ſpectatum: fuiſſe de re illicita: & conſequēter non obligaſſe poſt intellectā fraudē Gabaonitarum. Iſraëlitas verò illud obſeruaſſe propter ignorantiā: quia putarūt iuramentū eſſe validū. Quā ignorantiā credit idem autor, q. 27. fuiſſe inculpabilē: quia nondū erant ſatis eruditi circa obligationem iuramenti. Quod ſi obijciatur, quia ſi hoc ita eſſet, potuiſſent poſtea licitè occidi Gabaonitę, quocunque tēpore conſtaret iuramentū nō induxiſſe obligationē: quod conſtat eſſe falſum ex 2. Reg. 21. Ad hoc reſpōdet in virtute Abulenſ. Deū poſtea cōfirmaſſe factum illud Iſraëlitarū: & declaraſſe voluntatē ſuā fuiſſe vt Gabaonitæ nō occiderentur. Fatetur autē idē Abulenſ. nō habuiſſe Iſraëlitas de hoc expreſſam reuelationē: quia ſaltem de illa non cōſtat. Dicit tamē habuiſſe ſuffi cientē inſpirationē internā: quam ex varijs coniecturis colligit in q. 32. Sed re vera nō plenè ſatisfacit: tùm quia ſi inſpiratio erat de diſpenſatione, quā Deus faciebat in lege ſua, & de nouo præcepto quod dabat de nō occidēdis Gabaonitis, oportebat certius, & expreſsius fieri talē reuelationē: tùm etiam quia in dicto loco Regū pro ratione ſolùm redditur: quia filij Iſraël iurauerant eis. Si autem iuramentum à principio fuiſſet inualidum, nunquam ratione illius duraſſet obligatio, ſed ſolùm ratione noui præcepti diuinī, ſicut aliàs ipſemet Abulenſis argumentatur. Quapropter prior communis reſpon ſio, ſolidior videtur.

Cōcludimus ergo ex reſolutione huius diſputationis, iuramentū dē omni re illicita, ſiue contra ius naturale, ſiue cōtra poſitiuum diuinū, non eſſe validū: imò de re prohibita ſecundū ius humanum; ſiue illud ius Canonicū ſit, ſiue Ciuile. Ratio depromitur ex his quæ dicuntur in materia de legibus: videlicet, prohibita ſecundū ius Canonicū, imò & ſecundū Ciuile, eſſe peccata. Ex quo infertur, iuramentum cadens ſupra talem prohibitionem eſſe inualidū, vt pote circa rem, quæ ſine peccato ſeruari non poterit. An verò ſint aliqua iuramenta, quæ deuient à iure Ciuili, & valida ſint? controuerſia eſt, ſpectans ad Iuriſperitos: & fortè ego aliqua dicam infra.

Opportunus ſe offerebat locus diſputandi, an iuramētum de re moraliter bona, ſed propter malum finē, eſſet validū? Iuramentum pro re turpi obtinenda, an ſit obligatorium, necne? Sed quæ hic poterant accerſiri, in primo tomo in materia de voto circa articulum ſecundū, diſputationibus 2. & 3. late diſcuſsi: recole ſupra ſcripta, & muta nomen voti in nomen iuramenti, & nil deſiderabis.

DISPVTATIO VII.

An iuramentum de re indifferenti ſit obligatorium?

ALicui videri poterat, hāc eſſe diffiniendam ſicut ſimilem de voto in primo tomo circa art. 2. diſp. 4. Et licèt diſputatio de voto, & hæc de iuramento nō ſint omninò diſsimiles, in aliquo diſcrepant. Quare aliquibus ex priori diſputatione ſumptis, hæc poſterior decidenda eſt. Vnde

Dico primò. Iuramentum nō obligat ad actum indifferētē, vt indifferens eſt. Probatur: quia actꝰ indifferēs in indiuiduo, iuxta ſentētiam D. Tho. nullus eſt: ſed aut bonus propter bonū finem ei affixum, & ſic iam nō eſt indifferens: vel eſt malus, & ſic non eſt materia iuramenti. Secundò probatur ex omnium ſententia. Nam actus indifferens vt ſic, malus eſt: quia caret fine, & vt minimum eſt otioſus: ergo de illo nequit fieri iuramentum validum.

Dico ſecundò. Si actus indifferens iuretur propter honeſtum finem: iuramentum validum, & obligatoriū eſt. Patet: quia eſt de actu ſtudioſo, & ſupponimus non eſſe impeditiuum maioris boni.

Dico tertiò. Etiā ſi operi indifferēti non apponatur immediatè finis alicuius ſpecialis virtutis, ſi in illo ſpectetur cōmoditas, vel vtilitas proximi: iuramentū de ipſo factum validū eſt. Exemplū ſit: ſiquis quia ſua intereſt, petat à me agitationem taurorū, vel ludū, & iurem id facturum: validū eſt iuramentum. Probatur: quia in ordine ad proximū, vt ſeruetur illa promiſsio ius acquiſitum eſt, quod firmare iuramento erga opus non malum licet. Et in hoc eſt differentia inter votū de re indifferenti, & iuramentū de eadem. Nam in voto, niſi apponatur finis proportionatus cultui diuino, nō eſt validum votum: in iuramento verò ſat eſt vtilitas, vel commoditas eius cui iuratur; & hac deficiente ſicut de voto iudicandum eſt.

Dico quartò. Iuramentū de omittēdo actu indifferente, ſi fiat intuitu virtutis, ad quā illa omiſsio poſsit aliquādo cōducere, obligatoriū eſt: nō verò ſi ſit de omiſsione impertinente ad virtutem. Prior pars certa eſt, & communis, quia talis omiſsio ſub illo reſpectu participat honeſtatē finis ad quē ordinatur: atque ita iuramentū illud eſt de materia honeſta: ergo obligat. Exēpla ſunt: ſiquis iuret abſtinere in die aliquo ab opere ſeruili, vt poſsit vacare operibus Religionis: vel ſi quis iuret non exire domo, vt ibi melius occupetur, & ſimilia. Imò hoc titulo multæ negationes huiuſmodi ſunt materiæ votorum, vt eſt votū non nubendi; vel etiā votum paupertatis, vel abſtinentiæ à cibo impediente vſum alicuius actus ſtudioſi. Sic etiam obligat iuramentum non ludendi per ſe loquendo: quia licèt actus ille ſit indifferens; tamē abſtinentia ab illo eſt de ſe valde vtilis, vel ad lucrandum tempus ad exercitia virtutis, vel ad vitanda pericula, & nocumenta, quæ ex frequentia talis actus ſequi ſolent. Eademq; ratio eſt de quibuſdā alijs actibus, qui licet non ſint per ſe mali moraliter, implicant hominem in vitijs & peccatis; vel certè multum auertunt ab ſpiritualibus bonis. Huiuſmodi ſunt mercatura, & aliæ negotiationes humanæ. Quare iuramentum de non exercenda tali actione, per ſe, & ex obiecto non eſt vanum: & ideò regulariter obligationem inducit, niſi ex circunſtantia perſonæ, & ſtatu eius contingat tale iuramentum prudenter iudicari cōtra bonos mores eius.

In ſecunda parte aſſertionis videtur eſſe nonnihil difficultatis: procedit enim quādo aliquis iurat non facere opus indifferēs, cuius priuatio impertinēs eſt ad virtutem, ſicut & opus neq; illam iuuat neq; impedit; vt v.g. in fœmina non laborare manibus, & in homine nō ſcribere, vel non legere. Cur ergo iuramentū de tali negatione non obligabit? Nam tale iuramentū impleri poteſt ſine peccato, vt per ſe conſtat; & ſine impedimento melioris boni: nam illud iuramentum ſolū impedit opus indifferēs, cuius priuatio per ſe nihil confert ad honeſtatem, vt ſupponitur: ergo omiſsio talis operis neque eſt mala, neq; impeditiua melioris boni. Ergo iuramentū de tali omiſsione poteſt impleri ſine peccato, & ſine impedimento alicuius boni. Cur ergo non implebitur vt ſaluetur veritas iuramēti? Nam (vt iura dicunt) non obſeruatio iuramenti ſolùm permittitur ad vitandum maius malū; hic autem nullum malum vitatur, vt conſtat. Declaratur etiam ex quadam notanda differentia inter opus indifferens, & negationem, ſeu omiſsionem eius: nam opus indifferens ſi in indiuiduo ſic fiat, eo ipſo malum eſt, vel certè impeditiuum maioris boni; & ideò iuramentum de illo non valet. Omiſsio autē talis operis etiam per ſe ſpectata, non eſt mala, neq; impedit maius bonum: & ideò iuramentum de illa, ſine vllo incommodo morali impleri poteſt. Cur ergo nō implebitur? Accedit quod talis omiſsio videtur potius commoda ad virtutem: quia ſaltem conſtituit hominem magis expeditum ad benè operandum, ſi velit: ergo ſaltem hoc titulo obligare poterit tale iuramentum.

Nihilominus vera eſt illa pars aſſertionis formaliter ſumpta, vt propoſita eſt tanquā diſtincta à priori parte. Nam ſi vacatio ab opere aliquo prorſus eſt indifferēs, & nulla honeſtas, vel rationabilis vtilitas in ea ſpectatur, impertinens eſt & inutilis. Ergo nō eſt materia obligationis moralis. Ergo nec iuramētum de illa ſic ſpectata obligat. Imò verò ſi opus illud, quamuis in ratione virtutis ſit indifferens per ſe, afferre poteſt aliquā naturæ cōmoditatē, vt eſt laborare manibus, & legere, aut ſcribere: ſic talis omiſsio non ſolum honeſta non eſt; verùm etiā vergit in detrimentum naturæ: & ideò tale iuramentum nullum eſt, & non obligat. Si autem talis omiſsio ſpectetur ſub quacūque habitudine ad virtutem: ſic non pertinet ad hanc partē aſſertionis, ſed ad primam. Dupliciter autem poteſt id cōtingere. Primò, ſi iuramentum ſit de nō faciendo opere indifferente, in eo ſiſtendo: & hoc per ſe bonum eſt, & ex vi talis obiecti obligabit, nō quidem ad non faciendū opus abſolutè, ſed quoad exercitium (vt ſic dicam) ad non faciendum illud inutiliter, & otioſè. Alio modo poteſt in ea priuatione inuolui reſpectus ad honeſtatem, ſi homo intendat non occupari in tali opere, vt non diſtrahatur, vel impediatur ab alijs bonis: & tunc conſtat ex priori parte aſſertionis, & eſſe obligationem, & vnde oriatur. Et ita patet reſponſio ad poſteriorem partē difficultatis.

Ad priorem verò reſpondetur, iuramentum promiſſorium non obligare ad faciendam veram priorē propoſitionē de futuro; niſi ſuppoſita materia capaci obligationis: & ſtante illa obligatione procedit regula, quòd non eſt prætermittenda veritas, niſi vbi res vergeret in deteriorem exitum, ſeu

quod

quod idem eſt, niſi propter vitandum maius malum. At verò quãdo materia de ſe eſt incapax; obligatio à principio nulla fuit: & ideò neque poſtea neceſſarium eſt verũ efficere quod fuit aſſertũ. Eſt autem dicta materia incapax, propter ſuam vanitatem, & inutilitatẽ. Neq; enim veroſimile eſt, Deũ velle ſua autoritate fauere vanæ, & quaſi ſuperſtitioſæ obſeruantiæ: & ideò à principio fuit error in tali iuramento, quia in vanum nomen Dei inuocatum eſt. Poſteà verò nullus eſt defectus formalis (vt ſic dicam) veritatis; quia ſecundùm rectam rationem non magis eſt habenda ratio prioris dicti, quàm ſi dictum non fuiſſet. Quin potiùs quamuis per ſe non ſit malum, tale opus indifferens omittere: nihilominus abſtinere ab illo quaſi ex obligatione, & ſub intuitu reuerentiæ diuinæ, ſuperſtitioſum eſſet, & culpabile, vt ſtatim amplius explicabitur.

Quod diximus de iuramento in omiſſione actus indifferentis, quia ipſa omiſsio indifferens eſt, dicendum eſt pariformiter de voto, circa omiſsionem alicuius actus indifferentis. Hactenus dixi de iuramentis, quæ verſantur circa materiam illicitam, vel ſaltem non bonam ex obiecto, qualia ſunt de re indifferenti ad bonum, & malum, quæ non eſſe valida aſſeruimus: ſupereſt modò agere de iuramentis circa opera ſtudioſa. Et ideò ſit

DISPVTATIO VIII.

An iuramentum de opere virtutis, impeditiuo melioris boni, ſit obligatorium?

IN hac diſputatione vnum ſupponimus, & aliud quærimus. Supponimus vt rem citra controuerſiam certam, iuramentum promiſſorium debere eſſe de actu virtutis, quantum eſt ex parte materiæ. Nam, quæ rogo materia aptior erit ad iurandum, & implendũ, quàm virtutis actus? Quod modò quærimus eſt: an iuramentum emiſſum de actu virtutis, qui, ſi fiat, alium meliorem actum impediet, obliget ad talem actum faciendum? & loquimur de meliori actu, qui non ſit in præcepto, ſed voluntario: nã ſi ſit in præcepto; haud dubium, tale iuramentum impediens actum præceptum, A inualidum eſſet, quia ſaltem eſſet cauſa non implendi præceptum. Sermo igitur eſt de melioribus operibus, quæ fieri voluntariè poſſunt, & omitti. Et tunc etiam clarũ eſt, ſi homo iurauit facere opus minus bonum, & nolit facere maius, iuramento teneri: nõ enim tunc verè dicetur, opus minus bonũ impedire maius. Secùs eſt ſi implendo, inhabilitaretur ad opus perfectius, vt ſtatim explicabimus.

Quod difficile eſt: an non obſtante iuramento, quo homo iurauit ſe facere opus minus bonum, poſsit melius efficere: quia ſimul ambo fieri nequeunt? Et probatur pars negatiua, primò ex cap. *ſi verò*, de iureiurando: *Non eſt tutum* (inquit) *quemlibet contra iuramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſeruatum vergat in interitum ſalutis æternæ.* Sed in præſenti caſu iuramentum ſeruari poteſt ſine peccato, quia omittere tunc actum meliorem non eſt peccatum: ergo ſeruandum eſt. Secundò ex cap. *cùm contingat*, eodem. ibi: *Seruari debent huiuſmodi iuramenta ſine vi, & dolo ſponte præſtita, cùm in alterius præiuditium non redundent: neque obſeruata vergant in diſpendium ſalutis æternæ.* Tertiò ex cap. *commiſſum*. de ſponſalibus, vbi dicit Pontifex, eum qui cũ iuramento promiſit ducere aliquam in vxorem, non debere ingredi religionem, niſi prius iuramentum impleat contrahendo matrimonium: licèt poſt illum contractum, & non conſummatum, poſsit ingredi religionem. Ecce iuramentum de matrimonio impeditiuo maioris boni, putà religionis, validum eſt. Dices: non impedit; quia poteſt ſic iurans non cõſummare matrimonium, & ad religionem conuolare. Contrà, quia huiuſmodi ducens vxorem, exponit ſe periculo implicandi ſe in actibus matrimonij, & dimittendi ſimpliciter religioſum ſtatum: & nihilominus ait Pontifex, tutius eſſe iuramentum implere. Idẽ fermè argumentum ſit ex cap. *per tuas*. de iureiurando, vbi cuidam electo in Epiſcopum, qui religionem vouerat, præcipit Innocentius III. quòd ſi vult ſanare conſcientiam ſuam, prius ingrediatur religionem: & ſi poſteà fuerit electus, acceptet Epiſcopatum. Epiſcopatus autem altioris perfectionis ſtatus eſt, quàm religioſus.

Quartò arguitur ratione: quia iſti ſic iurantes poſſunt liberè dimittere maius bonum, & apprehendere minus, quia bonum eſt; ergo non eſt vnde prohibeantur im-

plere. Nec sat est dicere: sicut votum esse debet de meliori bono, ita & iuramentum. Hoc enim falsò dicitur: quia votum fit directè in Dei cultum, & ideò non est ei offerendum, nisi quod magis placet. Secùs iuramentum, quod directè institutum est ad confirmandam veritatem iuratam. Confirmatur. Si quis imbecilis, qui non poterat tolerare religionis iugum; vel fragilis, cui expedit magis nubere, quàm vri; iuret se ducturum vxorem, rem studiosam, & sibi ad virtutem proficuam iurat. Ergo iuramentum illud validum erit, vtpote cui non deerunt duo comites, iustitia, & iudicium: ergo. A

In oppositum videtur facere c. vnicum, dist. 85. vbi Gregorius Papa videtur reprobare iuramentum nunquam accedendi ad Episcopatum. Cuius ratio non alia apparet, nisi quia iuramentum est de minori bono, reiecto maiori, quod est Episcopatus. Secundò: quando id quod iuratur impedit statum perfectionis; iuramentum non est validum. Vt si quis iuret matrimonium contrahere, & consummare: tunc enim non obstante iuramento, poterit ingredi religionem. Vel si sponsus post matrimonium ratum, iuraret sponsæ perpetuo habitare cum illa, & maritum agere: ergo idem dicendum quotiescunque id quod iuratur, si impleatur, impedit maius bonum. Tertio: obligatio iuramenti promissorij principaliter oritur ex reuerentia Deo debita: sed non pertinet ad Dei reuerentiam, & honorem, vt propter opus minus bonum relinquatur melius: ergo. B C

De hac re duas reperio sententias. Prima est, iuramenta impeditiua maioris boni neutiquam esse obligatoria: & consequenter quoties maiori bono opponuntur posse sine culpa non impleri. Hæc videtur esse D. Thom. in hoc articulo, & ad secundum, Soti in 4. distinct. 27. quæst. 2. art. 5. vbi tantùm loquitur de iuramento contrahendi matrimonium. Idem sentit Paludan. in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 3. num. 19. & dist. 38. quæst. 1. Caieta. in Summa, verbo, *periurium*. Syluest. verbo, *iuramentum*. 4. quæst. 20. & verbo, *sponsalia*. §. 7. verbo, *matrimonium*, quæst. 5. concluf. 5. & verbo, *religio*. 2. quæst. 5. & 9. Idem sentiunt Abbas, & alij Iurisperiti circa cap. *cùm contingat*. & cap. *si verò*. de iureiurando, Couarr. in d. p. 1. §. 6. num. 6. & 7. Secunda sententia opposita, est Glossæ in cap. *si aliquid*. 22. quæst. 4. & ibi Turrecremata art. 1. n. 3. & alij Iurisperiti, quos refert Couarru. vbi sup. qui vniuersalem adstruunt regulam, iuramentum debere seruari quotiescunq; sine peccato seruari potest. D *Turrecre.*

Pro decisione aliquot præmittenda cè sui: & aduertendum primò, quid nomine consiliorum intelligatur. Etenim consilia, id est, opera studiosa, quæ non sunt in præcepto, quædam tantùm abest vt sint impeditiua maioris boni; quod sunt aptissima instrumenta ad consequendam vitæ spiritualis perfectionem. Huiusmodi sunt abrenuntiatio temporalium, custodia castitatis, & obedientiæ professio: quæ per antonomasiam dicuntur consilia Euangelica, & sunt præcipua materia votorum religiosi status. Alia sunt consilia, id est, opera quædam studiosa, quæ non sunt in præcepto, nec de se impediunt maiora bona: quę licèt non pertineant ad statum perfectionis, vt eius instrumenta, sed ad communem statum virtutis: tamen operibus consiliorum annumerantur, vt ieiunare, eleemosynam facere, orare, & similia. Quando ergo in titulo disputationis dicitur: An opera opposita consilijs possint esse materia voti? fit sermo de consilijs in vtraque acceptione. Secundò nota, aliquem actum bonum, vel saltem non malum ex obiecto; quadrupliciter posse considerari, vt oppositum consilio. Vocamus actū, etiam ipsam omissionem actus: quia hæc ad actum reducitur, iuxta regulam traditam à D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6. ad primum. Vno modo contradictoriè; sicut non ingredi religionem, opponitur consilio ingressus religiosi; & non dare eleemosynam, opponitur contradictoriè consilio porrigendi eleemosynam. Secundo modo potest esse hæc contrarietas non formaliter, sed secundùm quandā incompossibilitatem: eo quod actus vnius virtutis est incompossibilis cum consilio aliquo. Et hoc dupliciter. Vno modo, quādo actus minoris virtutis non reponit hominem in statu, vel quasi statu non exequendi in futurum opus melius: sed dumtaxat pro certo tempore quo exercetur: vt si quis indulget literis: & tunc necesse est non vacare contemplationi. Secundo modo, quando actus minoris virtutis reponit hominem in statu incompossibili etiam in futurum, non exequendi actionem meliorem. vt seruire perpetuò in hospitali impedit ingressum religionis. Tertio modo; vnus actus virtutis opponitur cōsilio, quia præstat

præstat impedimentum perpetuum ascendendi ad altiorem statum: vt contrahere matrimonium vetat ne homo possit ad altiorem statum religionis conuolare. Loquimur autem in hac diuisione de actionibus, quæ præcisè sunt oppositæ consilijs. Sunt etenim aliquæ, quæ opponuntur simul consilijs, & præceptis: vt nunquam mutuum, aut eleemosynam etiam in graui necessitate dare. Et de his quatenus præceptis opponuntur, supra dictum est, neutiquam esse posse voti materiam. Sed disputatio præsens dumtaxat est de his, quatenus solum consilijs opponuntur. Tertiò nota, iuramentum interdum fieri soli Deo in eius cultum, & reuerentiam: quod voto æquipollere dicemus infra. Secundo modo homini, & hoc dupliciter. Primò, ita quod promissio facta homini redundet in ipsius cui iuratur vtilitatem: quandoque verò impertinenter se habeat ad illius vtilitatem.

His positis dico primò. Iuramentū Deo factum, quod in eius tantùm venerationem fit; si fiat de actu bono, vel de omissione bona, impeditiuis maioris boni; formaliter non obligat: vt si quis iuret, quod non erit religiosus, aut quòd erit coniugatus. Probatur, quia istud iuramentum cadit supra votum: sed vota in his casibus non obligāt: ergo neque iuramentum; nam iuramentum sequitur naturam contractus cui adiungitur, iuxta cap. *quemadmodum*. de iureiurando. Item, quia hæc iuramenta, vota reputantur. Quare assertio probatur eisdem rationibus, quibus probaui vota de hisce rebus non consistere. Quapropter videnda sunt in quæstione 88. articulo 1. disputatione 8. vbi apposui limitationem huic assertioni.

Secundò dico. Iuramentum de rebus secundi generis, si soli Deo fiat, validum est in hoc sensu: quod iurans tenetur rem promissam implere ex vi iuramenti, quamdiu non vult rem meliorem implere. At verò non est validum, ita quod etiam si voluerit meliorem incomposibilem efficere; id nō possit. Explicatur assertio. Iurauit quis seruire hospitali: tenetur ex vi iuramenti. At si velit religionem ingredi, non tenebitur: sed poterit relicto hospitali seruitio, ad religionem conuolare. Prima pars assertionis clara est, quia iuramentum est de re bona; & quæ non impedit altiora prosequi; cum illa relicta, possit ea exequi: ergo tenetur. Secunda pars probatur, quia cum illud iuramentum fiat Deo; semper intelligendum est ad modum voti: videlicet, vt subintelligatur conditio, quandiu non præbetur obstaculum Spiritui sancto ad perfectiora vocanti: aliàs non esset Deo gratum, qui ad id vocat. Et sic est intelligendus D. Thomas in solutione ad secundum, & in corpore articuli.

Dico tertiò. Si iuramentum factum sit homini de re bona, oppositā consilijs diuinis, quæ tamen cedit in vtilitatem, vel cōmodum eius, cui fit promissorium iuramētum, validum est, nisi obstaculum apponatur assumendi perfectionis statum. Exempla sunt in eo, qui iurauit dare liberaliter Petro centū; non potest illos in eleemosynam dare: quod fortasse melius esset. Similiter iurauit quis seruire Ioanni: non potest seruire hospitali, &c. Ratio est, quia promissio facta homini obligat in conscientia, ita vt sit contra iustitiam, & fidelitatem, illam non implere si valeat: neque propter solum titulum transferendi rem promissam in opus magis pium, excusari quis valet in conscientia ab obseruatione obligationis contractæ per promissionem. Ergo quando iuramentum tali promissioni adiungitur fortius obligat in conscientia. Antecedens certum est, quia promissio, quæ fit homini, fit directè in commodum illius. Vnde non consideratur quid in illa sit melius, vel gratius Deo. Et hoc modo obligat: quia hoc est necessarium ad conuictum humanum, & vt seruetur iustitia, & veritas inter homines: alioqui innumeræ fraudes tenerentur ad euacuandas promissiones. Exceptio tamen illa in his, quę ad statum perfectionis pertinent, probatur: quia quæcumque promissio homini fiat, intelligitur hanc conditionem inuoluere; nisi quis velit ad statum perfectionis transire: quod nō debet impediri, propter implendam promissionem homini factam, iuxta c. *ex publico*. de conuers. coniug. & ideò quando ea promissio iuramento firmatur, iuxta naturam suam debet stabiliri, & eandem conditionem inuoluere. Exempla sint in eo, qui iurauit ducere vxorem, aut religionem non intrare: & in sponsalibus iuratis idem dicimus.

Dico quartò. Iuramentum promissorium de pura omissione alicuius operis supererogationis, siue fiat solo intuitu diuini honoris, siue fiat homini; inualidum est. Ita D. Thom. est intelligendus in solutione ad secundum huius articuli, & ibi Caietanus, Sotus, *D. Thom. Caietan.*

Sotus. *Abbas.* *Archid.* *Couarr.*

Sotus, & alij, & idem D. Thomas quodlib. 3. quæſt. 5. art. 14. & quodlib. 5. art. 27. Abbas cum alijs in cap. *ſi verò.* de iureiur. Archidiaco. in cap. *ſi aliquid.* 22. quæſt. 4. Couarr. d. part. 1. §. 6. num. 6. & 7. Exempla ſunt, ſi quis iuret ſe non ingreſſurum religionem, vel non facere eleemoſynam, aut nõ audire Miſſam in die non feſtiuo. Probatur, quia talis omiſsio per ſe expectata, nullam honeſtatem continet; & alioqui directè impedit maius bonum: ergo non eſt capax obligationis religioſæ, qualis eſt obligatio iuramenti: & etiamſi fiat homini illud iuramentum, nullius valoris eſt: eo quod illa omiſsio per ſe ſolùm conſiderata, nullius vtilitatis poteſt eſſe proximo. Objiciet quis: nam illæ omiſsiones operum iuratorum poſſunt cedere, & ſæpe cedunt in vtilitatem proximi: ergo non inhabilitant perſonam ad aſcendendum in perfectiorem ſtatum: ergo iuramenta de illis facta valida ſunt, iuxta dicta in aſſertione tertia. Antecedens exemplis manifeſtatur. Si quis iuret non ſeruire in hoſpitali, vt libere poſsit mihi ſeruire: ſi pater iuret filio, non facturum eleemoſynas abundantes etiam licitas. Reſpondetur. Iuramenta iſta & ſimilia dura ſunt: at ſi dulceſcant declaratione pia, valida erunt, quia cadunt ſupra promiſsionem homini factã, quæ illi proficua erunt, iuxta tenorem tertiæ aſſertionis. V.g. in priori exemplo, ſi iuraret pater filio de moderandis ſumptibus, vel non alienandis opibus ſine neceſsitate, aut cauſa pia, tunc valere poſſet iuramentum, quia re vera eſſet de re honeſta, & vtili filijs. Secus ſi iuraret nullas facere eleemoſynas, ad ludendum, diſsipandum. &c. Et ſic de alijs iudicato. Nos verò in aſſertione loquimur, quando ex omiſsione actus, nulla reſultat per ſe loquendo proximo vtilitas: de quo prudens iuxta prudentiæ regulas iudicabit.

A

B

C

D

Ex his expedies dubium commune: An iuramentum de non mutuando, aut de non fideiubendo, quæ frequentiſsima ſunt, ſint valida: quibuſdam affirmantibus, quibuſdam negantibus. Sed tamen iuxta modò dicta iudicato: nam abſolutè loquendo nõ ſunt valida, quia de pura omiſsione ſunt, quæ aduerſatur operibus pietatis, quibus ſubueniri ſolet proximis. At verò ſi tales occurrant circunſtantiæ, factumq; eſſet in commodum ſui, vel ſuorum; vt omnibus conſideratis cenſeatur homo imprudens, aut minus prudens, ſi mutuet, aut fideiubeat: tunc obligabit illud iuramentum, quia materia in indiuiduo bona eſt, & vtilis proximo. Imò quamuis iuramentum ſit factum generaliter; de his tamen videtur interpretandum: quia pro ſola illa licitum eſt, & obligare poteſt. Quod diximus de iuramento rigoroſe promiſſorio circa oppoſita conſilijs; dicendum reor de iuramento confirmante ſolam aſſertionem de ſtudioſo opere futuro: quia quamuis non cadat ſupra rigoroſam promiſsionem; cadit tamen ſupra veritatem de futuro, quę ſi iuretur æquiualet promiſsioni, vt ſup. docui.

Supereſt reſpondere ad argumenta initio diſputationis poſita, quatenus videntur procedere contra noſtras aſſertiones. Ad primũ, & ſecundũ, non ſolùm ea dici vergere in diſpendium ſalutis æternæ, quæ mala ſunt: verùm etiam quæ ponunt obſtaculum perfectioni Chriſtianæ. Talia ſunt iuramẽta, quę diximus non valere quia ſunt de rebus oppoſitis formaliter cõſilijs, vel per purã negationẽ, vt iuramentũ de nunquã mutuando: vel per repoſitionẽ iurantis in ſtatu inhabilitante ad ſtatũ perfectionis; vt iuramentũ de ducendaꝝxore. At verò ſi iuramenta ſint de rebus non oppoſitis formaliter conſilijs, vel de non inhabilitantibus ad perfectionis ſtatum; valida ſunt pro eo tempore, quo nõ ponunt obſtaculũ aſcendẽdi ad altiora. V.g. iurauit quis ſponſalia; obligatur illo, vt conſtat ex cap. *commiſſum.* c. *ex literis.* 2. & c. *ſicut.* de ſponſalib. Et patet, quia eſt de re bona, quæ ſine diſpendio animæ impleri poteſt; & tamen non ſemper obligat: nam ſi velit ad religionem conuolare, poteſt non obſtante facto iuramento. Itaq; poſſunt eſſe materia iuramẽti: non tamen ſub ea ratione, qua impediunt perfectionis ſtatum: & idem dicito de quouis iuramento de opere honeſto. Quare ad argumentum deſumptum ex illis iuribus reſpõdetur, regulam illam in illis contentam eſſe veram quoad illud quod poteſt ſeruari ſine diſpendio ſalutis, id eſt ſine peccato: vel ſine obſtaculo ad altiora, quod quodammodo pertinet ad ſalutis diſpendium. Neq; in hoc æquiparantur votum, & iuramentum: quia ſponſalia poſſunt eſſe materia iuramẽti, non autem voti. Et in alijs multis hoc diſcrimen inuenitur, propter rationem aſſignandam in tertio argumento. Mirum eſt, quàm variè exponant Theologi, & Iuriſperiti capitulum illud *commiſſum*: quod ideò fuſius à me explanandum eſſe decreui.

Expen-

Expenditur c. *commiſſum.*

IN tertia obiectione proponitur difficilis deciſio textus in d.cap.*commiſſum*.de ſponſalibus: vbi quæſitum eſt, an is qui iurauit aliquam in vxorem ducere, & poſtea volens religionem ingredi; debeat prius matrimonium contrahere? Et reſpõdet Alexander III. tutius eſſe religione iuramenti ſeruata,prius contrahere:& poſtea ante copulam, religionem ingredi. Quæ reſponſio multis doctoribus adeò difficilis viſa eſt,vt ea non obſtante docuerint, poſſe illum qui ſic iurauit ingredi religionem, non contracto matrimonio. Ita tenet Palud.in 4.diſt. 27.quæſt.1.art.3.num. 18.& ſequent. Item Ricardus diſt.26.art. 2. q. 4. Caieta.in ſumma, verbo, *periurium promiſſorium*.Soto in 4.diſt.27. quæſt.2.art. 5.& ex Canoniſtis tenuit hoc Gloſſa in d. cap. *commiſſum*: quam ibi communiter ſequuntur Innocent.Hoſtienſ.Abb. & alij Summiſtæ,Sylueſter *iuramentum*.3.quæſt.5. & verbo *religio*.2.quæſt.5. & 9. Angelus *iuramentum*.4. n. 3. Tabien. verbo *ſponſ*.nume.9.& ibidem Armil.num.12.& Couarr. in epitome quarti Decretalium. 1.p. c. 5. in princ.nu. 11. Fundamentum huius ſententiæ ſumitur ex ſecunda aſſertione poſita,quia ſponſalia intrinſecè inuoluunt conditionem,niſi alter contrahentium ad religionem tranſire voluerit, iuxta capitulum *ex publico*.de conuerſione coniugat. Quod ſi verum eſt in ſponſalibus de preſenti,multo magis de futuro. Ergo iuramentum additum ſponſalibus, eandem conditionem includit, iuxta regulam ſuperius poſitam.

Alex.III. *Paludan.* *Ricard.* *Caietanus.* *Sotus.* *Gloſſa.* *Innocent.* *Hoſtien.* *Abbas.* *Sylueſt.* *Angel.* *Tabien.* *Armil.* *Couarru.*

Ad capitulum autem *commiſſum*, varijs modis reſpondent dicti Autores. Primò, Pontificem ſolùm dicere,tutius eſſe,id eſt, conſultius, & melius: quamuis non ſit neceſſarium, vel in præcepto. Ita ſentiunt Præpoſitus,& Alexander ibi.Sed alijs hoc non placet: quia melius eſſe exiſtimant nõ contrahere matrimonium, ſed ſtatim ingredi religionem.Et probant,quia ingredi ſtatim religionem, ex obiecto melius eſt, & per obligationem ex ſponſalibus iuratis contractam,non impeditur,quia illa ita cadit in matrimonium,vt ſemper intelligatur exceptus ſtatus religioſus.Deinde nulla apparet probabilis ratio talis conſilij: nã illud matrimonium ratum non conſummandũ, videtur actus otioſus,quia ad nihil vtile eſt;

Præpoſi. *Alexand.*

A imò ipſi contrahenti habenti propoſitum religionis, poteſt eſſe impeditiuum maioris boni, quia poteſt eſſe occaſio mutandi propoſitum: & alteri ſponſo, vel ſponſæ poteſt videri iniurioſum,quia quodammodo eſt illudere fœminam, contrahere cum illa animo ſtatim relinquendi illam. Ac denique,ad implendum iuramentum, parum valere videtur ille contractus: quia iuramentum in principio,re vera factum fuit animo contrahendi,&permanendi perpetuò in matrimonio : igitur vel iuramentũ obliget ad totum id quod fuit promiſſum, vel ad nihil. Primum autem dici non poteſt, B etiam ſi expreſsè fuiſſet iuratum perſeuerare,&conſummare matrimonium:ergo dicendum eſt ſecundum.Si autem iuramentum in eo caſu ad nihil obligat; integrum manet conſilium ingrediendi potiùs religionem, quàm vxorem ducendi.

Ad capitulum autem *commiſſum*, reſpõdent hi Autores,Pontificem cum dicit,*tutius*,non loqui de eo quod verè, & in conſcientia tutius eſt,ſed de eo quod exterius, & in opinione vulgi poteſt videri ſecurius, ad tollendam omnem ſuſpicionem violati iuramenti.Ita reſpondent Gloſſa, & Abb. Ricard.Soto,&multi alij.Sed mihi non videtur reſponſio admittenda, in tam graui C deciſione Pontificis. Primò,quia Pontifex conſultus fuerat, quid in eo caſu agendum eſſet in conſcientia: ergo in eodem foro reſpondet,maximè cùm ſimpliciter,&ſine limitatione reſpondeat,tutius eſſe,&c.Debet enim reſponſio interrogationi accommodari,vt per ſe conſtat: & ſumitur ex Innocentio I.in cap.*deinde*.26. diſt. ibi. *Memimerint hoc & à Iudæis interrogatum,& etiam Iudæis eſſe reſponſum*. Et confirmatur, quia aliàs poſſent facilè fideles,ex illa reſponſione Pontificis ſumere occaſionem errandi: quia verba vt ſonant planè ſignificant id eſſe tutius in conſcientia.Tandem D confirmatur, quia ſi re vera non eſt tutius: neque propter vulgi opinionem eſſe poteſt. Nam tutius erit declarare veritatẽ: & quod in eo caſu tale iuramentum non obliget.Quid enim ſi expreſsè iuratum eſſet contrahere, ac conſummare matrimonium? Nunquid propter vulgi opinionem conſummandum eſſet? Sicut ergo tunc nõ eſt tutius iuramentum implere, ſed ignorantiam vulgi tollere: ita in noſtro caſu dicendum eſſet.

Gloſſa. *Abbas.* *Soto.* *Ricard.*

Melior ergo reſponſio eſt Innocentij, quem multi ſequuntur: Pontificem non

loqui

loqui absolutè, sed iuxta interrogationem, & circunstantias eius. Iurauerat enim quidam, se ducturum quandam fœminam intra biennium: postea verò deliberabat de ingredienda religione. Vnde probabiliter coniectat Innocentius, istum qui iurauerat non decreuisse firmo proposito ingredi religionem ante expletum biennium; sed solum cœpisse suspirare (hoc enim verbo textus vtitur) pro transitu ad meliorem vitam: & consequenter voluisse differre matrimonium, etiam post biennium impletum, quandiu plenè de assumendo statu religionis deliberabat. In illo ergo casu respondet Pontifex, tutius esse iuramentum obseruare, intra tempus præscriptum contrahendo matrimonium ratum, & postea (vt vbi dicitur) si elegerit, ad religionem migrare. Quæ verba etiam hunc sensum indicant: quia ex illis colligitur, illum nondū elegisse religiosum statum, nec voluisse statim illum assumere. Et ratio Pontificij responsi in hoc sensu est clara, quia iuramētum obligabat expleto biennio: & sola cōsultatio, vel deliberatio religionis non excusat, sed actualis ingressus; quia deliberatio potuit ante fieri per totum biennium. Vel certè si cogitatio illa tardè inspirata est; expleto iuramento, poterat deliberatio fieri per bimestre tempus à iure concessum post matrimonium ratum. Atque hæc expositio probabilis est: non caret tamen difficultate. Primò, quia multa supponit, quæ ex textu non sufficienter colliguntur. Secundò, quia si Pontifex supponeret tempus iuramenti fuisse lapsum, & illum qui promiserat non voluisse statim ingredi, sed incipere deliberare: non debuisset respondere tutius esse, sed omninò necessarium esse; quia res non fuit dubia, neque consilij, sed claræ obligationis: nam iuramenti obligatio fuisset certa, & ratio dilationis insufficiens.

Propter quę, aliorum sententia est, iuxta illum textum, & veritatem, obligare illud iuramentum ad contrahendum prius matrimonium: licèt post illum contractū, liberum sit ante illius consummationem religionem ingredi. Tribuitur hæc sententia Scoto, vbi solùm dicit hoc videri consulendum: loquiturque in fortioribus terminis, scilicet quando post iuramentum sponsalium additum est votum. Eandem opinionem probabilem censet Ricard. supra, & sequitur Ledes. 2. p. 4. vbi dicit quòd in eo casu, propter reuerentiam iuramenti, prius debet sponsa duci. Nauarr. comment. 1. de regularibus, in principio nu. 4. & Maior lib. 1. de irregularit cap. 34. n. 6. indicat Sylvest. dicens hoc esse consilium, (cum Raymundo in summa Confessorum) in verbo *religio*. 2. q. 5. & 9. & ex antiquis Canonistis sequuti sunt hanc sententiam Abb. antiquus cum additione, & Collectarius, & Henri. in d. cap. *commissum*. Fundantur, quia hic videtur esse sincerus sensus dicti capituli. Deinde, quia potest conuenienti rationi fundari, quia per sponsalia iurata, ius parti acquisitum fuit, & obligatio iuramenti suborta: & aliunde impleri poterat hæc obligatio sine præiudicio status religiosi, ad quem potest statim post matrimonium ratum fieri transitus. Et morula illa tam parua est, vt non possit moraliter reputari impedimentum, vel dilatio melioris boni: ergo cùm possit iuramentum illo modo impleri; ordo ille seruandus est. Patet consequentia. Primò, quia illud matrimonium non potest dici impeditiuum maioris boni: ergo non est cur excipiatur ab obligatione iuramenti absolutè facti. Secundò, quia estò concedamus rem esse dubiam ex vtraque parte: nihilominus hæc pars videtur tutior, quia cauetur omne periculum iniuriæ proximi, & transgressionis iuramenti, & desiderium religionis non impeditur. Vnde quidam ex dictis Autoribus putant, illum ordinem esse in præcepto: quia in dubijs tutior pars eligenda est, iuxta capitulum *ad audientiam*, cum similibus. de homicidio. Alij verò dicunt, saltem esse consilium. Sed contra vtrunque modum dicendi vrgent rationes superius factæ: quæ videntur ostendere, nullum in hoc negotio esse morale dubium; neque aliquam rationem maioris boni in tali matrimonio, vt sub consilio esse possit.

Ad quartum negatur consequentia, quia iuramentum non sic debet ligare, vt inhabilitet iurantem ne perfectiora apprehendat: sat fuerit obligare semper, sed non pro semper: id est, non sic obligare, vt oblato casu, vel occasione ascendendi ad altiora, ex vi iuramenti impediatur. Semper enim hæc conditio in illo iuramento inuoluitur, quando non cadit supra promissionem factam tertiæ personæ, iuxta ea, quæ in assertionibus adstruximus. Ad argumenta in oppositum adducta respondetur. In primo adducitur cap. vnicum. 85. distinctione, quod etiam propter varios exponendi modos versandum est.

Nauar. *Maior.* *Sylvest.* *Abbas.* *Henricus.* *Scotus.* *Ricard.* *Ledesma.*

Expo-

Exponitur cap. vnicum. 85. distinctione.

IN argumentis pro contraria parte obiectis, tangitur in primis difficultas de iuramento non acceptandi Episcopatum: quod videtur reprobari in dicto cap. vnico. 85. distinctione. Sed quia hoc pendet ex materia de voto, & de statu religionis, breuiter dico; iuramentum illud generaliter factum, animo etiam resistendi superiori præcipienti accipere curam pastoralem, vel non obstante quacunque vrgente necessitate Ecclesiæ: non solum non esse de meliori bono, sed etiam peccaminosum esse, & ideò non obligare. Alio verò modo posse fieri hoc iuramentum cum debita moderatione, videlicet non acceptandi Episcopatum, nisi necessitas charitatis, vel obedientiæ præceptum interueniat: & tunc iuramentum obligare. Dicit tamen Glossa ibi, tale iuramentum esse peccatum veniale, quia temerè, & sine necessitate fit. Sed immeritò hoc dicit; quia tale iuramentum simpliciter est de meliori bono: quia licèt Episcopatus de se status sit perfectionis, nihilominus habet coniunctum honorem, diuitias, & pericula: ratione quorum, consilium est illud non acceptare, nisi charitatis, vel obedientiæ instante obligatione, iuxta doctrinam Greg. li. 35. mora. c. 13. & ideò tale iuramentum de se bonum est: & non frustra fit ad firmandum propositũ contra humanam ambitionem.

Gregor.

In dicto ergo c. vnico non declaratur, an iuramentum illud obligaret, vel non obligaret: sed cùm de quodam Archidiacono Florentino, qui ad Episcopatum fuerat electus, nuntiatum esset Gregorio, quòd super Euangelia iurasset nunquam accedere ad Episcopatum: an verũ hoc esset, Pontifex præcepit inquiri. Cur autem hoc præceperit, non ibi declaratur. Potest autem duobus modis intelligi. Primò, vt inquisitio fieret ad finem repellẽdi eum ab Episcopatu, propter illud iuramentũ, tanquam propter graue crimen: & ita videtur ibi intelligere Glos. & indicat Abb. in c. *si verò*. de iureiu. n. 4. & Selua in suo tract. 3. p. q. 1. n. 21. vbi alios refert, præsertim Ang. *iuramentum*. 5. n. 3. & Anton. 2. p. tit. 10. c. 6. §. *tertius casus*. versi. *quintus modus*: & idem sentit Sylues. *iuramentum*. 4. n. 1. vers. 5. vnde consequenter intelligunt, illum Archidiaconum iurasse in primo sensu declarato. Sed mihi non placet hic sensus. Primò, quia non colligitur ex textu, nec ex verbo nunquam accedendi: quia licèt verba sint generalia, de licitis intelligenda sunt, dum aliud non cõstat, vt ibi notat Glo. ex cap. *ad nostram*. 3. & cap. *venientes*. de iureiur. Secundò, quia licèt illud iuramentum fuisset peccaminosum; non videretur tanta pœna dignum, vt ibi latè notant Glos. & Turrecr. Itẽ Glos. in c. *diffinitio*. 22. q. 4. Glos. 1. in c. *sicut*. de iureiur. Alius ergo sensus est, Pontificem præcepisse inquiri de illo iuramento, quia censebat illud obligare iurantem ad non acceptandam electionem ad Episcopatum; cùm nec charitatis necessitas, nec præceptũ superioris interueniret: & ideò stante iuramento, nolebat Pontifex illum promouere: non quia non posset illi præcipere acceptare Episcopatum, non obstante iuramento; sed quia necessariũ tunc nõ erat: & ideò potius volebat eum repellere ratione obligationis iuramenti. Et ita sentit Caiet. d. q. 89. art. 7. circa ad 2. & Rom. singulari 501. Et in hoc sensu potiùs ex illo textu colligitur, iuramentum illud fuisse de meliori bono; & ideò voluisse Pontificem obseruari. Vnde non video quo fundamento dixerit Soto, dicto li. 8. q. 7. in 2. argumento, Archidiaconum illum fuisse coactum à Gregorio accipere Episcopatũ, eo quod iudicatus fuit Ecclesiæ necessarius; atque adeò (inquit) oportuisse iuramentum infringere. Hoc enim nullum habet fundamentum in textu, neque in epistola originali Gregorij, quæ est 6. li. 12. quin potius in ea ita concludit: *Tu de singulis cum omni studio, ac sollicitudine, omnia, quæ scripsimus require; atque nobis stude subtiliter indicare: vt de renuntiatione tua redditi certiores; quid post hæc fieri debeat, Deo autore disponamus.* Vnde ergo constat Pontificem coegisse Archidiaconum ad acceptandum Episcopatum? Et quamuis ita factum fuisset; non propterea oporteret infringere iuramentũ: quia acceptare illo modo, non erat cõtra iuramentũ. Et ideò nec propriè diceretur Põtifex tunc dispensare iuramẽtum, sed vti iure suo: quod semper intelligitur exceptũ, iuxta cap. *venientes*. de iureiuran.

Glossa. *Abbas.* *Selua.* *Angel.* *D. Anton.* *Sylues.*

Glossa. *Turrecre.* *Caietã.* *Soto.*

Ad secundũ negatur consequentia, quia in casu antecedentis, homo inhabilitat se immobiliter ad ascensus in perfectionis statum. Vnde neque Deus, nec Ecclesia vult, vt tale obstaculum iuramento firmetur. At cætera iuramenta, quæ non apponunt perpe-

perpetuum obſtaculum aſcendendi ad altiora, ſed tantùm ſunt de rebus incompoſſibilibus cum maioribus bonis, valida erũt: quia quoties placuerit iuranti, relicto minori bono poterit melius bonum apprehendere. Ad tertium reſpondetur concedendo totum: non enim relinqui debet, præcipuè quando iuramentum dumtaxat fit intuitu diuini honoris. In alijs verò caſibus, quando iuramenta cadunt ſupra promiſsiones homini factas, alia ratio eſt: tum quia fortaſſe tunc præcipuus, & immediatus finis talium iuramentorum, eſt confirmare promiſsionem homini factam: tum quia Deus vult ea ſeruari, ne conuictus humanus pateat fraudibus, & impoſturis iurantium promiſsiones factas hominibus, vt ſupra explicui.

Circa ſolutionem ad tertium agit Diuus Thomas de iuramentis, quæ à iurantibus coactè emittuntur. Et ideò ſit

DISPVTATIO IX.

An iuramentum per iniuriam extortum obliget?

VERBI gratia iuramentum de ſoluendo vſuras vſurario: iuramentum præſtitum latroni comminanti viatori mortem, niſi iuret ſe daturum centum aureos. Item iuramentum non reſcindendi contractum emptionis, & venditionis, etiamſi vltra dimidium iuſti pretij merces vendantur, & ſimilia, quæ cum iniuria exiguntur à iurante; ſiue metu, ſiue vi illata exactio iuramenti fiat.

Videtur vera pars negatiua. Primò, quia promiſsio quæ fit iniuriam inferenti, eſt ipſo iure nulla, vt patet ex cap. *debitores.* de iureiur. Ergo iuramentum, quod ipſam confirmat, nullum erit: quia re confirmata exiſtente nullius valoris, neque res confirmans aliquem habebit effectum, vel aliquam inducet obligationem. Secundò. Illa operatio promiſſa, & iurata, interueniente iniuria, non eſt actus virtutis, nec vtilis ei, cui fit promiſsio iurata: ergo iuramentum de ea exercenda non eſt obligatorium, ſiquidem iam ſæpe docuimus in præcedẽtibus, iuramenta, quæ non ſunt de actu virtutis, non poſſe eſſe valida. Antecedens quoad primam partem probatur:

A quia ſolutio pecuniarum facta latroni, non eſt actus iuſtitiæ, cùm ei non debeatur: neque liberalitatis, cùm non donetur: neque fidelitatis, cùm promiſsio non teneat; quia iniuriam irroganti neutiquam fides ſeruãda eſt: neque ſupererogationis, quia eſſet beneficium præſtare indignis, & iniuriam inferentibus in ipſa exactione promiſsi: neque religionis, quia hoc eſt quaſi petere principium erga id quod diſputamus. Contendimus enim non pertinere ad religionem, quia non verſatur circa materiam ſecundùm ſe ſtudioſam. Imò iuramentum

B non propriè conſtituit actum ſupra quem cadit in ſpecie religionis, teſte diuo Thoma in articulo quinto ad primum huius quæſtionis. *D. Thom.* Secunda pars antecedentis, videlicet talem actum eſſe inutilem, imò nociuum recipienti pecuniam, patet: tum quia non acquirit dominium illius pecuniæ, vel ſaltem tenetur illam reſtituere; quod non mediocre onus eſt. Item ſic ſoluens poteſt illam ſtatim repetere: ergo ex hac parte, vt minimum otioſus eſt actus ille. Sit tamen noſtra aſſertio. Iuramenta

C per iniuriam ex torta, ſi homini fiant, obligatoria ſunt, ſi ſint de materia capaci iuramenti, id eſt ſi abſque culpa impleri poſſint. Hæc eſt ſententia D. Tho. in prędicta *D. Thom.* ſolutione ad tertiũ. & quæſt. 98. art. 3. ad 1. *Gabriel.* Gabriel. in 3. diſt. 39. quæſt. 2. art. 2. con- *Durandus.* cluſ. 8. Durand. quæſtione 2. & alij ibi, Syl- *Sylueſt.* ueſt. *iuramentum.* 4. quæſtione 7. vbi plu- *Couarr.* res citat Iuriſperitos. Couarrub. in 4. De- *Nauarrus.* cretal. 2. parte, cap. 3. §. 5. num. 2. Nauar- *Soto.* ri cap. 12. num. 14. Soto vbi ſupra, & Ca- *Caieta.* ietani copioſe in commentarijs huius articuli. Qui omnes conueniunt in aſſertione: licèt in aliquibus minutulis diſcrepent.

D Et aſſertio eſt definita in capite *ſi vero.* & in capite *verum.* de iureiurando: vbi habetur, iuramenta per vim extorta eſſe ſeruanda, niſi relaxentur per habentem poteſtatem. Et redditur ratio, quia talia iuramenta ſeruari poſſunt, ſine diſcrimine ſalutis æternæ. Idem ſumitur ex cap. *Abbas.* de iureiurando. & cap. *ad audientiam.* eodem. Probatur ratione, quia ea iuramenta ſunt verè iuramenta, vtpote de actu virtutis, vt infra explanabimus: ergo obligatoria ſunt: etenim ad verum iuramentum vera obligatio conſequitur.

Ad argumenta in oppoſitum reſpondetur. Ad primum, citra dubium eam promiſsionem per iniuriam extortam, ſi per ſe conſideretur, non eſſe obligatoriam iure

natu-

naturæ. Ita communiter Thomistæ circa solutionem ad tertium. Et Iurisperiti multi ex Panormitano, Felino, Imola, Henrico, & alijs in dicto cap. *debitores*. rationem reddunt. Caietanus quem Aragon sequitur, etiam huius rationem reddit, quia scilicet ea promissio est de materia incapaci obligationis, vel de actu & re inutili accipienti, imò nociua: tum quia tenetur iniuriam inferens eam restituere: tum quia ex illius receptione non paruam noxam animæ accipit. *De ratione promissionis humanæ* (inquit Caietanus) *est, vt sit vtilis recipienti: quia aliàs erit de actu vano, & otioso; ac proinde non obligabit.* Hæc ratio displicet Soto, quia non est de ratione obligationis humanæ, vt res promissa de facto sit vtilis accipienti: satis enim est, quòd de se sit vtilis, etiamsi de facto ex abusu, & malitia eius, vtilitatem non sit allatura, sed potius nocumentum. Confirmatur, quia aliàs paucæ essent promissiones validæ: imò innumeræ inualidæ. V.g. promissiones de danda pecunia ad sumptus prodigos, ad ludum, ad pompam vanam; quæ tamen obligatoriæ communiter censentur: aliàs periret conuictus humanus, fundatus magna ex parte in hisce promissionibus, siue sint futuræ vtiles, siue nociuæ accipientibus res promissas, siue non. Item si ratio Caietani valida esset, nō solùm probaret, promissionem illam coactam non obligare: verùm etiam impleri non posse licite secluso iuramento, quia esset actus inutilis, & otiosus, imò & nociuus recipienti rem promissam. Nos igitur concedimus, eas promissiones coactas posse impleri sine peccato promittentis: quod & videmus sæpe fieri à viris timoratæ conscientiæ; non tamen obligare promittentes ad earum impletionem. Ratio est, quia eæ promissiones fundātur in iniuria: ex actione autem iniuriosa non nascitur obligatio: vnde non tenetur quis facere verum quod coactè dixit, seu promisit; nec alius per iniuriam potuit eum obligare. Sed hoc supposito, vires argumenti propositi crescunt. Ad quod respondetur negādo consequentiam, quia licet iuramentum promissorium coactum, & promissio, cadant supra eamdem materiam, & eundem actum: sed tamen sub diuersa ratione. Promissio quidē, habita ratione ad cogentem, cui obligari per coactionem æquitas non patitur. Iuramentum verò, habita tantùm ratione ad diuinum nomen inuocatum: ob cuius reuerentiam, implere promissa etiam coacta, necessarium est. Quare iuramenta illa sunt quidem confirmatoria promissionum: sed non sub eadem ratione cadunt sub eodem actu; quare merito negatur consequentia.

Panorm. *Felinus.* *Imola.* *Henricus.* *Caietan.* *Aragon.*

Ad secundum Caietanus in solutione ad tertium huius art. §. ad euidentiam, respondet, illam promissionem esse actum virtutis, quia est redemptio vexationis propriæ vel alienæ, vt in casu latronis exigentis iuramentum: quo casu ea redemptio vel est actus charitatis propriæ, si propria vexatio redimatur; vel misericordiæ, si redimatur vexatio aliena. Et si obijcias vt quidam, in iuramento de soluendis vsuris, præcipuè si fiat ad petitionem, & inuitationem iurātis, ab vsurario nō parato: nulla adest vexatio. Respondetur, Vt illa promissio sit actus virtutis nō est semper necesse adesse vexationem rigurosam: sed sat est iniuriæ passio. Etenim iniuriam irrogat vsurarius annuēdo promittenti: qui promittēs ius habet vt sibi detur mutuū sine vsuris; & illa propulsatio malitię nollentis mutuare sine vsuris, redēptio vexationis dicitur, sufficiens vt illa promissio actus dicatur virtutis, id est charitatis propriæ, vel misericordiæ. *Caietà.*

Obijcit Caietanus, quia ad redimēdā vexationē, ad summū fuit necessaria promissio iuramento firmata; nam per illam liberatus est promittens ab actuali vexatione. Postea verò quando soluit vsuras, vel quod latroni promisit, non vexatur; quia liber est à periculo, & necessitate: ergo solutio illa nō honestatur per redemptionē vexationis. Respondet & benè, satis esse redemptionē vexationis fuisse inchoatam per promissionē iuratam, cum ordine ad cōplementum eius: nam inde habet prædicta solutio, vt sub ratione vexationis fiat tanquam cōplementū eius, quod sufficit vt dicatur actus virtutis: maximè, inquit, quia propter Dei autoritatē per iuramentū interpositā, acceptata est illa promissio tanquam sufficiens ad redimendā illam vexationē, non minus quàm si haberet solutionē coniunctā. Et ideò ad diuinā autoritatem & reuerentiam spectat, vt redemptio impleatur. Alijs non placet doctrina hæc de redemptione vexationis: & aliter respondent, illam solutionem iuratam hanc habere vtilitatem, vt fiat verum quod sub imploratione diuini testimonij promissum est, cùm possit fieri sine peccato. Etenim ille actus vt ab agēte egreditur bonus est & vtilis, quia ad humanā societatē suas habet commoditates: ex parte quidem promittētium, quia illis cōmodum est tan- *Caietan.*

tæ esse autoritatis iuramentum, vt reddat iniquos exactores certos de impletione promissorum, vt si iterum indiguerint promittentes tali remedio, illis credatur. Et hæc vtilitas sat fuerit, vt ille actus non sit otiosus, neque vanus: & consequenter, vt accedente iuramento debeat impleri. Imò etiam vtilis erit recipienti iniustè, nam illud nocumentum spirituale quod incurrit, non est necessariò considerandum à dante: aliàs nec liceret mutuare prodigis, lenonibus, & huiusmodi. Et si obijcias, has rationes probare, promissionem debere esse validam, quia videntur pari passu procedere atque in iuramento: negatur consequentia, quia cogens ad promissionem, non est dignus vt illi fides seruetur. Secus de cogente ad iuramentum propter Dei reuerentiam, qui non in vanum inuocandus est. Doctrina hæc vera est: sed prior magis recepta, & formalior, vtpotè quæ explicat quomodo illa iuramenta sint de actu virtutis, qui includitur in redemptione vexationis.

Circa eandem solutionem ad tertiũ postquam D. Thom. asseruit, iuramenta coacta esse valida, subiungit: *Potest tamen sic iurans repetere in iudicio quod soluit, vel Prælato denuntiare, non obstante quod contrarium iurauit: quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra iustitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiusmodi iuramentis homines absoluerunt, non quasi decernentes non esse obligatoria: sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxantes.* Hæc Diuus Thomas. Ex quibus verbis colligo secundam assertionem. D.Thom.

Passus iniuriam in his iuramentis coactis emittendis, iustam habet causam petendi, & obtinendi relaxationem horum iuramentorum: videlicet, ne destituatur remedio ad iniuriam aliquo modo propulsandam. Admonet tamen Caietanus, & benè, in huiusceemodi relaxationibus obseruandum esse, ne detur occasio infidelibus nomen Dei blasphemandi. Nam si alicui capto ab infidelibus concederetur facultas redeundi ad patriam, fide eius accepta sub iuramento, se tãtam pecuniam soluturum, in qua re captus iniuriam patitur: non esset tunc facilè iuramentum relaxandum, ne exhiberetur infidelibus occasio nomen Dei blasphemandi.

Sed adhuc asserta in hac disputatione, argumentis alijs discutienda sunt ex cap. 2. de iureiur. vbi de quodam Episcopo, qui A per vim, & iniuriam bonis suis fuerat expoliatus, & iurare compulsus quod non repeteret sic ablata; dicitur ipsum Episcopum nullius iuramenti vinculis per hoc posse constringi. Propter quem textum aliqui dicunt, vt ibi Glossa notat, iuramentum per contumeliam extortum non obligare. Sed illa opinio, vt contraria multis iuribus allegatis sepulta est. Vnde ad textum illum dupliciter respõdetur. Primo: illum Episcopum fuisse expoliatum rebus suis, id est, rebus Ecclesiæ, quæ dicuntur esse Episcopi, quia sub Episcopi administratione erant: & sic iuramentum B non obligasse; non quia per metum, & iniuriam fuerat extortum: sed quia erat illicitum, videlicet, de rebus alienis non repetendis. Ita exponunt Glossa, & alij: & illa verba subiuncta: *Quem tamen absoluimus*, exponunt, id est, absolutum declaramus: vel absoluimus, id est, à peccato, quod iurando commiserat, vel à pœna propter hoc debita. Secundò respondetur, & melius, sermonem esse de expoliatione propriarum rerum Episcopi. Et per illa verba, *nullius iuramenti vinculis*, non significari iuramẽtum non obligasse: sed non ita obligasse, quin Episcopus ille haberet iustam dispenC sationis causam, eo quod per iniuriam compulsus fuerit iurare: & ideò subiungit Pontifex, se illum absoluisse à iuramento per veram relaxationem. Glossa.

Secundò contra idẽ, & contra ea, quæ afferemus ex D. Tho. circa finem solutionis argumenti secundi. Nam iurare iniuriam passum aliquid soluturũ, & post solutionem posse repetere; videtur impertinens: quia tunc superflua esset talis solutio. Negatur assumptum: quia iam latroni propter iusiurandum impleta est promissio. Quod verò postea habeat iusad repetendũ; ius naturale est, cui non renuntiat passus iniuriam, vt D dicitur in cap. *ad audientiam*. expresse. Sed quid si iniusta actio dicitur extendatur ad iuramentum de non repetendo; & illud etiam fiat? Respondet D. Tho. in 2. p. solut. arg. 3. his verbis: *Respondetur. Illa verba, non obstante, &c. non ad totam disiunctionem præcedentem, & singulas eius partes referenda sunt: sed tantùm ad proximam.* Duo enim illis verbis dixit D. Thomas. Vnum est, posse petere in iudicio: quod intelligendum est, quando de hoc nihil in iuramento actum est. At verò si iurasset non repetere in iudicio; seruandum est iuramentũ. Quod per argumentum à cõtrario D.Thom.

colli-

colligitur ex dicto cap. *ad nostram*. ibi: *Quoad non repetendum*: ergo aliter dicendum, si ad hoc iuramento se obligasset. Item, quia illud iuramentum potest impleri sine salutis periculo, vt constat ex cap. *Quemadmodum*. §. illud. eodem. Demum ex cap. *si verò*. eodem, quatenus in eo dicitur, iuramentum quo quis cogitur renuntiare iuri suo, obligare: licèt relaxari possit. Et idem colligitur ex cap. *ad aures*. de his quæ vi, vbi id notat Glossa, verbo, *nisi fortè in iuramento*. & Doctores in dicto cap. *ad audientiam*. & Bartol. in l. *siquis pro eo*. ff. de fideiussori. nume. 10. Couarr. 2. par. §. 3. nu. 2. Gutierrez 1. par. cap. 53. num. 8. Addit tamen Diuus Thomas, posse nihilominus eum qui sic iurauit, denuntiare Prælato Ecclesiæ tale delictum, & iniuriam contra se commissam: quod verum est, etiam sine relaxatione prioris iuramenti; quia illud non fuit de non denuntiando, sed de non accusando. Quod constat ex dicto §. illud. Demum adiungit D. Thomas, quòd licèt fuisset iuramentum emissum de non denuntiando, posset denuntiare; quia illud iuramentum esset de re illicita, & contra iustitiam publicam. In quo verbo exponendo nimium solicitus est Caietanus, & aliqua dicit vera, & scitu digna pro materia de accusatione, & denuntiatione. Modò nos breuiter dicimus, denuntiationem prout distinguitur ab accusatione, semper, vel ferè semper habere aliquid admixtum de bono publico procurando. Et in hoc casu, tale iuramentum de non denuntiando illicitum est. At verò si denuntiatio fiat propter priuatum interesse, vel denuntiatis, putà quod illi restituatur res data, vel propter priuatum denuntiati, verbi gratia: quod exeat à peccato, quod emendetur, vel quid simile; tunc iuramentum de non denuntiando validum erit. At verò iuramentū de non petenda relaxatione horum iuramentorum, non censeo validum: sed narrato toto processu, & iniquitate exigentis tale iuramentum, poterit relaxari, quia oppositum cederet in detrimentum potestatis Ecclesiasticæ, valentis ea iuramenta relaxare. Sed de hoc latiùs inferiùs.

Glossa. *Bartol.* *Couarru.* *Gutier.* *D. Thom.*

Tertiò. Votum emissum propter metum, vel violentiam, est inualidum quando metus, vel violentia causant votum: ergo idem dicendum de iuramento. De veritate antecedentis multa dixi in 1. tomo, quæstione 88. artic. 3. disputatione 1. & 5. vi-

A deturque procedere à paritate rationis. Vt huic argumento respondeatur; Soto in hoc art. ad 3. & Abbas in cap. 2. de his quæ vi, num. 11. & alij, valdè laborant in assignanda differentia inter votum, & iuramentum. Sed credo, stando in iure naturæ, in hac parte nullam esse: sed vota coacta, sicut & iuramenta, esse obligatoria. At stando in iure Ecclesiastico, quędam vota coacta reddidit nullius obligationis Ecclesia, v.g. vota solemnia religionis propter arduitatem, & perpetuitatem status; non verò id egit in iuramentis. *Sotus.* *Abbas.*

Quartò. Matrimonium per iniuriam
B extortum non obligat: ergo nec iuramentum. Etiam in assignanda differentia inter iuramentum, & matrimonium, soliciti sunt Autores: quorum aliquos refert Aragon, & eorum differentiæ illi non placent, & meritò. Nos respondemus negando consequentiam. Et si matrimonium coactum est irritum iure positiuo; patet responsio ex modo dictis. Si autem est irritum iure naturæ; etiam negatur consequentia: quia ab actione iniurioſa inter homines non nascitur ius inferenti iniuriam, neque vlla inde dimanat obligatio, vt supra diximus de promissione simplici. *Aragon.*

C At verò iuramenti valor non nascitur ex iniuria, sed ex reuerentia debita diuino nomini, etiam si versetur circa actionem iniurioſam. Sed quid si quis per vim, vel metum cogatur iurare, se ducturum Mariam in vxorem? Respondetur, validum est iuramentum, sed secum affert facilem relaxationem, propter inconuenientia multa, quæ à matrimonijs coactis dimanare solent.

Demum circa hanc solutionem ad 2. est dubiolum, an ista iuramenta coacta obligēt ad sui obseruationem, etiam cum periculo
D mortis? v.g. si quis carcere detētus, iuret se ad carcerem iniustum rediturum; si tamen redierit occidendus erit? De hac re sunt oppositæ sententiæ plurimorum, quos refert Couarr. lib. 1. varia. c. 2. num. 7. mihi magis arridet affirmatiua, dummodo sic iurans, quando iurabat prę uiderit periculum illud: aliàs non erit obligatorium. Prima pars est Caietani hic, & Soti, ac aliorum, & fauet D. Thom. ad 3. quatenus absolutè docet, iuramentū coactum obligare etiam cū damno temporali. Prob. quia vinculum iuramenti est adeò sanctum, vt illud temerare semper impium existimatum sit: & seruare, etiam cū periculo vitæ, existimatū est pertinere. *Couarr.* *Caietan.* *Soto.* *D. Thom.*

ad fidelitatem,fortitudinem,&religionem, etiam apud Gentiles, vt videre licet apud Auguſt. Auguſt.lib.1.de Ciui.Dei,cap.15.ergo iuramentum in illud cadens, in omni euentu obligat. Appoſui limitationem, quãdo ſcilicet iurans præuidit periculum illud : quia quando non fuit præuiſum, eo quod iurãs putauit non futurum tantum periculum in reditu ad carcerem;non eſt credendum voluiſſe ſe adſtringere iuramento, neque iurare velle: ac ſubinde non obligabitur.

Quod diximus de iuramento extorto per iniuriam,mediante vi,aut metu; dicendum eſt de iuramento extorto per actionem iniurioſam,mediante dolo. Dolum appellamus actionem iniurioſam, id eſt, deceptionem factam ab eo qui iuramentum petit, vel extorquet (nam de dolo,vel ſimulatione ipſius iurantis, dicemus cum D. Thom. ſolutione ad quartum) qui dolus paſsiuè ſumptus, ſi conſideretur præciſè, vt ab iniuria naſcitur, non reddit iuramentum inualidum: ſicut neque vis,aut metus. Poſſet tamen ex alio capite penſari,vtrùm ſit validum: ſcilicet ex parte voluntarij,vel inuoluntarij quod cauſat. Et quia ſub iſta conſidetatione,ratio eadem habenda eſt de dolo, & de errore,de vtroque quæſtio vẽtilanda eſt.Vnde ſit

DISPVTATIO X.

An iuramentum factum per errorem, ualidum ſit?

VERBI gratia, quis iurauit ſe ducturum Mariam,quam putauit per errorem, vel dolum eſſe nobilẽ, cùm tamen eſſet ignobilis : dubitatur:an iuramentum illud ſit validum, necne?

Et videtur vera pars affirmatiua, quia non minus cauſat inuoluntarium metus, quàm error: ſed hoc non obſtante, iuramentum emiſſum metu eſt validum: ergo idem erit de errore, ſeu dolo. Secundò arguitur ex iuramento facto Gabaonitis Ioſue 9.fuit enim per dolum,&deceptionem factum: & tamen obligauit, vt ſuperius viſum eſt:ergo.

In oppoſitum eſt,quia ignorantia cauſat inuoluntarium, ſeu non voluntarium ſimpliciter: & ſine voluntate non fit iuramentum . Secundò, non minus impedit error, quàm ignorantia ſimplex , ſeu neſcientia; quia error includit ignorantiã, & addit falſam exiſtimationem. Vnde ſolet vocari ignorantia prauę diſpoſitionis:neſcientia verò dicitur ignorantia priuationis. Sed ſimplex ignorantia impedit valorem iuramẽti; vt habetur ex preſsè in cap. *veniens*. de iureiur.ergo multo magis dolus, & error impedient iuramenti obligationem.

Dico primò. Negari nequit,quin aliquis error,vel dolus impediat valorem iuramenti, & obligationem . Ita communiter Doctores in cap. citato *veniens*. ex quo colligunt, iuramentum non extendi ad ea, quæ in mentem iurantis non venerunt : quod contingit in iuramentis factis per errorem,vel dolum. Vide Sylueſt. *iuramentum*. 4.quæſt.8.Sed difficultas eſt,an omnis dolus in omni materia valorem iuramenti impediat?Similem diſputationem inſtruxi circa articulum tertium de voto, diſputatione 1.& 2.& ferè eodem modo decidenda eſt. Vnde Syluest.

Dico ſecundò . Error,ſeu dolus in ſubſtantia rei annullat iuramentum. Hoc habetur communiter, & probat ratio allata,&defectus voluntarij conſenſus,non ſolùm circa promiſsionem,verum circa iuramentum. Tertiò dico.Iuramentum factum per errorem,circa cauſam extrinſecam mouentem ad iurandum, vel circa qualitates accidentales, vel leuiculas rei iuratæ : non inualidant iuramentum. Probatur,quia hic error non ſufficit cauſare inuoluntarium. Secùs ſi fuit error circa conditiones graues,quas ſi ſciret iurans , prudenter exiſtimatur non iuraturum : tunc iuramentum eſt inualidum , & iurans inuoluntarius; quia in hoc,& ſimilibus, iurans ſecluſo errore non iuraret . Diſcernere autem inter conditiones has graues,& alias; iudicio viri prudentis relinquitur.Et eodem modo iudicandum eſt de iuramentis,quæ fiunt ſine errore: ſed tamen interueniente ignorantia puræ negationis,ſeu neſcientia, quia in ordine ad conſtituendum,vel auferendũ voluntarium,eodem modo ſe habent.

Ad primum initio diſputationis poſitum,quatenus conatur probare,omne iuramentum factũ interueniente dolo, eſſe validum;admiſſo antecedenti,negatur conſeq. quia metus incuſſus ad iurandum cauſat inuoluntarium , ſeu non voluntarium ſecundùm quid: non tamen aufert voluntarium ſimpliciter; quin potiùs ad illud excitat,& impellit.At verò dolus,qua parte occultat materiam iurandam , tollit voluntarium;

tarium: & ideò non eſt ſimilis ratio. Ad ſecundum de iuramento facto Gabaonitis, reſpondetur, dolum illum non fuiſſe de re ſubſtantiali, ſed de quibuſdam leuioribus, & accidentalibus: finxerunt enim ſe pauperrimos, & longius habitare: quæ omnia non erant magni momenti ad infirmandū iuramentum.

Nec præfatæ doctrinæ obſtant quædam iura, quæ videntur ſpecialiter exigere excluſionē doli, & erroris, vt iuramenta quædam valida ſint, nempe ea quæ contra leges ciuiles fiunt, vt videre licet in cap. *cum contingat.* de iureiur. cap. 2. eodem. in 6. cap. 2. de pactis. in 6. Ergo à contrario ſenſu, ſi adeſt dolus, & error, inualida erunt. Sed ſine argumento efficaci, his iuribus mouen
Couarr. tur quidā, vt aduertit Couarr. in 4. 2. p. ca. 3. §. 5. numer. 2. & lib. 1. variar. cap. 4. num. 7. Igitur in dictis iuribus non additur illa exceptio ad excludendum valorem ab omni iuramento facto cum errore, vel dolo: ſed ad declarandum, illa iuramenta non habere tantam firmitatem, quando interuenit dolus, vel fraus; quantam haberent ſi ſine dolo, & fraude facta fuiſſent. Quando enim ſponte fiunt, omninò implenda ſunt, vt dicitur in cap. 2. de pactis. in 6. id eſt non ſunt relaxanda per ſe loquendo, & ratione ſolius repugnantiæ, quam habent ad leges ciuiles. Si autem dolus, vel metus interceſſit, licèt obligent, poteſt tamen prius quam impleantur de illis relaxatio poſtulari. Et ſic interpretare cap. *cum contingat.* de iureiurando. nec valet argumentum à contrario ſenſu, quando aliunde de veritate conſtat. Sec circa ſolutionem ad quartum eſt

DISPVTATIO XI.

An iuramentum doloſum ſit obligatorium?

PRO tituli explicatione præmittendum, dolum, id eſt dictum, vel factum vnde quis decipitur, quandoque in bonam, quandoque in malam partem accipi. Col-
Anaſtaſ. Nicen. ligitur ex Anaſtaſio Niceno in lib. quæſtionum ſacræ Scripturæ, quæſt. 73. vbi poſtquam dixit: *Mores inſidioſi, & fallaces, & doloſi, Deo ſunt odioſi, & hominibus inimici*: infra ſubdit: *De iuſtis autem inſidijs, & dolo qui non malè, ſed iuſtè & ſapienter celat, & abſcondit, & artificioſam præ ſe fert* A *ſpeciem*. Et infra: *Propter hos* (inquit) *dolos non ſunt Sancti appellādi doloſi, vel mendaces, ſed ſapientes quidem ad bonum, ſinceri autem ad malum*. Et hoc modo diſtinguitur dolus malus à bono in l. 1. ff. de dolo. Sed iam obtinuit vſus, vt dolus ſimpliciter dictus pro malo ſumatur. Et ſic dicitur in regula 55. ff. de reg. iuris: *Nullus videtur dolo facere, qui ſuo iure vtitur*. Non diſſimiliter iuramentum doloſum, quandoque in bonam, quandoque in malam partem accipitur, pro eo iuramento, quod quis audiens ocaſionem deceptionis ſumit. Hoc autem dupliciter contingere poteſt. Vno B modo ex aliquo defectu intentionis iurantis: quando ſcilicet iurans aliud habet in animo, aliud verbis exponit. Secundo modo, quando etſi animus iurantis cum verbis conſentiat; tamen in verbis ipſis eſt aliqua deceptio, eo quod vel amphibologica ſunt, vel ita artificioſe à iurāte compoſita, vt audiens decipiatur, putans ſibi vnū dici, cùm tamen proferens aliud intendat. De priori iuramento doloſo propter defectum intentionis, dicendū eſt: nam quatuor modis poteſt ea intentio deficere. Primus eſt, quādo verba proferuntur abſolutè, ſed interius in C animo adiungitur illis aliqua conditio: vt ſi v.g. verbis abſolutè prolatis polliceatur quis alteri, ſe eì daturum aliquam rem, ſubintellecta tacitè conditione, ſi ſibi placuerit, aut oculis conſpiciēdam. Secundus modus eſt, quando quis exterius aliquid promittit; nō tamen habet intentionem ſtādi promiſsis. Tertius, quando is qui promittit, habet quidem animum promittendi, atq; iurandi; nō tamen habet intētionē ſeruādi promiſſum, nec obligandi ſe iuramento exterius facto. Vltimus, quando ei qui promittit deeſt animus, atq; voluntas promittendi, & obligādi ſe iuramento. Secundum membrum diuiſionis, nempe quando dolus eſt in ipſis verbis, poteſt accidere dupliciter. Vno modo, quādo verba ſunt multiplicia & æquiuoca: & ita qui ea audit, diuerſum ſenſum intelligit, ab eo quem intendit is qui profert. Alio modo, quando licèt non ſint æquiuoca verba; ita tamen prudenter, & artificioſe conſtruuntur ab eo qui iurat, vt is qui audit accipiat illa longe diuerſo ſenſu ab eo, qui vere ipſis ineſt. Ex quo infertur, ſex modis poſſe contingere, quòd iuramentū aliquod doloſum dicatur.

His conſtitutis, ſit prima aſſertio. Qui iureiurando promittit aliquid doloſe primo modo, hoc eſt ſubintellecta aliqua

conditione,quæ non exprimitur, non obli A gatur ad ſeruandum iuramentum,niſi quã-tum ad illa, quæ habuit in animo iurare, & eo modo quo habuit. Probatur. Iuramentum promiſſorium ad ea tantùm ſeruanda obligat, quæ illi ſubijciuntur tanquam materia: ſed in caſu poſito materia iuramento ſubiecta, non eſt me daturum ſimpliciter, ſed tantùm me daturum ſi mihi aut libuerit,aut placuerit:ergo ad id tantùm obligat. Secundò: ſicut eſt in mea poteſtate, cùm mihi proponitur aliqua res iuramento confirmanda,iurare,vel non iurare: ita etiã eſt in mea poteſtate, illam rem,vel ex parte, vel in totum, vel abſolutè, vel adiuncta B conditione iurare: ſed ſi fingo me iurare aliquam rem ſine animo iurandi;id iuramentum non obligat, vt ſtatim dicemus: ergo pari ratione,ſi fingo me iurare aliquam rem abſolutè verbis exterioribus; ſi tamen in animo iuro conditionaliter, id iuramentum obligabit ſub conditione. Hæc aſſertio eſt contra Sylueſt. verbo *iuramentum*. 3.§.2. *Sylueſt.* vbi dicit, quòd iuramentum obligat abſolutè,ſicut verba exterius prolata ſonãt: niſi id iuramentum ſit per metum extortum.

Secunda aſſertio ſit. Qui habet animum promittendi, aut iurandi; non tamen implendi rẽ promiſſam, verè obligatur. Pro- C batur, quia ex intentione iurandi naſcitur *D.Thom.* tota obligatio iuramenti, vt ait D. Thom. in hac ſolutione ad quartum, & conueniũt fermè omnes Doctores Theologi,& Iuriſperiti: ergo quamuis habeatur intentio non implendi promiſſa, adhuc orietur obligatio.

Tertia aſſertio. Qui iurat doloſè tertio modo;hoc eſt,qui habens animum iurandi, non habet animum ſe obligandi illo iuramento: verè obligatur ad præſtandum ea,quæ promiſit, ſiue iure, ſiue vi adductus fuerit ad iurandum.Hæc aſſertio eſt contra *Sylueſt.* Sylueſtrum,verbo *iuramentum*.4.§.19. qui D dicit huiuſmodi iuramentum non obligare. Quem etiam ſequuntur magna ex parte *D. Bonau.* Iuriſperiti,& D. Bonauent. in 4. diſtinctio.39.quæſt.2.artic.1.& Ricardus eadem *Ricard.* diſtinct.quæſt.2.& Gabriel quæſt.1.art.2. *Gabriel.* Illam tamen tenent omnes illi Doctores, quos quæſtione præcedenti art.1. diximus affirmare, quòd qui emittit votum animo vouendi,& non ſe obligandi; manet adhuc voto adſtrictus, cũ eadem ſit ratio in voto, & in iuramento quantum ad hoc. Et probatur: obligatio ita naturaliter naſcitur ex iuramento, vt poſito ſemel vero iuramento, intelligi non poſsit illud non obligare: ſed qui habet animum iurandi, verè iurat, & non fictè: ergo obligatur illo iuramento; eſtò nec habeat animum ſe obligandi, neque promittendi.Et confirm.Iuramentũ eſt inuocatio diuini teſtimonij, ad aliquam rem, vel præſentem, vel futuram confirmandam:ſed diuino teſtimonio cum inuocatur Deus, ex natura rei debetur vt veri cauſa inuocetur:ergo implicat aliquod eſſe verum iuramentum, & non inducere obligationem verum vel dicendi, vel faciendi. Sed contra iſtam aſſertionem ſunt aliquot argumenta.Primum:Iuramentum inducitur ad confirmandam promiſsionem: ergo vbi non eſt promiſsio, nec erit iuramentum. Sed qui non habet animum ſe obligandi iuramento, nec promittendi, nihil promittit: ergo nec obligatur iuramento. Secundò: qui non habet intentionem ſe obligandi,is neque iurandi animum habet,quia hæc duo ita ſunt cõnexa, vt pro eodem haberi poſsint, ſcilicet nolle obligare ſe iuramento,& nolle iurare. Sed qui nõ habet animum iurandi, licèt exterius iuret non obligatur:ergo nec obligabitur qui nõ habet animum ſe obligandi,& promittẽdi. Ad primum argumentum reſpondeo,quòd qui iurat animo iurandi, & non ſe obligandi,vel promittendi; eſtò formaliter, & explicitè nihil promittat,quia explicitè affirmat ſe nolle promittere; virtualiter tamen promittit. Nam quia iuramentum ex natura ſua inducit obligationem efficiendi verum quod iuratur: idcircò qui verè habet voluntatem iurandi; virtualiter,& implicitè illa voluntate vult omnia,quæ neceſſariò conſequuntur ex iuramento:& ſic implicitè,& virtualiter vult promittere.Ad ſecundũ reſpõd. aliud eſſe loqui de obligatione, aliud de animo obligandi ſe iuramento.Nã primũ, ſcilicet obligatio, nunquã ſeparatur D à iuramẽto. At vero voluntas expreſſa obligandi ſe iuramento, benè poteſt deeſſe in eo qui verè iurat.Imò & contraria voluntas poteſt eidem ineſſe: quia ſcilicet arbitratur eſſe in ſua poteſtate, ſecernere, & ſeparare obligationem à iuramẽto.Nota tamẽ,quòd homines illiterati,& indocti, ſæpè pro eodẽ accipiunt nolle obligare ſe iuramẽto,& nolle iurare.Imò nulla alia ratione arbitrãtur, poſſe ſe expreſsiùs explicare ſuum animum, & quòd non habuerint animum iurandi, quàm ſi dicant ſeſe illo iuramento nunquam voluiſſe obligare. Quocirca in his rebus magna cautio erit adhibenda.

Pro

Pro quibus videnda ſunt, quæ diximus in materia de voto loco citato.

Quarta aſſertio. Qui iurat doloſe quarto modo, ſcilicet ſine vlla intentione iurandi: non obligatur tali iuramento, ſiue iure, ſiue iniuria requiſitus iuret. In hac aſſertione omnes Doctores conueniunt. Et ratio eſt manifeſta, nam cùm ibi deſit voluntas iurandi; quòd ibi nullum ſit iuramentum, ſed tantùm ſimulatio quædam, erit neceſſe. Eo vel maximè quòd ad ea, ad quæ lege non adſtringimur, & honeſta ſunt, niſi ex propria voluntate obligari non poſſumus. Et ſi quis quærat, vtrùm qui ad iſtum modum fingit ſe iurare, ſemper peccet mortaliter? B ſub diſtinctione reſpondendum exiſtimo. Nam vel id, in quo fingo me iurare, eſt falſum; ſiue de præſenti, quia non ita ſe res habet; ſiue in futurum, quia non habeo animum id adimplendi: vel eſt verum, & nolo re ipſa iurare, quia nimis timidus, & ſcrupuloſus. Si res quam ficto iuramento confirmo falſa eſt; ſiue vi, ſiue iure cogar ad iurandum, & ſiue res ſit falſa de præſenti, ſiue de futuro, pecco mortaliter. Et ratio eſt, nã quamuis in caſu, de quo loquimur, non ſit iuramentum interius; eſt tamen diuini nominis ad aliquam rem confirmandam exterior inuocatio, quæ quidem eſt actus religionis. Atque adeò applicata materiæ repugnanti, quale eſt mendacium, erit graue peccatum. Et confirmatur: qui ſolo cultu exteriori colit idola, vt fecit Marcellinus Papa, ſine animo colendi, peccat mortaliter, vt conſtat: & non ob aliam rationem, niſi quia actum externi cultus, ei cui non debetur applicat: ergo ſimiliter, & qui exterius tantùm inuocat diuinum nomen ad confirmandum mendacium, peccabit mortaliter propter eandem rationem. Cæterum qui ficto iuramento vtitur ad confirmandum aliquod verum; ſi id facit iure requiſitus, peccat mortaliter, quia qui exigit iuramentũ, vt ſuppono, habet ius exigẽdi, & accipiendi verũ, & non fictum iuramentum: atque adeò qui fictè iurat facit illi grauẽ iniuriã. Et præterea, quia iſta fictione, & mendacio ſubuertitur omnis ratio publicæ iuſtitiæ; quę vt poſsit eſſe certa de veritate earũ rerũ quas quærit, vtitur iuramento. Tamen ſi ille qui vtitur ficto iuramento in confirmando aliquo vero, in eo caſu, in quo cogitur ad iurandũ, vel ſi iurat non tenetur iurare, tantùm peccat venialiter; quidquid dicat Caietanus, qui etiam huiuſmodi homines condemnat peccati mortalis: immeritò tamen, cùm in iſto iuramento nec fiat iniuria proximo, vt ſupponimus, ſiquidem talis non habet ius iuramentum exigendi: nec etiam fit iniuria Deo, quem etſi exterius tantùm inuocat, non tamen ad confirmandum mendacium, ſed ad confirmandum verum adducitur.

His aſſertionibus non modicam lucem afferent, quæ à me dicta ſunt de intentionibus vouendi, promittendi, ſe obligandi, & huiuſmodi in materia de voto in primo tomo, quæſtione 88. articulo 3. diſputatione 6. vbi multa, & copioſe diſputaui: & applicari poſſunt huic diſputationi de iuramento; quare à Lectore auido recolenda ſunt.

Supereſt agendum de iuramento doloſo, cuius dolus, ſeu ſimulatio ſumitur ex parte ſignificationis ambiguæ verborum, quibus vtitur iurans. De quo ait D. Thom. *D. Thom.* quòd quando non eſt eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, ſi hoc prouenit ex dolo iurantis, id eſt, ex vſu verborum iniquo, videlicet, quia tenebatur ea amphibologia non vti, ſed claris verbis: aut denique in alio ſenſu profert quàm tenebatur; debet iuramentum ſeruari, ſecundùm ſanum intellectum eius cui iuramentũ præ- *Iſidorus.* C ſtatur. Vnde Iſidorus dicit lib. 2. de ſummo bono, cap. 31. *Quacunque arte verborum, quis iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita accipit ſicut cui iuratur intelligit.* Si autem iurans dolum non adhibeat; obligatur ſecundùm intentionem iurantis, vt patet ex Gregorio lib. 27. moralium, cap. 7. *Gregor.* Hæc Diuus Thomas, cuius verba puto eſſe intelligenda de intentione iurantis, quæ adaptari poſſunt verbis, quibus iuratur. Et tunc, ſi compoſitio, & amphibologia verborum iuſtè vſurpantur à iurante; quidquid intelligat is cui iuratur, non eſt ſtandũ eius intentioni: ſed iuramentũ obligat ſecundũ D intentionem iurantis. Vt quando quis exigente tyranno iuramentum, iurat verbis arte compoſitis, vt illum illudat: iuramentũ licitum eſt, & ſeruandum iuxta intentionem iurantis. At verò ſi iurans tenebatur ſub iuramento veritatem, v. g. iudici interroganti propallare: ſi verbis compoſitis iudicem deludat, iuramentum illud ſeruandum eſt ſecundùm ſanum intellectum verborum eius, cui iuramentum præſtatur. D. Thomam ſequuntur in hoc articulo Caiet. *Caietan.* & alij D. Thomæ diſcipuli, Abbas in cap. *Abbas.* *veniens*, & cap. *cùm contingat.* de iureiuran. Couarrubias dicta 1. par. §. 5. num. 2. & 3. *Couarru.*

Nauar. Nauarr. cap. 12. num. 13. *Tabien.* Tabiena verbo *iurare*. num. 14. Primum dictum D. Thom. clarum eſt, & ſumitur ex verbis citatis à D. Thom. ex Gregorio, & refertur in cap. *humanæ aures*. 22. quæſt. 4. Quod etiam inſinuat Hylarius lib. 4. de Trinitate, & habetur cap. *intelligentia*. de verborum ſignific. *Intelligentia* (inquit) *verborum, ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus.* Et probatur, quia in caſu primi dicti, iurans ſolum ad rem ſignificatam, in ſenſu à ſe intellecto vult obligari: ergo ad nihil aliud ex vi promiſſionis iuratæ manet obligatus. De ſecundo dicto D. Thom. maior eſt difficultas. Quibuſdam enim diſplicet: & probant primò ex dicto cap. *humanæ aures*. quod generaliter loquitur. Secundò, quia ſine intentione iurandi non eſt iuramentum, vt ſupra retulimus: & conſequenter neque obligatio eiuſdem iuramenti in conſcientia. Sed ille, qui in caſu ſecundi dicti iurat, licèt habeat intentionem iurandi quod ipſe intendit; non tamen quod intendit alius, cui iurat: ergo non iurat illud: ergo neque ad illud ex vi iuramenti obligatur. Declaratur vis argumenti ex caſu primæ aſſertionis, de illo qui exterius abſolutè iurat dare alicui centum; mente autem concipit conditionē, licèt verbis non exprimat, putà ſi pater probauerit, vel quidpiam ſimile: qui tantū tenetur ſub ea conditione, quia intentio iurantis non eſt abſoluta promiſsione, ſed conditionata. Hoc argumento conuincuntur quidam, vt ſentiant in caſu ſecūdi dicti, iuramentum non obligare in vi iuramenti, ad ſeruandum illud: quia obligatio iuramēti non excedit intentionem iurantis. Et ad cap. *quacunque arte*. 22. q. 5. ex Iſidoro, ex quo D. Tho. deſumpſit illud ſecundum dictum, reſpondetur, debere intelligi quoad effectum committendi culpam; non quoad effectum inducendi obligationem ex vi iuramenti. Quando enim quis doloſe iurat cum fraude, & iniuſtitia, grauiter contra Deum peccat, quia Deus accipit illa verba ſecundum debitā ſignificationem, & intētionē eius cui iuratur. Et ideò grauiter offenditur, quòd quis ſuo nomine vtatur ad decipiendū alium: non tamen inde inducitur obligatio ad implendum iuramentum, quoad illud quod re vera iuratum non eſt. *Iſidorus.* Et vtrumq; inſinuat Iſido. dicens: *Dupliciter autem reus fit* (ſic iurans) *quia & Dei nomen in vanū aſſumit: & proximū dolo capit.* Sic etiam eſt intelligendus D. Th. Addidimus nō obligare in vi iuramēti: quia poteſt obligare ratione iniuſtitiæ, & detrimenti inde ſequuti; imò & ratione non obſeruatę religionis, non quia iuramentū violetur, cū nullū tale extet in hoc caſu, ſed quia Deus grauiter offenditur dum ſuū nomen doloſe & illicitè vſurpatur, ad decipiendū proximum. Item ea duo dicta, in foro exteriore maximè locum habent, quia homines non iudicant de occultis, ſed de his, quæ patent; neque in hoc creditur iuranti, quando doloſe egit, & illicitè ex parte ſua. Secus quādo prudenti cautela, iuſta occaſione vſus eſt: tunc enim iuramentum non proprie dicitur doloſum, ſed ſimulatum ſimulatione licita, & ſecundum prudentiæ regulas. Sed de hoc latiùs infra quæſtione 98. artic. 3. diſputatio. 4.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm obligatio iuramenti ſit mere perſonalis?

DIſputationem ſimilem diſcuſsi in materia de voto, diſputationibus 5. 6. & 7. circa articulum tertium. Nihilominus, vt copioſior ſit doctrina, modò de iuramēto in terminis explanare decreui, præmittendo verba D. Thom. infra. q. 98. art. 2. ad quartū, ſic dicentis: *Ad quartum dicendum, quòd quia iuramentum eſt actio perſonalis; ille qui de nouo fit ciuis alicuius ciuitatis, non obligatur quaſi iuramento ad obſeruanda illa, quæ ciuitas ſeruaturā iurauit: tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, vt ſicut fit ſocius bonorum ciuitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus verò, qui iurat ſe ſeruaturum ſtatuta edita in aliquo Collegio; non tenetur ex iuramento ad ſeruandum futura, niſi intenderit ſe obligare ad omnia ſtatuta præterita, & futura: tenetur tamen ea ſeruare ex ipſa vi ſtatutorum, quæ habent coactiuam virtutem.* Hæc Diuus Thomas. Ex cuius verbis habetur reſolutio quæſtionis, ſcilicet iuramentum vnius non poſſe alterum obligare ſub iuramenti religione, & obligatione: ſecus ſub alia ratione iuſtitiæ, aut fidelitatis. Sed dubitas, an poſsit per procuratorem iuramentum fieri? Reſpondetur: Poteſt, ſi detur procuratori expreſſa poteſtas iurandi, aliàs non. Patet ex c. *tibi Domino*. diſtinct. 63. vbi Gloſſa, & ex cap. *opta-*

optatum.diſtinct.100.& in cap. *metuentes*. 14. quæſt. 4. & ex cap. *vnde*. §. verum.de ſtatu Regul. in 6. & ex cap. vltimo. de iuram.calumn.in 6. & declaratur eſſe neceſſarium ſpeciale mandatum. Hoc aſſertum habetur communiter, & probatur à ſimili in matrimonio,quod poſſe fieri per procuratorem certum eſt. Et aduertendum, tale iuramentum commiſſum procuratori non obligare procuratorem, ſed eum in cuius nomine,& ex cuius commiſsione fit, quia hic formaliter eſt qui iurat. Quare non ob id labefactatur id quod aſſeruimus,iuramẽtum eſſe actionem perſonalem.

Sed quid ſi mittens procuratorem, conſenſum ſuum reuocet priuſquam procurator iuret? *Gloſſa.* Gloſſa in dicto cap. *tibi Domino*. reſpondet, quòd ſi reuocatio peruenit ad notitiam procuratoris,ante quam iuret, nõ valebit iurare, neque ſi iuret nomine alterius poterit illum obligare: quod clarũ eſt. At verò ſi procurator iurauit priuſquam reuocatio ad eius notitiam peruenerit; principalem obligari iuramento: quia quod facit iudex poſt reuocationẽ commiſsionis, ſeu mandati antequam illius notiam habeat; validum eſt, iuxta cap. *mandato*. de procuratoribus. Sed hoc intelligitur in foro exteriori,& forenſi:nam in conſcientiæ foro tale iuramentum nullum erit, quia re vera non fit nomine eius qui vices cõmiſit,& cum conſenſu eius. Hæc omnia probantur ex procuratione per iuramentum, de qua cap. vlt. de procuratoribus.in 6.vt notauit Couarrubias, cap. *quamuis pactum*. *Couarrub.* 1.parte.§.5.num.7.in fine.Quæ omnia intellige ſecluſa prohibitione humana iuris: iuxta quam aliqua iuramenta prohibentur fieri per tertiam perſonam. Ita notat Couarrubias num.8.Et ſatis prudenter hoc ſtabilitum eſt:quia in aliquibus cauſis, ad earum pleniorem examinationem, & partis ſatisfactionem ita expedire videtur. Et ita hoc frequentius exigitur in iuramento aſſertorio,& iudiciali, vt colligitur ex cap.2. de teſtibus, & cap. *licet*. 2. eodem. vbi id notant Abbas, Felinus & alij. *Abbas. Felinus.* At verò in iuramẽto promiſſorio, quod præſtatur à vaſſallo domino ſuo; hæc præſentia exigitur, teſte Baldo, & Couarrubia vbi ſupra. Ex eiſdem verbis D. Thom. poteſt decidi dubitatio communis; an iuramentum præſtitum à communitate, obliget illius communitatis ciues? Reſpondetur: ſi præſtitum eſt collegialiter,tenetur communitas: non tamen ſinguli,niſi ſinguli iurauerint. Quod intelligo ex vi iuramenti: nam ex fidelitate,vel alio titulo tenebuntur, ſicut ſupra de voto diximus. Pariformiter dicendum de alia dubitatiuncula: An iuramentum tranſeat ad hæredes iurantis? Reſpondetur: in omni iuramento nequaquam (quod communiter omnes ſentiunt) ſed alio titulo, v. g.ratione pacti, promiſsionis, vel quid ſimile;non tamen ratione iuramenti.

Sed rogat aliquis: An iuramenti obligatio tranſeat ad ſucceſſores eius cui iuramentum præſtitum eſt. Tranſit vtique,vt expreſſe traditur in cap. *veritatis*.de iureiurando. Dices, vel in iuramento diſtinctè exprimitur,tibi & ſucceſſoribus tuis;& tunc non dicetur iuramentum tranſire ab actuali poſſeſſore ad ſucceſſores, ſed vtrunque directè fieri:vel in iuramento ſolùm habetur ratio perſonæ cui iuratur; & ſic videtur eſſe cõtra naturam iuramenti:quia ſolùm obligat ad id quod exprimitur. Gloſſa circa cap. *veritatis*. hoc argumento conuincitur: ſed communiter contrarium tenetur ex l. *ſi pactum*.9.ff. de probatio. Sed ſatis eſt ſi iuramentum præſtetur tali perſonæ,non ratione ſui,ſed ratione dignitatis. Quod ſignificatur quando ſub nomine dignitatis, aut dominij præſtat:vt iuro tibi Epiſcopo meo, vel Papę,vt in cap. *tibi Domino*,& in vſibus fœudorum titulo de noua forma fidelitatis. Ita ſentiunt Abbas,& communiter Doctores in dicto cap. *veritatis*. *Abbas.* Aliquando verò non obſtante iuramẽto obligante pro ſucceſſoribus, præcipitur in iure, vt quoties Dominus vel Prælatus mutatur, fiat noua recognitio fidelitatis,& obedientiæ illi qui in dignitate,& dominatu ſuccedit. Id tamẽ non propter neceſsitatem iuramenti: ſed propter maiorem quandam debiti iuramẽti recordationem, maioremque domini honorationem. Et ita ſolùm poteſt tanquã debitum exigi,in caſibus iure expreſsis, vt cap *longinquitate*.12.quæſt.2.ibi: *profeſſionem ſuam in conſpectu Eccleſiæ renouare*, vt benè notat Couarrubias dicto.§.5. num.5. *Couarrub.* verſu 6.

Alia poterãt diſputari, quæ omitto:quia in ſimili à me diſputata ſunt:verbi gratia,de obligatione iuramenti in caſu dubio. Sed de hoc in primo tomo quæſt.88.art.3.diſp. 3.& 4. item de inceptione, & durationeobligationis iuramenti, de quo in materia de voto diſp. 8. Item, an elapſo tempore obligationis iuramenti promiſſorij,obligatio eius perſeueret? Vide diſp. 9. de voto. Item, an qui nequit implere iuramentum

tempore præfinito; teneatur illud præue- A nire, & iuramentum prius implere, disp. 10. Præterea, quid sit iuramentum conditionatum, & de eius obligatione, disp. 11. de voto.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm maior sit obligatio iuramẽti quàm voti?

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur quòd maior sit B obligatio iuramenti quàm voti. Votum enim est simplex promissio. Sed iuramẽtum supra promissionem adhibet diuinum testimonium. Ergo maior est obligatio iuramenti quàm voti.

2 ¶ Præterea. Debilius solet per fortius confirmari. Sed votum interdum confirmatur iuramẽto. Ergo iuramẽtum est fortius quàm votum. C

3 ¶ Præterea. Obligatio voti cau satur ex animi deliberatione, vt q. 88. ar. 1. supra dictum est. Obligatio autem iuraméti causatur ex diuina veritate, cuius testimonium inuocatur. Cum ergo veritas Dei excedat deliberationẽ humanam, videtur quòd obligatio iuramenti sit fortior, quàm obligatio voti.

¶ SED CONTRA, per votum obligatur aliquis Deo: per iuramentum autem obligatur aliquis interdum homini. Magis autem obligatur homo Deo quàm homini. Ergo maior est obligatio voti quàm iuramenti. D

¶ RESPONDEO dicendum, quòd vtraque obligatio, scilicet voti & iuramenti, causatur ex aliquo diuino: aliter tamen, & aliter. Nam obligatio voti causatur ex fidelitate, quã Deo debemus, vt scilicet ei promissum soluamus. Obligatio autẽ iuramenti causatur ex reuerentia quam debemus ei, ex qua tenemur quòd verificemus id, quod per nomẽ eius promittimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet, sed nõ conuertitur. Videtur enim infidelitas subiecti ad dominum, esse maxima irreuerentia. Et ideò votum ex ratione sua magis est obligatorium quàm iuramentum.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd votum est promissio non quæcunque, sed Deo facta, cui infidelem esse grauissimum est.

¶ Ad secundum dicendum, quòd iuramentum non adhibetur voto quasi aliquid firmi⁹, sed vt per duas res immobiles maior firmitas habeatur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd deliberatio animi dat firmitatem voto, quantum ex parte uentis est. Habet tamen maiorẽ firmitatis causam ex parte Dei, cui votum offertur.

Summa

Summa Textus.

AD propositam difficultatem respondet D. Thom. vnica conclusione, quę talis est. Votum ex sua ratione, est magis obligatorium quàm iuramentum. Quam probat in argumento sed contra, ex eo quod votum dicit promissionem factam Deo: iuramentum autem, nonnunquam fit homini, licèt fiat per Deum. Et sic ex parte illius cui fit obligatio, sanctior atque maior erit illa, quæ est in voto, quã quæ est in iuramẽto. Et in corpore articuli hac ratione: vtraque obligatio, scilicet voti & iuramenti, causatur ex aliquo diuino: aliter tamen & aliter. Nam obligatio voti causatur ex fidelitate, quam Deo debemus: obligatio autem iuramenti causatur ex reuerentia quam debemus eidem: sed infidelitas est peior quàm irreuerentia; omnis enim infidelitas est irreuerentia, & non è contra: ergo votum ex sua ratione, est magis obligatorium quàm iuramentum.

Solet contra conclusionem D. Thom. *Maior.* afferri Ioannes Maior in 4. distinct. 38. vbi post quæstionem quartam dub. 2. sententiam oppositam tenet. Sed hoc Doctore omisso, quia fundamenta eius non improbant sententiam D. Thom. se offert Ioannes de Medina, li. 5. de continẽtia Sacerdotum, cap. 22. & 23. oppositum sentiens: à *Medina.* quo non longe abest Nauarrus, cap. 12. *Nauar.* num. 32. quamuis dicat se conciliare opinionem D. Thomæ & Medinæ: quæ opinio Medinæ aliquibus modernis placet, & conantur probare.

Probatur autem primò: quia iuramentum ita obligat, vt eius fractio repugnet Deo contrarie: & quantum est in se, aliquid illi imputet quod naturæ eius repugnat, nempe aut esse testem mendacij, aut esse infidelem in promissis. Votum autem ita obligat, vt si non impleatur, licèt non reddatur Deo debitum; non tamen aliquid illi contrarium ipsi imputetur: ergo maior est obligatio iuramenti. Patet consequentia, quia sicut maior est iniuria, quæ fit cum positiua contumelia, vel læsione honoris alterius, quã sit omissio alicuius honoris debiti: ita maior est obligatio, quæ violari nõ potest sine positiua contumelia, & inhonoratione; quam quæ consistit in non reddendo debito. Secundo argumentatur: quia votum factum ex metu graui, est inualidũ ad obligandum: iuramentum autem obli-

A gat, non obstante metu: ergo signum est, facilius impediri obligationem voti, quàm iuramenti: ergo signum est, esse minus graue voti obligationem. Simile argumentũ potest fieri, quia facilius videtur dispensari in voto quàm in iuramẽto: ergo minor est eius obligatio.

Dico primò. Obligatio iuramenti assertorij maior est quàm obligatio voti. Hæc non est vt reor contra D. Thom. qui si benè, & attentè inspiciatur, non loquitur de assertorio iuramento, sed tantùm de promissorio, ibi: *Obligatio iuramenti causatur* *D. Thom.* *ex reuerentia quam debemus Deo, ex qua tenemur, quòd verificemus id quod per nomen*
B *eius promittimus.* Ponderanda est illa vox *promittimus*, & illa *obligatio iuramenti*, quæ videtur à D. Thom. applicari in proximè præcedenti articulo, iuramento promissorio, dum ait: *Obligatio refertur ad aliquid faciendum, vel dimittendum. Vnde non videtur respicere iuramentum assertorium; fortasse quia assertorium vel supponit obligationẽ, vel illam includit.* Et hoc videtur probare illud primum argumentum pro Medina adductũ: quia qui iurat assertoriè aliquod falsum, protestatur Deum esse mendacem; non enim potest testificari falsitati, nisi ipse falsus est. Secus in voto, nulla fit talis protestatio: nec protestatur sic vouens, &
C postea non implens, Deum esse infidelem aut mendacem: sed dumtaxat est Deo infidelis, non reddens debitum promissum. Dices fortasse, eum qui per Deum mendacium iurat, non facere Deum mendacem, neque id intendere: sed solùm quodammodo Deum fingere Deum ignorantem aut mendacem: ideſt, ita se gerere erga Deum ac si mendax esset, vt videtur colligi ex D. Thom. supra quæst. 13. art. 3. ad secundum. At qui votum frangit, re vera negat debitum Deo, estq; illi infidelis, quæ maior irreuerentia videtur. Respondetur. Periurus non errat in fide, neque speculatiuè putat
D Deum esse posse testem mendacij: tamen practicè & ipso facto, ita se gerit erga Deũ, ac si Deus posset falsum testificare, & quãtum est in se ad hoc illum inducit, etiam si formaliter hoc non intendat: ille autem practicus contemptus sufficit ad maiorem gratuitatem in periurio quàm in voto. Item ille modus iniuriæ sufficit vt periurium assertorium, in quacunque re minima sit peccatum mortale. Secus in votis, vt inferius dicemus. Signum ergo est, periurium assertorium magis repugnare Dei excellentiæ.

Dico

Dico ſecundò cum D. Thom. & omnibus eius diſcipulis. Obligatio voti maior eſt quàm obligatio iuramenti promiſſorij. Probatur ratione D. Thomæ: quia per votum fides datur directè Deo: per iuramentum promiſſorium vt ſic, nō datur ea fides; ſed ſolùm adducitur Deus vt teſtis promiſſionis. Prior autem reſpectus ad Deum, magis videtur pertinere ad Dei honorem: quia magis directè illum reſpicit. Secundò probatur: quia illa maior obligatio, quæ reperitur in iuramento aſſertorio; & illa maior grauitas, quæ reperitur in periurio illi oppoſito, non inuenitur in iuramēto promiſſorio: & in reliquis excellentius eſt votum vt clarum eſt: ergo excedit etiam in obligatione. Maior probatur: quia iuramentum promiſſorium, non obligat Deū, etiam practicè, vt teſtificetur falſitati promittentis, ita vt ſi promiſsio deficiat, Deus obligetur vt ſit mendacij teſtis: ſed tantùm præbet ſpecialem firmitatem promiſſioni, quaſi per fideiuſsionem. Quare ſi non impletur promiſsio, non fit Deus teſtis falſitatis: ſed irreuerenter tractatur, quandoquidem nulla habita ratione autoritatis eius, verbum promiſſum ſub illius autoritate non impletur. Hæc autem irreuerentia minor eſt quàm infidelitas voti, vt colligitur ex dictis.

Declaratur hoc, exemplo eorum quæ interdum apud homines geruntur. Nam ſi quis pactum iniret cum Rege, & ſimiliter cum alio ſibi æquali in præſentia Regis, adducendo Regem in teſtem ſeruandi pactum; quod nil aliud eſſet, niſi dare autoritatem contractui, eo quod in præſentia Regis celebraretur, & ab eo quaſi ſuſciperetur ſub protectione, & quaſi fideiuſſione: certè per violationem vtriuſque pacti, cenſeretur Rex contemni, ſed multo magis per fractionem pacti cum ipſo Rege initi (loquendo per ſe & ex genere ſuo) quia magis directè in eo offenditur perſona Regis, ſicut etiā maiores partes habet Rex in priori contractu, quàm in ſecundo. Sic autem ſe habere Deum in voto, & iuramēto perſpicuum eſt.

Ad argumenta verò pro opinione Medinæ reſpondetur. Ad primum negando maiorem, ſi ſit ſermo de iuramento promiſſorio quoad aſſertionem de futuro: quia non adducitur Deus vt teſtificetur enuntiationi de futuro, ita quod ſi verba non adæquentur factis, Deus mendax ſit: ſed dumtaxat vt nomen Dei inuocatum præbeat firmitatem, & autoritatem aſſertioni de futuro, quòd futura ſit. Quod irreuerentia eſt, ſed non tanta qualis reperitur in voti tranſgreſsione, vbi expreſſe & directè Deus infideliter tractatur, non reddendo ei debitum. Secus contingit in iuramento aſſertorio, in quo Deus adducitur in teſtem enuntiationis de præſenti, aut de præterito: cui ſi Deus teſtificetur, & falſa eſt enuntiatio; neceſſariò Deus eſſet ignorans, aut mendax. Sicut in humanis qui teſtificatur falſitati, mendax eſt: non verò ille qui teſtificatur enuntiationi de futuro, aut promiſsioni, cuius executio ab alio pendet.

Ad ſecundum reſpondetur negando maiorem, ſtando in iure naturæ: & idem dico de iuramento. At verò iure poſitiuo, Eccleſia quædam vota irritauit iuſtis cauſis mota, & potuiſſet idem facere in iuramentis, non tamen fecit. Vnde non colligitur ex hoc maior obligatio iuramenti, quàm voti. Et idem dicito ad illud, quod facilior eſt diſpenſatio voti quàm iuramenti: quo admiſſo, nil contra nos. Ad tertium Diuus Thomas hic ad ſecundum benè reſpondet, iuramentum addi voto, non vt ſit maior obligatio, ſed vt firmetur promiſsio duobus vinculis. Quapropter votum iuratum magis obligatorium eſt extenſiuè, quàm ſolum votum, non intenſiuè. Etenim duo diuerſarum rationum non faciunt vnum maius intenſiuè. Votum autem iuratum, ex parte voti habet intenſiuam æqualitatem: & ideò ſimpliciter dicitur magis obligare.

D.Thom.

DISPVTATIO II.

An iuramentum factum contra prius votum præualeat ſic adeò vt aboleat obligationem voti antea facti?

HAec diſputatio à me inſtructa eſt propter Gratianū qui 22. quæſt. 4. §. vltimo ait, eum qui poſt votum caſtitatis iurat alicui ſe eam ducturum in vxorem, obligari iuramento: & citat pro ſe Auguſtinum, cuius locum non inuenio. Nititur autem Gratianus illo ſuo fundamento, quòd obligatio iuramenti maior eſt quàm obligatio voti.

Gratianus.

Hæc ſententia Gratiani falſiſsima eſt, & à Gloſſa ibidem, & ab omnibus iure explo

ſa:

ſa: quia iuramentum contra prius votum aut iuramentum valida, eſt de re intrinſecè mala (quidquid ſit an obligatio iuramenti ſit maior quam voti, nec ne) ergo non eſt validum. Et habetur hoc expreſſe in cap. *ſicut.* de ſponſal. & ibi omnes Doctores. Ex quo benè intelligitur cap. *tua nos.* primo. de iureiurãdo. vbi ex duobus iuramẽtis, poſterius dicitur præualere: non quia poſterius primum aboleret, ſed quia primũ fuerat inualidum.

Quod dico de iuramento facto contra prius votum, aut iuramentum, dico de iuramento contra promiſsionem legitimam, & validam: videlicet non habere vim, neq; inducere obligationem, quia eſt de materia illicita, putà de actu contrario promiſsioni ſimplici obliganti in conſcientia, ſiue obligatio oriatur ex fidelitate, ſiue ex iuſtitia. *Couarr.* Ita docet Couarrubias in dicta 2. parte. §. 2. num. 4. verſ. cæterum, vbi pro hoc allegat *Sylueſter.* cap. *veniens.* de iureiurando, & Sylueſter verbo, *iuramentum.* quæſt. 12. qui citat Innocent. in contrarium. Sed quidquid ſit de Innocentio, quem in hac re eſſe ſibi contrarium notat *Panormit.* Panormitanus in cap. *ſicut.* de ſponſalibus, tenet ipſe noſtram ſententiam *Bonauent.* cum ferè omnibus Theologis, Bona- *Gabriel.* uentura, Gabriel, Paludanus, Soto in 4. diſt. *Paludan.* 27. & 28. dicentibus, priora ſponſalia non *Sotus.* diſſolui per ſubſequentia iurata. Quæ etiam eſt communis ſententia Iuriſperitorum in eodem capitulo.

Sed contra principale aſſertũ huius diſputationis eſt argumentum: nam actus factus contra prius iuramentum, licèt ſit peccatum, validus eſt: ergo etiam iuramentum factum contra aliud prius, validum erit. Conſequentia tenet à paritate rationis, imò à fortiori: quia iuramentum eſt nobilior actus, & maiorem habet efficaciam quàm alij. Antecedens patet multis exemplis. Nam ſi quis iurauit non donare, & donat; licèt malè agat, valida eſt donatio, ſi nihil aliud ei obſtet quàm iuramentum. Item, ſi quis iurauit non reuocare procuratorem, & reuocauit; valida eſt reuocatio, vt dixit *Gloſſa.* Gloſſa in cap. vltimo de procuratoribus in 6. verbo *reuocatus.* Item, ſiquis iurauit non fideiubere inconſulta vxore, & poſtea fideiuſsit; valida eſt fideiuſsio. Item, ſiquis iurauit ſponſalia cum aliqua, & poſtea contraxit cum alia; validum eſt matrimonium, ca. *ſicut.* de ſponſalibus. Imò licet iurauerit non contrahere matrimoniũ, ſi poſtea contraxit, validum eſt matrimonium. Et ratio eſt: quia iuramẽtum licèt prohibeat actum, non irritat illum: ſicut lex prohibens non ſemper irritat: ergo non obſtante iuramento valet actus.

Egregium dubium eſt hoc. Cui reſpondeo conuictus argumento: actum contra prius iuramentum factum, non irritari ex vi prioris iuramenti: quidquid ſit ſi aliunde fiat irritatio: v.g. propter legem irritantem actum iuratum. De quo non eſt modò diſputandum. Hæc eſt ſententia communis Iuriſperitorum, cap. *intellecto.* de iureiurando, & in cap. *dilecto.* de præb. Sylueſter, *iu-* *Sylueſt.* *ramentum.* 4. quæſt. 12. Angelus, *iuramentũ.* *Angelus.* 5. num. 15. Couarrubias dicto, cap. *quamuis.* *Couarrub.* 2. parte, §. 2. num. 4. verſ. *cæterum.* Ratio eſt: quia iuramentum licèt auferat liberam poteſtatem faciendi, imponendo obligationem; non tamen ſimpliciter aufert poteſtatem faciendi, vel volendi: & ideo licèt actus contra iuramentum malefiat; validus eſſe poteſt. Sed dubitas: ſi iurans iurando velit illum actum irritum facere? Non poteſt: quia poſtea poterit voluntatem mutare, & facere actum prohibitum, & validè fiet. In quo notanda eſt differentia inter legem, & iuramentum: nam lex quamuis ſæpe prohibeat actum, non irritando illum; poteſt tamen vtrumque facere, & facit ſi vtrumque declaret: ſecus in iuramento. Ratio differentiæ eſt: quia irritatio quam facit lex, prouenit à voluntate ſuperioris, erga quam non poteſt ſubditus. Iuramentum autem prouenit à voluntate iurantis, quæ licèt iurando liget quodammodo iurantem; non tamen ob id priuat ſe poteſtate, & dominio ſuæ voluntatis. Et ideò poteſt ſemper efficaciter mutare priorem volũtatem: & conſequenter validum facere effectum, quamuis in eo peccet. Itaque licèt facere actum contrarium iuramento ſit contra obligationem quam inducit: at quòd actus ille habeat effectum ſuum, non eſt contra iuramentum; neq; illa eſt materia, in quam poſſit cadere iuramentum. Ac proinde quamuis iuramentum prohibeat actum, non tamen irritat illum. Secus eſt de poſteriori iuramento faciendi actum contrarium prio ri iuramento: quia tunc iuramentum poſterius fit irritum ex defectu materiæ: etenim per prius iuramentũ effecta eſt mala: ac proinde incapax iuramenti. Quare ad argumentum negatur conſequentia, & ad illud, quod iuramentum eſt nobiliſsimus actus, conceditur: & ob id non poteſt cadere ſupra materiam prauam.

Pro

Pro cuius ampliori explicatione aduertendum, aliud esse promittere actum contrarium priori iuramento, & eam promissionem iuramento confirmare: aliud verò esse confirmare actum iam factum contra iuramentum. Primum enim dicit ordinem ad actum futurum iuramento contrarium: & ob id intrinsecè malum, & iuramentum nullius valoris. Secundum autem non sic se habet: nam quamuis supponat prauum actum, non tamen cadit in illum vt malus est; sed in effectum eius qui bonus est. Vt si quis contraxit, & cõsummauit matrimonium contra iuramentum, vel votum castitatis, vel contra iuramentum contrahendi cum alia: licèt postea iuret perseuerare in matrimonio illo, rem bonam iurat, quamuis effecta fuerit medio peccato.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm aliquis possit in iuramento dispensare?

AD NONVM sic proceditur. Videtur, quòd nullus possit dispensare in iuramento. Sicut enim veritas requiritur ad iuramentum assertoriũ, quod est de præterito vel præsenti: ita ad iuramentũ promissorium, quod est de futuro. Sed nullus potest cum aliquo dispensare, quòd de præsentibus vel præteritis iuret contra veritatem. Ergo etiam nullus potest dispensare, quòd non faciat aliquis esse verum id quod cum iuramento in futurũ promisit.

2 ¶ Præterea. Iuramẽtum promissorium inducitur ad vtilitatem eius cui fit promissio. Sed ille (vt videtur) non potest relaxare, quia est contra reuerentiam diuinam. Ergo multo minus per aliquem alium potest super hoc dispensari.

3 ¶ Præterea. In voto quilibet Episcopus potest dispẽsare, exceptis quibusdam votis, quæ soli Papæ reseruantur, vt supra habitũ est. Ergo pari ratione in iuramento, si esset dispensabile, quilibet Episcopus posset dispẽsare. Quod tamen videtur esse contra iura. Non ergo videtur quòd in iuramento possit dispensari. *q. præced. ar. 12. ad 3.*

¶ SED CONTRA est, quòd votũ est maioris obligationis quã iuramentum, vt supra dictum est. Sed in voto potest dispensari: Ergo in iuramento. *art. præced.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum est, ne cessitas dispensationis tam in lege quã in voto, est propter hoc quod id quod in se vel vniuersaliter consideratum, est vtile & honestum; secundùm aliquem particularem euentum potest esse inhonestum, & nociuum, quod nõ potest cadere nec sub lege, nec sub voto. Quod autẽ aliquid sit inhonestum vel nociuum, repugnat his quæ debẽt attendi in iuramento. Nam si sit inhonestum, repugnat iustitiæ, si sit nociuũ repugnat iudicio. Et ideò pari ratione etiam in iuramento dispensari potest. *Art. 10. q. præced.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd dispensatio quæ fit in iuramento, non se extendit ad

ad hoc quòd aliquid contra iuramentum fiat. Hoc enim eſt impoſsibile, cùm obſeruatio iuramenti cadat ſub prȩcepto diuino, quod eſt diſpenſabile, ſed ad hoc ſe extendit diſpenſatio iuramenti, vt id quod ſub iuramento cadebat, ſub iuramento non cadat: quaſi non exiſtens debita materia iuramenti, ſicut & de voto ſupra diximus. Mate
q. præced. a. 10. ad 2. ria autem iuramenti aſſertorij, quod eſt de præterito vel præſenti, in quandam neceſsitatem iam tranſit, & immutabilis facta eſt. Et ideò diſpenſatio non refertur ad materiam, ſed referretur ad ipſum actum iuramenti. Vnde talis diſpenſatio directè eſſet contra præceptum diuinum. Sed materia iuramenti promiſſorij eſt aliquid futurum quod variari poteſt, ita ſcilicet quòd in aliquo euentu poteſt eſſe illicitum & nociuũ, & per conſequens non eſſe debita materia iuramenti. Et ideò diſpenſari poteſt in iuramento promiſſorio, quia talis diſpenſatio reſpicit materiam iuramenti, & non cõtrariatur præcepto diuino de iuramenti obſeruatione.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd homo poteſt alteri promittere aliquid ſub iuramento dupliciter. Vno modo, quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipſius: putà, ſi ſub iuramento promittat ſe ſeruiturum ei, vel pecuniam datu-

A rum: & à tali promiſsione poteſt abſoluere ille cui promiſsio facta eſt. Intelligitur enim iam ei ſoluiſſe promiſſum, quãdo facit de eo ſecundùm eius vtilitatem. Alio modo promittit aliquis alteri quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem aliorum: putà ſi aliquis ſub iuramẽto promittat alicui ſe intraturum Religionẽ, vel aliquod

B opus pietatis facturum. Et tunc ille cui promittitur, non poteſt abſoluere promittentem: quia promiſsio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo: niſi fortè ſit interpoſita cõditio, ratione cuius poſsit, ſcilicet ſi illi videbitur cui promittitur, vel aliquid aliud tale.

¶ Ad tertium dicendum, quòd

C quandoque illud quod cadit ſub iuramento promiſſorio eſt manifeſtè repugnans iuſtitiæ: vel quia eſt peccatum; ſicut cùm aliquis iurat ſe facturũ homicidium: vel quia eſt maioris boni impeditiuum; ſicut cum aliquis iurat ſe non intraturum Religionem. Et tale iuramentum diſpenſatione nõ indiget: ſed in primo caſu tenetur aliquis tale iuramentum non ſeruare. In ſecundo autem caſu licitum eſt, & ſeruare, & non ſeruare, vt ſupra dictũ eſt. Quan- *art. 7. ad 2. diſt. 799.*
doque verò aliquid ſub iuramẽto promittitur, de quo dubium eſt, vtrùm ſit licitum vel illicitum, proficuum vel nociuum,

aut

aut simpliciter, aut in aliquo ca
su, & in hoc potest quilibet Epis
copus dispensare. Quandoque
verò sub iuramẽto promittitur
aliquid, quod est manifestè lici-
tum & vtile. Et in tali iuramen-
to non videtur habere locum
dispensatio, vel commutatio,
nisi aliquid melius occurrat ad
communem vtilitatem facien-
dum: quod maximè videtur
pertinere ad potestatem Papæ,
qui habet curam vniuersalis Ec-
clesiæ: vel etiam absoluta rela-
xatio, quod etiam ad Papam
pertinet in omnib⁹ generaliter,
quæ ad dispensationem rerum
Ecclesiasticarũ pertinent, super
quas habet plenitudinem pote-
statis. Sicut & ad vnumquemq;
pertinet irritare iuramentum,
quod à sibi subditis factum est,
circa ea quæ eius potestati sub-
duntur: sicut pater potest irri-
tare iuramentum puellæ, & vir
vxoris, vt dicitur Numer. 30. si-
cut & supra de voto dictum
est.

q. præced. a. 8. & 9.

Summa Textus.

CONclusio est affirmatiua, quam pro-
bat D. Thom. in argumento sed con-
tra, per locum à maiori. Nam si in vo
to, cuius vinculum est maius quàm iuramẽ
ti, potest fieri dispensatio, à fortiori poterit
etiam fieri in iuramento. Et in corpore arti
culi hac ratione. Necessitas dispensationis
in voto, & in lege inde emergit; quod cõtin-
git, officium aliquod vniuersaliter conside
ratum esse licitũ, vtile, & honestum: & se-
cundum particularẽ euentũ reperiri inho-
nestum, & nociuum; atque adeò nec legis
nec voti debere esse materiam. Sed hoc ip-
sum vsuenire potest in iuramento: ergo
ratio postulat, vt etiam in iuramento fieri
possit dispensatio.

Multa diximus in primo tomo agentes
de voto, q. 88. art. 9. & sequentibus, quæ re-
colenda sunt. Modò verò de causis excusan
tibus ab impletione iuramẽti, vel simplici-
ter, vel ex parte, aut quocunque alio modo
dicendũ. Quæ ferè omnia attigit D. Tho.
in hoc articulo, & solutionibus argumen-
torum.

Quinq; sunt fontes seu capita, vnde pro-
uenire potest vt iuramentorũ promissorio-
rum cesset obligatio. Primum est ex muta-
tione materiæ iuratæ, auferente subintelle-
ctam ac necessariam conditionem iuramen
ti. Secundum est irritatio iuramenti, ab ha-
bente potestatem irritandi. Tertium est
commutatio. Quartum est creditoris con-
donatio. Quintum est dispensatio. De his
sigillatim dicendum est.

DISPVTATIO I.

An per rerum iuratarum mutatio-nem cesset obligatio iuramenti?

RESpondetur: si res iuratæ fuerint
notabiliter mutatæ, hoc est si
non permanserint in eodem sta-
tu, in quo antea erant quando à
principio iuramentum effectum est, cessat
obligatio iuramenti. Exemplum cõmune
est, de iuramento non ingrediendi talem
domum, propter vitandam occasionẽ pec-
candi: ablata illa occasione cessat obliga-
tio iuramenti illius. Ad hanc assertionem
reducitur illud quod D. Thom. dixit in ar-
ticulo 7. huius quæstionis, scilicet posse es-
se iuramẽtum à principio factum cum dis-
cretione, & obligare: postea verò per nouã
mutationem fieri impossibilem impletio-
nem eius: & ideò cessare illius obligationẽ.
Et hoc non tantùm intelligendum est de
impossibili simpliciter: sed etiam de impos
sibili humano modo, idest, ita indecẽte, vel
difficili, vt non sit verosimile fuisse inten-
tum à iurante. Quod habetur apertè in ca.
quemadmodum. de iureiurando. vbi habetur
communis casus, de eo qui iurauit sponsalia
cum virgine, quæ postea fornicata est: &
ideò non obligatur. Idem colligitur ex ca.
petitio. & cap. *breui*. eodem. ibi: *nisi difficul-
tas existat propter quam requisitus non possit
Ecclesiæ subuenire*. Idem colligitur ex cap.
veniens. eodem, vbi Innocent. Panormita.

D. Thom.

Innocent.
Panormit.

&

& alij conſtituunt generalẽ regulã: ſi tanta mutatio rerũ facta eſt, vt non ſit veroſimile iurantẽ habuiſſe intentionem ſe obligandi ad rem adeò difficilem, aut indecentẽ: tunc iuramentum cenſendum eſt vt caſum illum non comprehendat. Et hæc benè nota pro deciſione multorum caſuum, qui frequẽtes ſunt in hac materia, vt videre licet apud Syl ueſtr. *iuramentum.* 3. quæſt. 1. & 2. & Angelum, *iuramentum.* 4. & alios Summiſtas.

Sylueſter. *Angelus.*

Solùm hîc poteſt dubitari: An in huiuſmodi euentibus ceſſet obligatio iuramenti ipſo facto; an verò ſit neceſſaria relaxatio? Sotus in 4. diſtinct. 27. q. 1. art. 3. videtur aſſerere, eſſe neceſſariam relaxationem, quatenus dicit: *Si iuramentum ſponſaliũ inter legitimas perſonas interceſſit; quamuis poſtea occurrat cauſa diſſoluendi ſponſalia, non eſſe ſine iuramenti diſpenſatione diſſoluenda.* Et idem ſentit Ludouicus Lopez 2. parte cap. 36. §. propterea circa, dicens id eſſe verum, quando poſt ſponſalia iurata, ſponſa fornicata eſt, vel non inuenitur virgo.

Sotus. *Lud. Lopez.*

Nihilominus oppoſitũ cenſeo verius: ſcilicet per ſolã mutationẽ materiæ fieri poſſe, vt ipſo facto ceſſet obligatio iuramenti, nec ſit neceſſaria vlla relaxatio. Hæc eſt cõmunis ſententia Iuriſperitorũ in cap. *quemadmodum.* de iureiur. & ex ipſo textu videtur manifeſtè colligi: nã ibi dicitur, talia iuramenta poſt mutationẽ factam nõ obligare, nec vlla exigitur relaxatio. Et ratio textus id conuincit: quia iuramentũ includit tacitã conditionẽ, quam promiſsio cui adiungitur inuoluit: ſcilicet, niſi res notabiliter mutentur. Sed vbi voluntas eſt conditionata, deficiente vel ceſſante cõditione, non ſubſiſtit obligatio: ergo in eodem euentu, iuramẽti obligatio ipſo facto ceſſat, neque eſt per ſe neceſſaria relaxatio. Hoc autem intelligendum eſt quando mutatio eſt tanta, vt certo conſtare poſsit, conſenſum promittentis, non fuiſſe extenſum ad promittendum pro illo euentu. Quando verò res dubia fuerit; tunc neſſaria eſt ſuperioris autoritas. Addit Innocentius in c. *cum quidam.* de iureiurando. *Quando non obſtante ceſſatione obligationis, ſeruari poteſt iuramẽtũ ſine peccato, abſolutionem præmittendam eſſe, priuſquam cõtra illud agatur.* Sed hoc conſilium eſt ad præueniendum ſcandalum, & ſatisfactionẽ Eccleſiæ; in rigore tamen non eſt neceſſariũ, vt ibi notauit Panormitanus, & ſequuntur Angelus. *iuramentum.* 6. num. 1. & Sylueſter in 5. q. 1. Cõtingere etiã poteſt, vt mutatio ſuperueniens ſit ſufficiens cauſa concedendi relaxationem: licèt per ſe ſola non ſufficiat auferre obligationem. Et fortaſſe in hoc caſu loquitur Sotus. Exẽplũ verò Ludouici Lopez de ſponſalibus iuratis, in quibus poſtea vel committitur, vel detegitur virginitatis violatio; neutiquam admittendum eſt: quia iuri aperte repugnat. Idemq; in multis alijs caſibus contingit.

Innocent. *Panormit.* *Angelus.* *Sylueſt.* *Sotus.* *Lud. Lopez.*

Sed occaſione dictorum, mouetur dubium non contemnendum: An ſicut iuramentum quod ceſſat ex mutatione materiæ, à bona in malam & illicitam; quando emiſſum eſt ſupra materiam illicitam, & poſtea materia facta eſt licita, an coaleſcat, & vim habeat? Exemplum ſit. Iurauit quis, ſe daturum equum Petro, quẽ ante iuramẽtum promiſerat Ioanni: iuramentum non eſt validum, quia cadit ſupra materiam illicitam. Sed poſtea tractu temporis, Ioannes creditor remittit debitum equum iuranti à principio, vel contentus eſt alia ſolutione. Dubitatur, inquam, an iuramentum factum reuiuiſcat, ita vt ex vi iuramenti teneatur ille iurans dare equum Petro?

Dubium.

Et videtur vera pars affirmatiua. Primò: quia illud iuramentum iam poteſt impleri ſine peccato. Secundò: quia ſi tempore quo factum eſt iuramentum, prior promiſsio iam non obligaret, vel propter remiſsionem conceſſam, vel propter rerum mutationem: tunc citra dubium iuramentum obligaret: quia iam eſſet de re licita, & ita ceſſaret ratio inualiditatis iuramenti. Ergo ſimiliter, quamprimùm ceſſat poſtea obligatio promiſsionis; incipiet obligare iuramentum. Confirmatur, quia ſi à principio iuramentum fuiſſet de re licita, & facta eſſet illicita: eo ipſo ceſſaret obligatio iuramenti, vt nuper dicebamus: ergo cùm ſeruetur proportio, licèt iuramentum à principio fuerit de re illicita; quamprimùm fiat licita obligabit. Huic ſententiæ fauet Nauarrus dicto cap. 12. num. 89. vbi pro regula ſtatuit, iuramentum generaliter factum, ita vt comprehendat tempus, pro quo actus iuratus poteſt eſſe licitus, & illicitus: licèt factum ſit eo tempore, in quo actus eſt illicitus; obligare in eo tempore in quo actus cœperit eſſe licitus. Suam regulam conatur oſtendere Nauarrus adductis exemplis. Vnum eſt de illo qui iurauit non ingredi talem domum ſine vlla cauſa vel ratione: quod iuramentum à principio non obligat, quia vanum & temerarium eſt. Si autem contingat poſtea in illa domo eſſe occaſionem peccandi, dicit

Nauar.

Nauarrus, pro tunc obligare iuramentum illud: quia non est cur restringatur ad tempus in quo temerarium, & vanum est. Aliud Nauarri exemplum, si quis iurauit seruare statuta alicuius Ecclesiæ, inter quæ vnum erat contra Canones, & ideò illicitum & nullum: si tamen (inquit) statutum illud postea confirmetur à Pontifice, & ita incipiat esse licitum; etiã incipiet obligare iuramentum ad illud seruandũ. Eidem sententiæ fauet Couarrub. in 4.1.parte, cap.4.§.1. numero 10. quatenus dicit, quamuis secunda sponsalia non valeant durantibus primis: incipere tamẽ obligare, si prima dissoluantur per mortem aut consensum prioris sponsæ, saltem in virtute promissionis.

Couarr.

In oppositum, videlicet huiusmodi iuramenta, quæ à principio inualida fuêre quia de obiecto illicito; postea non fieri valida quantũcunq; materia mutetur, siue de mala in bonã, siue de impossibili in possibilẽ, vel aliud simile: probatur primò ex regula iuris 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio nõ subsistit.* Sed in casu huius dubij iuramentum illud ab initio nõ subsistit; sed est nullũ, quia de re illicita: Ergo nũquam amplius vires assumet, nisi denuò fiat. Explicatur vis argumenti: quia vel illud iuramentum factum contra priorem promissionem, fuit absolutum, vel sub conditione, si alter cedat iuri suo, vel alia simili. Hoc posterius est contra hypothesim, quæ in dubio supponitur. Sic enim tale iuramentum non esset illicitum: sicut non est illicitum iurare, matrimonium contrahere cum consanguinea si Papa dispensauerit. Quia licèt actus matrimonij tunc nõ liceat; conditio suspendit illum, vel facit vt nil illicitum iuretur: ergo idem esset in præsenti. Nos verò loquimur de iuramẽto illicito. Ergo supponẽdũ est, iuramentũ esse absolutũ de agendo id quod iuratur, non obstante priori promissione, & frangendo illam. Tale autẽ iuramẽtũ, à principio inualidũ est, independẽter ab omni cõditione: ergo simpliciter & absolutè nõ obligat, neq; obligabit quacunque mutatione rerũ facta: quia neq; formaliter, neq; virtualiter clausit à principio talẽ cõditionẽ, aut intuitu illius factũ est. Confirmatur, nam hac ratione professio facta ab vno cõiuge, viuente altero & inuito: eo mortuo non cõualescit, neque obligat, iuxta c. *quodã.* de conuers. cõiugat. & c. *placet.* eodẽ tit. Vnde Panormit. ibi colligit, promissionẽ factam tẽpore inhabili, quia nulla est non cõualescere tẽpore aliquo: vt siquis habens votum castitatis promisit sponsalia; licet postea dispensationem voti obtineat, non obligatur sponsalibus, quia nulla à principio fuerunt: ergo similiter in præsenti dicendum est.

Panorm.

Hæc sententia propter eius rationẽ fortem mihi placet, subintellecta conditione communi sæpe repetita: nisi aliud constiterit de intentione iurantis.

Superest respondere ad argumenta pro sententia Nauarri. Ad primũ posse iurantẽ in eo casu postea implere secundam promissionẽ sine peccato: nihilominus nõ teneri, quia neque id iurauit, neque iuramentum à principio ad aliquid obligauit. Ad secundũ negatur consequentia: quia in casu antecedentis, iuramentum esset de re licita; ideòque obligaret. In casu verò consequentis, iuramentũ fuit nullum, vt potè de obiecto illicito: & ideò nunquã obligauit, neq; obligabit. Quare regula Nauarri nõ vniuersaliter est vera, neque in nostro casu: & exẽpla potius pro nobis sunt. Primũ quidem, nã is de quo loquitur Nauarrus, nõ tenebitur ex iuramẽto facto, nisi postea iuramentũ renouet. Ad secundũ verò exemplũ similiter respondetur. Sed claritatis causa distinguendũ est: nam iuramentum illud potuit fieri, vel tantùm de seruando statuto iam facto: vel de factis & faciendis. Si fiat hoc posteriori modo, verũ est quod à Nauarro assumitur: sed exemplũ non est ad propositum: quia iuramentũ à principio respexit tempus futurũ, & factum est de statutis veris, & validis quocunq; tẽpore. Si autẽ priori modo factum est, dicimus iuramentũ nõ obligare ad statutum postea confirmatũ: nisi à principio constaret, iuramentũ ex certa scientia factum esse de illo, sub ea conditione. In quo sensu fuisset iuramentum à principio licitum, etiam vt cadens in illud statutum. Si autem iuramentũ absolutè factum fuit de seruandis statutis iam cõditis, sine vllo respectu ad confirmationẽ vel dispensationẽ Pontificis: sic solũ obligabit ad statuta valida; nã illud quod est illicitũ non potest dici statutũ. Quapropter, cũ postea cõfirmatur, quasi de nouo fit: ideòq; prius iuramentũ ad illud nõ obligat, iuxta c. penult. de iureiur. Eodẽ modo respõdetur ad exẽplũ Couarrub. Memẽto tamen, semper esse considerandã intentionẽ iurantis, quæ potuit se extẽdere ad promissionẽ illicitã, sub conditione si fieret licita. Nos autẽ loquimur de iuramento absolutè, nulla tali conditione posita, ex iurantis intentione.

DISP.

DISPVTATIO II.

De commutatione iuramenti in aliud opus non iuratum.

DE qua re essent nobis multa dicenda, si non pleraque discussa essent in materia de voto, agendo de votorum commutatione. Modò verò breuiter præmitto, iuramenta posse fieri per modum voti: videlicet, quoties fiunt ad confirmandam promissionem Deo factam, vel aliquam promissionem de opere futuro, non tamen homini factam. Et tunc de commutatione iuramenti iudicandũ est, sicut de cõmutatione voti: videlicet, posse fieri in melius, aut in æquale autoritate vouentis; vel in minus, autoritate Prælati ex causa iusta. Secundo modo possunt iuramenta fieri, ad confirmandam promissionem homini factam. Et tunc citra controuersiam est, iuramentum esse implendum illi, cui factum est: nec posse in aliud opus, etiam pijssimum commutari, priuando illum iure suo vel commodo; nisi vbi intelligitur facta exceptio, sicut supra diximus de statu Religionis. Sed quod modò in controuersiam vertitur est, de modo implendi illud iuramentum, respectu hominis cui factum est: An scilicet possit impleri reddendo æquiualens, vel per compensationem, aut alia via?

Et videtur vera pars affirmatiua. Nam promissio humana sufficienter impletur per æquiualens, vt habetur l. *si quis ab alio.* ff. de re iudicata. l. *stipulationes.* prima. ff. de verborum obligatione. l. *si peculium.* §. 1. ff. de statu liber. Ergo idem erit, si talis promissio iuramento firmata sit: quia iuramentum sequitur naturam contractus cui adiungitur. Confirmatur. Nam votum, redditione æquiualentis, & multo magis redditione melioris impletur: ergo idem dicendum de iuramento homini facto. Secundò: compensatio est quædam solutio per æquiualẽs: sed illa licet: ergo & cõmutatio. Minor probatur ex cap. *ex parte* 2. de Clerico non residente. Item, quia si promisi centum, & tu tamen totidem debes, & illa remitto, promissionem impleo: ergo, &c.

Dico primò. Non potest quis sua voluntate commutare rem quam dare iurauit, in aliam æqualem: imò neque in meliorem, A sine consensu eius cui dare iurauit. Communis sententia hæc est Panormitani, & Iurisperitorum in cap. *peruenit.* & in cap. *quanto.* de iureiurando. & in cap. *cum inter.* de renunti. Sequitur Syluester. *iuramentum.* 4. quæst. 2c. & 21. & in 5. quæst. 6. Angelus in 5. num. 33. & 34. & alij multi moderni. Ratione probatur: quia nemo potest cogi ad commutandam rem suam; & consequenter nec sibi debitam, neque ius quod ad illam habet. Et idem dicendum est in simplicibus promissionibus. Ex quo patet ad argumentum primum negando ante cedẽs, stando in foro cõscientiæ: quidquid B sit de foro externo, in quo leges citatæ (si quid contra nostram assertionem obloquũtur) interpretandæ sunt. *Panormit.* *Syluest.* *Angelus.*

Dico secundò. Ex consensu creditoris potest fieri commutatio, non solùm in melius vel æquiualens, sed etiam in minus. Assertio non eget probatione, quia hac intercedente remissione, fit satis intentioni, & veritati iuramenti.

Sed maiorem ingerit difficultatem: An facta commutatione iuramenti iuxta proximè præcedentem assertionem; maneat promittens obligatus in virtute iuramenti? V.g. iurauit quis sponsalia, & postea pepigit cum fœmina vt sit contenta dote: Dubitatur, an sicut vir antea tenebatur ex iuramẽto ad spõsalia; teneatur postea ad dotem: vel solũ ex obligatione iustitiæ orta ex pacto? Videtur pars negatiua probari aperte ex c. *Clericus.* de iureiur. vbi dicitur, Clericũ qui iurauerat seruare edita statuta: & postea promisit per idem iuramentũ, seruare statutũ de nouo conditum; non obligari iuramẽto ad seruandum nouum statutum, sed tantum ex vi promissionis. Ergo similiter in præsenti: est enim eadem ratio. Hanc sententiam sequitur Couarrubias supra, prima par te in principio, numero quinto. Et probatur exemplis: quia si iurasti soluere intra certum tẽpus; & postea creditor prorogat terminum: iam non obligaris iuramento, sed alio titulo promissionis vel pacti. Ita Cardinalis in dicto cap. *Clericus.* Itẽ, si iurasti stare sententiæ proferendæ intra certũ terminum, de quo conuentum fuerat; & postea ex consensu partium terminus prorogetur, & deinde terminus proferatur; non teneris ex priori iuramẽto. Ita adnotarunt Abbas, & Antoninus in dicto cap. *Clericus.* *Dubium.* *Couarrub.* *Cardinalis.* *Abbas.* *Antoninus*

Nihilominus opposita sententia probabilior videtur, videlicet vt quando commutatur iuramentum, siue ex consensu

partium, siue autoritate superioris: id in A quod commutatio fit, cadere sub obligatione iuramenti. Probatur primò, aliàs non esset commutatio; sed extinctio prioris iuramenti, & noua promissio: quod esse falsum, ipsum nomen commutationis ostendit. Confirmatur ex mente commutantium, nollentium condonare priorem obligationem: sed eandem, quæ Religionis est circa aliam commutare.

Vnde ad cap. *Clericus*. & rationem in illo fundatam, negamus esse similem rationem de extensione iuramenti, de qua loquitur ille textus; & de commutatione iuramenti, quia extensio vt sic, non dicit repetitionem iuramenti; sed applicationem B eiusdem ad nouam materiam: quæ applicatio non est possibilis, vt habetur in textu citato. Si autem extensio latè sumatur pro formali, vel virtuali repetitione similis iuramenti; hæc extensio habet locum in iuramẽto: commutatio autem dicit virtualem repetitionem iuramenti; sicut commutatio voti dicit virtualem repetitionem voti circa nouam materiam. Ex quo sumitur nostra probatio. Nam certè quando autoritate superioris fit commutatio voti, non extinguitur votum, sed sub obligatione religiosa, applicatur alteri materiæ. Ad exempla in contrarium adducta respondetur. Ad primum quidquid dicat Cardinalis, dicendum est, non extingui obligationem C iuramenti, sicut modò dicebamus. Et ad hoc exemplum non benè applicatur decisio cap. *Clericus*. quod loquitur de extensione, non de commutatione. Ad secundum similiter respondetur cum communi sententia: quamuis Couarrubias videatur oppositum sentire, qui probabiliter loquitur.

In secundo argumento posito in principio disputationis, tangitur difficultas celebris apud Iurisperitos: An liceat iuramentum implere per æquiualentem D compensationem? Cui breuiter respondeo, prius declarando in quo differat compensatio à solutione per æquiualens: nam illa fit ex sola voluntate debitoris, hæc verò fit etiam inuito debitore. Dico ergo, duas esse oppositas sententias probabiles: quas & earum fundamenta refert Couarrubias vbi supra. §. 4. numero 9. & 10. *Couarrub.* & Gutierrez parte 3. de iuramento confirmatorio, cap. 6. Puto autem affirmatiuam esse veram cum Sylueſtro *iuramentum*. 4. quæst. 27. quando scilicet debitum *Gutierrez.* *Sylueſt.* liquidum est, & rationabilis causa intercedit: verbi gratia, quia aliter debitum vix recuperari potest. Demum si copiosiorem disputationem desideras, vide præfatos Iurisperitos eam agitantes.

DISPVTATIO III.

De irritatione iuramenti: An possit fieri?

PRæmittendum, irritationem esse totalem ablationem vinculi iuramenti, factam ab homine potestatem dominatiuam, vel quasi dominatiuam habente supra personam vel actiones iurantis. In qua descriptione aduerte, iuramenta, quædam esse realia, idest, promissoria rerum, verbi gratia, pecuniarum: quædam personalia, idest promissoria actionum personalium, vt inseruiendi, vel quid simile. Quo supposito dico, iuramenti obligationem posse auferri ab habente potestatem. Assertio clara est, quia vnusquisque dominus alicuius rei, potest non ratam habere promissionem iuratam, vel contradicendo, vel prohibendo materiam iuratam.

Ex hac assertione sequitur primò, ad hanc irritationem non esse necessariam specialem causam: sed sufficere ius, vel dominium circa talem materiam. Quod intellige cum proportione ad potestatem. Nam si illa sit merè dominatiua, verbi gratia, domini ad seruum: vel suo modo, patris in filium; nulla causa requiritur: sed sufficit potestas vtendi iure suo. Si verò sit potestas iurisdictionis, seu administrationis; requiritur causa sufficiens ad prohibendam actionẽ, vel dispensationem rei per iuramentum promissæ. De quo latius in materia de voto.

Sequitur secundò, posse hoc secundo modo Pontificem irritare multa iuramenta Ecclesiasticorum, quatenus versantur circa materias vel actiones, quæ per se subduntur dispositioni Pontificis: verbi gratia, potest irritare iuramentum Clerici, de dando consanguineo certa quantitate fructuum beneficialium: quia dispensatio illorum semper est subordinata Pontifici. Item iuramentum Canonicorum de seruando statuto: quia potest statutum abrogare, vt rectè declarat Caietanus in hoc articulo, & *Caietanus.* Hostiensis, cap. *venientes*. de iureiurando, *Hostiensis.*

&

Panormit. & Panormitanus cap. *quanto*. eodem, Syl-
Sylueſter. ueſter, *iuramentum*. quæſt. 2. Couarrubias
Couarrub. vbi ſupra num. 5. Idem dicito cum proportione de alijs Prælatis Eccleſiaſticis: vt ſi Clericus iurauit mutuare veſtes Eccleſiæ; poteſt Epiſcopus illud iuramentum irritare, & potiore ratione. Idem dicitur de Prælatis Religionum, erga ſuos ſubditos. De quo latius in materia de voto. Sequitur tertiò, hanc poteſtatem irritatiuam iuramentorum, reperiri in Principibus laicis, quando iuratur materia, quæ eorum iuri, dominio, aut poteſtati præiudicat. Sequitur quartò, parentes poſſe irritare iuramenta omnia filiorum, & viros vxorum: quorum iuramentorum materia præiudicat dominio,
D.Thom. aut poteſtati eorum. Ita diuus Thomas hîc ad tertium. Sed de hoc ſupra in materia de voto. Sequitur quintò, tutores poſſe irritare omnia iuramenta pupillorum, quæ habent vim voti: de quo in materia de voto. At ſi iuramenta verſentur circa contractus humanos: ſi inualidi ſint per leges; à tutoribus poſſunt irritari. Secus ſi verſentur circa contractus non inualidos per leges. Hæc breuiter: nam cætera quæ deſiderari poterunt, in materia de voto videnda ſunt.

DISPVTATIO IIII.

De ablatione vinculi iuramenti per condonationem creditoris?

HAnc diſputationem breuiter diſſoluit diuus Thomas in ſolutione ad ſecundum, cuius verba notanda ſunt. Et ego dico, iuramenti promiſſorij, quod factum eſt homini, ceſſare obligationem, per condonationem à creditore factam, eo quod vt ait diuus Tho-
D.Thom. mas: *Creditore cui facta eſt promiſsio condonante, iam cenſetur promittens rem promiſſam ſoluiſſe*. Aſſertio clara eſt, & communis. Et ſi roges, quomodo debeat fieri hæc remiſsio? An neceſſarium ſit vt remittens reſiſtat donationi nollendo recipere rem promiſſam? An verò ſatis ſit quod remittat, tollendo à iurante obligationem dandi: & relinquendo alium liberum vt non det, quamuis acciperet ſi daretur? Exiſtimo hoc ſecundum ſufficere in iuramentis promiſſorijs, quæ tantùm cadunt in vtilitatem eius cui iuramentum præſtitum eſt: nam in alijs quæ etiam fiunt intuitu pietatis, & etiam quodammodo confirmant promiſſionem Deo factam; alia ratio erit.

Sed dubitat quis: An aſſertio intelligatur de iuramento promiſſorio, facto homini dumtaxat propter eius vtilitatem? An verò habeat verum de iuramento facto Deo ob eius intuitum, vel intuitu operis pij exhibendi ei cui iuratur? Diuus *D.Thom.* Thomas ait, non poſſe remitti: quia promiſsio non eſt ei principaliter facta, ſed Deo. Quod verum cenſeo cum Soto di- *Sotus.* cto art. 9. ad ſecundum.

Denique dubitabit quiſpiam: An quando aliquis per iniuſtitiam, aut vim, aut dolum, alium coegit ad iurandum aliquid in vtilitatem ſuam; poſsit cogi ad condonandum, ſeu relaxandum iuramentum? Reſpondetur affirmatiuè: quia petit vt ſibi iniuria remittatur. Fiet autem hæc coactio donationis, præcipuè per iudicem Eccleſiaſticum: tùm quia cauſa iuramenti per ſe pertinet ad forum Eccleſiaſticum, capite vltimo. de foro compet. in ſexto: tùm etiã quia illa coactio in id dirigitur, vt ille à peccato exeat: ad quod poteſt per Eccleſiaſticam cenſuram compelli, vt in eodem titulo dicitur.

De iudice verò ſeculari: An poſsit cogere ad eam remiſsionem? pluſculum difficultatis habet. Communis tamen ſententia eſt, id poſſe, ſi remiſſor laicus eſt, & materia promiſſa purè laica. Ita Felinus, *Felinus.* capite primo de iureiurando. cum alijs quos allegat Abbas in capite ſecundo. eo- *Abbas.* dem. Couarrubias dicto capite *quamuis*. ſecunda parte. §. tertio, numero ſecundo. Ratio eſt, quia tunc tantùm cogit ad deſiſtendum ab iniuria, de qua poſſet ipſe cognoſcere.

Sed quid, ſi iurauit quis in proprium commodum; poterit ne condonare ſibi ipſi? Couarrubias. §. ſecundo, numero quarto vbi ſupra, negat & benè. Nec eſt par ratio de iuramento facto in commodum tertij, eo quod in eo ſemper intelligitur conditio, ſi promiſſarius voluerit: quam conditionem, putà ſi ego voluero, non includit iuramentum factum in proprium commodum dumtaxat; aliàs tale iuramentum futile eſſet, & ridiculum. *Couarrub.*

DISPVTATIO V.

An iuramenta possint dispensari, seu relaxari?

Dispensatio, seu relaxatio est ablatio vinculi voti, ex causa: in quo non modicè differt ab irritatione iuramenti, de quo latè in materia de voto. Modò verò tantùm libet aduertere, relaxationem iuramenti, & dispensationem, in eodem quandoque confundi, & pro eodem sumi: quandoque verò strictius hæc vocabula sumuntur, ita vt dispensatio dicatur, quando ad auferendum vinculum iuramenti solùm consideratur potestas in personam iurantis, cum causa ex parte eius: relaxatio verò, quando causa potissimè attenditur ex parte eius, cui iuramentum factum est. Vnde dispensatio strictè sumpta, tantùm habet locum in iuramentis, quæ per modum voti Deo, siue absolutè fiunt: relaxatio verò, in iuramentis homini factis. Hoc supposito

Dico primò. Iuramentum promissorium, quod non fit homini, sed Deo, vel absolutè propter pietatem; dispensari potest ex causa iusta, ab habente potestatem. Ita diuus Thomas hic, & omnes. Ratio est: quia hæc iuramenta vel sunt vota, vel habent modum votorum: ergo de illorum dispensatione iudicandum est, sicut de votis diximus in materia de voto: & similiter de personis, quæ possunt in illis dispensare. Dubitabile tamen est, an sicut in votis sunt quædam, quorum dispensatio soli Papæ reseruata est; sic in iuramentis? Cui respondeo, Omnia iuramenta, quæ versantur circa materiam votorum reseruatorum, vt sunt castitatis, Religionis, & quarundam peregrinationum, Papæ reseruata sunt: quia sunt quædam vota, vel illa includunt. Ita Caietanus, & alij in hoc articulo. Contrariam tamen tenet Nauarrus primo consil. de iureiurando. numero 4. & 5. Sed non auderem hanc sententiam in praxi ponere: quia est contra Ecclesiæ consuetudinem. Ex quo colligo, quòd licèt in aliqua Bulla vel priuilegio, concedatur expressa facultas relaxandi iuramenta sine præiudicio tertij, &c. intelliguntur excepta hæc quæ sunt de materia reseruata, & quæcunque alia, quæ secundùm communem vsum fuerint Papæ reseruata: quæ commemorat Soto vbi supra ad tertium. Ratio est: quia illa clausula generalis non comprehendit specialia, vt de casibus reseruatis dicitur. Neque obest, quòd in indulto detur simul facultas generalis ad vota, & ad iuramenta, & in votis ponatur exceptio reseruatorum, & non in iuramentis: quia licèt non exprimeretur in votis, esset subintelligenda. Et quòd in vno exprimatur, & non in alio, accidentarium est, vel certè non reperitur: quia talia iuramenta reputantur vota, vt dictum est.

D. Thom.

Caietanus.

Nauar.

Soto.

Dubium.

Vltimò dubitatur circa hanc assertionem: An cuicunque delegatur potestas ad dispensandum in votis, intelligatur delegata circa iuramenta, etiamsi non aliter exprimatur. Sed de hoc in materia de voto: nam ferè pari passu procedunt in hac parte vota & iuramenta.

Deinde agendum est de iuramento promissorio homini facto: An possit à superiori dispensari, seu relaxari. Et sermo est de iuramento valido: nam inualidum non eget relaxatione. Et præmittendum, iuramentum istud validum, licitum posse esse ex parte iurantis, & ex parte eius cui iuratur. Aliquando verò, tantùm ex parte vnius extremi: ex parte verò alterius, aliquam turpitudinem secum inuoluere. Quibus animaduersis

Dico secundò. Iuramentum promissorium homini factum, licitum tamen ex parte vtriusque extremi, vt plurimum relaxari non valet sine consensu creditoris. Probatur: quia superior non valet priuare quempiam iure suo, nisi propter commune bonum. Sed per iuramentum promissorium factum in fauorem tertij, acquisiuit ille tertius ius ad rem promissam: ergo sine sua culpa non potest priuari illo iure; & consequenter neque relaxari iuramentum illud. Assertio vt iacet clara est, vt patet ex eius probatione: sed intelligēda aliquibus admissis exceptionibus. Prima est, nisi aliud poscat bonum cōmune, cuius promotio pertinet ad superiorem dispensantem. Tunc enim poterit illud iuramentum relaxare, etiam inuito creditore: quia tunc talis superior poterit priuare subditum iure suo, etiam sine culpa eius. Fiet autem hoc prohibente superiore materiam talis iuramenti, vel præcipiendo ipsi credi-

creditori vt cedat, vel efficaciter, & immediate, ac per se ipsum donando debitori ius creditoris, vel etiam imperando illi vt non donet, vel vt non faciat quod promiserat. Hoc autem nequit fieri, nisi ob cõmunem bonum: propter quod potest priuata persona priuari iure proprio. Quæ causa communis boni rarissima est: atque ex consequenti huiusce modi declaratio vix reperietur. Aliqui putant sufficere causam ex parte iurantis, quando allegat ignoranter iurasse, vel sine sufficienti consilio. Ita indicant Soto & Caietanus: quod probabile puto. *Sotus. Caietanus.*

Dubitabit quispiam: An nostra assertio verum habeat in iuramentis, quæ inuoluunt promissionem, sed non rigurosam vt in iuramentis; vel quia facta sunt intuitu petatis; vel quia etiamsi promissio facta est homini, non tamen est acceptata ab eo in cuius fauorem facta est, vel propter eius absentiam, vel quia ignorat sibi esse factam? Credo posse relaxari sine consensu creditoris: quia in eo casu nullum perfectum ius acquisiuit, quo priuetur per relaxationem, neque propriè dicendus est creditor. Quare non procedit in his casibus ratio pro nostra assertione.

Dico tertiò. Quando iuramentum licitum est ex parte iurantis, cum turpitudine exigentis; licèt obligatorium sit, relaxari potest in pœnam seu odium creditoris. Assertio certa est ex cap. *Abbas.* de his quæ vi. & cap. *si verò.* cap. *verum.* de iureiurando. Exempla multa sunt. Primum, quando exactio est iniusta, vt in vsura. Secundum, in extorquẽte pervim, metum, aut dolum, vt patet ex dictis iuribus, & cap. *cum contingat.* eodem. capite secundo de pactis, Authentica *Sacramenta puberum.* Tertium, quãdo in contractu iurato intercessit grauis læsio iurantis; quæ per potestatem publicam potest reparari: & consequenter dat sufficientem causam relaxationi. Quartum, si propter præiudicium tertij, & communis boni periculum, sit turpe petere iuramentum. Aliquando verò fit talis relaxatio in pœnam alterius delicti; vt iuramentum factum Regi à vassallo relaxatur propter hæresim, vel schisma Regis: vel iuramentum factum excommunicato, & similibus. Sed quæ sunt personæ valentes relaxationem facere? Summus Pontifex præcipuè, vt adnotauit diuus Thomas. Episcopi etiam in suorũ subditorum iuramentis. Alijs verò, qui non habent potestatem Episcopalem, non est hæc potestas, nisi delegata à superiore valente delegare. An verò possint hæc iuramenta homini facta, relaxare Principes temporales suis subditis; inter Iurisperitos agitatur pro vtraque parte. Fortasse quando promissio est merè laica, poterunt; si nulla sit dubietas de promissionis valore, & iuramento. Vide Couarrubias prima parte. §. 3. numero 18. & Molinam de iustitia disp. 149. *Couarrub. Molina.*

Circa causam autem in his iuramentis relaxandis, dubitatur: An sufficiat turpitudo ex parte exigentis iuramentum, in modo exigendi illud, etiamsi non sit in re iurata: vt si creditor per metum iniustum cogat debitorem ad iurandum se soluturum debitum? Respondetur affirmatiuè ex Panormitano in cap. *ad audientiam.* 3. de iureiurando. & cap. *petitio.* eodem, & Couarrubias regula. *peccatum.* secunda parte. §. tertio. numero septimo. Ratio est: quia per ea iuramenta fecerũt iniuriam, etiamsi res esset aliàs debita: quia debitor non tenebatur addere illud vinculum, etiamsi res esset aliàs debita. Ergo debitor tenetur remittere illud vinculum, licèt non teneatur remittere debitum. Ergo potest superior curam habens animæ illius subditi, iuramentum illud relaxare, etiam inuito creditore. *Panormit. Couarrub.*

Sed inquiris; An ad relaxationem iuramentorum per metum factorum, requiratur metus cadens in constantem virum; an verò sufficiat minor? Puto cum Couarrubia & alijs, sufficere quemlibet metum cum iniuria graui, etiamsi non sit cadens in virum constantem.

Demum dubitatur: An possit relaxari iuramentum, postquam iurans illud fregit? Res hæc valde est controuersa inter Iurisperitos. Existimo autem, si cætera adsint, non obstare vt in foro conscientiæ petatur relaxatio, & detur; quidquid sit de foro externo, de quo intelligenda sunt iura, quæ in oppositum allegari possunt.

(.?.)

ARTICVLVS X.

Vtrùm iuramẽtum impediatur per aliquam conditionem perſonæ vel temporis?

3. d. 39. in expo. lit.

AD DECIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd iuramentum non impediatur per aliquam conditionem perſonæ vel temporis. Iuramentum enim ad confirmationem inducitur, vt patet per Apoſ. ad Hebr. 6. Sed cuilibet conuenit confirmare dictũ ſuum, & quolibet tempore. Ergo videtur quòd iuramentum non impediatur per aliquam conditionẽ perſonæ, vel temporis.

2 ¶ Præterea. Maius eſt iurare per Deum quàm per Euangelia. Vnde Chryſoſt. dicit: Si aliqua cauſa fuerit: modicum videtur facere qui iurat per Deum, ſed qui iurat per Euangelia, maius aliquid feciſſe videtur. Quibus dicendum eſt: ſtulti Scripturæ propter Deum factæ ſunt, non Deus propter Scripturas. Sed cuiuſlibet conditionis perſonæ & quolibet tempore in cõmuni locutione conſueuerunt iurare per Deum. Ergo multo magis licitum eſt eis iurare per Euangelia.

Homil. 44. in Matth. in opere imperfecto, à med. illius. tomo. 2.

3 ¶ Præterea. Idem non cauſatur ex contrarijs cauſis, quia cõtrariæ cauſæ ſunt contrariorũ. Sed aliqui excluduntur à iuramento propter defectum perſonæ, ſicut pueri ante quatuordecim annos, & etiam illi qui ſemel fuerunt periuri. Non ergo videtur quòd aliqui prohibeantur iurare vel propter dignitatẽ, ſicut Clerici, aut etiam propter temporis ſolemnitatem.

4 ¶ Præterea. Nullus homo viuens in hoc mũdo eſt tantæ dignitatis ſicut Angelus. Dicitur enim Matth. 11. quòd qui minor eſt in regno cœlorum maior eſt illo, ſcilicet Ioanne Baptiſta adhuc in mundo viuente. Sed Angelo conuenit iurare. Dicitur enim Apoc. 10. quòd Angelus iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum. Ergo nullus homo propter dignitatem debet excuſari à iuramento.

¶ SED CONTRA eſt, quòd habetur 2. quæſt. 5. Preſbyter vice iuramenti per ſanctam conſecrationem interrogetur. Et 22. quæſt. 5. dicitur. Nullus ex Eccleſiaſtico ordine cuiquam laico quicquam ſuper ſancta Euangelia iurare præſumat.

2. q. 5. cap. preſbyter.

22. q. 5. ca. Nullus ex Eccleſiaſtico.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd in iuramento duo ſunt conſideranda. Vnum quidem ex parte Dei cuius teſtimoniũ inducitur. Et quantum ad hoc debetur iuramento maxima reuerentia. Et propter hoc à iuramento excluduntur pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad iurandum: quia nondum habent perfectum vſum ratio-

rationis quo poſſint cum reuerentia debita iuramentum prę-
ſtare. Et iterum periuri, qui ad iuramentum nòn admittuntur: quia ex retroactis præſumitur quòd debitam reuerentiam iuramento non exhibebunt. Et propter hoc etiam vt iuramento debita reuerentia exhibeatur, dicitur 22.quæſt. 5.
22.q.5.cap. *Honeſtum.* Honeſtum eſt vt qui in ſanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honeſtate, & timore Dei. Aliud autem eſt conſiderandum ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur. Non enim indiget dictum hominis confirmatione, niſi quia de eo dubitatur. Hoc autem derogat dignitati perſonæ, vt dubitetur de veritate eorum quæ dicit. Et ideò perſonis magnæ dignitatis non conuenit iurare. Propter quod
2.q.4.& 5. (*ſecundùm aliquos codices*)*ca.Si quis presbyter.* dicitur 2. quæſt.4.cap. Si quis presbyter. Quòd Sacerdotes ex leui cauſa iurare non debẽt: tamen pro aliqua neceſſitate, vel magna vtilitate, licitum eſt eis iurare, & præcipuè pro ſpiritualibus negotijs, pro quibus etiam iuramenta cõpetit præſtare in ſolemnibus diebus, quibus eſt ſpiritualibus rebus vacandum. Non autem tunc ſunt iuramenta præſtanda pro rebus temporalibus, niſi fortè ex magna neceſſitate.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd quidam ſunt qui dictum ſuum confirmare non poſſunt propter defectum eorum: & quidam ſunt quorum dictum adeò debet eſſe certum, quòd confirmatione non egeat.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd iuramentum, ſecundùm ſe conſideratum, tanto fortius eſt, & magis obligat, quanto maius eſt id, per quod iuratur, vt Auguſtinus dicit ad Publicolam. Et ſecundùm hoc, maius eſt iurare per Deum, quàm per Euangelia. Sed poteſt eſſe è conuerſo propter modum iurandi: vtpotè ſi iuramentum quod fit per Euangelia, fiat cum quadam deliberatione, & ſolemnitate: iuramentum autem quod fit per Deum, fiat leuiter, & abſque deliberatione.
Epiſto.54. aliquantulum à prin. tom.2.

¶ Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet aliquid tolli ex contrarijs cauſis per modum ſuperabundantiæ, & defectus: & hoc modo aliqui impediuntur à iuramento, quia ſunt maioris autoritatis quàm quòd eos iurare deceat: aliqui verò, quia ſunt minoris autoritatis quàm quòd eorum iuramento ſtetur.

¶ Ad quartum dicẽdum, quòd iuramentum Angeli inducitur nõ propter defectũ ipſius, quaſi non ſit eius ſimplici dicto credendum, ſed ad oſtendendum id, quod dicitur ex infallibili

Dei diſpoſitione procedere. Sicut etiam, & Deus aliquando in Scripturis iurans inducitur, ad oſtendendum immobilitatem eius quod dicitur, ſicut Apoſtolus dicit ad Hebr.6.

Summa Articuli.

SVppoſita quadam diſtinctione, prima concluſio ſit. Propter reuerentiam quę iuramento debetur ex parte Dei; duo hominum genera à ſolemni iurandi officio iure repelluntur, ſcilicet pueri ante annos pubertatis, qui iurare non coguntur; & periuri, atque infames, qui ad iurandum non admittuntur. Secunda concluſio. Propter eandem reuerentiam, iurare in Sanctis ſolemniter, niſi à ieiunis fiat, non reputatur honeſtum. Tertia concluſio. Ex parte illius, cuius dicto iuramentum confirmatur; perſonas egregiæ dignitatis, quales ſunt Sacerdotes, ſolemniter iurare non decet: Probatur: quoniam debent eſſe tantæ autoritatis, vt ſine iuramento eis fides ſit adhibenda. Quarta concluſio. In neceſsitate, vel pro magna vtilitate licitum eſt Sacerdotibus iurare, præcipuè pro negotijs ſpiritualibus, etiam in diebus feſtis, in quibus citra tales caſus iurare non licet.

Diuus Thomas ſtudens breuitati, in hoc articulo tantùm agit de pueris, quæ iure poſitiuo repelluntur à iurando: nos verò diſputabimus de aliquibus perſonis, vtrùm naturaliter ſint incapaces ad iurandum. Quod & Diuus Thomas attigit in ſolutione ad quartum. Et ideò eſt

DISPVTATIO I.

Vtrùm Deo conueniat iurare?

ET videtur vera pars negatiua, quia iuramentum fit ad confirmandam aliquam propoſitionem: diuina autem dicta non ſunt capacia confirmationis, eo quòd per ſe habent ſummam, & infallibilem veritatē. Secundo. Iuramentum eſt actus religionis: Deus autem talis actus non eſt capax, eo quòd intrinſecè includit ſubmiſsionem.

In oppoſitum ſunt multa teſtimonia ſacræ Scripturæ, vbi habetur, Deum ſæpè iuraſſe. Pſalm.109. Geneſ.22. Hierem.22. & 44. & 51. Amos.4. Ezech.18. Et ad Hebræ.6. de Deo loquens ait Apoſtolus: *Quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum.* Et infrà: *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui; interpoſuit iusiurandum.* En primam rationem iuramenti diuini. Et ſecundam addidit Paulus: *Vt per duas res immobiles, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, fortiſsimum ſolatium habeamus.* *Pſal.* 109. *Gen.*22. *Hiere.*22. *& 44. & 51.* *Amos.* 4. *Ezech.*18. *Ad Heb.*6.

Breuiter dico, negari non poteſt Deum iuraſſe: non tamen in eius iuramentis reperiuntur eæ imperfectiones, quæ in noſtris iuramentis. Prima pars patet ex teſtimonijs citatis. Item, quia in ordine ad nos, effectus iuramenti diuini reperiuntur: quorum duos licet colligere ex Diuo Paulo modò citato. Vnus eſt, quem ibi notauit Diuus Thomas, videlicet vt per iuramentum intelligeremus prophetiam eſſe prædeſtinationis. Id eſt, promiſsionem eſſe ex decreto abſoluto, & non dependente à conditione aliqua ex parte noſtra. Et Iſidorus de ſummo bono, lib.2.cap.31. *Iurare Dei* (inquit) *eſt abſtilla prouidentia qua ſtatuit, non conuellere ſtatuta.* Et infrà: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum,* id eſt, *quæ iurauit nō mutabit.* Alter effectus eſt ad augendam noſtram fidem, & ſpem: non quia res in ſe fiat certior, quantum ad diuinum teſtimonium, ſed quantum ad modum, quo nobis proponitur, ſub forma magis nobis accommodata ad apprehendendum promiſsionis certitudinem, & firmitatē. Hieronymus Iſaiæ 14. ait: *Cùm iurat Deus, humano loquitur affectu, vt nos nihil timeamus.* Et Philo in lib. de ſacrificio Abel, & Cain, inquit Scripturam inducere Deum iurantem, vt infirmitatem naturæ noſtræ coargueret, & conuictam conſolaretur. Iuramenta autem Dei atteſtationis ſunt, non execrationis, quæ non videntur quadrare Deo. Cuius oppoſitum ſenſit Adamus ſuper ad Hebræ.3. adducens quædam teſtimonia ſacræ Scripturæ, vbi habentur quædam iuramenta, quæ videntur execratoria. Pſalm.94. *Quibus iuraui in ira mea ſi introibunt in requiem meam.* & Pſalm. 88. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar.* Hæc enim verba ita exponit Adamus: non ſim Deus, vel non viuam, ſi hæc non impleuero. Sed hæc verba puto non continere execrationem; ſed per ſimplicem negationem inter- *Hierony.* *Philo.* *Adamus.* *Pſalm.* 94. *Pſal.* 88.

interpretanda eſſe vt illa: *Quibus iurauiſi introibunt*: id eſt, iuraui quod non introibunt. Et illa: *Semel iurauiſi Dauid mentiar*: id eſt, non mentiar. Sed de his & alijs ſimilibus conſulendi ſunt interpretes ſacræ Scripturæ.

Ad argumenta in contrarium primò reſpondetur cum domino Cajetano in cap. 2. Geneſ. iurari dici de Deo metaphoricè ad ſimilitudinem noſtrorum iuramentorum. Secundò dico, non metaphoricè, ſed propriè Deum iuraſſe, ſublatis tamen imperfectionibus noſtrorum iuramentorum in argumentis commemoratis: præcipuè illa imperfectione, quod homines per maiores ſe iurant, quod Deo non poteſt conuenire.

De Chriſto autem, qui Deus, & homo eſt, an potuerit iurare, & an iurauerit, dubitabit quiſpiam. Certè cum in quantum homo inferior Deo ſit, non dubito quin potuerit iurare: quod autem iurauerit, non eſt mihi certum. Credo nunquam iuraſſe, maximè quia ipſe docuit: *Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*: licet aliqui videantur id affirmare, vt Innocent. III. Nec oppoſitum dicit Hieronymus in vltimis verbis epiſt. ad Galat. & D. Thom. lect. 4. in c. 8. Ioannis. Sed ſi bene inſpiciantur non id affirmant.

Inno. III.

DISPVTATIO II.

An Angeli poßint iurare, & iurauerint?

TRique reſpondetur affirmatiuè, ſaltem in ordine ad homines, vt reddant illos certiores de ſuis dictis. Iuramenta Angelorum expreſſa ſunt in ſacris literis, Apocal. 10. & Daniel. 12. quod notauit Innocent. III. in cap. *& ſi Chriſtus*. de iureiuran. Dixi quoad homines; nam modò in ſtatu beatifico, nec habent neceſsè iurare, nec iurant, eo quod in eo ſtatu bene ſciunt Angelos non poſſe mentiri. Vnde vnuſquiſque ſuo conciui Angelo ſine hæſitatione credit: quare ſine neceſsitate iurarent. De eiſdem verò Angelis in ſtatu naturæ non eſt certum, vtrùm iurare poſſent, nec ne? Nam ſi intuerentur conceptus ſuos per euidentiam in teſtificante, fruſtra fierent iuramenta, vt vnuſquiſque alteri aſſentiret. Si verò obſcurè panderent adinuicem ſuos conceptus, poſſent vti iuramento ad illos firmandos, maximè quia in illo ſtatu poſſent fallere, & falli. De Angelis verò dānatis dicò, nunquā vti iuramento, tùm, quia ipſi benè agnoſcunt ineptos fore, qui eis iurantibus crederent: tùm, quia cùm iuramentum ſit actus religionis, & reuerentiæ in Deum: ipſi nūquam iurabunt, vtpote qui nunquam aſſumunt nomen Dei, niſi ad blaſphemandum.

Apoc. 10. Danie. 12. Inno. III.

DISPVTATIO III.

An ſint aliqui homines incapaces iurandi ex natura rei? & an ſint aliqui in iure poſitiuo à iurando repulſi?

ET quidē ex natura rei ſoli pueri, & amentes rationis vſu carentes, naturaliter ſunt incapaces ad iurandum. De adultis verò infidelibus dico, eos qui non agnoſcunt Deū, vel aliquod ſuperius numen, quales ſunt Atheiſtæ, vel ſi qui alij barbari ſunt hac inſipientia inuoluti: certum eſt non eſſe capaces iuramenti, quod per Deum neceſſe eſt fieri. De alijs verò, qui agnoſcunt aliquod ſuperius numen, ſiue verum, ſiue falſum, etiam certum exiſtimo eos poſſe iurare. Ad quod ſatis eſt habere aliquam notitiam confuſam de Deo, vel Dijs falſis. Hoc enim ferè inſitum à natura eſt, & apud Barbaras nationes exercitio traditum, vt per Deos ſuos iurent, ſuaque dicta confirment.

De fidelibus verò, eos etiam compertum eſt aptos eſſe ad iurandum quoſcunq; vſus rationis pollentes. Et ſi ſermo ſit de iuramentis extraiudicialibus, vel ſolemnitatibus quibuſdam carentibus; haud dubium quin omnes rationis participes iurare valeant. Si autem ſermo ſit de iuramentis in iudicio factis, aut cum certis quibuſdam ſolemnitatibus; aliqui iure poſitiuo prohibētur iurare, quos commemorat D. Thom. in hoc articulo. Sed prius quàm illum diſcutiamus, aduertere oportet, pro ſolemni iurandi ritu in omni lege fuiſſe vſurpatas quaſdam cæremonias, pertinentes ad reuerentiam iuramentorum, vel iurantium. Et in primis ſe offert in lege naturæ quædam cæremonia ab antiquis Patriarchis obſeruata, videlicet ponendi manus ſub femore exigentis iuramentum, Geneſ. 25. & 47. De qua cæremonia dubitari ſolet, cur pertineret ad ſolemnitatem iuramēti, quia nihil ſacrum in ea reperiri videtur. Patres

D. Thom.

Geneſ. 25. & 47.

commu-

communiter dicunt, iuramentum fieri in fide Chriſti, qui tunc continebatur in lumbis Abrahæ, vt loquitur Paulus ad Hebr. 7. *Ad Heb. 7. Hieron.* Et idem dici poteſt de Iacob. Sic D. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis. Et iuxta hanc interpretationem non potuit ille modus iurandi exigi, niſi ab illis, qui certò ſcie bant ſe futuros progenitores Chriſti; & ita non legitur niſi de Abraham, & Iacob. Alij autem volunt, illa cæremonia ſignificatam fuiſſe fidem veri Dei, cum quo populus ille peculiare fœdus inierat. Hæc interpretatio magis placet Abulenſi, & Lyrano: iuxta quam ille ritus poterat eſſe communis omnibus Iudæis. *Abulenſ. Lyranus.* Alij putant, illam cæremoniã non eſſe additam propter aliquam ſacram ſignificationem: ſed ad ſignificandam ſubiectionem iurantis, reſpectu eius cui iuratur, & negotij grauitatem. Item olim fiebant ſolemnia iuramenta adiungendo illis holocauſta, & ſacrificia, vt notat Lyra ſuper Geneſ. 15. vbi reprehendit Deus eos, qui non obſeruauerunt verba fœderis: *Quibus aſſenſi ſunt* (inquit) *in conſpectu meo in duas partes, & tranſierũt inter diuiſiones eius.* *Lyran.* Quod explicui copioſe in primo tomo agens de deuotione. Mitto modò innumeros ritus, quibus fiebant iuramẽta ſolemnia apud Gentiles, vt videri poteſt in Alexandro ab Alex. & Tiraq. lib. 5. genial. c. 10. *Alexander ab Alex. Tiraq.*

Nunc etiam iuramentum ſolemne varijs modis, & ritibus fit, qui in varijs Decretis leguntur, vt tangendo Crucem, Reliquias, & Euangelia, cap. *tibi Domino.* diſt. 63. & in Clementina vnica de iureiur. & in c. vltimo. de iuramento calumniæ. & in alijs quæ videri poſſunt in Abbate rubr. de iureiur. Sed hæ ſolemnitates, & aliæ multæ circũſtantiæ, videri poſſunt in gloſsis in cap. *vt circa.* de elect. in 6. & in Clemẽt. 1. §. porrò. de hæretic. & in alijs, quas latè refert Couarrubias, ſupra. §. 1. numer. 2. & ſequentibus. *Abbas. Couarr.*

Diuus Thomas in hoc articulo præcipuè refert perſonas, quæ in iure à iuramento repelluntur: quidam propter defectum ætatis, videlicet pueri ante ætatem pubertatis, vt rata ſint iuramenta, vel vt poſsint ad iurandum cogi, cap. *pueri.* 22. q. 5. Nihilominus ante illam ætatem bene poſſunt iurare pro ſuo arbitratu. Et notat Soto dicta quæſtione 1. articulo 10. quòd licet pueri ante quatuordecimum annum non ſunt cogendi ad iurandum in iudicio; ſi tamen iurare velint, nõ ſunt prohibendi, quia ille fauor eſt, non pœna: & aliàs poteſt ſufficienter conſtare, illos eſſe iuramenti capaces. At verò adulti homines, duobus modis quaſi cõtrarijs (vt notauit D. Thomas) à iurando excluduntur: videlicet vel in pœnam, vel in priuilegium, & honorem. Priori modo excluduntur infames, cap. *teſtimonium.* de teſtibus; & maximè periuri. Et in hac pœna non ſolùm videtur attendi ad vindicationem delicti: ſed etiam ad reuerentiam iuramenti, propter periculum, & præſumptionem, quòd tales perſonæ non exhibebunt debitum honorem iuramento, vt aduertit Diuus Thomas in hoc articulo. *D. Thom.* Poſteriori autem modo prohibentur presbyteri iurare in manibus laicorum, niſi de licentia ſui prælati: quando nimirũ iurant alteri ſuperiori, vel iudici alicuius cauſæ, iuxta caput primum de iuramento calumniæ. & cap. *ex reſcripto.* & cap. *pernenit.* de iureiurando. & alijs, de quibus videndus eſt Abbas. & cap. 1. eodem. Syluester verbo *iuramentum.* 2. quæſtion. 3. Pertinet autem hoc ad decentiam, & iminunitatem clericalis ſtatus: propter quod etiam dicitur in capite *ſi quis presbyter.* 2. quæſt. 5. *Sacerdotes ex leui cauſa iurare non debent.* *Abbas. Syluest.* De Epiſcopis autem dicitur ibidem capite tertio: *Nos ſacramentum Epiſcopis neſcimus oblatum: neque vnquam fieri debet.* In capite autem primo excipitur, niſi pro fide recta. Et ſimiliter excipi poſſunt alij caſus, in quibus iuramentum ab Epiſcopis exigitur, vt in abiuratione erroris, cap. *quoties.* 1. quæſtione 7. Et ad præſtandam obedientiam Summo Pontifici, cap. *ego.* de iureiurando. & in ſimilibus. Et ob honorem eiuſdem dignitatis, ſæpe non eodem modo ab Epiſcopis iuramentum poſtulatur, quo ab inferioribus, vt notat Gratianus in §. *Epiſcopus.* poſt caput *teſtimonium.* 11. quæſtione 6. ex authent. *ſed iudex.* C. de Epiſcopis, & clericis. & clarius in capite vltimo de iuramento calumniæ. vbi dicitur: *Quando Epiſcopus iurat de calumnia, vel pro dicendo teſtimonio; debere iurare propoſitis, ſed non tactis Euangelijs.* *Gratianus.* Sed hæc omnia magis ad forum externum pertinẽt: & fortaſſe aliqua antiquata ſunt, ſicut illud, quòd ieiuni iurent, & ſimilia.

Et hæc ſatis ſint pro tota iſta materia de iuramento.

QVAES-

QVÆSTIO XCVIII.

DE PERIVRIO.

CAVSA elucidandi malitiam periurij (quod vnus ex actibus oppositis religioni est) quæstionem de iuramẽto in priori tomo omissam, in hoc secundo tomo reassumpsi, & pertractaui. Modò verò seriem disputandi Diui Thomæ prosequens; quæstionem 98. explanaturus accedo per singulos articulos, iuxta morem meum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm falsitas eius quod in iuramento confirmatur, requiratur ad periurium?

Inf. q. 123. art. 3. ad 3. Et 3. d. 39. art. 4.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd falsitas eius quod in iuramento confirmatur, non requiratur ad periuriũ. Vt enim supra dictum est, sicut veritas debet concomitari iuramentum, ita etiam iudicium, & iustitia. Sicut ergo incurritur periuriũ per defectũ veritatis, ita etiam per defectum iudicij, putà, cùm aliquis indiscretè iurat; & per defectum iustitiæ, putà cum aliquis iurat aliquid illicitum.

Quæst. 89. art. 3.

A 2 ¶ Præterea. Illud per quod aliquid confirmatur, potius esse videtur eo quod confirmatur per illud: sicut in syllogismo principia sunt potiora conclusione. Sed in iuramento confirmatur dictum hominis per assumptionem diuini nominis. Ergo magis videtur esse periurium, cùm aliquis iurat per falsos Deos, quàm si veritas desit dicto hominis, quod iuramento confirmatur.

3 ¶ Præterea. Augustinus dicit in sermone de verbis Apostoli Iaco-

Inserm. 28 & 30. non remotè à prin. to. 10.

Iacobi: Homines falſum iurãt, vel cùm fallunt, vel cùm fallun tur. Et ponit tria exempla: quorum primum eſt. Fac illum iurare qui verum putat eſſe, pro quo iurat. Secundum eſt: Da alium, qui ſcit falſum eſſe, & iurat. Tertium eſt: Da alium, qui putat eſſe falſum, & iurat, tanquam ſit verum quod fortè verum eſt: de quo poſtea ſubdit, quod periurus eſt. Ergo aliquis veritatem iurans poteſt eſſe periurus. Non ergo falſitas requiritur ad periurium.

¶ SED CONTRA eſt, quòd periurium diffinitur eſſe mendacium iuramento firmatum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, morales actus ex fine ſpeciem ſortiuntur. Finis autem iuramenti eſt confirmatio dicti humani, cui quidem confirmationi falſitas opponitur. Per hoc enim confirmatur aliquod dictum quod oſtenditur firmiter eſſe verum: quod quidem non poteſt contingere de eo quod falſum eſt. Vnde falſitas directè euacuat finem iuramenti. Et propter hoc à falſitate præcipuè ſpecificatur peruerſitas iuramenti, quæ periurium dicitur. Et ideò falſitas eſt de ratione periurij.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ſicut Hieronym. dicit Hierem. 4. quodcunque illorum trium defuerit, periurium eſt, non tamen eodem ordine. Sed primò quidem & principaliter, periurium eſt quando deeſt veritas, ratione iam dicta. Secundariò autem, quando deeſt iuſtitia, quocunque enim modo quis iurat illicitum, ex hoc ipſo falſitatem incurrit, quia obligatus eſt ad hoc quòd contrarium faciat. Tertiò verò, quando deeſt iudicium: quia cùm indiſcretè iurat, ex hoc ipſo periculo ſe committit falſitatem incurrendi.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd principia in ſyllogiſmis ſunt potiora, tanquam habentia rationem actiui principij: vt dicitur in 2. Phyſic. Sed in moralibus actibus principalior eſt finis, quã principium actiuum. Et ideò licèt ſit peruerſum iuramentum quando aliquis verũ iurat per falſos Deos, tamen ab illa peruerſitate iuramenti periurium non nominatur: quod tollit iuramenti finẽ falſum iurando.

¶ Ad tertium dicendum, quòd actus morales procedunt à voluntate: cuius obiectum eſt bonũ apprehenſum. Et ideò ſi falſum apprehendatur vt verum, erit quidem relatum ad voluntatem materialiter falſum, formaliter autem verum. Si autem id quod eſt falſum, accipiatur vt falſum, erit falſum & materialiter, & formaliter. Si autem id quod eſt verum, apprehendatur

In cor. art.

Lib. 2. tex. 89. tom. 2.

Quæſti. 92. art. 2. & 1. 2. q. 1. ar. 3. Et q. 18. artic. 6.

Super illud Hiere. 4. Et iuribus dicit Dominus, tom. 5.

datur vt falsum, erit verum materialiter, & falsum formaliter. Et ideò in quolibet istorum casuum saluatur aliquo modo ratio periurij propter aliquem falsitatis modũ. Sed quia in vnoquoque potius est, id quod est formale, quàm id quod est materiale, non ita est periurus ille, qui falsum iurat, quod putat esse verum: sicut ille qui verum iurat, quod putat esse falsum. Dicit enim ibi Augustinus: Interest quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi rea mens.

In Ser. 28. de verbis Apost. aliquantulum à prin. 10

Summa Articuli.

CConclusio affirmatiua probatur in argumento, sed contrà, ex diffinitione periurij approbata ab omnibus Theologis in 3. distinctione 39. Est enim periurium, mendacium iuramento firmatum. Deinde: nam falsitas directè euacuat finem iuramenti, qui est confirmatio dicti humani: ergo falsitas est de ratione periurij. Probatur consequentia, quia morales actus ex fine specificantur.

Circa solutionem ad primum, D. Thomas nixus autoritate Hieronymi Hierem. 4. dicentis, omne iuramentum illicitum esse periurium, extendit conclusionem articuli ad iuramenta quæcunque illicita, dicens in omnibus reperiri quodammodo falsitatem, sed non æqualiter: nam falsum iuramentum actu, & omninò destruit veritatem, & ideò illud simpliciter est periurium. Iuramentum autem incautum, siue nõ necessarium, si cadat supra verum, nõ destruit actu veritatem, sed in potentia, vel periculo: quia qui sic iurat, interdum poterit iurare falsum. Iuramentum verò de re mala, quando est verum, & cum intentione faciendi rem iuratam, non destruit actu veritatem: tamen quoad obligationem dicit quandam habitudinem ad falsitatem, quia obligatus est contrarium facere. Ita-

Hieronym.

A que, inquit sanctus Doctor, omne iuramentum illicitum, quod Diuus Hieronymus appellat periurium, dicere aliqualem ordinem ad falsitatem. Hæc extensio non placet quibusdã modernis, eo quod (inquiunt) aliquot dantur iuramenta illicita, quæ nullam habitudinem dicunt ad falsitatem. Hoc probant in iuramento vano, id est, absque necessitate emisso, sed cum magna cautela & attentione dicendi verum, & cauendi omne periculum falsitatis. Idem probãt in iuramento iniusto, seu turpi, vt cùm quis reuelat contra ius occultum crimen, & dictum suum iuramento confirmat. Hæc facilia sunt, nec propterea deserendus est D. B Thomas, qui non ait, omne iuramentum illicitum dici simpliciter periurium: nec simpliciter de eius ratione esse, continere falsitatem. Sed cùm sanctus Doctor sit sanctorum Doctorum amator, ipsos defendere quoad fieri potest conatur. Et cùm Diuus Hieronymus omne iuramentum illicitum, vocet periurium, ipse eadem appellatione vocat, & subtilem analogiam adinuenit, vocans simpliciter periurium, illud iuramentum cui deest absolutè veritas. Cætera verò illicita propter defectum iustitiæ, aut iudicij, vocat periurium secundũ quid, vt rectè notauit Caietanus: & in his agnoscit aliquam habitudinem ad falsitatem, vt C sic verificetur quodammodo definitio cõmunis Doctorum supra allata. Et ad obiectionem modò propositam respondetur, etiam iuramenta allata ab opinante contra Diuum Thomam, dicere ex genere suo aliquem ordinem ad falsitatem: quia vana iuramenta sæpius iterata, ad periculum falsitatis properant; & iniusta etiam, propter obligationem faciendi oppositum, vel in futurum, vel quando veritas iniqua intentabatur iurari.

Caietanus.

Ex eadem solutione colligitur diuisio periurij, in iuramentum vanum, id est, sine necessitate: in iuramentum iniustum licet sit verum, illud scilicet quod est de D materia illicita, licet non contra iustitiam, vt supra circa articulum tertium dictum est. Tertium est iuramentum, quo mendacium confirmatur: & hoc dicitur absolutè, & simpliciter periurium. Notandæ sunt solutiones argumentorum, quia egregiam continent doctrinam.

(?)

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrùm omne periurium ſit peccatum?

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd non omne periuriũ ſit peccatum. Quicunque enim non implet quod iuramento confirmauit, periurus eſſe videtur. Sed quandoque aliquis iurat ſe facturum aliquid illicitum, putà adulterium, vel homicidium, quod ſi faciat peccat. Si ergo etiam nõ faciendo peccaret peccato periurij, ſequeretur quod eſſet perplexus.

2 ¶ Præterea. Nullus peccat faciendo quod melius eſt, ſed quãdoque aliquis periurando facit quod melius eſt: ſicut cùm quis iurauit ſe non intraturum religionem, vel quæcunque opera virtuoſa non facturum: ergo nõ omne periurium eſt peccatum.

3 ¶ Præterea. Ille qui iurat facere alterius voluntatẽ, niſi eã faciat videtur incurrere periuriũ. Sed quãdoq; poteſt cõtingere quòd non peccat, ſi eius non impleat voluntatem: putà cùm præcipit ei aliquid nimis durũ, & importabile: ergo videtur quòd non omne periurium ſit peccatum.

4 ¶ Præterea. Iuramentum promiſſorium ſe extẽdit ad futura, ſicut aſſertorium ad præterita, & præſentia. Sed poteſt contingere quòd tollatur obligatio iuramenti per aliquid, quod in futurum emergat: ſicut cũ aliqua ciuitas iurat ſe aliquid ſeruaturam, & poſtea ſuperueniunt noui ciues, qui illud non iurauerunt: vel cùm Canonicus aliquis iurat ſtatuta Eccleſiæ alicuius ſe ſeruaturum, poſtmodũ aliqua fiunt de nouo: ergo videtur quòd iſte qui tranſgreditur iuramentum non peccet.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Aug. dicit in ſermone de verbis Apoſtoli Iacobi de periurio loquens, Videtis quàm iſta deteſtanda ſit bellua, & de rebus humanis exterminanda. *Ser. 28. & 30. non remotè à princ. to. 10.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, iurare eſt Deum teſtem inuocare. Pertinet autem ad Dei irreuerentiam, quòd aliquis eum teſtẽ inuocet falſitatis, quia per hoc dat intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoſcat, vel quòd falſitatem teſtificari velit. Et ideò periurium manifeſtè eſt peccatum religioni contrariũ, cuius eſt Deo reuerentiam exhibere. *Q. 89. ar. 1.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ille qui iurat ſe facturum aliquid illicitum, iurãdo incurrit periurium propter defectum iuſtitiæ: ſed ſi non impleat quod iurauit, in hoc periurium non incurrit: quia hoc non erat tale quid, quod ſub iuramento cadere poſſet.

¶ Ad

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd ille qui iurat ſe non intraturum Religionem, vel non daturum eleemoſynam, vel aliquid huiuſmodi, iurando periurium incurrit propter defectũ iudicij. Et ideò quando facit id quod melius eſt, nõ eſt periurium, ſed periurio cõtrarium. Contrariũ enim eius quod facit, ſub iuramento cadere non poterat.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cùm aliquis iurat, vel promittit ſe facturum voluntatẽ alterius, intelligenda eſt debita cõditio: ſi ſcilicet id, quod ei mandatur, licitum ſit, & honeſtum, & portabile, ſiue moderatum.

¶ Ad quartum dicẽdum, quòd quia iuramentum eſt actio perſonalis, ille qui de nouo fit ciuis alicuius ciuitatis, non obligatur quaſi iuramento ad obſeruanda illa quæ ciuitas ſe ſeruaturam iurauit. Tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, vt ſicut fit ſocius bonorum ciuitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus verò, qui iurat ſe ſeruaturum ſtatuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex iuramento ad ſeruandum futura, niſi intenderit ſe obligare ad omnia ſtatuta præterita, & futura. Tenetur tamen ea ſeruare ex ipſa vi ſtatutorum, quæ habent coactiuam virtutem, vt ex ſupra dictis habetur.

1.2.q.96. art.4.

A Conclusio eſt. Omne periurium eſt peccatum religioni contrarium. Patet, quia continet Dei irreuerentiã, quæ in hoc conſiſtit, quòd peierans ipſo facto dat intelligere, vel quòd Deus veritatem non agnoſcat, vel quòd falſitatem teſtificari velit. Concluſio hæc, vt ait Caietanus, & colligitur ex eius probatione, procedit de periurio, cui deeſt veritas: & eſt certa ſecundùm fidem, vt patet Exod. 20. *Exod.20.* Matth.5. & alijs locis ſacræ Scripturæ, Pro *Matth.5.* uerb.30. *Verba mendacij* (loquitur Sapiens *Proner.30.* de mendacio iurato, vt expreſſe dicitur in textu) *longe fac à me*. Leuit.19. Zachar.3. *Leuiti.19.* B Et idem aſſerunt omnes Catholici ex com- *Zachar.3.* muni ſenſu Eccleſiæ.

Oppoſitum huius aſſertionis tenuerunt aliqui Hæretici vocati Apoſtolici, vt refert Prateolus, eiuſdemque hæreſis meminit *Prateolus.* Bernardus ſermone 65. in Cantica, tacito *Bernardus.* hæreticorum nomine: dicitque eos non ſimpliciter approbaſſe periurium, ſed tantùm ad occultandum ſecretum ſuæ doctrinæ: atque ita in ore ſemper habuiſſe: *Iura, periura; ſecretum prodere noli*. Quæ verba vſurpaſſe Priſcillianiſtas refert Auguſtin. *Auguſt.* hæreſi 70. & lib.2. retractationum, cap. 60. & lib. contra mendac. cap. 1. & 2. Sed quia C iſti nullum fundamentum ſui dogmatis adducebant, non egent impugnatione.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omne periurium ſit peccatum mortale?

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd non omne periuriũ ſit peccatum mortale. Dicitur enim extra de iureiuran. in ea quæſt. D quæ ponitur, An à ſacramenti vinculo abſoluantur, qui illud inuiti pro vita & rebus ſeruãdis fecerũt. Nihil aliud arbitramur quàm quod anteceſſores noſtri Romani Põtifices arbitrati fuiſſe noſcuntur: qui tales à iuramenti nexibus abſoluerunt. Cæterum vt agatur conſultiùs, &

Sup.q.70. a.4.cor. Et 3.di.39.ar. 5.q.1.

In Decret. lib.2.tit.24 cap.15.

auferatur materia deierandi, non eis ita expreſsè dicatur, vt iuramenta non ſeruent. Sed ſi ea non attenderint, non ob hoc ſunt tanquam pro mortali crimine puniendi. Non ergo omne periurium eſt peccatum mortale.

Refertur 22.q. 1.ca. Si aliqua cauſa.

2 ¶ Præterea. Sicut Chryſoſtomus dicit, maius eſt iurare per Deum, quàm per Euangelium. Sed non ſemper peccat mortaliter qui per Deum iurat aliquod falſum: putà ſi ex ioco, vel lapſu linguæ aliquis tali iuramento in communi ſermone vtatur: ergo nec etiamſi aliquis frangat iuramentum quod ſolẽniter per Euangeliũ iurat, ſemper erit peccatum mortale.

3 ¶ Pręterea. Secundũ iura propter periurium aliquis incurrit infamiam, vt habetur 6.q.1.ca. Infames. Non autem videtur quòd propter quodlibet periuriũ aliquis infamiã incurrat, ſicut dicitur de aſſertorio iuramento violato per periurium: ergo videtur quòd non omne periuriũ ſit peccatum mortale.

6.q.1. cap. Infames.

¶ SED CONTRA. Omne peccatum, quòd contrariatur præcepto diuino, eſt peccatum mortale. Sed periurium contrariatur præcepto diuino. Dicitur enim Leuit. 19. Non periurabis in nomine meo. Ergo eſt peccatum mortale.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſecundum doctrinã Philoſophi propter quod vnum quodque tale, illud magis. Videmus autem quod ea quæ ex ſe ſunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, ſi in contemptum Dei fiant, ſunt peccata mortalia. Vnde multo magis quicquid eſt, quod de ſui ratione pertinet ad contemptum Dei, eſt peccatum mortale. Periurium autem de ſui ratione importat contemptũ Dei. Ex hoc enim habet rationem culpę, vt dictum eſt, quia ad irreuerentiam Dei pertinet. Vnde manifeſtum eſt quòd periurium, ex ſui ratione, eſt peccatum mortale.

Li.1.Poſt. tex. 5. non multum à fine tom.1.

Art. præce.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd ſicut ſupra dictũ eſt, coactio nõ aufert iuramento promiſſorio vim obligãdi, reſpectu eius, quod licitè fieri poteſt. Et ideò ſi aliquis nõ impleat quod coactus iurauit, nihilominus periuriũ incurrit, & mortaliter peccat. Poteſt tamen per autoritatem Sũmi Pontificis ab obligatione iuramenti abſolui, præſertim ſi coactus fuerit tali metu, qui cadere poſſet in conſtãtem virum. Quod autẽ dicitur quòd tales non ſunt puniendi tanquam pro mortali crimine, non hoc ideò dicitur, quia non peccẽt mortaliter, ſed quia pœna eis minor infligitur.

Quæſt. 89. art. 7. ad 3.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd ille qui iocoſè periurat, non euitat diuinam irreuerentiam, ſed

sed quantum ad aliquid magis auget: & ideò non excusatur à peccato mortali. Ille autem, qui ex lapsu linguæ falsum iurat, si quidem aduertat se iurare, & falsum esse quod iurat, nõ excusatur à peccato mortali, sicut nec à Dei contemptu: si autem hoc non aduertat, non videtur habere intentionem iurandi, & ideò à crimine periurij excusatur. Est ergo grauius peccatum, siquis solemniter iuret per Euangelium, quàm si Deum in communi sermone iuret: tùm propter scandalum, tùm propter maiorem deliberationem. Quibus æqualiter hinc inde pensatis, grauius est si quis per Deum iurans periuret, quàm si periuret iurans per Euangelium.

¶ Ad tertium dicendum, quòd non propter quodlibet peccatum mortale aliquis infamis efficitur ipso iure. Vnde non sequitur, si ille, qui iurat falsum iuramento assertorio, nõ est infamis ipso iure, sed solũ per sententiam diffinitiuam latam cõtra eum in accusatione, quòd propter hoc non peccet mortaliter. Ideò autem magis reputatur infamis ipso iure, qui frãgit iuramentum promissorium solemniter factum, quia in eius potestate remanet, postquàm iurauit, vt det suo iuramento veritatem: quod non contingit in iuramento assertorio.

A Conclusio est affirmatiua, & intelligenda ex genere suo (nam quid sit dicendum in indiuiduo, postea dicemus) & coarctanda ad periuriũ simpliciter. Prob. in arg. sed contra, quia contrariatur præceptis primæ tabulæ. Præterea ratione probatur, quia periuriũ in sua ratione includit contemptum Dei, & irreuerẽtiam: ergo peccatũ mortale est. Quidquid enim (etiãsi bonum sit ex obiecto) fit propter contemptũ Dei; peccatũ mortale est: quanto magis periuriũ, quod talem contẽptũ includit? Hæc cõclusio est etiã de fide, & cõmunis Catholicis, & in 2.2.q.1. grande scelus appellatur: quã nuncupationẽ non B haberet, nisi peccatum mortale esset.

Circa primum, & secundũ articulos discutiendę sunt disputationes apprimè vtiles pro instruendis fidelibus, præcipuè confessoribus, circa grauitatem, vel leuitatem periuriorum, id est, quando periuria (quæ esse diximus peccata mortalia ex genere suo) in indiuiduo mortalia sint, an venialia.

DISPVTATIO I.

An periurium assertorium semper sit peccatum mortale ex parte materiæ?

EX parte inquam materiæ: nam considerare periurium ex alio capite, non pertinere diximus ad præsentem disputationem. Et præmittendum, materiam periurij assertorij mendacium esse: quod diuidi solet in mendacium pernicioſum, iocoſum, & officioſum. De iuramento circa mendacium pernicioſum, res clara est esse semper peccatum mortale sola materia attenta, quia illa grauis est. De iocoſo, & officioſo videtur posse dubitari, quia materia leuis est: & cõsequenter iuramentum de illa erit peccatum veniale in indiuiduo. Ita asserit quidã Gofredus in c. *quid autem*. & c. vlt. 22. q. 2. & refert Angel. ver. *periuriũ*. & non improbat, sed potius ait, mendaciũ iocoſum non esse mendaciũ, teste Aug. li. quæst. in Gen. q. 145. & refertur in d. cap. *quid autem*. *Gofredus. Angelus. Augustin.*

Dico primò. Cõmunis & certa sententia est, omne assertorium periurium de mendacio etiam leuissimo, esse peccatũ mortale: & ita nũquã posse fieri veniale ex leuitate materiæ. Ita D. Tho. hic ar. 3. ad 2. & Caiet. *D. Thom. Caietanus.*

Soto. & Sotò, & alij Theologi in 3. dist. 39. dicũt enim periurium deliberatum semper esse mortale peccatum, solumq; posse ueri ueniale per surreptionẽ. Ita etiam omnes Sũmistæ, Nauar. c. 12. n. 6. Couar. li. 1. vari. c. 1. n. 2. & in d c. *Quamuis pactum*: parte. 1. §. 1. n. 4. Ratio est, quia respectu iuramenti, quęuis materia, quantumuis aliàs leuissima, grauis est. Quod multipliciter explicatur. Primo, quia in eo periurio adducitur Deus in testem falsitatis: ad quod parum refert mẽdaciu esse pernicioſum, vel iocoſum. Secundò, quia licet in homine, dicere leue mendacium esset leuis culpa; in Deo tamen esset summa imperfectio, indecens primam veritatem: ergo qui eum affert in testem mẽdacij etiã leuissimi, ingentem illi iniuriam irrogat, & tacitè protestatur ipso facto, vel Deũ non omnia scire, vel nõ esse summam veritatem, neq; summè bonũ, cum mentiri possit. Et hæc est ratio D. Tho. in artic. 2.

Nauarrus. Couarru.

Ad argumentum in contrarium respondetur, leuitatem materiæ facere esse peccatum veniale, quando diminuit formale deordinationem inuentam in tali materia respectu talis peccati. V. g. leuitas materiæ diminuit furtũ, quia diminuit nocumentũ, & acceptionem rei alienæ inuito domino: in periurio autẽ non minuitur id quod est per se in obiecto periurij. Id autem quod adducitur ex Augustino, mendaciu iocoſum nõ esse mendacium, falsum est, & imponitur Augustino illud dixisse: sed loquitur de ioco, quando ex modo iocandi intelligitur nõ affirmare mendaciũ, sed tantum per iocũ verba proferre. Quod si verè, ac formaliter iuramentum adhibetur, etiã si per iocum fiat, peccatum mortale est. Imò addit D. Thom. citatus, periurium iocoſum quodammodo grauius esse, quia videtur continere maiorem cõtemptum Dei. Quod etiã notauit Sylvest. verbo, *iuramentum*. 2. q. 6. & Couar. dicta 1. par. §. 6. num. 5.

D. Thom.

Sylvest. Couarr.

Ex præfata assertione collige primò, quotiescunq; id quod asseritur, vel negatur, mẽdaciũ est; iuramentum illi superadditũ esse peccatũ mortale, quocunque fine, bono vel malo, necessario, aut voluntario iuretur: id est, siue falsum iuretur ad defendendũ innocentem, siue pro bono priuato, siue cõmuni, siue grauissima necessitate vrgente, siue ex malitia, semper erit peccatum mortale, magis, aut minus graue, penes maius, aut minus voluntarium. Nam ex circunstantijs alijs, grauitas maior, aut minor non pertinet ad rationem periurij, sed ad alia vitia, A purà iniustitiæ, vel alterius similis. Secundo collige, si iuramento assertorio desit veritas ex parte certitudinis, & modi confirmandi quod asseritur, peccatum mortale est, quia etiam sic iuratur falsum: v. g. qui iurat vt certum, quod non certo scit, lethaliter peccat, quia exponit se periculo falsitatis dicti; & in actu exercito dicit falsum: scilicet se certo scire, quod certò non scit. Hoc autem intelligendum est quando iuramentum fertur in enuntiationem prout est in se: si autem quis iuret, se ita sentire, vel esse verosimile, aut credibile, si de hoc videatur sibi esse certus, non peccabit. At si quis iuret opinionem tantùm probabilem; B præter peccatum leuitatis, nam ridiculum est tale iuramentum, vt D. Tho. docuit supra q. 89. art. 1. erit etiam peccatum mortale ex defectu veritatis, quia exponit se periculo dicendi falsum, cum res dubia sit.

Sed rogas, nonne aliquando poterit quis excusari à mortali, etiam si iuret falsum assertum? Potest vtique. Quod declaro per sequentes assertiones.

Secunda sit. Quando iuratur falsum existimando esse verũ, si existimatio fuit cum sufficienti aduertẽtia, & probabili existimatione veritatis; excusabitur culpa periurij: & cõsequenter vel non erit peccatũ, vel nõ erit mortale. Assertio cõmunis est, & habetur apud D. Tho. in solut. ad 2. tertij art. Ratio est manifesta, quia veritas, vel falsitas iuramenti, nõ tam ex re iurata, quã ex mente iurantis attenditur: quod benè explicat Sot. li. 8. de iust. q. 2. ar. 3. cõc. 6. Et enim actus vo lũtatis nõ specificatur ab obiecto prout est in re, sed prout est in apprehẽsione per intellectũ. Sed in illo casu iuramentũ verum est in ordine ad intellectũ iurantis: non est ergo per se periurium, neq; peccatum. Reperitur autem probabilis existimatio veritatis, quia si hæc desit, temerè iuratur, & imprudenter; ac subinde ignorantia falsitatis non excusabit à periurio, quia ipsa ignorãtia voluntaria est. Et consequenter licet ille directè velit iurare verũ, indirectè, & interpretatiue vult falsum iurare; ideoq; malitia periurij illi imputatur. Quo animo licet contingat postea in re verũ esse quod iuratum est; eadem erit culpa periurij, quia hæc cõmissa fuit quando homo se exposuit periculo peierandi: & quod postea veritas innotuerit materiale fuit, & per accidens, seu casuale; & ideò non excusabit. In hoc autẽ peccandi modo est latitudo, sicut etiam in negligentia cõsiderationis debitæ, vel cul-

D. Thom.

Sotus.

pa

pa ignorantiæ esse potest. Quapropter si negligentia grauis fuerit, erit culpa grauis: si autem leuis fuerit, erit peccatum veniale, non ex leuitate materiæ, sed ex surreptione, vel defectu libertatis, quod generale est in hoc modo peccādi in quacunq; materia: & in hac cum proportione applicandū est iuxta exigētiam rerū & negotiorū, vt benè declarant Caietanus, verb. *periurium*. Soto, & alij.

Caieta. *Sotus.*

Tertia assertio. Qui iurat aliquid putans esse falsum, semper peccat mortaliter in ratione periurij, etiamsi contingat rem in se veram esse, & licèt ille per crassam ignorantiam putauerit esse falsum. Hæc clara est ex D. Augustino sermone 28. de verbis Apostoli. Diuo Thoma supra, quæstione 89. artic. 1. ad tertium. Soto, & alijs, Syluestro verbo, *iuramentum*. 2. q. 6. *periurium*. quæstione 1. & est aliorū Summistarū ibi, & Nauarri cap. 12. nu. 9. Ratio aperta est, quia ille formaliter iurat falsum, & mentitur, quia contra mentem it. Vnde nihil refert, quòd falsa illa existimatio processerit ex errore crasso, vel supina ignorantia, quia hoc vel culpam periurij auget, eo quod videtur augere affectum, & contemptum iurandi falsum: vel saltem impertinenter se habet, quia non minuit temeritatem, aut malitiam affectus ad iurandum mendacium.

August. *D. Thom.* *Sotus.* *Syluest.* *Nauarrus.*

Quarta assertio. Quando aliquis iurat falsum per inaduertentiam naturalem, vel ad assertū ipsum, id est, ad rem iuratam, vel saltem ad iuramentū; tunc nullum committitur peccatum. Patet, quia illud iuramentum non est actus humanus.

DISPVTATIO II.

An consuetudo iurandi incautè sit peccatum, vel constituat hominem in statu peccati?

SIngula verba tituli disputationis explananda sunt: nam iuramentum incautū in hac disputatione, non vocamus illud quod fit sine necessitate, & debito iudicio, quoad occasionem vel causam iurandi; quia de hoc instituetur peculiaris dubitatio: sed illud quod fit sine sufficienti cautela, & aduertentia cauendi periculum falsitatis: de quo aliqua tetigimus in secunda, tertia, & quarta assertionibus præcedentis disputationis. Sed modò specialiter quærimus de his iuramentis, quando habent adiunctam consuetudinem: consuetudo autem nihil aliud est quàm frequentia actuum, vel actus frequentati. In hac materia iurandi, duobus modis accidere potest. Primus est quando quis licèt frequenter iuret, & fortasse sine necessitate & vtilitate; non tamen sine veritate, neque sine sufficienti aduertentia, vt id quod iurat verum sit. Qui consuetudinis modus inueniri potest vel in homine, qui consueuit nunquam mentiri etiam extra iuramentum: vel etiam in illo homine, qui mentiri solet sine iuramento, non tamen cum illo. Secundus modus consuetudinis est, quando aliquis consueuit iurare absque delectu iurandi verum vel falsum. Quod etiam duobus modis accidere potest. Vnus est, quando quis etiam directè aduertendo, habet in consuetudine falsum iurare: alter est quando consuetudo iurandi tanta est, vt homo sine sufficienti diligentia ad dicendū verum, frequenter iuret; etiamsi nunquam iuret falsum ex formali intētione, & aduertendo falsum esse quod iurat. Status etiam peccati duobus modis accipi solet. Primò pro statu purè habituali: & sic dici solet esse in statu peccati mortalis qui peccatū mortale commisit, & illud non retractauit, nec veniam consequutus est. Sed ad hunc statū non est necessaria consuetudo, de qua inuestigamus: sed vnico periurio, & non retractato, relinquitur homo in illo statu. Secundo modo esse potest status peccati mortalis, quasi medius inter actū & habitū: quia ad illū nec est necessariū actu peccare, nec sufficit peccasse. Sed vltra permanentiā in peccato commisso, addit tantam deordinationē illius status, vt de se sit nouū obiectū peccati mortalis: ita vt quoties homo aduertit se esse in tali statu, & vult permanere in illo, formaliter vel indirectè, nouū peccatū mortale committit. Sic dicitur esse in statu peccati, qui tenetur restituere, & non restituit cùm possit; quia ex vi illius status semper actu peccat: solùmq; aliquādo non peccat, quia de illo actu non considerat. Quoties verò considerat, & ita permanere vult, actu peccat. Et ita ille status & est obiectū peccati mortalis, & de se est quasi continuū peccatū externū, quamuis ex defectu attentionis, & actualis voluntatis interūpatur. Et hoc secūdo modo accipimus in disputationis titulo statum peccati. His præmissis

Dico primò. Consuetudo vt sic, non est

vnum peccatum. Probatur, quia ſi in conſuetudine conſideres frequentiam actuum, & habitum inde generatum; habitum non eſſe peccatum, certum eſt; quia peccatum eſt dictum, vel factum, &c. contra legem Dei. Si autem conſideres frequentiam actuum, non eſt vnum aliquod opus diſtinctum à ſingulis: ſed eſt collectio, & numerus peccatorum: igitur non eſt vnum peccatum, nec de hoc procedit noſtra diſputatio: ſed vtrum conſuetudo, ſiue ſit vnum peccatum, ſiue plura, reponat iurantem incautè in ſtatu peccati? De quo

Dico ſecundò. Primus modus conſuetudinis in iurando, nec eſt peccatū graue de ſe, nec collectio peccatorum mortaliū; nec conſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis. Prima pars patet ex præcedenti aſſertione. Secunda, quia nullum illorum iuramentorū de ſe eſt periuriū: etenim neque ex formali intentione (nam ſupponitur, cū illa frequentia iurandi eſſe intentionem ſemper iurandi verū) neque ex indirecta, aut interpretatiua voluntate; quia ſupponitur ſemper iurare cum aduertentia dicendi verum. Tertia pars patet, quia per talē frequentiam nequit homo conſtitui in morali periculo, aliquando iurandi falſum; nam in ſingulis actibus ſemper facit moralem diligentiā ad cauendum voluntariū mendaciū: quia licèt cōtingat interdū decipi, illud ſemper erit materiale mendaciū. Vnde illud periculū, neq; eſt de peccato cōmittendo, nec poteſt dici morale, ſed naturale: quia quod homini euenit præter voluntatē, & moralem diligentiā cauendi illud; caſuale eſt, ſeu naturale. Atque hinc ſequitur, conſuetudinē hanc ad excuſandum, vel cōdemnandū iuramentum, quod præter intētionē iurantis contigit; eſſe de re falſa. Nam in indiuiduo cōſiderandus eſt actus iurādi, & inaduertētia, cū qua fit: quòd ſi illa actualiter fuit ex notabili negligentia, nō excuſabit cōſuetudo aduertendi ordinariè, & frequenter in alijs iuramentis; nā illud oportet facere, & in hoc actu nō omittere. Sicut licèt homo ſoleat frequenter vni tentationi reſiſtere; ſi ſemel cōſentiat, nō excuſabitur à graui culpa, propter alias obtētas victorias. Si verò in illo etiam iuramento, ſufficiens diligentia, & aduertentia poſita eſt; vel ſi adfuit negligentia aliqua, fuit venialis; non damnabitur, neque reddetur grauior propter talem conſuetudinem iurandi, quia illa non conſtat ex peccatis grauibus, nec conſtituit hominem in ſtatu peccati.

A Dico tertiò. Secundus modus cōſuetudinis, id eſt, cōſuetudo iurandi indiſcriminatim verū, & falſum, cū aduertentia formali, & actuali quod ſæpè iurat falſum, eſt aggregatio quædam grauiſsimorū peccatorū: & quandiù voluntaria eſt talis cōſuetudo, reponit hominem in ſtatu peccati mortalis. Prior pars certa eſt, quia in tali iurante, ferè omnes actus iurādi ſunt periuria, & peccata mortalia, ex quibus coaleſcit talis cōſuetudo. Dico, ferè ſemper, & nō ſimpliciter omnia illa eſſe peccata mortalia; quia nō obſtā te ea praua cōſuetudine, ſi aliquādo ille homo aduertat verū eſſe quod iurat, in eo actu

B nō erit periurus, quia ex obiecto non habet talē malitiā; nec conſuetudo eſt circūſtantia quæ illā inducat, ſed ſolū ſe habet quaſi materialiter, & cōcomitanter ad eum actū, & nō afficit illum. Dicet quiſpiam: quāuis ille actu iuret verū, tamen eſt ita affectus quod æquè iuraret falſum, ſi ſua intereſſe exiſtimaret. Reſp. fortaſsè ille affectus eſſet quaſi in habitu, quod nō ſufficit ad actualiter peccandū. Solùm ergo imputaretur, ſi homo haberet actu illum affectū conditionatum, & propoſitū quòd non minus iuraret ſi eſſet falſum: & tunc eſſet illud aliud cōcomitans

C peccatū internum, & mentale. Actus autem iurandi hic, & nunc, nō eſſet periurium, nec peccatū, quia non procedit ex illo affectu; ſed ex intentione iurandi veritatē ſufficiēter cognitā. Quia verò is qui talem cōſuetudinē habet; regulariter parū curat de adhibenda diligentia debita ad veritatem dicēdam: ideò omnia iuramēta eius, regulariter loquendo, grauia peccata ſunt, & malitiam periurij habent, vel ratione falſitatis, vel ratione periculi etiā incurrendi. Secūda pars ex dictis perſpicua eſt: videlicet eam conſuetudinem reponere hominē in ſtatu peccati mortalis. Dictū eſt autem, quandiù voluntaria eſt talis conſuetudo: quia ſi diſpli-

D ceat efficaciter, ita vt homo proponat facere quod in ſe eſt ad tollendā eam conſuetudinē; iam interūpitur, & retractatur cōſuetudo: & ideò ratione habitus, qui tūc durat, nō poterit homo dici eſſe in ſtatu peccati mortalis, neque in voluntario periculo. Et difficultas illa, vel periculum, quod talis cōſuetudo ſecū affert; effectus peccati eſt, non ſtatus peccati, quando voluntas contra illam nititur: nec illa conſuetudo, vtpotè involuntaria, imputabitur ad peccatum.

Dico quartò. Cōſuetudo iurandi cū ſufficienti aduertentia ad iuramentum, quamuis non ſoleat eſſe cum directa voluntate

iuran-

iurandi falſum; ſi tamen ſit ſine debita cautione, ac diligentia ad iurandum veritatem cognitam: conſuetudo eſt peierandi,& cõſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis, donec retractetur. Hæc aſſertio conſtat ex præcedentibus: & probatur,quia eadẽ malitia pollet,atque ſi aduerteret iurans ſe falſum iurare,& iuraret.

DISPVTATIO III.

An periurium cum inaduertentia prolatum ſit peccatum mortale ratione conſuetudinis?

NON loquimur de omni prolatione iuramenti, cum inaduertẽtia iuramenti,vel rei iuratæ,an vera,vel falſa ſit; poterit enim hæc inaduertentia eſſe merè naturalis, abſque conſuetudine peierandi:& tunc clarum eſt talem prolationem non eſſe peccatum. Sed ſermo eſt,de eo qui eſt in ſtatu peccati mortalis, propter conſuetudinẽ iurandi indiſcriminatim verum,& falſum,iuxta dicta in 3. & 4. aſſertionibus præcedentis diſputationis:qui tamen ſic aſſuetus,profert verba iuratoria cum inaduertentia , an iuramentũ ſit de re falſa, necne. Et dubitamus,an illud iuramentum periurium ſit,vel non?Diſputatio certè nimis implexa, tùm rei difficultate, tùm opinionum varietate. Prima eſt, imputari ad periurium talem prolationem verborum,ratione conſuetudinis.Hanc tenet Caietanus in hac quæſtione,artic. 3. circa ſecundum D.Thom.& ſup.quæſt.88. art.1. in dubio circa primam voti conditionem.Et q.89.art.2.dixerat,conſuetudinem iurãdi non excuſare.Eandem tenet Nauar. in cap.12.num.6. Et probatur hæc ſententia teſtimonijs Sanctorum.Auguſtinus lib. contra mendacium,cap.15.inquit,ex conſuetudine iurandi , in periurum decidi. Chryſoſtomus homilia 14.ad populum,ſic ait,ab omnibus eſſe conceſſum, & manifeſtum,multum iurantem eſſe periurum neceſſe eſſe. Et infra ſubdit, non eſſe idoneã excuſationem, ſi conſuetudinem prætendamus.Iſidorus lib.2.ſinonim.cap.10. *Aſſiduitas iurandi,periurium facit*:& lib. 2. de ſummo bono: *Dum vſum iurandi facimus, periurium incurrimus*: & Diuus Bernardus ſermone 32. *Periculoſum eſt iurare : vſus iurandi ducit hominem ad periurium*. Præterea eadem ſententia probatur ratione

Caietan. *Nauarrus.* *Auguſt.* *Chryſoſt.* *Iſidorus.* *Bernard.*

A domini Caietani in hac quæſtione,loco citato,quia in illo ſic aſſueto ad iurandum temerè, inaduertentia non eſt cauſa iurandi, nam æquè iuraret ſi aduerteret, vt eius cõſuetudo oſtendit : ergo illa inaduertentiã non excuſat culpam , quia non excuſat, niſi ſit cauſa: eſt enim tunc inaduertentia non antecedens, ſed concomitans, quæ non excuſat. Secunda ſententia ait, talem actum prolationis iuramenti in caſu poſito,non ſemper eſſe peccatum mortale: ſed tamen poteſt eſſe mortale. Et vt ſe explicent, dicunt: ſi illa prolatio præcipitata, & cum inaduertentia, non oriatur ex conſue-
B tudine quam habet iurans: ſed aliunde ex actuali paſsione iræ, vel alterius affectus: tunc conſuetudo nec accuſabit; nec excuſabit illum iuramentum ſic prolatum, quia re vera non influit in illud, ſed tantùm cõcomitanter ſe habet. Si autem inaduertentia, & præcipitatio actualis oriatur ex conſuetudine,licèt formaliter ſumpta; non ſufficeret ad peccatum mortale: ſed tamen aiunt importari ratione conſuetudinis: quia licèt illud iuramentum cùm profertur non ſit formaliter,& in ſe voluntarium; tamen voluntarium eſt in ſua cauſa , ſcilicet in conſuetudine , quam ſupponimus eſſe vo-
C luntariam , ſeu non retractatam. Hæc ſententia videtur eſſe Soti in lib.8. de iuſtitia, quæſtione 2.articulo 3.concluſione 7.& in libro de cauendo iuramentorum abuſu: ſed obſcurè loquitur. Tertia ſententia aſſerit, iuramentum prolatum ſine aduertentia formali,non eſſe in ſe nouum,& ſpeciale peccatum mortale, propter ſolam peierandi conſuetudinem , etiam non retractatam. Hanc ſententiam tenet Franciſcus Suarez in ſecundo tomo de Religione, lib.3. de iuramento, cap.7. & adducit pro ſe alios, ſed non ita clarè loquuntur,excepto Ioanne Maiore in 3. diſtinctione 39. quæſtione 4. qui plus videtur declinare in huius
D Autoris ſententiam. Quam probat primò, quia non obſtante conſuetudine præcedente non retractata, & habitu ex illa relicto; præſens conſideratio, & inaduertentia cum qua iuratur, inuincibilis eſt: ergo excuſat à nouo peccato mortali, non obſtante conſuetudine. Antecedens ſupponitur in caſu:aliàs manifeſtũ eſt,voluntariã inaduertentiã non excuſare, ſed accuſare, ſiue homo habeat conſuetudinẽ, ſiue non. Secundò,illa inaduertentia naturalis eſt,ſecundùm ſe conſiderata: ſed conſuetudo nõ facit illam magis voluntariam, quàm ſi non

Sotus. *Suarez.* *Maior.*

eſſet: ergo non facit illam magis culpabilem. Probatur minor, quia propter conſuetudinem nõ eſt homo magis potens ad aduertendum: ſed æquè naturaliter rapitur, & æquè deeſt illi medium, aut excitatiuum, quo ſe applicet ad aduertendum. Tertiò arguit contra rationem allatam à Caietano, dicente illam inaduertentiã, ſeu ignorantiam eſſe voluntariam, quia cõcomitans; ac ſubinde non auferre voluntariũ. Contrà: nam licèt ſit concomitans in ordine ad affectum habitualem operantis; tamen in ordine ad iuramentum ipſum antecedens eſt, quia inuolũtaria: ac proinde excuſat ſaltem à nouo peccato actuali. Quartò. Illa conditionalis, in qua maximè fundatur ſententia Caietani, & Nauarri, quod ſic aſſuetus ad iurandum, non minus iuraret ſi aduerteret; impertinens eſt ad actualiter peccandum per actum, qui de facto ſit ſine aduertentia. V.g. cõſueuit quis non ieiunare in diebus, quibus ieiunare tenetur; hodie verò inuincibiliter ignorauit eſſe diẽ ieiunij: non ideò committit nouum peccatum, quia ſi ſciret non ieiunaret; dicente D. Auguſtino contra Semipelagianos: *Nõ imputat Deus, quæ faceremus ſi hoc vel illud occurreret; ſed quæ facimus circa illud quod occurrit. Quod ſi non occurrat, nec ſe offerat memoriæ, aut ſcientiæ, cum qua peccaremus: gratiæ Dei imputandum eſt.* Item, qui in venatione, facta diligentia ſufficienti ad cauendum periculum occidendi hominẽ; nõ eſt reus actualis homicidij etiáſi ita ſit diſpoſitus in habituali affectu, quòd libenter occideret, ſi ſciret eſſe inimicum. Illa enim conditionalis non refert ad actuale peccatum, eo vel maximè quòd talis conditionalis eſt incerta, & vel ſoli Deo, vel nulli certò cognita: & non obſtante conſuetudine poſſet homo non iurare ſi aduerteret. Quintò arguitur contra ſecundam ſententiam. Ponamus (inquit) cauſam illius inaduertentiæ, & præcipitationis, eſſe conſuetudinem. Tunc ſic. Illa conſuetudo de facto tollit actualem vſum rationis per ſe neceſſarium ad peccandum mortaliter, vt ex hypotheſi patet: ergo iuramentum factum tali modo, non eſt nouum peccatum mortale. Etenim ſine actuali vſu rationis, non cõmittitur nouum pecatum mortale. Quod ſi reſpondeatur, ad peccatum ſufficere voluntarium in cauſa: illa autem inaduertentia eſt voluntaria in cauſa; & ideò nõ excuſat. Contrà, quia periurium prolatum ab ebrio, aut blaſphemia, licèt ſit volitum in cauſa, non eſt nouum peccatum actuale, nec addit ſupra ebrietatem nouam malitiam, præter eam, quæ in ſua cauſa eſt, vt tractatur 1. 2. q. 71. ergo, &c.

Auguſt.

Poſt multa meditata in re difficili, mihi placuit eligere ſecundam ſententiã, videlicet, quando conſuetudo influit, & cauſa eſt inaduertentiæ: tũc periurium ſubſequens, peccatũ mortale eſt. Secus ſi inaduertentia à conſuetudine non naſcatur. Explicatur hoc prænotando, periurium, imò quodcunq; peccatum mortale, vt tale dicatur, & ſit, debere eſſe electum à voluntate; & deliberatũ per collationem rationis, an expediat, necne? Quę deliberatio, aliquando moroſe, aliquãdo rapidiſsimè fit: aliquando actualiter, aliquando virtualiter. Secundò notandum, eũ qui conſuetudinẽ habet iurandi falſum, vel indiſcriminatim verum, & falſum, quã in ſe cognoſcit, & præuidet; interdum à conſuetudine, ſeu habitu iurandi moueri ad iurandũ, nullo habito delectu verũ, vel falſum iurandi: interdũ ab alia paſsione, v.g. iræ, aut odij, aut alicuius ſimilis: interdũ autem nulla paſsione, aut conſuetudine mouente, ſed mera obliuione naturali interueniente. Tertiò notandum; cum ſic aſſuetũ, aliquando iurare ſola prolatione iurandi, ſine animo iurandi, aut aliqua aduertentia quòd iurat: aliquando volens quidem iurare, ſed vno ex tribus excitatiuis præfatis mouente, lingua aſſueta iurare in verba iuratoria prorũpit: aliquando vero iurat quidem voluntarie, videns ſe iurare, ſed ſine aduertentia an falſum, vel verum iuret. His prænotatis

Dico primò. Qui aſſuetus eſt iurare falſum, vt plurimũ iurando ſine aduertẽtia, an iuret, vel an iuret falſum: peccat mortaliter. Prob. quia ille ſic aſſuetus iurare cõſuetudine nõ retractata, vt plurimũ mouetur, & quaſi excitatur à cõſuetudine iurandi, vt nulla facta collatione an iuret, vel an iuret falſum, in iuramẽta prorũpat: ſed inaduertentia cauſata à cauſa, vel habitu criminoſo, qualem ſupponimus in præſenti eã conſuetudinem; non poteſt ipſa crimine vacare: ergo iuramentũ illud falſum, neceſſe eſt eſſe peccatũ mortale, ſicut & ipſa conſuetudo à qua procedit. Etenim à principio peccaminoſo, effectũ peccaminoſum neceſſe eſt procedere. Maior prob. quia cũ illa cõſuetudo ſit indiuiduus comes hominis aſſueti ad iurandũ, & quaſi altera eius natura; nequit nõ inclinare ad id, cuius habetur cõſuetudo, ſaltẽ vt plurimũ, & ferè ſemper, ſicut in vniuerſum omnes habitus virtutũ, & vitiorum.

tiorũ. Secundò: quia illa ignorantia seu inaduertentia, in casu de quo loquimur, fere semper est concomitans ipsum actum iurãdi: ergo nõ excusat à peccato periurij, iuxta doctrinam Arist. in 3. ethico. *Aristot.*

Dico secundò. Quando præfata inaduertentia, & præcipitatio iurantis, non ex cõsuetudine, sed ex alia passione procedit: si ille passionis impetus peccaminosus est, periurium peccatum erit, iuxta qualitatem motiui: quod in solutione argumentorum amplius explanabitur. Et tunc periurium illud non adscribetur consuetudini: quia impertinenter se habet, & materialiter cõcomitans periurium ipsum. Hoc assertum constat ex dictis circa primum.

Dico tertiò. Quando inaduertentia iurandi falsum, non prouenit ex consuetudine, sed ex impetu naturali, aut obliuione inuincibili, rapiente linguam vt iuret: tunc periurium illud non est adscribendũ consuetudini: imò neque est dicendum esse peccatum mortale nouum, præter id quod fortasse præuisum est in consuetudine. Probatur: quia tunc ea inaduertentia naturalis omnino est, nec promanans à principio peccaminoso: ergo non erit periurium illud formale, neque peccatum mortale. Dixi, non esse peccatum mortale: quia si motus sit aliquo modo culpabilis per surreptionem inaduertentiæ, erit peccatum veniale. Et hoc est quod dicit Sotus vbi supra: *Potest contingere (inquit) in illo (assueto ad iurandum falsum) motus surreptitius, qui sic naturaliter linguam rapiat, vt culpam vel omninò tollat, vel venialem reddat.* Supererit igitur veritas secundæ sententiæ: consuetudinem aliquãdo, imò fere semper, facere vt periurium hominis assueti, sit peccatum mortale: & aliquando posse contingere vt non sit, vel si aliquod reperitur, cõsuetudini non adscribatur. *Sotus.*

Ad argumenta facta pro prima sentẽtia, quatenus intendunt probare, omnia periuria in homine assueto ad iurandum falsum, esse peccata mortalia; respondetur. Ad primum ex testimonijs Sanctorum, ea procedere quando causa peierandi est consuetudo, & vt plurimũ: iuxta dicta in priore assertione. Similiter interpretandi sunt Doctores Scholastici citati, excepto Maiore, qui vniuersalius videtur loqui: cuius sententiam non sequimur. Ad secundum ex ratione Caietani negatur antecedens, quando causatur ex consuetudine inaduertentia. Ad probationẽ dicemus statim: & examinabimus veritatem illius conditionalis assumptæ à Caietano.

Ad argumenta pro tertia sententia, quatenus aduersantur primæ assertioni, negatur antecedens, quando consuetudo influit in talem inaduertentiam. Tunc enim frequenter, & vt plurimũ, consuetudo peierandi, quæ vincibilis est, instigat linguam, vt sine vlla aduertentia ad periuria feratur. Ad secundum negatur maior in casu primæ assertionis. Similiter negatur minor, cuius probatio impertinens est ad illam probandam. Ad tertium respondetur, in casu primæ assertionis, illam inaduertentiam promanare à consuetudine voluntaria, ac subin de esse voluntariã. Et quando dicitur, ignorantiam antecedentẽ non causare voluntariũ: intelligitur de ignorantia naturali, non de voluntaria. Nam quando causa voluntaria est, & effectus inde sequutus voluntarius erit, vel in se, vel in sua causa: quod satis est vt ad peccatum imputetur. Secundò respõdetur, esse in casu primi asserti ignorantiam concomitantẽ, non solùm affectũ iurantis, sed & ipsum actum, vt circa solutionem ad quintum explicabo. Ad quartum, cùm nos non defendamus sententiam Caietani cum ea vniuersalitate, cum qua illam ipse tenet; non mirum neque defendere illam conditionalem, in qua ipsam fundat. Fortasse illa conditionalis posset accipi pro signo faciliratis peierandi in homine assueto.

Ad quintum vt respondeatur aduertendum est, hominem assuetum ad peierandum, quando consuetudo est causa periurij, dupliciter se habere posse. Vno modo cõsuetudine ita rapiente linguam, vt omninò vsus rationis impediatur, tam circa aduertentiam quòd iuratur, quàm circa aduertentiam quòd falsum iuratur: relicta sola attentione ad proferendum verba adiuratoria. Et huiusmodi prolatio, proprie & in rigore loquendo, non est iuramentum: quia non adest animus iurandi. Et de tali iuramento concedimus procedere argumentum quintum: & fatemur duntaxat esse voluntarium in sua causa, nempe in consuetudine, quæ facit vt ille sic iurans proferat quæcunque iuramenta in buccam venerint: ac proinde non imputari ad nouum peccatum, nec continere nouam malitiam, præter eam quæ præerat in causa, non multum dissimiliter à periurijs, quæ fiunt in ebrietate præuisa. Et huiusce modi voluntarium sufficeret ad verificandam secundam sententiam, quæ asserit, tale periurium esse peccatum,

ſiue nouum, ſiue antiquum, ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco. Nihilominus verè peccatum eſt, quidquid in oppoſitum dicat Vazquez in prima ſecundæ, & alij quos ipſe refert: cuius refutationem relinquo, quia non pertinet ad præſentem locum. Secundo modo, ille homo permanens in ſua conſuetudine præuiſa, & non retractata, poteſt ſe habere ita quòd conſuetudo non impediat vſum rationis, & voluntatis circa iuramentum: quia re vera aduertit ſe iurare, ſed conſuetudine iurandi verum, & falſum indiſcriminatim, non aduertit, vtrùm id quod iurat verum ſit, an falſum. Et tũc periurium prolatum eſt volitum non ſolùm in ſua cauſa, ideſt conſuetudine, ſed etiam in ſe & formaliter. Probatur: quia illud iuramentum eſt actus voluntarius & humanus, & ſolùm deficit aduertentia debita illi actui, vt ſit actus bonus, vel non malus: ergo non ſolùm in ſua cauſa, verùm etiam in ſe peccatum eſt, & periurium. Probatur conſequentia: quia ille actus formaliter habetur; & circunſtantia illi neceſſariò adiungenda, deficit: ergo nec malus eſt. Dices, circunſtantia non eſt volita in ſe. Negatur aſſumptum. Nam licèt non ſit volita formaliter, eſt tamen volita virtualiter. Etenim hoc ipſo quod vult iurare ille homo, vult apponere omnem circunſtantiam debitam actui iurandi, quam ſi omittat, omiſsio volita eſt, ſicut & ipſe actus: verbi gratia, tenetur quis recitare Officium diuinum; ſed videns ſe recitare, & volens recitare, non aduertit nec attendit ſufficienter ad orationem: ille actus recitandi in ſe malus eſt, propter defectum circunſtantiæ, quæ eſſet adiungenda recitationi, vt benè fieret. Sic pariformiter dicendum eſt de iuramento hoc ſecundo modo facto. Præterea, in hoc caſu clarũ eſt, inaduertentiam non ſolùm comitari affectum ſeu habitum peierandi, ſed etiam ipſum actum iurandi, ac proinde concomitàs eſt, quæ non tollit voluntarium ab actu; & propterea in ſe malus eſt, & peccatum, & nõ ſolùm ab extrinſeco, & per imputationem in ſua cauſa.

Vazquez.

Ex dictis infero, eum qui habet conſuetudinem iurandi falſum, vel quod in idem redit, iurandi indiſcriminatim verum, & falſum: eſſe in ſtatu peccati mortalis, propter periculum peierandi morale, quod certò incurritur, conſuetudine mouente vt plurimum ad peierandum, iuxta dicta in prima aſſertione. Nam quòd aliquando nõ influat ea conſuetudo, & non incurratur periurium, non excuſat à morali periculo peierandi, ſaltem in cauſa volita: ſicut ille qui habet conſuetudinem iaculandi incautè per nemora diſcurrens, non excuſatur à periculo homicidij, licèt aliquando non ſequatur. Quo fit, vt talem habens conſuetudinem, teneatur confiteri de illa, non ſolũ propter periuria commiſſa actualiter: verũ etiam propter periculum peierandi, volitũ in conſuetudine præuiſa, & non retractata. Nec benè excipit Sotus in dicta quæſt. 2. art. 3. & in dicto libro cap. 12. eum qui habet conſuetudinem iurandi, ſed non habet conſuetudinem mentiendi: quia (inquit) non ſe exponit periculo iurandi falſum. Negatur aſſumptum: quia conſuetudo iurandi indiſcriminatim ſine aduertẽtia, exponet periculo iurandi falſum, putando ſe dicere verum.

Soto.

DISPVTATIO IIII.

An iuramentum aſſertorium amphibologicum ſit periurium, aut alio modo peccatum?

AMphibologia in iuramentis cõtingit, quando iurans, verba iuratoria in alio ſenſu intelligit, quã alius audiens accipiat. Hoc autẽ varijs modis poteſt fieri. Primo, quando verba vtrumque ſenſum habere poſſunt in ſignificatione propria & vſitata, vt contingit in vocibus æquiuocis: vt ſi ille qui ſe ſimulabat diuinatorem, iuraret: *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.* Secundò, poteſt quis vti ambiguo ſenſu præter propriam ſignificationem verborum, ſubintelligendo, vel addendo aliquid quod mente ipſe concepit, licèt non exprimat voce. Exempla ponentur inferius. Præterea poteſt hæc verborum illuſio fieri ſine neceſsitate, & iuſta cauſa, vel ad decipiendum alium cum præiudicio illius, vel contra obligationem iuſtitiæ, vel ſolùm ioci gratia: vel fieri poteſt ex iuſta cauſa, & neceſsitate; quia vel iniuſtè compellitur quis ad iurandum, vel quia non poteſt aliter celare ſecretum, aut fugere importunas interrogationes.

In primis ſupponendum, his vti amphilogijs in iuramentis; non eſſe intrinſecè malum ex ſuo obiecto, neque periurium. Aſſertio communis eſt, & probatur: quia vſus iſtius amphibologiæ non eſt ſemper mendacium

August. dacium, vt latè Augustinus contra mendacium, præsertim à cap. 10. vbi varijs exemplis Sanctus id demonstrat: ergo neque si amphibologicæ istæ loquutiones iuramento firmentur, periurium committetur: etenim periurium de quo loquimur, est mendacium iuramento firmatum. Ad diuum Isidorum relatum in cap. *quacunque arte.* qui videtur dicere oppositum, iam respondi supra quæst. 89. art. 7. circa solutionem ad quartum: & ad Anastasium Nicenum similiter, cuius verba interpretanda sunt pie, non vt approbet aliquando licere mendacium; quod error manifestus est: sed vt moneat, non frequenter his vtendum iuramentis, vt nos etiam inferius dicemus. Hoc supposito

Dico primò. Quoties verba secundùm aliquem sensum, vel proprium, vel secundùm aliquam legitimam interpretationem intentum, proferuntur ex causa honesta: nec periurium committitur, neque vllum peccatum sic iurando, si adsint alij comites iuramenti. Huius rei multa exempla adducuntur à Couarrubias lib. 1. variarum, cap. 2. nos aliquot trita adducemus. Siquis promisit, aut contraxit exterius sine intentione promittendi vel contrahendi, & iniustè interrogatur à iudice sub iuramento, an promiserit vel contraxerit: simpliciter negare potest, quia potest habere legitimum sensum, scilicet non promisi promissione me obligante: & ex alia parte habet causam legitimam sic respondendi, quia aliàs, cū non possit probare defectum intentionis, condemnabitur ad soluendum quod non debet, vel ad cohabitandum cum illa, cum qua non contraxit. Hoc exemplum latè *Nauarrus.* prosequitur Nauarrus in cap. *humanæ aures.* 22. quæst. 5. Secundum, si quis mutuò accepit pecunias, & postea soluit; & ab eo iterum exigantur in iudicio, in quo probare non potest se illas soluisse: potest absolutè negare se illas accepisse, quia negatio illa de pecunijs non solutis intelligenda venit. Ita Couarrubias vbi supra. Tertium, si exēptus à gabella soluenda, interrogetur, an talem vel talem rem portet; potest absolutè negare cum iuramento; quia illa negatio, de debita gabella intelligenda venit, vt de *Sylvest.* Clerico dicit Sylvester verbo *mendacium.* quæst. 6. Quartum, de eo qui interrogatur: an reus isthac transierit: nam potest iurare non transisse hac, designando locum quem pede vel manu tangit. Quod de beato Fran- *Nauarrus.* cisco refert Nauarrus supra, & in Manua. cap. 12. num. 8. Item est aliud exemplum de illo qui interrogatur, an veniat de tali loco qui falsò putatur peste infectus: nam potest absolutè negare cum iuramento, propter eandem rationem. Ita Sylvester verbo *Sylvest.* *iuramentum.* 3. quæst. 2. in fine. Et idem dico de iuramentis amphibologicis, quibus interrogantur rei vel testes contra ius. De quo latè supra quæst. 69. Hæc assertio clara est, quando exterior oratio, sine vlla additione vel conditione verbis non expressa, multiplicem sensum reddere potest. Et ratio est aperta: quia tunc oratio in rigore, in vno sensu per illam significato verificatur: ergo qui in illo sensu illam iurat, nec mentitur, nec est periurus, etiamsi sciat alium intellecturum verba in alio sensu, & fore decipiendum: quia aliud est quod audiens intelligit, aliud est quod loquens dicit. Imò si honestam causam habeat sic loquendi, & iurandi; per se loquendo, nō peccabit permittendo alium decipi: quia non tenetur homo semper vitare deceptionem alterius, quam re vera ipse non facit, sed alius se ipsum decipit.

Sed maior difficultas est, quando amphibologia in solis verbis externis nō cōsistit, sed necesse est aliquid mentale subintelligere, vel superaddere, vt verum sensum efficiant: verbi gratia, dicit aliquis: non comedi obsonium tale; & interius subintelligit, hodie. Caietanus supra quæst. 89. art. 7. *Caietanus;* circa ad quartum expresse tenet, non esse licitum hac vti amphibologia: sed si oratio exterior falsa est, & adhibita limitatione, vera, & iuramento confirmetur, periurium committit: quia restrictio mente concepta, non obstat, quominus oratio exterius prolata, falsa sit. Idem dicit Aragon ibidem, & *Aragon.* Soto libro 5. de iust. quæst. 6. art. 2. *Sotus.*

Contrariam sententiam acerrimè tuetur Nauarrus in dicto cap. *humanæ aures.* & ca. *Nauar.* *inter verba.* concl. 6. corol. 65. à num. 398. & in Manu. cap. 12. num. 9. & 19. & cap. 68. num. 61. & cap. 25. num. 43. & idem videtur tenere Sylvester verbo, *iuramentum.* *Sylvester;* 4. quæst. 7. Angelus, *iuramentū.* 4. in princ. *Angel.* & 5. num. 9. Tabiena eodem num. 14. & *Tabiena;* alij. Censent, mulierem quæ per ex communicationem cogitur accedere ad virum, quem certò scit non esse suum propter occultum impedimentum irritans; posse iurare se accessuram ad illum, subintelligendo mente, si licitè potuero: & in hoc non mentiri, nec peierare. Hanc eandem sententiam nouissimè tenet Fracisc̄us Suarez *Suarez;*

in

in ſecundo tomo de Religione, de iuramento, 3. lib. cap. 10. & adducit pro ſe Sotum vbi ſupra, dicentem eſſe licitum alicui, iurare ſe neſcire quod reuelare nõ poteſt; ſubintelligendo, neſcio vt tibi dicam. Suadetur hæc ſententia Nauarri, & Suarez ex modo loquendi Chriſti Domini, Marc. 13. *De illo die nemo ſcit, &c. neque filius.* Qui locus exponitur cõmuniter, ſubintelligendo aliquid, ſine quo non redderet verũ ſenſum: v.g. neque filius ſcit, vt reuelet: vel nõ ſcit à ſe, vel non ſcit ab humanitate, aut aliquid ſimile. Et Ioan. 7. Chriſtus dixit fratribus ſuis: *Ego non aſcendam ad diem feſtum iſtum*: & tamen paulò poſt refertur aſcendiſſe. Vbi neceſſe eſt aliquid ſubintelligi: quia Chriſtus non ignorabat quid eſſet facturus. Subintelligitur ergo: vel non aſcendam vobiſcum, vel non publicè ſicut ſoleo. Secundò arguit Nauarrus in dicto capite *humanæ aures*. Sicut datur oratio purè vocalis, purè ſcripta, & purè mentalis: ita poteſt dari oratio mixta, ideſt, compoſita ex terminis vocalibus, & mentalibus. Ergo veritas talis orationis mixtæ, non eſt penſanda ſecundùm vnam vel aliam partem: ſed ſecundùm integrum ſenſum, qui ex tota oratione ſic integra reſultat, ac proinde falſitas non eſt ſumenda ex ſola voce, vt Caietanus, & alij cenſent.

Marc. 13. *Ioan.* 7. *Nauar.*

Nihilominus dico ſecundò. Qui iurat aliquam enuntiationem, cuius verba non admittunt multiplicem ſenſum explicitè, aut implicitè, ſed vnum tantùm falſum; & mentitur, & periurium committit: quamuis apponendo mentaliter aliquid quod per propoſitionem non ſignificatur, verus ſenſus redderetur: verbi gratia, ſi quis iuraret, Deus non eſt: ſi ſubintelligeret mentaliter, beſtia, aut Angelus; periurus eſſet. Conſultò dixi, cuius verba non admittunt multiplicem ſenſum explicitè, aut implicitè: quia ſignificatio propoſitionum in moralibus, expendenda eſt pro qualitate negotiorum, perſonarum, &c. Verbi gratia, ſi quis interrogetur ſub iuramento de crimine quod reuelare non poteſt; & iuret ſe neſcire: verum iurat, & verba illa eam veritatem ſignificant implicitè, eo quod nec interrogator interrogare poteſt, nec reſpondens reſpondere tenetur, niſi de eo quod iurè interrogatur. Quare verba illa in hoc caſu & ſimilibus, eam ſignificationem habent, & debent habere. Idem dico, ſi iniuſtè interrogetur, an hoc vel illud fecerit, vel audierit? quidquid trepidet

A

B

C

D

Sotus vbi ſupra. Concluſio ſic explicata probatur, quia teſte diuo Paulo ad Hebr. 6. iuramenta fiunt ad confirmandam veritatem iuratam in animis audientium: ſed hoc nequit fieri per ſigna mentalia: imò neque per ſigna mixta ex mentali & vocali; quia homines, quibus iuramus, non valẽt de ſignis mentalibus iudicare: ergo ſi in ipſa verborũ ſignificatione explicitè aut implicitè cõtinetur falſitas, & dumtaxat facta aliqua additione mentali ſit veritas; iuramentũ de re falſa erit, eo quod per ſigna mentalia nõ colloquimur hominibus, nec illis iuramus. Et idem dico quando iuratur propoſitio, cuius vna pars altè proferatur, & alia ita ſubmiſsè vt non poſsit audiri à circunſtãtibus: quia eadem ratio eſt, atque ſi vna pars ſit vocalis, altera mentalis. Secundò: quia admiſſa ſententia Nauarri, innumera enormia iuramẽta admitterentur: verbi gratia, ſi quis iuraret Chriſtum non eſſe mortuum: & mente conciperet hanc limitationem, ſecundùm diuinitatem. Item, ſi quis iuraret Chriſtum non extitiſſe in Hieruſalem, & mentaliter adderet: quando in Iordane baptizabatur, & ſimilia. Tertiò: quia ea opinione admiſſa, nullum eſſet colloquium certum inter homines; nullum eſſet iuramentum cui fidendum eſſet: quia quilibet verbo, & ſcripto poſſet loqui, & ſcribere, imò & iurare quæ vellet, concipiendo mente ſenſum, quem verba ſecundùm aliquam ſignificationem non faciunt: quod eſt contra fidem humanam. Nec minus nocet conuictui, & ſocietati hominum, quàm apertum mendacium. Dicent oppoſitæ ſententiæ autores, hanc licentiam non eſſe vſurpandam, niſi ex iuſta cauſa, & neceſsitate. Contrà, quia ſi illa copulatio ex voce, & conceptu cõpoſita, eſt mendacium citra neceſsitatem; etiam erit mendacium cum neceſsitate: quia propter iuſtum finem, non deſinet eſſe mendacium.

ad Hebr. 6.

Ad argumenta facta pro ſecunda ſententia reſpondetur. Ad primum ex exemplis pro illa allatis reſpondetur, in pluribus illorum, ſi attentè inſpiciantur, verba externa implicitè reddere ſenſum iuratum, propter circunſtantias, & qualitatem perſonarum, & negotiorum: v.g. ſcholares qui iurãt ſe non fuiſſe loquutos cum oppoſitoribus, etiamſi verè fuerint loquuti; non tamen de illis rebus, quæ ad ſubornationem ſpectant, vel ſtatutis prohibentur: quia in iis negotijs verba, & interrogationes

hoc significant, & significare debent. Et Sotus, & Caietanus, & alij pro sententia Nauarri allegati, non sunt ei. Nam quamuis vtantur hac voce: subintelligitur hoc vel illud, vt fiat verus sensus: non negant, eas limitationes in significatione saltem implicita vocum comprehendi: sed vtuntur illo verbo, ad exprimendam significationem implicitam vocum, non vt addant aliquam limitationem mentalem, quæ in ipsa vocum significatione non includatur. Dicet quispiam, hoc ipsum asserere secundam sententiam. Respondetur: Ego amo cõuenientiam, & concordiam opinionum: quare si ita sentiunt, ego libenter eam amplector. Sed re vera magna est differẽtia: quia expresse asserunt autores secundæ sententiæ, non esse mendacium neque iuramentũ falsum, dummodo limitatio mentalis concepta, addita significationi vocali, congruũ & verum sensum efficeret, ac si significaretur per verba. Ego verò dico hoc esse falsum, nisi ea locutio aliquo modo pro qualitate negotiorum in verbis comprehendatur. Ad aliud argumentum ex testimonijs sacræ Scripturæ respondetur. Ad illud Marci 13. ex officio, & more Christi Domini, qui non omnia quæ sciebat reuelabat, neque æquum esset reuelare, verba illa essent intelligenda secundum implicitam significationem, continentem eam limitationem, vel similes. Idem respondetur ad locum Ioan. 7. quia loquebatur de ascẽsione solita cum propinquis, & cognatis. Et sic verba ipsa deberent intelligi, etiam nulla addita limitatione mentali.

Ad secundum Nauarri respondetur negando primam, & secundam consequentiam, si semel sit de falsitate aut veritate, quæ iuramento apud homines firmatur: nam erga illos non est periclitanda veritas ex signo mentali, quod nullius momenti est apud homines, quibus non colloquimur per conceptus; sed ex signis vocalibus, & scriptis, quibus mediantibus cum hominibus conuersamur.

Ex his colligo non esse veram doctrinã Glossæ in cap. *neque*. 22. quæst. 2. videlicet quòd quando quis interrogatur, an Petrus sit domi: & respondet, non est hic; subintelligendo, ia est, non comedit hic, verum dicit. Reputo, inquam, hoc falsum, alias vix possent homines coargui falsitatis, addentes in mente has, & similes limitationes. *Glossa.*

Dico tertiò. Quando quis vtitur iuramento amphibologico, cuius amphibologia in ipsa verborum significatione includitur; si ex causa iusta aut necessitate illud iuramentum fiat, non est dicendum periurium, imò neque mendacium, etiamsi audiens decipiatur, non intelligens iuramentum in sensu à iurante intento. At verò si enitatur tale iuramentum amphibologicũ in alio sensu non comprehenso ab audiente, sine causa iusta aut necessitate, existimo esse mendacium ac periurium. Hæc assertio quoad omnes suas partes videtur esse diui Thomæ supra quæst. 89. articu. 7. ad quartum sic dicentis: *Ad quartum dicẽdum, quòd quando non est eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, si hoc prouenit ex dolo iurantis* (verbi gratia, per iuramentum amphibologicum sine causa vrgente emissum) *debet iuramentum seruari secundùm sanum intellectum eius cui iuramentum præstatur. Vnde Isidorus dicit: quacumque arte verbotum quis iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita accipit, sicut cui iuratur intelligit. Et quòd hoc intelligatur de iuramento doloso patet per id quod subditur: dupliciter reus fit, quia & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit.* En secundam partem assertionis: *si autẽ iurans dolum non adhibeat* (quod fit in iuramento amphibologico ex causa iusta aut necessitate) *obligatur secundùm intentionem iurantis*. Ratio vtriusque partis nostræ assertionis est: quia proferens verba amphibologica ex causa iusta, vtitur iure suo, & non seducit proximum, sed ipse se seducit. At proferens eadem sine causa seducit proximum dum vtitur verbis amphibologicis, contra simplicitatem loquutionis, sine vrgente causa. Deinde probatur hæc secunda pars in qua est difficultas; ex Augustino de confil. vir. & vitio. cap. 19. vbi fallaciam ponit in amphibologia, nimirum sine causa. Præterea in cap. 1. 22. q. 2. ait, periurium esse nequiter decipere credentem: quod certè contingit in iuramento amphibologico sine causa emisso. Demum, simulatio sine causa iusta, quidam genus mendacij est: sed amphibologia sine causa est vitium simulationis: ergo illa vti, mentiri est: & consequenter, illam iuramento firmare, periurium est. *D. Thom.* *Isidorus.* *August.*

Contra secundam partem assertionis arguitur. Qui sic loquitur & iurat, non intendit falsum dicere vel iurare, vt supponitur; & id quod dicit non est omnino falsum, sed aliquem sensum verum habet, quem ipse intendit, & profert: ergo in rigore nec mentitur, nec peierat. Confirmatur: quia per-

periurium de quo loquimur, eſt mendaciũ iuramento firmatum: ſed ſic iurans amphibologicè ſine cauſa, nec intendit dicere mẽdacium, nec illud iurare, ſed verum ſenſum amphibologicum: ergo nec agit contra mentem, quod eſt mentiri, nec iurat illum ſenſum falſum, ſed verum.

Suarez. Propter hæc & ſimilia argumenta Suarez vbi ſupra cap. 11. cenſet, eum qui ſine cauſa rationabili vtitur iurando ſenſu amphibologico vero, non mentiri, neque peierare. Et ait, huiuſmodi loquutiones non repugnare veritati, & fidelitati humanæ, per defectum veritatis, vel per falſitatem; ſed per nimiam occultationem veritatis reuelandæ, & per quandam circunuentionem doloſam, quæ licèt ſine riguroſo mendacio fiat, ſimplici veritati contraria eſt: ergo illud eſt aliud genus peccati: adiungere verò iuramentum eſt clara irreligioſitas, quia eſt ſumere nomen Dei in vanum, non tamen eſt in rigore periurium.

Sed oppoſita ſententia magis ad mentem diui Thomæ, & Iſidori eſt, quæ ob id nobis magis placet. Et confirmatur: quia aliàs vti hac amphibologica loquutione, aut iuramento, nunquam eſſet peccatum mortale, niſi propter ſcandalum, vel ratione alicuius nocumenti grauis, quod ex amphibologica illa loquutione proximo emergit. Conſequens eſt falſum: ergo. Sequelam præfatus autor admittit. Sed probatur minor: quia iuſtè interrogatus à iudice, ſi vteretur illo amphibologico iuramento, condemnatur communiter vt mendax, & reus periurij, etiam citra ſcandalum, & nocumentum proximi. Et pro ſolutione argumenti in contrarium notandum, non ſolùm argui mendacij, qui expreſſe, & clarè profert falſitatem; ſed etiam qui profert ſenſum falſum, quem tenebatur proferre ſincerè, & ſine duplicitate, quamuis proferens non habeat animum dicendi in eo ſenſu quem tenebatur ſequi: quia hoc ipſo quòd profert, in eo ſenſu debito tenetur proferre, non diuertendo ad alium ſenſum verum. Idem dicendum eſt in iuramento. Et quòd animus dicendi vel iurandi in alio ſenſu, non auferat malitiam mendacij aut periurij, patet in eo qui iurat aliquem ſenſum falſum, ſed adhibita limitatione mentali diſparata, & incongrua cum verbis prolatis: verbi gratia, ſi quis iuret ſine cauſa rationabili ſe non ſcripſiſſe epiſtolam, & adiungat mentaliter, quando dormiebat. In quo caſu & ſimilibus, nullus ſanæ mentis videtur poſſe excuſare eum ſic iurantem à mendacio, & periurio: quamuis non intenderit iurare eum ſenſum, quem verba ſignificant, ſecluſa limitatione illa mentali incongrua. Igitur ad argumentum, admiſſa maiori propoſitione, quæ poſſet negari, eo quod hoc ipſo quòd iurat tenetur habere, & habet implicitè animum iurandi propoſitionem in ſenſu debito: admiſſa inquã maiori negatur minor: quia licèt ipſe non intendat illum ſenſum falſum dicere, cùm tamen debeat ſuum animum ſenſui debito applicare, & ille falſus eſt; illum citra dubium dicit & iurat. Ad confirmationem ſimiliter reſpondetur negando minorẽ: quia mendacium non ſemper penſatur ex mente, & animo expreſſo dicentis, ſed ex eo quem tenebatur habere, & re vera habet implicitè, hoc ipſo quod verba profert, quæ illo ſenſu pollent.

DISPVTATIO V.

An iuramentum, cui deeſt iudicium vel iuſtitia, ſit mortale peccatum, non ſolùm ex genere, verum etiam in indiuiduo?

PRo certo ſtatuendũ eſt ex dictis in tertio articulo, ex defectu cuiuſuis comitum iuramenti committi aliquod peccatum, & ex ſuo genere graue, vt docui circa primum articulum, ſecundum, & tertium. Modò dumtaxat dubitatur, quando ſolùm defectus eſt in iudicio vel iuſtitia, an ſit peccatum mortale in indiuiduo? Nam quid dicendum ſit quando defectus eſt in veritate; nuper docebamus. Et videtur vera pars affirmatiua. Primò: quia iuramentum ſine iudicio, ideſt ſine neceſsitate, vanum dicitur: ſed vanũ iuramentũ grauiter reprehẽditur, Exod. 20. *Non habebit inſontem Dominus qui aſſumpſerit nomen eius fruſtra.* Secundò: quia non apparet quæ leuitas materiæ, aut alia circunſtãtia reperiatur in hiſce iuramẽtis, ratione cuius dicantur eſſe leuioris grauitatis. Imò iuramentum incautum cui diſcretionis comes deeſt, graue peccatum eſt, ratione periculi peierandi: ergo. *Exod. 20.*

Dico primò. Iuramentum cui non deeſt veritas, ſed ſolùm iudicium, ideſt neceſsitas vel vtilitas iurandi, nunquam eſt peccatum mortale in indiuiduo, dummodo abſit

abſit contemptus. Aſſertio clara, & cõmunis eſt, & probatur: quia tunc non adducitur Deus in teſtem falſitatis: ergo ex hac parte non fit Deo iniuria. Quòd verò autoritas interponatur ad confirmandam rem veram leuem, aut parui momenti; non eſt grauis irreuerentia: ergo ex paruitate materiæ, ſemper eſt peccatum veniale. Antecedens patet: quia nulla ponitur in Deo, aut aliquo eius attributo macula: ſicut quando adducitur in teſtem falſitatis. Dices: fit contra diuinam maieſtatem; dum ad res parui aut nullius momenti confirmandas, ſuprema veritas adducitur. Et confirmatur, nam grauiſsimis perſonis, vt Regibus, & Principibus, fit grauis iniuria ſi ad leuicula confirmanda adducantur in teſtes; nedum Deo, cuius autoritas, & maieſtas omnes mundi Principes infinitum exuperat. Reſpondetur: non negamus aliquo modo fieri contra Dei autoritatem: & ob id peccatur in hiſce iuramentis. Non tamen fit contra eam quaſi conuellendo eam in ſe, ſicut labefactaretur eius veritas, mentiendo cum iuramento: ſed dumtaxat non tractatur eius autoritas cum debita reuerentia: quod non ſemper ſufficit ad peccatum mortale, inſtar eius qui orat ſine attentione; qui contra Dei reuerentiam agit, ſed hoc leuis eſt culpa. Ita dico de iurantibus ſine neceſsitate; at verò cum veritate. Ad confirmationẽ reſpondetur ſolùm probare, hanc irreuerentiam ſeu iniuriam eſſe altioris ordinis, quàm ea quæ in ordine ad homines reperitur: nec etiam in humanis grauis iniuria fit, eos adducendo in teſtes leuiculorum. Accedit, quòd in iuramento aſſertorio, cui non deeſt veritas, non adducitur ipſa perſona Dei ad teſtificandum; ſed ſolùm inuocatur, & offertur quantum eſt ex parte hominis: quod non mediocriter leuiorem facit offenſam. Poſita eſt exceptio in aſſertione, niſi adſit Dei contemptus, quæ clara eſt: quia leuia peccata grauiora fiunt ex contemptu, maximè ſi Dei ſit. De quo in materia de legibus. Dicet aliquis, omne iuramentum vanum continere contemptum Dei, dicente *D. Thom.* diuo Thoma in articulo tertio huius quæſtionis. Reſpondetur. Diuus Thomas loco citato ſolùm conatur probare, periurium eſſe mortale ex genere ſuo: non verò loquitur in indiuiduo. Vnde & concluſit, omne periurium ex ſua ratione, ideſt ex genere ſuo eſſe mortale: quia includit Dei contemptum; aſſertorium, contemptum formalem; vanum verò, materialiter: quia vt dictum eſt, non contemnitur Deus ipſe in ſe, neque in aliquo eius attributo, ſed irreuerentia exigua illi irrogatur; & hoc non eſt formaliter contemni. Nos verò in aſſertione loquimur de contemptu formali.

Secundò dico. Iuramentum aſſertorium, cui deeſt comes iuſtitiæ dumtaxat, ſed non veritas, peccatum veniale eſt, niſi aliunde vitietur. Hæc aſſertio probatur ſicut præcedens: quia hic defectus non euacuat directè finem iuramenti, nec facit Deum teſtem mendacij, ſed ad ſummum facit teſtem rei prauæ & indecentis: quod per ſe non eſt grauis iniuria.

Sed quid ſi ipſa narratio iurata ſit peccatum mortale; vt ſi quis narret cum iuramento peccatum mortale infamando proximum, vel complacendo in illo? Sotus dicta quæſtione prima ad tertium videtur aſſerere, eſſe grauem Dei irreuerentiam, adducendo illum in teſtem turpis aſſertionis: fortaſſe conſiderata præciſe ratione iuramenti, quæ eſt teſtificatio veritatis, ſiue ſit mala, ſiue bona; leuis iniuria committitur. Secus ſi ipſum iuramentum aſſumitur vt inſtrumentum peccandi: vt ſi quis infamet proximum narrando veritatem occultam; & vt credibilior fiat infamia, iuramento firmet: quia tunc probabile cenſeo, Deo inferri grauem iniuriam. *Sotus.*

Ad argumenta poſita in principio diſputationis reſpondetur. Ad primum ex loco Exodi, ibi prohiberi iuramentum falſum: imò multi exponunt: *Non aſſumes in vanum*, id eſt mendaciter. Ad ſecundum iam oſtendimus quomodo leuis irreuerentia ſit, quando ſine falſitate, ſed vanè iuratur; leuis inquam materia proxima, & imbibita in ipſa peierandi ratione. Ad illud de periculo quod incurritur in iuramento incauto, ſuperius multa dixi. Modò verò pro ſolutione argumenti breuiter dico, in iuramento incauto, & temerario deeſſe præcipuum comitem veritatis, propter periculum iurandi falſum. Vnde nihil contrà noſtras aſſertiones, quæ ſolùm procedunt quando non deeſt veritas, neque incurritur periculum deficiendi in veritate.

DISP.

DISPVTATIO VI.

An iuramentum promissorium sine veritate emissum semper sit peccatum mortale?

DIximus in præcedenti disputatione, iuramentum quodcunq; cui desunt duo comites, videlicet iustitia, & iudicium, non esse semper peccatum mortale. Modò verò inquirimus: An promissorium, cui deest tertius comes, scilicet veritas, semper sit peccatum mortale? Cùm autem in promissorio possit veritas deesse, vel in emissione, quia deest intentio; vel in obseruatione, quia non seruatur: de priori agemus in hac disputatione; acturi de posteriori in disputatione immediatè sequenti. In hac autem præmittendum est, veritatem deesse in emissione iuramenti, quia intentio deest: & hic defectus potest esse in intentione iurandi, vel promittendi, vel se obligandi, aut implendi promissum. His suppositis

Dico primò. Iurare exterius sine intentione iurandi; ex suo genere est peccatum mortale contra Religionem, & contra secundum præceptum Decalogi. Conclusio communis est Theologis in tertio distinctione 39. & Caietano, Soto, & alijs interpretibus diui Thomæ supra quæstion. 89. articulo 7. Couarrubi. 1. parte. §. 5. numero secundo. Probatur: quia talis iurandi modus è regione opponitur fini principali iuramenti, qui est pacta, fœdera, & verba confirmare: & illum totaliter euertit. Nisi enim teneantur homines graui obligatione, ad habendam talem intentionem; prorsus obruitur iuramenti fructus, & securitas, quæ in obligatione religiosa iuramenti cum intentione iurandi fundatur. Confirmatur: quia non mediocris irreuerentia Deo fit, quòd quis vtatur suo nomine ad decipiendum alios, iurando exterius sine intentione iurandi. Quòd verò sit cõtra secundum præceptum Decalogi, de non assumendo nomen Dei in vanum; probatur: tùm quia finis talis assumptionis eneruatur: tùm quia quid vanius quàm proximum tali fuco decipere? Hæc assertio non solùm in iuramento promissorio, verùm etiam in assertorio procedit, siue verum siue falsum iuretur: licèt grauius sit falsum sine intentione iurare, quia fictio intentionis, ad falsum corroborandum tendit. Obijciet quispiam: huiusmodi iuramẽta sine intentione, non sunt vera iuramenta vt supra docuimus: ergo neque sic iurantes, periuri. Respondetur. Sunt hæc iuramenta periuria apparentia: sed hæc fictio valde iniurioſa Deo est, & societati humanæ pernicioſa: & ideò peccatum graue ex genere suo, & contra Religionem: quia aduersatur fini Religionis, vt dictum est; & interdum potest esse peccatum cõtra iustitiam, vel fidelitatem debitam homini. Sed inquies. Execrationes, & maledictiones, quæ fiunt sine intentione, vt si dicas, Deus me destruat, vel quid simile, non est peccatum mortale: ergo neque iurare sine intentione iurandi. Negatur consequentia: quia præfatæ execrationes fiunt ad operãdum, non ad testificandum: & in his non interuenit grauis Dei iniuria, neque nocumentum proximi.

Dubium. Demum, circa istam assertionem dubitatur: An aliquando iurare exterius sine intentione iurandi, sit peccatum veniale: verbi gratia, quando iuramentum iniustè exigitur, vel quoties voluntariè & sine obligatione, vel sine nocumento aut iniuria proximi? *Caietanus.* Caietanus vbi supra ait, semper esse peccatum mortale, quia ea fictio est quædam illusio diuini nominis, & contraria primario fini iuramenti. *Couarub.* Idem asserit Couarrubias supra numero tertio. *Sotus.* Nihilominus ego magis adhæreo Soto, & alijs multis mitiùs loquentibus, esse dumtaxat peccatum veniale in his, & similibus: quia ibi non interuenit iniustitia proximi, nec grauis irreuerentia Dei. Etenim eo modo quo nomen eius assumitur (licèt in vanum) ad veritatem affirmandam assumitur: & ideò non est grauis irreuerentia Dei, nec ratione materiæ, nec ratione modi; sicut dicere solemus de eo qui orat sine attentione. Neque finis iuramenti grauiter læditur, quia per illud non obruitur veritas dictorum. Quod dixi in hac assertione de iuramento sine intentione iurandi, intelligendũ puto de iuramẽto cũ intentione non se obligandi, si tamen iurans habet intentionem iurandi: quia intentio se obligandi inseparabilis est ab intentione iurandi. Ergo qui iurat sine intentione se obligandi, si non excusetur ignorantia inuincibili, perinde peccat ac si iura-

iuraret exterius sine intẽtione iurandi. De quo aliàs latius me dixisse memini. A

Dico secundò. Iurare etiam cum intentione iurandi, & non seruandi quod iuratum est, semper est peccatum mortale. Probatur: quia malitia horum iuramentorum, ad malitiam iuramenti assertorij falsi pertinet: qui enim sic promittit, eo ipso mentitur: ergo si iuramentum addat, est statim periurus asserendo falsum; atque adeò in quacunque materia siue graui, siue leui, peccat mortaliter. Obijciet quispiam multa iuramenta, quæ passim fiunt sine intentione implendi rem iuratam: quæ peccati mortalis condemnare, nimis rigidum esset: verbi gratia, parentum, vel dominorum B qui filijs, vel seruis pœnas comminantur: & interdum sub iuramento solent eis munuscula promittere, sine animo implendi. Item quædam verba ad vrbanitatem spectantia, vt cum aliquis vt alteri deferat, iurat non ingredi nisi alter præcedat, & similia, quæ postea non implent. Præterea, iuramenta quæ per iocum fiunt sine animo implendi: quæ esse peccata venialia sentit Glossa in cap. *Vnum*. §. nunc in finem. versiculo iuramentum, 25. distinct. Hæc & similia autores omnes à peccato mortali excusant: quia licèt fiant cum intentione iurandi, non tamen absolutè, sed cum aliqua subintellecta conditione: videlicet si hoc vel illud feceris; si consentias, aut si non nimis repugnaueris; vel si aliud magis expedire iudicauerim, vel quantum in me est, vel si alteri non fuerit ingratum, vel quid simile. *Glossa.* C

Contra eandem conclusionem se offerunt iuramenta amphibologica promissoria, quæ fiunt sine intentione implendi rem iuratam. Respondetur: si licitè fiant (de quo supra disputatione quarta) non est necesse, vt polleant intentione iuxta mentem eius cui iuratur: sed satis erit vt fiant iuxta intentionem licitam iurantis. Sed quid si fiant illicitè, sine intentione D debita ei cui iuratur? Respondeo, esse peccata mortalia. Iuxta quæ regulandæ sunt multæ promissiones iuratæ, vt in sponsalibus, & alijs contractibus iuratis, & similibus: quibus applicanda est doctrina præfata.

DISPVTATIO VII.

An transgressio iuramenti promissorij possit esse veniale peccatum ex leuitate materiæ?

DIxi in præcedenti disputatione quale peccatum sit defectus primæ veritatis in iuramento promissorio, id est, defectus intentionis: nunc superest edicere, quale peccatum sit defectus secundæ veritatis, id est, impletionis promissionis iuratæ.

De hac re tres reperio sententias. Prima asserit, violationem iuramenti promissorij in omni materia, siue graui, siue leui, semper esse peccatum mortale. Ita Gabriel in 3. d. 39. quæst. 2. conc. 4. & 7. Armilla verbo *iuramentum*. num. 12. Lessius, lib. 2. ca. 46. Videtur fauere Caietanus in Sũma verbo *periurium*, vbi sine distinctione affirmat, hoc periurium esse peccatum mortale. Fundamentum huius sententiæ est: quia quotiescunque iuramentũ promissorium obligans violatur, efficitur Deus testis falsitatis, quãtũ est ex parte violantis illud: ergo semper Deo grauis irrogatur iniuria, etiãsi in re parua falsitas sit. Antecedens probatur: quia homo adduxit Deum in testẽ suæ promissionis, & assertionis de futuro: & postea vult eam facere falsam, cum teneatur facere verã: ergo quãtũ est in se, volũtariè facit vt Deus sit testis falsitatis. Confirmatur: quia ob id periuriũ assertorium in quacunque materia est peccatũ mortale, quia adducẽdo Deum in testẽ falsæ propositionis de præsenti, aut de præterito; ipso facto protestatur iurans, Deum esse testẽ falsitatis. Sed idem præstatur adducendò Deũ in testẽ propositionis falsæ de futuro: ergo pari ratione, semper erit peccatum mortale. Secundò, quia per violationem iuramenti promissorij grauissimè lædítur finis iuramenti, qui est promissæ veritatis confirmatio. Quia si Dei testimonium posset vel in minimis deficere; parum confirmaret quamcunq; promissionem. Hæc autem confirmatio est iuramẽti finis: ergo graue peccatum est, ipsum de medio tollere. *Gabriel.* *Armilla.* *Lessius.* *Caietanus.*

Secũda sentẽtia absolutè docet, posse in hac materia dari trãsgressionẽ iuramẽti venialem ex paruitate materiæ promissæ, siue materia illa sit tota materia promissionis, siue non. Ita diuus Antoninus 2. parte tit. 10. *Antonin.*

Syluester. cap. 4. §. 1. Syluester verbo *iuramẽtum*. 4. quæſt. 1. *Angel.* Angelus, *iuramentum*. 5. num. 41. *Sotus.* Soto, lib. 2. de iuſt. quæſt. 4. art. 3. circa finem, & lib. 8. quæſt. 1. art. 7. & quæſt. 2. art. 3. *Nauarrus.* Nauarrus in manuali cap. 12. & reuocat priorem ſententiam, quam prius aſſeuerauerat: & ex modernis ferè omnes diſcipuli D. Thomæ.

Tertia ſententia ſub diſtinctione procedit, nam vel parua res eſt tota materia iuramẽti promiſſorij, vel eſt dũtaxat quædam pars minima integræ materiæ grauioris. Si in priori caſu contingat tranſgreſsio iuramenti promiſſorij; aiunt autores iſtius ſententiæ, eſſe peccatum mortale, iuramentũ non implere: quia fit omninò vanũ, & falſum, vt probant argumenta pro prima ſententia. In poſteriori autem caſu (aiunt) dari poſſe peccatum veniale ex paruitate materiæ omiſſæ. Et rationem reddunt huius poſterioris partis: quia leuis defectus in partiali materia, non videtur facere aſſertionẽ vel promiſsionem falſam ſimpliciter loquẽdo, & humano ac morali modo. Vt ſi quis iurauit dicere pſalterium, & vnum aut duos Pſalmos prætermittat: non debet cenſeri infidelis in promiſsis, neq; falſum dixiſſe. Idem erit ſi quis iurauit, nõ luſurum, & per paucum tempus, & in parua quantitate ludit: nam ibi materia integra eſt nunquã ludere: & reſpectu illius, hoc parum pro nihilo reputatur. Præcipuus patronus huius ſententiæ eſt Caietanus ſupra quæſt. 89. ar. 7. ad primum. ſequitur Couarrubias, 1. variarum cap. 1. num. 2. *Caietanus. Couarr. Corduba. Philiarch.* Corduba in Summa Hiſpana, quæſt. 188. Philiarchus tom. 1. lib. 3. cap. 3. de offic. Sacerd. Inter tot graues autores arbitrum ſedere, difficile eſt: dicam tamen quid ſentio.

Dico primò. Prima ſententia eſt probabilis, & fundamentum illius neruoſum, & quod non parum vrget.

Dico ſecundò. Tertia ſententia mihi falſa videtur: quia immeritò diſtinguit inter materiam partialem iuramenti, & totalem. Etenim ſi mendaciũ inuoluitur inviolatione materiæ promiſſæ totalis, etiã leuis; certe in materia partiali inuoluetur (quod enim aliud peccatum cõmittitur?) At mendacium teſtimonio Dei firmatum, quodcũque illud ſit, peccatum mortale eſt, vt videre licet in iuramento aſſertorio: ergo non oportet vti præfata diſtinctione de materia totali, ſeu partiali.

Dico tertiò. Sententia ſecunda, vera & probabilior mihi apparet. Moueor ad hanc ſententiam eligendã, tùm grauitate patronorum eius, tùm quia ſuauior, & accõmodatior humanæ fragilitati: potiſsimè quia argumẽta pro alijs ſententijs, nõ difficile ſoluũtur re benè inſpecta. Probaturq; ratione, nam illa iuramenti promiſſorij violatio, non cõtinet mendacium iuramento firmatum, ſed infidelitatem: ergo qui violat iuramentum promiſſoriũ (ſi tamẽ factum eſt cum recta intentione) non facit Deum teſtẽ mẽdacij: ſed peccat quia infideliter agit in re promiſſa ſub diuina autoritate, vt iam iã paramus explicare. Antecedẽs colligitur ex D. Tho. infra q. 110. art. 3. ad quintum dicente: *Qui aliquid promittit, ſi habet animum faciendi quod promittit, non mentitur. Si verò non faciat quod promiſit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quòd animum mutat.* Ex quo colliges, in iuramento promiſſorio non aſferri Deum in teſtem, ſicut in aſſertorio, ſed quaſi fideiuſſorem, quòd ſic promittens non mutabit indebitè voluntatem ſuam, ac propoſitum: quod rectè adnotauit Caietanus vbi ſupra. Ratio huius differentiæ eſt, quia teſtimonium non fertur niſi de veritate determinata, qualis eſt veritas de præſenti, aut de præterito. Secus quando cõfirmatur veritas de futuro: ad quam confirmandã non ſolent induci teſtes, niſi vt conſtet de pacto præſenti, vel vt dent quandã autoritatẽ inſtar fideiuſsionis. Igitur quando Deus inuocatur in iuramento promiſſorio: quãuis poſtea non impleatur promiſsio iurata; non ideò Deus affertur ad teſtificandũ mẽdaciũ. Quod vt ſic æqualiter diſſonat in materia graui & leui. Sed malitia iuramenti nõ impleti in hoc potius conſiſtit, quòd videtur contemni Dei autoritas, quæ interpoſita fuit per modũ fideiuſsionis ad firmandã promiſsionẽ: non quòd ſit vera fideiuſsio, ſed habens modũ illius. Quod declarari poteſt exemplo humano. Contingit enim nõ ſemel, vocari hominem magnæ autoritatis, vt aſsiſtat promiſsioni inter alios initæ. In qua aſsiſtentia, non ſe habet vt teſtis impletionis talis promiſsionis: ſed quaſi fideiuſſor, non vt propriè ſit fideiuſſor perſoluturus pro promittente ſi in ſolutione defecerit; neque vt reputetur mendax: ſed tantùm vt præbeat autoritatem contractui, & vt contrahentes intelligant, iniuriam illi facturos ſi promiſſa non impleant: quia in ſe, & veluti pro honore talem impletionem aſſumit. Ad hunc ergo modum intelligendus eſt inuocari Deus in iuramento promiſſorio, vt teſtis quidem præſentis

D. Thom.

Caietanus.

tis promissionis, & dans autoritatē futuræ executioni: non verò vt testificans veritati propositionis de futuro contingenti: quia ad hanc confirmandam non solent adduci testes. Dicet quispiam, in humanis ita esse; non verò respectu Dei, qui cùm æquè nouerit futura, atque præsentia, vel præterita; sicut ad hæc confirmanda adducitur in testem, ita & ad illa adduci potest. Respondetur: esto omnes propositiones de futuro nouerit (quod multi, de futuris conditionatis, quæ nunquam erunt, probabilius negant) tamen ex vi iuramenti promissorij, non adducitur in testem futuritionis, sed vt interponens suam autoritatem, vt audientes iuranti maiorem fidem adhibeant. Ex hac doctrina colliges, quòd qui Deum adducit in testem falsi, vt in periurio assertorio, & qui non implet promissionem iuratam, vt in periurio promissionis violatore; vterque grauem irrogat Deo iniuriam: diuersæ tamen rationis, nam primus, ipso facto protestatur Deum mendacem; & secundus, Dei nomen, quod quasi vas, & pro pignore dedit, contemnit, atque despicit. Prima illa irreuerentia & iniuria, quæ est Deum mendacem fingere, non recipit magis & minus: quia omnia mendacia in ratione falsitatis & formaliter, æqualia sunt. At verò posterior iniuria, gradus admittit: potest q; esse maior, aut minor, secundū proportionē rei promissæ: quia ad infidelitatē pertinet, quæ in materia graui, peccatū graue est, in leui, veniale. Ex his (vt reor) satisfactum est fundamētis primæ, & tertiæ sententiæ, & huic disputationi difficili.

DISPVTATIO VIII.

Quale peccatum sit iuramentum promissorium, inualidum propter incapacitatem materiæ?

SVperius, q. 89. art. 7. disp. 5. 6. 7. & 8. copiosè actum est, quomodo, & quando iuramenta non sint inducentia obligationem, eo quòd materia eorum est incapax obligationis inducendæ. Modò verò, quale peccatū sit huiusmodi iuramenta emittere. Et supponimus, sic iurare peccatum esse ex genere suo mortale. Peccatum quidem: quia cadit supra materiam indebitam, mortale verò ex genere suo; quia contra Religionis virtutem. Etenim aliquo modo aduersatur diuinæ bonitati; & irreuerentia eius est, vt iuramentum sit iniquitatis vinculum. An verò possit aliquando esse hoc peccatum veniale in indiuiduo; modò disputandum est. Et præmittendum, materiam posse incapacem esse obligationis ex iuramento ortæ, vel quia impossibilis est, aut summopere difficilis iuranti: vel quia peccatum est, aut verò indifferens ad bonum, & malum, vel opposita consilijs. De his sigillatim dicendum est. Vnde

Dico primò. Iurare rem indifferentem vt sic, idest manentem in sua indifferentia; peccatum veniale est. Probatur: quia in huiusmodi iuramentis nullum mendacium reperitur: ergo non est periurium, non enim est vnde malitia peccati mortalis in his reperiatur, nisi ex falsitate ibi contenta, sed erit peccatum veniale ex leuitate materiæ. Obijcies. Qui sic iurat, consequenter iurat se obligare ad illud indifferens faciendum; at hoc falsum est: ergo. Respondetur negando maiorem: tantùm iurat simpliciter, & sine reflexione. Nō obligatur autem ex incapacitate materiæ.

Dico secundò. Non est peccatum mortale per se loquendo, iurare opus contrarium consilio. Assertio communis est Caietano, Soto, Antonino, Nauarro, & alijs. *Caietanus. Sotus. Antonin. Nauar.* Probatur eadem ratione qua præcedens assertio: cuius oppositum tenet Angelus verbo *periurium*. num. 1. & verbo *iuramentum*. 5. numero 2. Probat ex cap. *Florentinum*. 85. distinctione vbi insinuatur grauiter peccasse Episcopum, non acceptando Episcopatum. Sed fortasse ille Episcopus ex alio capite tenebatur acceptare, aut verò iubente Summo Pontifice adhuc recusauit acceptare. Syluester verbo *iuramentum*. 2. q. 2. dicit, in modicis bonis, seu consilijs, non esse peccatum mortale eis aliquid contrarium iurare: secus in magnis, vt de non ingrediendo Religionem. *Angelus. Sylueſter.* Sed positio hæc à prafatis refellitur, & nobis displicet, quia sine fundamento, tali vtitur distinctione.

Dico tertiò. Qui iurat rem impossibilē iuranti, quā cognoscit esse impossibilē, peccat mortaliter. Probatur: quia cùm intētio, & propositū ferantur in rē impossibilē: impossibile est agnoscenti talem impossibilitatem, habere intentionem adimplendi rem iuratam. At iuramentum sine hac intentione, iam diximus esse mortale peccatum. Ex quo infertur, debitores qui facilē

iurant se intra certum terminum debita so- A luturos, scientes se non posse id efficere: mortaliter peccare. Atverò siquis putat rem sibi fore possibilem: si probabilem habeat æstimationem; non peccabit. Si ex negligentia leui id censuit, tantùm venialiter. Si autem temerè; erit peccatum mortale: quia reducitur actus in materiam suæ formæ. Ita Syluester cum Hostiensi *iuramentum*. 4. quæst. 18. & q. 29. verb. *periurium*. Nauarr. cap. 12. num. 22.

Sylvest. Hostien. Nauar.

Dico quartò. Iurare factionē peccati venialis, si fiat cum proposito implendi illud; non est peccatum mortale per se loquēdo, B sed tantum veniale. Hæc assertio cōmunis est omnibus autoribus citatis. Probatur, quia per tale iuramentū non fit iniuria diuinæ veritati, vt patet: neq; diuinæ bonitati, quia nō affertur Deus vt approbator peccati, sed vt cōfirmator veritatis. Et licèt sit nōnulla irreuerentia Dei, eius nomine, & autōritate velle confirmare propositū de peccato veniali cōmittēdo: tamen cùm illud peccatū leue sit; non videtur sufficere ad mortalē grauitatē illius irreuerentiæ, secluso formali contēptu, vt statim amplius manifestabitur. Contrarium huius assertionis tenuit Angelus *iuramentum*. 5. & pro se adducit Hugonem Iurisperitum. Et pro his arguitur. Qui iurat peccatum veniale, tenetur habere propositum peccandi venialiter: alioquin iurabit mendacium: ergo virtute illius iuramenti tenetur habere tale propositum. Sed grauis irreuerentia Dei est, facere vt assumptio nominis eius cogat, & obliget hominem, ad habendum propositum peccandi venialiter: ergo. Secundò. Post factum iuramentum de peccando venialiter; illud facere intuitu iuramenti, est peccatū mortale: ergo à principio illud promittere, mortale erit. Probatur antecedens, quia est quodammodo attribuere Deo talem malitiam. Consequētia patet: quia etiam à principio est attribuere Deo necessitatē habendi pro D positū peccandi. Tertiò. Qui adhibet Deū in testē peccati; ipsofacto profitetur, Deo illud placere: quod est blasphemia ingēs, etiā in peccato veniali. Sed hoc fit quando quis iurat peccatum veniale: ergo. Minor probatur: quia ideò iurans inducit Deum ad confirmandam talem assertionem, vt credatur ad Dei reuerentiam pertinere illam facere veram: quod nequit fieri; nisi supponatur Deo esse gratam eam actionem venialem. Ad hæc argumenta respondetur statim. Ad primum, concessa prima consequentia, negatur quòd illa coactio sequatur ex iuramento secundùm se: sed ex inordinata hominis voluntate, quæ se ingerit in eam difficultatem & perplexitatem. Tamē quia illa necessitas talis propositi, non excedit culpam venialem: ideò neque illa inordinatio iuramenti excedit malitiam venialem contra Religionē. Ad secundum negatur antecedens. Ad tertiū negatur maior, & instatur in iuramento assertorio, quod sæpe est de re sceleratissima. Ad probationē dico, iuramentum non profiteri ipso facto opus iuratum ad Dei reuerentiā pertinere, sed veritatem esse Deo conformem. Et qui iurat se facturum peccatū veniale, pro tunc non attendit, an ratione materiæ illa veritas sit conformis, vel contraria diuinæ voluntati, ac bonitati: sed solùm ad rationem veritatis, & ad propositi sui immutabilitatem, ex generali quodam dictamine; videlicèt, id quod iuratur debere esse immutabile: & ideò non supponit illam actionem esse Deo gratam, sed tantùm veritatem. Et licet malè faciat applicando veritatem diuinam ad talem materiam: non tamen ob id grauem irreuerentiam Deo irrogat, quia illam non intendit, & materia alias leuis est.

Angelus.

Dico quintò. Iuramentum de peccato C mortali efficiendo, peccatum mortale est contra Religionem. Ita Caietanus, Soto; & cæteri in præcedentibus assertionibus allegati: sed in probanda assertione variant. Probatio qua vtitur Sotus mihi magis arridet: videlicet, quia iurans aliquid quod est peccatum mortale; non obstante iuramēto, tenetur non facere id quod iurauit: quod est perinde ac si falsum iuraret. Et si obijciat quis, eadem ratione probari esse peccatum mortale iurare veniale: respondet, iuramentum de peccato veniali posse impleri sine peccato mortali: & ideò non cum tanto rigore includi falsitatem in illo iuramento, sicut in iuramento de faciendo peccato D mortali. Quæ ratio potest explicari ex his quæ diuus Thomas dicit in hac quæstione articulo primo: quia hic defectus iustitiæ ex parte materiæ, includit aliquo modo indirectè defectum veritatis, quatenus secundùm rectam rationem, necesse est non facere verum quod sic iuratum est. Ergo quanto est maior necessitas huius falsitatis; tanto maior est deordinatio iuramenti. Ergo si illa necessitas est sub peccato mortali: sic iurare à principio est peccatum mortale ad periurium pertinens. Confirmatur: quia

Caietanus. Sotus.

D. Thom.

quia irreuerentia Dei eſt, velle ſtabilire voluntatem, & propoſitum in malo, Dei autoritate: ergo quo grauius eſt illud malum, eo grauior eſt illa irreuerentia. Ergo ſi malum illud eſt peccatum mortale: etiam irreuerentia eſt adeò grauis, vt ſufficiat ad peccatum mortale.

DISPVTATIO IX.

De pœnis Eccleſiaſticis periurio impoſitis.

DIſputationem hanc in ſolutione ad tertium huius articuli diuus Thomas tetigit, qui nihil notatu dignum intactũ dereliquit. Quam vt expediamus notandum eſt, pœnas periurio debitas quaſdam pertinere ad diuinam vltionem, quæ non modicè inuehitur contra peierantes, vt habetur in ſacris Literis, præcipuè Malachiæ 5. *Hæc eſt* (inquit) *maledictio quæ egreditur ſuper faciẽ omnis terræ.* Et infra: *Et omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur.* Et inferius: *Et veniet ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eam, & ligna eius & lapides eius.* En grauiſsimam punitionem, & comminationem contra periuros. Videdus eſt Chryſoſtomus homil. 15. 19. & 27. ad popu. Alias verò pœnas ſpectare ad homines in dignitate conſtitutos, qui crimen periurij adeò grauiſsimum reputarũt, vt vix reperta fuerit natio aliqua quantumuis barbara, quæ non grauiſsimè punierit peierantes etiam per falſos Deos. Periuri enim ab Aegyptijs capite mulctabantur, vt refert Diodorus Siculus, lib. 2. cap. 3. & Alexand. ab Alex. cum Alciato, lib. 6. Genial. cap. 10. & alia multa refert Couarrubias ſup. 1. parte. §. 7. num. 2. dicens vtroque iure, tam Ciuili quã Canonico periurium puniri. Et quidem de Canonico, quod præcipuè ad forum conſcientiæ ſpectat, aduertendum, duplicis generis in eo contineri pœnas contra periuros; quaſdam, ipſo iure impoſitas; quaſdam, imponendas. De vtriſque aliquot tangemus: nam copioſior diſputatio ad materiam de cenſuris pertinet. Et quod attinet ad cenſuras, exiſtimo nullam eſſe latam ipſo iure propter hoc crimen: quia nullam talem in iure inuenio. Sed age de alijs pœnis diſcurramus, dicentes non incurri irregularitatem ipſo facto, & immediatè per hoc crimen. An verò mediante infamia, ſtatim dicemus. Probatur: quia irregularitas non includitur niſi in caſibus iure expreſsis. De pœna verò inhabilitatis ad beneficia obtinenda: an ipſo facto ita incurratur vt collatio beneficij facta periuro eo ipſo nulla ſit; res eſt valde controuerſa inter Iuriſperitos. Quidam affirmãt illam collationem eſſe nullam: & aiunt hoc eſſe ex mente Innocent. Panormit. & aliorũ, quos refert, & ſequitur Couarrub. vbi ſupra. Alij inquiunt, hanc pœnam non incurri ipſo iure, ſed imponendam eſſe probato delicto. Couarrubias pro hac ſententia refert Felinum in cap. *ex parte.* primo. de reſcriptis, & in cap. *querelam.* de iureiur. Et hæc poſterior ſententia verior apparet, ſeclusa infamia. Probatur: quia non inuenitur de hac re textus expreſſus. Vnde infertur, per ſolam ſententiam declaratoriam criminis non incurri hanc inhabilitatem. Probatur: quia nulla eſt lex talem pœnam inponens, præſertim quæ dicat: ipſo iure, ipſo facto. Nihilominus ſi per talem ſententiam inducitur infamia iuridica, ita vt faciat hominem irregularem; etiam incurritur ipſo facto inhabilitas ad beneficia obtinenda. Ita ſentiunt autores multi, quos citat Couarrubias vbi ſupra. Hinc infero, propter periurium non incurri ipſo facto priuationem beneficiorum iam obtentorum, ante ſententiam condemnatoriam propter eandem rationem: quia de hac re non inuenitur lex Canonica.

Sed præcipua dubitatio eſt: An mediatè, ideſt mediante infamia, inhabilitas ad beneficia obtinenda, vel priuatio beneficiorum iam obtentorum incurratur? Et communis ſententia eſt incurri: eo quod infamia illa facit hominem irregularem: & collatio facta irregulari, nulla eſt in iure. Ita Couarrubias vbi ſupra. Panormitanus in capite *querelam.* quem ſequuntur Angelus, verbo. *periurium.* numero 12. & Sylueſt. quæſt. 6. Tota igitur hæc pœna pendet ex infamia præcedenti: quapropter inquirendum eſt, quomodo infamia per crimen periurij incurratur. Omnes enim, aut fere omnes docent incurri. Ita D. Thom. in hoc articulo ſolut. ad tertium, Soto & alij Summiſtæ, Panormit. in cap. *teſtimonium.* de teſtibus. & in cap. *querelam.* de iureiurando, & ibi Felinus, & alij. Probatur: quia in iure Canonico periuri inter infames computantur, capite *ſi quis conuictus.* 22. quæſt. quinta. cap. *conſtituimus.* 3. q. 5. cap. *infames.* 6. q. 1. vbi dicitur

Malach. 5.

Chryſoſt.

Diodorus.
Alexan. ab Alexand.
Alciatus.
Couarrub.

Innocent.
Panorm.
Couarrub.
Felinus.

Couarrub.
Panormit.
Angelus.
Sylueſt.

D. Thom.
Sotus.
Panorm.
Felinus.

citur, omnes illos esse infames (nimirū Canonicè) quos sæculi leges infames pronuntiant: at periurium per Ciuiles leges notatur infamia, lege. *si quis maior*. C. de trāsact. Hæc verò assertio ab omnibus intelligitur de periurio proprio, cui deest veritas cum transgressione iuramenti. Nam quantumcunque sit aliàs peccaminosum, v.g. ex defectu iustitiæ: vt si sit promissorium de re mala; non incurritur hæc infamia, licet postea non seruetur: quia non deest veritas, quod benè notauit Panormitanus vbi supra. Item supponitur debere esse periuriū cum peccato mortali.

Panormit.

Sed supersunt duæ dubitatiunculæ resoluendæ. Prima, an pro omni periurio incurratur infamia? Secunda, esto incurratur pro aliquo, quando, vel quomodo? Circa primā, Hostien. titul. de testibus. §. quis possit esse testis. verb. excipitur, censet infamiam incurri propter quodcunque periurium, sciēter, & prudenter commissum, siue sit assertorium, siue promissorium. Probatur primò: quia omne periurium est peccatū mortale: ergo inducit infamiam Canonicam, iuxta cap. *illi qui. 6.* quæst. 1. Secundò periurium omne, inter crimina quæ numerantur cap. vltimo de tempor. ordin. cap. *quod erat*. de iureiurando. computatur, per quæ omnia incurritur infamia, vt ex eodem cap. colligitur: ergo. Tertiò in dicto capite *infames*. & cap. *constituimus*. absolutè periuri dicuntur infames: & vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus. Alij varijs distinctionibus vtuntur: quas consultò omittimus discutiendas à Iurisperitis. Et breuiter, supposito infamiam quandam appellari Canonicam, illam videlicet, quæ per vitæ mutationem, & abolita opinione hominum, auferri potest: quandam verò Ciuilem; quæ postquam semel incurritur, auferri non potest sine dispensatione superioris habentis potestatem.

Hostien.

Dico, per omne periurium incurri infamiam Canonicam: & hoc probant iura allata pro Hostien. At verò infamia Ciuilis, non per omne periurium incurritur, vt præfati autores notarunt: præcipuè diuus Thomas in solutione ad tertiū huius articuli, qui ait, per iuramentum assertorium non incurri infamiam; nisi sententia lata contra periurum in accusatione. At verò per periurium promissorium solemniter factum, incurritur infamia ipso iure. Et loquitur de infamia Ciuili, quæ magis proprie est infamia. Hæc sententia D. Thom. vera est: sed

D. Thom.

A

B

C

D

intelligenda cum quibusdam exceptionibus. Prima est, quando periurium est occultum: quod videtur assueuerari in dicto capite vltimo de tempo. ordin. iuxta quod intelligenda sunt alia iura. De infamia Canonica multa dicunt Iurisperiti, quæ puto parum ad rem facere. De infamia verò Ciuili, quidam putant incurri per omne periurium notorium, si promissorium sit: cuius sententiæ videtur esse D. Thom. allegatus. Quem quidam interpretātur quoad priorem partem, de infamia imposita per iudicem, per sententiam declaratoriam, & simul condemnatoriam, imponentem hanc infamiæ pœnam periuris: non tamen putant incurri ipso facto per aliquod periuriū, nisi denuò hæc pœna imponatur: quod probabile videtur.

Aliæ pœnæ imponuntur periuris, putà quod periurus non est in testem admittendus. Habetur in cap. *quicunque*. 6. quæst. 1. & in cap. *paruuli*. 22. quæst. 5. quod Glossa explicat de iuramento sibi vtili: secus de oneroso, vt est iuramentum calumniæ, & fidelitatis. Dicit tamen Soto vbi supra hanc pœnam non incurri, donec aliquis per sententiam damnetur, & repellatur. At Syluester *iuramentum*. 2. quæst. 3. dicit sufficere euidentiam facti cum notorietate. Veriorem censeo sententiam Soti: scilicet in foro conscientiæ neminem teneri propter periurium commissum abstinere à iurādo, donec per exceptionem, vel accusationem repellatur: tùm quia in Canonibus ferè sem per dicitur vt isti remoueantur, vt in dicto cap. *si quis conuictus*. vel vt eorum testimonium infirmetur, vt in dicto cap. *quicunque*. vel dicitur esse repellendus, etiamsi emendatus sit, vt in cap. *testimonium*. de testibus: tùm etiam, quia illa est quædam pœna, quæ nō incurritur nisi in iure habeatur: in quo non habetur imposita. Vndè licèt in cap. *paruuli*. 22. q. 5. dicatur: *Qui semel peierauerit, nec testis sit post hoc, nec ad Sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius iurator existat*: non per hoc imponitur obligatio in conscientia periuro, vt ad iurandum postea nō accedat; sed tantùm vt possit, & debeat repelli. Vnde videtur colligi, etiam in foro externo, etsi talis periurus admittatur; eius testimoniū nō esse nullū ipso iure, quod de hac re non loquitur. Et hæc etiam videtur esse sententia Archidiaconi.

Gloſſa.

Sotus.

Syluester.

Archiad.

Qualeverò debeat esse periuriū, propter quod aliquis repelli possit, non habetur expresse in iure. Quod præcipuè videtur intel-

telligendū de periurio in iudicio, vel in solēni pacto, & promissione: & sufficiet publica infamia, quòd talis homo soleat peierare. Et fortasse hoc voluit Syluest. semper tamē exceptis periurijs, vel per iniuriā vel per metū extortis, vel quæ solet reus cōmittere interrogatus in iudicio: quia hæc periuria aliqualem excusationem habent; & solùm Deum habent vltorem, saltem quoad pœnam ordinariam. Videndus est Couarrub. supra, & Iulius Clarus, lib. 5. §. periurium. num. 12. & §. vlt. q. 45. num. 10.

Couarr. *Iuli. Clar.*

Similiter possunt numerari aliæ pœnæ, quæ per hominem imponi possunt iuxta Canones. Vna & grauis est, depositio cōtra Clericos. Ita expressè habetur in cap. *Presbyter.* 81. dist. & in ca. *cum non ab homine.* de iudicibus: sed rigurosa depositio rarò imponitur. Item potest periurus beneficio priuari: quia hæc priuatio est quædā partialis depositio, scilicet à beneficio: & colligitur ex ca. *querelam.* de iureiur. vbi videndi sunt expositores, præcipuè Panorm. & Couarrub. supra. 1. parte. §. 2. nu. 2. & seq. Bernar. Diaz in pract. c. 92. Item in sacris Canonibus statuitur, vt pro periurio grauissima pœna imponatur, non minor quàm pro adulterio vel homicidio, aut alijs capitalibus criminibus, vt dicitur in cap. vlt. 22. q. 1. Et olim imponebatur pœnitētia ieiunij in pane & aqua per quadraginta dies: & præterea alia septenis pœnitentia cap. *quicunque.* 6. q. 1. & ibidem additur, vt nunquam dimittatur periurus sine pœnitentia, communio tamen illi non denegetur. De his & alijs pœnis possunt legi alia decreta 22. quæst. 1. per totam.

Panormit. *Couarru.* *Bern. Diaz*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm peccet ille, qui iniungit iuramentum ei qui periurat?

3. *dist.* 39. *art.* 5. *q.* 2.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd ille peccet, qui iniungit iuramentum ei qui periurat. Aut enim scit eū verū iurare, aut falsum. Si scit eū verū iurare, pro nihilo ei iuramentum iniungit: si autē credit eum falsum iurare quantum est de se, inducit eum ad peccandum: ergo videtur quòd nullo modo debeat quis alicui iuramentum iniungere.

2 ¶ Præterea. Minus est accipere iuramentum ab aliquo quā iuramentum iniungere alicui. Sed recipere iuramentum ab aliquo non videtur esse licitum, & præcipuè si periuret, quia in hoc videtur cōsentire peccato: ergo videtur quòd multo minus liceat exigere iuramentum ab aliquo qui periurat.

3 ¶ Præterea. Dicitur Leuit. 5. Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis falsum, testisq; fuerit quod ipse vidit aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam. Ex quo videtur quod aliquis sciens aliquem iurare falsum teneatur eum accusare. Non igitur licet ab eo exigere iuramentum.

¶ SED CONTRA. Sicut peccat ille qui falsum iurat, ita ille qui per falsos Deos iurat: vt August. dicit ad Publicolam: ergo licet iuramentum exigere ab eo qui falsum iurat.

Epist. 54. *&* 154. *non lō ge à prin. tom.* 2.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd circa eum qui exigit ab alio iuramentum distinguendum videtur. Aut enim exigit iuramētum pro se ipso propria sponte, aut exigit iuramentum pro alio ex necessitate officij sibi commissi. Et si quidē aliquis pro se ipso exigit iuramentum

tanquam perſona priuata diſtinguendum videtur, vt Auguſ. dicit in ſermone de periurijs. Si enim neſcit eum iuraturũ falſum, & ideò dicit: Iura mihi, vt fides ei ſit, non eſt peccatum. Tamen eſt humana tentatio: quia ſcilicet procedit ex quadã infirmitate, qua homo dubitat alium eſſe verum dicturum. Et hoc eſt illud iuramentum, de quo Dominus dicit Matth. 5. Quod amplius eſt, à malo eſt. Si autem ſcit eum feciſſe, ſcilicet cõtrarium eius quod iurat, & cogit eum iurare, homicida eſt. Ille enim de ſuo periurio ſe interimit, ſed iſte manum interficientis impreſſit. Si autem aliquis exigat iuramẽtum tanquam perſona publica, ſecundùm quòd exigit ordo iuris ad petitionem alterius, non videtur eſſe in culpa ſi ipſe iuramentum exigat, ſiue ſciat eum falſum iurare, ſiue verum: quia nõ videtur ille exigere, ſed ille ad cuius inſtantiam exigit.

Ser. 28. de ver. Apoſt. in vlti. col. tom. 10.

A

B

C

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd obiectio illa procedit, quando pro ſe aliquis exigit iuramentum, & tamen non ſemper ſcit eum iurare verum vel falſum, ſed quandoque dubitat de facto, & credit eum verum iuraturum: & tunc ad maiorem certitudinem exigit iuramentum.

D

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit ad Publicolam, quamuis dictum ſit, ne iuremus, nunquam tamen me in Scripturis ſanctis legiſſe memini, ne ab aliquo iurationem accipiamus. Vnde ille qui iurationem recipit, non peccat: niſi fortè quando propria ſponte ad iurandum cogit eum, quem ſcit falſum iuraturum.

Epiſt. 154. ante me. t. 2

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd ſicut Auguſtinus dicit, Moyſes non expreſſit in prædicta auctoritate, cui ſit indicandum periurium alterius. Et ideò intelligitur quòd debeat indicari talibus, qui magis poſſunt prodeſſe, quàm obeſſe periuro. Similiter etiam non expreſſit quo ordine debeat manifeſtari. Et ideò videtur ſeruandus ordo Euangelicus, ſi ſit peccatum periurij occultum. Et præcipuè quando non vergit in detrimentum alterius: quia in tali caſu non haberet locum ordo Euangelicus, vt ſupra dictũ eſt.

In li. q. ſuper Leuit. q. 1. tom. 4.

q. 33. art. 7. & 8. & q. 68. art. 1.

¶ Ad quartum dicendũ, quòd licet malo vti propter bonum, ſicut & Deus vtitur: non tamẽ licet aliquem ad malum inducere. Vnde licet eius, qui per falſos Deos iurare paratus eſt, iuramentum recipere: non tamẽ licet eum inducere ad hoc quòd per falſos Deos iuret. Alia tamen ratio videtur eſſe in eo qui per verum Deum falſum iurat: quia in tali iuramento de-

eſt

est bonum fidei, qua vtitur aliquis iuramento illius qui verũ per falsos Deos iurat. Vnde Augustinus dicit ad Publicolam: Vnde in iuramẽto eius qui falsum per verum Deum iurat, nõ videtur esse aliquod bonum, quo vti liceat.

Epist. 154. non longè à princ. to. 2.

Summa Articuli.

PRæmissa diuisione, & subdiuisione; prima sit conclusio. Si aliquis pro se ipso exigit iuramentũ tanquã persona priuata ab aliquo, & nescit eum iuraturum falsum; non est peccatum. Secunda conclusio. Si scit eum fecisse contrarium eius quod iurat, & cogit eum iurare; homicida est. Probatur, quia ille de suo periurio se interimit: sed iste manum interficientis impressit. Tertia conclusio. Si aliquis exigit iuramentum tanquam persona publica, secundùm quod exigit ordo iuris ad petitionem alterius: non est in culpa siue ipse iuramentum exigat; siue sciat eum falsum iuraturum, siue verum. Probatur, quia non videtur ipse exigere: sed ille ad cuius instantiam exigit.

Doctrina huius articuli de periurio assertorio præcipuè procedit. Et pro decisione præmittendum, tripliciter se posse habere aliquem erga iuramentum falsum. Primò inducendo iurantem, vt iuret. Secundò, petendo ab alio vt iuret quod verum est, vel prout ipse sentit: sed cum certa opinione, vel magna præsumptione quòd falsum iurabit. Tertiò, non petendo iuramentum falsum: sed vtendo iuramento falso alterius in suum commodum. Priorem modum exigendi iuramentum, facilè expediemus cum Diuo Thoma ad quartum, & Caietano ibidem, & cum omnibus Doctoribus: dicentes, neutiquam licere aliũ ad iurandum falsum inducere, quia nullo modo licet inducere ad malum. Iurare autem falsum, periurium est mortale etiam in indiuiduo. Ergo & inducere alium, siue sit paratus, siue non ad iurandum falsum, vel cum morali periculo falsitatis; peccatum mortale erit, quia talis inducens cooperator est periurij ab alio patrandi. Ita definitur in cap. *si quis conuictus. cap. si peierauerit.* 22. q. 5. Hæc autem inductio tribus modis fieri potest. Primò: quando vnus inducit aliũ ad asserendum cum iuramento, quod scit non ita esse: vel ad negandum quod scit ita esse. Secundò: petendo ab alio, vt iuret affirmando esse factum, quod ignorat factum esse: vel negando esse factum, quod nescit an factum sit. Tertiò: quando inducit ad iurandum determinatè, & tanquam certum, id de quo iurans dubitat. Et in his etiam est virtualis falsitas propter periculum falsitatis: & quia qui sic iurat definitè aliquid affirmando, vel negando, quasi in actu exercito iurat se id certò scire; & ideò iurat mẽdacium. Ergo qui illum inducit ad sic iurãdum; eodem genere peccati peccat. Sed rogas: licet ne petere iuramentum, quod scis in re esse falsum, ab eo qui putat esse verum? Nequaquam: quia re vera petitur iuramentum falsum; & ignorantia alterius non excusat.

D. Thom. Caietanus.

A B C D

De secundo modo exigendi iuramentum, maior est difficultas: quam versat D. Thomas in articulo, vtens distinctione in cõclusionibus posita. In prima asserit, personam priuatam petentem iuramentum; si nesciat alium iuraturum falsum, non peccare petendo, licèt non sciat illum iuraturum verum. Hanc conclusionem aliqui nimis formidolosi non admittunt, dicentes, etsi aliquis nesciat an aliquis sit iuraturus verum, vel falsum, & dubius sit, & suspensus, ignorans quid faciet; non posse iuramentum exigere, quia exponit se periculo præcipitandi alium in falsum iuramentum. Sed illic trepidauerunt timore, vbi non est timor. Cur enim malum sine vrgenti causa de proximo præsumam? Præterea, vix possent homines ab alijs iuramenta exigere; cùm hæc nescientia communis sit.

D. Thom.

Circa secundam conclusionem D. Thomæ, quando exigens iuramentum persona priuata est, & vt talis exigit iuramentum, sciens, vel præsumens vehementer iurantem falsum dicturum; esse homicidam fratris si illud petat, doctrina communis est ferè omnibus. Turrecremata c. *quamuis.* 22. q. 1. Bonauentura in 3. d. 39. dub. 5. circa literam, & art. 2. q. 3. in corpore, & ad secundum, Ricardus art. 3. q. 3. Gabriel. q. 2. art. 3. dub. 1. Alexander Alensis 3. p. q. 31. membro 2. art. 3. Nauarrus c. 12. n. 20. Soto li. 8. de iust. q. 2. art. 4. Couarruuias d. par. 1. §. 6. num. 2. Syluester *iuramentum.* 2. num. 9. & multi alij. Et omnes fundantur in testimonio Augustini in sermone 30. de verbis

Turrecre. D. Bonau. Ricard. Gabriel. Alex. Ale. Nauarrus. Soto. Couarr. Sylueſt. Auguſt.

Apoſtoli, quod citatur à Diuo Thoma.

Sed contra hanc concluſionem D. Thomæ, & communem, arguitur primò. Qui petit ab aliquo vt iuret, non petit vt iuret falſum; ſed id quod ipſe licitè præſtare valet: ergo licèt ille alius ex malitia ſua ſit peieraturus; non imputatur malitia exigenti iuramẽtum, quia ille petijt id quod iuſtum eſt. Confirmatur, quia neque poteſt dici dediſſe occaſionem peccandi, licèt alius ſua praua voluntate ſumpſerit illam; quod pertinet ad ſcandalum paſsiuum, non ad actiuum. Neque poteſt dici induxiſſe ad malum; quia petit quod alter ritè, & rectè poſſet facere. Confirmatur ſecundò, ex petitione mutui ab vſurario, & deſtructione maleficij à Mago. Secundò. Non eſt minus malum (imò maius) iurare per Deos falſos, quàm peierare per Deum verum: ſed licet petere iuramentum ab eo quem ſcimus iuraturum per falſos Deos: ergo à peieraturo per Deum verum.

D. Thom. Ad primum patebit ex dicendis. Ad poſtremum reſpondet Diuus Thomas in ſolutione ad quartum, præmittens non licere petere iuramentum ab Idolatra, niſi quando creditur verum iuraturum: nam ſi peieraturus eſt, eadem erit de illo ratio, proportione ſeruata. Quo ſuppoſito reſpondet ad argumentum reddens rationem differentiæ inter iuramentum verum per falſos Deos, & iuramentum falſum per Deũ verum. Quia in iuramento falſo etiamſi ſit per verum Deum, deeſt bonum fidei, qua vtitur aliquis in iuramento illius, qui verum per falſos Deos iurat: ſed in iuramento iurantis falſum per Deum verum, non videtur eſſe aliquod bonum, quo vti liceat. Senſus eſt: tunc licet ab aliquo petere aliquid, quamuis cum peccato id ſit facturus; quando in eius actione aliquid boni eſt, quo vti licet, quia poteſt benè fieri, & malè peti. Et ita contingit in iuramento vero per falſos Deos: nam per illud confirmatur veritas, & ſtabilitur fides humana, qua vti licet. In periurio autem omne bonum deficit, quia omninò euertitur finis iuramenti. Etenim non confirmatur veritas, ſed falſitas: & cõſequenter non ſtabilitur fides, nec eſt ibi aliquid boni, quo vti poſsimus.

Sed contra hanc ſolutionem ſe offerunt argumenta non contemnenda: quia etiam petendo iuramentum ab eo, qui falſum iuraturus eſt; poteſt quis vti iure ſuo, & intendere aliquod bonum ſibi debitum, vel neceſſarium; ad quod poteſt vti illo iuramento falſo, non vt falſum, ſed vt iuramentum eſt. Quod Diuus Thomas concedit in tertia concluſione in perſona iudicis exigentis iuramẽtum à reo, vel teſte, licèt præſumat falſum eſſe iuraturos. Nam ſi exigat ſecundùm ordinem iuris, non peccat, quia vtitur iure ſuo, & malo alterius, ad hoc bonum ſatisfaciendi ſuo officio, & parti petenti, & reipublicæ. Debet enim procedere ſecundùm publicam ſcientiam, & inquiſitionem; & non deſiſtere propter priuatã ſcientiam, & præſumptionem: aliàs multo maiora mala in Republica ſequerentur. Et hoc eſt quod aſſerit Diuus Thomas in tertia concluſione. *D. Thom.* Vnde infero contra ſecundam, & ſolutionem datam, non peccare actorem etiamſi perſona priuata ſit, petendo ius ſuum per iudicem, & per eum exigendo iuramentum à debitore, vel reo, etiam ſi ſciat illum peieraturum: quia non ſine bono vſu, & vtilitate hoc fit. Quæ vtilitas multiplex eſt. Prima, quia expedit ad commune bonum. Etenim rei, & debitores audaciores efficerentur ad malefaciendum, & occultanda crimina, & debita, etiã peierando, ſi ſcirent inde obligandos eſſe creditores, vel accuſatores, ad non inſtandum contra illos: quod eſt abſurdum ingens. Ergo vtiliter iure ſuo vtitur qui per iudicem petit iuramentum, non curando quod alius malitia ſua peieraturus ſit. Confirmatur, quia iurans ille non debet ex malitia ſua commodum reportare; quod certè faceret, ſi non poſſet actor inſtare apud iudicem, vt ab eo iuramentum exigeret. Secundò. Nunquam poteſt eſſe tanta certitudo de futuro periurio, quin ſpectari poſsit, vel ſaltem dubitari, an iurans ſit verum iuraturus, vel timore Dei, vel pœnarum, & infamiæ periurij. Tertiò. Etiam in petitione iuramenti inter priuatos; poteſt ea petitio habere bonum vſum, maximè in contractibus. Nam quamuis ſciam alium contrahentem non impleturum quod iurat; imò neque iuraturum cum animo implendi: poſſum ab illo iuramentum petere, vt contractus in exteriore foro firmiùs maneat, & vt habeam actionem contra illum.

Propter hæc, & ſimilia argumenta quidam cenſent, tam perſonas publicas, quàm priuatas, quando aliqua ſubeſt cauſa rationalis, & iuſta, ita vt neceſsitas cogat; poſſe iuramentum petere ab eo quem ſciunt, vel præſumunt peieraturum, vt in caſibus argumentorum apparet. Poſſe inquam iuramentum petere; non verò determinatè de propo-

propoſitione, quam ſciunt eſſe falſam; quia hoc eſſet inducere ad periurium. Et inquiunt, doctrinam communem, & differentiam traditam à D. Thoma inter iuramentum verum per falſos Deos, & falſum per verum Deum, intelligendam eſſe regulariter. Nam iuramentum verum, etiamſi per falſos Deos fiat; per ſe habet vllam humanam vtilitatem, quæ per iuramentum intenditur: & per modum exceptionis addendum eſt, niſi petatur ſine cauſa. E contrario verò, iuramentum falſum per verum Deum, per ſe caret vtilitate intenta per iuramentum: & ideò regulariter non licet illud exigere priuata autoritate; ſed tamen per modum exceptionis addendum eſt, B niſi iuſta cauſa, & moralis neceſsitas intercedat.

Sententia hæc probabilis eſt: credo tamen non eſſe ad mentem Diui Thomæ in hoc articulo, vbi differentiam priuatam cõſtituit, putans nunquam licere priuatæ perſonæ exigere iuramentum, ab eo qui per verum Deũ peieraturus eſt. Et fundatur in autoritate Auguſtini, cuius verba aſſumit in litera. Et ratio eſt, quia petitio, quæ non habet bonum obiectum, non poteſt bona eſſe. Sed petitio iuramenti cum ſcientia futuri periurij, non habet bonum obiectum, eo quod nihil boni poteſt reperiri in actione petita: ergo, &c. Hæc eſt ratio fundamentalis. Ad hanc accedunt aliæ, videlicet per has petitiones dari proximo peieraturo occaſionẽ ruinæ: in quo valdè læditur charitas. Hæc ratio habetur in litera Diui Thomæ. Supereſt reſpondere ad argumenta contra concluſionem Diui Thomæ poſita.

Ad primum, conceſſo antecedenti in iudice, & eius officialibus, fiſcali, accuſatore ex officio, tabellione, & ſimilibus; negatur conſequentia in actore quando eſt priuata perſona, & vt priuata perſona exigit iuramentum. Ratio diſcriminis eſt, quia iudex vt perſona publica vtitur iure ſuo in exi- D gendo iuramentum: perſona priuata non itidem. Etenim ius iudicis eſt, vt roget, & petat à reo, vel debitore neceſſaria ad lites dirimendas. Illę autem inquiſitiones, & petitiones gubernantur, & diriguntur à iudice ſecundùm ſcientiam publicam, non ſecundùm priuatam. Vnde quamuis ſciat priuata ſcientia, reum rogatum peieraturum; non propriè dicitur ſcire eum peieraturũ, quia non ſcit hoc ſcientia publica, qua mediante debet actiones ſuas dirigere: & ex A alia parte ius habet interrogandi, & exigendi iuramenta à reis. Non eſt ergo quare hoc iure priuetur. At verò in perſona priuata, ius ad exigendum iuramẽtum ab alio, procedit ſecundùm ſcientiam priuatam: iuxta quam, ſi ſciat iurantem peieraturũ, non cẽſetur habere vllum ius petendi iuramentum, ne inuoluatur crimine alterius: ius enim nullum eſt ad actionem intrinſecè malam. Sed dubitabit quiſpiam, & meritò, an *Dubiolum.* actor qui coram iudice, vt recuperet debitum ſibi, vel quoduis aliud ius, petit à iudice, vt à debitore, vel reo petat iuramentum; ſciens tamen, vel præſumens vehementer, peieraturum; ſit cenſendus perſona priuata: an verò inter perſonas ſpectantes ad publicum iudicium reputandus ſit? Certè ſi Diuus Thomas attentè legatur, videtur eum *D. Thom.* inter perſonas priuatas numerare; & eum non poſſe tale iuramentum exigere. Loquens enim de iudice, quem vt excuſet à periurio, ait iure ſuovti, in fine articuli ſubdit: *Non enim videtur ille exigere: ſed ille ad cuius inſtantiam exigit.* En culpam in actorem videtur reijcere. Secũdò reſpondetur: quando perſona priuata agit actorem, vel accuſatorem coram iudice, vt recuperet ius ſuum: inter perſonas publicas annumerari debet, ſicut fiſcalis, tabellio, & alij officiales iudicis: non enim iudicatura iudicis ſine C actore conſtat. Vnde ſicut officium iudicis gubernatur ſecundùm ſcientiam publicã; ſic & officium actoris, à quocunque exerceatur. Et ſecundùm iſtam ſolutionem, ſententia Diui Thomæ intelligenda eſt de iuramento petito extra iudicium: non de exacto coram iudice. Sed prior ſolutio verior eſt, & magis ad mentem Diui Thomæ. Ad illud verò, quod obijcitur de vtilitatibus, quæ ſequuntur ex petitione præfatorum iuramentorum: reſpondetur, non eſſe facienda mala, vt veniant bona. Neque verum eſt, in tali caſu habere petitorem ius vllum ad ea iuramenta exigenda, quia petitio illa fertur ad malum obiectum: ad malum autem nullus habet ius. Ad confirmationem reſpondetur: ſæpe per accidens ex malitia reputatur commodum. Ad ſecundum reſpondetur, probare vix verificari caſum propter defectum ſcientiæ, aut vehementiſsimæ præſumptionis. Vnde hoc ceſſante, exigi poteſt iuramentum. Nos verò cum Diuo Thoma, loquimur quando adſunt prædicta ſcientia, aut præſumptio. Ad tertium negatur tunc licere iuramentum exigere, in caſu tertij argumenti: neque di-

cendus

cendus est talis petitor vti iuri suo, vt declaratum est. Demum notandum, sine petitione quando quis propria sponte offert iuramentum falsum; non peccare qui acceptat, habendo se merè passiuè. Colligitur ex Diuo Thoma in solutione ad quartum his verbis: *Licet malo vti propter bonum, sicut Deus vtitur.* Et si objicias illud Apostoli: *Digni sunt morte non solùm qui talia agunt; sed etiam qui consentiunt facientibus*: intelligitur, vt cooperatoribus, & concausis: non verò merè passiuè se habentibus.

D.Thom.

Iuxta doctrinam de iuramento assertorio, iudicandum est facta proportione, de iuramento promissorio. Nam si consideretur vt emittendum cum debita intentione seruandi illud vt sic, habet rationem assertorij. Si verò consideretur vt obligationem in futurum relinquit, & morale periculum imminet non seruandi illud, non licet consulere, iuxta dicta.

Hæc dicta sint de petitione iuramenti, quando creditur non habiturum veritatem requisitam. Ad complementum verò doctrinæ de petitione iuramenti cum defectu aliorum comitum, putà iudicij, & iustitiæ, dicendum est. Et

Dico primò. Ferè semper est peccatum veniale excipere ab aliquo iuramentum etiam verum sine necessitate: quia si petens sine necessitate petit; alter sine necessitate iurabit. Dixi, ferè semper; quia aliquando potest accidere, quòd iuramentum secundùm se non sit necessarium, & propter exactionem improbam petentis liceat, iuxta illud Isidori lib. 2. sententiarum, cap. 31. *Sunt multi ad credendum pigri, qui non mouentur ad fidem verbi: grauiter autem delinquunt* (aliquando scilicet) *qui sibi loquentes iurare cogunt.*

Isidorus.

Dico secundò. Qui petit ab alio iuramentum, quod sine iniustitia, vel turpitudine præstari non potest; peccat eo peccati genere, quo iurans sine comite iustitiæ. Dicitur, præstari non posse: quia aliquando iuramentum iniquum est ex malitia operantis, & præstari potest sine illa.

Quod exigere peccatum est: quia illa malitia extrinseca; iuranti, non petenti adscribenda est.

DISPVTATIO II.

An liceat petere ab infideli, vt iuret per falsos Deos?

HAEC disputatio ferè decisa est ex dictis in præcedenti: quam D. Thomas tetigit in solutione ad quartum, imò & plenè dissoluit. Et pro pleniori resolutione præmittendum censeo ex prædictis, petitionem præfatam interdum esse de iuramento absolutè & in genere, petito ab eo qui iuraturus est per falsos Deos: interdum de iuramento in specie contracto per falsos Deos, v. g. per Mahomat, & similia. Et etiam aliud est petere ab aliquo vt iuret per falsos Deos, aliud verò est petere iuramentum ab illo, qui iuraturus est per falsos Deos.

His præmissis dico primò. Neutiquam licet inducere aliquem determinatè vt iuret per falsos Deos. Ita D. Thomas dicens, licere vti iuramēto eius qui per falsos Deos iurat: nō tamen illum inducere vt per Deos falsos iuret. Assertio communis est, & præcipuè traditur à Caietano, Soto, & alijs, & à Couarru. dicta part. 1. §. 1. num. 10. & desumpta est ex Augustino epistola 154. Et probatur apertè: nam iuramentum per falsos Deos, est intrinsecè malum: ergo & inducere alium ad sic iurandum: sicut non licet inducere idolatram ad sacrificandum Dijs suis, vel ad orandum illos. Confirmatur, quia consulens, aut inducens ad malū; concausa eiusdem mali est.

D.Thom. *Caietan.* *Soto.* *Couarr.* *August.*

Dico secundò. Non est intrinsecè malū petere vt iuret, ab eo quem constat iuraturum esse per falsos Deos. Assertio communis est citatis autoribus. Et probatur: quia qui ab alio petit vt iuret; rem de se licitam, & quæ sine peccato fieri potest, exigit. Ergo per se non inducit ad malum, sed ad bonum. Quòd autem alius ex sua malitia hoc faciat, per falsos Deos iurando; ipsi imputatur, non alteri qui bonam rem petiuit. Ergo de se & ex natura sua, illa petitio bonum obiectum habet: & consequenter per se loquendo non est mala. Confirmatur à simili, quia licet ab iniquo mutuatore mutuum petere, etiamsi petens sciat exacturū vsuras. Et licet à malefico petere vt male ficiū dissoluat, si potest licito modo dissoluere: licèt ipse malitia sua sine superstitione

non

non sit destructurus. Sed contra hanc assertionem primò est, quia non licet à fideli, qui per verum Deum iurat, & scitur peieraturus, petere vt iuret; vt in præcedenti disputatione docui. Ergo neque ab infideli, quem scio per falsos Deos iuraturum. Secundò: quia si infidelis paratus est per Deos falsos iurare, & non constat hoc: perinde est petere iuramentum, & petere tale iuramẽtum. Ergo vel neutrum licet, vel vtrunque: maximè, quia in moralibus, explicitum, & implicitum æquiparantur. Tertiò. Licitum est non solùm petere mutuum ab vsurario: sed etiam expressè offerre vsuras, si ego sciã alterum illas desiderare: ergo idem dicendum est in casu nostræ assertionis. Quartò. Qui sic petit iuramentum; petendo scãdalizat fratrem; præbens illi occasionem ruinæ: ergo. Ad hæc statim respondetur. Ad primum, negando consequentiam: quia in iuramento falso per verum Deum, nihil boni est ad quod petatur: secùs in iuramento vero per falsos Deos, vt explicui in præcedenti disputatione. Ad secundum negatur consequentia: petitio enim per falsos Deos, intrinsecè includit obiectum malũ. At petitio iuramenti ab eo qui iuraturus est per falsos Deos, non includit malum, sed A bonum, quod iurans præstare potest. Et si objicias: multi infideles nullam habẽt notitiam, neque confusam veri Dei; & consequenter non valent iurare per illum: ergo petitio illa implicitè ad iuramentum per falsos Deos terminatur; ac proinde peccatum erit. Respondetur: qui caret notitia saltem confusa veri Dei, sua culpa caret, quia saltem in primo instanti vsus rationis eam habuit, vel potuit habere. Vnde sua culpa est illi impossibile iurare per verum Deũ: & hoc sat est vt licitè ab eo exigi possit iuramentum, quod ipse per verum Deũ præstare potest. Ad tertium respondetur primò negando antecedens. Secundò negatur consequentia: quia in casu de vsurario, clarum est qui mutuum petit, non cupere vsuras soluere: nec oblatio earum censenda est petitio; sed potius receptio vsurarum. Secùs in petente iuramentum determinatè per falsos Deos. Ad quartum respondetur. In rigore non est illud scandalum actiuum, sed passiuum. Fateor, lege charitatis, si non vrgeat aliqua causa honesta petendi iuramentum; contra charitatem proximi peccabit. Et hæc dicta sufficiant pro hac materia de periurio. B

QVÆSTIO XCIX.

DE SACRILEGIO.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm sacrilegium sit sacræ rei violatio?

Inf. art. 2. ad 3. & q. 154. ar. 10. ad 3.

D PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd sacrilegium non sit sacræ rei violatio. Dicitur enim 17. C quæst. 4. Committunt sacrilegium qui de Principis iudicio disputant: dubitantes an is dignus sit honore, quem Princeps elegerit. Sed hoc ad nullam rẽ sacram

17. q. 4. ca. Si quis suadente.

sacram pertinere videtur: ergo sacrilegium non importat sacrę rei violationem.

17.q.1.ca. Constituit. in medio.

¶ 2 Præterea. Ibidem subditur, quòd si quis permiserit Iudæos officia publica exercere, velut in sacrilegum excommunicatio proferatur. Sed officia publica non videntur ad aliquod sacrum pertinere. Ergo videtur, quòd sacrilegium non importet violationem alicuius sacri.

¶ 3 Præterea. Maior est virtus Dei quàm virtus hominis. Sed res sacræ à Deo sanctitatem obtinent. Ergo nō possunt per homines violari. Et ita sacrilegium non videtur esse sacræ rei violatio.

¶ Sed contra est, quòd Isidorus dicit in libro Etymolog. quod sacrilegus dicitur ab eo quòd sacra legit, id est, furatur.

Li.10. Etymol.ca.18. incipit Sapiens. circa medium.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut ex supra dictis patet, sacrum dicitur aliquid ex eo quod ad diuinum cultum ordinatur. Sicut autē ex eo quod aliquid ordinatur in finem bonum, sortitur rationem boni, ita etiam ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam diuinum: & sic ei quædam reuerentia debetur, quæ refertur in Deum. Et ideò omne illud quod ad irreuerentiam rerum sacrarum pertinet, ad iniuriam Dei pertinet, & habet sacrilegij rationem.

Quæst. 81. artic.5.& 1. 2.q.101. artic.4.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd secundùm Philosophum in 1. Ethi. bonum commune gentis, est quoddam diuinū: & ideò antiquitùs rectores Reipublicæ diuini vocabātur, quasi diuinæ prouidentiæ ministri: secundùm illud Sapientiæ 6. Cùm essetis ministri Regni illius, non rectè iudicastis. Et sic per quandam nominis extensionē illud quod pertinet ad irreuerentiam Principis, scilicet disputare de eius iudicio, an oporteat eum sequi, secundùm quandam similitudinem, sacrilegium dicitur.

Li.1.Ethi. c.2. in fine, to. 5.

¶ Ad secundum dicendum, quòd populus Christianus per fidem, & sacramenta Christi sanctificatus est, secundùm illud 1. ad Corin. 6. Sed abluti estis, sed sanctificati estis. Et ideò 1. Petri. 2. dicitur: Vos estis genus electum, regale Sacerdocium, gens sancta, populus acquisitionis. Et ideò id, quod fit in iniuriam populi Christiani, scilicet quòd infideles ei præficiantur, pertinet ad irreuerentiam sacræ rei. Vnde rationabiliter sacrilegium dicitur.

¶ Ad tertium dicendū, quòd violatio hic largè dicitur quæcunque irreuerentia, vel exhonoratio. Sicut autem honor est in honorante, non autem in eo qui honoratur, vt dicitur in 1. Ethic. ita etiam irreuerentia est in eo

Li.1.c.5.parum ante med.to.5.

in eo qui irreuerenter ſe habet, quamuis etiam nihil noceat ei, cui irreuerentiã exhibet. Quãtum ergo eſt in ipſo, rem ſacram violat, licèt illa in ſe non violetur.

Summa Articuli.

CONcluſio. Omne illud quod ad irreuerentiam rerum ſacrarum pertinet ad iniuriam Dei pertinet, & habet ſacrilegij rationem. Probatur, quia ex eo quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam diuinum: & conſequenter reuerentia ei exhibita refertur in Deũ, irreuerentiaque in iniuriam Dei.

Sacrilegium apud Latiniſsimos quoſque, pro rei ſacræ furto vſurpatur. Vnde ſacrilegi ij dicuntur, qui rem ſacram furantur. Et confirmat D. Iſidor. lib. 10. Etymol. c. 18. *Iſidorus.* Sed iam vocabulum extenſum eſt, ad omnem ſacræ rei violationem: & Innocentius ait dici ſacrilegium, quaſi ſacri lædium, vel vt alij volunt, quaſi ſacræ legis læſio. *Innocen.* Sacrilegij multæ dantur diffinitiones, vt videre licet apud Turrecrematam in cap. *Sacrilegium*. 17. quæſt. 4. ſed melior, & breuior eſt quæ hic traditur à D. Tho. ſcilicet; *Eſt ſacræ rei violatio, ſiue irreuerentia.* Singulis verbis explicatis, cõſpicua erit eius bonitas. Res, in diffinitione hac ſumitur generaliter, prout ſe extendit ad perſonas creatas, loca, ac alias res quocunque modo ſacras. Et ſacræ res dicuntur in propoſito, quæ aliqua lege ſiue diuina, ſiue humana, vel aliqua benedictione, aut conſecratione miniſtrorum Eccleſiæ, deſtinantur ad diuinum cultum. Quo fit, blaſphemiam, idolatriam, & huiuſmodi vitia, quæ immediatè verſantur circa Deum; non eſſe propriè ſacrilegia, ſed pertinere ad alia vitia cõtra religione. Violatio verò dicitur quæcunque irreuerentia, vel indigna tractatio: quamuis ipſis rebus ſacris, & multo minus earum autori, nullum nocumentum inferat, vt egregiè explicat *1. Thom.* D. Tho. in art. hoc, ad tertium. Rurſus nota, hanc violationẽ, ſeu irreuerẽtiam rei ſacræ, quã ſacrilegium eſſe dicimus, bifariam poſſe patrari. Vno modo, actione directa, & formali intentione facta in contumeliam, ſeu irreuerentiam rei ſacræ. Altero modo actione, quæ in ſe cõtinet irreuerentiã rei ſacræ, quacunque intentione fiat. Explicatur hoc à ſimili. Aliquis poteſt accedere ad vxorẽ alterius, vt eum inhonoret, aut vindictã ſumat: altero modo ex ſola operis voluntate, vt quando adulteriũ committit ſola carnis cõcupiſcentia ductus, & dolens quòd cum illo actu coniuncta ſit iniuria alterius, quod non obſtat quominus iniuſtus ſit. His ergo duobus modis poteſt quis cõmittere ſacrilegium, & irreuerentiam in res ſacras. Primò, ex directa, & formali intentione, quæ vix reperitur, niſi in hęreticis, aut deſperatis hominibus. Secundò, quaſi materiali volũtate: id eſt, volendo aliquid facere, ex quo ſequitur iniuria, & irreuerentia rei ſacræ: quæ licet directè intenta non ſit, eſt conſequenter volita cũ ipſo opere, per ſe loquendo. Igitur quando diffinitur ſacrilegiũ, eſſe violationem rei ſacræ; vtroque modo contingere poſſe aduertendum eſt.

Demum notandum eſt, rem ſacram violare, aut irreuerẽter tractare nihil aliud eſſe, quàm aliquid agere cõtra ſanctitatem alicuius rei ſacræ; ſiue illa ſit perſona, ſiue locus, ſiue quælibet aliæ res. Ita D. Th. art. 3. ad 3. quod explicans Caietanus dub. 5. ait, agere contra ſanctitatem alicuius rei, eſſe incurrere voluntariè in illud, ad cuius contrariũ ineſt ſanctitas illi rei, quæ eſt ſacra. Quæ dupliciter poteſt ineſſe. Primò, ex vi primæuæ inſtitutionis rei ſacræ ad cultũ Dei: v.g. quando virgo Deo dicatur, aut templũ ſiue ornamenta ad Dei cultum deſtinãtur; dicuntur ſancta ſanctitate ſuæ primęuæ inſtitutionis, ad Dei cultum ordinata. Quare ſi Eccleſiã deſtruatur, aut cultus diuinus in ea impediatur; tũc tale opus ſacrilegiũ erit, quia ſanctitas Eccleſiæ ad diuinum cultum inſtituta eſt ex vi ſuæ ſacrationis: & hoc directè impeditur per præfata ſacrilega opera. Secũdo modo ſanctitas ineſſe poteſt rei iam in eſſe ſacratò conſtitutæ per legem Eccleſiæ, volentis in reuerentiam rei ſacræ eam reddere immunẽ ab aliquo onere, aut afflictiuo: & ea immunitas ſanctitas vocatur, quia propter ſanctitatem rei ſacræ, & in eius reuerentiam ea immunitate donatur. Nec hæc acceptio vocis impropria eſt, vt quidam putant: ſed vſu frequenti apud Latinæ linguæ peritos ſancta loca dicuntur, quæ aduerſus iniuriam, & vim, religione quadam muniuntur. Et Martianus de rerum diuiſione: *Sanctum* (inquit) *propriè dicitur, quod ab iniuria hominum defenſum, atque munitum eſt.* *Martian.* Et qui agit contra hanc immunitatem, contra ſanctitatem rei

agere

agere dicitur. V.g. persona cuiusuis clerici, A est & dicitur sancta ex vi suæ primæuæ sacrationis, quia dicata ad diuinum cultum, & similiter templa. Et contra hãc sanctitatem non agit iudex sæcularis, qui causas Clericorum dijudicat, aut reos ad Ecclesiam confugientes extrahit: non enim præfata sanctitas dissipatur per has actiones. Licet vero considerare in eisdem rebus sacris aliã sanctitatem; putà quia supposito eas iam esse constitutas in esse sacro; leges feruntur in reuerentiam earum, liberantes easdem à quibusdam oneribus: v.g. ad hoc quod persona Clerici libera sit à potestate sæculari, & locus quoad hoc vt inde non possit aliB quis violenter extrahi. Et hæc immunitas sanctitas quædam est, quia ordinatur ad sanctitatem illam priorem tuendam, & ad seperandum eas res sanctas à reliquis non sanctis: sanctum enim quasi separatum dicitur. Quare actiones quæ hãc immunitatem violant, sanctitati rerum sacrarum contradicere dicuntur, & vera sacrilegia sunt: sicut & illæ, quæ priorem sanctitatem dissipant, aut violant. Sed de his specialius circa tertium articulum dicendum est.

ARTICVLVS II. C

Vtrùm sacrilegium sit peccatum speciale?

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd sacrilegium non sit peccatum speciale. Dicitur enim 17. q. 4. Committunt sacrilegiũ qui in diuinæ legis sanctitatem, D aut nesciendo committunt, aut negligendo violant, & offendunt. Sed hoc fit per omne peccatum. Nam peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: vt Augustinus dicit 22. contra Faustum: ergo sacrilegium est generale peccatum.

17. q. 4. ca. Si quis sua dẽte. à med.

Lib. 22. ca. 17. in prin. to. 6.

2 ¶ Præterea. Nullum speciale peccatum continetur sub diuersis generibus peccatorum. Sed sacrilegium sub diuersis generibus peccatorum continetur: putà sub homicidio, si quis sacerdotem occidat: sub luxuria, si quis virginem sacratam violet, vel quamcunque mulierem in loco sacro: sub furto, si quis rem sacram furatus fuerit: ergo sacrilegium non est speciale peccatum.

3 ¶ Præterea. Omne speciale peccatum inuenitur distinctũ ab alijs peccatis, vt de iniustitia speciali Philosophus dicit in 5. Ethicor. Sed sacrilegium non videtur inueniri absq; alijs peccatis, sed quandoque coniungitur furto, quandoque homicidio, vt dictum est. Non ergo est speciale peccatum.

Lib. 5. c. 2. tomo 5.

Arg. 2. huius art.

¶ SED CONTRA est, quòd opponitur speciali virtuti, scilicet religioni, ad quam pertinet reuereri Deum, & diuina: ergo sacrilegium est speciale peccatum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd vbicunq; inuenitur specialis ratio deformitatis, ibi necesse est, quòd sit speciale peccatum: quia species cuiuslibet rei præcipuè attenditur secundùm rationẽ formalem ipsius, non autem secundùm materiã, vel subiectum. In sacrilegio autem inuenitur specialis ratio deformitatis, qua scilicet violatur

res

res ſacra per aliquam irreueren
tiam: & ideò eſt ſpeciale peccatum, & opponitur religioni. Sicut enim Damaſc. dicit in lib. 4. Purpura, regale indumentum facta, honoratur & glorificatur: & ſi quis hãc perforauerit, morte damnatur, quaſi contra Regem agens. Ita etiamſi quis rem ſacram violat, ex hoc ipſo contra Dei reuerentiam agit: & ſic per irreligioſitatem peccat.

Lib. 4. fidei orthod. c. 3. circa med.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd illi dicuntur ſacrilegium in diuinæ legis ſanctitatem cõmittere, qui legem Dei impugnant. Sicut hæretici & blaſphemi, qui ex hoc quod Deo non credunt, incurrunt infidelitatis peccatum. Ex hoc verò quòd diuinæ legis verba peruertunt, ſacrilegium incurrunt.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd nihil prohibet vnam ſpecialem rationem peccati in pluribus peccatorum generibus inueniri: ſecundùm quòd diuerſa peccata ad finem vnius peccati ordinantur, prout etiam in virtutibus apparet, quibus imperatur ab vna virtute. Et hoc modo, quocunque genere peccati aliquis faciat contra reuerentiam debitam ſacris rebus, ſacrilegium formaliter commit tit, licèt materialiter ſint ibi diuerſa genera peccatorum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſacrilegium interdũ inuenitur ſeparatum ab alijs peccatis, eo quod actus non habet aliam deformitatem, niſi quia res ſacra videatur: putà ſi quis iudex capiat aliquem de loco ſacro, quẽ in alijs locis licitè capere poſſet.

Summa Articuli.

PRima concluſio. Sacrilegium eſt ſpeciale peccatum. Probatur. In eo inuenitur ſpecialis deformitas, quia in eo violatur res ſacra per aliquam irreuerentiam: & vbi inuenitur ſpecialis deformitas, neceſſe eſt inueniri ſpeciale peccatum; etenim à ratione formali ſumũtur rei ſpecies. Secunda concluſio. Sacrilegium opponitur Religioni. Probatur autoritate Damaſceni in lib. 4. fidei orthod. cap. 3. dicentis: *Purpura, regale indumentum facta, honoratur & glorificatur: & ſi quis hanc perforauerit, morte damnatur quaſi contra Regem agẽs.* Ita etiam ſi quis rem ſacram violat, ex hoc ipſo contra Dei reuerentiam agit, & ſic per irreligioſitatem peccat. Secundò probatur in argumento, ſed contrà: quia ad religionem ſpectat reuereri Deum & diuina: ergo ſacrilegium, quo violantur res ſacræ & diuinæ, opponitur religioni.

Damaſc.

DISPVTATIO VNICA.

Contra concluſiones D. Thomæ.

PRimò arguitur. Dicitur enim 17. quæſt. 4. *Committunt ſacrilegium qui in diuinæ legis ſanctitatem aut neſciendo committunt, aut negligendo violant, & offendunt.* Sed hoc fit per omne peccatum: nam peccatum eſt dictũ, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, vt Aug. dicit 22. contra Fauſtum: ergo ſacrilegium eſt generale peccatum. Secundò. Nullum ſpeciale peccatum continetur ſub diuerſis generibus peccatorum. Sed ſacrilegium ſub diuerſis generibus peccatorum continetur, putà ſub homicidio, ſi quis Sacerdotẽ occidat; ſub luxuria, ſi quis virginẽ ſacratã violet, vel quamcunq; mulierẽ in loco ſacro; ſub furto, ſi quis rẽ ſacrã furatus

Auguſt.

fuerit: ergo ſacrilegiũ non eſt ſpeciale peccatum. Tertiò. Omne ſpeciale peccatũ inuenitur diſtinctum ab alijs peccatis, vt de iniuſtitia ſpeciali Philoſ. dicit in 5. Ethic. Sed ſacrilegium non videtur inueniri abſque alijs peccatis; ſed quandoq; coniũgitur furto, quandoque homicidio, vt dictum eſt: non ergo eſt ſpeciale peccatũ. Quartò contra tertiam concluſ. prob. ſacrilegia quãplurima nõ eſſe oppoſita virtuti religionis. Nã percuſsio Clerici cõmiſſa ſolo appetitu vindictæ, & nõ ex intentione violandi perſonam ſacrã, verè ſacrilegium eſt, vt docebamus in 1. art. & tamen non eſt cõtra religionẽ, ſed contra obſeruantiam, vel duliam, ad quam pertinet veneratio perſonarũ in dignitate conſtitutarum; maximè in ſpirituali. Idem argum. fit de irreuerentia, quę fit Reliquijs, & imaginibus Sanctorum, quæ non videtur eſſe contra religionem, ſed contra virtutem obſeruantiæ, vel duliæ, ad quam pertinet veneratio Sanctorum. Confirmatur ex D. Thom. in art. 3. ſequenti, dicente, irreuerentiam iſtarum rerum in hoc conſiſtere, quod in eis perſonæ Sanctorum inhonorantur: ergo ſicut honor Sancti in imagine ſua eſt actus duliæ, & non religionis; ita irreuerentia contra imaginem, vel Reliquiam alicuius Sancti, eſt cõtra duliam, & non contra religionem. Etenim peccatum, quod committitur contra reuerentiam debitam alicui perſonæ; illi virtuti opponitur, ad quam ſpectat venerari talem perſonam: quæ certè dulia, aut obſeruantia eſt. In propoſito ergo, irreuerentia illis rebus facta, pertinebit ad vitium innominatum oppoſitum duliæ, quæ veneratur perſonas quantumuis ſanctas; non ad religionem: ac ex conſequenti, ſi illa crimina ſacrilegia ſunt, religioni non erunt oppoſita, contra D. Thom. in ſecunda concluſione. Dicet fortaſsè quis, irreuerentiam contra præfatas res ſacras in eis non ſiſtere, neque vltimatè ad eas terminari; quod ad inobſeruantiam, vel ad vitium oppoſitum duliæ pertinet: ſed ad eas res ſacras, vt aliquid pertinens ad Deum ſunt: verbi gratia: percuſsio Clerici, ad eum, vt miniſter Dei eſt; conculcatio veſtimentorum ſacerdotalium, vt ad diuina ordinantur, &c. Contrà arguitur quintò. Nam irreuerentia rerum ſacrarum ſub hac formalitate, habet pro obiecto formali, imò & immediato Deum ipſum: ergo non pertinet ad ſacrilegium; ſed ad irreligioſitatem diuerſæ rationis à ſacrilegio: putà, quæ irreuerenter tractat immediatè Deum; ſacrilegium autem mediatè irreuerentiam hanc irrogat, vt aduertit Diuus Thomas ſuprà in præfatiuncula quæſtionis 97. Probatur antecedens, quia qui ſic offendit Deum in rebus ſacris, potiùs dicitur offendere: ſicut qui Deum in imagine adorat; potiùs Deum dicitur adorare, quàm imaginem.

His non obſtantibus, ſit noſtra aſſertio. Sacrilegium eſt ſpeciale peccatum, id eſt, non generale, quod pertineat ad omnes peccati ſpecies, vt probatur à D. Thom. in art. eſtque vitium religioni oppoſitum; vt patet ex eodem.

Ex hoc infertur, ſacrilegium omne ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, id eſt, conſiderata ſua ſpecie, ac formali ratione. Probatur, quia eſt crimen oppoſitum religioni: quæ virtus excellens eſt, importãsque rationem ſuperexcedentis debiti ſupra alias virtutes morales. At religio ex genere ſuo obligat ad ſui obſeruantiã ſub mortali. Quo fit vt in indiuiduo, quotieſcunq; materia grauis fuerit, peccatũ mortale erit, vt adnotabo ſpecialiter in tribus ſpeciebus ſacrilegij, & earum gradibus, circa articulum tertium. Poteſt autem hoc peccatum eſſe veniale duobus modis, qui etiam in alijs conſiderantur. Primò, ex leuitate materiæ, vt Caietanus, & omnes Summiſtæ in verbo *ſacrilegium*, fatentur. Et ratio eſt, quia etiamſi res violata ſit ſacra, & conſequenter res grauis; poteſt irreuerentia eſſe leuis. Semper tamen neceſſarium eſt, vt abſit cõtemptus: ita vt irreuerentia non fiat ex formali intentione inferendi iniuriam rei ſacræ. Tunc enim ſemper eſt mortale, quamuis iniuria leuis eſſe videatur: quia intentio illa præ ſe fert magnam irreuerentiam. Itẽ ad iudicandum de leuitate materiæ oportet conſiderare omnes eius circunſtantias, & modum prohibitionis: vtrum ſub graui cenſura ſit ab Eccleſia prohibita. Verbi gratia, exigere obolum à Clerico in tributum, leuis materia apparet: ſi tamen cõſideretur ius, & poteſtas quæ vſurpatur, grauis materia eſt. Similiter, violenter detinere Clericum breui tempore; in ratione nocumenti, aut iniuriæ illatæ, leue reputatur: & tamen cõſiderata immunitate Clerici, ſufficit ad graue ſacrilegium, iuxta cap. *nuper.* de ſententia excommunicationis. Deniq; iudicare de leui, aut graui materia ſacrilegij, ad prudentiam pertinet: & nos aliqua docebimus circa articulum tertium ſequentẽ.

Secundo

Secundo modò poteſt eſſe peccatum veniale propter inaduertentiam: quæ licèt non ſit omninò inuoluntaria ratione negligentiæ, tamen leuiſsima eſt: & ita non eſt actus plenè deliberatus, ac proinde nec peccatum mortale.

Supereſt reſpondere ad argumenta in principio poſita. Ad primum vt reſpondeatur, oportet præmittere regulam generalem collectam ex D. Thom. art. 1. & 3. & ex Caietano dub. 5. & in Summa verbo, *ſacrilegium*, ad cognoſcendum quodnam peccatum ſit ſacrilegium, quod verò non; licèt verſetur circa rem ſacrã. Regula eſt. Quando aliquid agitur, quod directè repugnat ei vſui, vel fini ad quẽ res ſacra deſtinata eſt; ſacrilegiũ erit, aliàs verò nequaquam. Secundò notandũ, legem Dei, & diuina verba, abſque dubio res ſacras eſſe: tũ, quia ſanctificant nos, iuxta illud Ioan. 13. *Vos mundi eſtis propter ſermonem quẽ loquutus ſum vobis*: tum, quia repræſentant veritates diuinas, quas Deus vult per verba legis, & diuina alia eloquia manifeſtare. Tunc autem hæc verba, & eius ſanctitatem quis violat; quãdo repugnat ſuo opere, aut actione, ei fini ad quẽ ſanctitas eis verbis ineſt. Quod certè nõ faciunt omnes tranſgreſſores diuinæ legis: non enim tollunt, quominus legis verba non repræſentent Dei iuſſiones, conſilia, monita, & huiuſmodi, quæ pertinent ad verba diuina quatenus ſacrata ſunt. At verò qui legem Dei impugnãt, vel dicendo blaſphemè nõ eſſe Dei verba, vel eis abutuntur peruertendo eorum ſenſus ad ſuos errores ſtabiliendos, vt faciunt hæretici, aut ea accõmodant ad vſus profanos, præcipuè ad turpia, & obſcœna, ſicut ſolẽt quandoque Poëtæ facere: iſti ſacrilegium cõmittunt (mortiferum, aut veniale, iuxta nuper tradita) quia directè agunt contra finem diuinorum verborum, nempe veritates diuinas repræſentare, & Dei cultum promouere. Sed de hoc latiùs in articulo ſequẽti, agentes de gradibus tertiæ ſpeciei ſacrilegij, ad quã hæc peruerſio diuini verbi pertinet.

D.Thom. Caieta. *Ioan. 13.*

D.Thom. Ad ſecundum reſpondet D. Th. quod nihil prohibet, vnam ſpecialẽ rationem peccati, in pluribus peccatorum generibus inueniri, ſecundũ quòd diuerſa peccata ad finẽ vnius peccati ordinantur; prout etiam in virtutibus apparet, quibus imperatur ab vna virtute. Et hoc modo, quocunq; genere peccati aliquis faciat contra reuerentiam debitam ſacris rebus, ſacrilegium formaliter committit: licèt materialiter ſint ibi diuerſa genera peccatorum.

Ad tertium reſpondet idem ſanctus Doctor, quòd ſacrilegium aliquando inuenitur ſeparatum ab alijs peccatis, eo quod actus non habet aliam deformitatem, niſi quia res ſacra violatur; putà ſi quis iudex capiat aliquem de loco ſacro, quem in alijs locis licitè capere poſſet. Hanc Diui Thomæ reſponſionem quidam calumniantur, quia malitia ſacrilegij non ſumitur ex obiecto, ſed ex circunſtantijs: ergo ſemper ſupponit malitiam in actu ex obiecto. Etenim ſi actus ſit bonus ex obiecto, non videtur eſſe irreuerentia rei ſacræ; & conſequenter neque ſacrilegium. Secundò. Exemplum quod adducit Diuus Thomas non videtur verum: quia ſi aliquis contra ius extrahat reum ab Eccleſia; peccat contra iuſtitiam illius, & tenetur illi reſtituere omnia damna ſequuta, vt probabilior fert opinio in materia de reſtitutione. Ad rationem allatam reſpõdetur cum ſancto Doctore. Licèt frequẽter malitia ſacrilegij coniuncta ſit cum alijs peccatis, & in eis quodammodò fundetur: tamen certum eſt poſſe eſſe ſolam. Quod, diſcurrendo per ſingulas ſacrilegij ſpecies, manifeſtè apparet. In prima ſpecie contra perſonam ſacram: coniux habens votum caſtitatis, ſi petat debitum ab altero coniuge, ſolùm ſacrilegium committit, & non peccat contra iuſtitiam, neque contra temperantiam. Item ſi Prælatus Religionis iuſtè præcipiat verberari ſubditum ſuum; tamen ſine neceſsitate faciat illum verberari per laicum: ſacrilegus eſt tantùm contra ius poſitiuum in cap. *Vniuerſitatis*, de ſententia excommunicationis. Vnde peccatum illud non eſt contra iuſtitiã, neque cõtra aliam virtutem præter religionem. Præterea, ſi quis percutiat Clericum ipſo conſentiente, non facit illi iniuriam: & tamen ſacrilegè operatur, c. *contingit*. de ſentent. excom. In ſecunda etiam ſpecie ſacrilegij, idem videre licet in copula matrimoniali, in Eccleſia facta ſine neceſsitate; quæ ſacrilega tantùm eſt, vt videbimus inferius. In tertia etiam ſpecie multa ſunt exempla, vt in profano vſu ſacrorum vaſorum, in ſumptione indigna, vel adminiſtratione Sacramentorum, & ſimilibus. Igitur ad argumentum reſpondetur. In ſacrilegijs gratia exempli allatis, & ſimilibus; obiectum proximum eſt circunſtantia, quia tranſit in rationem obiecti, vt

latiùs dicitur prima ſecundæ in materia de circunſtantijs. Ad argumentum contra exemplum Diui Thomæ quidam reſpondent, Diuum Thomam in ea fuiſſe ſententia, vt exiſtimaret eam extractionem rei ab Eccleſia, nequaquam ad iniuſtitiam pertinere. Secundo reſpondetur, & melius, Diuum Thomam in eo argumento ſupponere id, quod antea in ſecundi argumenti ſolutione tradiderat; videlicet, malitiam ſacrilegij ferè ſemper ſuperuenire aliorum peccatorum malitijs, quæ ſacrilegio, vt materia ſubſternuntur: & hoc nō reperitur in extractione rei ab Eccleſia. Sed prima malitia ſacrilegij eſt, nullam aliam ſupponens. Iniuſtitia verò ſi ibi reperiatur (de quo alibi) conſequitur per quandam redundantiā. Igitur ibi reperitur malitia ſacrilegij, nullā aliam ſupponens: benè tamen aliqua poteſt conſequi, quaſi ex accidenti.

Vazquez. Ad quartum, Gabriel Vazquez lib. 1. de adoratione, diſputatione 6. capit. 8. concedit, eo & eius confirmatione conuictus, totum quod intendunt. Diſplicet tamen eius poſitio, vtpotè quæ aduerſatur Diuo Thomæ, & omnibus Doctoribus, qui pleno ore ea peccata commemorata in argumento vocant ſacrilegia. Et in ſacris Canonibus idem habetur: v. g. in c. *ſi quis ſuadente*, ibi, *ſacrilegij raptum*. Et pro ſolutione argumenti notandum eſt, homines puros, ſiue viros, ſiue fœminas, ſiue in ſe, ſiue in ſuis imaginibus dupliciter coli poſſe. Vno modo prout in ſe excellentes ſunt, abſoluta quadam ſanctitate, ſeu excellentia: & ſic eorum cultus ad duliam pertinet, vt Deo dante dicemus de dulia agentes. Secundo modo coli poſſunt vt Dei aliquid, ratione excellentiæ relatiuę ad Deū, putà, quia amici Dei ſunt, vt viri ſanctitate inſignes, ſiue viui, ſiue vita functi: aut quia Dei miniſtri ſunt, vt Clerici, & Monachi. Et ſic eorum cultus ad religionem pertinet, quia vltimatè in Dei reuerētiam, & propter Dei reuerentiam fit. Non diſſimiliter iudicandum cenſeo de irreuerentia facta viris ſacratis, ſiue ea fiat erga illos in ſe, ſiue in ſuis imaginibus, & Reliquijs. Nam vno modo irreuerenter poſſent tractari, ita quod irreuerentia in ipſis, & eorum excellentia ſiſteret: & ſub hac ratione vitium illud, duliæ non religioni opponeretur. Secundo modo, ita quod irreuerentia ferretur in eorum ſanctitatem, vt aliquid Dei ſunt, putà eius amici, aut miniſtri, vel aliquid ſimile. Et tunc directè vitium illud religioni opponeretur: ad quam ſpectat reuereri Deum, & diuina, vt D. Tho. dixit in argumento, ſed contrà. Et iſto modo conſideratur irreuerentia ſacrilegij, ſiue erga perſonas, ſiue erga alias res ſacras: non priore modo. Sed obijciet quis: ergo quando aliquis irreuerenter tractat perſonas ſacras, ſiue earum imagines, aut Reliquias, abſolutè non ex intentione dehonorandi eas, vt aliquid pertinēs ad Deum; nō erit ſacrilegus. Sicut quando quis colit eaſdem perſonas, non exprimendo aliquid pertinens ad Deum: ille cultus ad duliam ſpectat, non ad religionē; quia contrariorū eadem debet eſſe ratio. Reſpondetur primò negando conſequentiam. Nam ad poſteriorem iſtum cultum perſonarum ſacrarum, requiritur peculiaris intentio, quia actus virtutis eſt: quæ omnia exigit vndequaque expreſſa, & intenta. At vero ad contrariam iniuriam, non eſt hoc neceſſarium, quia actus vitij eſt: ad quem ſatis eſt, quod malitia ſit in obiecto, vt circa primum articulum adnotabam: verbi gratia: poſſum colere, aut venerari patrem meum per virtutem pietatis, præſcindendo ab omni alio: & ſi colam vt Prætor eſt, is cultus pertinet ad obſeruantiam. At ſi percutiam eundem parentem; perculſio illa ad duplex vitium pertinet, ſcilicet impietatis, & inobſeruantiæ, etiamſi non ſit intenta reſpectu vtriuſque rationis repertæ in obiecto; & etiamſi millies dicam, me nolle patrem percutere, aut iudicem. Secundò reſpondetur, quod quamuis ſpeculatiuè, & metaphyſicè poſsit præſcindi in irreuerentia ſacratum perſonarū, quòd ſint aliquid Dei: cæterum ſecundùm communem praxim, vix poteſt ſeparari. Sed ſicut coluntur communi vſu, & ſecundùm ſuam excellentiam abſolutam, & reſpectiuam ad Deum: ita & quando irreuerenter tractantur; ſecundùm vtramq; conſiderationem offenduntur. Quo fit, vt in eodem actu reperiatur malitia contra duliam; & malitia ſacrilegij contra religionem. Neque hoc eſt nouum, aut inauditum; ſed conforme dicendis etiam articulo ſequenti: vbi docebimus, tranſgreſſorem voti perfidum eſſe, & ſacrilegum; & qui percutit patrem Clericum, impius eſt, & ſacrilegus, &c.

D. Thom.

Ex his non eſt difficile ſoluere argumentum quartum. Etenim quando Clericus percutitur, in eodem actu reperitur malitia

malitia contra duliam, & præcipuè contra Religionem: & ſub hac ratione ſacrilegium dicitur. Ad confirmationem reſpondetur, Reliquias & imagines Sanctorum eſſe materiam ſacrilegij, non quatenus repræſentant Sanctos, vel ſunt partes, aut aliquid eorum, ſiſtendo in ipſis: ſic enim verum eſt, peccatum illud duliæ contrariari. Sed circa eaſdem res committitur ſacrilegium, vel quatenus irreuerentia, & inhonoratio, quæ in illis & per illas Sanctis fit, non in illis ſiſtit, ſed ad Deum tranſit, vt declaratum eſt. Et ſic eſt D. Thom. intelligendus. Aut verò quia ſecundùm Eccleſiæ vſum, hæ res habentur & æſtimantur vt quædam media ad diuinum cultum: & ideò cenſentur ſacræ, non tantùm in ordine ad Sanctos: ſed etiam in ordine ad Deum; non minus quàm aliæ res ſacræ, pertinentes ad tertiam ſpeciem ſacrilegij: de quo ſtatim.

Pro ſolutione quinti aduertendum, multipliciter poſſe irreuerenter tractari res ſacras. Vno modo, ex directa & formali intentione violandi res eas vt ſacræ ſunt, id eſt vt ſunt aliquid pertinens ad Deum. Secundo modo, non ex directa intentione, ſed actione continente irreuerentiam rei ſacræ. Et vtrouis modo ſacrilegium committitur, vt adnotaui in præcedenti articulo. Tertio modo, quando quis res ſacras violat, vt in illis faciat iniuriam Deo, aut Chriſto. Quæ violatio vix reperitur niſi in Paganis, aut deſperatis hominibus. Et talis irreuerentia immediatè verſatur circa Deum, & pertinet ad irreligioſitatem alterius rationis à ſacrilegio, vt argumentum contendit: licèt etiam ibi reperiatur ſecunda ſacrilegij ratio, quæ reperitur in primo, & ſecundo modo irreuerentiæ modò commemoratis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſpecies ſacrilegij diſtinguantur ſecundùm res ſacras?

Inf. q. 154. art. 10. ad tertium.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd ſpecies ſacrilegij non diſtinguantur ſecundùm res ſacras.

A Materialis enim diuerſitas non diuerſificat ſpeciem ſi ſit eadem ratio formalis. Sed in violatione quarumcunq; rerum ſacrarum, videtur eſſe eadem ratio formalis peccati, & quòd non ſit diuerſitas niſi materialis. Ergo per hoc non diuerſificantur ſacrilegij ſpecies.

B 2 ¶ Præterea. Non videtur eſſe poſſibile quòd aliqua ſint eiuſdem ſpeciei, & cum hoc differant ſpecie. Sed homicidium, & furtum, & illicitus concubitus, ſunt diuerſæ ſpecies peccatorum: ergo non poſſunt conuenire in vna ſpecie ſacrilegij. Et ita videtur quòd ſacrilegij ſpecies diſtinguãtur C ſecundùm diuerſas ſpecies aliorum peccatorum, & non ſecũdùm diuerſitatem rerum ſacrarum.

3 ¶ Præterea. Inter res ſacras connumerantur perſonæ ſacræ. Si ergo vna ſpecies ſacrilegij eſſet, qua violatur perſona ſacra, ſequeretur quòd D omne peccatum, quod perſona ſacra committeret, eſſet ſacrilegium: quia per quodlibet peccatum violatur perſona peccantis. Non ergo ſpecies ſacrilegij accipiuntur ſecundùm res ſacras.

¶ SED CONTRA eſt, quòd actus, & habitus diſtinguuntur ſecundùm obiecta. Sed res ſacra eſt obiectum ſacrilegij, vt dictum eſt, ergo ſpecies *Art. 1. huius quæſt.* ſacri-

ſacrilegij diſtinguuntur ſecundùm differentiam rerum ſacrarum.

Art. 1. huius quæſt.

¶ Respondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt, peccatũ ſacrilegij in hoc conſiſtit, quòd aliquis irreuerenter ſe habet ad rem ſacram. Debetur autẽ reuerentia rei ſacræ ratione ſanctitatis, & ideò ſecundũ diuerſam rationem ſanctitatis rerum ſacrarum, quibus irreuerentia exhibetur, neceſſe eſt quòd ſacrilegij ſpecies diſtinguantur. Tantò enim ſacrilegiũ eſt grauius, quantò res ſacra in quam peccatur, maiorem obtinet ſanctitatem. Attribuitur autẽ ſanctitas, & perſonis ſacris, id eſt, diuino cultui dedicatis, & locis ſacris, & rebus quibuſdam alijs ſacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad ſanctitatem hominis, qui in locò ſacro cultum Deo exhibet. Dicitur enim 2. Mach. 5. Nõ propter locum gentem, ſed propter gentem Dominus locum elegit. Et ideò grauius peccatum eſt ſacrilegium, quo peccatur contra perſonam ſacram, quàm quo peccatur contra locum ſacrum. Sunt tamen in vtraq; ſacrilegij ſpecie diuerſi gradus, ſecundùm differentiã perſonarum, & locorum ſacrorum. Similiter etiã, & tertia ſpecies ſacrilegij, quę circa alias res ſacras committitur, diuerſos habet gradus ſecundùm differentiam rerum ſacrarum. Inter A quos ſummum locum obtinẽt ipſa Sacramenta, quibus homo ſanctificatur: quorũ prẽcipuum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, quòd continet ipſum Chriſtũ. Et ideò ſacrilegium quod contra hoc Sacramentum cõmittitur, grauiſſimum eſt inter omnia. Poſt Sacramenta autem ſecundum locum tenẽt vaſa cõ- B ſecrata ad Sacramentorum ſuſceptionem, & ipſe imagines ſacræ, & Reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo perſonę Sanctorum venerantur, & dehonorantur: deinde, quæ pertinent ad ornatum Eccleſiæ, & miniſtrorũ: deinde ea quæ ſunt deputata ad ſuſtentationem miniſtrorum, ſiue ſint mobilia, ſi- C ue immobilia. Quicunque autem contra quodcunque prædictorum peccat, crimen ſacrilegij incurrit.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd non eſt in omnibus prædictis eadem ratio ſanctitatis. Et ideò differentia ſacrarum rerum non ſolùm eſt differentia materialis, ſed formalis.

D ¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd nihil prohibet aliqua duo eſſe ſecundùm aliquid vnius ſpeciei, & ſecundùm aliud diuerſarũ: ſicut Socrates, & Plato cõueniunt in ſpecie animalis. Differunt autem in ſpecie colorati, ſi vnus ſit albus, & alius niger. Et ſimiliter etiam poſſibile eſt ali-

eſt aliqua duo peccata differre ſpecie ſecundùm materiales actus; conuenire autem in ſpecie ſecundùm vnam rationẽ formalem ſacrilegij: putà, ſi quis ſanctimonialem violauerit verberando, vel concumbendo. ¶ Ad tertium dicendum, quòd omne peccatũ quod ſacra perſona cõmittit, materialiter quidem, & quaſi per accidens eſt ſacrilegium. Vnde Hiero. dicit, quòd nugæ in ore Sacerdotis, ſacrilegium ſunt, vel blaſphemia. Formaliter autem, & propriè illud ſolùm peccatum ſacræ perſonæ ſacrilegium eſt, quod agitur directè contra eius ſanctitatem: putà, ſi virgo Deo dicata fornicetur. Et eadem ratio eſt in alijs.

In ſententia habetur in Epitaphio ad Euſtochiũ virginem, à medio illius, incipit, Et ſi cũcta corporis mei.

Summa Articuli.

PRima concluſio. Secundùm diuerſam rationem rerum ſacrarum, quibus irreuerentia exhibetur; neceſſe eſt quod ſpecies ſacrilegij diſtinguantur. Probatur, quia debetur reuerentia rei ſacræ ratione ſanctitatis: & conſequenter ſacrilegium eſt maius, quanto res ſacra, in quam peccatur, maiorem obtinet ſanctitatem.

Secunda concluſio. Grauius peccatum eſt ſacrilegium, quo peccatur contra perſonam ſacram; quàm quo peccatur contra locum ſacrum. Probatur, quia ſanctitas loci, ordinatur ad ſanctitatem hominis, qui in loco ſacro cultum Deo exhibet. 2. Machabæorum 5.

2. Mach. 5.

Tertia concluſio. Sacrilegium quod contra Sacramenta committitur, eſt grauiſsimum: quibus tamen omnibus ſacrilegijs grauius eſt illud, quod contra Sacramentum Euchariſtiæ committitur. Probatur, quia inter res ſacras, ſummum gradum obtinent Sacramenta, quibus homo ſanctificatur: & inter hæc præcipuum eſt Euchariſtiæ Sacramentum.

Quarta concluſio. Quicunque peccat contra vaſa ſacra, vel imagines ſacras, vel Reliquias Sanctorum, vel ornatum Eccleſiæ, & miniſtrorum, vel deputata ad ſuſtentationem miniſtrorum, ſiue ſint mobilia, ſiue immobilia; incurrit ſacrilegij crimen. Probatur, quia ſingula iſtorum ſunt res ſacræ: & ſacrilegium conſiſtit in hoc quod aliquis irreuerenter ſe habet ad rem ſacram. Litera Diui Thomæ ſuppoſita; de ſingulis his ſpeciebus ſacrilegij, & earum gradibus ſpeciatim agendum eſt.

DISPVTATIO I.

De ſacrilegio in perſonam ſacram.

NOmine perſonæ ſacræ non intelligimus perſonas diuinas, aut Chriſtum Dominum: quia irreuerentia, quæ immediatè illis infertur, licèt aliquando ſacrilegium appelletur; non tamen ſtrictè, & propriè, ſicut in hac quæſtione agimus; ſed potiùs ad idolatriam, aut blaſphemiam, aut alia vitia contenta ſub irreligioſitate, pertinet. Neque etiã in ſpecie hac ſacrilegij intelligimus quãcunque perſonam, quę ex peculiari ſua deuotione ſe totum ad cultum diuinum applicat. Sed eam appellamus in præſentiarum perſonam ſacram, in cuius violatione committitur ſacrilegium: quæ per ordinationem ſacram, vel per ſtatum religioſum, vel per aliquid proportionale: v.g. per votũ ſimplex caſtitatis, aut alium modũ dedicationis ad cultum Dei perpetuũ ab Eccleſia approbatum, conſecratur, aut dicatur.

Hoc fundamentum communiter recipitur: contra quod tamen arguitur. Nam ex illo videtur ſequi, quamcunq; violationem, ſeu irreuerentiam contra hominem Chriſtianum eſſe ſacrilegium; quia quicunq; homo Chriſtianus, per baptiſmum, & fidem dicatur diuino cultui, & per gratiam ſanctificatur: ac proinde perſona ſacra, digna reuerentia, & honore debet dici, & vt talis tractari. Et hoc videtur expreſsè ſignificari in Concilio Toletano 4. capit. 64. & refertur capit. *conſtituit.* 17. quæſtione 4. vbi prohibetur, ne Iudæi permittantur publica officia exercere in terris Chriſtia-

Conc. Tole.

norum: vt hac occaſione Chriſtiani à Iudæis iniuriam non patiantur. Et ſubditur: *Si quis autem iudicium hoc permiſerit: velut in ſacrilegum excommunicatio proferatur.* Et Diuus Thomas citans hoc teſtimonium in ſolutione ad ſecundum primi articuli, ait in hunc modum: *Ad ſecundum dicendum, quòd populus Chriſtianus, per fidem, & ſacramenta Chriſti ſanctificatus eſt, ſecundùm illud* 1. *ad Corint.6. ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Et ideò* 1. *Petri dicitur: Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Et ideò id quod fit in iniuriã populi Chriſtiani (ſcilicet quod infideles ei præficiantur) pertinet ad irreuerentiam ſacræ rei, vnde rationabiliter ſacrilegium dicitur.* En D. Thom. irreuerentiam quæ fit cuicunque Chriſtiano, dicit eſſe ſacrilegium: nimirum contra ſacram perſonam. Reſpondetur, citra dubium quemcũque Chriſtianum eſſe, & debere dici aliquo modo ſacram perſonam, vt patet ex ratione, & teſtimonijs inductis à D. Tho. in citata ſolut. ad 2. non tamen eſt ſacra, ea ſacratione quæ ſufficit, & requiritur, vt irreuerentia ei irrogata dicatur propriè, & ſtrictè ſacrilegiũ, tum, quia nulla eſſet iniuria, nulla eſſet vel leuis læſio cuiuſuis fidelis, quæ non eſſet ſacrilegiũm; quod nullus, vt credo concedet: tum, quia ſæpè talis læſio, aut violatio, dumtaxat eſt contra iuſtitiam propriam, aut potentialem, hominibus debitam. Quare ad argumentũ reſpondetur, quòd quamuis quicunque Chriſtianus per fidem, gratiam, & Sacramenta ſanctificetur: ratione illius ſacrationis, non tenetur aliquis colere ex religione talem perſonam: & ideò neque irreuerentia illi facta, eſt contra religionem; & conſequenter, neque ſacrilegium. Ad Concilium Toletanum reſpondetur, prohibuiſſe, officia publica non eſſe exercenda à Iudæis erga Chriſtianos, quia ferè ſemper in iniuriam populi Chriſtiani formaliter exercebantur, id eſt, peculiari intentione deſpiciendi religionem Chriſtianam, aut inhonorandi Chriſtũ in tali perſona Chriſtiana, & in contemptum fidei Chriſtianæ. Et tunc talis intentio eſt contra religionem: & actus qui ex illa procedit, ſacrilegium eſt. Et ſic etiam eſt interpretandus Diuus Thomas, & verba eius id ſonant, quando inquit id fieri in iniuriã populi Chriſtiani: videlicet vt Chriſtianus eſt. Secundò reſpondetur: fortaſsè neque iniuria irrogata Chriſtiano iſto modo, ſacrilegium eſt ſtrictè, vt hic accipitur: ſed ſecundùm quod quæuis irreligioſitas ſolet vocari ſacrilegium. Eſt enim illa irreuerentia Dei magis quàm Chriſtiani hominis: nam ea potiùs eſt materia, in qua Chriſtus ipſe contemnitur, & inhonoratur. Quare potiùs blaſphemia dici debet, quàm ſacrilegium ſtrictè ſumptum, vt de illo in hac quæſtione agit D. Thom. Erit igitur perſona ſacra, quæ violatur per primam ſpeciem ſacrilegij, ea perſona, quæ vt dicebamus ratione ordinationis, vel ſtatus, vel alio modo ſpecialiter dedicatur ad diuinum cultum.

D. Thom. — 1. Corint. 6. — 1. Petri.

DISPVTATIO II.

De gradibus comprehenſis ſub hac ſpecie.

PRimus eſt, inferre manus violentas in talem perſonam, violando priuilegium, ſeu immunitatẽ, qua decoratur. Et dicitur Canonis immunitas, propter capitulum *ſi quis ſuadente.* 17. quæſt. 4. Secundus gradus eſt, violatio fori circa eandem perſonam. Qui licet poſsit reperiri ſine primo gradu, vt quando iudex ſecularis citat Clericum, vt ſuo tribunali aſsiſtat, quando inquirit de eius cauſis: tamen magna ex parte in primo comprehenditur; vt quando idem iudex Clericum in carcerem mittit, vel apprehẽdit. Ibi enim, & reperitur violatio fori; eſt enim Clericus omnis exemptus à ſeculari foro, & violatio illius exemptionis contra libertatem debitã perſonæ ſacræ, quia ſancta eſt; ac proinde in materia religionis repoſita: & reperitur etiam manuum violentarum iniectio, quæ ſacrilega eſt, ſiue ex natura rei, ſiue ex Eccleſiæ præcepto. Quidam aiunt, etiam pertinere ad ſacrilegium perſonale, violatio immunitatis Clericorũ à ſoluendis tributis, & ab alijs ſeruilibus oneribus. Alij ad tertiam ſacrilegij ſpeciem. Parum refert, ſic, aut ſic agere. Nos hæc ſacrilegia ad tertiam ſpeciem remittimus. Tertius eſt, violatio perſonæ ſacrę per fornicationem, aut ſimile quid turpe. Quartus gradus ſacrilegij eſt, quod committitur in fractione voti cuiuſque, ſiue realis, ſiue perſonalis. De quo gradu quidam dubitant, an ad ſacrilegium pertineat: & nos inferius diſputabimus.

Primus

Primus gradus sacrilegij habetur expres A sus in Canone citato, *si quis suadente diabolo.* in cuius declaratione non est modò immorandum. Remittimus Lectorem ad materiam de excommunicatione, vbi latè ille Canon explicatur: & docetur quæ sint istæ personæ sacræ; Clerici scilicet, Monachi, ac Moniales: quæ dicantur manus violentæ; de qua re multa Iurisperiti, ac Summistæ, verbo, *sacrilegium.* verbo, *immunitas Ecclesiastica.* & verbo, *excommunicatio.* Solùm in hoc locò dubitari poterat: an iniuria facta Clericis per manuum violentarum iniectionem, sit sacrilegium ex natura rei, secluso iure positiuo? quia illo secluso, videtur irrogari iniuria contra virtutem Religionis, vt pote illata personæ sacræ: an verò tantùm ex iure positiuo? quo secluso, ea iniuria esset tantùm contra iustitiam. Hæc posterior pars mihi verisima videtur, & ferè ab omnibus approbata, præcipuè à domino Caietano in hac quæst. ad quintum dubium, dicente, talem iniuriam secluso iure positiuo illius citati Canonis, non esse contra sanctitatem personæ debitam; sed dumtaxat contra iustitiam: quia ex natura rei non esset debita talis immunitas personis sacris, ex peculiari titulo sanctitatis, nisi Ecclesia suo præcepto id effecisset. Habet autem Ecclesia potestatem sua iussione, reponendi actum intra obiectum virtutis, & vitij, ad quod antea non pertinebat, vt dicitur in materia de legibus, & nos amplius declarabimus. Et confirmatur: quia in aliquibus casibus, videlicet quando Clericus non gaudet priuilegio Canonis; percutiens Clericum non inducit excommunicationem: ac ex consequenti, percutiens non est sacrilegus, sed iniustus: ergo signum est, hoc sacrilegium tantùm esse de iure positiuo. Circa tertium, & quartum gradum sacrilegij est

DISPVTATIO III.

An omnis frangens votum sit sacrilegus?

Caietan. CAietanus in responsione ad primum dubium, tenet partem affirmatiuam, dicens primò. Peccatum frangentis votum, propriè loquendo perfidia est, contraria fidelitati, quæ Deo debetur ex vi voti: secundò dicit, eam perfidiam sub sacrilegio contineri. Probat, quoniam eo ipso quod res, vel actus, vel persona Deo promissa est; ordinata est ad diuinum cultum: ac per hoc eius substractio, quæ in transgressione voti fit, sacrilegium. Item quia D. Thom. in fine huius tertij articuli ait, sacrilegium esse, si virgo Deo dicata fornicetur. Constat namque non solùm solemni, sed simplici voto virginitatis, fieri virginem Deo dicatam. Vnde sicut mulier vouens abstinentiam à Venereis, dicat se ipsam Deo quoad immunitatem ab his: ita vouens ieiunium, vel aliud personale, dicat se ipsum quoad illud, & sanctificatur persona quoad hæc, huiusmodi votis. B Et propterea si transgreditur, peccat contra sanctitatem suæ personæ, peccato sacrilegij. Et pari proportione loquitur Caietanus de votis realibus; siue de re mobili, siue immobili transgressit, sacrilegus est contra sanctitatem rerū, omittendo adimplere. Et ideò negans legatū Ecclesiæ, sacrilegus dicitur in iure, vt patet 17. quæst. 4. cap. *sacrilegium.* cum multis alijs ibidem. Et hinc vltimò infert, quòd frangens ieiunium votiuum; si comestio est ordinata, peccat peccato sacrilegij: si verò inordinata, peccato gulæ, & sacrilegij: frangens autem ieiunium Ecclesiæ; tantum peccat peccato gulæ: quia Ecclesia illum actum reposuit sua iussione in materia temperantiæ. C

D. Thom. *Caietan.*

Suarez.

Franciscus Suarez in lib. 3. de sacrilegio, cap. 3. conuenit cum Caietano in primo dicto; discordat autem in cæteris dictis, asserens, probabiliter posse dici oppositum. Et cum soluat argumenta Caietani, tandem sibi magis placet opposita sententia. Quæ probatur primò: quia fractio voti perfidia est, quæ immediatè contra Deum committitur: sacrilegium verò, immediatè contra rem sacram: ergo si fractio voti ad perfidiā pertinet; ad sacrilegium minimè pertinere potest. Probatur consequentia: quia perfidia, & sacrilegium, sunt peccata quasi genere diuersa, vt colligitur ex D. Thom. in principio quæstionis 97. distinguentis peccata, quæ directè pertinent, & immediatè ad irreuerentiam Dei; vt omninò diuersa à sacrilegio, quod immediatè fertur in irreuerentiam rerum sacrarum. Ergo perfidia illa non potest contrahi essentialiter per sacrilegium. Secundò, nam ieiunium ex voto impletum, non habet aliam honestatem Religionis, nisi quia est fidelitas quædam ad Deum: ergo è contrario, fractio ieiunij votiui tantum habet malitiam infidelitatis. Tertiò materia illa non aliter di-

D

citur cõſecrata Deo, niſi quia illi promiſ- A
ſa eſt: ergo contraria omiſsio, vel actio, non aliter eſt violatio rei ſacræ, niſi in quantum non eſt impletio promiſsionis. Et idem videtur eſſe cum proportione de voto caſtitatis, per quod magis videtur perſona conſecrari Deo, quàm per alia vota particularium actuum: & tamen illa conſecratio, non eſt niſi obligatio orta ex promiſsione: ergo neque violatio illius ſanctitatis, aliud eſt quàm infidelitas promiſsionis. Confirmatur. Sola promiſsio facta Deo non facit rem ſacram, niſi in ordine ad fidelitatem Deo ſeruãdam: ergo violatio eius rei, dumtaxat habet malitiam perfidiæ. B

Nihilominus Caietani ſententia mihi magis placet: tùm quia communiter approbatur: tùm quia ſolidioribus rationibus fulcitur: tùm tertiò quia argumenta oppoſitæ ſententiæ, facilis ſunt ſolutionis: ad quam accingi oportet, quia inter ea ſoluenda ſententia Caietani etiã magis ſtabilietur.

Ad primum reſpondetur, vnam ſpeciem vt ſic, non ſpecificari formaliter per aliam; quaſi vna ſit differentia aut genus alterius. Cæterùm vna ſpecies vitij, benè contrahitur per aliam, & ſubſternitur illi, vt in materia caſtitatis: v. g. fornicatio ſpecificatur per ſacrilegium in virgine ſacra, vt ait C
D. Thom. in hoc articulo ad tertium. Et in adulterio luxuria ſpecificatur per iniuſtitiam. Et in materia Religionis, ſiquis promittat dare aliquid Deo ſub iuramento; fractio talis iuramenti eſt perfidia, contracta ad periurium. Sic etiam fractio voti poteſt eſſe perfidia contracta ad ſacrilegium: contracta (inquam) ſicut contractio reperitur in materia morali. Hanc ſolutionem præuidit præfatus autor; nec aliter eam impugnat, niſi quia ex ea ſequitur, in omni voti fractione eſſe duas malitias, vnam perfidiæ, & alteram ſacrilegij; quod incredibile videtur: nec ſunt multiplicandæ malitiæ actuum prauorum ſine vrgenti ratione. Nos verò nullum reputamus inconueniens illatum: nec multiplicamus malitiam in actibus malis, ſine vrgenti ratione. Satis ſuperque vrgentem putamus rationẽ Caietani: quia in omni fractione voti reperitur violatio, & irreuerentia rei ſacræ: ergo & ſacrilegium. Quòd verò illa violatio ortum habeat ex perfidia, nec ne: impertinens eſt ad propoſitum. Sicut quod ſacratio perſonæ oriatur ex promiſsione, vel ex lege Eccleſiaſtica, vel alia via; parum refert vt ſacrata ſit.

Ad ſecundum negatur conſequentia: quia ſicut ſtat multiplicari vitia non multiplicata virtute, cui contrariantur, vt in materia Religionis perſpicuum eſt: ita benè ſtat actui virtutis, qui vnicam tantùm rationem honeſtatis habet; contrariari vnum actum habentem plures malitias, quæ ex læſione illius honeſtatis vnicæ reſultant. Verbi gratia, adoratio imaginis Crucifixi, vnicam tantùm habet rationem honeſtatis, pertinentem ad Religionem: & tamen cõculcatio eiuſdem imaginis habet duplicem malitiam: vnam pertinentem ad vitium irreligioſitatis, qua fit Deo immediatè iniuria: alteram pertinentem ad ſacrilegium qua fit iniuria rei ſacræ. Sic dicere oportet in noſtro propoſito: quare ad argumentum negatur conſequentia.

Ad tertium reſpõdetur. Prius natura res intelligitur promitti, quàm ſacratam fieri. Sacratio enim illa eſt quaſi effectus promiſsionis: & ideò prius natura intelligitur fractio voti per perfidiam, quàm irreuerentia facta rei ſacratæ per ſacrilegium. Quare diſtincto antecedenti ad modum explicatum, negatur conſequentia, ſi ſermo formalis ſit. At ſi ſermo ſit cauſalis, conceditur: quia ex non impletione promiſsionis oritur, quòd violetur res ſacra, quæ violatio ad ſacrilegium pertinet. Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens. Quamuis enim rei ſacratio in propoſito, oriatur ex promiſsione Deo facta, tamen ſanctitas rei promiſſæ vt ſic, quid natura poſterius eſt, quàm debita Deo fidelitas. Quod patet: quia ſi per poſsibile, vel impoſsibile reperiretur ſine debito promiſsionis; nequaquam ad fidelitatem Deo ſeruandam referretur. Præterea, falſitas eiuſdem antecedentis efficaciter probatur: quia benè ſtat ſanctitatem ortam à promiſsione violari; ac proinde ſacrilegium committi, D
nullo commiſſo peccato perfidiæ immediatè contra Deum: ergo promiſsio non ſolùm facit rem ſacram in ordine ad fidelitatem Deo ſeruandam; ſed etiam ne violetur res ſacra per ſacrilegium. Antecedens patet, quando quis per vim ſubagit monialem, aut aliàs fœminam Deo dicatam per votum ſimplex caſtitatis. In quo caſu citra dubium, & ex communi conſenſu reperitur ſacrilegium propriè & ſtrictè, & tamen non reperitur peccatum perfidiæ, neque ex parte fœminæ, neque ex parte viri. Ex parte fœminæ res clara eſt: quia violatur inuita. Ex parte viri violatoris, probatur:

batur: quia ipſe nullum feciſſe votum caſtitatis ſupponimus, neque etiam cooperatur perfidiæ fœminæ: quia nulla eſt ex parte eius. Et hinc ſumitur etiam argumentum pro noſtra ſententia: quia in caſu poſito committit vir violator ſacrilegium, nõ ob aliud, niſi quia violat fœminam Deo per votum dicatam: ergo etiam ipſa fœmina, ſi ſuo corpore abutatur, ſacrilegium committit. Confirmatur. Sanctimonialis cõmiſcens ſe viro, ſacrilegium committit, vt omnes Doctores, & Summiſtæ aſſeuerant: ergo fœmina dicata Deo per votum ſimplex caſtitatis. Probatur conſequentia: quia eſſe dicatam fœminam per votũ caſtitatis ſolemne, aut ſimplex, videtur ad rem parum referre. Præcipuè in opinione eorum, qui probabiliter aiunt, votum ſolemne & ſimplex de eodem obiecto, nõ differre eſſentialiter, ſed accidentaliter. Et hoc videtur docere D. Thom. in ſolutione ad tertium expreſſe, dicens, virginem Deo dicatam ſi fornicetur, peccare peccato ſacrilegij. Et ſubdit: *eadem ratio eſt in alijs.* Et idem Angelicus Doctor ſecunda ſecundæ quæſtione 154. art. 10. ait, communiter dici, peccatum luxuriæ eſſe ſpeciem ſacrilegij. Et Concilium Toletanum ſecundum cap. 1. expreſſe: *Clerici votum caſtitatis frangentes, dicuntur ſacrilegi.* Nec ſatisfacit ſolutio dicentium, ibi non fieri ſermonem de ſacrilegio ſtrictè, & propriè, pro vt hic loquimur: ſed largè ſecundùm quod omne peccatum contra Religionem, ſacrilegium dicitur. Nam D. Thom. in hoc articulo, & in loco citato, non eſt veroſimile ſic fari; aliàs confuſè ſatis procederet: quod valde alienum eſt à methodo, & doctrina eius. Certè nulla mihi dubitatio eſt, diuũ Thomam expreſſe ſenſiſſe, fœminam Deo ſacratam per votum ſimplex; ſi fornicetur, ſacrilegium propriè & ſtrictè committere. Ex quo benè infert Caietanus, fractionem cuiuſuis voti, ad idem crimen pertinere, ſimul & ad perfidiam. Affinis præcedenti eſt

D. Thom.

Conc. Tole.

Caietan.

A

B

C

D

DISPVTATIO IIII.

An tota ratio ſacrilegij circa perſonam ſacram in materia caſtitatis, dimanet ex voto? An verò ſecluſo voto poſsit reperiri ſacrilegium in materia caſtitatis?

DVbitatio hæc non poteſt procedere niſi in Clericis, qui etiam ſecluſo voto caſtitatis (quod ordini ſacro eſt annexum in Eccleſia Occidentali) dicuntur & ſunt perſonæ ſacræ, dicatæ ad cultum diuinum. Et pro parte affirmatiua ſtatim ſe offert argumentum; quia etiam ſecluſo voto, Clerici omnes ſunt perſonæ ſacræ, vt pote dicati ad diuinum cultum: ergo etiam ſecluſo voto, turpitudo quacunque in materia caſtitatis, eſt violatio perſonæ ſacræ, ac ex conſequenti ſacrilegium.

Pro deciſione dico primò. Secluſo voto, Clerici tantùm initiati minoribus ordinibus, ſi fornicentur non peccant peccato ſacrilegij: aut fortaſsè veniale illud eſt; ac ex conſequenti ea circunſtantia non eſt neceſſariò aperiẽda confeſſori. Hoc aſſertum credo eſſe commune apud omnes: quia iſti non ſacrantur, aut dicantur ad vſum caſtitatis, neque peccatum contra caſtitatem repugnat actibus illis, ad quos præfati Clerici conſecrantur.

Dico ſecundò. Idem omninò aſſero de Diaconis, & Subdiaconis ſecluſo voto; & propter eãdem rationem. Quapropter exiſtimo non eſſe neceſſarium, explicare in confeſsione ſe eſſe Diaconos, aut Subdiaconos: ſed ſat erit dicere, ſe habere votum caſtitatis. Etenim per tale peccatum non violatur formaliter perſona ſacra, vt ſacra eſt; ſed ad ſummum materialiter: ergo tale peccatum non eſt ſacrilegium, vel ſi eſt, erit tantùm veniale.

Dico tertiò. Probabile eſt aſſerere, Sacerdotes legis gratiæ fornicantes committere peccatum ſacrilegij. Probatur: quia per tale peccatum, grauiter polluuntur in ordine ad dignam, & conuenientem adminiſtrationem ſui muneris, quod magnã munditiam exigit: maximè à turpitudine Venerea. Vnde in lege veteri hæc munditia cõmendabatur Sacerdotibus, vt colligitur Leuit.

Leuit. 21. Leuitic. 21. & alijs locis, & ex primi Reg. A
1. *Reg.* 21. 21. imò & apud Gentiles Sacerdotes, quasi dictante naturæ lumine, vt ostendit Tiraquellus in legibus connubialibus. l. 15. *Tiraquel.* à numero 118. Secundò, quia quando aliquis in Sacerdotem consecratur, dedicatur persona ad ministerium altissimum, & mundissimum, cui turpitudo Venerea non parum repugnat. Tertiò: quia communiter viri docti asserunt, Sacerdotem fornicantem, si in confessione dicat tantùm se habere votum castitatis; omittere circunstantiam necessariò confitendam, non dicens se esse Sacerdotem: ergo, &c. Dices: non quia omittit specialem rationem sacrilegij: sed quia omittit circunstantiam notabiliter aggrauantem. Sed certè hoc nil valet: quia ea circunstantia ad propriam rationem sacrilegij pertinet. B

Sed contra hoc assertum arguitur: quia blasphemia in ore Sacerdotis, non minus polluit personam Sacerdotis, & impedit illam à sacro ministerio, quàm fornicatio: & tamen communiter dicitur, non esse sacrilegium contra personam Sacerdotis. Ita *Caietanus.* Caietanus hic dubio quinto, Nauarrus in *Nauar.* Summa capite sexto, numero 13. & in cap. *consideret.* de pœnitentia. distinctione quinta. numero 50. Item quia aliàs omnia peccata Sacerdotis grauia, essent sacrilegia ex parte personæ. C

Ad hæc argumenta respondetur, blasphemiam Sacerdotis grauius crimẽ esse quàm fornicatio. Cæterùm non ita aduersatur mundiciei requisitæ in Sacerdote, sicut turpitudinis vitium: quia fornicationis crimen, & immergit mentem, & ad ima deprimit plusquam cætera vitia: quæ immersio valde magnum impedimentum est ad Sacerdotij munus; quod eleuationem mentis exposcit peragendum. Vnde *Augustin.* August. lib. de honestate mulierum cap. 2. ante medium: *Inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis: vbi est quotidiana pugna, & rara victoria.* Et idem Augustinus in primo soliloqui. cap. 10. *Nil esse sentio* (ait) *quod magis ex arce deijciat animum virilem, quàm blandimenta fœminæ, corporumq; ille contactus, sine quo vxor haberi non potest.* Et Isidorus libro secundo de *Isidorus.* summo bono cap. 39. ait, quòd magis per carnalẽ luxuriam humanum genus subditur diabolo, quàm per aliquid aliud: scilicet quia per illud homo immergitur plus in cœno voluptatis; & difficilius est emergendi habere potestatem. Quare ad argumentum negatur maior, & ex eodem principio negatur, omnia peccata grauia Sacerdotis esse sacrilegia; etiamsi grauiora sint fornicatione. Et hæc est expressa mens D. Tho. in hoc articulo ad tertium, qui respondens ad hoc argumentum ait: *Omne peccatũ quod sacra persona committit, materialiter quidem & quasi per accidens est sacrilegium. Vnde Hieronymus dicit, quòd nugæ in ore Sacerdotis, sacrilegium sunt, vel blasphemia. Formaliter autem, & propriè illud solùm peccatum sacræ personæ sacrilegium est, quod agitur directè contra eius sanctitatem, putà si virgo Deo dicata fornicetur, & eadem ratio est in alijs.* Vbi existimo comprehendi Sacerdotes fornicantes. *D. Thom.* *Hierony.*

De sacrilegio contra locum sacrum.

SEcunda species sacrilegij est quando violatur locus sacer. Sed modo præmittendum, locum sacrum, cuius violatio sacrilegium dicitur, eum esse, qui ad actiones diuini cultus exercendas peculiariter deputatus est; præcipuè ad orationes, & sacrificia: siue hæc deputatio fiat per cõsecrationem Episcopi, aut per benedictionem, aut quomodocunque autoritate Episcopi destinatus sit ad publicè exercendas sacras actiones: verbi gratia, sacrificandum. Ita videtur declarasse Gregorius nonus in *Grego. IX.* cap. *Ecclesia.* de immunitate Ecclasiarum. Et ita sentit Abbas ibidem, & clarius in ca- *Abbas.* pite vltimo de censibus. numero quarto, & Syluester verbo *immunitas.* 5. quæstione *Sylues.* 1. in fine, & alij. Quo fit, vt Oratoria autoritate Episcopi fundata, ac eremitoria, sint loca sacra, etiamsi sint interdicta & polluta; & etiamsi non cœperint in eis officia diuina celebrari: quidquid dicat Glossa in illo capite. Et ratio est aperta, quia talia loca veræ Ecclesiæ sunt. In hac specie multi continentur gradus inferius numerandi: circa quos sit D

∴

DISPVTATIO V.

An omnes actiones ſacrilegæ ex circunſtantia templi, ideſt, quia factæ in templis, habeant malitiam ſacrilegij ex naturali lege, prohibente ſacra templa non debere irreuerentur tractari? An verò, quia leges Eccleſiaſticæ prohibent eas actiones fieri in templis?

QVæ diſputatio nimis affinis eſt, imò fortaſſe pendet ex alia: An omnes actus habentes aliquam diſconuenientiam cum loci ſacri ſanctitate, ſint ſacrilegia? Quare vtraque dubitatio ſimul agitanda eſt. Circa quod, mirum eſt quã variæ ac diſcordes ſint Doctorum ſententiæ. Prima ſententia affirmat duo. Primum eſt, omne peccatum in Eccleſia perpetratum eſſe ſacrilegium ex ipſa rei natura, & ſecluſa iuris poſitiui Canonici prohibitione. Secundò dicit, ex alijs actibus, qui extra Eccleſiam peccata non ſunt; aliquos eſſe ſacrilegia ſi in Eccleſia fiant, ſæpe ex ſpeciali prohibitione Eccleſiæ, & aliquando ex natura rei. Hæc ſententia quoad priorem partem videtur eſſe *Sylueſter.* Sylueſtri verbo *confeſſio.* 1. quæſt. 10. & verbo *ſacrilegium.* §. quintum. & clarius, *Corduba.* verbo *immunitas.* 1. num. 5. Cordubæ in *Medin.* Summa quæſt. 190. Medinæ Codice de cõfeſsione, quæſt. de circunſtantia loci ſacri. Poſterior pars huius ſententiæ, qua ratione affirmat aliquos actus in Eccleſia exercitos eſſe ſacrilegia ex ſola iuris poſitiui prohibitione; qui alias non eſſent peccata: manifeſta eſt in multis: verbi gratia, copula matrimonialis extra Eccleſiam nullum eſt peccatum: & in Eccleſia eſt ſacrilegium propter prohibitionem iuris poſitiui. Similiter, exercere iudicaturas iuſtas extra Eccleſiam, opus virtutis eſt: & in Eccleſia propter prohibitionem iuris, ſacrilegium eſt, &c. Sed quatenus aſſeritur, aliquos actus eſſe ſacrilegia ex natura rei, qui alias liciti eſſent extra Eccleſiam, ſecluſo iure poſitiuo (quod magis difficile eſt, & controuerſum) probatur in mercatura, & conuiuijs ſeu comeſtionibus in Eccleſia factis, & alijs huiuſcemodi. Et quidam dicunt eſſe expreſſam D. Thom. ſententiam, de comeſtionibus in Eccleſia. Sed de hoc inferius, dum ſpecialiter tractabimus de hoc genere actionum.

Ex his videtur colligi probatio prioris aſſerti huius ſententiæ: nẽpe omne peccatũ in Eccleſia perpetratum eſſe ſacrilegium ex natura rei, etiam ſecluſo iure omni poſitiuo id prohibente. Nam ſi aliquæ actiones, quæ non ſunt peccata, ſi tamen fiant in ea, ſunt ſacrilegia propter irreuerentiam erga locum ſacrum, quam ſecum afferunt ex natura ſua: ergo multo magis ſacrilegia erunt omnia peccata perpetrata in Eccleſia; quia magis ſunt contra reuerentiam loco ſacro debitam, quàm actus indifferentes relati, & qui poterant referri. Imò aliquando actus virtutis extra Eccleſiam, vt copula maritalis, ſi intra illam fiat, ſacrilegium eſt: ergo quoduis peccatum, potiore iure ſacrilegium erit: quia multò maiorem irrogat irreuerentiam peccatum, quã actus aliàs virtutis, & probitatis. Alia ſententia eſt ferè eadem cum proximè præcedenti: in hoc ſolo diſcordans ab ea, quia aſſerit, omnia peccatã exteriora in Eccleſia facta eſſe ſacrilegia ex natura rei, & ſecluſo iure poſitiuo: peccata verò interiora, nequaquam. Ratio diſcriminis eſt: quia peccata exteriora in Eccleſia perpetrata, per ſe, & ex natura ſua dicunt ordinem ad locum ſenſibilem: & ideò aliquam irreuerentiam ſacri loci continent; ac proinde ſacrilegia ſunt. An verò venialia, vel mortalia; ex alio capite penſandum eſt. Ita Franciſ- *Suarez.* cus Suarez in primo tomo de Religione, lib. 3. cap. 7. Et ſecunda pars de interioribus peccatis, non abſolutè intelligitur ab eodẽ autore de omnibus peccatis internis; ſed tantùm de his, qui in ſuo obiecto non includunt circunſtantiam loci ſacri: de quo ſtatim.

Alia ſententia aſſerit, nullum eſſe ſacrilegium contra locum ſacrum ex natura rei: ſed omnia haberi ex iure poſitiuo prohibente ne talis actus in Eccleſia fiant. Probatur primò: nam vt aliquis actus ſit ſacrilegium, debet habere repugnantiam ſpecialem, cum eo ad quod locus ſacer conſecratur, aut dicatur. Sed huiuſmodi conſecratio aut dicatio ex iure poſitiuo habetur; non ex natura rei: ergo omne ſacrilegium contrà locum ſacrum, ex iure poſitiuo habetur, non ex natura rei. Minor nota eſt: quia nullus locus naturaliter ſacer eſt; ſed ex conſecra-

cratione, aut benedictione, aut deputatione ad diuinum cultum ſacer efficitur. Maior verò probatur: quia ob id locus ſacer per ſacrilegium violatur: quia repugnat ei ſanctitati & cultui, ad quem locus ſacer deſtinatus eſt: ergo.

Secundò. Nō omnia peccata perpetrata in Eccleſia, ſacrilegia ſunt: verbi gratia, murmurare de proximo; ſcribere libellum infamatorium in Eccleſia, diuulgandū extra Eccleſiam, & huiuſmodi: nimis enim durum eſſet id aſſerere, & durius & inuſitatum id aperire in confeſsione. Ergo quod aliqua ſint ſacrilegia, & non alia, non poteſt aliunde melius iudicari, quàm ex Eccleſiæ prohibitione vetantis aliquos actus, propter repugnātiam ſpecialem, quam habent cum illo fine, ad quem loca ſacra deſtinata ſunt, ac ſacrata. Confirmatur: quia hac ratione, non omne peccatum commiſſum contra perſonam ſacram, vel à perſona ſacra, ſacrilegium eſt, vt docet D. Thom. *D. Thom.* in ſolutione ad ſecundum huius articuli: ergo idem à fortiori dicendum eſt de loco ſacro. Confirmatur ſecundò. Furtum in Eccleſia eſt ſacrilegium: at periurio decipere quempiam non eſt ſacrilegium. Item percutere aliquem in Eccleſia ſine vulnere, aut emiſsione ſanguinis non eſt ſacrilegiū: eſt verò vulnerare, aut ſanguinem effundere. In his autem & ſimilibus, non poteſt aſsignari ratio diſcriminis, quare hæc ſunt ſacrilegia, illa verò non; niſi ex lege poſitiua prohibente quædam fieri in loco ſacro, & non alia. Ergo ſimile argumentum poteſt fieri in actibus quibuſdam, qui extra Eccleſiam non ſunt peccata. Imò aliquando virtutis actus, in Eccleſia ſunt ſacrilegia, propter prohibitionem Eccleſiæ. Ex hoc ſumitur argumentum pro hac ſententia. Nam circunſtantia, quæ per ſe non poteſt transferre actum de non malo in malum, niſi interueniat ſpecialis prohibitio, non poteſt addere actui aliàs malo, nouam ſpeciem malitiæ, niſi ratione ſpecialis prohibitionis. At circunſtantia loci ſacri, non poteſt transferre actum de non malo in malum, niſi interueniat ſpecialis prohibitio, vt patet in iudicio, & mercatura in Eccleſia exercitis: ergo neque quando actus eſt aliunde malus erit ſacrilegium ratione loci ſacri, niſi propter Eccleſiaſticam prohibitionem.

Caietan. Hanc ſententiam videtur tenere Caietanus in hac quæſtione ad quintum dubiū, quo quærebatur, in quo conſiſtat directè agere contra ſanctitatem loci; quod requiri ad ſacrilegium ait D. Thom. in hoc articulo ad tertium: & reſpondit Caietanus, conſiſtere in hoc quod eſt incurrere volūtariè in illud, ad cuius contrarium ineſt ſanctitas loco: verbi gratia, ad hoc vt non poſsit inde aliquis extrahi violenter, vel aliquid huiuſmodi. Et in primo tomo opuſculorum tractatu 31. qui eſt 17. reſponſionum, in 12. dubio ſecundo, tunc circunſtantiam loci ſacri, ait, eſſe circunſtantiam neceſſariò confitendam alicuius actus, quando ille eſt prædicto modo contra ſanctitatem loci ſacri. Et addit exceptiuam: *Et non aliter*, ſcilicet quando agitur contrà id, ad quod locus cōſecratur, vel ſanctificatur. Sanctificari autem ad hunc vel illum effectum, ſolùm eſt ex lege poſitiua, ſtatuente vt hoc, vel illud non fiat in tali loco in irreuerentiam eius: quia hoc ex ſola rei natura diffiniri non poteſt, etiam ſuppoſita talis loci benedictione, vt conſtat exemplis, quę vtroque loco adducit. Et ideò in priori loco ſtatim ſubiungit, poſſe Eccleſiam ſua prohibitione facere, vt ſit ſacrilegiū quod de ſe non erat ſacrilegium. Quibus verbis videtur ſentire, per huiuſmodi prohibitionem fieri, & non aliter. Et idem inſinuarat prima ſecundæ, quæſt. 7. vbi ait, omne peccatum aggrauari ex circunſtantia loci ſacri per accidens, id eſt in ſua malitia ſpecifica: non verò nouam malitiæ ſpeciem contrahendo. Hanc etiam opinionem clarius tenet Dominicus de Soto, lib. 2. de iuſtitia *Sotus.* quæſt. 4. art. 4. vbi dicit, ſacrilegium in loco ſacro eſſe ratione Eccleſiaſtici ſtatuti, vt ſi ſanguis vel ſemen in loco ſacro effundatur. Imò addit, locum ſacrum non contaminari niſi duobus dictis modis: *Nam etſi in Eccleſia* (inquit) *peieres, vel blaſphemes, non eſt ſacrilegium.* Idem ſentit Victoria in *Victoria.* Summa 4. quæſt. 196. quatenus negat, locum ſacrum eſſe circunſtantiam neceſſariò confitendam, niſi in caſibus prædictis. Itē Angles in florib. quæſt. 9. in difficult. an locus ſacer in quolibet peccato ſpeciem mutet? *Angles.* & Nauarrus in Man. cap. 6. num. 11. §. 6. & latius in cap. *conſideret.* de pœnitentia. diſt. 5. in principio n. 19. 20. 21. & 39. *Nauar.* quem ſequitur Gutierrez lib. 1. Canon. quæſt. cap. 31. num. 35. & alij moderni, quos refert Sanctius, lib. 9. de Matrimonio diſputatione 15. num. 5. *Gutierrez.* *Sanctius.*

Pro deciſione huius difficultatis, quæ & numero opinantium, & argumentorū valde dubia eſt, ſit prima aſſertio. Non omnia pec-

peccata, quæ in Ecclesia fiunt, sunt sacrilegia: sed ea sola peccata, quibus agitur directè contra sanctitatem locis sacris debitam: ideſt ea peccata sola, quæ continent contrarietatem, & specialem repugnantiam in illud, ad cuius contrarium ineſt sanctitas loco sacro. Hæc assertio illustratur exemplis. Effundere semen, aut sanguinem in Ecclesia, sacrilegia sunt: quia continent specialem contrarietatem, in ea ad quæ Ecclesiæ consecratæ sunt, ac dicatæ, putà vt sint immunes à fornicatione, & homicidio, ac sanguinis effusione, siue ista immunitas proueniat ab Ecclesiæ prohibitione, siue ex natura rei, de quo statim. At blasphemia, & periurium in Ecclesia, non sunt sacrilegia: quia licèt aliqualem habeant dissonantiam in templis patrata: non tamen specialem repugnantiam; ideſt contrarietatem, in ordine ad ea ad quæ templa sacrata, aut dicata sunt. Probatur deinde assertio ex diuo Thoma eam asserente expresse de omni sacrilegio in hoc articulo ad tertium, & ex Caietani interpretatione ad quintum dubium: quam verissimam censeo, & communiter acceptatam à Theologis, & Iurisperitis. Sed specialim probatur prior pars, ex D. Thom. in loco citato asserente, non omnia peccata, quæ fiunt à persona sacra, vel contra personam sacram, esse sacrilegia. Ergo à fortiori dicendum est, de peccatis perpetratis in loco sacro: quia irreuerentia contra personam sacrã multo grauior est, vt ait D. Tho. in articulo, quam ea quæ fit contra locum sacrum. Secundò probatur ratione desumpta ex D. Thomæ doctrina in multis locis, præcipuè in prima secundæ, quæst. 18. nam circunstantia loci sacrati in actibus peccaminosis, quandoque manet vt circunstantia, & accidens actus vitiosi; quandoque transit in rationem obiecti: ergo quandoq; actum efficit sacrilegum; quandoque non. Probatur consequentia ex doctrina diui Thomæ prima secundæ, quæst. 18. & alibi sæpe, & eius interpretum asserentium, circunstantiam in ratione circunstantiæ, non mutare speciem; sed augere præexistentem. At si in rationem obiecti transeat; mutare speciem affirmat: ac proinde quandoque sacrilegum actum facit; & aliquando non efficit talem. Antecedens patet: quia si semper sacrilegij speciem actui peccaminoso conferret; nequaquam circunstantia dicenda esset, de cuius ratione (vt habetur prima secundæ, quæst. 7.) est, vt sit accidens affixum actui, non verò aliquid essentiale. Tertiò probatur idem: nam si omnia peccata in Ecclesia patrata, sacrilegia sunt; cum septies in die cadat iustus, & homines sæpe inortaliter delinquant: meritò deterrerẽtur fideles ab ingressu tẽplorum, eaque fugere deberent vt locum offensionis, & petram scandali; ne sacrilegij crimen incurrant. Dices: fere semper illa circunstantia tantùm venialis est, nec necessariò confitenda. Certè ob id viri timorati fugerẽt; præcipuè quia peccata possent esse tam enormia, & locus tam sacratus, aut propinquus sacratissimæ Eucharistiæ, vt sacrilegium mortale esset: ergo. Secunda pars probatur: quia quando peccata continent repugnantiam, & contrarietatem specialem sanctitati loci sacri; qui vult ea perpetrare, consequenter vult contraire sanctitati Ecclesiæ: ideſt, ei ad quod Ecclesia sanctificata est; ac proinde iam circunstantia loci transit in rationem obiecti, & consequenter dat actui peccaminoso speciem sacrilegij. Quando verò peccata in loco sacro facta, non continent hanc repugnantiam specialem, & contrarietatem; non sunt in specie sacrilegij, etiamsi aliqualem dissonantiam ad locum sacrum videantur habere.

Sed contra hanc assertionem, & pro prima sententia, obijciunt eius patroni primò. Aliqui actus qui non sunt peccata, facti in loco sacro sunt sacrilegia propter irreuerentiam loci sacri, quam ex naturâ sua secum ferunt, secluſa prohibitione Ecclesiæ: verbi gratia, copula matrimonialis, conuiuia, & huiusmodi, de quibus infra. Ergo multo magis erunt sacrilegia omnia peccata commissa in Ecclesia: quia magis sunt contra reuerentiam debitam loco sacro, ij actus qui peccata sunt; quàm illi qui sunt indifferentes. Confirmatur, & explicatur vis huius rationis, supponendo cũ autoribus secundæ sententiæ, quæcunque peccata in Ecclesia exercita aggrauari aliquo modo ex circunstantia loci, siue ea grauitas sit venialis, siue mortalis: quia citra dubium magis repugnat cum recta ratione, quòd peccatum fiat in illo loco, quàm in alio. Quòd verò hæc grauitas sit in specie sacrilegij, in quo consistit controuersiæ punctus; probatur: quia quando actus de se non malus, tamen improportionatus loco sacro, in eo fit; habet ab illo specialem malitiam sacrilegij (regula enim hæc assignatur prima secundæ loco citato, ad dignoscendum

D. Thom. Caietanus.

cendum quando circunſtantia addit malitiam in propria ſpecie: eſt quando tranſfert actum de bono in malum. Et ratio eſt aperta: quia non habet aliam ſpeciem in qua reponatur) ergo idem dicendum eſt de omni actu, qui aliunde habet malitiam, quando ex loco ſacro aliquam malitiam accipit, quòd illa ſit diſtinctæ ſpeciei. Patet conſequentia: tùm quia illa circunſtantia non minus poteſt dare ſuam propriam malitiam actui de ſe malo; quàm indifferenti: nec enim prior malitia impedit; cùm idem actus poſsit habere duas malitias: tùm etiam, quia prior actus ideò accipit malitiam ſacrilegij, quia eſt iniurioſus loco ſacro: ſed non minus iniurioſus eſt poſterior: ergo.

Ad primam obiectionem, conceſſo antecedenti, de cuius veritate in ſequenti aſſertione dicemus; negatur conſequentia. In caſu enim conſequentis, circunſtantia loci ſacri manet in ratione circunſtantiæ puræ, vt accidens quoddam affixum actui aliàs peccaminoſo: quare non dat ſpeciem illi actui, qui totam ſuam malitiam ex obiecto habere debet; ſed relinquit illum intrà propriam ſpeciem, & aggrauat illud, vt
Caietanus. benè animaduertit dominus Caietanus prima ſecundæ, quæſt. 7. At in caſu antecedentis, cùm conſtet, ſecluſa illa circunſtantia loci ſacri, actum illum non eſſe peccatum; & perſpicuum etiam ſit, appoſita illa circunſtantia eſſe peccaminoſum; etiam debet eſſe clarum, malitiam illam debere deſumi à loco ſacro: & conſequenter non manere in ratione puræ circunſtantiæ, ſed tranſire in rationem obiecti, à quo vitia, & virtutes neceſſe eſt ſuas deſumere ſpecies. Dices: quare in vno caſu tranſit in rationem obiecti, & nō in alio? Quia in caſu antecedentis, inuenit circunſtantia illa actum deſtitutum obiecto peccaminoſo: & ideò circunſtantia ea induxit malitiam contra religionem; & conſequenter dedit ſpeciem contra religionem: & fecit obiectum illius actus vt peccatum eſt, habere obiectum continens malitiam contra religionem. At in caſu conſequentis, ſecus res ſe habuit. Nam actus illi aliàs erant peccata, & habebant obiecta à quibus ſpecificarentur vt peccata erant: & ideò circunſtantia loci ſacri quaſi adueniens, præoccupata eſt (vt ita loquar) ne daret actibus ſpeciem ſacrilegij, neque tranſiret in rationem obiecti, ſed dumtaxat peccaminoſum actū aggrauaret intra eandem ſpeciem: quod eſt ipſam manſiſſe in ratione puræ circunſtātiæ, nec tranſiſſe in rationem obiecti.

Ex eadem doctrina, & eodem modo reſpondetur ad confirmationem, ad quam negatur conſequentia. Ad probationem eius primam negatur antecedens propter rationem datam: & fatemur eundem actum poſſe habere duas malitias. Cæterum neceſſe eſt vtramque habere rationem obiecti voliti, vt ſint ſpecie diſtinctæ: & ita poſſe accidere in præſenti materia concedimus. V. g. ſiquis peieret in loco ſacro, contemnens formaliter aut virtualiter locum ſacrum: actus ille in ſpecie ſacrilegij, & in ſpecie periurij eſt. At verò ſiquis peieret in loco ſacro, non contemnens locum ſacrum neq; formaliter, neque virtualiter, vt ſæpe contingit: illa circunſtantia loci ſacri, & malitia ab eo deſumpta, non habet rationem obiecti, ſed puræ circunſtantiæ, quæ non mutat ſpeciem periurij, ſed aggrauat intra eandē ſpeciem. Et vt verbis vtar D. Thom. materialiter, & quaſi per accidens eſt ſacrilegiū; non verò formaliter, & propriè. Denique præfata argumēta poſſunt formari, de quocunque peccato commiſſo à perſona ſacra: quod etiam primæ ſententiæ autores tenēt, non ſemper mutare ſpeciem; aiunt tamen aggrauari intra eandem: & ſicut ſoluuntur de peccatis commiſsis à perſona ſacra, ex doctrina tradita; ſoluentur de peccatis cōmiſsis in loco ſacro: quia irreuerentia facta perſonæ ſacræ, maior eſt quàm facta loco ſacro, vt D. Thom. docuit in articulo.

Secunda aſſertio. Aliqui actus ſunt, qui extra Eccleſiam exerciti, vel indifferentes ſunt, aut boni ex obiecto; & ſi in loco ſacro fiant, ſunt propriè, & formaliter ſacrilegia. Hæc aſſertio exemplis patet in mercatura, & iudicatura, in copula matrimoniali, & huiuſmodi: quæ ſi extra Eccleſiā fiant, non ſunt peccata, & intra Eccleſiam ſunt ſacrilegia, ſi fiant abſque neceſsitate. De quo infra latius.

Tertia aſſertio. Actus qui propriè, ſtrictè, & formaliter ſacrilegia ſunt, interdum habent hanc malitiam ex natura rei, ſecluſa prohibitione iuris poſitiui: interdum eā ſumunt ex iure poſitiuo prohibente illos actus. Et intelligitur aſſertio vniuerſaliter, ſiue actus illi peccata ſint, ſiue non, extra Eccleſiam exerciti: quos aſſerimus (ſi verè ſacrilegia ſunt, quia in Eccleſia fiunt) aliquando habere hanc ſpeciem ex natura rei; aliquando ex iure poſitiuo prohibente. Et quidem ſi ſermo ſit de actibus ſacrilegis,

quos

quos ſpeciali probitione prohibet Eccle- A
ſia; res ſine controuerſia eſt, & manifeſtata in omnibus ferè gradibus ſacrilegij infra commemorandis. An verò præter hos, aliqua ſacrilegia ſint ex natura rei, & ſecluſo iure poſitiuo, quod videntur negare autores ſecundæ opinionis: nos reſpondemus affirmatiué; cuius rei multa adducere poſſemus exempla. Satis modò ſit aliqua adducere. Fornicatio quæcunque in Eccleſia, ſecum affert ſpecialem repugnantiam, & contrarietatem erga ea ad quæ Eccleſia dedicata eſt, etiam ſecluſo iure poſitiuo prohibente: imò & copula matrimonialis. Combuſtio, ſeu direptio Eccleſiæ, & multa ſimilia. Ergo ſacrilegia ſunt
B
ex natura rei, vt patet ex diffinitione ſacrilegij, aſsignata in prima aſſertione. Antecedens oſtendetur inferius, diſcurrendo per ſingulos gradus ſacrilegij infra enarrandos.

Ad argumenta verò pro prima ſententia, quatenus conatur probare nullum eſſe ſacrilegium ex natura rei; cuius oppoſitum aſſeruimus in tertia aſſertione: reſpondetur. Ad primum aduertere oportet, duobus modis poſſe aliquem actum fieri ſacrilegium ex iure poſitiuo, qui ſecluſo illo iure non eſſet ſacrilegium. Vno modo, antecedenter & præſuppoſitiuè. Alio modo formaliter, per propriam & directã
C
prohibitionem. Exemplum primi, in conculcatione Calicis conſecrati, quæ citra dubium ſacrilegium eſt, ſuppoſita conſecratione Calicis, quæ habetur ex iure poſitiuo, & ordinatione Eccleſiæ: qua conſecratione ſuppoſita, ſacrilegium eſt illum contemnere, & irreuerenter tractare, etiamſi nulla poſitiua lex id vetet: quia lex ipſa naturalis iubet, ſacra non eſſe irreuerenter tractanda. Exemplum ſecundi, in eodem Calice: ſi Eccleſia iuberet ipſum in Eccleſia eſſe ſeruandum, & non in domo profana; tunc talis cuſtoditio extra Ec-
D
cleſiam, eſſet ſacrilegium: non quia conſecratus eſt Calix; ſed quia formaliter prohibita eſt iure poſitiuo. Similiter dicendum de ſacrilegio contra locum ſacrum: omne namque tale habetur ex iure poſitiuo ſacrante locum; aut verò ex voluntate humana deſtinante ad Dei cultum. Qua ſacratione ſuppoſita, ſi eſſet aliquis actus qui directè contrarius eſſet ſanctitati, & ſacrationi loci, qualem nos exiſtimamus reperiri in aſſertione tertia, eſſet ſacrilegium ex natura rei: ideſt ſecluſa omni prohibitione iuris poſitiui. At verò ſi aliquis actus ſacrilegus eſſet, quia iure humano poſitiuo prohibetur; ille diceretur ex iure tantum poſitiuo ſacrilegium eſſe, quia formaliter eam malitiam à iure poſitiuo prohibẽte habet. Quapropter ad argumentum primum ſecundæ ſententiæ in forma reſpondetur, diſtinguẽdo conſequens illatũ: ex iure poſitiuo præſuppoſitiuè, ideſt, ſacrante & deſtinante aliquem locum in diuinũ cultũ, concedo. Inde tamen non ſequitur, ſacrilegiũ non eſſe ex natura rei. At verò ſi ſit ſenſus, omne ſacrilegium haberi ex iure poſitiuo formaliter, ideſt prohibente illud; negatur conſequentia. Multa enim ſunt, quæ ſecluſa prohibitione Eccleſiæ & iuris poſitiui, talia ſunt ob id ſolum, quia ſuppoſita ſacratione loci, inuoluunt repugnantiam, & cõtrarietatem ſanctitati loci: vt vidimus in tertia aſſertione, & copioſius videbimus in ſequentibus.

Ad ſecundum conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: quia benè iudicabitur, ea ſacrilegia, quæ ex natura ſua ferunt ſecũ repugnantiam ad ſanctitatem loci, eſſe talia ex natura rei: ea verò quæ eam includũt ex prohibitione Eccleſiæ, non eſſe ſacrilegia ex natura rei, ſed ex iure poſitiuo prohibente. Similiter reſpondetur ad confirmationem primam, & ſecundam.

Ad vltimum negatur maior, & minor, ſi vniuerſaliter intelligãtur: duobus enim mõdis poteſt circunſtantia loci transferre actũ de non malo in ſacrilegum. Vno modo: quia prohibetur ab Eccleſia. Alio modo, quia ſuppoſita loci ſacratione, actus ille habet repugnantiam cum ſanctificatione loci. Ex dictis etiam manet impugnata ſentẽtia aſſerens, peccata omnia externa in Eccleſia facta, eſſe ſacrilegia.

DISPVTATIO VI.

An actus purè interni ſacrilegia ſint?

RAtio dubitandi: eſt quia cùm Eccleſia ſit locus ſenſibilis, non videtur irreuerenter tractari niſi actibus ſenſibilibus. In oppoſitum eſt: quia actus interni & externi, ſi circa idem obiectum verſentur, eiuſdem ſpeciei ſunt. Sed actus externi, verbi gratia, furtum, & homicidium in Eccleſia facta, ſunt ſacrilegia: ergo & actus

interni furandi, aut occidendi in Eccleſia, ſunt ſacrilegia.

In præſentiarum non diſputo de omnibus peccatis internis in Eccleſia perpetratis, an ſacrilegia ſint? Cùm enim dixerim in præcedenti diſputatione, non omnia peccata externa in Eccleſia facta, eſſe ſacrilegia; à fortiori idem dico de peccatis internis: & rationes à me ſupra poſitæ id pariter conuincunt. Sed præcipua diſputatio eſt, de peccatis internis circa aliquot obiecta, quæ ſi exterius executioni mandarentur, eſſent ſacrilegia: vel haberent ſpecialem repugnātiam cum ſanctitate loci ſacri: & nihilominus de alijs internis aliquid dicemus.

Ad quod breuiter reſpondetur. Siquis exiſtens intra Eccleſiam, vel extra, deſiderat operari in Eccleſia actionem ſacrilegam: verbi gratia, occidere, aut fornicari in Eccleſia; ſacrilegium committit. Probatur argumento in oppoſitum: & quia obiectum illius actus interni pertinet ad ſacrilegium. Ergo volens illud, ſacrilegus eſt mentaliter.

Secundò dico. Si quis in Eccleſia exiſtens, deſiderat agere extra Eccleſiam actionem, quæ ſi in Eccleſia exerceretur eſſet ſacrilegium, & non aliter; non eſt ſacrilegus. Probatur. Talis actio non habet pro obiecto Eccleſiæ circunſtantiam, ſed tantùm ſe tenet ex parte perſonæ: ergo illa circunſtantia loci ſacri, ideſt quia exiſtens in Eccleſia peccatum deſiderat; non facit actum ſacrilegum.

Hoc aſſertum non ſolùm tenetur à nobis, qui aſſeruimus non omnia peccata, ſiue interna ſint, ſiue externa, in Eccleſia patrata, pertinere ad ſpeciem ſacrilegij: verum etiam à Patre Suarez, qui cenſet omnia peccata externa in templo commiſſa, addere ſpeciem ſacrilegij, non autem interna. Sed ni fallor, rationes, & argumenta ab ipſo propoſita, ad probandum externa eſſe ſacrilegia, æquè probant de internis: etenim illa circunſtantia, quòd in Eccleſia committantur, abſque dubio nouam malitiam addit, & grauitatem, quæ non poteſt pertinere niſi ad irreuerentiam loci ſacri: ac conſequēter ad ſacrilegium. Nam ad quod aliud peccatum, rogo? Certè non ad aliud: ergo. Probatur maior, quia rectæ rationi magis repugnat, quòd aliquis videns, & ſciēs & exiſtens in Eccleſia, loco ad cultum Dei deſtinato, vbi deberet meditationibus pijs vacare; conſentiat grauibus ſceleribus: quàm ſi in loco profano exiſtens, ea interne committeret.

Suarez.

Reſpondet præfatus autor, aſſignando multiplex diſcrimen inter peccata interna, & externa: nam Eccleſiæ, cùm ſit ſenſibilis, non irrogatur iniuria niſi per actum ſenſibilem: atque adeò non ſacrilegè contra eam peccatur, niſi actu externo. Secundò: quia Eccleſia non iudicat de occultis; atque adeò neque irrogatur illi iniuria, niſi per actum externum. Sed diſcrimina hæc, non euadunt vim argumentorum ab ipſo poſitorum: quæ æquè procedunt de actibus internis, & externis. Secundum quidem, quia tantùm probat peccata interna ſacrilega, ſiue non ſacrilega non puniri ab Eccleſia cenſura, vel quaſi cenſura, putà quod polluatur templum, ita vt indigeat reconciliatione: quod nos libenter, & omnes concedent. Item probat de ſacrilegijs, quæ habentur iure poſitiuo prohibente: cuius prohibitio tantùm extenditur ad peccata externa; & conſequenter ad interna eiuſdē obiecti. At verò non procedit de ſacrilegijs ex natura rei, ad quæ præfatus autor exiſtimat ſufficere repugnantiam generalem, & diſſonantiam cum loci ſacri ſanctitate. Primum verò diſcrimen etiam non procedit: tùm quia cùm iniuria, quæ fit Eccleſiæ, non conſiſtat in ſenſibili percuſsione, aut violatione, vt diuus Thomas D. Thom. inſinuauit in primo articulo in ſolutione ad tertium, ſed præcipuè in irreuerenti tractatione rei ſacræ, quia aliquid Dei eſt, qui offenditur præcipuè, licèt mediatè, in ſua re ſacra; quo ablato, nullum eſſet peccatum irreuerenter tractare rem ſacram: ſicut Deus ipſe actibus internis inhonorari poteſt, ſic & eius res ſacræ, quæ ob id dignæ ſunt reuerentia, quia Dei ſunt. Item, quia ratio peccati cuiuſque, ſiue interni, ſiue externi, diſſonat ſanctitati Eccleſiæ Deo dicatæ, vt modò argumentabamur: ergo parum quantum ad hoc refert, peccatū eſſe internum. Et confirmatur: nam videtur perſpicuum, magis repugnare rectæ rationi, turpia & ingentia ſcelera meditari in loco ſacro, quàm in eodem verbum loqui otioſum: ſed ex præfati autoris ſententia, verbum illud otioſum, irreuerentiam quandam generalem includit in ordine ad Eccleſiam: ergo multo magis ſcelera ingentia, & interna, meditata & patrata in eadem Eccleſia.

Qua-

Quare nos tertiò dicimus: peccata quæ- A
cumque interna facta in Eccleſia, ſi non pertineant ad claſſem poſitorum in primo dicto; aggrauare malitiam peccatorum internorum in Eccleſia factorum intra eandem ſpeciem, non minus quàm externa, ſicut ſupra in quæſtione immediatè præcedenti aſſeruimus. Et ad argumentum poſitum in initio huius diſputationis ex dictis patet, locum ſacrum ſenſibilem iniuriari per actum internum iniuria ſacrilega, quando actus externus correſpondens ſacrilegus eſt. Quod ſi ſacrilegus non eſt; aliqualis irreuerentia generalis Eccleſiæ infertur, per quodcunque peccatum in ea exercitum, ſiue externum, ſiue internum: quia omnimoda mundicia, & ſanctitudo domum Dei decet, vt ait Regius
Pſalm. 92. Propheta. At hæc non variat ſpeciem, ſed aggrauat, vt dictum eſt, & affirmat Syl-
Sylueſt. ueſter in roſa aurea caſu 63.

Quod ſi roges, quando hæc circunſtantia loci ſacri non mutans ſpeciem, ſed aggrauans, inducat malitiam aggrauantem mortaliter, quando venialem? Vix regula vniuerſalis, & indeficiens aſsignari poteſt. Credo, ferè ſemper eſſe malitiam venialem: vt quando ordinaria peccata, quæ non ſunt ſacrilegia, in Eccleſia patrantur: C
quia parua irreuerentia eſt. At ſi grauia, & enormia peccata ſint, vt blaſphemia, & periurium deteſtabile: exiſtimo aggrauari mortaliter ex circunſtantia loci ſacri. De alijs verò peccatis, quæ verè ſacrilegia ſunt; quando mortifera, quando leuia ſint, dicemus ſparſim, agentes de ſingulis gradibus in hac ſecunda ſpecie ſacrilegij collectis.

Non ſatis mihi videor feciſſe, niſi ſpecialiter diſcurrero per aliquos gradus ſacrilegij, contentos ſub hac ſecunda ſpecie, pertinente ad circunſtantiam loci ſacri: partim annotando, partim diſputãdo, pro vt Deus dederit.

Sit igitur

DISPVTATIO VII.

Vtilis ac copioſa circa hos gradus, ſiue ſint ex natura rei ſacrilegia, ſiue ex iure poſitiuo prohibente (ad quod fermè omnia reducuntur) quid de ipſis ſentiendum ſit?

ET ſecludimus ab hac diſputatione, quæ ſacrilegia polluant Ecclеſiam, quæ non; remittentes B
ad articulum ſequentem: ſed dũtaxa hic numerabimus gradus diuerſos ſacrilegiorum, penes circunſtantiam loci ſacri.

De ſacrilegio homicidij in loco ſacro.

PRimus gradus intra ſecundam ſpeciem ſacrilegij, ſit homicidium patratum in loco ſacro, per actionem voluntariam, & iniurioſam. Quare homicidium illatum ab amente, non eſt ſacrilegium, quia non eſt voluntarium, neque actus humanus, neque homicidium quod ſequitur ex pura, & iuſta defenſione: quia proprie non eſt volitum, neque actio iniurioſa. Secus de iuſtè inflicto à iudice, vt ſi in Eccleſia ſuſpendat furem: tùm quia ipſi reo iniurioſum eſt, cùm habeat ius vt in Eccleſia digno ſupplicio nõ plectatur: tùm etiam quia quamuis nulla fieret iniuria ei qui interficitur; fit tamen Eccleſiæ. Et hoc ſatis eſt, vt quãdo quis interficit ſe ipſum in Eccleſia, propriè & rigoroſè non facit ſibi iniuriam: Deo tamen & Eccleſiæ propriſsimè. Et aduertendum, homicidiũ cuius cauſa iniurioſa extra Eccleſiam data eſt, etiãſi D
in Eccleſia mors contingat, vt ſi vulnus eſt illatum extra Eccleſiam, & vulneratus in Eccleſia moriatur; non eſſe ſacrilegiũ: quia re vera non homicidium, ſed mors ſola in Eccleſia accidit.

Ad hunc gradum etiam pertinent actiones iniurioſæ, quæ licèt non ſint homicidia, ad illa tendunt: & vt actus imperfecti ad ſpeciem homicidij pertinent: verbi gratia, percuſsiones, mutilationes, vulnerationes, alaparum inflictiones

in Eccleſia, quæ etiam ſacrilegia ſunt: imò & actus interni de eodem obiecto. Quæ omnia ſacrilegia mortalia ſunt: & ideò hæc circunſtantia in confeſsione aperienda. Quod ſi aliqua rixa venialis in Eccleſia acciderit: etiam veniale ſacrilegium cenſeo. Sed rogas, an hic ſacrilegij gradus habeatur tantùm ex iure poſitiuo, an verò ex natura rei? Ratio dubitandi eſt: quia actiones contentas in præfato gradu, nuſquam dubitatum credo ſacrilegia eſſe: & in iure poſitiuo non inuenio eſſe prohibitas in loco ſacro. Licèt enim in multis capitibus inferius citandis habeatur, per homicidium, aut ſanguinis effuſionem Eccleſiam pollui; ex quo arguitur tales actiones eſſe ſacrilegia: non tamen vt talia prohibentur, ſed ſupponũtur aliàs prohibita: neque inuenio vbi ſacri Canones eas de nouo prohibuerint. Vnde poſſet quis conijcere, eſſe ſacrilegia ex iure naturæ vetante, ſicut de alijs in ſuperioribus aſſeruimus. Ex alia parte videtur eſſe tantùm ex iure poſitiuo prohibente: quia eo ſecluſo, non apparet has actiones ſpecialiter repugnare cum loci ſanctitate, & ſecum inuoluere contrarietatem, per quam impediantur vſus ad quos loca ſacra deſtinata ſunt. Vtrumque incertum eſt: ſed probabilius iudico pertinere ad ſacrilegia ex natura rei, & ſecluſo iure poſitiuo prohibente propter rationem nuper relatam. Quando enim de prohibitionis alicuius (quæ re vera extat) initio non conſtat in iure, ſignum non mediocre eſt, vel eſſe de iure naturæ, vel ad traditionem Eccleſiaſticam pertinere. Item loca ſacra, inter alios fines ſuæ ſacrationis ad hunc ordinantur, vt in eis placidè, & quietè orationibus, & ſacris functionibus vacetur. Sed homicidia, & actiones eis annexæ, ſecum afferunt contentiones, iurgia, ac rixas, quæ nimis perturbant præfatam quietem: ergo in ſe continent perturbationem, & contrarietatem, ac repugnantiam ſpecialem ijs vſibus, ad quos loca ſacra deſtinata ſunt; & conſequenter malitiam ſacrilegij propriè dicti.

?

De ſacrilegio fornicationis in Eccleſia.

SEcundus gradus ſacrilegij in loco ſacro, continet actiones fornicarias in Eccleſia exercitas: quod quidam limitant ad fornicationem publicam; videlicet per facti euidentiam, eo modo quo talia crimina ſciri poſſunt, vel iuridicam probationem, aut rei confeſsionem. At verò ſi fornicatio ſit occulta; aiunt non eſſe ſacrilegium: nec eam circunſtantiam loci ſacri eſſe neceſſariò aperiendam in confeſsione. Videtur ad id declinare Dominicus de Soto in quarta diſtinctione 32. articulo tertio, dum vtitur ſimili diſtinctione in maritali copula. Sed de fornicatione expreſſe aſſeritur à Gabriele Vazquez prima ſecundæ diſputatione 98. Et ratio iſtorum eſt: quia fornicatio non eſt ſacrilegium, niſi in quantum ex iure poſitiuo, polluit, & violat Eccleſiam. Sed fornicatio occulta non polluit Eccleſiam, ex mente ferè omnium benè ſentientium: ergo illa fornicatio non opponitur Eccleſiæ præcepto, & conſequenter non eſt ſacrilegium. Sed hæc ſententia falſa mihi videtur: tùm quia eſtò fornicatio in Eccleſia, ſolo iure poſitiuo prohiberetur, ob reuerentiam loci ſacri; non tamen quia polluit Eccleſiam: quia prius eſt illud, quàm hoc: & ideò per illam polluitur Eccleſia, quia ſacrilega actio eſt. Tùm quia ſecluſo omni iure poſitiuo, fornicatio contrariatur ſanctitati Eccleſiæ; non ſolùm propter malitiam eam, quam includit: verùm etiam propter fœditatem actus, cuius turpitudo, etiamſi nullum eſſet peccatum; ſanctitati Eccleſiæ, & eius mundiciei (ſicut ſupra diximus de perſona ſacra) repugnans eſt, vt patebit ex modò dicẽdis circa matrimonialem copulam.

Sotus.

Vazquez.

Dubium.

De qua dubitatur: An ſit ſacrilegium, ſi in Eccleſia fiat? Quidam abſolute concedunt in omni euentu: etiamſi coniuges patiantur tribulationem carnis. Ita Syluester verbo *immunitas*. primo. numero quinto, Nauarrus in Enchiridion. de oratione capite quinto numero 42. & Alenſis ſecunda parte quæſtione 147. Salzedo in pract. crimin. ad caput 39. & hi credunt hanc prohibitionem eſſe de iure naturæ: quia

Sylueſt. *Nauar.* *Alenſis.* *Salzedo.*

quia ille actus, etiamſi aliàs extra Eccleſiam non eſſet malus; tamen ſi in loco ſacro fiat, propter fœditatem & turpitudinem ſuam, habet intrinſecam malitiam, à qua nulla ratione poterit excuſari. Secunda ſententia aſſerit, copulam coniugalem in Eccleſia exercitam, non eſſe ſacrilegium, ſi occulta ſit; ſecus ſi publica. Dicitur autem publica, non quia ab omnibus nota ſit: ſed quia omnibus notum eſt coniuges habitare in Eccleſia, & in eodem toro. Ita Sotus in quarto diſtinctione 32. articulo tertio, concluſione tertia. & hanc diſtinctionem ſequuti ſunt ferè omnes moderni Summiſtæ. Et opinio hæc tutò practicari poteſt: ac probatur à ſuis fautoribus, quia ob id copula maritalis prohibita eſt, & habet ſacrilegij rationem, quia per eam Eccleſia polluitur: ſed per eandem ſi occultè fiat non polluitur Eccleſia, vt omnes concedunt: ergo neque ſacrilega eſt. Et adiuuatur hæc ſententia argumento ſecundo in hunc modum. Copula maritalis quæ de ſe licita eſt, & virtutis opus, non repugnat directè ſanctitati loci ſacrati, neque includit ſpecialem repugnantiam cum his vſibus, ad quos Eccleſia ſacrata eſt; non ad orationem, non ad ſacrificium, neque ad ſimilia: quia per copulam maritalem Eccleſia non efficitur prædictis vſibus inepta: ergo non eſt ſacrilegium ex natura rei, neque etiam ex iure poſitiuo prohibente: nullum enim extat eam prohibens, niſi ad vitandam pollutionem Eccleſiæ: ergo quando per eam, quia occulta eſt, Eccleſia non polluitur; non erit actio ſacrilega. Tertia ſententia aſſerit, copulam maritalem in Eccleſia eſſe ſacrilegam, niſi fiat neceſsitate vrgente, ideſt, quando coniuges ex iuſta cauſa coguntur in Eccleſia habitare, & dormire, præſertim longo tempore: tunc autem dicitur neceſſitatem vrgere ad coëundum, ne conijciatur in periculum moralem illicitæ pollutionis. Ita Ricardus in quarto, diſtinctione 32. articulo tertio, quæſtione prima, Maior quæſtione prima, Sylueſter verbo *conſecratio*. ſecundo. quæſtione quinta, & verbo *debitum*. quæſtione 31. Caſtro lib. primo de lege pœnali cap. ſeptimo, documento ſecundo, Couarrubias in quarto lib. decretal. parte ſecunda, cap. ſeptimo. §. ſecundo, numero tertio. Et Victoria num. 272. dicit hanc opinionem eſſe probabilem, & ſecuram practicè: & ita ego cenſeo, & probabiliorem cæteris iudico, & reſpõdeo per ſequentia dicta.

Sotus.

Ricard. Mayor. Syluest.

Castro.

Couarru.

Victoria.

Primum eſt. Copula maritalis, ſeclusa neceſsitate coëundi, in Eccleſia facta, eſt ſacrilegium ex natura rei. Probatur: quia ea copula ſine neceſsitate cogente, continet in ſe contemptum, ſaltem virtualem, loci ſacri. Etenim adeò impurus, & fœdus eſt ille actus, vt nequeat fieri in Eccleſia extra caſum neceſsitatis, niſi vilem reputando locum ſacrum, & vt talem tractando. Sicut ſiquis ſine neceſsitate ſolueret aluum in Eccleſia, aut conſtrueret ſtabulum pro beſtijs, vel aram pro porcis; certè contemneret locum ſacrum: ac ex conſequenti ſacrilegus eſſet. Et ſi vrgeat quis: inſtante neceſsitate copula coniugalis non eſt ſacrilegiũ: ergo ea ceſſante, non erit ſacrilegium cõtra naturæ ius: hoc enim eſt proprium eorum, quæ prohibentur iure poſitiuo tantù: nam ea quæ prohibita ſunt naturali iure, in omni euentu ſunt prohibita; nec propter neceſsitatem ceſſat eorum malitia: ſecus in prohibitione meri iuris poſitiui. Reſpondetur negando conſequentiam: multa enim prohibentur naturali iure, & tamen ſi propter neceſſitatem materia ipſa moraliter mutetur, ceſſat prohibitio, vt patet in exemplis allatis: & in furto, cuius prohibitio ceſſat in extrema neceſsitate: quia tunc materia moraliter mutatur, & omnia fiunt communia. Item conuertere vaſa ſacra ad vſus profanos, prohibet ipſa lex naturalis: & inſtante neceſsitate, non eſt peccatum. Sic coitus maritalis in Eccleſia, propter actus turpitudinem includit quendam contemptum, & vilipendium Eccleſiæ, quod ceſſat vrgente neceſsitate. Atq; adeò caret actus malitia illa; quia mutatur materia moraliter.

Dico ſecundò. Copula maritalis in Eccleſia, etiamſi occultè fiat, ſi tamen ſine neceſsitate, peccatum eſt ſacrilegij. Probatur ex præcedenti dicto, nam prohibita eſt iure naturæ in Eccleſia: ergo non auſertur eius malitia, ex eo quod occultè fiat, vt patet in alijs peccatis ex lege naturę prohibitis. Et etiamſi eſſet tantùm prohibita iure poſitiuo, eodem argumento probaretur eſſe illicitam.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpõdetur. Ad primum negatur maior. Etenim illa quaſi pœna, quòd per copulam maritalem Eccleſia polluitur, ideſt redditur inepta ad diuina in ea celebranda; ſup-

ponit eam copulam eſſe illicitam in Eccleſia, ſiue prohibitio ſit ex iure naturæ, ſiue ex iure poſitiuo. Itaque prius eſt eam copulam eſſe ſacrilegam, quàm per eam polluatur Eccleſia. Mitto modò, an ſit vera minor argumenti: quia per occultam copulam, ſi poſtea fit publica violatur Eccleſia. Ad ſecundum negatur antecedens: dupliciter enim poteſt aliquod peccatū contraire ſanctitati loci ſacri. Vno modo: quia non ſe compatitur cum vſibus, ad quos deſtinatur locus ſacer. Alio modo, quia continet contemptum loci ſacri, propter fœditatem actus. Et dato copulam matrimonialem non contraire ſanctitati loci ſacri primo modo, quod fortaſsis eſt falſum: ſecundo modo certè contrariatur, vt oſtenſum eſt.

Sed ſcitu dignum, quando hæc ſacrilegia pertinentia ad actus turpes in Eccleſia, ſint peccata mortalia, & quando venialia? Exiſtimo eſſe mortalia in fornicatione, pollutione, & copula maritali, & ſimilibus, etiam in ratione ſacrilegij: quia irreuerentia, quæ per hæc irrogatur Eccleſiæ, grauis eſt; & ideò aperienda in confeſſione. Et idem iudico de tactibus impudicis in partibus inhoneſtis: quod præter Sylueſtrum, & Cordubam in locis citatis, moderni affirmant. Fortaſſe aliter ſentiendum de turpi affectu, & aſpectu, nutu, aut leui verbo, præcipuè quando per trāſitum, & ſine notabili mora, & ſcandalo fiunt. Tunc enim cenſeo, ea peccata in ratione ſacrilegij eſſe venialia: quia irreuerentia leuis eſt.

De ſacrilegio ſepulturæ Pagani, & excommunicati.

TErtius gradus ſacrilegij eſt, excommunicatum vel Paganum in Eccleſia ſepelire: excommunicatum inquā excommunicatione maiori, quidquid dicant aliqui, vt Turrecremata in capite *nullus*. 13. quæſtione ſecunda, ſed loquitur ſine textu, & ratione vrgenti. Item intelligitur de excommunicato non tolerato, iuxta declarationem Concilij Conſtantienſis. Et nomine Pagani intelligimus quemcunque infidelem, & fidelem non baptizatum, etiam infantem filium fidelium, iuxta interpretationem Doctorum communem, & etiam Cathecumenum.

Turrecre.

Sed dubitas, an hæc prohibeātur ex iure naturali, an ex poſitiuo humano? Puto hoc poſtremum: quia non apparet ſtando in naturæ iure, etiam ſuppoſita conſecratione Eccleſiæ, non eſſe in ea ſepeliendos excommunicatos; licèt priuatio ſepulturæ inter effectus excommunicationis numeretur: quod totum iuris poſitiui humani eſt. Item, neque ex iure naturæ corpora infidelium non eſſe humanda in Eccleſia: ſed totum hoc iuris poſitiui eſt. Sed vbi habetur hæc prohibitio? Reſpondetur, nullibi eam legi expreſſe, ſed eam ſupponi in iure Canonico. habetur in capite *conſuluiſti*. de conſecratione Eccleſiæ, & capite *Eccleſiam*. de cōſecratione Eccleſiæ, diſtinctione prima: eritque hæc ſepelitio peccatum mortale. Quod colligitur à poſteriori, eo quod adiungitur illi grauis pœna, putà *pollutio, & execratio Eccleſiæ reconcilietur*: de quo in articulo ſequenti. Alij etiam ſunt caſus, in quibus iura prohibent propter ſpecialia delicta aliquos ſepeliri in loco ſacro, vt propter vſuras, capite *quia in omnibus*. de vſuris; vel propter deſperationem ſe occidendo, capite *placuit*. 23. quæſtione quinta, quæ in Turrecremata videri poſſunt vbi ſupra.

De ſacrilegio furti in Eccleſia.

QVartus ſacrilegij gradus, in furto commiſſo in loco ſacro reperitur: & prohibetur à Ioanne Papa Octauo in capite *quiſquis*. 17. quæſtione quarta, per hæc verba: *Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, aut ſacrum de non ſacro*. Huius trimembris diuiſionis tertium membrum, ſcilicet ſacrum de non ſacro, non pertinet ad hanc ſecundam ſpeciem, de ſacrilegio penes circunſtantiam loci ſacri; ſed potius ſpectat ad tertiam ſpeciem: verbi gratia, ſiquis Calicem conſecratum, vel alias res ſacratas furatur, non de templo, ſed in alio loco non ſacro. Primum verò membrum, videlicet ſacrum de ſacro, partim pertinet ad hanc ſecundam ſpeciem; partim ad tertiam: verbi gratia, ſiquis Calicem cuſtoditum in Eccleſia rapit: quare ex duplici capite, tale furtum ſacrilegium eſt.

Dubi-

Dubium. Dubitatio tamē est, de actione comprehensa in secūdo membro, putà rapere rem profanam in Ecclesia: an sit sacrilegium? cuius malitia sumitur ex eo quod patiatur in loco sacro.

Et videtur vera pars negatiua ex l. *diui.* ff. ad legem Iuliam peculatus. *Res priuatorum* (inquit) *si in ædem sacram depositæ, surreptæ fuerint; furti actionem, non sacrilegij esse.* Vbi Glossa, Bartolus, & alij tenent partem negatiuam: imò & Theologi multi. Cuius opinionis videntur fuisse Victoria locis supra citatis, licèt Soto non ita apertè loquatur. Et probatur sententia hæc: quia huiusce modi furtum, non irrogat iniuriam Ecclesiæ ex natura rei, magis quàm alia peccata, quæ non esse sacrilegia quia in templo fiunt, docuimus: neque etiam est speciali iure prohibitum, sub ea ratione quia in Ecclesia fit: ergo. Secunda sententia est omninò affirmatiua: & probatur ex cap. *quisquis.* citato.

Glossa. Bartolus *Victoria. Sotus.*

Pro decisione oportet distinguere duos modos, quibus potest res non sacra in Ecclesia esse. Primò quia est sub iure, & quasi potestate Ecclesiæ: verbi gratia, quia est illi tradita ad custodiendum, vel in pignus data, vel alio simili modo in Ecclesia deposita. Secundò potest res aliqua profana per accidens esse in Ecclesia, vel quia ibi est persona, quæ illam secum defert, vel quia casu ibi relicta est. Hoc supposito

Dico primò. In priori casu, sacrilegium est furari bona illa in Ecclesia. Probatur: quia nisi hoc modo asseramus; illa diuisio sacrilegij facta à Summo Pontifice, verificari non potest. Secundò ex Historia de Heliodoro flagellato miraculosè, eo quod pecuniam in templo depositam rapere tentauerat 2. Machab. 3. Item tertiò, quia quod hoc modo est in templo, est sub speciali patrocinio, & custodia diuina: eo quod illud quod ibi deponitur, & per ministros Ecclesiæ acceptatur; cēsetur veluti sub Dei fide, & defensione recipi: & ideò tale furtum specialem malitiam habet, & directè contrariatur sanctitati, & immunitati debitæ Dei templo. Et certè hæc pars indubitata esse debet, imò vt quidam censent, vera, attento solo iure naturali, vt patet ex ratione modò facta: & etiam in iure diuino solo, vt colligitur ex exemplo Heliodori; licèt magis certa reddita sit propter ius Canonicum id vetans in capite citato *quisquis.*

2. Math. 3.

A

B

C

Dico secundò. In posteriori casu, probabile est furtum rei in loco sacro, non esse sacrilegium. Probatur: quia res illæ de quibus in hoc asserto, quasi per accidens sunt in templo: vnde nec sunt sub speciali custodia eius: ergo non irrogatur specialis iniuria templo, etiamsi inde rapiantur, & aliàs tale furtum non est specialiter prohibitum ab Ecclesia in honorem templi: ergo non est vnde habeat malitia sacrilegij mortiferam. Dico mortiferam, quia non mutat speciem furti, & licèt aggrauet intra eandē speciem, non tamen notabiliter. Vnde iuxta hoc assertū, non est necessariò aperienda hæc circunstantia in confessione.

Dico tertiò. Longè probabilius iudico, etiam in hoc posteriori casu, esse peccatum mortale sacrilegij ex genere suo tale furtum: poterit tamen esse veniale ex paruitate materiæ. Ita tenent communiter iuris Canonici periti cum Glossa in cap. *quisquis.* citato, & in cap. *sacrilegium.* 17. quæst. 4. vbi Turrecremata, quæst. 5. Summistæ verbo *sacrilegium.* Syluester. §. secundum. Angelus numero 1. Caietanus in Summa verbo eodem. Armilla num. 1. qui declarat hanc circunstantiam esse necessariò confitendam. Nauarrus in Manual. cap. 6. numero quarto, & probatur ex relato capite *quisquis.* vbi absolutè, & simpliciter dicitur esse sacrilegium, furari non sacrum de sacro. Dicent defensores secundi asserti, esse distinguendum de modo quo res reperiuntur in Ecclesia: & verba Pontificis esse verificanda in casu secundi asserti, non verò in casu tertij. In contrarium tamen facit textus, nullam distinctionem faciens: & vbi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere, l. *de precio.* ff. de Publician. nisi vel alia lex obliget, vel ratio cogat, quando aliàs sequeretur absurdum: in præsentiarum verò nil horum inuenitur. Confirmatur ex dictis eiusdem Pontificis in c. eodē.

Glossa. Turrecre. Syluest. Caietan. Armilla. Nauar.

D §. siqui. vbi sic ait: *siqui deposita, vel alia quæ libet exinde abstrahunt* (id est de Ecclesijs & Monasterijs) *velut sacrilegi, canonicæ sententiæ subiaceant.* Et non solùm deposita, verùm & alia in Ecclesia furantes, sacrilegi sunt. Sed rogas: hoc sacrilegium habetur ex iure naturæ, an tantùm positiuo? Existimo dūtaxat esse de iure positiuo, quod voluit vt Ecclesia haberet hanc immunitatem, eiq; deferretur hic honos, vt esset veluti inuiolabilis custodia omniū rerū, quæ quouis modo in ea reperiuntur: & ideò prohibuit suis legibus, ne inde per iniuriā tollerētur.

Cui immunitati contrauenit, qui eas res furto ſurripit in Eccleſia: quapropter meritò ſacrilegium propriè,& formaliter cenſetur.

Dico quartò. Furari in caſu primi aſſerti, eſt peccatum mortale ſacrilegij, & in indiuiduo, niſi materia furti leuis ſit. Idem exiſtimo probabilius, in caſu etiam ſecundi aſſerti: & in vtroque caſu, circunſtantia loci ſacri aperienda eſt in confeſsione. Probatur hoc dictũ, quia hæc ſunt verè & propriè ſacrilegia. At ſacrilegium omne peccatum mortale eſt ex genere ſuo,& in indiuiduo, niſi ex leuitate materiæ excuſetur: ergò.

Dico vltimò. Non caret probabilitate aſſerere, in his ſacrilegijs poſſe eſſe materiam iniuſtitiæ grauem; & malitiam ſacrilegij eſſe venialem, vt in caſu ſecundi dicti: putà furatur quis pecuniæ pondus caſualiter inuentum in Eccleſia; peccatum furti mortale eſt: at peccatum ſacrilegij fortaſſe veniale eſt, quia leuis irreuerentia irrogari videtur loco ſacro, ſi pecuniam ibi caſu relictam ſibi aliquis accipiat. Et iuxta hunc dicendi modum, in tali caſu non eſt neceſſariò confitenda circunſtantia loci ſacri: ſecurius eſt eam propallare, quia hoc non eſt ita certum, & indubitatum.

Ad argumentum iuris Ciuilis Peritorũ, & eorum autoritatem reſpondetur, in diffiniendis,&perſcrutandis ſpeciebus,& naturis peccatorum, non eſſe eis nimis fidendum: ſed tantùm in ordine ad politicam gubernationem, & punitionem criminum; & ſic loquitur lex citata in eorum argumento.

Ad argumentum pro prima ſententia reſpondetur, admittendo antecedens pro priori parte, maximè ſi ſit ſermo de rebus furto acceptis in Eccleſia, quæ caſualiter ibi inuentæ ſunt: negatur verò pro ſecunda parte, quia ius ſpeciale habetur in capit. *quiſquis.* citato. Similiter reſpondetur ad rationem pro fautoribus ſecundi aſſerti: quapropter nos abſolutè fatemur, ea furta eſſe ſacrilegia iuxta communem ſententiã.

De ſacrilegio per placita.

QVintus gradus ſacrilegij in loco ſacro dimanat ex prohibitione Eccleſiæ, iubentis non fieri placita in Eccleſia. Ita habetur in cap. *cum Eccleſia.* de immunitate Eccleſiarum. Referam ſingula verba, quia gloſſanda ſunt. *Seculares iudices (inquit Lucius tertius) vbi de ſanguinis effuſione, & corporali pœna agitur, in Eccleſijs vel cœmiterijs agitari, ſub interminatione anathematis prohibemus.* Lucius.3. Ecce in hoc textu tantùm prohibetur agitatio cauſarum criminalium; non verò ciuilium. Item extenſio fit ad cœmiteria: & prohibitio indicitur ſub anathemate, non lato, ſed ferendo. At verò Gregorius decimus, cum Concil. Luglubenſi in cap. *decet.* de immunitate Eccleſiarum in 6. ad omnes cauſas etiã Ciuiles extendit, dicens: *Omnis in Eccleſijs ſæcularium iudiciorum ſtrepitus conquieſcat: nulla inibi cauſa per laicos, criminalis maximè agitetur: ſint loca eadẽ à laicorum cognitione aliena.* Et præmiſerat rationem huius prohibitionis: *Decet domum Domini ſanctitudo. Decet vt cuius in pace factus eſt locus, eius cultus ſit cum debita veneratione pacificus, &c.*

Circa quam prohibitionem notandum eſt primò, bis limitari ad laicos iudices, & ad ſæcularium iudiciorum ſtrepitus: nec eſſe extendendum ad Clericos iudices, qui citra dubium poſſunt ſua placita exercere in Eccleſia. Quinimò ius Canonicum monet, vt cauſæ Eccleſiaſticæ in Eccleſia fiant, vt videre licet 2.quæſtione 2.cap. vltimo. Vbi Turrecremata credit de hoc impoſi præceptum: ſed melius Gloſſa in capite citato. *cum Eccleſia.* non eſſe id de neceſsitate, ſed de quadam honeſtate: & idem ſentiunt communiter alij Doctores ibi. Dices, eadem inconuenientia ſequi ex placitis Clericorum in Eccleſia exercitis, quæ de placitis ſæcularium iudicum. Negatur hoc: quia præſumit ius Canonicum, cauſas Eccleſiaſticas cum minori ſtrepitu eſſe tranſigendas, & breuiori tempore: ac denique iudices Eccleſiaſticos curaturos, vt ſine indecentia loci ſacri fiant. Nihilominus Epiſcopi prouidentes fragilitati Clericorum iudicantium, & iudicandorum; nolunt hac permiſsione vti: ſed ſua placita extra Eccleſiam exercent, vel in Palatio Epiſcopali, vel in alio loco ad id apto. Secundò nota, ex dictis apertè conſtare, hoc ſacrilegium non haberi ex natura rei; neque ex iure diuino: ſed dumtaxat ex iure humano poſitiuo: quia non habet actus hic intrinſecam malitiam, contrariam ſanctitati Eccleſiæ, vnde & à Clericis iuſtè, & ſine peccato exerceri poteſt: non tamen poſſunt dare licentiam iudicibus laicis, vt patet ex verbis Canonum citatorum,

Turrecrem. Gloſſa.

rum, qui abſolutè talem actum prohibent. Tertiò notandum, præfata exercere placita in Eccleſia, eſſe peccatum mortale ex ſuo genere, quia prohibitiones illæ Eccleſiæ, repoſuerunt actus contrarios in religionis materia, & tranſgreſſores vt offenſores religionis, & obſeruantiæ debitæ ſanctitati locorum ſacrorum: ergo peccata hæc mortalia ſunt ex genere ſuo: ac proinde etiam in indiuiduo quotieſcunque materia grauis fuerit, actio peccaminoſa erit lethaliter; quando verò leuis, venialiter. Exiſtimo autem vt indubitatũ, quotieſcunque placitum eſt de cauſa ſanguinis, materiam eſſe grauem, & cõſequenter peccatum mortale. Quod ſatis indicat prohibitio ſub anathematis vinculo: & ratio prohibitionis redditur in dicto cap. *cùm Eccleſiam*. in alijs verò placitis circa cauſas ciuiles, crediderim interdum eſſe peccata mortalia: v. g. ſi quis iudex ſecularis, permanenter, & quaſi ſedens pro tribunali, placita exerceat in Eccleſia, peccabit mortaliter, quia materia illa prohibita grauis eſt. At verò ſi curſim ſententiam interloquutoriam pronuntiet; peccatum veniale erit, quia materia leuis eſt.

Demum ex eiſdem iuribus colligunt Doctores, non debere Eccleſiam haberi vt arcem, aut propugnaculum in bello: imò neque ad alios vſus bellicos conuerti: quod colligunt præcipuè ex dicto cap. *cùm Eccleſiam*. vbi habetur cauſam ſanguinis non eſſe in Eccleſia tractandam: ergo neque habenda eſt vt locus ad effundendum ſanguinem deputatus. Ita Innocentius, & Panormitanus ibi, Sylueſt. verbo *immunitas*. 1. quæſt. 1. §. 4. Angelus num. 5. Sed hi Doctores excipiunt caſum neceſsitatis in bello defenſiuo: & meritò, quia eſtò eſſet ius expreſſum, ceſſaret propter neceſsitatem: ergo multò magis cùm in hoc caſu expreſſum non ſit: ſed per illationem. Additque Syluester ex Hoſtienſi, id debere fieri de licentia Epiſcopi per ſe loquendo. Non multum diſsimilis eſt prohibitio, quæ habetur in cap. *relinqui*. de cuſtodia Euchariſtiæ, vbi Innocentius III. ait: *Firmiter prohibemus ne huiuſmodi ſupellectilia in Eccleſijs admittantur: niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſsitates vrgentes ad eas oporteat habere refugiũ, &c.* Quæ verba præceptum ſonãt, præcipuè erga admittentes, & conſequenter erga inferentes. Sed regulariter non videtur hoc eſſe peccatum graue; niſi tantus ſit exceſſus, vt notabiliter impediatur Eccleſia, vel fœdetur, aut contemni videatur. Et hoc intelligendum eſt ſtrictè de loco Eccleſiæ: non de Sacriſtia, nec de alijs locis adiunctis Eccleſiæ, vt conſtat ex verbis, & ratione textus, & ex vſu.

Innocent. Panorm. Syluest. Angelus.

Sextus gradus per mercatum, & ſimilia.

HIC actus prohibitus eſt fieri in Eccleſia, in dicto cap. *decet*. *Cenſent* (inquit) *in Eccleſijs earumq; cœmiterijs, negotiationes; & præcipuè nundinarum, ac fori cuiuſque tumultus*. Et in ſexta Synodo canone 76. Trull. ſic habetur: *Non oportet, intra ſanctos ambitus, caupunatoriam officinam, vel quæ fiant per aromata ſpecies proponere, vel alias venditiones facere: ſuam venerationem Eccleſijs ſeruantes*. Ex quibus iuribus colligunt Doctores, non eſſe licitum aliquid venale in Eccleſijs, vel cœmiterijs earũ exponere, niſi fortaſsè in vſum ipſius Eccleſiæ: de quo D. Antoninus 3. p. tit. 4. cap. 16. §. 2.

Syn. Trull.

D. Anton.

Dubitatio tamen eſt circa hunc ſacrilegij gradum, an naſcatur ex iure naturali, aut diuino id prohibente; an verò tantùm ex poſitiuo humano? Et ratio dubitandi magna ſumitur ex facto Chriſti Domini Matt. 21. & Marci 11. Lucæ 19. & Ioan. 2. vbi narratur, Chriſtum Dominum eieciſſe de templo emẽtes, & vendentes: ac acriter reprehendiſſe non ſemel, aut bis, ſed ter, vt notarunt Euangeliorum interpretes. Quod autem eos corripuerit propter irreuerentiam templi, patet ex verbis Chriſti dicentis: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis*. Quaſi naturale lumen dictaret, iniuriam templo irrogari per tales emptiones, & venditiones: non enim alicuius legis poſitiuæ veteris Teſtamenti mentionem fecit Dominus, ſicut aliàs ſolebat facere, quando talis lex extabat.

Dubium.

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 9. Ioann. 2.

Pro deciſione dico primò. Emere, & vẽdere, imò & negotiari, ex hoc quod fiant in Eccleſia, non habent intrinſecam malitiam. Probatur, quia in Eccleſia poſſunt fieri ſine vllo detrimento eius ſanctitatis: putà ſine tumultu, & perturbatione, & quouis alio modo, nec afferunt ſecum turpitudinem aliquam, ratione cuius dicatur ex eorum exercitio vilipendium Eccleſiæ ingenerari:

nerari: & ex alia parte de ſe habent obiectum bonum, & ſunt neceſſaria ad conſiſtentiam, & bonam gubernationem Reipublicæ: ergo.

Secundò dico. Negotiationes, & mercaturæ, vt in plurimum ſunt actus diſſonantes, ac improportionati, vt in Eccleſia fiant: imò & vt plurimum repugnantes ijs vſibus, ad quos loca ſacra deſtinata ſunt: ac proinde moraliter loquendo, non ſine crimine in Eccleſia exercentur, etiam ſecluſo omni poſitiuo iure. Poſterior huius dicti pars euidenter ſequitur ex priori: quæ probatur, & explicatur, aduertendo, negotiationes, ac nundinationes, quæ de ſe actus boni ſunt; duplicis generis circunſtantijs, quia diſſonis Eccleſiæ ſanctitati, communiter ſuperueſtiri. Primùm, has actiones comitantur furta, fraudes, deceptiones, periuria, & ſimilia his. Vnde Leo Pontifex, & habetur cap. *qualitas.* de pœnitentia. diſt. 5. *Difficile eſt* (inquit) *inter ementis vendentiſq; commercium, non interuenire peccatum.* Et ex hac parte negotiationes, & nundinæ diſſonant Eccleſiæ ſanctitati, non minus quàm alia peccata in Eccleſia exercita. Quam diſſonantiam Chriſtus inſinuauit dicens Matth. 21. & Marci. 11. ad nundinatores in templo: *Scriptum eſt, domus mea domus orationis eſt. Vos autem feciſtis eã ſpeluncam latronũ.* videlicet propter peccata iniuſtitiæ, quæ negotiatores frequenter, occaſione negotiationis, ſolent committere. Et Chryſoſt. homil. 38. in Matth. & refertur cap. *eijciens.* diſtin. 88. ſic habet: *Eijciendas venditiones, & ementes de templo, ſignificauit: quia homo mercator vix aut nunquam poteſt Deo placere.* Aduertendum tamen ex ſupra dictis ex hoc capite, nundinationes in Eccleſia habere rationem mali aggrauantis iniuſtitias adiunctas: non tamen habere rationem ſacrilegij. Secundò: eædem negotiationes in Eccleſia exercitæ, communiter tumultibus, clamoribus, & inquietudinibus, quæ frequenter contractus præfatos comitantur; perturbant orantes, & celebrantes diuina in Eccleſia: quod clarè inſinuauit Chriſtus Dominus dicens: *Nolite facere domum Patris mei* (quæ domus orationis eſt, id eſt, pro vſibus quietem exigentibus, qualis eſt oratio) *domum negotiationis*, vbi frequentes tumultus, clamores, & inquietudines. Et ex hac parte nundinari, ac negotiari in Eccleſia, quando adſunt præfati tumultus; ſacrilegæ actiones ſunt, etiam ſecluſo poſitiuo iure: quia repugnant ijs vſibus, ad quos Eccleſiæ dicatæ, & conſecratæ ſunt.

Chryſoſt.

Dico tertiò. Eccleſia, quæ in legibus ferendis, attendit id quod communiter accidit; prohibuit in iuribus citatis omnem negotiationis actum in templis, propter inconuenientia relata, quibus communiter veſtiuntur negotiationes: maximè propterea quòd officia diuina perturbant. Itaq; licèt ſtando in iure naturali, negotiationes carentes præfatis inconuenientibus, eſſent licitæ; tamen modò poſt leges latas Eccleſiæ, quæuis negotiatio in Eccleſia prohibita eſt, & ſacrilega: quia eius prohibitio à legiſlatore in materia religionis conſtituitur, in templorum reuerentiam, & immunitatem.

Pro intelligentia tamen prædictarum legum, & pro praxi in hac materia ſeruanda; nota ex Caietano verbo *immunitas Eccleſiaſtica*, quòd ſi vna, vel altera venditio fiat quaſi per tranſitum, poſſe aliquo modo à peccato, ſaltē mortali, excuſari: ſi autem fiat permanenter; quia in eo loco cõſtituitur venditor quaſi in officina ad vendendum: non poſſe à peccato excuſari. In cœmiterio verò videri veniale; quia non apparet notabilis irreuerentia: vnde & toleratur ab Eccleſiæ Prælatis, & tolerantia conſuetudine firmatur. Tamen intra templum, eſſe peccatum mortale; quia eſt grauis irreuerentia contra diuinum ius, vt ſignificant illa grauiſsima verba Chriſti, ex Euangeliſtis à nobis recitata. Addit verò Caietanus, ſi tantùm ex accidente id contingat, fieri ad breue tempus; verbi gratia, ſi propter vitandam iniuriam temporis, aliquis venditor cum menſa ſua intra Eccleſiam ſe recipiat: vel ſi quis per plateas aliquid vendendo incedit, Eccleſiam ingrediatur, ſimiliter res ſuas venditioni exponendo. Nam in his, & ſimilibus caſibus, cēſet à peccato mortali excuſari. Denique tu Lector aduerte prudenter, quando grauis irrogatur irreuerētia Eccleſiæ; & tunc mortale: quando verò leuis; & tunc veniale peccatum cenſeto.

Caietan.

Huic gradui prohibito in cap. *decet.* citato, annectere volo alias actiones prohibitas in eodem capite propter templorum reuerentiam. Et in primis prohibetur, in Eccleſia ſeditionem fieri. Quæ obligatio, citra dubium ad mortale ligat tranſgreſſores, tùm propter grauitatem peccati: tùm, & maximè, propterea quòd valdè contrariatur ijs finibus, ad quos Eccleſia conſecratur.

tur. Adduntur verò ibi hæc verba. *Nullus conclamationem moueat, impetúmve cõmittat.* Quæ duo prohibentur vt comites seditionis: & sic de eorum malitia, & grauitate iudicandum, sicut de seditione. Nauarrus autem in Inchirid. de oratione, cap. 5. num. 25. ex illis verbis colligit, ibi prohiberi in Ecclesia omnes ludos clamorosos; & tripudia, quæ cum profano tumultu fieri solent. Sed cum legis verba eam prohibitionem non sonent, ex alio capite pensanda est malitia, & grauitas harum actionum: putà si impediunt officia diuina, aut quietem orantium in Ecclesia, vel alio simili. Magis expressè hęc prohibentur cap. *cum decorem.* extra de vita, & honestate Clericorum, vbi prohibentur fieri in Ecclesia ludi theatrales, & spectacula, in quibus introducuntur monstra laruarum, &c. Quam prohibitionem omnes intelligunt de turpibus ludis: nam ludi honesti, & repræsentationes, quæ possunt ad pietatem mouere; non sunt prohibitæ, vt ibi notant Glossa, & Panormit. num. 1. Syluest. verbo *immunitas.* 1. Et puto hos ludos, vel repræsentationes, si inhonesti sint; esse peccatum mortale propter materiæ grauitatem: si verò tantùm profani, esse veniale propter materiæ leuitatem.

Nauarrus. *Panorm.* *Sylueſt.*

Prohibentur etiam in dicto cap. *decet.* secularia concilia, & parlamenta, quæ prohibitio, à Ioanne Andrea, & Panormitano intelligitur, quando materia talium actuum est merè temporalis, & secularis. Nam si sit de re Ecclesiastica, aut ad pietatem pertinente; non est ibi vlla prohibitio. At hæ actiones, regulariter loquendo, non sunt peccata mortalia, secluso scandalo, violentia, & contemptu, & magna perturbatione diuinorum officiorum. At verò si concilia sint de gubernatione seculari iusta, & sine necessitate fiant, sed propter humanã aliquam commoditatem; non videtur grauis irreuerentia: & ideò tantùm veniale erunt.

Ioan. And. *Panorm.*

Additur præterea in eodem cap. *Cessent vana, & multo fortius fœda, & profana colloquia, & confabulationes quælibet.* Intellige si sint vanæ, & otiosæ, quæ erunt venialia: at fœda, & turpia, erunt mortalia: quod si sint colloquia honesta, & sine tumultu; credo ibi non prohiberi. Quod colligitur ex his, quæ statim in textu subiunguntur: *Siue* (inquit) *quæcumque alia, quæ diuinum possunt turbare officium, aut oculos diuinæ maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea.* Ex quibus infero contra Syluestrum verbo *sacrilegium.* dicentem, triturare segetes, comprimere vuas, mercari, & facere ludos in Ecclesia, non pertinere ad sacrilegia: imò pertinent. Fatebr ferè semper esse venialia. Et sic puto intelligendum Nauarrum in Inchirid. de oratione cap. 5. qui post explicationem singulorum, quæ in cap. *decet.* sæpiùs citato prohibentur, addit in num. 42. transgressiones contra textum illum non esse peccata mortalia, sed venialia, nisi per contemptum fiant, vel cum notabili detrimento diuinorum officiorum. Sed certior regula est, ex materiæ leuitate, aut granitate, iudicium sumere.

Nauarrus.

Septimus gradus de conuiuijs in Ecclesia.

Dubium.

NON modica dubitatio exoritur de conuiuijs in Ecclesia gestis an sint sacrilegia? Et an ex natura rei, vel potiùs ex solo positiuo iure? Quod verò prohibita sint ex natura rei, etiam seclusso positiuo iure humano; non parum videtur vrgere testimonium Diui Pauli 1. ad Corinth. 11. vbi obiurgantur Corinthij, eo quod in Ecclesia comedebant, ac bibebant. Et D. Thom. ibidem lectione 4. exponens illa verba: *Nunquid domos non habetis ad manducandum? Non enim* (ait Doctor Angelicus) *est licitum, domum Dei, quæ deputata est pro sacris vsibus, communibus vsibus applicare, &c.* Additque, in necessitate licitum esse vti Ecclesia ad comedendum, & bibendum, & ad alios vsus licitos. Ex quo videtur inferri, eas actiones esse illicitas in Ecclesia ex natura rei, secluso iure positiuo: nam D. Paulus eas fidelibus denegauit, vt de se illicitas. Idem videtur haberi ex Chrysosto. in eundem locum Homil. 27. & ex Ambrosio ibidem. Et Diuus Anselmus post verba similia ijs, quę à præfatis dicuntur relata, subiungit, Ecclesiam Dei ad orationem, & percipienda Sacramenta consecratam contemni, dum in ea irreuerenter carnales cibi sumuntur. Et Basilius in regulis breuiori. regula 310. ex verbis Apostoli colligit, communes epulas non esse in Ecclesia manducandas. Igitur ex natura rei, propter reuerentiam Ecclesiæ debitam, conuiuia, & manducationes non sunt in Ecclesia exercendæ; etiamsi extra illam non essent peccata.

1. Corin. 11. *D. Thom.* *Chrysost.* *Ambros.* *Anselm.* *Basilius.*

De

De comeſtionibus, & conuiuijs in Eccleſia, ferè eodem modo loquendum eſt, atque de negotiatione docuimus: & ideò

Dico primò. Comedere & conuiuari ex hoc præciſe quòd fiant in Eccleſia, non habent intrinſecam malitiam. Probatur, quia in Eccleſia poſſunt hæ actiones fieri ſine vlla perturbatione, ac tumultu, ſine luxu, & ingluuie: ſed parcè, & honeſtè, vel ſumendo neceſſaria ad vitam, vel interdum pauperes ac peregrinos recreando: ergo.

Secundò dico. Comeſtiones, & conuiuia vt plurimum ſunt actus improportionati vt in Eccleſia fiant, tum quia vt plurimum non vacant criminibus adiunctis, v.g. luxu, ebrietate, nimijs ſumptibus, & confuſione pauperum ibi adſtantium: quod inſinuauit Paulus dicens: *Et confunditis eos qui non habent*: tum quia apparatus conuiuiorum, non ſine tumultu impeditiuo diuinorum fit: tum tertiò, quia non ſine contemptu loci ſacri, dum fit quaſi abacus, & repoſitorium epularum, & luxus: ad quod fit alluſio in verbis Apoſtoli citatis: *An Eccleſiam Dei contemnitis?* Addit Hieronymus: *Facientes eam triclinium epularũ*. Quia ergo vt plurimum conuiuia hæc ſecum afferunt incommoda in Eccleſia exercita; ab Apoſtolo obiurgantur Corinthij, quia ea faciebant in Eccleſia. Et conſequenter dicendum eſt, etiam ſecluſo iure poſitiuo, communiter in Eccleſia irreuerenter celebrari.

Hieronym.

Dico tertiò. Non video in iure poſitiuo prohiberi abſolutè, non eſſe manducandum, aut conuiuia facienda in Eccleſia. Probatur, quia capitula, quæ ſolent citari pro hac prohibitione ſtabilienda, habentur in 42. diſtinctione Decreti. In cap. *non oportet*. 2. ſic loquitur Concilium Laodicenſe: *Non oportet in baſilicis, ſeu Eccleſijs agapes, id eſt, conuiuia facere, & intus manducare, vel accubitus ſternere*. Et in cap. *nulli*. ſtatim ſubiungitur ex Concilio Carthagin. 3. *Nulli Epiſcopi, vel Clerici in Eccleſia conuiuentur, niſi fortè tranſeuntes hoſpitiorum neceſsitate illic reficiantur. Populi etiam ab huiuſmodi conuiuijs, quantum fieri poteſt prohibeantur*. At in his locis non apparet forma præceptiua: & in primo capite patet, quia vox *oportet* nõ videtur inducere præceptũ, ſed conſiliũ. In poſteriori verò, pro communi populo nulla apponitur prohibitio: ſed tantùm dicitur vt prohibeantur; & cum limitatione, quantum fieri poteſt. Quoad Clericos verò videtur apponi aliqualis prohibitio: ſed cum tali exceptione quæ extendi poteſt ad omnem caſum, vbi prudentia dictauerit neceſſarium eſſe id fieri. Quapropter exiſtimo, conuiuia in Eccleſijs non eſſe prohibita iure poſitiuo: ſunt tamen prohibita iure naturali ac diuino, quando veſtiuntur circunſtantijs malis, quas diximus ſecum vt plurimum afferre. Et tunc iudicio prudentium libranduin eſt, quando cum graui irreuerentia loci ſacri celebrantur: quia tunc peccatum erit mortale ea in Eccleſia facere. Quando cum modica irreuerentia, tunc dumtaxat erit veniale. At ſi abſint illæ malæ circunſtantiæ, nullum erit peccatum. Verbi gratia manducatio, aut conuiuium frugale, & parcum in angulo Eccleſiæ ſine tumultu, ſine luxu, ſine perturbatione illic adſtantium: nullum erit peccatum, vel tantum veniale, iuxta mentem Nauarri, qui in loco citato numero 30. cenſet, in dictis capitibus verum adeſſe præceptum, prohibens abſolutè omnem manducationem ſine neceſsitate in Eccleſia factam. Quodſi contra noſtrum aſſertum obijcias capitulum ſequens in eadem diſtinctione, vt in Oratorio penitus nil agatur præter orationem, Pſalmodiam, vel aliquid ad diuinum officium ſpectans: reſpondetur, id eſſe conſilium pro profeſſoribus Regulæ diui Benedicti, & diui Auguſtini, ex quibus deſumptum eſt capitulum illud. Aliqui ſolent ad hanc ſecundam ſpeciem ſacrilegij reducere imponere tributa, gabellas, ac exactiones Eccleſijs; eas infringere, aut ſuis bonis ſpoliare: ſed hæc potius pertinent ad tertiam ſpeciem, vbi latè de his dicemus.

Nauar.

Octauus gradus de extractione reorum ab Eccleſia.

HIC gradus meritò inter famoſos ſacrilegij gradus numeratur, propter frequẽtem eius mentionem tam in iure Canonico, quàm in Ciuili. Extant enim multa iura concedentia hanc immunitatem Eccleſijs, vt ab eis rei per vim non extrahantur, ob reuerentiam ſcilicet locorum ſacrorum. Ita habetur 17.q.4.c. *diffinuit*. cap. *miror*. cum tribus ſeq. cap. *nullus*. & cap. *id conſtituimus*. de immunit. Eccleſiar. Et in iure Ciuili toto titulo Codicis de his qui ad Eccleſiam confugiunt. In quo ſacrilegij

legij gradu dumtaxat tractabo ea, quæ pro examinandis conſcientijs ſufficere videbo: relinquens huius rei fuſiorem diſputationem Iuriſperitis, vt tractent fabrilia fabri.

Singula verba tituli huius gradus explananda ſunt: & primò notandum, nomine Eccleſiæ in primis eſſe intelligendas omnes autoritate Epiſcopi fundatas, conſecratas, ſeu benedictas, vt colligitur ex iuribus citatis; & tradunt omnes Doctores: imò Eccleſias non conſecratas, aut benedictas, ſed ſolùm autoritate Epiſcopi fundatas. Ita declarat Gregorius in cap. *Eccleſiæ*. de immunitate Eccleſiarum. & Abbas ibidē, & expreſsiùs cap. vltimo de cenſibus, num. 4. Sylueſter verbo *immunitas*. 5. num. 5. quæſtio. 5. in fine, Couarrub. & alij. Probatur, quia talia loca Epiſcopi autoritate fundata, veræ Eccleſiæ ſunt: cur ergo non gaudebunt hac immunitate? Imò etiamſi in ea Eccleſia non cœperint Officia diuina celebrari. Ita Couarr. num. 4. Item hæc immunitas extenditur ad quamcunque ex dictis Eccleſijs, etiamſi interdicta, aut polluta ſit. Ita communiter Iuriſperiti ſuper cap. *Eccleſiæ*. citatum. Item intelligitur Eccleſia nō tantùm quoad internum ambitum ſuum: ſed etiam quoad totam ſuam fabricam, vſq; cœmiterium incluſiuè. Ita habetur ex vſu: & colligitur ex cap. *ſi quis contumax*. 17. quæſt. 4. & de atrio Eccleſiæ, vel de porticibus quolibet modo Eccleſiæ adhærentibus. Et hinc colligitur, nomine Eccleſiæ comprehendi eius cœmiterium. Et quamuis ſecundùm antiqua iura, cœmiterium Eccleſiarum maiorum extendatur ad ambitum quadraginta paſſuum; & in minoribus triginta in circuitu: tamen quia hoc ſæpè non poteſt commodè fieri, ſtandum eſt conſuetudini: & in quauis Eccleſia id pro cœmiterio habendum, quod vel eſt benedictum, vel pro loco ſacro ab Epiſcopo deputatum. Præterea extenditur hæc immunitas ad alia loca, quæ non ſunt Eccleſię, ſed in iure ſacra cenſentur, vt eſt hoſpitale autoritate Epiſcopi fundatum. Ita in cap. *ad hæc*. de Religioſis domibus. Ita communiter per Innocentium, Panormitanum, & alios in dicto cap. *Eccleſiæ*. Et idem eſt de Monaſterijs religioſorum quoad omnem habitationem eorum in cœnobijs: quia totus ille locus religioſus, & ſacer eſt, vt conſtat ex toto titulo de religioſis domibus. Et probatur ex cap. *ligna Eccleſiæ*. diſtinctione 1. & conſuetudine obſeruatur. Denique addunt Doctores, etiam domum Epiſcopi hac gaudere immunitate: quod expreſsè habetur in cap. *conſtituimus*. 17. quæſtio. 4. Aliqui tamen reſtringunt, vt intelligatur quando domus Epiſcopi intra quadraginta paſſus Eccleſiæ ſuæ ſita eſt: & Couarr. n. 5. dicit, conſuetudine forenſi limitationem vſu tradi. At verò Oratoria priuata nō gaudent hac immunitate. Ita docent Innocentius in cap. *inter dilectos*. de donationibus, & Abbas in cap. vlti. de cenſibus, num. 4. Sylueſter vbi ſupra, & verbo *interdictum*. 6. quæſt. 5. Ratio eſt, quia huiuſmodi Oratoria neque ſunt Eccleſiæ, iuxta modum loquendi iurium: neque loca religioſa, quia non ſunt erecta Epiſcopi autoritate; & ad profanos vſus conuerti poſſunt. Dices: Epiſcopi licentia in eis celebrantur diuina. Ita eſt, ſed non ob id manent immobiliter deputata ad diuina.

Demum aduerte, Hoſtienſem extendere hanc immunitatem ad ſacerdotem Euchariſtiam deferentem per plateas, & ad thronum, ſiue tabernaculum, in quo idem Chriſti Domini corpus defertur: ita vt ſi reus fugiens illud complexetur, capi non poſſit. Ita etiam Turrecremata in cap. *quæſitū*. 13. quæſt. 2. & alij quos refert Couarrub. num. 6. qui non iure, ſed pia ratione fundantur: & ideò ipſe dubius eſt. Gloſſa verò in dicto cap. *quæſitum*. oppoſitum tenet; quia priuilegia (inquit) non debēt trahi per conſequentiam. Sed certè conſequentia hæc probabilis eſt; quia corpus Chriſti eſt fundamentum huius immunitatis: præterquàm quod videtur hoc pertinere ad reuerentiam iure diuino debitam corpori Chriſti. Item, quia Eccleſiæ nomen, non abſurdè extenditur ad locum illum, vbi Euchariſtia eſt in tranſitu: & ideò hæc ſententia omninò ſequenda eſt.

Secundum notabile, ad explicandum quæ perſonæ hac immunitate gaudeant. Et videtur quod omnes, præcipuè fideles baptizati: ſub qua nuncupatione etiam comprehenduntur ſerui. Item gaudent hac immunitate excommunicati, & interdicti: ita docet Couarrub. num. 11. contra Felinum, & alios: videndus eſt. An verò Clerici gaudeant hac immunitate; ingens diſceptatio eſt inter Iuriſperitos, videnda apud Couarrubiam num. 6. Verior ſententia, & praxi, ac vſu ſtabilita, eſt iudices Eccleſiaſticos poſſe extrahere Clericos ad Eccleſiam cōfugientes, non verò iudices laicos. De infidelibus etiam eſt controuerſia hinc & inde agitata: magis pia eſt ea ſententia, quæ affirmat

Gregor. Abbas. Sylueſt. Couarr.

Innocent. Panorm.

Hoſtien.

Turrecr.

Couarrub.

Gloſſa.

Couarru.

affirmat hos ab Eccleſia debere recipi, & protegi: fortaſsis verior, quæ negat. Vide Couarrubiam num. 11. & eadem maiori ratione fulcitur erga hæreticos, quia peiores Eccleſiæ hoſtes.

Nunquid ſunt aliquæ exceptiones, in quibus præfatæ perſonæ non gaudent immunitate hac? Sunt quidem, & multæ. Prima: in cap. *inter alia*. fit exceptio de publico latrone, vel nocturno depopulatore agrorum: de quo nulla eſt dubitatio. Addit *Couarrub.* verò Couarrub. conſuetudine receptum eſſe, vt fures etiam ordinarij, qui clanculum aliena ſurripiunt, non gaudeant hac Eccleſiæ immunitate: & hanc conſuetudinem fuiſſe introductam, videntibus, & cõſentientibus Clericis, & Epiſcopis in odiũ delicti; ac proinde quaſi renuntiantibus tali immunitati quoad fures, nõ verò quoad alia delicta, etiamſi grauiora ſint quàm furta. Secunda exceptio de homicida, & mutilatore in Eccleſia. Ita expreſsè habetur in cap. vlt. de immunit. Eccleſ. Quam exceptionem quidam extendunt ad omnia grauia delicta commiſſa in Eccleſia: & *Couarr.* Couarrubias dicit eſſe opinionem commu- *Nauarrus.* nem num. 15. & Nauarrus in Manua. c. 25. num. 20. Ratio potiſsima iſtorum eſt, quia in principio textus citati ſic exorditur: *Nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes, &c.* Loquitur ergo vniuerſaliter de quibuſuis grauibus criminibus perpetratis in Eccleſia: de homicidio autem, & mutilatione mentionem facit, quaſi gratia exempli. An verò ſi delictum non fuerit in Eccleſia conſummatum, criminoſus debeat ab Eccleſia protegi? *Couarr.* Couarrubias tenet partem affirmatiuam numero. 1. quem vide, ſi cupis ampliorem diſputationem. Tertia exceptio eſt de homicida per induſtriã, & inſidias, Hiſpanè, *El que mata à otro à traycion*, vel mandat occidi. De qua exceptione poteris videre Couarrubiam num. 7. *Abulen.* & Abulenſem quæſtione 16. & 21. in cap. 21. Exodi. Quarta exceptio de raptoribus virginum ab aliquibus reprobatur, & ab aliquibus admittitur: vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet: non enim video clara iura Canonica hanc exceptionem firmantia. Lege ſi placet Couarrubiam num. 8. refe- *Couarr.* rentem alios. Multas alias exceptiones quidam aſsignant: v. g. de eo qui è carcere fugit cõfringendo eum, & ſimiles, quas omitto, quia iure non fulciũtur, aut cõſuetudine oppoſitum practicatur. Item eam quã quidam defendunt, de eo qui ad Eccleſiã confugit propter debita temporalia contracta. Sed communiùs tenetur oppoſitum, vt videre licet apud Couar. num. 4.

Quarto notandum eſt, non ſolùm extrahentes confugientes ad Eccleſiam crimine ſacrilegij inuolui; verùm etiam aliquam violentiam inferẽtes intra ipſam Eccleſiam: v. g. ibi ligare, aut in vinculis ponere. Vnde in Concilio Toletano 12. cap. 10. *Conc. Tole.* diffinitur, vt nullus audeat confugientes ad Eccleſiam, vel reſidentes inde abſtrahere, aut quodcunque nocibilitatis, vel damni inferre, putà prohibẽdo victualia, veſtes, & ſimilia, vt colligitur ex l. *præſenti.* C. de his qui ad Eccleſiam confugiunt. Neque etiam poſſunt ad pœnam aliquam damnari quandiù ſunt intra Eccleſiam, vt clarè dicitur in dicto cap. *inter alia.* quod Panormitanus *Panorm.* intelligit de pœna corporis afflictiua, Gloſ- *Gloſſa.* ſa verò de omni pœnarũ genere: quod Iuriſtis relinquo diſcutiendum. Et Couarru- *Couarr.* bias ex eiſdem iuribus colligit, non poſſe tales confugientes rebus ſuis ſpoliari. Suis, inquam, quę ſine iniuria poſsident alterius: nam ſi debita aliena ibi detinerẽt; poſſent illis ſpoliari ab eo qui ad hoc haberet poteſtatem. Poſſent etiam armis prohibitis ſpoliari, vt notauit Couarruuias num. vlt. & addit num. 16. non poſſe Eccleſiam obſideri propter eum qui ad Eccleſiam confugit. Sed intelligit quando obſeſsio fit ad impediendum ne alimenta, & veſtitus, & alia neceſſaria recluſo in Eccleſia deferantur, quia eſt manifeſta coactio: quæ tanta eſſe poſſet, vt reus, vel ſe tradere, vel exire, vel mori cogeretur. Et hoc expreſsè cauetur in l. *præſenti.* in verbis citatis, vt notant Ho- *Hoſtien.* ſtienſis, & Panormitanus in dicto cap. *in- Panorm.* ter alia*.* Si verò Eccleſia obſideatur à iudice, ſolùm ad præcauendum ne reus liberè fugiat, vel vt capiatur ſi extra fines Eccleſię exeat: tunc non agitur contra immunitatem Eccleſiæ, quia nulla vis infertur exiſtenti in loco ſacro.

Demum vt vltimam manum huic gradui imponamus aduertendum eſt, iudicem blanditijs, aut promiſsionibus rogantem reum in Eccleſia exiſtentem, vt ſecum exeat; ſi ipſe voluntariè, & ſine coactione cõſentiat, & egrediatur, non peccare: quamuis Clerici non conſentiant. Probatur, quia non facit contra immunitatem, quæ in hoc conſiſtit, vt violenter non extrahatur, vt expreſsè dicitur in dicto cap. *inter alia.* Itẽ, quia non fit iniuria reo, qui poteſt non vti

illo

illo beneficio. Non etiam fit Eccleſiæ: quia ſicut poterat reus Eccleſiam egredi ſine vllius rogatu; poteſt etiam precibus iudicis adductus. Præterea, ſi ex iuſta licentia Paſtorum Eccleſiæ, iudex reum etiam inuitum extrahat; non peccat contra immunitatem Eccleſiæ. Patet, quia hoc priuilegium directè conceſſum eſt Eccleſiæ, non delinquẽtibus. Et ſi vrgeas, Eccleſiæ Paſtores non poſſe hanc licentiam dare in caſibus à iure non exceptis. Reſpondetur: ipſa iura concedunt hanc facultatem, præcauta prius ſecuritate delinquentis quoad vitam, membra, & omnem corporalem incolumitatẽ.

Syluest. Ita docet Syluester verbo *immunitas.* 3. quæſt. 4. & colligitur ex cap. *id conſtituimus.* 17. quæſt. 4. ibi. *Reos abſtrahere omninò non liceat, ſed neque alteri conſignare, niſi ad Euangelia datis Sacramentis, de morte, debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri.* Tunc autem tenetur iudex ſtare promiſſis: alioqui vltra peccatum grauiſsimum quod committit, & obligationem ad reſtituendum reum; cogi poterit per Eccleſiam.

Item Eccleſia poteſt reſiſtere iudici volenti reum ab Eccleſia extrahere in caſibus non conceſsis: quia licitum eſt vim vi repellere; & Eccleſiaſticam immunitatem tueri. Hæc autem reſiſtentia debet fieri præcipuè cenſuris, vt notat Couarrubias

Couarru. verſu vlt. & ita habet vſus Eccleſiæ. Poteſt etiam reſiſtere, portas Eccleſiæ claudendo: & alijs medijs externis vti, ad impediendã vim, ſeu effectum eius abſque aggreſsione. Non verò licet ſumere arma, aut aggredi conantes extrahere. Fortaſsè in aliquo caſu rarò liceret vti laicis id agentibus: quando ſcilicet grauiſsimum immineret damnum Eccleſiæ ex tali extractione. Quid ſi iudex de facto extrahat, extra caſus in iure permiſſos? Tenetur eum reſtituere Eccleſiæ:

Auguſt. colligiturque hoc apertè ex cap. *miror.* 17. quæſt. 4. deſumpto ex Auguſt. epiſt. 187. ad Bonifacium, quem reprehendit, eo quod hominem de Eccleſia extraxerat; & ſubdit: *Eccleſiæ igitur illæſum reuoca, quem vt irreligioſiſsimus rapuiſti:* & illum communione priuat donec reſipiſcat. Et ratio eſt clara: quia nulla alia via poteſt reparare iniuriam, quam Eccleſiæ inuexerat. Concordant

Syluester. Angelus. Panorm. Bartol. communiter Doctores, Syluester vbi ſupra quæſtione 7. Angelus nu. 20. cum Panormitano in dicto cap. *inter alia.* num. 26. & Bartolo in l. *præſenti.* citata, & alij, qui addunt, quòd licet iudex poſtquam extraxit reum, velit cautionem de impunitate dare, & ea conditione reum detinere; non ſatisfacit Eccleſiæ, neque conſcientiæ ſuæ: ſed debet prius reſtituere quod abſtulit, & poſtea de alia compoſitione cum Eccleſia tractare. Quod ſi nolit iudex, poteſt per cenſuras compelli, quia eſt pertinax contra Eccleſiam in re graui: quæ omnia in viridi obſeruantia ſunt. An verò iudex contra ius extrahens reum ab Eccleſia, non ſolum Eccleſiæ iniuriam irroget, verum & ipſi reo violans iuſtitiam commutatiuam; ac ſubinde teneatur illi reſtituere omnia damna, ex ea extractione reo prouenientia? quæſtio eſt digna ſcitu, de qua agitur in materia de reſtitutione; & fortaſsis nos agemus, tenentes partem affirmatiuam cum fere omnibus modernis Theologis in loco modò dicto. Sed rogas, an ſeruus confugiens ad Eccleſiam, vt euadat flagella domini ſui; ſit ab Eccleſia protegẽdus? Nequaquam: quia herus dominium illius habet, & ius ad opera illius: quo iure non vult Eccleſia herum ſerui defraudare, & notatur in l. vlt. C. de his qui ad Eccleſiã confugiunt. A quo excipitur, niſi ſeruus fugiat propter magnam atrocitatem domini; quia non eſt exponendus tam graui periculo: in quo prudentiæ leges conſulendæ

Panorm. ſunt, vt notauit Panormitanus.

Et hæc ſatis ſint de hoc ſacrilegij gradu: ſi prius diſputauerim, an hęc immunitas cõceſſa ſit Eccleſijs ex iure diuino, an verò tantùm humano poſitiuo?

Et videtur quòd iure diuino, quia templo in lege veteri conceſsit Deus hanc immunitatem: ergo à fortiori templa legis gratiæ eadem immunitate gaudere debent. Secundò. Superius docuimus iure naturali eſſe debitum, vt res depoſitæ, & commiſſæ cuſtodiæ templorum, inde per vim non educantur: ergo eodem iure debitum, vt delinquentes qui ad Eccleſiam tanquam ad firmum, & inuiolabile aſylum confugiunt ibidem protegendi, non extrahantur per vim, aut fraudem.

Certum mihi videtur, hanc immunitatem non eſſe conceſſam Eccleſijs Chriſti iure naturali, aut diuino. De naturali patet, quia extractio illa ex ſe non eſt indecens, cum ſæpe à iure concedatur, vt vidimus: nec lumen naturæ dictat, talem immunitatem Eccleſijs eſſe debitam; maximè quia ad punitionem delinquentium ordinatur, quam Eccleſiæ amat, vt ſcelera ceſſent. De iure verò diuino poſitiuo legis

gratiæ

gratiæ probatur: quia tale ius nō habetur in A
sacris Codicibus, neq; ab Apostolis ex Christi Domini iussione traditū. Confirm. quia Christus Dominus fidelibus tantùm tribuit præcepta spectantia ad fidem, & Sacramenta: quale non est immunitas hæc Ecclesiæ, de qua sermo est. Fateor hoc templorum priuilegium antiquissimum, vt cōstat ex iuribus allegatis, & alijs quæ poterant adduci. Sed inde tantū probatur, rem hāc esse nimis cōsentaneā iuri naturali, propter reuerentiam templis debitam, instar templi legis antiquæ, & sanorum Gentilitatis: quæ suorum Deorum fana, asylum ad
ea confugientium esse voluerunt. Quod B
egregiè declarat Couarr. vbi supra num. 2.
Couarrub. Quinimò non solùm antiqua iura Canonica eam immunitatem concessêre, tanquam quid pertinens ad Ecclesiæ potestatem, vt pote negotium spirituale: verùm & iura Ciuilia eam stabilierunt per Imperatoriam potestatem, vt videre licet in Concilio Toletano 12. cap. 10.
Cōcil. Tol.

Primo argumento posito in principio huius dubitationis mouentur quidam Iuristæ, quos refert Couarru. num. 2. & Abulensis quæstione 7. in caput 20. Iosue, vt
Couarrub. Abulens. existimarent hanc immunitatem esse de C
iure diuino. Ad quod primò respondetur, negando antecedens, quod conatur multis probare Abulensis citatus. Secundò respondetur admisso antecedenti, consequentiam nullam esse: tum quia benè stat aliquod priuilegium concessum fuisse veteri tēplo, & non Ecclesijs nostris: tum quia si esset, pertinuisset ad cæremonialia legis veteris, quæ modò mortua sunt, imò mortifera: & asserere ea habere nunc efficaciam, erroneum esset. Fortasse Iuristæ illi dicentes esse de iure diuino, intelligendi sunt sicut in quæstione de decimis in simili diximus per imitationem: nimirum quia ius Canonicū, D
in hoc imitatum est ius illud diuinum de immunitate templi Hierosolymitani.

Ad secundum negatur consequētia: quia Ecclesia ex vi consecrationis suæ habet, vt sit locus fidelis custodiæ rerum ibidem depositarum; ita vt per actionem iniuriosam inde extrahi non possint. At respectu delinquentium ad eam confugientium, non itidem: quin potius, secluso iure positiuo propter sua crimina à quouis loco deberent extrahi, & puniri.

Tertia species sacrilegij

COnsistit in violatione rerum sacrarum, quæ non sunt persona sacra, aut *D. Thom.*
locus sacer: in qua D. Thomas collocat multos sacrilegij gradus. In primo ponit Sacramenta, quibus homo sanctificatur: v.g. si quis indignè aut recipiat, aut conferat: quorum præcipuum est (inquit D. Thomas) Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum; & ideò sacrilegium contra hoc sacramētum commissum, grauissimum est omnium. In secundo gradu collocat vasa sacra ad Sacramentorum susceptionem, & imagines sacras, & reliquias Sanctorum: in quibus, inquit, quodammodo Sanctorum personæ venerantur, aut dehonorantur. In tertio ponit res quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & ministrorum. In quarto ponit bona Ecclesiastica, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ. Sed circa primum gradum sit

DISPVTATIO VIII.

An irreuerentia contra Eucharistiam reponatur in prima specie sacrilegij? An verò in tertia? Imò verò dubitatur, an sit propriè sacrilegium?

ET videtur vera pars negatiua. Primò, quia Eucharistia non est sancta sicut aliæ res sacræ; sed sicut Deus, quia re vera est Deus: ergo sicut irreuerentia contra Deum non est sacrilegium directè, sed irreligiositas alterius rationis; ita irreuerentia contra Eucharistiam, plus est quàm sacrilegium. Cōfirmatur, quia cæteris rebus sacris præter Eucharistiam, non debetur suprema adoratio latriæ, sed secundaria quædam honoratio, vt septima Synodus docuit. At Eucharistiæ debetur idem latriæ cultus, qui vero Deo debetur, vt diffinit Synod. Trid. *Cōcil. Trid.*
sess. 13. c. 5. & can. 6. ergo etiam irreuerētia factaEucharistiæ, est aliquid maius quàm sacrilegiū, quod fit alijs rebus sacris, & quod directè opponitur illi secūdariæ veneratio-
ni rerū sacrarū. Confir. secundò. Adoratio debita Christo in Eucharistia, eiusdē speciei est cū adoratione quæ debebatur Christo in propria specie visibili existenti, vt expresse

preſſe docet præfata Synodus cap. 5. ergo etiam iniuria facta Euchariſtiæ, vel Chriſto in propria ſpecie, eiuſdem rationis eſt: ac proinde, ſicut hæc irreuerentia propriè non eſt ſacrilegium; ita neque illa ſaltem directè, ſed aliquid maius, putà irreligioſitas.

Caietan. Caietanus in dubio ſexto & ſeptimo mouet hanc quæſtionẽ: & aliqui moderni ſuggillant ex parte eius reſponſionem, moti argumentis propoſitis: nos verò ſequentibus eam decidimus. Vnde

Primò dico. Quando quis irreuerenter tractat Euchariſtiam ex contemptu Chriſti Domini in ea contenti; aut ex intentione iniuriam inferẽdi eidem Chriſto, non peccat immediatè peccato ſacrilegij; ſed irreligioſitatis, quæ eſt alterius rationis à ſacrilegio facto rei alicui ſacræ. Probatur: quia illud peccatum immediatè verſatur circa irreuerentiam Dei: ergo non pertinet ad ſacrilegium vt diſtinguitur ab irreligioſitate: nam hæc immediatè reſpicit Dei irreuerentiam; illud verò irreuerentiam rei ſacræ.

Secundò dico. In præcedenti caſu etiam reperitur ſacrilegium mediatè, & concomitanter, quatenus infertur etiam irreuerentia ſpeciebus ſacramentalibus, quæ res ſacræ ſunt: ſicut ſi quis conculcaret ſacerdotem indutum ſacris.

Tertiò dico. Si quis iniuriam irrogaret Euchariſtiæ, v. g. exponendo aut conculcãdo, nulla facta mentione Chriſti ibi exiſtentis, vt ſæpe dicitur accidiſſe apud Hæreticos, immediatè ſacrilegus eſſet, ſacrilegio pertinente ad tertiam ſpeciem, quo ſcilicet fit iniuria rei ſacræ: mediatè verò committeret ſacrilegium contra Chriſti perſonam, quatenus vt humana conſideratur, ideſt contra humanitatem perſona diuina perſonatam: & id ſacrilegium ad primam ſpeciem pertineret. Probatur vtraque pars: quia immediatiùs fit iniuria ſpeciebus Euchariſticis, & mediatè Chriſto contento ſub illis. Et ſi obijcias: quando Clericus indutus ſacris percutitur, quamuis immediatiùs attingatur veſtis; tamen immediatè percutitur Clericus; & ſacrilegium illud ad primam ſpeciem primo & per ſe pertinet: ergo conculcans Euchariſtiam, quamuis immediatiùs conculcentur ſpecies ſacramentales; tamen quia in eiſdem continetur Chriſtus, ſacrilegium illud præcipuè & immediatè ad ſacrilegium perſonale ſpectat. Reſpondetur negando

A conſequentiam: quia in caſu antecedentis, licèt phyſicè attingantur immediatiùs veſtes Clerici: tamen iniuria immediatiùs & directè infertur perſonæ. Veſtis namque vt quædam quaſi pars extrinſeca hominis eſt, cooperiens ipſam perſonam. Cæterum quando conculcantur ſpecies ſacramentales; cùm Chriſtus non ſit in illis per modum corporis, ſed ſacramentaliter; iniuria immediatiùs fit ſpeciebus, ſecundariò Chriſto Domino. Quare primariò pertinet illud ſacrilegium ad tertiam ſpeciem, & in ea collocatur à diuo Thoma, ſecundariò & mediatè ad primam ſpeciem:

B & vtrouis modo eſt omnium ſacrilegiorum grauiſsimum; quia continet malitiam ſacrilegij contra perſonam Chriſti, & contra ſpecies ſacras, quæ continent Chriſtum. Quare non aſſentior Caietano dicenti, illud ſacrilegium non eſſe contra ſanctitatem perſonæ Chriſti. Nam ſi de ſacrilega iniuria primariâ ſermo ſit, verum dicit: ſin verò de ſecundaria & conſequenti, falſum: quia impertinens eſſe exiſtimo ad rationem iniuriæ, eſſe ibi per modum corporis, vel non. Etenim re vera in illis ſpeciebus continetur verum Chriſti corpus, veraque eius ſanctitas, cui iniuria irrogatur conculcando, aut alio modo iniuriam inferendo ſpeciebus. Verum tamen cenſeo id quod idem Caietanus ait in ſeptimo dubio, propter peccatum inferendi manus violentas in Euchariſtiam, non incurri excommunicationem latam contra inferentes in ſacram perſonam: quia cenſura illa lata eſt contra inferentes manus violentas in perſonas ſacras, quæ apud nos commorantur modo communi, id eſt per modum quo corpora communiter ſolent eſſe, quo modo non eſt Chriſtus in Euchariſtia.

Caieta.

D Ad argumenta poſita in principio, quatenus conantur probare, conculcationem ſeu aliam irreuerentiam Euchariſtiæ irrogatam non eſſe propriè ſacrilegium, ſed irreligioſitatem, reſpondetur. Ad primum, Euchariſtiam eſſe ſanctiorem quàm aliæ res ſacræ, propter continentiam Chriſti Domini: non tamen eſt ſancta ſicut Deus; quia Euchariſtia ſupponit pro ſpeciebus, quæ non ſunt Deus, ſed continent Deum. Quare cõceſſo ad hunc ſenſum antecedẽti, negatur conſeq. Ad primam confirm. reſpondetur, duplicem cultum exhiberi poſſe Euchariſtiæ: vnus adorationis latriæ propter Chriſtum in ea cõtentũ; alter ſpeciebus

dignis veneratione, & cultu, quia res ſacræ ſunt Chriſtum continentes. Primus pertinet ad latriam, quæ deſumitur ex termino vltimo, cuius gratia fit adoratio, & qui vltimo adoratur: alter non pertinet ad latriam, ſed ad quandam venerationem rebus ſacris debitam. Non diſſimiliter, duplex irreuerentia poteſt inferri Euchariſtiæ; vna oppoſita priori cultui, quando ſcilicet Chriſtus in Euchariſtia expreſsè, & ex intentione iniuriatur, vt in caſu primi aſſerti: & hæc citra dubium ad irreligioſitatem pertinet, non ad ſacrilegium, niſi fortè concomitanter, & ſecundariò. Altera irreuerentia irrogatur Euchariſtiæ, id eſt ſpeciebus Sacramẽtalibus ſine expreſſa recordatione Chriſti, vt in caſu 3. aſſerti: & hæc opponitur poſteriori cultui, nec pertinet ad irreligioſitatem, quæ immediatè verſatur circa Deum. Obijciet quis: Euchariſtia, id eſt ſpecies Sacramentales, adorantur adoratione latriæ abſolutè loquendo, etiamſi non fiat expreſſa mentio Chriſti ibi contenti: ergo quando infertur iniuria ipſis, vt in caſu tertij aſſerti, irreuerentia facta Euchariſtiç, opponitur illi adorationi latriæ, & conſequenter pertinet ad irreligioſitatem. Negatur conſequentia: quia in adoratione latriæ, parum refert terminari adorationem immediatè ad diuinam perſonam, ſed ſat eſt mediatè. At in irreuerentia ſecus ſe habet res: quia ex immediato obiecto offenſo potiſſimè conſideratur. Et ideò quando irreuerentia irrogatur immediatè Euchariſticis ſpeciebus, ſacrilegium eſt, non irreligioſitas, vt diſtinguitur à ſacrilegio. Aliàs ſi ex mediato obiecto offenſo perpenderetur iniuria, omnia ſacrilegia pertinerent ad irreligioſitatem: quia id quod mediatè offenditur per ea, Deus eſt. Ob id enim res ſacræ violantur ſacrilegio, quia eorum ſacratio Deo dicata eſt. Ad ſecundam confirmat. reſpõd. ex doctrina data, diſtinguẽdo conſequens. Nam ſi intelligatur de iniuria facta Chriſto in Euchariſtia, putà quia Chriſtus contemnitur, aut intenditur ibi contemni; verum eſt conſequens: ſi autem intelligatur de iniuria facta Euchariſtiæ ſine expreſſa recordatione Chriſti; falſum eſt, propter rationem datam in ſolutione præcedentis confirmationis. Itaque licèt adorationes Chriſti in ſpecie viſibili, & in Euchariſtia ſint eiuſdem ſpeciei: tamen irreuerentiæ omnes non ſunt eiuſdem ſpeciei.

Quod ſi aliquis ſciſcitetur: Cùm Euchariſtia poſsit irreuerenter tractari in ratione ſacrificij; cur talis irreuerentia non numeratur à Diuo Thoma in primo gradu huius tertiæ ſpeciei: maximè, quia ſacrificium in actione ſacra conſiſtit, ſicut pleraque Sacramentorum? Reſpondetur: quãdo Euchariſtia irreuerenter tractatur in ratione ſacrificij, putà, quia ſacrificans vt ſic irreuerenter ſe habet: non conſideratur irreuerentia reſpectu actionis, ſed reſpectu Dei, & Chriſti Domini. Quare potius dicenda eſt ea irreuerentia irreligioſitas, quæ immediatè verſatur circa Deum: ad eum modum, quo quis irreuerenter ſe habens in oratione, non eſt ſacrilegus, ſed irreligioſus, & quodammodo ſuperſtitioſus: quia irreuerentia non infertur orationi, ſed Deo immediatè.

In ſecundo gradu tertiæ ſpeciei multa comprehenduntur, quamuis à D. Thoma expreſsè non numerantur: v.g. irreuerentia facta concioni, aut diuino verbo, vt aduertit Caietanus in ſecundo dubio: tùm, quia per verbum diuinum Deus nos ſanctificat, iuxta illud Ioan. 13. *Vos mundi eſtis propter ſermonem meum*: tùm etiam, quia verba, & nomina ſacra merentur aliquam venerationem, vt docetur in 7. Synodo cano. 7. Quæ nomina ſi ſint Dei, Chriſti, aut Sanctorum, ſub imaginibus à D. Thom. cõprehenſa videntur. Et verbum Dei in Scriptura canonica præcipuè dignum eſt ſpeciali veneratione, quia ab Spiritu ſancto dictatum eſt; & haberi poteſt quaſi reliquiæ ipſius Dei; & ideò peruertere illud, ſacrilegium eſt, vt docet D. Thom. in 2. artic. ad primum. Peruertere autem, eſt adducere ad confirmandos aliquos errores, vel illo abuti ad res profanas, maximè turpes, & obſcœnas: & tunc ſacrilegium mortiferum erit. Aliud verò verbum doctrinæ, eatenus poteſt ad materiam religionis pertinere, quatenus coniungitur ipſi Dei verbo: in cuius irreuerentiam redundat quidquid in ſacra doctrina, præſertim pro concione, indignè tractatur. Secluſa autem hac irreuerentia verbi Dei, alia peccata quæ poſſunt in docendo committi, fortaſsè non pertinent ad ſacrilegium: quia illa actio nõ eſt ita propriè res ſacra, vt venerationem aliquam ad religionem ſpectantem mereatur.

Circa quartum gradum nota, ad eum reduci crimen quo grauantur bona Eccleſiaſtica, & Clerus tributis, & exactionibus, c. *non minus*. & cap. *aduerſus*. de immun. Eccl. licèt

Caietan.

Ioan. 13.

D. Thom.

licèt quidam hoc ſacrilegium ad perſonalia reuocent, quia fit contra perſonas, & earum immunitatem, & circa eas exercetur poteſtas quædam dominatiua. Parum refert ſic, vel ſic loqui; modò aſſeras, in hac immunitate tributorũ intercedere verum, & proprium ſacrilegium. Item imponere ea onera, & tributa, ſeu exactiones Eccleſijs; ſacrilegium eſt, cap. *quanto*. de cẽſibus: habet enim Eccleſia, id eſt, Clerus bona ſua. Debet enim habere dotem, quæ ad onera eius ſuſtentanda ſufficiat, & ſine illa conſecrari non debet, cap. *placuit*. cap. *nemo*. de conſecratione, diſtinctione 1. quæ dos in iure interdum manſus Eccleſiæ vocatur, cap. 1. de Eccleſijs ædificandis. capit. 1. de cenſibus. Ad eundem gradum reduco ius quod habet templum materiale, vt illæſum conſeruetur; eſt enim quaſi bonum Cleri; & ſic cenſetur ſacrilegium Eccleſiam infringere, aut ſuis bonis expoliare, non minus quam ſi eſſet perſona ſacra, cap. *ſacrilegium*. cap. *quiſquis*. cap. *qui rapit*. cum alijs. 17. quæſtione 4. cap. *conqueſti*. de ſententia excommunicationis. Et idem iudicium eſt de confinijs, & de domibus eius, cap. *ſi quid antiquitus*. 17. quæſtione 4. Confinia autem extendi poſſunt per quadraginta paſſus in Eccleſijs maioribus, in minoribus per triginta, vt habetur in dictis iuribus: ſed ſtandum eſt modò conſuetudini in hoc paſſuum numero. Item ſacrilegiũ eſt, ſi ſeculares iudices placita faciant in domibus Eccleſiarũ, aut hoſpicium ſibi vendicent quaſi pro conſuetudine, cap. 1. de immunitate Eccleſiarum. Vbi aduerte, non prohiberi hos actus abſolutè in domibus Eccleſiarum, ſed vſurpatio eorum: quaſi proprio iure, grauamen Eccleſiæ, vel domibus ſuis imponendo.

Circa iſtos verò omnes gradus aduerte regulam generalem: has omnes res ſacras, imò & Eccleſias, & quæcunque ſacrata non poſſe ad vſus profanos conuerti, vt habetur in regula *ſemel*. de regulis iuris. in ſexto, & Gloſſa ibi, & cap. *quæ ſemel*. 19. quæſtione 3. cap. *altaris*. cum ſequentibus, de conſecratione, diſtinctio. 1. verbi gratia, ſic non licet ſine ſacrilegij crimine vti calice in communi menſa, vel palla benedicta vt communi emunctorio, aut ſacra veſte ad profanam repræſentationem, vel ludum: quæ vix poſſunt à peccato mortali excuſari, vt adnotauit Soto in 4. diſtinctione 13. Sed diſputant Iuriſperiti, an liceat Sacerdotes defunctos ſacris indue-

Gloſſa.

Sotus.

re vt ſepeliantur? Sylueſt. verbo. *benedictio*. 1. quæſt. 7. negat propter cap. *nemo*. 2. de conſecratione diſtinctione 1. verius eſt licere: quod patet ex vſu. Et capitulum illud intelligitur de palla, id eſt, corporalibus. Et hæc regula non ſolùm intelligitur, quandiu res ſacræ retinent ſuam ſacrationem: ſed etiam poſtquam illam amiſerunt per diſſolutionem, vel ſciſionem, aut fractionem. Ita habet D. Thom. 3. p. quæſt. 83. art. 3. ad tertium, & ſumitur ex diſtinctione 1. de conſecratione, vbi in cap. *ligna*. præcipitur, ne ligna Eccleſiæ dirutæ ad aliud opus ſumãtur, niſi ad aliam Eccleſiam, vel ad profectum in Monaſterio fratrum: non verò ad vſum laicorum, ſed igni potius eſſe cõburenda. Et in cap. *altaris*. citato ſic dicitur: *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur: quia non licet ea quæ in ſacrario fuerunt malè tractari; cineres quoque eorum in baptiſterium inferantur*, &c. Et idem dicendum eſt de veſtibus Sacerdotalibus, & de alijs ornamentis, & rebus ſacris, præcipuè de benedictis, & quæ immediatè attingunt altaris miniſterium, vel Eccleſiæ ornatum. Et ſi dubitetur de vaſis metallinis, nam poſtquam confracta ſunt, vendi poſſunt, & conſequenter materia eorum conuerti in communes vſus. Reſpondetur: non poſſunt vendi, niſi in certis caſibus ad pietatem pertinentibus. Præterea, cùm ferro & igne poſtea cudantur; moraliter loquẽdo iam videntur omninò eſſe aliæ res.

Sylueſt.

D. Thom.

Sed rogas: an ex rebus quæ profanis vſibus ſeruierunt; poſſunt res ſacri confici? Quidquid aliqui formident, licitum eſt: vt patet ex piorum vſu, qui domum profanam, imò Idolis ſacratam, conuertunt in tẽpla, vt de Pantheone fecit Bonifacius IIII. & ex veſte profana ſæpè efficitur caſulla, & ſic de alijs. Non enim indecorum eſt, vt aliquid è malo fiat bonum, & mutet conditionem prauam in probam.

Aliæ etiam actiones circa res ſacras iure poſitiuo prohibentur: verbi gratia, laicis, & fœminis prohibetur tangere altaria, id eſt, lapidem conſecratum, vaſa ſacra ſimiliter conſecrata, corporalia itidem. Ita præcipitur diſtinctione 23. per multa capita, præſertim cap. *ſacratas*. vbi ſacræ fœminæ, vel Monachæ prohibentur tangere ſacra vaſa, vel ſacras pallas. In cap. autem *non oportet*. 1. ex Concilio Laodicenſe, cap. 21. dicitur nõ oportere etiam Subdiaconos contingere vaſa Dominica. In cap.

autem *non oportet*. 2. Ex Concilio Agathe. cap. 66. ſolum hoc prohibetur miniſtris nõ ſacratis. In cap. autem *non liceat*. ex Concilio Brach. 1. cap. 28. dicitur hoc licere Subdiaconis, non tamen cuilibet ex Lectoribus. In cap. autem *non liceat*. 2. ex Concilio Martini Papæ cap. 41. dicitur hoc licere Subdiacono, & Accolito in ſacrario, nõ verò cæteris. Similia multa habentur de cõſecratione diſtinctione 1. præſertim in ca. *ſancta*. & cap. *veſtimenta*. Ex quibus omnibus licet colligere, non ſemper fuiſſe circa hoc idem ius, neque eamdem vbique conſuetudinem, neque modò ſeruantur quoad omnia præfati Canones. Sed dicendum eſt quomodo obſeruetur. Primùm. Ornamenta omnia altaris, etiamſi benedicta ſint, & idem eſt de omnibus veſtibus ſacris, quæ non attingunt immediatè corpus Chriſti, nec chriſmate conſecrantur; poſſunt licitè tangi à laicis etiam fœminis, quamuis oppoſitum teneat Sylueſter verbo *Miſſa*. 1. quæſt. 2. §. 2. quia ita habet conſuetudo, & quia iura citata præſertim loquuntur de vaſis ſacris. Solùm in cap. *veſtimenta*. Stephanus Papa generaliter loquitur de veſtimẽtis Eccleſiaſticis: *Quæ* (inquit) *neque ab alijs debent contingi aut ferri, niſi à ſacratis hominibus*. Quæ verba, aut præceptum non cõtinent, ſed decentiam quandam: aut non intelliguntur de quolibet tactu; ſed de illo qui ordinatur ad profanum, & communem vſum. Vel ſi admittamus præceptum; dicendum eſt in deſuetudinem abijſſe quoad hanc partem. Item tangere laicos calicem nuda manu, peccatum eſt: & idem dicendum de ara conſecrata. Patet ex Decretis citatis. Sotus ait diſtinctione 13. quæſt. 2. artic. 3. ad tertium, ſecluſo contemptu hoc non eſſe peccatum, vel veniale leuiſſimum.

Sylueſter.

Sotus.

Secũdò. Quando vaſa ſacra continent corpus, aut ſanguinem Domini, non poſſunt licitè tangi, niſi à Sacerdote, vel à Diacono. Ita notat Palud. diſtinct. 13. quæſt. 1. art. 4. concluſi. 2. & ſic poteſt exponi cap. citatum *non oportet*. Et oppoſitum temerè, & ſine cauſa facere; vix à peccato mortali excuſabitur: nam videtur res grauis. At verò quando calix eſt vacuus, poteſt à Subdiacono nõ ſolùm tangi, verùm etiam portari miniſtrando. Ideò enim hæc vaſa tangit, quando ordinatur. Quod intelligitur eſſe dictum in cap. *non licet*. 1. quod tamen extenditur ad Accolitum in cap. *non licet*. 2. extra ſacrum autem miniſterium, quicunq; ordinatus quouis ordine minori, non peccabit attingendo hæc vaſa, vt colligitur ex dicto cap. *non oportet*. & ex vſu.

Paludan.

Tertiò idem videtur dicendum de corporalibus, quæ calicibus æquiparantur in omnibus citatis iuribus: & intelliguntur per ſacratas pallas in d. cap. *ſacratas*. & ad hoc etiam ſpectat, quod de modo lauandi corporalia, in d. cap. *nemo*. de conſecratione, diſtinct. 1. ſtatuitur: nempè vaſa, in quibus lauantur, debere eſſe ad hoc tantùm munus deſtinata. Deinde vt à Diacono lauentur. Ac denique vt lotiõ ipſa foris non mittatur, ſed in piſcinam ſacram: ne fortè puluis Dominici corporis malè decidat. Quæ omnia ſeruanda ſunt ſaltem in prima lotione. Hoc enim nulla conſuetudine abrogatum eſt: neque rationabiliter abrogari poteſt, vt ait Sylueſt. verbo *corporalia*. quæſt. 1. & verbo *benedictio*. quæſt. 7. Idemque dicendum eſt de purificatorio. Nam licèt benedictum non ſit; tamen valdè propinquè attingit ſanguinem Domini: & interdum aliquæ reliquiæ corporis, & ſanguinis Domini illi adiunguntur. De alijs verò pallis, & ornamentis altaris, etiam ſi benedictæ ſint, non eſt ſimilis ratio: & ideò licitè poſſunt lauari etiam à fœminis, & prima lotione.

Sylueſt.

De corporalibus etiam, poſt primam lotionem, multi probabiliter tenent poſſe ſine ſcrupulo ſecundò lauari, & refici à fœminis, præſertim virginibus, & Deo dicatis; quia ſic mundiora, & aptiora reddũtur: quod tenet Caietanus in verbo *mulierum peccata*. in fine. Hoc intelligitur ſecũdum ius commune: nam ex priuilegio, hoc conceditur Monachis laicis; & fortè Monialibus, vt conſtat ex compendio Minorum: quod fortaſsè iuxta opinionem Caietani probabilem, non eſſet neceſſarium ſimpliciter; ſed ad maiorem certitudinem.

Caietanus.

Poſt præfatam doctrinam circa materiam huius articuli 3. vltimò circa eandem diſputare decreui quæſtionem ſatis ſpeculatiuam, vt deſeruiam tempori, in quo magna, & laborioſa contentione iſthæc agitantur: vtinam cũ aliquo fructu! Sit igitur

DISPVTATIO VLTIMA.

An hæc diuiſio ſacrilegij relata à D. Thoma in articulo ſit ſufficiens; neque ſuperabundans, neque deficiens? & an ſit vera diuiſio in ſpecies? & vtrùm in ſpecies ſubalternas, vel atomas?

ET videtur non eſſe ſufficientem. Primò, quia aliqua ſacrilegia ſunt, quæ non videntur ad aliquã iſtarum ſpecierum pertinere: v. g. ſimonia, qua fit iniuria non modica rebus ſacris, emendo aut vendendo eas: in qua iniuria, malitia ſacrilegij conſiſtit: & tamen ſimonia non collocatur à D. Tho. in aliqua ſpecierum ſacrilegij; quin potiùs ſeorſum de ea inſtituit tractatum, ſicut & omnes Doctores effecerunt. Confirmatur in oratione irreuerenti, in attrectatione laicorũ erga ornamenta Eccleſiæ, & ſimilibus actionibus: quas Doctores cùm commemorant, in nulla predictarum ſpecierum reponunt. Secundò probatur, vltra tres relatas ſpecies ſacrilegij, addendam eſſe quartam, quæ conſiſtat in violatione temporis ſacri, & arguitur ſic: nam irreuerentia irrogata loco ſacro, conſtituit vnam ſpeciem diſtinctam ab irreuerentia contra perſonam ſacram, & contra alias res ſacras: ergo etiam irreuerentia facta tempori ſacro, v. g. per opus ſeruile, conſtituet nouam ſacrilegij ſpeciem: etenim non magis diuerſa ratio malitiæ videtur reperiri in iniuria loci ſacri; quam in ea quę fit tempori ſacro, cùm vtrumque ſit menſura actionum: & ſicut actio ſacra determinatur ad tale tempus, ita ad talem locum; & è conuerſo, tam locus, quàm tempus fit quid ſacrum, quia dicatur ad actiones ſacras. Quòdſi dicas, tempus ſacrum comprehendi ſub tertio membro diuiſionis, & hoc exigit argumentum: quare ſicut irreuerentia loci ſacri conſtituit vnum diſtinctum membrum diuiſionis; non conſtituet etiam violatio temporis ſacri? Tertiò probatur, huius diuiſionis membra non eſſe propriæ ſacrilegij ſpecies. Nam diuerſitas materialis obiectorum non diuerſificat ſpecies, ſi ſit eadem ratio formalis. Sed in violatione quarumcunque rerũ ſacrarum, videtur eſſe eadem ratio formalis peccati; & quòd non ſit diuerſitas niſi materialis: ergo ſpecies ſacrilegij non ſunt diuerſæ penes perſonas, loca, aut res ſacras. Contrà arguitur quartò. In locis ſacris, vaſibus, & ſimilibus, non apparet quomodo ſit diuerſa ratio ſanctitatis: quia quæ in his reperitur, eſt ſolùm per quandam denominationem, & deputationem extrinſecam in ordine ad Dei cultum: ergo ſaltem ſecunda, & tertia ſpecies diſtingui non debent. Quintò. In eadem perſona poſſunt eſſe varij tituli ſanctitatis, putà ſanctitas fidei, gratiæ, & characteris baptiſmalis; ſanctitas ordinis, ſanctitas voti, vel profeſſionis religioſæ: ergo violatio perſonæ penes has diuerſas ſanctitates, diſtinguet ſacrilegia in eadem perſona. Confirmatur. Sacrilegium commiſſum in verberatione Monialis, & in concubitu cum ea, pertinet ad perſonam: & tamen ſanctitas violata eſt diuerſæ rationis; ac per conſequens ſacrilegia: ergo ſacrilegium penes perſonam materiale eſt, & diſtinguendum in diuerſas ſpecies, ſicut & tituli ſanctitatis. Probatur conſequentia: quia ratione voti, Monialis dicata eſt caſtitati; ratione Eccleſiaſticæ mancipationis, eſt libera à verbere. Confirmatur ſecundò idem. Calix Eccleſiæ ſacra res eſt ſub triplici ratione; & quatenus conſecratus eſt, & quatenus ſub bonis Eccleſiæ eſt, & quatenus in Eccleſia cuſtoditur: ergo in diſtinguendis formaliter ſacrilegijs, non eſt attendendum ad res ſacras, ſed ad diuerſas rationes ſanctitatis. Sextò. Eſtò hæc diuiſio ſpecifica ſit; tamen non in ſpecies atomas, ſed ſubalternas: quod multipliciter probatur. Primò in caſu confirmationis quinti argumenti: quia concubitus cum Moniali, & verberatio eius, videntur eſſe ſacrilegia ſpecie diſtincta, propter diuerſas rationes ſanctitatis, quæ violantur. Secundò. In tertia ſpecie videntur contineri multæ ſpecies ſacrilegij atomæ, propter varietatem rerum ſacrarum, & modos valde diuerſos, quibus eæ res ſanctitatem participant. Verbi gratia vaſa ſacra ſunt inſtrumenta diuini cultus: at Sacramenta ſunt vaſa diuinæ gratiæ. Item in imaginibus, & reliquijs, eſt alius modus ſanctitatis per certas quaſdam habitudines ad certas perſonas ſacras: bona autem Eccleſiaſtica per denominationem magis remotam ſacra cenſentur. Ait autem D. Thomas in articulo, ſecundum diuerſam *D. Thom.*

ſanctitatem rerum ſacrarum, diſtingui ſpecies ſacrilegij: ergo etiam ſub illa generali ratione rei ſacræ, quæ conſtituit tertiam ſpeciem, erunt diuerſæ ſpecies; cùm in illis rebus diſtinguantur etiam ſanctitates.

Caietan. Reſpondet Caietanus dubio tertio, omnes has res ſacras pertinentes ad tertiam ſpeciem, conuenire in hoc quod tantùm relatiuè ſunt ſacræ. Contrà: quia hæc ratio videtur generalis, ſaltem ſecundæ, & tertiæ ſpeciei, & ſub illa continentur ſanctitates diuerſæ, relatiuæ diuerſarum rationum. Nam ſanctitas loci, relatiua eſt, ſeu moralis, per humanam deputationem, & benedictionem: & ſicut locus dicit relationem continentis; ita & vaſa ſacra ſuo modo. Et in veſtibus ſacris, imaginibus, & reliquijs, diuerſitas eſt generica relationum. Vltimò. Certa res eſt, ſacrilegia circa res ſacras eſſe adeò diuerſa, vt in confeſsione ſit aperienda eorum diuerſitas: verbi gratia, ſi quis furatur bona Eccleſiæ, & conculcat calicem; non ſatisfacit præcepto confeſsionis, dicendo ſe commiſiſſe duo ſacrilegia pertinentia ad tertiam ſpeciem: ſed neceſſe eſt eorum diuerſitatem explicare. Idem argumentum fit de eo qui vtitur calice in conuiuio profano, aut qui calicem furatur. Item baptizare, & abſoluere indignè, aliud videtur eſſe à conculcatione imaginum: ergo ſpecie diſtinguuntur hæc ſacrilegia. Aliàs non eſſet omninò certum, hæc eſſe aperienda explicitè in confeſsione; cùm ſit probabilis ſententia, circunſtantiam non mutantem ſpeciem non eſſe de neceſsitate confeſsionis.

Pro reſolutione dico primò. Hæc diuiſio ſacrilegij penes irreuerentiam perſonæ ſacræ, loci ſacri, & rerum ſacrarum, ſufficiens, & egregia eſt: approbatur à Diuo Thoma in hoc articulo, eamque amplectuntur omnes Theologi, & Iuriſperiti, ſpecialiter Alenſis 2. parte, quæſtione 170. membro ſecundo: omnes Summiſtæ verbo *ſacrilegium*. Angelus nu. 1. Sylueſter §. 1. Caietanus in ſumma, & in commentarijs huius articuli; Iuriſperiti in cap. *ſacrilegium*. 17. quæſt. 4. vbi Turrecremata quæſtione 5. & 6. Et huius trimembris diuiſionis fit non modica mentio in ſacris Canonibus, vt vidimus agentes de ſingulis gradibus huius diuiſionis.

Alenſis. *Angelus.* *Syluest.* *Caietan.* *Turrecr.*

Secundò dico. Hæc diuiſio propriè eſt in membra ſpecie diſtincta. Probatur ratione Diui Thomæ, quia ſanctitates quæ reperiuntur in perſonis, locis, aut rebus ſacris, ſunt diſtinctæ rationis, & ſpeciei: ergo ſacrilegia, quæ contra illas committuntur, ſunt diuerſæ ſpeciei. Etenim ſacrilegium nil aliud eſt quàm violatio, & irreuerentia contra ea quæ ſancta ſunt, vt ſancta ſunt.

Dico tertiò. Hæ ſacrilegij ſpecies atomæ ſunt, non ſubalternæ: id eſt, non diuiſibiles in alias ſpecies, ſed in diuerſos gradus contentos ſub vnaquaque ſpecie. Hoc aſſertum eſt contra quoſdam modernos: ſed meo iudicio apertè tenetur à D. Thoma, qui in corpore articuli loquitur de his ſpeciebus, vt de atomis, & vltimis: & ſub qualibet ait contineri diuerſos gradus, non diuerſas ſpecies. Et in ſolutione ad ſecundū dicit, percuſsionē virginis ſacræ, & coitum cum illa eſſe eiuſdem ſpeciei in ratione ſacrilegij. Supponit ergo, omne ſacrilegium in perſonam ſacram eſſe eiuſdem ſpeciei: ergo eadem eſt ratio de reliquis. Secundò probatur ratione. Violatio Eccleſiæ per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis eiuſdem ſpeciei eſt in ratione ſacrilegij, licèt peccata quibus fit talis violatio ſint diuerſiſsima: ergo idem dicendum eſt de reliquis.

Tertiò, quia aliàs cùm in qualibet iſtarum ſpecierum reperiantur innumeri gradus, ſi quilibet pertineret ad diuerſam ſpeciem, eſſent innumeræ; quarum differentias conſtitutiuas, & diſtinctiuas agnoſcere ferè impoſsibile eſſet: & eas aſſerere ſine vrgenti ratione, non videtur rationabile.

Dico quartò. Siue gradus contenti ſub qualibet præfatarum ſint ſpecies, ſiue modi accidentales intra eandem ſpeciem, neceſſariò ſunt explicitè aperiendi in confeſsione: tùm, quia cùm magna ſit eorum diuerſitas, nequibit agnoſci eorum malitia, niſi diſtinctè, & explicitè propallentur; ac proinde neque confeſſarij poterunt rectum iudicium de eorū grauitate concipere: tùm, quia iſti modi ſunt accidentales intra eandem ſpeciem, propter ingentem eorum diuerſitatem, quodammodo in genere moris videntur differre ſpecie, licèt metaphyſicè non differant.

Supereſt ad argumenta in principio diſputationis poſita reſpondere. Ad primum initio diſputationis principalis reſpondet dominus Caietanus hic dub. 1. conatur probare, ſimoniam, & ſacrilegium differre ſpecie, eo quod irreuerentia, quæ infertur Deo in ſimonia, ſit per modum *Caieta.*

commu-

commutationis voluntariæ, putà emendo, & vendendo. At irreuerentia, quæ Deo exhibetur in ſacrilegio, fit per modum actionis inuoluntariæ: verbi gratia, furando res ſacras, &c. & ſicut penes hanc differentiam diuerſificantur quædam ſpecies vitiorum: verbi gratia: iniuſtitia venditionis, aut emptionis plus, aut minus iuſto prætio, differt ſpecie à rapina, & furto, &c. Ita in vitijs oppoſitis religioni, illæ irreuerentiæ, quæ conſiſtunt in actibus ex ſuo genere voluntarijs, vt in ſimonia, & illę quæ conſiſtunt in actibus inuoluntarijs, vt in ſacrilegio, ſpecie differunt penes conſiderationem voluntarij, aut inuolūtarij, licèt conueniant vtręq;, quia fit iniuria rebus ſacris. Hęc ſolutio mihi videtur difficilis, quia tam in ſimonia, quàm in ſacrilegio iniuria immediatè infertur rei ſacræ, & mediatè Deo, ad cuius cultum res ſacra ordinatur. At Deus, qui pręcipuè iniuriatur, tam in ſimonia, quàm in ſacrilegio inuoluntarius eſt, eo quod iniuria fit rei, quæ ad eius cultum ordinatur. Ergo diſcrimen aſsignatum penes voluntarium, & inuoluntarium, nil facit ad rem. Dicit dominus Caietanus: homines ſunt ementes, & vendentes ſacra; & ideò actio ſuapte natura voluntaria eſt: ſecus in ſacrilegio. Contrà. Nam malitia irreuerentiæ, ſiue in ſimonia, ſiue in ſacrilegio, non attenditur penes perſonas, vt ſic, ſed vt res quædam Dei ſunt: & in ſacrilegio patet; in ſimonia res clara eſt: quia vendentibus, & ementibus ſacra, non fit iniuria, ſed rebus ſacris, & Deo cuius ſunt. Ergo neque ſpecifica malitia irreuerentiæ ſumitur ex ordine ad homines contrahentes, ſed in ordine ad Deum offenſum. Item, quia ſæpè in ſacrilegio perſonæ voluntariè contrahunt, vt in concubitu perſonarum ſacrarum: & tamen, quia aliunde ſumitur quàm à perſonis irreuerentia, putà à Deo; ſimpliciter dicuntur huiuſcemodi irreuerentiæ inuoluntariæ: ergo in ſimonia, quamuis perſonæ contrahentes voluntariæ ſint; quia tamen aliunde ſumitur irreuerentia, putà ex iniuria rerum ſacrarum, & Dei, qui inuoluntarius eſt: ſimpliciter dicendum eſt, has irreuerentias habere modum commutationum inuoluntariarum; ſcilicet reſpectu eius, cuius eſſe dicuntur irreuerentiæ. Neque ſimile Caietani de vitijs iniuſtitiæ aliquid probat in noſtro propoſito. Etenim tota malitia eorum vitiorum, ſumitur per ordinem ad homines ſe inuicem iniuriantes: & ideò multum refert ad ſpeciem vitiorum horum conſiderandam, quòd iniuria ſit per modum voluntariæ actionis, vel inuoluntariæ. Secus in ſimonia, & ſacrilegio, vbi malitia non ſumitur ab hominibus tanquam ab extremis iniuriæ, ſed ab hominibus ex vna parte, & ex altera à rebus ſacris; vel potius à Deo, cuius ſunt res ſacræ.

Caietan.

A

B

C

D

Quapropter ad argumentum dico: ſimoniam pertinere ad tertiam ſacrilegij ſpeciem. Et illa ratio voluntarij, quæ reperitur inter ſimoniacos, eſt modus accidentalis ad ſacrilegium, non varians ſpeciem ſacrilegij, vt dictum eſt. Neque vnquam dixit Diuus Thomas, ſacrilegium, & ſimoniam differre ſpecie: ſed de ſimonia ſeorſum peculiarem quæſtionem inſtituit, quia copioſiorem tractationem poſtulat propter eius maiorem frequentiam, & plures exercitas thecnas, quæ accidunt ex eo quod crimen hoc in aliquam hominum vtilitatem cedere ſolet; & interdum fouet appetitum diuitiarum, interdum honoris. Secundò reſpondetur pro Caietano, ſimoniæ vitium poſtulare per ſe voluntarium contractum contrahentium; ſacrilegij non itidem, licèt aliquando per accidens ſint voluntarij ſacrilegij, vt in commixtione perſonarum ſacrarum: & hoc ſat eſt, vt ſacrilegium, & ſimonia ſpecie diſtinguantur. *D. Thom.*

Secundum argumentum copioſam dicendi materiam nobis ſuppeditaret, ſi anteuertere materias vellemus. Sed cum de obſeruantia feſtorum egerit D. Thomas inferius quæſtione 122. articulo quarto, illic Deo dante fuſius dicemus. Modò ad argumentum reſpondetur primò. Irreuerentiam quæ diei feſto fit per operum ſeruilium exercitium, reduci ad tertiam ſacrilegij ſpeciem, vel (vt alij volunt) ad ſecundam, quia tam locus ſacer, quàm tempus ſacrum, menſura ſunt actionum ſacrarum, quæ in eis fiunt. Nihilominus apud paucos reperio, exercere ſeruilia in die feſto eſſe ſacrilegium. Quare ſecundò reſpondetur, & melius, quod quando Eccleſia deſignat dies feſtos ad Deo vacandum, & abſtinendum ab operibus ſeruilibus; non intendit ea tempora ſacra reddere, & digna veneratione: ſed dumtaxat deſignare tempora, in quibus ſacræ quædam actiones fieri debeant; aut à quarundam genere, putà ſeruilium, abſtinere. Et

ſub hac conſideratione intelligito Diuum
D. Thom. Thomam prima ſecundæ, quæſtione 101. articulo 4. ad quintum. ſolemnitates computari inter res ſacras. Secùs in locis ſacris, quæ Eccleſia ſacra intendere conſtituit, & digna veneratione. Quare quando in temporibus illis deſignatis, vel omittuntur illæ actiones ſacræ, vel quædam prohibitæ exercentur; non violatur temporis ſanctitas, niſi in quantum actiones ipſæ in quantum actiones ſunt, aut earum omiſsiones poſtulant ſibi aliquam temporis feſti particulam: quod non pertinet ad ſacrilegium, ſed ad alia peccata contra religionem. Quando verò fiunt aliquæ B actiones in loco ſacro, eius loci ſanctitas violatur. Vnde fit, vt in executione operis ſeruilis in die feſto, non committatur ſacrilegium: at in executione quorundam operum in loco ſacro, verè, & propriè ſacrilegium fiat. Explicatur hoc ampliùs: vacatio ab operibus ſeruilibus, non præcipitur ab Eccleſia quaſi in venerationem ipſius temporis, ſed directè in cultum Dei: ſiue illa vocatio inſtituatur in ſignum venerationis debitæ Deo, ſiue præcipiatur vt homo ſit expeditus ad Dei cultum. Ergo contrarium opus non eſt contra reuerentiam alicuius rei ſacræ, ſed contra C reuerentiam Dei in ſe, quod ad irreligioſitatem pertinet, non ad ſacrilegium. Aliter res ſe habet in loco ſacro. Nam prohibitio, verbi gratia, exercendi placita in Eccleſia, immediatè ſit propter reuerentiam debitam Eccleſiæ; quamuis remotè totum ordinetur in Deum. At eadem prohibitio placitorum in die feſto, non fit in reuerentiam temporis, ſed immediatè in cultum, ſeu ob cultum Dei: & ideò prior tranſgreſsio propriè eſt ſacrilegium; poſterior autem magis eſt irreligioſitas immediatè contra Deum. Et hinc poteris philoſophari de peccatis, quæ fiunt D in die feſto, quæ non ſunt ſacrilegia: & multo minus quàm ea, quæ perpetrantur in loco ſacro, de quo in ſecunda ſpecie diſputatione ſeptima ſatis diximus.

Ad tertium Diuus Thomas in ſolutione ad primum reſpondet, in tribus præfatis non eſſe eandem rationem ſanctitatis: & ideò differentia ſacrarum rerum, non ſolùm eſt materialis, ſed formalis; quam formalitatem Caietanus in dubio 3.
Caietan. explicans, ait eam eſſe, quia perſona eſt formaliter, & ſimpliciter ſancta, vt ſubiectum ſanctitatis: locus verò, vt contentiuus perſonarum, & rerum ſacrarum. Aliæ verò res, licèt diuerſimodè ſanctæ ſint; in hoc omnes conueniunt, quòd relatiuè ſanctæ ſunt; vel quia ſanctum faciunt, vt Sacramenta; vel quia ad Sanctos ordinantur, vt imagines, & altaria, &c. Hæc doctrina Caietani, quatenus declarat inter has tres ſpecies eſſe differentiam formalem; ab omnibus, vt credo, acceptabitur. Et quando ait, perſonam eſſe ſanctam formaliter, quia eſt ſubiectum ſanctitatis, intelligendus eſt iuxta ſubiectam materiam; non de ſanctitate per gratiam, & iuſtitiam inhærentem: quia in ordine ad ſacrilegium perſonale, benè ſtat perſonam eſſe peccatricem, & quando iniuriatur dicitur violari perſonæ ſanctitatem: ſed intelligendus eſt de ſanctitate per deputationem ad miniſterium, vel cultum diuinum. Præterea aduertendum circa locum ſacrum, quòd licèt ſub ratione loci dicati ad continentiam populi fidelis, cenſeatur habere ſpecialem rationem ſanctitatis, ſub qua pertinet ad ſecundam ſacrilegij ſpeciem: tamen quatenus res quædam cõſecrata eſt, & deſtinata ad diuinum cultum; habet quandam conuenientiam cum alijs rebus ſacris: ſub qua ratione ſuperiùs aliquot ſacrilegia contra templa, repoſuimus in tertia ſpecie: v. g. effringere templa, aut comburere.

Sed contra hanc doctrinam Diui Thomæ, & Caietani eſt replica. Nam ars, ſeu ſcientia Medica, vna eſt circa ſanitatem animalis, quod formaliter eſt ſanum; circa vrinam, quæ eſt ſanitatis ſignum; & medicinam, quæ eam efficit. Ergo ſacrilegium circa perſonas ſanctas formaliter, circa locum ſanctum contentiuum perſonarum ſanctarum, & res ſacras, quæ relatiuè ad perſonas ſanctitates obtinent; non erit diuiſibile in plures ſpecies. Reſpondetur, in vitijs quantulamcunque diuerſitatem deformitatis, cauſare diſtinctionem ſpecificam; non verò in ſcientijs: quia in bonis ex integra cauſa, in malis ex quocunque defectu diſtinctio penſanda eſt. Fateor eum qui mordicùs oppoſitum tenuerit, vix aut nullo modo ſcirem conuincere.

Ad quartum reſpondetur negando conſequentiam: quia ea deputatio diuerſa eſt in loco, & alijs rebus ſacris. Prior, quia locus contentiuus eſt populi ad Dei cultũ in Eccleſia conuenientis: aliæ verò res dicunt

cunt habitudinem aliam ad perſonas ſacras, & ad Dei cultum deſtinatas.

Ad quintum cum ſua confirmatione reſpondetur, eas ſanctitates ibi commemoratas, licèt appareant diuerſæ rationis: quia à diuerſis cauſis oriuntur; ſunt tamen eiuſdē rationis, quia perſonas ſanctas efficiunt. Sicut ſanitas quæ prouenit à diuerſis pharmacis, eiuſdē rationis eſt in ſanato animali, licèt à diuerſis proueniat cauſis. Similiter reſpondetur ad ſecundam confirmationem. Licèt enim à diuerſis orginibus in eādem rem prouenire poſsit ſanctitas, non tamen ob id dicetur eſſe diuerſæ rationis formaliter: ſed tantùm materialiter, & ſecundùm diuerſos gradus in eadem ſpecie comprehenſos.

Ad ſextum, quo mouentur quidam moderni, vt cenſeant has ſpecies ſacrilegij nõ eſſe vltimas, ſed ſubalternas: reſpondetur negando antecedens. Et ad primam probationem ſimiliter negatur, eſſe diuerſas rationes ſpecificas ſanctitatis in Moniali, propter votũ caſtitatis, & propter immunitatẽ à verbere. Illi duo tituli, & ſanctitates materiales ſunt: ratio verò formalis, eſt ſanctitas perſonæ vnius, quæ ab illis duabus cauſis in vnam perſonam deriuatur. Expreſſa eſt hæc doctrina D. Thom. in ſolutione ad ſecundum. Similiter reſpondetur ad ſecundam probationem antecedentis, ſicut in argumento reſponſum eſt ex mente Caietani, quam eſſe dicit D. Thom. in loco citato. Et ad replicam contra Caietanum reſpondetur concedendo, tam locum ſacrum, quàm alias res ſacras pertinentes ad tertiam ſpeciem, relationem dicere ad perſonas ſacras; ſed locus dicit relationem continentiæ realis, primò perſonarum ſacrarum, & deinde cæterarum rerum ſacrarum, quæ ibi aſſeruantur, abſtrahendo à cultu quem in loco ſacro exhibent perſonæ ſacræ. Non nego locũ fuiſſe ſacratũ habito reſpectu ad cultũ, quem ibi perſonæ ſacræ Deo eſſent exhibituræ. Sed ſuppoſita loci ſacri inſtitutione, locus ſacer qua ratione violatur per ſecundam ſpeciem ſacrilegij; non reſpicit cultum Dei, neque conſideratur vt medium ad illud cultum: ſed ſolùm vt cõtinens res ſacras, quæ ordinãtur ad cultum. At verò cæteræ res ſacræ, quæ dicũtur violari per tertiam ſpeciem ſacrilegij; omnes conueniunt in hoc, quòd inſtrumenta ſeu media ſunt, quibus perſonæ ſacræ vtuntur ad Dei cultum. Et ſub hac ratione referuntur ad perſonas ſacras. Quæ vna cùm ſit formaliter, continet plures materiales gradus, putà eſſe medium, vt ſanctificans perſonas ſacras ad Dei cultum per ſacramenta; aut veſtiens, & decorans perſonas ſacras ad Dei cultum exercendum, vt veſtes, & vaſa ſacra, & imagines, vel ſuſtentans perſonas ſacras, vt decimæ, &c. Itaque omnes res iſtæ ſacræ, dicunt vnam rationem relatiuam medij ad perſonas ſacras, per quod exerceant rationem Dei cultus. Et hoc eſt quod ait Caietanus, omnes res ſacras, quæ violantur per tertiam ſacrilegij ſpeciem, in vnica ratione relationis conuenire. Sed dices: etiam locus ſacer dicit relationem medij ad perſonas ſacras, vt in eo exerceatur Dei cultus; ac proinde ſub eadem ratione relationis continetur cum cæteris rebus ſacris; aut ſi diſtinguitur penes relationem continentiæ, etiam diſtinctæ rationes erunt in rebus tertiæ ſpeciei. Reſpondetur. Non inficior, nec morabor concedere, locum ſacrum, qua ratione medium eſt vt perſonæ ſacræ Deo exhibeant cultum, ad res ſacras tertiæ ſpeciei ſacrilegij pertinere. At verò qua ratione pertinet ad ſecundam ſpeciem, nequaquam conſideratur vt medium ad diuinum cultum, ſed duntaxat dicit continentiam rerum ſacrarum, abſtrahendo à cultu, vel non cultu.

Caietan.

D. Thom.

Ad vltimum ferè reſponſum eſt, ex dictis in quarto aſſerto, ſolummodò aduerto, me non debere iudicare probabilem opinionem aſſerentium, non eſſe aperiendas neceſſariò in confeſsione eas circunſtantias, quæ non mutant ſpeciem, quantumuis aggrauent intra eandem ſpeciem. Pernitioſa opinio, & multam inuoluens caliginem confeſſarijs: qui non valebunt de conſcientia pœnitentium certum iudicium ſumere, nec proferre. Et hoc maximè appareret in gradibus ſacrilegiorum, qui materialiter tam diuerſi ſunt, vt niſi in confeſsione pandantur, neque malitia criminum manifeſtabitur, neque confeſſarij ſcient de his iudicare, aut pœnitentibus medicari.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm pœna ſacrilegij debeat eſſe pecuniaria?

Inf q.154. a.1c.ad 2.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd pœna ſacrilegij non debeat eſſe pecuniaria. Pœna enim pecuniaria non ſolet imponi pro culpa criminali. Sed ſacrilegiũ eſt culpa criminalis, vnde capitali ſententia punitur ſecundũ leges ciuiles: ergo ſacrilegium non debet puniri pœna pecuniaria.

2 ¶ Præterea. Idem peccatum non debet duplici pœna puniri ſecũdùm illud Nahum primo. Non conſurget duplex tribulatio. Sed pœna ſacrilegij eſt excommunicatio, maior quidem ſi violentia inferatur in perſonam ſacram, vel ſi aliquis incendat vel frangat Eccleſiam: minor autem in alijs ſacrilegijs: ergo non debet ſacrilegium puniri pœna pecuniaria.

3 ¶ Præterea. Apoſtol. dicit 1. ad Theſſal. 2. Non fuimus aliquando in occaſione auaritiæ. Sed hoc videtur ad occaſionẽ auaritiæ pertinere, quòd pœna pecuniaria exigatur pro violatione rei ſacræ: ergo non videtur talis pœna eſſe conueniens ſacrilegij.

17.q.4.ca. ſi quis contumax.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur 17. quæſt. 4. Si quis contumax vel ſuperbus fugitiuum ſeruum de atrio Eccleſiæ per vim extraxerit, nongentos ſolidos componat. Et ibidem poſtea ſubditur. Quiſquis inuentus fuerit reus ſacrilegij, triginta libras examinati argenti puriſſimi componat. *17.q.4.ca. quiſquis inuentus.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd in pœnis infligendis duo ſunt conſideranda. Primò quidem, æqualitas ad hoc quòd pœna ſit iuſta, vt ſcilicet in quo quis peccat, per hoc torqueatur, vt dicitur Sapiẽt. 11. Et hoc modo conueniens pœna ſacrilegij, qui ſacris iniuriam infert, eſt excommunicatio, per quam à ſacris arcetur. Secundo autem conſideratur vtilitas. Nam pœnæ quaſi medicinæ quædã infliguntur, vt his territi homines à peccato deſiſtant. Sacrilegus autem qui ſacra non reueretur, non ſufficienter videtur à peccãdo arceri per hoc quòd ſacra ei interdicuntur, de quibus non curat. Et ideò ſecundùm leges humanas adhibetur capitalis pœna, ſecundùm verò Eccleſiæ ſtatuta, quæ mortem corporalem non infligit, adhibetur pœna pecuniaria, vt ſaltẽ pœnis temporalibus homines à ſacrilegijs reuocentur.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Eccleſia mortem corporalem non infligit, ſed loco eius infligit excommunicationem.

¶ Ad

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd neceſſe eſt duas pœnas adhiberi, quando per vnam nõ ſufficienter reuocatur aliquis à peccando. Et ideò oportuit ſupra pœnam excommunicationis adhiberi aliquam temporalem pœnam ad coërcendum homines qui ſpiritualia contẽnunt.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſi pecunia exigeretur abſque rationabili cauſa, hoc videretur ad occaſionem auaritiæ pertinere. Sed quando exigitur ad hominum correctionem, habet manifeſtam vtilitatem: & ideò non pertinet ad occaſionem auaritiæ.

Summa Articuli.

PRima concluſio. Conueniens pœna ſacrilegi, qui ſacris iniuriam infert, eſt excommunicatio, per quam à ſacris arcetur. Probatur: quia in quo quis peccat, per hoc & torquetur, quod iuſtum eſt.

Secunda concluſio. Secundùm leges humanas, ſacrilegio interdùm imponitur capitalis pœna: ſecundùm verò Eccleſiæ ſtatuta, quæ mortem corporalem non infligit, adhibetur pœna pecuniaria. Probatur: quia penè tanquam medicinæ infliguntur, vt his territi homines à peccatis deſiſtant: & pœnis corporalibus, homines de ſpiritualibus vix curantes, ſolent quandoq; melius arceri à ſacrilegijs.

Pœnas ſacrilegiorum D. Thom. in hoc articulo bipartitas eſſe docet, ſpirituales ſcilicet, ac temporales. Spirituales voco cenſuras Eccleſiaſticas: & ſacrilegis magis accõmodata eſt excommunicatio, vt qui ſacris iniuriam inferunt per excommunicationem à ſacris arceantur: ſic enim pœna congruet delicto, vt in quo quis peccat per hoc torqueatur, Sapient. 11. Et ideò ſit

Sapient. 11

DISPVTATIO VNICA.

An ſacrilegi in iure feriantur cenſuris?

DIco primò. Non omnes ſacrilegi ipſo iure excommunicantur: ſed debent poſt monitionem canonicam, niſi ſatisfecerint, excommunicatione damnari. Sic Abbas in cap. vltimo. de furtis num. 2. & patet cap. *quiſquis.* §. ſacrilegium. 17. quæſt. 4. & Gloſſa in cap. *omnes Eccleſiæ.* eadem cauſa, & quæſt. *Abbas. Gloſſa.*

Dico ſecundò. Quatuor ſunt ſacrilegorum genera, quæ ipſo facto puniuntur excommunicatione: nempè ſacrilegi propter manuum violentarum in Clericos iniectionem, cap. *ſiquis ſuadente.* 17. quæſt. 4. Item laici qui collectas, & quas vocant gabellas, taleas, decimas, præſtantias, & alia ſimilia onera Clericis, aut Eccleſijs, abſque Romani Pontificis facultate imponunt, aut ab eis exigunt; aut etiam impoſita, à ſponte dantibus recipiunt. Item qui per ſe vel alium, directè vel indirectè ea facere, exequi, procurare, aut eiſdem auxiliũ, conſiliũ, fauorẽ, votum, aut ſuffragiũ palã, vel occultè præſtare audeat: quæ excommunicatio conſtituitur in conſtitutione Pontificia, quæ dicitur Bulla Cœnę. Præterea ipſo iure excommunicationem incurrunt qui violant immunitatem perſonarum, vel rerum Eccleſiaſticarum, vt continetur in eadem cõſtitutione. Et de his immunitatibus videnda eſt Synodus Tridentina ſeſsione 22. cap. 11. de reformatione. *Conc. Trid.* Præterea excommunicantur ſacrilegi qui effringũt templa, & ſimul ſpoliant Eccleſiam. Ita Canoniſtæ omnes ex cap. *conqueſti.* de ſententia excommunicationis. Sed certè ibi non habetur excommunicatio lata, ſed ferenda, habetur tamen in cap. *quiſquis.* Et nota non ſat eſſe ſpoliare Eccleſiam, ad incurrendam excommunicationem, niſi ſimul infringatur: nec ſat eſt infringere, niſi ſpolietur. Ita Nauarrus in Man. cap. 27. num. 94. & Abbas in cap. *ex literis.* de furtis, & Gloſſa ſupra caput citatum *quiſquis.* Alij dicunt, incendiarios Eccleſiæ excommunicationem incurrere. Ita ferè omnes Canoniſtæ cum Gloſſa in cap. *tua.* de ſententia excommunicationis. Alij ſententiam ferendam, non latam dicunt. Ita Caietanus in Summa, verbo *Caietan.*

verbo *excommunicatio*. cap. 22. Nauarrus, cap. 28. num. 7. quæ ſententia tenenda eſt.

Dico tertiò. Si ſermo ſit de alijs cenſuris, putà interdicto, ſuſpenſione, irregularitate, & ſi quæ ſunt alia; exiſtimo contra ſacrilegos non eſſe latas in iure: nec credo alicubi reperiri.

Dico quartò. Sunt quædam ſacrilegia, quæ iure poſitiuo Canonico ſtatuente puniuntur quadam pœna Eccleſiaſtica, & qua ſi cenſuræ rationem habente; videlicet, Eccleſiæ vbi ea ſacrilegia fiunt pollutæ cenſeantur: ideſt indignę, & ineptæ vt in eis diuina officia celebrẽtur, niſi præcedente expurgatione, & reconciliatione. Explicatur quod dicimus. Inter alias pœnas ſpirituales quas excogitauit Eccleſia, ad puniẽda delicta aliqua ſacrilega in Eccleſia perpetrata; vna fuit pollutio Eccleſiæ: quæ nil eſt aliud quàm prohibitio iure Eccleſiaſtico introducta, ne ſacrũ, aut aliquod diuinũ officium in tali Eccleſia fiant. Quæ pœna Eccleſiaſtica dicitur, non quia ſemper afficiat peccantem directè, ſed potius cunctum populum fidelem: vt exageretur malitia ſacrilegij, & exhorreſcant videntes Eccleſiam eam ſic egrè ferre, vt velit quaſi punire integrũ populũ, priuando ſolatio quod ex celebratione diuinorũ in templis percipere ſolet. Vocaui verò hoc impedimentũ quaſi cenſurã: quia cùm diuerſæ rationis ſit à cenſuris, ad eas reducitur, præcipuè ad interdictum: inter quæ collocat hoc impedimentum Sylueſter verbo *interdictũ*. 4. Sylueſt. Sed inquies: Quę ſunt ſacrilegia, propter quæ Eccleſia polluitur? Multa. Primò violatur Eccleſia per homicidium iniuſtum, & ſacrilegum, ſiue caſuale ſit, ſiue non, in Eccleſia patratum. De quo ſupra latè dixi gradu primo ſecundæ ſpeciei ſacrilegij, & colligitur ex cap. *propoſuiſti*. de conſecratione Eccleſiæ; & c. *ſi motum*. de conſecratione. diſtinct. 1. Secundò violatur Eccleſia per ſacrilegam ſanguinis effuſionem in ea, ſiue ſequatur mors, ſiue non, ex cap. *ſi Eccleſia*. de conſecratione Eccleſiæ, & cap. *Eccleſijs*. de conſecratione. diſtinctione prima. Et notandũ, ſanguinis effuſionem denotare copioſum fluxũ: quod animaduertit Gloſſa in c. *cum illorũ*. verbo *effuſionem ſanguinis*. Gloſſa. Quod ſi percutiatur quis alapa in Eccleſia, non polluitur: quòd ſi vulnus ſit graue, etiamſi nõ fundatur ſanguis, violatur Eccleſia. Ita omnes Doctores ex cap. *propoſuiſti*. citato. Tertiò violatur Eccleſia per humani ſeminis effuſionem. Intellige ſacrilegam copioſam: nam ſi duæ, vel tres guttæ emittantur, etiam peccando mortaliter; Eccleſia non polluitur. Item intelligere debemus, eam effuſionem debere eſſe publicam: de quo ſtatim, iuxta dicta à nobis circa ſecundum gradum ſecundæ ſpeciei ſacrilegij. Quartò violatur Eccleſia ſi in ea ſepeliatur fidelis excõmunicatus: ita in cap. *conſuluiſti*. de cõſecratione Eccleſiæ. Et idem dicitur de cœmiterio: quod à fortiori intelligendum eſt de Eccleſia, propter cuius reuerentiam fit ea prohibitio de cœmiterio, quod acceſſorium eſt Eccleſiæ. Ita omnes Doctores ſupra caput citatum. Sed excõmunicatus, intelligitur nõ toleratus: de quo in tertio gradu eiuſdẽ ſpeciei. Quintò violatur Eccleſia, quando aliquis paganus ſeu infidelis in ea ſepelitur, aut ſepultus iacet, ex cap. *Eccleſiam*. 1. & 2. de conſecratione. diſtinct. 1. Iam autem diximus circa tertium gradũ ſacrilegij in ſecũda ſpecie, nomine Pagani intelligere Doctores, filios fideliũ qui ſine baptiſmo moriuntur. Addimus modò cum Sylueſtro, & alijs contingere quandoque mulierẽ prægnantem mori; & ſi filius in vtero moriatur, ac ſimul cum matre ſepeliatur, nõ violatur Eccleſia: quia filius nondum natus, pars matris cenſetur, & vt talis cum matre ſepeliri debet ſine pollutione Eccleſiæ. Sylueſt. Secus ſi moriatur mater, & filius adhuc viuus ſupereſt: tunc enim aperiẽda eſt mater, & infans baptizandus. Quòd ſi ex negligentia vel malitia id non fiat; ſed contingat filium viuum cum matre mortua ſepeliri, tunc polluitur Eccleſia: tùm quia iam non reputatur filius vt pars matris: tùm quia ſi in Eccleſia moriatur, verè occiditur, & propter homicidium polluitur Eccleſia. Si verò extra Eccleſiam permitteretur puer prius mori, vel etiam intra vterum occideretur, & poſtea mater ſepeliretur in Eccleſia, nõ polluerẽtur hoc titulo: quia puer tunc non per ſe ſepelitur, ſed per accidens fertur cum matre. Notandum tamen circa iſtos duos gradus vltimos, poſſe quandoque Eccleſiam eſſe pollutam ſine vlla culpa ſepelientium excommunicatum, aut infidelem, ſeu paganũ, putà quia exiſtimabatur baptizatus, aut non excommunicatus, & poſtea oppoſitũ cõſtat. Nihilominus Eccleſia maneret polluta propter ea corpora ibi ſepulta: & antequam diuina celebrentur in ea, debẽt illa corpora auferri, & deinde Eccleſia purificari, vt habetur in cap. *ſacris*. de ſepulturis.

Hæc ſunt ſacrilegiorum genera, quæ hoc impe-

impedimentum pollutionis, ijs Eccleſijs in quibus fiunt, inijciunt : ſiue illæ ſint conſecratæ, ſiue benedictæ, vt colligitur ex capitibus citatis *Eccleſiam.* & *conſuluiſti.* & *ſi Eccleſia.* de conſecratione Eccleſiæ vel altaris. Nec ſolùm in Eccleſijs, verùm & in cœmiterijs locum habent, quæ eodem modo benedicuntur ſicut Eccleſia, vt conſtat ex cap. vnico de conſecratione in 6. vbi etiam additur, violata Eccleſia, conſequẽter violari cœmiterium illi annexum: quãuis è conuerſo, violato cœmiterio non violetur Eccleſia: quia acceſſorium ſequitur principale, non è contra. Vnde neceſſe eſt cœmiterium eſſe cõtiguum Eccleſiæ: nam ſi ſit remotum, non cenſetur illi annexum: & ideò non violabitur quamuis violetur Eccleſia, vt in eodem cap. dicitur.

Sed circa hæc relata ſacrilegia notãdum primò, non polluere Eccleſiam ſi occulta ſint, quod de ſacrilegio per fornicationem in Eccleſia, communis doctrina eſt. Ita *Sylueſt.* Sylueſter verbo *conſecratio.* 2. quæſt. 5. & verbo *Miſſa.* 1. quæſt. 3. & verbo *confeſſio.* *Nauar.* 3. quæſt. 18. qui refert alios. Nauarrus cap. *Sotus.* 27. num. 251. Soto in 4. diſt. 13. quæſt. 2. *Palud.* art. 3. ad ſecundum, & diſt. 32. art. 3. Palud. diſt. 18. quæſt. 8 art. 4. qui omnes adducunt cap. *ſignificaſti.* de adulterijs. vbi ideò cenſetur Eccleſia polluta per adulterium, quia adultera publicè delictum confeſſa eſt. Ratio verò eſt, quia Eccleſia non iudicat de occultis: nec eſſet conueniens delicta prodere reconciliando Eccleſiam: & propter alia inconuenientia, quæ inde ſequerentur. Et quamuis iſti autores ſpecialiter tractent de occulta fornicatione, aut ſeminis emiſsione: tamen ijdem extendunt ad omne ſacrilegium occultum. Igitur vt polluatur Eccleſia, debet crimen eſſe publicum, per facti ſcilicet euidentiam, aut iuridicam delicti probationem, vel iuridicam confeſſionem. Vnde quamuis duo vel tres ſciant crimen, ſi taceant, non eſt polluta Eccleſia: quia adhuc crimen abſolutè occultum eſt reſpectu populi. Ex quo videtur benè *Nauarrus.* collegiſſe Nauarrum, quòd quamuis propter delictum notum coram duobus, Eccleſia non ſit polluta quamdiu illi tacent; tamen ſi poſt aliquod tempus illi publicè manifeſtent crimen: ex tunc Eccleſiam incipere eſſe pollutam; & nõ ante quando crimen occultum erat. Euidentia autem facti non eſt ita intelligenda, vt neceſſe ſit factum videri ab omnibus. Satis ergo eſt quòd iuxta negotij qualitatem, habeatur ſufficiens notitia illius in plebe, aut Parochia. Vnde ait Soto: *Si publicè conſtet, virum & fœminam in Eccleſia cohabitare in eodem lecto, ſatis eſt ad euidentiam coitus, & vt Eccleſia polluta cenſeatur.* *Sotus.* Hæc notitia criminis publica ſi habeatur, peccatum mortale eſt ex ſuo genere, celebrare diuina officia in Eccleſia violata antequam purificetur. Ita omnes Doctores & Summiſtæ. Addit tamen D. Thom. 3. *D. Thom.* parte quæſt. 83. art. 3. de licentia Epiſcopi poſſe fieri ſacrum in Eccleſia violata antequam purificetur, quia ſi Epiſcopus poteſt dare licentiam in loco non conſecrato ſacrificandi: ergo & in loco non reconciliato. Addit verò Sotus, vt hæc licentia iuſtè detur, requiri grauem cauſam: & tanta poſſet eſſe neceſsitas, vt ſi non poſſet Epiſcopus interpellari, etiam ſine eius licentia id liceat: quia Eccleſiaſticum præceptum nõ obligat cum tanto rigore. Atque ob id excuſantur qui in populis hæreticorũ degunt, ſacrum facientes in templis vbi hæretici ſepulti ſunt: quia vel neceſsitate coguntur, vel alibi commodè ſacrificare non poſſunt; vel Epiſcopi videntes & conſentientes, facultatem concedere videntur.

Sed rogat quis, an ſi Eccleſia polluta ſit quia notitia publica criminis habetur, nõdum tamen per ſententiam declaratum eſt Eccleſiam eſſe pollutam: teneantur miniſtri Eccleſiæ à ſacris celebrandis ceſſare in Eccleſia? Et videtur pars negatiua: quia in Concilio Conſtantienſi diffinitur, nemi- *Conc. Cõſt.* nem teneri abſtinere à quibuſcunque diuinis, prætextu cuiuſcunque ſententiæ, aut cenſuræ à iure vel ab homine generaliter prolatæ, donec in particulari ſeu nominatim declaretur (excepta manifeſta percuſſione Clerici.) Hoc autem impedimentum pollutæ Eccleſiæ, interdictum eſt; & ſignificant Palud. & Sylueſter vbi ſupra: er- *Palud.* go, &c. Reſpondetur. Hanc partem quidam *Sylueſt.* non improbabilem cenſent: ego verò non auderem illam practicare: quia exili nititur fundamento, videlicet pollutam eſſe Eccleſiam, eſſe interdictũ. Exiſtimo namque non eſſe cenſuram, ſed impedimentũ alterius rationis: de quo non eſt modò diſputandum. Item non video eſſe in vſu hãc ſententiam, ſed quamprimùm publicè Eccleſia violata cenſetur; nullus audet in ea ſacrum facere ante reconciliationem. Sed dubitat quiſpiam, vtrùm præter peccatum quod committit celebrans diuina in Eccleſia polluta; incurrat aliquam cenſuram, vel

irre-

irregularitatem ? Reſpondetur negatiuè: A quia id non habetur in iure, neque id videtur eſſe expreſſe declaratum in cap. *is qui.* de ſententia excom. in 6.

Sed quis, aut quo modo Eccleſiam pollutam purificare poteſt ? Si Eccleſia conſecrata ſit, à ſolo Epiſcopo: ſi tantùm benedicta, à quouis ſimplici Sacerdote, iuxta cap. *ſi Eccleſia.* de conſecratione Eccleſiæ vel altaris. Iſta autem reconciliatio fit certis cæremonijs & ritibus, videndis in ceremoniali Romano. Hinc colliges quid debeat facere Sacerdos, ſi dum celebrat Eccleſia violatur. Etenim ſi violatio fiat poſt Canonem inceptum, debet Miſſam perficere: quia iam cenſetur ſacrificium incoa- B tum, & idcò interrumpi non debet propter Eccleſiaſticum loci impedimentum ſuperueniens. Si autem nondum Canonem incoauit, debet ceſſare donec Eccleſia reconciliata ſit. Videndus eſt ſapientiſsimus Sotus diſt. 13. quæſt. 2. art. 3. & 4. Et hæc de pœnis ſacrilegij ſpiritualibus. Non autem ſolùm pœnis ſpiritualibus ſacrilegi puniuntur à iudice Eccleſiaſtico, verùm & temporalibus: vt ſi forte ſpiritualibus caſtigati non pœniteant, ſaltem corporalibus coerciti reſipiſcant. Pœnæ autem hæ arbitrariæ ſolent eſſe: præter pœnam capitalẽ, quæ à iudice Eccleſiaſtico non infligitur. Ita 17. quæſt. 4. cap. *ſiquis contumax.* A iudicibus etiam ſæcularibus ſolent, & debent ſacrilegi puniri; & interdum pœna mortis, quando ſcilicet atrociter violatur perſona ſacra, vt patet in l. *ſi quis in hoc.* C. de Epiſcopis & Clericis. An verò iudicium contra ſacrilegos ſit mixti fori ? An verò tantũ pertinens ad Eccleſiaſticum tribunal? Iuriſperitis relinquo. Lege ſi placet practicam criminalem Bernardi Diez cum gloſsis Ignatij Lopez de Salzẽdo. cap. 77. ſub titulo de ſacrilegio.

Sotus.

Bern. Diez.
Igna. Lop.

QVÆSTIO C.

DE SIMONIA.

DE hac tractant ſacri C Canones, & eorum expoſitores in decretis, cauſa prima, per ſex primas quæſtiones, & in titulo de ſimonia extra in Decretalibus, & in Sexto, & Clemẽtinis, & alibi ſæpe. Theologi in 4. diſtinct. 25. Adrianus quodlib. 9. Gabriel ſuper canon. lect. 28. Altiſiodor. lib. 5. ſuæ ſummæ tractatu 27. Alenſis 3. parte quæſt. 183. Soto. lib. 9. de iuſtitia, quæſtione quinta, & innumeri diui Thomæ diſcipuli circa hanc quæſtionem 100. Sũmiſtæ verbo *ſimonia.* Nauarrus in Man. cap. 23.

Adrian.
Gabriel.
Altiſiod.
Alenſ.
Sotus.
Nauarr.

Nominis etymologia.

LIcèt multi extiterint hoc vitio implicati, nomen tamen deſumpſit à Simone Mago (vt omnes fatentur) vel quia ille fuit primus, qui in lege gratiæ crimen hoc commiſit, & primus propter hoc vitium ab Apoſtolis execratus Actorum 8. vel quia perfecta huius vitij malitia in Simone Mago reperta eſt: tùm quia dona Spiritus ſancti voluit emere, & conſequẽter ipſum Spiritum ſanctum ſibi ſubiectũ, & tanquam ſeruum venalem habere, vt habetur in cap. *eos.* prima quæſtione prima: tùm quia vt notauit D. Thom. ad quartum, voluit affectu, & intentione vendere Spiritum ſanctum, quia ad hoc emere volebat poteſtatem, vt ipſum Spiritum ſanctũ poſtea

Actor. 8.

D. Thom.

poſtea vẽderet. Et colligit ex cap. *ſaluator.* prima quæſtione prima, & eſt communis ſanctorum ſententia. Ita Epiphanius hæreſi 21. Cyrillus Hieroſolymitan. Cateheſi 16. Auguſtinus tractatu 10. in Ioannem. Tùm tertio, quia Simon ex auaritia ad id crimen anhelauit: imò quod peius eſt, ex hæreſi quam mente retinebat in illud vitium lapſus eſt, vt inſinuat ſacer textus citatus, & docuit Ambroſius lib. 2. de pœnitentia cap. 4. refertur cap. *Petrus.* prima quæſtione prima. Hæreſis autem fuit, putaſſe Spiritum ſanctum, & eius dona venalia eſſe: quam poſtea ſuſcitauerunt Armeni, vt refert Caſtro verbo *ſimonia.* Et ob id frequenter in ſacris Canonibus appellatur vitium hoc ſimoniaca hæreſis, non quia ſemper cum errore intellectus reperiatur, ſed quia vt ait D. Tho. in ſolutione ad primũ, in hoc quod aliquis vendit donũ Spiritus ſancti, quodammodo exterius proteſtatur ſe eſſe dominum ſpiritualis doni, quod eſt hæreticum: vel quia ab hæreſi Simonis in eo ortum duxit. Exiſtimauit namque, ideſt, credidit donum Dei, & conſequenter Spiritum ſanctum pecunia poſsideri, quod hæreticum dogma eſt.

Epipha. Cyrillus. Auguſt. *Ambroſ.* *Caſtro.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſimonia ſit ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum?

4. diſt. 25. q. 3. art. 1. q. 1. per to. & q. 3. cor.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd ſimonia non ſit ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum. Simonia enim eſt hæreſis quædam. Dicitur enim 1. q. 1. Tolerabilior eſt Macedonij, & eorum qui circa ipſum ſunt ſancti Spiritus impugnatorum impia hæreſis, quàm ſimoniacorum. Illi enim creaturam, & ſeruum Dei Patris & Filij Spiritum ſanctum delirando fatentur. Iſti verò eundem Spiritum ſanctum efficiunt ſeruum ſuũ. Omnis enim dominus quod habet, ſi vult, vẽdit, ſiue ſeruũ, ſiue aliquid aliud eorum quæ poſſidet. Sed infidelitas non conſiſtit in voluntate, ſed magis in intellectu, ſicut & fides, vt ex ſupradictis patet: ergo ſimonia non debet per voluntatem diffiniri.

1. q. 1. cap. Eos qui per pecunias.

q. 10. art. 2.

2 ¶ Præterea. Studioſe peccare eſt peccare ex malitia, quod eſt peccare in Spiritum ſanctum. Si ergo ſimonia eſt ſtudioſa voluntas peccandi, ſequitur quòd ſemper ſit peccatum in Spiritum ſanctum.

3 ¶ Præterea. Nihil eſt magis ſpirituale quàm regnum cœlorum, ſed licet emere regnum cœlorum. Dicit enim Greg. in quadam homi. Regnum cœlorum tantùm valet quantum habes: ergo nõ eſt de ſimonia velle emere aliquid ſpirituale.

Homil. 5. in Euang. nõ multum ante medium.

4 ¶ Præterea. Nomen ſimoniæ à Simone Mago acceptum eſt, de quo legitur Actor. 8. quòd obtulit Apoſtolis pecuniam ad ſpiritualem poteſtatem emendam: vt ſcilicet quibuſcunque manus imponeret, reciperent Spiritum ſanctum. Non autem legitur quòd aliquid voluerit vendere: ergo ſimonia non eſt voluntas vendendi aliquid ſpirituale.

5 ¶ Præ-

5 ¶ Præterea. Multæ aliæ ſunt voluntariæ cõmutationes, præter emptionem vel venditionẽ, ſicut permutatio, tranſactio: ergo videtur quòd inſufficienter diffiniatur ſimonia.

6 ¶ Præterea. Omne quod eſt ſpirituali annexum, eſt ſpirituale. Superfluè ergo additur, vel ſpirituali annexum.

7 ¶ Præterea. Papa, ſecundùm quoſdam non poteſt committere ſimoniam. Poteſt autem emere vel vendere aliquid ſpirituale: ergo ſimonia non eſt voluntas emendi vel vendendi aliquod ſpirituale vel ſpirituali annexum.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Gregorius dicit in regiſtro. Altare, vel decimas, vel Spiritum ſanctum emere, vel vendere, ſimoniacam hæreſim eſſe, nullus fidelium ignorat.

Habetur. 1. q. 3. c. Altare.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, actus aliquis eſt malus ex genere, eo quòd cadit ſuper materiam indebitam. Emptionis autem, & venditionis eſt materia indebita res ſpiritualis, triplici ratione. Primò quidem, quia res ſpiritualis non poteſt aliquo terreno pretio compenſari, vt de ſapientia dicitur Prouerb. 3. pretioſior eſt cunctis opibus: & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Ideò etiam Petrus in ipſa ſui radice ſimoniacam prauitatem condemnans dixit. Pecunia tua tecum ſit in perditionẽ: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſidere. Secundò, quia id non poteſt eſſe debita venditionis materia, cuius venditor non eſt dominus, vt patet in autoritate ſuprà inducta. Prælatus autem Eccleſiæ non eſt dominus ſpiritualium rerũ, ſed diſpenſator, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Tertiò, quia venditio repugnat ſpiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei prouenĩunt. Vnde & Dominus dicit Matth. 10. Gratis accepiſtis, gratis date. Et ideò aliquis emendo vel vendendo rem ſpiritualem, irreuerentiam exhibet Deo, & rebus diuinis, propter quod peccat peccato irreligioſitatis.

Argum. 1.

1. 2. q. 18. art. 2.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ſicut religio conſiſtit in quadam fidei proteſtatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde: ita etiam vitia oppoſita religioni habent quandam proteſtationem infidelitatis, licèt quandoque non ſit infidelitas in mẽte. Secundùm hoc ergo ſimonia hæreſis dicitur ſecundùm exteriorem proteſtationẽ: quia in hoc quòd aliquis vendit donum Spiritus ſancti, quodammodo proteſtatur ſe eſſe dominum

minum spititualis doni, quod est hæreticum. Sciendum tamen quòd Simon Magus, præter hoc quòd ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecunia emere voluit, dixit quòd mundus non erat à Deo creatus, sed à quadam superna virtute: vt dicit Isidorus in lib. Etymolog. Et sic secũdũ hoc inter alios hęreticos simoniaci computantur, vt patet in lib. August. de Hæresibus.

Lib. 8. c. 5. in princip.

In prin. lib. to. 6. & habetur 24. q. 3. c. quidam

¶ Ad secundum dicendũ, quòd sicut suprà dictum est, iustitia & omnes partes eius, & per cõsequens omnia vitia opposita sunt in voluntate sicut in subiecto. Et ideò conuenienter simonia per voluntatem diffinitur. Additur autem studiosa, ad designandum electionem, quæ principaliter pertinet ad virtutem & vitium. Non autem omnis qui peccat electione, peccat peccato in Spiritum sanctum, sed solùm qui peccatum eligit per contemptum eorum, per quæ homines solent retrahi à peccãdo, vt suprà dictũ est.

q. 58. art. 4.

q. 14. art. 2.

¶ Ad tertium dicendum, quòd regnum cœlorum dicitur emi, dum quis dat quod habet propter Deum, large sumpto nomine emptionis, secũdũ quod accipitur pro merito: quod tamẽ non pertingit ad perfectã rationem emptionis, tùm quia non sunt condignæ passiones huius temporis, nec aliqua nostra dona vel opera ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis, vt dicitur Rom. 8. tùm quia meritũ non cõsistit principaliter in exteriori dono, vel actu, vel passione, sed in interiori affectu.

¶ Ad quartum dicendum, quòd Simon Magus ad hoc emere voluit potestatem spiritualem, vt eam postea venderet. Dicitur enim 1. quæst. 3. quòd Simon Magus donum Spiritus sancti emere voluit, vt ex venditione signorum, quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. Et sic illi qui spiritualia vendunt, conformantur Simoni Mago in intentione, in actu verò illi qui emere volunt. Illi autem qui vendunt in actu imitantur Giezi discipulum Helisæi: de quo legitur 4. Regum 5. quod accepit pecuniam a leproso mundato. Vnde vẽditores spiritualium possunt dici nõ solùm Simonaci, sed etiam Giezitæ.

1. q. 3. c. Salnator, non remote à prin.

- Ad quintum dicendum, quòd nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Vnde nec permutatio præbendarum vel Ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest autoritate partium absque periculo simoniæ: sicut nec transactio, vt iura determinant. Potest tamẽ prælatus ex officio suo permutationes huiusmodi facere pro causa vtili vel necessaria.

¶ Ad ſextum dicendum, quòd ſicut anima viuit ſecundùm ſe ipſam, corpus autem viuit ex vnione animæ: ita etiam quædam ſunt ſpiritualia ſecundùm ſe ipſa, ſicut ſacramenta, & alia huiuſmodi. Quædam autem dicuntur ſpiritualia ex hoc quod talibus adhærent. Vnde 1. q. 2. dicitur c. Siquis obiecerit, quòd ſpiritualia ſine corporalibus rebus non proficiunt, ſicut nec anima ſine corpore corporaliter viuit.

1. q. 2. c. Siquis obiecerit.

¶ Ad ſeptimum dicendum, quòd Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut & quilibet alius homo, peccatum enim tanto in aliqua perſona eſt grauius, quanto maiorem obtinet locum. Quamuis enim res Eccleſiæ ſint eius vt principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt eius vt domini & poſſeſſoris. Et ideò ſi reciperet pro aliqua re ſpirituali pecuniam de reditibus Eccleſiæ alicuius, non careret vitio ſimoniæ. Et ſimiliter etiam poſſet ſimoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo laico non de bonis Eccleſiæ.

PRima concluſio affirmatiua. Secunda. Simonia eſt vitiũ irreligioſitatis. Probationes in diſcurſu articuli examinandæ ſunt.

Paraphraſis Articuli.

PRima concluſio diui Thomæ comprobata eſt in argumento ſed contra, & argumentorum ſolutionibus. Continet vſitatam ſimoniæ diffinitionem, quæ aliquibus non placet. Sed illam defendit Turrecremata prima quæſt. prima, verſu *quidam*. Et approbatur ab vniuerſis autoribus citatis. Singulæ particulæ explicãdæ ſunt. *Studioſa voluntas* ponitur vice generis, ad denotandum (vt ait D. Thom. ad ſecundum) hoc vitium opponi Religioni, quæ pars iuſtitiæ eſt; ac proinde habet pro ſubiecto voluntatem. Vel vt dixit Victoria in relectione de ſimonia, numero tertio, & Armachanus lib. decimo, de quæſtionibus Armeno. cap. 12. quia prima ſimonia in Eccleſia Chriſti commiſſa, à qua hoc crimen nomen accepit; ſola ſtudioſa voluntate, & conatu commiſſa eſt. Dicitur *emendi & vendendi*. Explicat diuus Thomas ad quintum, ſub nomine emptionis comprehendi omnes contractus non gratuitos, vt permutatio & tranſactio; de quo latius infra. Et ſi obijcias: licet emere Regnum cœlorum, iuxta illud Gregorij: *Tantùm valet quantum habes*. Reſpondet D. Thom. ad tertium, non emitur propriè, ſed meretur. Contrà. Nomine emptionis, comprehenditur omnis contractus non gratuitus: ſed Regnum cœlorum tribuitur operibus hominis iuſti, non gratis, ſed ex iuſtitia: ergo. Reſpondetur: non eſt contractus permutatiuus vnius pro altero, quod eſt de ratione ſimoniæ. Dicitur autem materiam huius vitij eſſe, *ſpirituale, vel ſpirituali annexum*: in qua particula explicanda verſatur ferè tota ſimoniæ tractatio. Et ideò modò breuiter dico, intelligi per ſpirituale omnes gratias gratis datas, omnia dona Spiritus ſancti, & omnia officia ordinata ad ſpiritualem fructum animarum, & omnia inſtrumenta eiuſdem ſalutis. Additur verò, *vel ſpirituali annexum*, propter quaſdam res, quæ licèt corporales ſint, cum ſpiritualibus connectuntur, vt Calix conſecratus, & ſimilia: de quibus latius in tractatus proſecutione. Addunt Iuriſperiti aliam particulam, *opere ſubſecuto*, vt comprehendatur ſimonia realis & externa. Sed non eſt neceſſaria additio, quia tota illius malitia à voluntate illa proficiſcitur. Et ideò oſtendendo radicem vnde realis ſimoniæ malitia procedit, ibi incluſa eſſe intelligitur: cùm in actu interno, & externo eadem eſſe dicatur; nec externum nouam addere ſupra internum. Secundam concluſionem, ſcilicet ſimoniam eſſe vitium Religioni contrarium, probat diuus Thom. triplici ratione. Prima quia res ſpiritualis non poteſt aliquo terreno pretio compenſari. Secunda: quia id

Turrecre. *D. Thom.* *Victoria.* *Armacha.* *D. Thom.* *Gregor.*

non

non poteſt eſſe debita venditionis materia, cuius venditor non eſt dominus. Nullus autem præter Deũ eſt dominus ſpiritualium rerum, ſed tantùm diſpenſator. Tertia, quia venditio repugnat ſpiritualiũ origini, quæ ex gratuita Dei voluntate proueniũt. *Matth.10.* Vnde Dominus dicit Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Ergo aliquis emendo, vel vendendo rem ſpiritualem, irreuerentiam exhibet Deo, & rebus diuinis; & conſequẽ ter peccat peccato irreligioſitatis.

Hæ rationes egregiæ ſunt: & approbantur à ſanctis Doctoribus, & Pontificibus, & Concilijs, vt videre licet 1. quæſt. 1. per multa capita. Inſuper & vniuerſi Theologi, & Iuriſperiti ſummopere laudant. Sed vt liberemus eas à calumnijs, quæ non deſunt etiam in veritatibus firmiſsimis; prima obiectio ſit. Fama, vita, & membra corporis, non poſſunt pecunia compenſari, iuxta *Prouer.22.* illud: *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Et tamen qui abſtulit famam, vel membrum abſcidit; poteſt ex conuentione, vel iuſsione iudicis licitè pecuniam pro his dare: ergo idem dicendum de rebus ſpiritualibus. Confirmatur: quia aliàs non eſſet licitum Deo velle compenſationem facere pro offenſa illata, quia ea non poteſt ad æqualitatem reparari, quam compenſationem ipſe à nobis poſtulat: ergo prima diui Thomæ ratio nullius efficaciæ eſt, maximè ad probandum, Deo per venditionem rerum ſpiritualium iniuriam irrogari. Contra ſecundam etiam rationem obijcitur: quia aſſumit falſum, ſcilicet nos non eſſe dominos rerum ſpiritualium. Aliqui enim exiſtimant eſſe dominos gratiæ, & ſpiritualium virtutum, quas in nobis habemus. Secundò. Eſto non ſimus domini rerum ſpiritualium, habemus vſum, quem poteſt vendere ille qui non eſt dominus rei ſi habet illum, putà vſum gratiarum gratis datarum. Contra tertiam etiam obijcitur: nam homo multa gratis accepit à Deo, robur, vires, libertatem: & tamen illa vendere, & vſum ſeu fructum eorum, non eſt illicitum, neque contra religionem: ergo. Ad has obiectiones continuo reſpondetur. Ad primam negatur conſequẽtia: quia prima ratio diui Thom. non eſt intelligenda de quacunque inæqualitate inter pretium, & rem venditam: ſed de tali inæqualitate proportionis, ratione cuius res ſpiritualis indignè tractatur quãdo pro pretio temporali commutatur, quia tractatur vt ſubiecta humano arbitrio, & non vt res quodammodo diuina, & pendens ex liberali largitione Dei. Quod inſinuauit Petrus Actor. 8. dicens: *Quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri.* *Actor. 8.* Fama verò, & illa in obiectione commemorata, licèt ſint altioris ordinis quàm pecunia; tamen ſunt inferioris ordinis reſpectu bonorum gratiæ: & conueniũt inter ſe in hoc quòd omnia ſunt bona merè tẽporalia & humana, atque ideò poſſunt ſine vlla Dei irreuerentia commutari: quia cùm nullum ex eis ſacrum ſit, non eſt dignum aliqua veneratione. Secus dicendum de bonis gratiæ, & rebus ſacris, quæ ſpeciali veneratione tractanda ſunt, vt non commutentur per temporalia pretia. Ad confirmationem ſimiliter negatur conſequentia: quia licèt in compenſatione diuinæ offenſæ non ſit æqualitas (de quo modò non diſputo) eſt tamen quædam proportio: & id quod in recompenſationem datur, diuinum donum eſt; & non ex humana, ſed ex diuina voluntate taxatur, & poſtulatur. Ad obiectionem contra ſecundam rationem, admiſſo nos habere dominium gratiæ, & virtutum, quod videtur hic negare diuus Thomas, & *D. Thom.* 1. 2. quæſtione 73. articulo nono ad ſecundum, & videtur habere fundamentum in Paſchaſio Papa in capite. *eos qui.* prima quæſtione prima, quatenus in hoc præcipuè fundat malitiam ſimoniæ; tamẽ eo admiſſo, dicimus ipſam gratiam, & virtutes, & actus ab ipſis procedentes, nequaquam poſſe vendi, cùm in alios non poſsint trãſferri, vt clarum eſt. De fructibus verò ſpiritualibus, ab ipſis in alios reſultantibus, obiectio procedit: & nos dicimus non poſſe licitè vendi, quia pendent ex acceptione, & voluntate, & efficacia Dei. Ad obiectionem contra tertiam rationem reſpondetur eſſe contra rationem: & dignitatem gratiæ, & donorum ſpiritualium, vt mercaturæ exponantur, & contra finem inſtitutionis eorum: nimirum vt proficerent omnibus pauperibus, & diuitibus, habentibus pecunias, & non habentibus. Egregiè Ambroſius, lib. 6. in Luc. 8. *Tam vili actione vult æſtimari Ieſus Chriſtus, vt ab omnibus ematur: ne quis pauper deterreatur. Gratis, inquit, accepiſtis, gratis date. Pecuniam non quærit diuitiarum altitudo, ſed gratiam.* *Ambroſ.* Vbi vtramque rationẽ ex parte finis, & ex dignitate gratiæ attigit. Ex his rationibus colligitur, malitiam ſimoniæ opponi directè virtuti Religionis,

ad quam ſpectat res ſacras debita veneratione tractare: hoc eſt enim quod perſimoniam maximè violatur, vt rationes allatæ ex D. Thoma noſtra adiuncta explicatione indicant. Et ſi roges, an ſit peccatum mortale ſemper, & in indiuiduo? Reſpondetur, eſſe mortale ex ſuo genere, & adeò graue, vt prima quæſtione prima, cap. vltimo dicatur, omnia crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputari. Et multa huiuſcemodi reperiuntur in ſacris Canonibus, quæ per exaggerationem intelligēda ſunt: nam citra dubium maiora peccata ſunt, quæ virtutibus Theologicis opponuntur. Exaggeratur autem huius criminis malitia: tum quia perniciosiſsimum Reipublicæ propter auaritiam, & ambitionem vnde naſcitur; & quia frequentiſsimum eſſe ſolet ſicut radices vnde procedit. An verò ſit aliquando veniale ex leuitate materiæ venditæ, aut pretij, ambiguum eſt. Fortaſſe ſemper mortale erit: quia venditio rei ſacræ etiam minimæ, ſemper cum magna irreuerentia fit, vt de blaſphemia Theologi aiunt. Hæc pro explanatione literæ diui Thomæ. Circa hunc articulum ſit

DISPVTATIO 1.

Quo iure ſimonia ſit prohibita, naturali, diuino, an verò tantùm diuino poſitiuo, ſiue ſupernaturali, & Euangelico, ſiue certè Eccleſiaſtico, & Pōtificio? Quod eſt quærere, an ſimonia ſit prohibita quia mala, an verò mala quia prohibita?

ET videtur non eſſe prohibitam iure naturali, ſed tantùm Eccleſiaſtico, aut poſitiuo iure diuino: & conſequenter non intrinſecè malā. Primò. Simonia verſatur circa res ſupernaturales, tanquam circa materiam, & obiectum, vt ſupra tetigimus, & infra fuſius dicemus. At naturæ ius tantùm verſatur circa res naturales. Ergo ſimonia non eſt vetita iure naturali. Secūdò. Multæ res ſacræ, & ſpirituales, quæ ſimoniæ materia ſunt, habēt ſanctitatem dumtaxat ex poſitiuo iure humano: vt calix conſecratus, qui ſacratur Eccleſiæ autoritate; & beneficia Eccleſiaſtica, quæ ex Pontificis placito annexa ſunt officio Eccleſiaſtico; item Oeconomia Eccleſiæ, Sacriſtæ officium, & ſimilia, quæ habent ſpiritualitatem Eccleſiæ lege, & materia ſunt ſimoniæ. Ergo ſimonia non eſt interdicta iure naturali, ſed poſitiuo, à quo habent ſanctitatem, & ſpiritualitatem.

In hac dubitatione vnum ſupponitur, & aliud quæritur. Supponitur quidem ſimoniam prohibitam eſſe, quod ſatis perſpicuū eſt ex iuribus citatis. Quæritur verò quo iure? Cuius dilucidatio exactè non poterit tradi, niſi ſpecialiter fiat mentio rerum ſpiritualium circa quas ſimonia verſatur; quod ferè totam materiam ſimoniæ exhaurit. Et ideò nos modò inutiles repetitiones vitare ſtudentes, ſub vniuerſaliori ratione quædam abſoluimus, reſeruantes ſpecialiorem pro inferius tractandis. Vnde modò dico. Simonia non tantùm iure poſitiuo, & Conciliari; verùm diuino & naturali vetita eſt. Hoc aſſertum admittunt ferè omnes Iuriſperiti, & Theologi. De Iuriſperitis conſtat ex Gloſſa cap. *cum pridem.* de pactis, verbo *illicitæ pactionis.* & alia Gloſſa cap. *ex parte.* primo. de officio delegati, verbo *dimittere.* & ibi Innocent. Hoſtien. Abbas, & Gloſſa in cap. *Saluator.* 1. quæſt. 3. Turrecremata in cap. *latorem.* art. 2. num. 5. 1. quæſt. 1. hi omnes approbant diſtinctionem ſimoniæ, in eam quæ eſt contra ius diuinum, & alteram contra ſolum Eccleſiaſticum. Eandem diſtinctionem admittunt Theologi paucis exceptis. Sed omiſſa probatione primæ partis noſtræ aſſertionis, quia clara eſt ex iure; & omiſſa diſputatione inferius ventilanda: An ſit aliqua ſimonia dumtaxat vetita iure humano? probatur ſecunda pars. De prohibitione per ius poſitiuum diuinum Euangelicum, habetur Matth. 10. illis verbis: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Actorum 8. habetur execratio Simonis Magi propter intentatam ſimoniā. De prohibitione in lege Moſayca probatur: quia cū in ea lege extiterint multa dona ſpiritualia, & ſupernaturalia, vt fides, prophetia, Sacerdotiū, & ſimilia, in quorum emptione, & venditione malitia ſimoniæ cōſiſtit; haud dubium quin potuerit eſſe ſimoniæ crimen. Et de facto extitiſſe, veteris legis paginæ ſæpe teſtantur. 4. Reg. 5. Giezi hoc commiſiſſe innumeri Sancti teſtantur, Ambroſius lib. 4. in Luc. Cyrillus Hieroſ. Catheceſi 26. D. Thom. in hoc art. ad

Gloſſa. *Innocent.* *Hoſtien.* *Abbas.* *Turrecre.* *Matth. 10.* *Actor. 8.* *4. Reg. 5.* *Ambroſ.* *Cyrillus.* *D. Thom.*

ad quartum. & omnes Doctores Theologi ac Iuriſperiti colligunt ex c. *ſicut pro certo.* de ſimonia, & ex cap. *cos.* 1. quæſt. 1. Aliqui in oppoſitum argumentantur: ſed eorũ ſolutionem videre poterit cupidus lector apud Abulenſ. 4. Reg. 5. quæſt. 29. Item aliqui adducunt Hiſtoriam Balaam arioli, qui pretio accepto diuinauit, Numerorum 22. adiuncto teſtimonio ſecundæ Petri 2. ſed exemplum hoc nõ eſt vſquè adeò clarum, cùm neque ex lib. Numer. neque ex epiſt. D. Petri colligatur, illum vitio ſimoniæ peccaſſe. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abũdet: non moror. Itẽ ſolet adduci ex 3. Reg. 13. Hieroboam vendidiſſe ſacerdotia. Sed hoc non dicit expreſſe aut implicitè ſacer textus, vt notauit Abulenſ. ſuper illum locum quæſt. 40. Apertius teſtimonium habetur 2. Machabæorum 4. vbi dicitur, Iaſonem pro obtinẽdo ſummo Sacerdotio, obtuliſſe Regi Antiocho multa talenta argẽti: & poſtea quendam Menalaum aucto pretio illud poſſediſſe: & ſubditur multa mala inde eueniſſe, propter impij, & non Sacerdotis Iaſonis nefarium & inauditum ſcelus, putà ſimoniæ. Quod crimen incurriſſe Anam, & Caiphã non ineptè aſſerit Iſidorus Peluſiota epiſt. 315. nam cùm annuatim Summi Pontifices mutarentur contra legẽ; non leue indicium ſumitur, hanc mutationem pretio emiſſe Iudæos à Romanis. In lege itidem naturæ ſufficiẽtem fuiſſe materiam ſimoniæ, & cõſequenter eius prohibitionem, liquidum erit agnoſcenti in ea lege fuiſſe dona ſupernaturalia, putà fidem ſupernaturalem, gratiam ſanctificantem, ſacramenta, gratias item gratis datas, quæ cùm ad finem ſupernaturalem ordinarentur, ſupernaturalia ſunt. Vnde ſi circa ea venditio aut emptio contingeret, ſimoniam contingere etiam neceſſarium erat: imò de facto aliquos ſimoniacos eo in ſtatu narrantur fuiſſe. Geneſ. 23. Ephron dicitur vẽdidiſſe Abrahæ ſpeluncã pro ſepulchro, & Eſau Geneſ. 25. ſacerdotium: de quibus exactius dicemus inferius. Deinde probatur in lege naturæ fuiſſe prohibitam ſimoniam, illis rationibus adductis à D. Thom. in art. quæ ſi benè expendantur, præceptũ naturale eſſe probant. Itẽ quia in lege gratiæ iure diuino eſt prohibita, vt vidimus. Sed in hac nullum eſt præceptũ quod non ſit de iure naturæ, præter præcepta fidei, & ſacramentorum: ergo præceptum hoc naturale eſt. Rogas: ad quod præceptũ Decalogi pertinet? Reſpondetur, ad primũ, quia ratione ſacra non eſſe irreuerenter tractanda iubentur. In lege autem veteri, vtrùm habeatur hoc præceptum ſcripto mandatum, non ita clarum eſt: fortaſſe Michæas capite tertio expreſſit dicens contra Prophetas: *Sacerdotes eius in mercede docebant: Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Et etiam in lege expreſſe cauetur tanquam quid certiſsimum, quod non indigebat peculiari ſcriptura, ſed ipſummet naturale lumen, ſuppoſita ſpiritualitate rerum, id dictabat. Ad argumenta poſita initio diſputationis reſpondetur. Ad primum ex doctrina communi, ius naturæ abſolutũ quod extat nulla facta ſuppoſitione, habere tantùm locum in rebus naturalibus: & etiam ius naturale eſt quod procedit ſuppoſitione aliqua facta, quam ſolùm naturale lumen non dictat, niſi admiſſa aliqua ſuppoſitione: verbi gratia, Sacerdotes iure diuino ſupernaturali habent ſanctitatem & ſpiritualitatem. At ius naturæ docet eos eſſe alendos. Item ex humano placito, & arbitrio creantur Reges, tamen ſic ſemel inſtitutos, ius naturæ iubet eos alere, & honorare. Ita in præſentiarum ferè omnia circa quæ ſimonia verſatur, res naturales ſunt. At ex ſuppoſitione quod factæ ſint ſupernaturales, aut ſacræ, vndecunque proueniat talis ſanctitas, ſiue ex Dei munere, ſiue ex Eccleſiæ placito, habet locum naturæ ius ad prohibendam earum venditionem, quæ contra naturam eſt, vt ex rationibus D. Thom. patuit. Secundò reſpondetur explicando ſolutionem in noſtro caſu, quæ præcipuè habet verum in præceptis negatiuis circa res ſupernaturales. Itaque licèt præcepta poſitiua circa res ſupernaturales, ſpectent tantùm ad ius ſupernaturale, & diuinum: tamen negatiua circa eaſdem omninò res, pertineret ad naturæ ius. Exemplum ſit: credere res fidei, præceptum ſupernaturale eſt: ſpectans tamen ad naturale ius. At non diſſentiri eiſdem rebus ſufficienter propoſitis; etiam ad naturę ius ſpectat, vt dicitur in materia de fide. Item, ius ſupernaturale eſt colere Euchariſtiam: at qui conculcaret, contra ius naturæ etiam peccaret, quod iubet rem tam ſacram non eſſe irreuerenter tractandam. Sic in noſtro propoſito, cõtra ius naturæ peccat qui vendit res ſpirituales: quia naturæ ius præſcribit nõ eſſe irreuerenter tractandas, quod citra dubium fit, ſi emantur aut vendantur. Ad ſecundũ idẽ reſpondetur: ſed exactius infrà, vbi exa-

Abulenſ. *Nume.* 22. *2. Petri* 2. 3. *Reg.* 13. *Abulen.* *2. Mach.* 4. *Iſidorus.* *Geneſ.* 23. *Geneſ.* 25.

minabimus, an aliqua ſit ſimonia iure po- A ſitiuo tãtùm prohibita. Modòverò id quod frequentius, & circa certas materias rerum ſpiritualium contingit. Affinis præcedenti eſt

DISPVTATIO II.

An poſsit fieri ſaltem de potentia Dei abſoluta, vt res ſpirituales vendantur ſine ſimoniæ vitio? & loquimur de rebus ſpiritualibus, quæ à ſolo Deo autore habent ſpiritualitatem: & de quibus ſine controuerſia dicitur, eſſe materiam ſimoniæ.

ET videtur vera pars negatiua: quia nuper dicebamus, ſimoniam circa res ſpirituales, & ſupernaturales, eſſe vetitam iure naturæ. At in præceptis iuris naturæ, non poteſt neque à Deo diſpenſari, vt tradit *D. Thom.* D. Thom. prima ſecundæ, quæſtione 100. articulo octauo, & ibi omnes fere Thomiſtæ: ergo. Confirmatur, quia neque de potentia Dei poſſet fieri, vt Euchariſtia, ſeu aliæ res ſacræ irreuerenter tractentur: verbi gratia, per conculcationem: ergo neque vt irreuerenter tractentur per venditionem. In oppoſitum facit, omnes illas rationes D. Thom. in articulo ad probandum intrinſecam malitiam ſimoniæ, Deo concedente rerum ſpiritualium venditionem, carere vi & efficacia, vt ſtatim manifeſtabimus. Ergo tunc licitè poterunt vendi ex Dei voluntate hanc licentiam largientis.

In huius quæſtionis deciſione admiſcetur diſputatio grauis: Vtrùm præcepta iuris naturæ ſint à Deo diſpenſabilia? De qua agitur in materia de legibus. Et ea omiſſa propter varietatem opinionum: dicam in noſtra hac diſputatione quod conformius veritati, & diui Thomæ iudico. Primum ergo aſſertum ſit. Nulla immutatione facta in rebus ſpiritualibus, & ſupernaturalibus, & in modo quo nobis à Deo donantur de facto, nequit fieri etiam de potentia Dei abſoluta vt licitè vendantur. Probatur: quia obiectum illius venditionis, ex natura ſua, & intrinſecè diſſonum rationi eſt, vt probauimus. Ergo implicat fieri conſonum à quacunque poteſtate, ſi manẽt immutatæ naturæ rerũ. Confirmatur: quia hac ratione cordatiores Theologi aſſerunt, præcepta Decalogi, ſi maneant immutata eorum obiecta, eſſe indiſpenſabilia, neque in parte, neque in toto abrogabilia. Secundò aſſero, poſſe Deum in donatione rerum ſpiritualium ſic ſe habere, vt venditio earum licita eſſet. Probatur, & explicatur aſſertio. Poſſet Deus concedere homini abſolutum, & liberum dominiũ talium rerum ſpiritualium, cum ipſe ſit abſolutus dominus earum: imò etiamſi non conferat dominium, poteſt dare facultatem diſpenſandi illa per venditionem, vel aliũ oneroſum contractum in vtilitatem diſpenſatoris, vel alterius, prout dominus ipſe conceſſerit, ſicut in alijs diſpẽſatoribus videmus accidere. Præterea, poterit Deus concedere ſpiritualia dona, non vt pertinentia ad ſalutem animæ, vel ad bonum ſpirituale aliorum: ſed dumtaxat ad commoditatem humanam recipientis, vel aliorum: verbi gratia, poſſet alicui dare donum ſanitatis, vt ex vſu eius viueret, & diuitias acquireret. Et idem dico de gratia prophetiæ, & ſimilibus. At poſito hoc donationis modo, ceſſaret omnis malitia, quæ in ſimonia nunc inuenitur, vt patet diſcurrenti per rationes D. Thom. quibus complexus eſt omnem malitiam nunc inuentam in ſimonia. Etenim non venderetur res aliena inuito domino, ſed propria, vel ſic diſpenſabilis ex voluntate domini. Nec fieret irreuerentia Deo: quia ipſe talem nõ reputat, dum iuxta voluntatem eius fit. Nec fit contra naturam talis materiæ, ſeu gratiæ: quia non eſt de intrinſeca ratione, & quaſi naturali eſſentia eius, vt gratis detur. Hæc enim conditio euaneſcit, ſi fiat vẽditio ex voluntate eius, qui ius vel poteſtatem habet largiendi talem rem. Ipſe enim vni poteſt gratis dare, & cum dominio vel facultate vt ipſe non det gratis, ſed prout voluerit. Neque etiam ea hypotheſi facta, dona illa Dei haberentur vt ſacra vel religioſa, quia neque ex ſe, neque ex intentione dantis ordinarentur vel ad ſpecialem Dei cultum, vel proximè ad ſalutem animæ. Neque etiam tunc res ſpiritualis pecunia æſtimaretur, ac ſi non plus valeret. Hoc enim videtur continere intrinſecam deordinationem, & quaſi practicum mendacium: non tamen eſt id neceſſarium ad venditionem; ſed ſufficit vt B C D

ali-

aliquid determinaretur humano arbitrio, quod licèt de se esset inæquale, ex conuentione hominum haberetur sufficiens: posset enim Deus hanc potestatem conferre hominibus. Sed arguet quispiam: Res istæ supernaturales circa quas simonia versatur, sunt inuendibiles suppositio modo ordinario, & fine, quibus Deus modò illa confert hominibus: qui modus & finis pendet ex libera voluntate Dei, di-
Matth. 10. centis: *Gratis accipitis, gratis date.* Et mutatis fine, & modo donationis, vendibiles sunt. Ergo malitia simoniæ non prouenit ex malitia intrinseca obiecti, quæ necessaria est vt præceptum prohibitiuum sit iuris naturæ: sed prouenit ex positiua prohibitione Dei; cum dependeat ab eius voluntate disponente de modo donandi res spirituales. Ac proinde prohibitio illa non ad ius naturę, sed ad ius diuinum positiuum pertinebit. Respondetur: Modus iste quem Deus modò seruat in largitione spiritualium donorum, connaturalis est ipsis: ideòque de se postulant non diuendi, nec cõmutari per res temporales. Quod satis est vt prohibitio eas vendendi dicatur pertinere ad ius naturæ: quidquid sit de potentia Dei absoluta. Secundò respondetur. Illa malitia, quæ in simonia modò reperitur, non debet cẽseri prouenire ex positiua prohibitione legis diuinæ: nam quamuis originetur in modo quo Deus de facto confert dona spiritualia: tamen eo supposito modo, in ipsa dona refunditur ille modus, sic adeò vt faciat ea inuendibilia: atque adeò ille modus sic accipiendi dona à Deo, tenet se ex parte materiæ; & obiecti huius obligationis, quæ intrinsecè oritur ex tali materia sic possessa & accepta. Multa huius exempla in humanis habentur. Obligatio voti naturalis est, & obiectum consonum rationi ex natura sua: licèt ortum habeat obligatio, & bonitas obiecti ex arbitrio vouentis. Similiter adulterium est prohibitum iure naturæ, ex Dei voluntate: qui sic secundùm ordinem communem disposuit, vt vxor esset tantùm sui mariti, cùm posset illam tradere vt communem; & de facto tradidit Oseæ vxorem alterius
D. Thom. viri, vt adnotauit D. Thom. prima secundæ quæstione 100. articulo octauo ad tertium. Ad argumentum positum in principio, quatenus militat contra secundum assertum, respondetur. Si Deus modo illo extraordinario conferat hominibus dona supernaturalia; non dispensat in præcepto prohibitiuo simoniæ, sed mutat materiam de mala in bonam ac licitam, propter rationes ibi assignatas. Cuius rei multa adhibet D. Thom. exempla loco modò citato: *D. Thom.* quando filij Israël spolia ab Aegyptijs acceperunt, quæ spoliatio non fuit contra præceptum non furandi, quia ex Dei voluntate facti sunt illorum spoliorum domini: in accessu Oseæ ad fornicariam, & similibus. In quibus factis non intercessit dispensatio in lege: sed fuit mutatio materiæ ex illicita in licitam. Ad confirmationem respondetur, idem esse ferendum iudicium de sacrilegio, & simonia. Et sicut immutata materia simoniæ ex Dei voluntate, iuxta modum præfatum; nullum esset crimen res sacras vendere: ita si Deus vellet nullam sibi irreuerentiam irrogari per aliàs irreuerentem tractationem rei sacræ; non committeretur sacrilegium: verbi gratia, si concederet alicui facultatem accedendi ad Monialem, aut occidendi Clericum. Fateor aliqua esse sacrilegia, cuius materia nequiret immutari, etiam de potentia Dei absoluta, de mala in bonam: quia actio sacrilega includeret necessariò Dei contemptum; qualis fortasse est conculcatio Eucharistiæ: ac proinde per nullam potentiam, neque mutatis circunstantijs, posset eorum obiectum, neque actiones, quæ circa illud versantur honestari. Nec mirum, nam in alijs præceptis Decalogi hoc inuenitur: verbi gratia, in præcepto de non colendis falsis Dijs: de non ferendo falsum testimonium. Quarum prohibitionum materia, nullo modo potest honestari per mutationem circunstantiarum. At in prohibitione venditionis simoniacæ, non mihi se offert venditio rei spiritualis, quæ mutato modo, & fine ex Dei voluntate honestari non possit. Loquimur de potentia Dei absoluta: nam de facto, nusquam legimus talem factam mutationem, aut concessionem: neque existimamus de potentia, & prouidentia ordinaria posse fieri. Quare ad confirmationem, admisso antecedenti, negatur consequentia.

DISPVTATIO III.

An sit aliqua simonia solo humano iure, siue Ecclesiastico prohibita?

Durand. DArtem negatiuam tuetur Durandus in 4. distinct. 25. quæstione 5. num. 9. Probat primò, quia id quod est tantùm contra ius humanum positiuum, habet dùtaxat inobedientiæ malitiam: quia in talibus tota ratio malitiæ est transgressio præcepti, quæ ad inobedientiam pertinet. Ergo si venditio vel emptio aliqua, solùm est mala quia prohibita; erit crimen inobedientiæ, non simoniæ. Maiorem ostendit Durandus exemplis. Nam qui in die ieiunij pluries comedit temperatè, solùm peccat contra obedientiã: & sic de alijs. Secundò, quia res quæ vendi prohibetur, est sacra, vel non est sacra. Si est sacra; non solùm erit simonia quia prohibita, sed ex natura rei; vt supra docebamus. Si verò non est sacra, etiamsi iure humano vendi prohibeatur, venditio illa non erit simoniaca: quia prohibitio nõ mutat rerum naturas, & ita nec facit vt sit res sacra quæ talis non erat. Neque erit simoniaca venditio illa, cùm simonia non sit nisi circa materiam sacram. Ne autem videatur se opponere doctrinę Iurisperitorũ, qui vocant quosdam contractus prohibitos per Ecclesiam simoniacos, licèt ante prohibitionem non essent praui: ait simonias appellari largo modo in ordine ad pœnas dũtaxat.

In oppositum facit ferè totus cœtus Iurisperitorum allegatorum initio primæ disputationis, qui communiter approbant diuisionem simoniæ, in eam quæ est contrà ius diuinum, siue positiuum siue naturale; & eam quæ tantùm est contra ius humanum & Ecclesiasticum. Eam amplectuntur innumeri Theologi. Exempla huius postremi mẽbri multa sunt infrà sparsim discutienda. Modò sufficiat officium Oeconomi, aut Thesaurarij rerum Ecclesiasticarum, quorum venditio aliàs licita, prohibita est iure Pontificio, vt patet cap. *Saluator*. prima quæstione 3. & probatur à priori, ex fundamento Theologico omninò oppositio fundamento Durandi: sed approbato à cordatioribus, & pluribus Theologis in materia de legibus. Videlicet, actionem aliàs licitam, accedente prohibitione Ecclesiæ, fieri illicitam, & pertinentem ad vitium oppositum illi virtuti, cuius obseruantiæ causa ille actus prohibetur: verbi gratia, comedere carnes quibusdam diebus prohibetur ab Ecclesia, referens illam obseruantiam ad virtutem temperantiæ. Vnde qui illam legem transgrederetur; non ad inobedientiam formaliter pertineret, sed ad intẽperantiam: quia sicut Ecclesia illam obseruantiam iubens, voluit referre ad virtutem temperantiæ: sic & transgressionem ad vitium intemperantiæ. Similiter extrahere reum ab Ecclesia prohibetur propter Ecclesiæ reuerentiam: quod si extrahatur, pertinebit crimen illud ad sacrilegium. Et similia multa habentur in materia de sacrilegio. Tunc sic formatur ratio pro nostra sententia. Prohibitio venditionis officiorum relatorum, & aliarum rerum, quæ ante latam legem non erant sacræ, neque earum venditio illicita; ordinatur ab Ecclesia intuitu solius Religionis, & ob maiorem immunitatem rerum sacrarum ab omni suspicione simoniæ: ergo illa obseruatio ex vi legis Ecclesiasticæ reponetur in materia Religionis, quantum ad abstinentiam ab ea venditione: ergo actus contrarius pertinebit ad vitium oppositum virtuti Religionis; non certè ad aliud nisi ad simoniam. Hoc argumentum directè refellit Durandi fundamentum. Posset tamen aliquis dicere, esse quidem simoniam, sed contra ius diuinũ, ortum habens ex placito humano, ideſt ex lege humana: sicut venditio calicis consecrati vt sic, aquæ benedictæ, & similium est simonia contra ius naturale, & diuinum; quamuis sacratio earum rerum à voluntate humana ortum habuerit. Ergo lex humana prohibens prędictorum officiorum venditionem, potens tollere eam contra ius diuinum, & naturale. Respondetur negando consequentiam. Discriminis ratio est: quia licèt sacratio aut benedictio quarundam rerum ortum habeat ex institutio Ecclesiæ: tamen omni secluſa lege, & prohibitione eas vendere, simonia contra ius naturæ est: quia res sacras, vndecunque illis proueniat sanctitas, vendere, intrinsecè malum est. At officium Oeconomi, aut Thesaurarij Ecclesiastici, sicut ante editam legem temporale erat; sic & post conditam, temporale & nõ sacrum manet: sed dumtaxat per legẽ positiuam prohibetur eorum venditio Religionis intuitu: & ideò simonia est de iure positiuo tantùm. Quo fit, vt res sacratæ aut benedictæ auc-

ritate Ecclesiæ, nequeunt esse non benedictæ, quidquid disponat Ecclesia; & consequenter earum venditio simoniaca. At verò officia præfata, & similia, ablata lege positiua prohibente eorum venditionem, nõ sunt inuendibilia, neque crimen vllum cõmittetur in eorum venditione, aut emptione. Ad argumenta Durandi respondetur negando maiorem: cuius falsitas ex eisdem Durandi exemplis à nobis ostensa est, & amplius in materia de legibus. Sed pro Durando videtur facere D. Thom. infrà, quæstione 104. art. 2. ad 1. vbi ait, quædam esse quæ ad nullam virtutem nisi obedientiæ pertinent, vt patet in his quę non sunt mala, nisi quia prohibita. Et hoc ipsum asserit Durandus in maiore propositione assumpta. De interpretatione testimonij Doctoris Angelici, nobis (Deo dante) erit infrà latior sermo. Modo breuiter dico: D. Thom. non vniuersaliter dicit id habere verum; sed quandoq; ita contingere, vt transgressor legis humanæ peccet tantùm peccato inobedientiæ. At verò quando materia præcepti pertinet ad specialem virtutem, vel ex vi præcepti in illa reponitur, tanquam necessaria ad honestatem illius virtutis: tunc transgressio habet specialem malitiam contrariam illi virtuti, & non tantùm obedientiæ. Et ita est in præsenti, vt declaratũ est. Ad secundum respondetur, illam prohibitionem Ecclesiæ facere quodammodò illas res sacras, non absolutè, & ea sanctitate qua res sacrantur per benedictionem, aut consecrationem; sed per hoc quod illæ res intuitu religionis vetantur vendi: vnde & abstinentia à venditione, ad religionem pertinet: & stante lege coarctantur, & annectuntur religionis vinculo, non tamen sufficienti ad simoniam vetitam iure naturali. Propter illud verò quod addit Durandus, legem non posse mutare naturas rerum, & ex non sacris facere sacras, malè audit apud quosdam, existimantes eum senisse, Ecclesiam non potuisse, neque posse facere ex temporalibus spirituales res, quod certè erroneum est. Sed non credo ita sensisse: sed Ecclesiam per prohibitionem vendendi, non fecisse eas res spirituales. Nos verò concedimus, Ecclesiam per talem legem non eas res mutasse ex corporalibus in spirituales in esse physico, & naturali: nihilominus mutasse quoad esse quoddam morale, id est, vt non venditio sit quid necessarium ad virtutem religionis, vel medium virtutis, sicut aliàs in alijs materijs contingit, & in materia de sacrilegio docuimus. Colligimus ergo ex dictis, esse aliquam simoniam de iure positiuo tantùm, quando immediatè habet talem malitiam ex vi prohibitionis Ecclesiæ, interdicentis venditionem circa talem rem intuitu religionis, seu reuerentiæ debitę rebus sacris, ita vt talis actio illam malitiam non haberet secluſa Ecclesiæ prohibitione. In quibus autem reperiatur hæc simonia, inferius adnotabitur. Ex dictis infertur cum Diuo Thoma in hoc articulo solutione ad septimum, Papam non posse dispensare in simonia contra ius diuinũ, aut naturale quoad culpam: secus quoad pœnas. At verò posset dispensare in lege Ecclesiasticâ, vetante venditionem rerum aliàs vendibilium: quod est dispensare in simonia prohibita tantùm iure positiuo humano. Et hoc quando licitè, quando illicitè fiat, sulius dicetur in vltimo articulo huius quæstionis.

D. Thom. *D. Thom.*

Hæc dicta sint de simoniæ diffinitione, & natura: quæ cùm specialius sumatur ex obiecto, seu materia circa quam versatur, nempè spirituales res: in explicando in particulari, quæ sint istæ res spirituales circa quas simonia committitur, ferè tota controuersia, & Diui Thomæ quæstio posita est. Pro quo aduertere oportet, quod cùm spirituale ab spiritu deriuetur, spiritum nõ desumi in præsentiarum pro aere spirato, cuius attractione, & retractione viuimus: qui spiritus dicitur à Cicerone 2. de natura Deorum, & in Psalm. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. Nec pro vento quocunque, vt in Psalm. vltimo: *Spiritus procellarum*. Et Virgilius 2. Aeneid.

Cicerò. *Psalm.* *Virgil.*

At velut Ædoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Ægeo.

Nec pro animi elatione, iuxta illud Ciceronis pro Sylla: *Res gestæ meæ me nimis extulerunt, sic mihi nescio quos spiritus attulerunt*. Sed ex his significationibus, quæ in vsu sunt, etiam apud profanos Autores, translatum est nomen spiritus ad significandum res incorporeas, vt Deum, Angelos, animam hominis, & alia quæ huic accidunt, vt virtutes, ac scientiæ. Secundo aduertendum ex Syluestro, & alijs Summistis verbo *simonia*. spiritualia hæc, quæ ab Ecclesiasticis considerantur vt materia simoniæ, esse in triplici differentia. Quędam sunt spiritualia per essentiam, id est, quæ nihil materiale, aut corporale habent. Huiusmodi sunt gratia, virtutes, dona Spiritus

Cicerò. *Sylueſt.*

ſancti, characteres ordinis, gratiæ gratis datæ quaſi in habitu conſideratæ, & ſimilia. Alia ſunt ſpiritualia, quia ſunt cauſæ bonorum ſpiritualium, & ſupernaturalium. Huiuſmodi ſunt Sacramenta: quæ licèt materialiter ſint res corporales; cauſant tamen gratiam ſpiritualem. Alia ſunt ſpiritualia, quia ſunt effectus cauſæ ſpiritualis, aut verò ad finem ſpiritualem ordinantur: vt docere myſteria fidei, cõfeſsio eiuſdem, actus conſecrandi: imò & vaſa, & veſtes ſacræ, quæ per ſacrationem, vel benedictionem ſacræ efficiuntur, & ad finem ſupernaturalem, & ſpiritualem diriguntur. Rurſus quędam ſunt ſpiritualibus annexa, vt beneficia Eccleſiaſtica. De his omnibus agit D. Thomas ferè per totam hanc quæſtionem de ſimonia: circa Sacramenta in 2. art. circa actus ſpirituales in 3. circa annexa ſpiritualibus in 4. Sed mirum eſt quomodò non egerit de ſimonia circa ſpiritualia omninò per eſſentiam. Nunquid quia circa illa non eſt poſsibilis ſimonia? Ideò ſit

D. Thom.

DISPVTATIO IIII.

An gratia ſanctificans, gratiæ gratis datæ, virtutes infuſæ, character Sacramẽtalis, poteſtates ordinis, aut iuriſdictionis, actus ſupernaturales in ſe ipſis, vt ſpirituales ſunt per eſſentiam, & alia huiuſmodi vendi poſsint: & conſequenter eſſe materia ſimoniæ, quæ circa venditionem ſpiritualium verſatur?

VIdetur vera pars negatiua. Primò, quia Doctor Angelicus, qui in hac quæſtione ſcrutatus eſt materiam ſimoniæ: de hac circa venditionem præfatarum rerum nec verbum quidem. Ergo ſignum eſt, non eſſe poſſe ſimoniæ materiam: aliàs nimis rudis eſſet omittens ſimoniam, quę circa res maximè ſpirituales verſaretur. Secundò. Nemò poteſt gratiam quam in ſe habet, ſiue iuſtificantem, ſiue gratis datam, & alia huiuſmodi per eſſentiam ſacra, in alios transferre. Ergo neque vendere non ſolùm iure, verùm neque de facto. Hoc argumẽto moti, hanc partem tuentur Panormitan. cap. *conſulere*. num. 3. Angelus verbo *ſimonia*. 1. num. 1. Tabiena num. 7. Soto lib. 9. de iuſtitia quæſt. 6. art. 1. & alij. Confirmatur ex cap. *Saluator*. 1. quæſt. 3. vbi dicitur: *Nec Apoſtolus emptionem Spiritus ſancti, quam benè fieri non poſſe nouerat, ſed ambitionem, & auaritiam, &c. in Simone exhorruit.*

Panorm. Angelus. Tabien. Sotus.

Pro parte affirmatiua videtur eſſe D. Thom. in artic. 2. quando ait, gratiam Sacramentorum non poſſe vendi ſine ſimonia: gratia autem Sacramentorum eſt ſpiritualis per eſſentiam. Secundò. Iudas quando Chriſtum vendidit, ſimoniam commiſit: Chriſtus verò cùm ſit perſona diuina, omnium ſpiritualium per eſſentiam ſpiritualiſsimus eſt: imò ipſa gratia vnionis per quam Chriſtus Deus & homo eſt, ſpiritualiſsimum eſt: ergo. Cõfirmatur ex Tharaſio in cap. *eos qui*. 1. quæſt. 1. qui loquens de ſimoniacis, ſic fatur: *Vt veriùs dicam, Iudæ comparantur*: & Nazianzenus relatus ibidem cap. *qui ſtudet*. inter ſimoniacos ponit Iudam: idem dicit Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſi 16. & idem inſinuat Baſilius epiſt. 176.

D. Thom. Tharaſi. Nazian. Cyri. Hier. Baſilius.

Pro deciſione dico primò. Gratia, dona ſpiritualia, & alia per eſſentiam ſpiritualia in abſtracto conſiderata, nequeunt eſſe materia ſimoniæ. Probatur: quia ſimonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi ſpiritualia: ſed ſpiritualia per eſſentiam nequeunt vendi, cùm non poſsit eorum dominium in alios transferri: ergo voluntas, cùm non feratur in res impoſsibiles, non poteſt velle eas vendere: ac proinde non poſſunt eſſe materia ſimoniæ, niſi fortè ex conſcientia erronea alicus inſani, qui vellet impoſsibilia.

Secundò dico. Benè poteſt quædam ſimonia imperfecta reperiri circa res ſpirituales per eſſentiam. Probatur. Licèt volũtas abſoluta non poſsit eſſe impoſsibilium: tamen quidam affectus ſimplex benè poteſt eſſe: id eſt, vellem vendere ſi poſſem; quia velleitas impoſsibilium eſt. At iſte affectus cùm ſit malus, non ad aliam ſpeciem vitij videtur pertinere quàm ad ſimoniæ vitium: ergo.

Tertiò dico. Gratia, & alia dona ſpiritualia per eſſentiam, vendi poſſunt in concreto, & per aliud. Explicatur aſſertum, enumerando varios modos, quibus hoc fieri poteſt. Primus eſt ad venditionem ſubiecti in quo hæ res ſunt. V. g. ſi vẽdatur captiuus Chriſtianus carius quàm aliàs æſtimaretur ſi Chri-

ſi Chriſtianus non eſſet, aut Deo gratus. Similiter ſi quis vēderet Sacerdotem, quia Sacerdos eſt, id eſt, intuitu ſacerdotij. Sicut qui vendit calicem pluris quam valet, ſolum ratione ſpiritualis conſecrationis, ſimoniacus eſt: & vendere conſecrationem putandus eſt. Ergo qui venderet Chriſtianum, quia Chriſtianus eſt, aut Deo gratus, carius quàm aliàs venderetur, ratione fidei, aut gratiæ quam habet, ſimoniacus eſt: & cenſendus eſt vendere ipſam fidem, aut gratiam. Item quando venduntur ad venditionem ſuarum cauſarum: vt quando quis vendit abſolutionem à peccatis, vendit gratiam Sacramentalem, quæ ad eam ſequitur. Et hoc modo dicunt Sancti, Simonem Magum voluiſſe emere Spiritum ſanctum, & gratiam eius vendere. Similiter quādo actio aliqua venditur, cuius terminus ſpiritualis eſt: vt ſi vendo meum ſupernaturalem actum, quatenus ſatisfactorius eſt; ac deniq; ſi alijs modis ad venditionem alterius pretio æſtimentur.

Ad argumenta initio poſita reſpondetur. Ad primum, D. Thom. ideò hanc diſputationem prætermiſiſſe, quia reputauit gratiam, & ſpiritualia dona non poſſe vendi in abſtracto. De venditione autem in concreto multa dixit in articulis ſequentibus, agens de venditione Sacramentorum, & actuum ſpiritualium. Ad ſecundum reſpondetur probare noſtrum primum dictū, & non inficiari tertium: quia venduntur ea dona ſimul cum ſuo ſubiecto, & in aliū trāsferuntur, ac quodammodò in dominiū alterius deueniunt. Venduntur itidem ad venditionem ſuarum cauſarum, quamuis in alium non transferantur: quod non eſt de neceſsitate venditionis quando fit ad venditionem alterius, vt explicabamus. Et ſic etiam reſpondetur ad Autores qui negatiuam ſententiam tenent: qui intelligendi ſunt iuxta tenorem noſtri primi aſſerti, & non negant tertium. Ad primum in oppoſitum reſpondetur, probare tertium aſſertum.

In ſecundo verò tractatur dubitatio, an venditio Chriſti Domini facta à Iuda ſit ſimoniaca? Cui communiter reſpondetur negatiuè, eo quod non vendidit illum cogitans de diuinitate eius, aut vnione gratiæ vendendis; neque eo titulo aliquod pretiū ſumens, ſed ſolum ratione humanæ naturæ, quæ in Chriſto erat quaſi res corporalis annexa ſpirituali: vt ſi venderetur calix conſecratus, eo pretio quo venderetur ſi nō eſſet conſecratus, nihil cogitando de venditione conſecrationis. Obijcies, culpa ſua non conſideraſſe Chriſtum eſſe perſonam diuinam. Fateor, ſed ob id ſacrilegus, & irreuerens ſupra modum fuit, ſed non ſimoniacus: quia nec intentio, nec pretium in perſonam diuinam ferebatur, imò fortaſſe neque poſſet tale quid cogitare, niſi inſanus eſſet. Quia ſicut ſi Phariſæi ipſum cognouiſſent vt Deum, non crucifixiſſent: ita & multo minus tentaſſet Iudas vendere diuinam perſonam: quia in nullius mentem, niſi mente captus eſſet, talis cogitatio cadere potuit, vt Deum quis ſibi emeret, aut alteri venderet. Ad Tharalium reſpondetur, comparare peccata ſimoniæ cum peccato venditionis Chriſti, ſicut comparat cum peccato blaſphemantium Chriſtum: quæ eſſe diuerſæ ſpeciei ſatis conſtat. Cæteri verò Sancti allegati loquuntur ſumpta ſimilitudine, & ex vnius peccati grauitate alterius peccati malitiam redarguunt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſemper ſit illicitum pro Sacramentis pecuniam dare?

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd nō ſemper ſit illicitum pro Sacramentis pecuniam dare. Baptiſmus enim eſt ianua Sacramentorum, vt in tertia parte dicetur. Sed licet (vt videtur) in aliquo caſu dare pecuniam pro Baptiſmo: putà, quando Sacerdos puerum morientem ſine pretio baptizare non vellet. Ergo non ſemper eſt illicitum emere, vel vendere Sacramenta.

4. diſt. 25. q. 3. art. 2. quæſt. 1.

3. p. q. 68. art. 6.

2 ¶ Præterea. Maximum Sacramentorum eſt Euchariſtia, quæ in Miſſa conſecratur. Sed pro Miſſis cantandis aliqui Sacerdotes præbendam, vel pecuniá

accipiunt

accipiunt. Ergo licet multo magis alia ſacramenta emere vel vendere.

3 ¶ Præterea. Sacramentum pœnitentiæ eſt Sacramentum neceſsitatis, quod præcipuè in abſolutione conſiſtit. Sed quidam abſoluentes ab excommunicatione, pecuniam exigunt. Ergo non ſemper eſt illicitũ ſacramẽtum emere vel vendere.

4 ¶ Præterea, Conſuetudo facit, vt non ſit peccatum id quod aliàs peccatum eſſet, ſicut Aug. dicit, quòd habere plures vxores quãdo mos erat crimen non erat. Sed apud quoſdam eſt conſuetudo, quòd in conſecrationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinibus Clericorum, pro chriſmate vel oleo ſancto & alijs huiuſmodi, aliquid detur. Ergo videtur quòd hoc non ſit illicitum.

Lib. 22. cõtra Fauſtũ. c. 47. circa princ. to. 6.

Et habetur 23. q. 4. ca. Objiciũtur.

5 ¶ Præterea. Contingit quandoque quòd aliquis malitioſè impedit aliquem vel ab Epiſcopatu obtinendo, vel ab aliqua alia dignitate. Sed licet vnicuique redimere ſuã vexationem. Ergo licitum videtur in tali caſu pecuniam dare pro Epiſcopatu vel aliqua alia Eccleſiaſtica dignitate.

9 ¶ Præterea. Matrimonium eſt quoddam ſacramentum. Sed quandoque datur pecunia pro matrimonio. Ergo licitum eſt ſacramentum vendere.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur 1. q. 1. Qui pro pecunia quemquam conſecrauerit, alienus ſit à ſacerdotio.

1. q. 1. c. Qui pro pecunia.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſacramenta nouæ legis ſunt maximè ſpiritualia, in quantum ſunt cauſa ſpiritualis gratiæ, quæ pretio æſtimari non poteſt: & eius rationi repugnat quòd non gratuitò detur. Diſpenſantur autem ſacramenta per Eccleſiæ miniſtros, quos oportet à populo ſuſtentari, ſecundùm illud Apoſt. 1. ad Corin. 9. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt: & qui altario deſeruiunt, cum altario participant. Sic ergo dicendum eſt, quòd accipere pecuniam pro ſpirituali ſacramẽtorum gratia, eſt crimen ſimoniæ, quod nulla cõſuetudine poteſt excuſari: quia conſuetudo non præiudicat iuri naturali vel diuino. Per pecuniam autẽ intelligitur omne illud cuius pretium poteſt pecunia æſtimari: vt Philoſo. dicit in 3. Ethic. Accipere autem aliqua ad ſuſtentationem eorum qui ſacramenta Chriſti miniſtrant ſecũdum ordinationem Eccleſiæ, & conſuetudines approbatas, nõ eſt ſimonia, neque peccatum. Non enim ſumitur tanquam pretium mercedis, ſed tanquam ſtipẽdium neceſſitatis. Vnde ſup. illud 1. ad Tim. 5. Qui benè præſunt presbyteri, &c. dicit Gloſ. Aug. Accipiãt ſuſten-

Eſt Aug. li. de Paſtor. c. 2. circa finẽ to. 9.

ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedẽ diſpenſationis à Domino.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in caſu neceſſitatis quilibet poteſt baptizare. Et quia nullo modo eſt peccandũ, pro eodem eſt habendum ſi Sacerdos abſque pretio baptizare non velit, ac ſi non eſſet qui baptizaret. Vnde ille qui gerit curam pueri, in tali caſu licitè poteſt eũ baptizare, vel à quocunque alio facere baptizari. Poſſet tamen licitè aquam à Sacerdote emere: quæ eſt purum elementum corporale. Si autem eſſet adultus qui baptiſmum deſideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet ſine pretio baptizare, deberet, ſi poſſet, per aliũ baptizari. Quòd ſi non poſſet ad alium habere recurſum, nullo modo deberet pretium pro baptiſmo dare, ſed potiùs abſque baptiſmo decedere. Suppleretur enim ei ex baptiſmo flaminis, quod ei ex Sacramẽto deeſſet.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd Sacerdos non accipit pecuniam quaſi pretium conſecrationis Euchariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ. Hoc enim eſſet ſimoniacum. Sed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis, vt *In corp. ar.* dictum eſt.

¶ Ad tertium dicendum, quòd pecunia non exigitur ab eo, qui abſoluitur, quaſi pretium abſolutionis. Hoc enim eſſet ſimoniacum. Sed quaſi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excõmunicatus.

¶ Ad quartum dicẽdum, quòd ſicut dictum eſt, conſuetudo non præiudicat iuri naturali, vel diuino, quo ſimonia prohibetur. Et ideò ſi aliqua ex conſuetudine exigantur quaſi pretium rei ſpiritualis cum intentione emendi, vel vendendi, eſt manifeſtè ſimonia, & præcipuè ſi ab inuito exigantur. Si verò exigantur quaſi quædam ſtipẽdia per conſuetudinem approbata, non eſt ſimonia: ſi tamen deſit intentio emendi, vel vendendi, ſed intentio referatur ad ſolam conſuetudinis obſeruantiam, & præcipuè quando aliquis voluntariè ſoluit. In his tamen omnibus ſolicitè cauendum eſt, quod habet ſpeciem ſimoniæ, vel cupiditatis, ſecundùm illud Apo. 1. ad Theſ. vlt. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. *In corp. ar. & 1. 2. q. 97. art. 3.*

¶ Ad quintum dicẽdum, quòd antequam alicui acquiratur ius in Epiſcopatu, vel quacunque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel prouiſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet aduerſantium obſtacula pecunia redimere, ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam. Sed poſtquam ius alicui acquiſitum

ſitum eſt, licet per pecuniam iniuſta impedimenta remouere.

¶ Ad ſextum dicendum, quòd quidam dicunt quòd pro matrimonio licet pecuniam dare, quia in eo non confertur gratia. Sed hoc non eſt vſquequaque verũ, vt in tertia parte huius operis dicetur. Et ideò aliter dicendum eſt, quòd matrimonium non ſolùm eſt Eccleſiæ Sacramentum, ſed etiam naturæ officium. Et ideò dare pecuniam pro matrimonio, in quantum eſt naturæ officium, licitum eſt: in quantum verò eſt Eccleſiæ Sacramentum, eſt illicitum. Et ideò ſecundùm iura prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur.

Non cõpleuit morte præuentus.

Paraphraſis Articuli.

PRima concluſio eſt affirmatiua. Probatur. Sacramenta nouæ legis maximè ſpiritualia ſunt, in quantum ſunt cauſa ſpiritualis gratiæ, quæ pretio æſtimari non poteſt, & eius rationi repugnat quod non gratuitè detur: & hæc eſt præcipua ratio ſpiritualitatis in Sacramentis. Quinimò quamuis Sacramenta non eſſent cauſa gratiæ, & cõſiſtant in actionibus quibuſdam, & paſsionibus circa res materiales: nihilominus vt Sacramenta ſunt diuina, & ſupernaturalia dona; ſunt gratis data nobis à Chriſto eorum autore: & ideò D. Thomas in articulo prçcedenti ad ſextum, illa vocat ſecundùm ſe ſpiritualia. Caietanus verò verbo *ſimonia*. vocat compoſita ex materiali, & ſpirituali: in quibus ſpirituale præcipuum eſt, & quaſi formale, & ideò ſpiritualium retinent naturam, nam re vera ſpiritualia ſunt, & propter ſpiritualia inſtituta. Hæc etiam concluſio D. Tho. communis eſt omnibus Catholicis: & habetur ex iure Pontificio in multis locis ſuperius citatis.

Caietanus.

Secunda concluſio. Hoc ſimoniæ crimen, quod circa Sacramenta committitur, nulla conſuetudine excuſari poteſt. Probatur: quia conſuetudo non præiudicat iuri naturali, vel diuino, quo prohibetur Sacramentorum venditio, vt colligitur ex cap. *cùm in Eccleſiæ*. de ſimonia. Ab hac vniuerſali prohibitione vendendi Sacramẽta, exceperunt quidam Sacramentum matrimonij: quia (inquiunt) non confert gratiam. Ita ſenſit Gloſſa in cap. *cùm in Eccleſiæ*. de ſimonia, & Durandus in illam inclinat, Alẽſis 2.p.q.169.num.4.art.1.dubio 1. in fine. Nihilominus hæc ſententia abſurda eſt, & abſurdius, ac erroneum eius fundamentum, cùm in Concilio Tridentino ſeſsione 7. diffinitum ſit, omnia Sacramenta nouæ legis cauſare gratiam. Et ſeſsione 24. cano. 1. de matrimonio ſpecialiter diffinitur eſſe Sacramentum, & ex opere operato gratiam conferre. Vnde euidenter ſequitur, ſimoniam eſſe illud vendere. Ita docet D. Thomas in hoc articulo ad ſextum. Cuius tempore non erat ita certum matrimoniũ eſſe verum Sacramentum, & dare gratiam: & ideò ſolùm dicit contrariam ſententiam non eſſe vſquequaque veram. Modò verò ſicut de fide eſt matrimonium dare gratiã; ita etiam certiſsimum eſt eſſe materiam ſimoniæ. Ita omnes Thomiſtæ, & alij in 4. diſtinctione 25. & Canoniſtæ, ac Summiſtæ. Quare illa Gloſſa à iure Canonico abradenda eſſet ne aliquis ceſpitaret. Multi autem textus, quos allegat pro ſe Gloſſa nil tale dicunt, vt patebit legenti. Id verò quod in cap. *nuptiarum*. à Gloſſa allegato dicitur, in actu coniugali non adeſſe præſentiã Spiritus ſancti, nil ad rem: tùm, quia eſſentia matrimonij non conſiſtit in acceſſu carnali coniugum; tùm, quia licèt ſæpè actus ille fiat meritoriè; tamen ſæpiùs fit cum aliquo admixto veniali: & ideò dicitur ibi non adeſſe præſentiam Spiritus ſancti. Quod ad probandum non conferre gratiam matrimonij Sacramentum, ratio futilis eſt. Huic doctrinæ traditæ circa matrimonium aduerſatur vſus proborum, qui ſine vllo ſcrupulo, circa matrimonia celebrant multa pacta de pecunijs dandis. Reſpondent communiter Iuriſperiti in cap. *cùm in Eccleſijs*. & multi Theologi, tales pecuniæ dationes, aut pactiones non eſſe in pretium matrimonij; ſed in dotem neceſſariam ad onerã matrimonij ſuſtentãda.

Gloſſa. Durand. Alenſis.

Conc. Trid.

D. Thom.

Bona

Bona reſponſio quantum ad contractus dotales; ſed difficultatem non exhaurit. Nã multi contractus non dotales fiunt pro matrimonijs ineundis, qui non videtur poſſe excuſari à venditione, & emptione matrimonij. V.g. contrahere cupientes non ſunt æquales in nobilitate, vel alijs: illa inæqualitas per pecuniam reducitur ad æqualitatem, etiamſi adſit aliàs competens dos. Itẽ, ſi ſic vnus coniugum dicat: contraham tecũ ſi rem talem mihi donaueris: qui cõtractus videtur approbatus in c. *ex illis.* de conditionibus appoſitis. Reſponſio legitima eſt quã adhibet D. Tho. in præfata ſoluti. ad 6. dicens, matrimonium nõ ſolùm eſſe Sacramentum, ſed etiam naturę officium. Et licèt pro Sacramento non poſsit dari: pro matrimonio, vt eſt officium naturæ, licitũ eſt pecuniam dare. Sub illo vocabulo *officium naturæ*, cõprehendit omnia, quæ citra dotẽ, contractum, vt naturalis eſt, circunſtare ſolent: cuiuſmodi eſt per pecuniam procurare conſenſum alterius, & dare aliquid, vel parentibus copulandorum, vt conſentiant, vel paranymphis vt illum procurent: quia hæc omnia immediatè ad contractum, & officium naturæ ordinantur, quod temporale eſt, & quaſi pro materiali matrimonio, vt Sacramentum eſt ſubſternitur.

D. Thom.

Tertia cõcluſio D. Tho. Licitum eſt diſpenſatoribus Sacramentorum pecuniã accipere ad ſui ſuſtentationem, ſecundùm ordinationem Eccleſiæ, & conſuetudines approbatas. Et aduerte, nomine ſuſtentationis, vt notauit Caietanus, non tantùm intelligitur cibus, & potus, ſed quidquid neceſſarium eſt ad victum, & veſtitum ſui, & eorum quorum ſibi cura incumbit. Hæc de litera articuli ſecundi, cui volo annectere articulum tertium, & quartum, quia ferè eadẽ doctrina eſt, & diſputationes circa illos communes ſunt, ne eadem bis repetamus.

Caietan.

ARTICVLVS III.

Vtrùm liceat dare, & accipere pecuniã pro ſpiritualibus actibus?

q. 4. d. 25. q. 3. ar. 2. q. 2. & quodl. 8. ar. 11.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd licitum ſit dare, & accipere pecuniam pro ſpiritualibus actibus. Vſus enim prophetiæ eſt ſpiritualis actus. Sed pro vſu prophetiæ olim aliquid dabatur, vt patet 1. Reg. 9. & 3. Reg. 13. Ergo videtur quod liceat dare, & accipere pecuniam pro actu ſpirituali.

¶ 2 Præterea Oratio, prædicatio, laus diuina, ſunt actus maximè ſpirituales. Sed ad impetrandum orationum ſuffragia, pecunia datur ſanctis viris, ſecundùm illud Lucæ. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Prædicatoribus etiam ſpiritualia ſeminantibus temporalia debentur, ſecundùm Apoſt. 1. ad Corin. 9. Celebrantibus etiam diuinas laudes in Eccleſiaſtico officio, & proceſſiones facientibus, aliquid datur: & quandoque annui reddítus ad hoc aſſignantur. Ergo licitum eſt pro ſpiritualibus actibus accipere aliquid.

¶ 3 Præterea. Scientia non eſt minus ſpiritualis quã poteſtas. Sed pro vſu ſcientiæ licet pecuniam accipere: ſicut aduocato licet vendere iuſtum patrocinium, & medico conſilium ſanitatis, & magiſtro officium doctrinæ. Ergo pari ratione videtur quòd liceat Prælato aliquid accipere pro vſu ſpiritualis ſuæ poteſtatis: putà pro correctione, vel diſpenſatione, vel aliquo huiuſmodi.

¶ 4 Præterea. Religio eſt ſtatus ſpiritualis perfectionis. Sed in aliqui-

aliquibus Monasterijs aliquid ab his qui recipiuntur, exigitur. Ergo licet pro spiritualibus aliquid exigere.

1.q.1.cap. Quicquid. ¶ SED CONTRA est, quòd dicitur 1.q.1. Quicquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur, nunquam quæstibus vel quibuslibet præmijs venundari penitus debet. Sed omnia huiusmodi spiritualia per inuisibilem gratiam tribuuntur. Ergo non licet ea quæstibus vel præmijs venundare.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd sicut sacramenta dicuntur spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam, ita etiam quædam alia dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedũt, & ad eam disponunt: quę tamen per hominum ministerium exhibẽtur, quos oportet à populo sustentari, cui spiritualia administrant: secundùm illud primæ ad Corint. 9. Quis militat suis stipendijs vnquã? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Et ideò vendere quod spirituale est, in huiusmodi actibus, aut emere, simoniacum est. Sed accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundùm ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, licitum est: ita tamen quòd desit intentio emptionis vel venditionis: & quòd ab inuitis non exigatur per spiritualiũ substractionẽ quę sunt exhibẽda. Hoc enim haberet quandam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licitè possunt statutæ & consuetæ oblationes, & quicunque alij prouentus, exigi à nolentibus & valentibus soluere, autoritate superioris interueniente.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sicut Hier. dicit super Michæã: munera quædam sponte exhibebãtur bonis prophetis ad sustentationẽ ipsorũ, non quasi ad emendum prophetiæ vsum: quem tamen pseudoprophetæ retorquebãt ad quęstum. *post med. cõmentarij ad 3. cap. Michææ to. 9.*

¶ Ad secundum dicendum, quòd illi qui dant eleemosynas pauperibus, vt orationũ ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dãt quasi intendentes orationes emere. Sed per gratuitam beneficentiam, pauperum animos prouocãt ad hoc, quòd pro eis gratis, & ex charitate orent. Prædicantibus etiam tẽporalia debentur, ad sustentationem prædicantium: non autem ad emendum prædicationis verbum. Vnde super illud 1. ad Timoth. 5. Qui benè præsunt presbyteri, &c. dicit glos. Necessitatis est accipere vnde viuitur, charitatis est præbere: non tamen venale est Euangelium, vt pro his prædicetur. Si enim sic vendũt magnam rem vili *Et Aug. in li. de Pastore c. 2. non lõge à fin. t.*

vili vendunt pretio. Similiter etiam aliqua temporalia dãtur Deum laudantibus in celebratione Eccleſiaſtici officij, ſiue pro viuis ſiue pro mortuis, non quaſi pretium, ſed quaſi ſuſtentationis ſtipendium. Et eo etiã tenore pro proceſsionibus faciendis in aliquo funere, aliquæ eleemoſynæ recipiuntur. Si autem huiuſmodi pacto interueniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis vel venditionis, ſimonia eſſet. Vnde illicita eſſet ordinatio, ſi in aliqua Eccleſia ſtatueretur, quod non fieret proceſsio in funere alicuius, niſi ſolueret certam pecuniæ quantitatem: quia per tale ſtatutum prę cluderetur via gratis officiũ pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita eſſet ordinatio, ſi ſtatueretur quòd omnibus certam eleemoſynam dãtibus talis honor exhiberetur: quia per hoc non præcluderetur via alijs exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet ſpeciem exactionis. Secunda autem habet ſpeciem gratuitæ recompenſationis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ille cui committitur ſpiritualis poteſtas, ex officio obligatur ad vſum poteſtatis ſibi commiſſæ in ſpiritualium diſpenſatione: & etiam pro ſua ſuſtentatione ſtatuta ſtipendia habet ex reddit ibus Eccleſiæ. Et ideò ſi aliquid acciperet pro vſu ſpiritualis poteſtatis, non intelligeretur locare operas ſuas, quas ex debito ſuſcepti officij debet impendere, ſed intelligeretur vendere ipſum ſpiritualis gratiæ vſum. Et propter hoc non licet pro quacũque diſpenſatione aliquid accipere. Nec etiam pro hoc quòd vices ſuas committant, nec etiã pro hoc quod ſubditos ſuos corrigant, vel à corrigendo deſiſtant. Licet tamen eis accipere procurationes, quando ſubditos viſitant: nõ quaſi pretium correctionis, ſed quaſi debitum ſtipendium. Ille autem qui habet ſcientiam, & non ſuſcipit cum hoc officium ex quo obligetur alijs vſum ſcientiæ impendere, licitè poteſt pretium ſuæ doctrinæ, vel conſilij accipere: non quaſi veritatem, aut ſcientiam vendens, ſed quaſi operas ſuas locans. Si autem ex officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipſam vendere veritatem, vnde grauiter peccaret. Sicut patet in illis, qui inſtituuntur in aliquibus Eccleſijs ad docendum clericos Eccleſiæ, & alios pauperes, pro quo ab Eccleſia beneficium recipiunt: à quibus non licet eis aliquid recipere, nec ad hoc quod doceant, nec ad hoc quòd aliqua feſta faciant, vel prætermittant.

¶ Ad quartum dicendũ, quòd pro ingreſſu Monaſterij non licet aliquid exigere, vel acci-

pere quasi pretium. Licet tamẽ, A si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterij exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc nõ sufficiant monasterij opes. Similiter etiam licitum est si propter deuotionem, quam aliquis ad B monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est aliquem è cõuerso prouocare ad deuotionẽ monasterij per temporalia beneficia, vt ex hoc inclinetur ad monasterij ingressum, licèt nõ sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere, pro ingressu C monasterij: vt habetur 1. quæs. 2. cap. Quàm pio.

1.q. 2. cap. Quàm pio,

Summa Articuli.

PRima conclusio est negatiua. Probatur: quia huiusmodi dicuntur, & sunt spiritualia, quia ab spirituali gratia procedunt, & ad eam disponunt. Secunda conclusio. Licitum est dare, & accipere pecuniam pro sustentatione ministrantium hæc spiritualia, modo absit intentio emendi, aut vendendi has res spirituales, & quòd ab inuitis non exigantur per spiritualium substractionem. Probatur, quia cum hæc ministerio hominum exhibeantur; necesse est eos à populo sustentari, cui spiritualia ministrant, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 9. *Quis militat suis stipendijs vnquam?* *1. Corin. 9.* *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Tertia conclusio. Postquam gratis sunt exhibita spiritualia; licitè possunt exigi consueta stipendia à nollentibus, sed valentibus soluere, auctoritate superioris interueniente.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm sit licitum pecuniam accipere pro his, quæ sunt spiritualibus annexa?

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd licitum sit pecuniam accipere pro his, quæ sunt spiritualibus annexa. Omnia enim temporalia videntur spiritualibus esse annexa, quia temporalia sunt propter spiritualia quærẽda. Si ergo non licet vendere ea, quæ sunt spiritualibus annexa: nihil temporale vẽdere licebit, quod patet esse falsum. *Sup. art. 1. ad 6. Et 4. dist. 25. q. 3. ar. 2. q. 3.*

2 ¶ Præterea. Nihil videtur magis esse spiritualibus annexum quàm vasa consecrata. Sed calicem licet vendere pro redemptione captiuorum, vt Amb. dicit. Ergo licitum est vendere ea quæ sunt spiritualibus annexa. *Li. 2. de offic. c. 28. to. 1. Et habetur 12. q. 2. c. Aurum.*

3 ¶ Præterea. Spiritualibus annexa dicuntur ius sepulturę, ius patronatus, & ius primogenitu ræ secundũ antiquos (quia primogeniti ante legẽ Sacerdotis officio fungebãtur) & etiam ius accipiẽdi decimas. Sed Abrahã emit ab Ephron speluncã dupli cẽ in sepulturã, vt habetur Gen. 23. Iacob autem emit ab Esau ius primogenituræ, vt habetur Gene. 25. Ius etiam patronatus transit

tranſit cum re vendita, & in feudum conceditur. Decimæ etiã conceſſæ ſunt quibuſdam militibus, & redimi poſſunt. Prælati etiam interdum retinent ſibi ad tempus fructus præbendarum, quas conferunt, cùm tamen præbendæ ſint ſpiritualibus annexæ. Ergo licet emere, & vendere ea quę ſunt ſpiritualibus annexa.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicit Paſchalis Papa: & habetur 1. quæſt. 3. cap. ſi quis obiecerit. Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditũ derelinquit. Nullus ergo emat Eccleſiam, vel prębendam, vel aliquod Eccleſiaſticum.

1.q.1.cap. Si quis obiecerit.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd aliquid poteſt eſſe annexum ſpiritualibus dupliciter. Vno modo, ſicut ex ſpiritualibus dependens, ſicut habere beneficia Eccleſiaſtica, dicitur ſpiritualibus annexum: quia non competit niſi habenti officium clericale. Vnde huiuſmodi nullo modo poſſunt eſſe ſine ſpiritualibus. Et propter hoc ea nullo modo vendere licet: quia eis venditis intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubijci. Quædam autem ſunt annexa ſpiritualibus, in quantũ ad ſpiritualia ordinantur: ſicut ius patronatus, quod ordinatur ad pręſentandũ Clericos ad Eccleſiaſtica beneficia: & vaſa ſacra, quæ ordinãtur ad Sacramentorum vſum: vnde hũ iuſmodi non pręſupponunt ſpiritualia, ſed magis ea ordine tẽporis præcedũt. Et ideò aliquo modo vendi poſſunt, non autẽ in quantum ſunt ſpiritualibus annexa.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd omnia temporalia annectuntur ſpiritualibus ſicut fini. Et ideò ipſa quidem temporalia vendere licet, ſed ordo eorum ad ſpiritualia ſub vẽditione cadere non debet.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd etiam vaſa ſacra ſunt ſpiritualibus annexa, ſicut fini: & ideò eorum conſecratio vendi non debet. Tamen pro neceſſitate Eccleſiæ, & pauperum, materia eorum vendi poteſt, dummodo præmiſſa oratione prius confringantur: quia poſt confractionem non intelliguntur eſſe vaſa ſacra, ſed purũ metallum. Vnde ſi ex eadem materia ſimilia vaſa iterum integrarentur, indigerent iterum conſecrari.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſpelunca duplex quam Abrahã emit in ſepulturam, non habetur quòd erat terra conſecrata ad ſepeliendum: & ideò licebat Abrahę terram illam emere ad vſum ſepulturæ, vt ibi inſtitueret ſepulchrum: ſicut etiam nunc liceret emere aliquem agrum communem ad inſtituẽ-

dum ibi cœmiterium, vel etiam Ecclesiam. Tamen quia apud Gentiles loca sepulturæ deputata, religiosa reputabantur, si Ephron pro loco sepulturæ intendit pretium accipere, peccauit vendens: licèt Abraham non peccauerit emens, quia nõ intendebat emere nisi terram communem. Licet enim etiam nunc terram vbi quõdam fuit Ecclesia, vendere aut emere in casu necessitatis, sicut & de materia sacrorum vasorum dictũ est. Vel excusatur Abrahã, quia in hoc redemit suam vexationem. Quamuis enim Ephron gratis ei sepulturam offerret, perpendit tamen Abrahã, quòd gratis recipere sine eius offensa non posset.

In solutio. præce. arg.

¶ Ius autem primogenituræ debebatur Iacob ex diuina electione: secundũ illud Malac. 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et ideò Esau peccauit primogenita vendens: Iacob autem nõ peccauit emendo, quia intelligitur suam vexationem redemisse. Ius autẽ patronatus per se vendi non potest, nec in feudum dari, sed transit cũ villa quæ venditur, vel cõceditur. Ius autem spirituale accipiendi decimas non conceditur laicis, sed tantummodo res temporales quæ nomine decimæ dãtur, vt supradictum est. Circa collationem verò beneficiorũ sciendum est, quòd si Episcopus antequam beneficium alicui cõferat, ob aliquam causam ordinauerit aliquid subtrahendum de fructibus beneficij cõferendi, & in pios vsus expendendũ, non est illicitum. Si verò ab eo cui beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficij, idẽ est ac si aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio simoniæ.

Q. 88. ar. 3.

Summa Articuli.

SVpposita distinctione, aliquid corporale posse esse annexum spiritualibus dupliciter; vno modo sicut ex spiritualibus dependens, id est, quod sine spiritualibus haberi nõ potest, cuiusmodi sunt beneficia Ecclesiastica, quæ non competunt, nisi habenti officium clericale: alia verò sunt corporalia spiritualibus annexa, & colligata, in quantum ad spiritualia ordinãtur, vt ius patronatus, quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad officia Ecclesiastica, & vasa sacra, quę ordinantur ad Sacramentorum vsum: hac supposita distinctione. Prima conclusio est. Vitium simoniæ est pretium accipere, aut dare, pro his quæ spiritualibus annexa sunt consequenter. Probatur: quia cùm non possint esse sine spiritualibus; eis venditis, etiam spiritualia intelliguntur venditioni subijci, vt dicitur in cap. *si quis obiecerit.* 1. quæstione 3. Secunda conclusio. Licitum est aliquo modo vendere ea, quæ spiritualibus sunt annexa antecedenter. Probatur. Huiusmodi non præsupponunt spiritualia; sed magis ea ordine temporis præcedunt: ergo secundùm esse quod ante annexum habebant, vendi possunt, ac emi. Dicitur verò in conclusione, aliquo modo, propter id quod statim subdit sanctus Doctor, & explicat in solutione ad primum, & secundum, ea nõ posse vendi in quantum spiritualibus sunt annexa; quia sic ordo ille, & annexio ad spiritualia venderetur, vel certè esset ratio venditionis. Sed nunc circa secundi articuli primam conclusionem, & solutionem ad primum sequitur

DISP.

DISPVTATIO I.

Vtrùm vrgente indigentia Sacramenti, poſsit emi ab eo qui non vult illud niſi accepto pretio miniſtrare?

DE qua re ſunt variæ ſententiæ. Prima negatiua aſſerentiũ non licere, quantumuis vrgeat neceſſitas ſpiritualis, etiam extrema; qualis eſſet in puero moribundo, qui non poteſt niſi per baptiſmum ſaluari: & parentes vel trunci manibus ſunt, vel neſciunt baptizare, aut aquam non habent, nec poſſunt petere niſi ab vno miniſtro qui ſolus aquam habet, & illam non vult vendere, nec baptizare paruulũ niſi pretio accepto. Aſſerunt ergo iſtius ſententiæ patroni, in hoc & ſimilibus caſibus neutiquam licere dare pecuniam petenti vt baptizet. Ita D. Tho. videtur ſentire in art. 2. huius quæſtionis ad 1. & in 4. diſtinct. 5. quæſtione 2. articulo 2. quæſtiuncula 5. ad ſecundum. & diſtinctione 25. quæſtione 3. artic. 2. quæſtiuncula 1. ad tertium. Aragonius in Commentarijs circa art. 2. quæſtionis 100. Alenſis 2. parte, quæſt. 169. memb. 3. art. 1. dub. 2 Palud. in 4. diſt. 5. quæſt. 3. num. 17. Turrecremata cap. *gratia.* 1. quæſt. 1. Sylueſter verbo *ſimonia.* quæſt. 8. & Gloſſa in c. *baptizandis.* & adijcit ridiculè: *ſed ego darem pretium pro meo paruulo, & benè facerem, licèt non deberẽ facere.* Videte conſequentiã verborum. Probatur hęc ſententia primò, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona, ad Romanos 3. ſed emere ſacramentum intrinſecè malum eſt, & ſimoniacum, vt pote iure naturali & diuino prohibitum, vt oſtẽdimus: ergo emptio rerum ſpiritualium, nõ minus mala eſt quàm venditio. Sed venditio in nullo caſu licita eſt: ergo neq; emptio. Dices: non emitur ſacramentum data pecunia, ſed vexatio redimitur. Cõtrà ſecũdò, quia illa vexatio conſiſtit in negatione baptiſmi debiti: ergo ablatio vexationis ex parte miniſtri, nil aliud eſt quam cõferre baptiſmum: ergo redimere vexationẽ nil aliud eſt quam emere baptiſmum vt ceſſet vexatio. Emptio autẽ baptiſmi, vt pote intrinſecè mala, non eſt mediũ ordinabile ad aliquem finem quantumuis pium. Explicatur vis argumenti à ſimili: dare pecuniam iniquo iudici, volenti iniuſtam contra me ferre ſententiam, eſt emere ſententiam ab illo. Dare pecuniam Epiſcopo, vt conferat beneficium quod aliàs ex iuſtitia tenebatur dare, ſed iniuſtè negat, ſimonia eſt: ergo pari ratione dicendũ de iniuſtè negante baptiſmum, volente autem dare accepto pretio. Confirmatur: quia ſi illa pretij perſolutio non debet dici Sacramenti emptio, ſed vexationis redemptio; licita eſſet non ſolùm in extrema aut graui neceſſitate, verùm etiam in quacunque, & quotieſcumque quis pateretur vexationem ab iniquo miniſtro cuiuſuis Sacramẽti: quia ea ſolutio pretij diceretur vexationis redẽptio, quæ licita eſt, non minus quàm quæcumque iniuriæ propulſatio: imò & licita eſſet in omnibus ſpiritualibus, & beneficijs; quod ſi cõcedas, aperis viam in numeris ſimoniæ criminibus. Confirmatur ſecundò. Sequitur non ſolùm pro baptizando paruulo moribundo, verũ etiam pro adulto mortis vicino, licere dare pretium. Conſequens eſt contra ferè omnes Doctores: ergo. Probatur ſequela, nam fieri poteſt, vt adultus ille attritus tantùm ſit, ac ſubinde ſi baptizetur ſaluus erit, ſin autem condemnabitur. Rurſus etiamſi contritus ſit, ſi baptizetur effugiet Purgatorij pœnas; ſi autẽ nõ baptizetur, nõ ſemper effugiet; quia cõtritio nõ ſemper eas delet. Grauiſsima eſt autem hęc neceſsitas, propter quam effugiendã licebit dato pretio vexationẽ redimere, ſi illa collatio pretij poteſt habere rationẽ redẽptionis à vexatione, & nõ eſt dicẽda emptio ſacramẽti. Tertiò. Non licet vexationẽ redimere ab eo, qui iure prodeſſe poteſt ſpirituale conferendo: quamuis liceat ab alijs qui obeſſe tãtùm poſſunt. Et hoc eſt quod dicitur agentes de beneficiorum datione: non licere ante ius acquiſitum in re, redimere vexationem ad obtinendum illud abeo qui collaturus eſt, etiamſi ſupponatur ius ad rẽ: ſed ad ſummum eſt licitum remouere eum qui poteſt obeſſe, vt ceſſet ab impediendo. Quare licitum eſt poſsidenti beneficium, dare pecuniam his qui eum à poſſeſſione perturbant, ad redimendum vexationem. Tamen ante beneficium acquiſitum, ſimonia eſt dare pecuniam iniquo Epiſcopo nollenti confirmare electionem, aut conferre beneficium, quod tenebatur conferre: quia ad illud tantùm habetur ius quod dicitur ad rem, & non ius in re; & talis Epiſcopus poteſt prodeſſe. Sed in caſu

D. Thom.

Aragon. Alenſis.

Paludan. Turrecr. Syluester. Gloſſa.

Roman. 3.

noſtræ diſputationis, baptizandus tantùm ius habet ad baptiſmum, non in baptiſmo: & non agitur de tollendo impedimento, ſed de obtinendo baptiſmo ab eo, qui collaturus erat. Ergo non eſt licita redemptio vexationis: ſed potiùs dicenda eſt vera emptio baptiſmi. Hoc argumentum eſt Paludani vbi ſupra. *Paludan.*

Secunda ſententia affirmat, licitum eſſe dare pecuniam nollenti baptizare puerum iam iam morientem, vt illum baptizet: non verò nec pro ſe adulto, neque pro alio adulto. Ratio diſcriminis eſt, quia paruulus eſt in extrema neceſsitate baptiſmi, quo ſi careat condemnabitur: & ideò talis collatio pretij, non eſt dicenda emptio baptiſmi, ſed vexationis pernicioſiſsimæ redemptio, & remotio iniuſti impedimenti, orti ex malitia, & praua volũtate nollentis baptizare, quãdo nõ reperitur aliquis qui illum baptizet. At verò adultus, non inuenitur in neceſsitate abſoluta ſalutis: quia per contritionem, & baptiſmum flaminis poteſt ſaluari. Hanc ſententiam expreſsè docuerunt Gloſſa in cap. *baptizandus.* 1. q. 1. & ibi Archidiac. & Dominicus. Idem tenet Panormitanus in cap. *cùm in Eccleſiæ.* n. 5. & ibi alij multi. Ex Theologis, Caietanus in hac q. art. 2. & alij innumeri illam inſinuãt. Et in illã declinant ex Summiſtis, Angelus *ſimonia.* 2. n. 12. Tabiena n. 29. Hæc ſententia, quod attinet ad baptiſmũ adulti, eiſdem innititur fundamẽtis quibus prima. Quoad baptiſmum verò paruuli, diſcedit ab ea: quia putat extremam illam neceſsitatem paruuli efficere, vt illa pecuniæ datio non ſit emptio baptiſmi, ſed vexationis redemptio.

Gloſſa. Archidia. Dominic. Panorm. Caietan. Angelus. Tabiena.

Sotus.

Tertia ſentẽ. eſt ſapientiſsimi Soti li. 9. de iuſt. q. 6. art. 1. qui licèt cõueniat in aſſertione ſecundæ ſententiæ, & diſtinctione inter paruuli, & adulti neceſsitatẽ: tamen conuictus argumẽtis pro prima ſentẽtia, eo quòd non valet penetrare quomodò illa oblatio pretij nõ ſit emptio Sacramẽti; alia via pergit dicens, in eo caſu de paruulo baptiſmo extremè indigẽte, licere pecuniã dare, quia tunc licet Sacramentũ emere: quæ emptio nunquã licet, niſi in extrema neceſsitate. Et ſi obijcias, emptionẽ Sacramẽti eſſe intrinſecè malam, nõ verò emptionem. Declarat exemplo vſuræ: in qua vendere mutuũ, intrinſecè malũ eſt; non verò emere. Et ſubdit, monens exemplum non eſſe omninò ſimile. Nam ſoluere vſuras, licitũ eſt extra neceſsitatem extremã: at emere Sacramentum, nõ niſi in extrema. Quia, inquit, maior cautio adhibẽda eſt in ſpiritualibus: & ideò dumtaxat in extrema neceſsitate permittitur emptio, ne pretium offerens conſentire in alterius crimẽ videatur. Et adiuuatur hæc Soti ſententia: nam malitia venditionis, & emptionis ſimoniacæ in hoc ſita eſt, quia per eam irreuerẽter tractãtur ſpiritualia, & Deus qui eſt earũ dominus, vt ſupra oſtẽdimus. Sed quando in extrema neceſsitate, putà ne paruulus pereat, baptiſmus emitur; nulla irrogatur iniuria Deo, gratiaq́; baptiſmalis nõ tractatur irreuerẽter: ergo licita eſt talis emptio. Explicatur minor: quia tunc meritò præſumitur, Deũ emẽti dediſſe hãc facultatẽ, vel ſaltem non renuere, vt habeat baptiſmũ eo modo quo potuerit, cũ propterea inſtituerit Sacramẽta, vt per eorũ gratiã ſaluentur homines. Quare epicheia docere videtur, nõ eſſe illam emptionẽ in caſu illo cõtra voluntatem Dei, & in eius iniuriã. Item ex parte Sacramenti; & gratiæ ſacramentalis ceſſat irreuerẽtia ex parte emẽtis, quia nõ procedit ex irreuerẽtia, aut vili æſtimatione; ſed potiùs ex veneratione baptiſmi, & ingẽti æſtimatione gratiæ, ſine qua credit neminẽ ſaluari poſſe: & ideò emit ne priuetur tãto dono. Cõfir. ex his quæ docuimus diſp. vlt. circa 1. art. Deũ poſſe tali modo donare hominibus gratiã, vt nõ eſſet peccatũ emere, aut vendere eã, quia mutaretur materia præcepti. Ergo cũ in emptione baptiſmi, propter inſtantẽ extremam neceſsitatẽ, præſumatur ex Dei benignitate quodã modo mutari materiã emptionis, ex irreuerenti in reuerentẽ propter extremã neceſsitatẽ, vt modò explicabamus: non mirũ emptionẽ Sacramẽti fieri licitam, quæ aliàs illicita eſſet. Secùs de venditione, in qua non procedit ratio allata: tùm, quia nõ poteſt occurrere cauſa, vel neceſsitas, quæ in venditione talẽ præſumptionẽ ex parte Dei inducat; nec fingi caſus, in quo Deus talẽ licẽtiam dediſſe credatur. Hãc rationẽ inſinuat Sotus in loco cit. Quę etiã à ſimili cõfirmari ſecũdò poteſt. Furtũ intrinſecè malũ eſt; & tamen in extrema neceſsitate licitum eſt accipere alienũ inuito domino: vel quia tũc nõ eſt rationabiliter inuitus; vel quiatũc res cõmunis eſt, non aliena. Ita etiã dici poteſt, emptionẽ Sacramenti eſſe intrinſecè malã: at in extrema neceſsitate baptiſmi, materia emptionis ex Dei benignitate præſumitur eſſe mutata, & malitia irreuerentiæ ablata; quare tũc licita erit. Secùs in neceſsitatibus non extremis, in quibus nõ videtur haberi talem præſumptionẽ: & ideò non extendẽ-

Sotus.

dam

dam ad neceſsitatē baptiſmi quā adultus patitur, quia poteſt ſaluari per baptiſmū flaminis: quòd ſi ipſo caret, ſua culpa eſt, & ſibi imputet. Certè opinio hæc ſic explicata, non eſt tam contemnenda, vt quidam putant. Sed de hoc citò dicemus.

Quarta ſententia, quæ cenſet licitū eſſe in caſu poſito de neceſsitate baptiſmi, præfato iniquo miniſtro pecuniā offerre, non ſolū pro paruulo baptizando, verū & pro adulto: nō quidem in pretiū Sacramēti; ſed pro redimenda vexatione, id eſt, vt remoueatur impedimentū prauæ voluntatis, & auaritiæ iniqui baptizatoris. Hanc tuentur
Alb. Mag. ſententiā Albertus Mag. in 4. diſt. 5. ar. 1. ad
Adrian. finem, Adria. quodl. 9. ar. 3. ad 2. confirmationē tertij argumenti: & ex modernis D.
Pegna. Tho. diſcipulis multi, Pegna, Orellana, Sua
Orellana. rez lib. 4. de ſimonia c. 12. Prob. hęc ſentēt.
Suarez. primò. In alijs rebus ſpiritualibus licita eſt redēptio vexationis, vt in progreſſu patebit; cur ergo nō in Sacramentis? Secundò: poſtius acquiſitū, licitum eſt in ſpiritualibus redimere vexationē, vt docet
D. Thom. D. Tho. in art. 2. ad 5. Sed tā paruulus quàm adultus habēt acquiſitū ius, vt in neceſsitate cōferatur eis baptiſmus: ergo. Tertiò. Licet in caſu poſito, Sacerdotē qui nollet baptizare indigentē baptiſmo, minis cogere vt baptizet;
Adrian. ergo pretio dato id ipſum licebit. Adrianus vbi ſup. miratur, quomodo D. Thom. & alij Theologi, cùm admittant antecedens huius argumenti, nō concedant libenter conſeq. Quartò. Ex datione pretij in hoc caſu, non ſequitur Sacramenti emptio: nā talis datio, non eſt emptio Sacramenti ex intentione offerentis, vel dantis pretiū. Supponimus enim eū qui offert, odio habere Sacramēti emptionem. Neque rurſus eſt Sacramenti emptio ex natura ipſius dationis, ſeu oblationis, ſiquidē illa pecuniæ oblatio ex natura ſua referri poteſt ad tollendū impedimentū baptiſmi cōferendi: putà ad explēdam Sacerdotis auaritiā, vel fortè ad odium mitigandū. Quodſi nō eſt Sacramenti emptio, ſed ſolū vexationis redemptio, haud dubiū quin licita erit in extrema neceſsitate. Cōfirm. Non eſt illicitum dare pecuniā pro ſacra Euchariſtia, hæreticis volentibus illam cōculcare, aut comburere, vt patet ex vſu Catholicorū, degentiū apud hæreticos, vel Iudæos: quæ datio, redēptio vexationis dicenda eſt, nō emptio Sacramenti: cur ergo eodē nomine non vocabitur datio eiuſdem pecuniæ, iniquo miniſtro nollenti dare niſi acceptis numis? Vlti. Tali oblatione A pretij, Sacerdos iniquus paratus eſt vēdere Sacramentū contra religionem: & ſi nō datur pretiū, peccaret grauiſsimè cōtra charitatē, non baptizando puerū moribundum. At licitū eſt auocare à maiori malo, & inducere ad minus malum eū, qui ad vtrunque paratus eſt: ergo illa oblatio pecuniæ nō eſt emptio Sacramenti, ſed charitatis opus: vel potiùs donatio liberalis, quæ oritur ex affectu miſericordiæ, qua is qui offert pecuniā miſeretur paruuli, ne pereat in æternum.

Res hęc difficilis eſt propter Autorū diuerſa ſentientium multitudinem. Nos verò pro noſtra exili dicemus quid ſentimus. Et à certioribus incipiendo, prima aſſertio ſit. B Emptio Sacramentorū, & cuiuſcunque rei ſpiritualis, & ſupernaturalis, eſt intrinſecè mala ex obiecto; nō minùs quāvēditio. Itaque quantūuis fingas grauiſsimā, aut extremam neceſsitatē; nunquā poteſt eſſe licita. Hæc aſſertio eſt cōtra ſapientiſsimū Sotū. Cuius opinio licèt dicatur fuiſſe victoriæ; tamen vſque ad eorū tempora inaudita eſt. Et noſtra aſſertio eſt communis omnibus Theologis, & Iuriſperitis, id deſumentibus ex iure Canonico: quod æquè dānat emptionē, ac venditionem rerū ſpiritualium. Et rationes allatæ à D. Tho. in 1. art. ad probādā deformitatē ſimoniæ ex iure naturę inſitā; æquè probant de emptione, & vēditione: vt patebit attentè cōſideranti. C Secundò prob. ex facto Simonis Magi, dānato à D. Petro, nō quia vendidit, ſed quia emere volebat, vt notauit Chryſo. hom. 13. in Marc. *Chryſoſt.* Reſpōdet Sotus, Simonē voluiſſe emere vt vēderet: quod licèt veroſimile ſit, & fortaſſe ita fuerit; id tamen non habetur in ſacra Scriptura expreſſum. Et eſtò haberetur, inde nos colligemus argumentū pro noſtra aſſertione. Nā omnis emptio, ſuapte natura ſecum fert poſſe vēdere rem emptā: ſed vēditio rei ſpiritualis nunquā licita eſt: ergo neq; emptio. Tertiò: ſi emptio rerū ſpiritualiū nō eſt intrinſecè mala: ergo non ſolū in extrema neceſsitate paruuli, ſed etiā in grauiſsima adulti, licita erit. Nā ea quæ nō ſunt intrinſecè mala, honeſtari poſſunt, & ſolēt ex grauiſsimis, & neceſſarijs cauſis, etiamſi extrema neceſsitas nō intercedat. Reſpondet Sotus, in ſpiritualibus eſſe maiorem cautionem adhibendā, ne videamur in alterius ſimoniam conſentire. Hæc reſponſio non euacuat vim rationis noſtræ, qui agimus nō de eo quod apparere poteſt hominibus; ſed de exiſtentia coram Deo, qui non attēdit ad ſuſpicionem, ſed ad veritatem: iuxta

quam, ſi emptio Sacramenti non eſt intrin A teriam emptionis; quinimò retorquetur ar-
ſecè mala, haud dubium quin honeſtè exer gumentū contra ipſum: nam obiectū em-
ceri poterit in grauiſsima neceſsitate, qualis ptionis in illo caſu manet immutatū: ſed an-
eſt illa quæ fingitur in adulto indigente ba te extremā neceſsitatem conturbat intrin-
ptiſmo. Ad illud ſimile de vſura, reſponde- ſecam malitiam: ergo etiam poſt caſum ex-
tur eſſe omninò diſsimile: quia in vſura nō tremæ neceſsitatis. Aſſerere autem Deū cu-
oritur malitia ex aliqua excellentia mutui, pidū ſalutis humanæ, in caſu noſtræ diſpu-
ſed quia nullius pretij eſt; & conſequen- tationis interpretatiuè diſpenſaſſe, & ſine
ter pro illo pretium accipere, iniuſtitia eſt fundamento, & pro libito loqui. Etenim de
dumtaxat ex parte vendentis, non ex par- potentia ordinaria, Deum non diſpenſaſſe
te ementis, ſeu petentis mutuum: quia cùm in malitia ſimoniæ; ſed dumtaxat de abſolu
poſsit cedere iuri ſuo, nullam ſibi infert in- ta id poſſe efficere, nos adſtruximus in diſ-
iuriam, ſi vel leuicula, vel etiam ſine cauſa putatione citata in confirmatione. Ad ſe-
petat mutuum ab vſurario. At malitia ſi- cundā ſimiliter negatur conſequentia, pro-
moniæ oritur ex rei ſpiritualis excellen- B pter rationem modò aſsignatam.
tia, cui grauis fit irreuerentia, ſiue iniuria, Secunda aſſertio. Reliquæ ſententiæ rela
dum pretio temporali comparatur. Hæc tæ probabiles ſunt: ſed non in eodē gradu.
autem æquè fit emendo, ac vendendo. Ad Nam ſecunda minus probabilis quā quarta:
argumentum, quo diximus videri confir- prima autē meo iudicio omniū probabiliſ-
mari Soti ſententiam, reſpondetur neuti- ſima. Prima pars aſſertionis probatur, quia
quam poſſe ſeparari ab emptione Sacramē- omnes rationibus nō contēnendis, patro-
ti, irreuerentia, & iniuria, quæ fit rei ſacræ: nū non exiguo numero fulciūtur. Ratio au-
quia ſine fundamento creditur, aut præſu- tē quæ me mouet, vt cenſeā ſecundam opi-
mitur Deum ſic velle, vt irreuerentia intrin nionē minus probabilem quam quartā, hæc
ſeca obiecto emptionis aliàs ſimoniacæ, e- eſt: quia ſecundæ opinionis patroni nō aſ-
uaneſcat in extremis neceſsitatibus, ne pa- ſignant rationē ſufficientē, quare liceat re-
ruulus pereat. Igitur irreuerentia illa intrin- dimere vexationē paruuli, non verò adulti,
ſeca eſt emptioni rei ſpiritualis: & non de- niſi ſolū ſecundùm maiorē neceſsitatē, &
nudatur ab ea in vllo caſu, neque ex Dei vo C minorē: ſed vtraq; grauiſsima eſt, quia etiā
luntate, neque etiam ex intentione emen- adultus ſi tantū attritus ſit (difficile enim eſt
tis. Qui licèt putet ſe magnificare gratiam, habere contritionē) non mediocre morale
& ideò velle illam emere pro paruulo: tamē periculum ſubit pereundi in æternum. At
facto ipſo vilipendit, & tractat irreuerēter: neſcio qua ratione in grauiſsima neceſsitate
præcipuè, quia quando emitur Sacramentū, non liceat emere baptiſmū; ſi talis emptio
emitur & gratia ſacramentalis; nā propter tantū ſit talis ſecundùm apparentiam, & ſe-
illam emitur, cùm propter vnum quodque cundū exiſtentiam redemptio vexationis.
tale, & illud magis. Et emptio gratiæ non Secundò. Illa oblatio pecuniæ poteſt omni
poteſt ſeparari ab emptione Spiritus ſancti, nò denudari à ratione emptionis, & indue-
quia & ab illo, & ſimul cum illo infundi de- re rationē redemptionis à vexatione: ergo
bet: nec poſsit dari gratia, niſi etiā ipſe Spi- idē poterit fieri quando adultus morti vici-
Rom. 5. ritus ſanctus detur, iuxta illud Pauli: *Chari-* nus indiget baptiſmo. Ad redimendā enim
tas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spi- vexationē, nō eſt neceſſe interuenire extre
ritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Emptionē D mā neceſsitatem: ſatis ſuperq; erit grauis, ne
autem Spiritus ſancti, quis dubitat magnam dū grauiſsima. Quare probabiliorē reputo
illius cōtinere iniuriam? Addo inſuper, ſi cō quartam ſententiam, quæ æqualiter loqui-
cedamus, & admittamus eam præſumptio- tur de paruulo, & adulto, dicens non emi
nē de diuina voluntate, ad emēdum baptiſ- Sacramentum, ſed redimi vexationē. Quā
mum pro paruulo, quia ſic decet diuinam opinionē qui ſequutus fuerit, extendere po
voluntatem cupidam ſalutis humanæ: eidē terit ad emptionē Sacramēti pœnitentiæ,
rationi innixus poſſet quis admittere, par- quando emens fuerit in grauiſsima eius in-
uulum decedentem ſine baptiſmo ſaluari. digentia. V.g. ſi homo ſit morti vicinus, &
Quod nec Sotus, nec vllus alius audebit habeat conſcientiam peccati mortalis, &
concedere. Ad primam confirmationē pro non adeſt niſi vnus confeſſarius, & nollet
Soti ſententia reſpondetur, negando cōſe- audire confeſsionem, vel abſoluere niſi
quentiā. Negando itidem, in caſu extremæ accepta pecunia: poſſet illi dare; quia hoc
neceſsitatis paruuli baptizandi, mutari ma- Sacramento nō minus indiget peccator ba-

ptiza-

ptizatus, quàm baptiſmo adultus non baptizatus. Et idem eſſet dicendum, ſiquis morbo occupatus priuaretur linguæ vſu, vel ſenſibus; poſſet tamen recipere extremam vnctionem, & Sacerdos nollet illam conferre, niſi ab habentibus curam ęgroti pecunia daretur pro redemptione vexationis. Et idem erit ſi non adeſſet Sacerdos confeſsionem infirmi auditurus, & allaturus Euchariſtiam, ſed tantùm Diaconus; & ille nollet eam deferre infirmo niſi accepta pecunia: in vtroque caſu, probabiliter extenditur præfata ſententia de baptiſmo, & pœnitentia, ad alia ſacramenta: quia eadem ratio militat, cùm omnia ſacramenta faciant ex attrito contritum, & (quæ fragilitas eſt humana) cum difficultate habetur contritio. Quare omnes illi, in magno periculo incurrendi damnationē ſunt conſtituti: quibus ſubueniri poſſet per dationem pecuniæ iniquo miniſtro, quæ non emptio Sacramenti, ſed redemptio vexationis licita dicenda eſt iuxta iſtam ſententiam. Aduertendum tamen ex omnium opinione: ſi iniquus ille miniſter non ſolū petat pecuniam pro Sacramento conferendo, verùm & aſſerat nolle ſe aliter accipere niſi pro emendo ipſo Sacramento: ſi exactio iniqua fiat in odium fidei, & Sacramētorum; nequaquam licitum eſt talem pecuniam dare, neque in extrema, neque in grauiſsima neceſsitate: quia tunc inſeparabilis eſt ab illa datione pecuniæ, iniuria Chriſtianæ Religionis. Et idem dicendum reor, ſi iniquus ille Sacramenti miniſter praui ſsima intentione ductus, petat à dante ſibi pretium vt pro Sacramento det, & non ad redimendā vexationem: & dans pretium annuat, aut iuramento affirmet ſe propter illum finem dare. Tunc enim non licere arbitror, quidquid dicat Sotus: quia malitia mendacij, aut periurij, ab ea datione inſeparabilis eſt. Secus ſi taceat redimens vexationem: tunc enim iuxta intentionem rectam dantis, datio penſanda eſt. Hæc dicta ſint pro ſtabilienda probabilitate illius quartæ ſententiæ.

Tertia aſſertio ſit. Priorem ſententiam reputo probabiliorem cunctis alijs, tùm propter argumenta in eius fauorem allata: tū quia vix capio quo modo ab illa datione, ſit ſeparabilis malitia emptionis Sacramenti, vt dicatur eſſe ſolùmodò vexationis redēptio: tùm tertiò, quia hæc eſt ſententia D. Thom. Nec ſatis reſpondent quidam eius diſcipuli dicentes, eum loqui de emptione Sacramenti formaliter, non de redemptione vexationis. Certè ſi ſanctus Doctor ita intelligendus eſſet; non enodaſſet dubitationem in argumento primo propoſitam, vtrùm in caſu extremè neceſsitatis liceret pro baptiſmo pecuniam dare? Cui non ſatisfit, reſpondendo cum illa formalitate, quam illi autumant: adhuc enim reſtabat ſcire, an alia via honeſtaretur illa pecuniæ datio. Quam doctrinam tam neceſsariam, omiſiſſe tantum Doctorem, non puto veroſimile. Item quia in quarto, diſtinctione quinta loco citato, poſt enarratam ſententiam negatiuam, quam in hac quæſtione expreſsit, recenſet illam de redimēda vexatione, & reijcit vt minus probabilem. Non eſt ergo dubitandum, diuum Thomam in ſententia negatiua perſtitiſſe: quam & nos vt probabiliorem tuebimur, reſpondentes ad argumenta pro alijs opinionibus.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur, eam pecuniæ dationem nequaquam debere dici vexationis redemptionem: ſed eſt vera Sacramenti emptio, vt argumenta pro prima ſententia probant; & ob id minimè licita eſt. Mitto modò, quod diſcrimen quare pro paruulo eſt vexationis redemptio, & non pro adulto; non eſt ſufficiens, vt oſtendunt quartæ ſententiæ patroni. Sententia Soti iam exploſa eſt. Ad argumenta pro quarta ſententia reſpondetur. Ad primum, licitam eſſe redemptionē vexationis, data pecunia pro remouendis impedimentis, quæ obſtant acquiſitioni rerum ſpiritualium, quarum habetur poſſeſsio, vel ius in re. At verò nō eſt licita datio pecuniæ, pro acquiſitione rei ſpiritualis, cuius non habetur poſſeſsio, ſed dumtaxat ius ad rem: quia hoc non eſt redimere vexationem, ſed emere rem ſpiritualem. Et ita contingit quando datur pecunia pro Sacramento obtinendo, ab eo qui non vult dare niſi accepta pecunia. Ad ſecundum reſpondetur negando minorem. Ius enim quod habet populus fidelis ad Sacramenta percipienda à miniſtris; ius tantùm eſt ad rem: Sacramenta enim non poſsidentur niſi in actuali receptione. Poſſet tamen fingi caſus, in quo quis poſſet quodammodò habere ius in Sacramentis, quod dicitur in re: & tunc dare pecuniam impedientibus, non eſſet Sacramenti emptio: verbi gratia, ſeruatur ſacra Euchariſtia in pixide, vel ſacrario claue obſerato; & quis tyrānicè non vult dare claues ad aperiendum ſacrarium, vt

ſacra Euchariſtia deferatur ad infirmum: A tunc poterit licitè dari pecunia tenenti claues, ſine emptione Sacramenti: quia hæc datio immediatè terminatur ad repellendam vim iniuſti Sacriſtæ: non verò licitè dabitur Sacerdoti delaturo eam infirmo. Ad tertium reſpondetur: ſi minæ reſoluantur in pretium, nequaquam licet: ſin minus, licebit, vt dicetur articulo quinto. Quare negatur conſequentia: cùm ſemper in caſu noſtræ diſputationis, pecunia in pretium detur. Ad quartum reſpondetur. Ex natura ipſius dationis, ſequitur Sacramentum emi. Nec habet locum vexationis redemptio, quando numi dantur pro remouenda vexatione in negatione Sacramenti. Hoc eſt enim emere Sacramentum; non verò eſt ablatio odij, aut auaritiæ, à quibus per accidens oritur negatio Sacramenti, cùm à multis alijs oriri poſſet. Ad confirmationem negatur conſequentia: quia in caſu antecedentis, per pecuniam non acquiritur Euchariſtia, neque poſsidetur, ſed vindicatur ab iniuria, & vexatione, quæ quodammodò fit ipſi Chriſto; ſicut poſſemus quemlibet à vexatione iniuſta liberare. Redimitur etiam vexatio, quæ fit Eccleſiæ, quæ ſola habet ius retinendi, conferuandi, & vtendi Euchariſtia. In caſu verò noſtro pro Sacramento pecunia datur: non pro redemptione vexationis ſuſcepturi Sacramenta, vt ſæpe dixi. Ad vltimum reſpõdetur, auocare hominem à maiori malo, & inducere ad minus malum, licitum eſſe per ſe loquendo. Sed tamen ſi ea auocatio fiat per actionem prauam, non licet: verbi gratia, mentiendo, aut iurando falſum. Et ita in præſentiarum contingit: quoniam offerre pecuniam pro Sacramento, intrinſecè malum eſt: quare non licet eo medio vti, ad auocãdum hominem à maiori malo. Circa primam concluſionem articuli tertij ſit

DISPVTATIO II.

Vtrùm licitum ſit dare, aut accipere pretium pro actibus ſpiritualibus?

ET videtur vera pars affirmatiua. Primò, quia actus poteſtatis ordinis, vt abſoluere, ordinare aliquo Eccleſiaſtico ordine, cantare ſolemniter Euangelium, & huiuſmodi, ſunt actus ſpirituales. Et tamen cum res materiales ſint; non apparet qua ratione ſub ea conſideratione vendi non poſsint. Idem argumentum poteſt fieri de actibus procedentibus à gratijs gratis datis, vt morbos ſanare ex dono ſanitatis, ventura prædicere ex prophetia. Secundò. Oratio & laus diuina, ſunt actus valde ſpirituales. Sed licitè datur pecunia pro orationibus fundendis, & pro diuinis officijs celebrandis: pro faciendis proceſsionibus, pro officio defunctorum, pro ſepeliendis mortuis, vt patet ex vſu proborum: ergo. Pro deciſione prę-
B mittere oportet, actus ſpirituales, de quibus in præſenti loquimur, quoſdam eſſe purè ſpirituales, ſine vlla admixtione, aut ſuppoſitione rei corporalis, quales ſunt actus interni virtutum, vt amare Deum, miſereri proximorum. Alij actus ſunt ſpirituales, non quia nil habent de corporali; ſed quia à cauſa ſpirituali proficiſcuntur, vel ad finem ſpiritualem ordinantur: cuiuſmodi ſunt actus emanantes ab ordinis poteſtate, vt conſecrare ſacra vaſa, vel veſtimenta, chriſma conficere, & ſimiles. His poſitis

Dico primò. Vendere aut emere actus ſpirituales, ſiue primo, ſiue ſecundo modo ſpirituales, ſimonia eſt prohibita iure diuino. Probatur ex diffinitione ſimoniæ.

Dico ſecundò. Vendere actus per eſſen-
C tiam ſpirituales, cuiuſmodi ſunt actus interni virtutum, ſi præciſe in ſe conſiderentur, de facto non eſt poſsibile: atque adeò neq; poſſunt eſſe materia ſimoniæ. Probatio huius aſſerti, ex prima diſputatione ante hos articulos petenda eſt.

Dico tertiò. Vendere actus virtutum, ſiue internos, ſiue externos, quatenus ad ſpiritualem vtilitatem alterius ordinãtur; peccatum ſimoniæ eſt. Probatur: quia ſub iſta conſideratione, actus ſpirituales ſunt, & dicuntur: verbi gratia, ieiunare vt pro alio ſatisfaciam, eleemoſynas conferre vt de con-
D gruo merear alteri hoc vel illud præmium. At verò vendere illos, qua ratione aliquando, & aliqui ad effectum corporalem corporaliter adiuuant, non eſt ſimonia: verbi gratia, quatenus per eleemoſynarum porrectionem, quis corporaliter iuuatur. Probatur: quia ſub iſta ratione actus iſti ſunt bona temporalia, ad temporales commoditates ordinata: ergo neque ex parte principij, neque ex parte termini, nec in ſuo eſſe habent ſpiritualitatem; ac proinde nec poſſunt eſſe materia ſimoniæ. Quod verò fiant ab habente gratiam, & modo ſupernaturali;

per

per accidens est: quia hæc non mutant corporalis actus naturam.

Dico quartò. Vendere orationes priuatas, etiam vt sunt alijs vtiles, simonia est. Ita *D. Thom.* D. Thom. art. tertio ad secundū ait, quæ est communis doctrina. Et si sermo sit de orationibus vt satisfactoriæ, vel meritoriæ sunt; res perspicua est: quia vt sic, ad finem spiritualem ordinantur. Si verò vt impetratoriæ sunt etiam bonorum temporalium; spirituales actus sunt, neque ad alium finem vtilem ordinari valent. Spirituales, inquam, sunt, quia hoc habent ex dono Dei gratuito: in quo differunt ab operibus misericordiæ, & alijs, de quibus in dicto proximè præcedenti.

Dico quintò. Vendere officiorum diuinorum functiones, simonia est. Ita diuus *D. Thom.* Thomas loco citato, & cum ipso omnes, & habetur cap. *ad nostram.* de simonia. cap. *cum in Ecclesiæ.* cap. *non satis.* eodem titulo. Ratione probatur: quia eæ functiones, seu ministeria Ecclesiastica, procedunt à potestate Ecclesiastica; nam nomine Ecclesiæ fiunt, ad exhibendum Deo autori naturæ, & gratiæ cultū: ergo spirituales actus sunt. Mitto modò, quòd sunt impetratoriæ, satisfactoriæ, & meritoriæ non minus quam orationes priuatæ: quas ob id esse res spirituales asseruimus in præcedenti dicto.

Ad primum initio positum respondetur, actus spirituales nō solùm debere dici eos, qui nil materiale participant, aut supponūt; sed etiam eos qui à causa spirituali, vel ad finem spiritualem ordinantur: aliàs neque Sacramenta ipsa spiritualia essent, cùm cōstent rebus corporeis, & ob id signa sensibilia dicantur. Illa verò materialitas, quæ in his reperitur, inuendibilis est: quia ad spirituale esse assumpta est. Imò licèt in esse physico quid materiale sit; in esse verò morali, minimè. Et vt de actibus qui sunt à potestate ordinis loquamur, de quibus in argumento fit sermo: ipsi certè spiritualissimi sunt, quia à potestate spirituali instituti, & à potentia supernaturali prodeuntes; sicut actus sacramentales, in quibus Sacramenta consistunt: licèt in illis grauior simonia sit quàm in istis. Videnda sunt iura citata de simonia, & prima quæstione prima cum sequētibus. Nimis prolixum esset functiones, & actus cuiusuis potestatis ordinum enumerare, quæ materia simoniæ esse possunt. Sat sit nobis scire, quasdam functiones si solemni ritu fiant, esse ab ordinis potestate: sin minus, non procedere ab ea. Sicut epistolam canere solemni ritu, ab ordine Subdiaconatus procedit: si verò simpliciter & sine apparatu; à quocunque laico cantari potest. An verò dare pecuniā laico, vt in choro cantet epistolam, simonia sit? probabilem censeo partem affirmatiuam: quia functio spiritualis est. Et idem dicendum de quibusdam actibus proceden tibus ab ordinibus minoribus: verbi gratia, actus Acolytorum, qui sunt ministrare in Missarum solemnijs, si fiant cum solemni ritu, quid spirituale sunt, & coniunctum sacrificio Missæ: quare illud vendere simonia est. Et idem dico, & propter eandem rationem, si fiant sine ritu solemni. In alijs verò aliorum ordinum minorum actibus, si fiant vt ab ordinis potestate prodeunt, vendere simoniacum est. At verò quidam sunt talis cōditionis vt à laicis exhiberi possint, vt claudere fores Ecclesiæ: qui actus à laico exercitus, sine simoniæ labe vendi potest. Secus de exorcistæ actibus; qui siue à Clerico, siue à laico exerceantur, actus spirituales sunt, quia diuina promissione nituntur, & ad salutem spiritualem exorcizandi ordinantur. Vnde citra dubium eos vendere simoniacum est. Eodem fermè modo loquendum est de quibusdam cæremonijs, quæ ab Ecclesia institutæ sunt fieri ad ornatum collationis Sacramentorum, vel ad alios effectus spirituales: cuiusmodi sunt benedictio aquæ lustralis, vestimentorum sacrorum, nuptiarum, & huiusmodi, quarum benedictionum formulæ habentur in Missali, aut Pontificali. Hos actus vendere, haud dubium quin simonia sit contra ius naturale, & diuinum; quia sunt spirituales: vt pote à supernaturali virtute, & institutione procedentes, & ad finem spiritualem ordinati.

Ad secundum argumentum respondit *D. Thom.* D. Thom. loco citato, simoniam esse vendere orationes, officia diuina, processiones, & eiusmodi. At verò illi, qui dant pecuniam pauperibus vt pro ipsis orent, non intendunt orationes emere; sed per gratuitam beneficentiam, pauperum animos prouocare ad hoc, quòd pro eis gratis, & ex charitate orent. Idem dicendum de emptione diuinorum officiorum, processionum, funeralium actuum. Non tamen propterea negamus, pro his & similibus actibus posse accipi, & dari pecuniam, aut aliquid temporale: & vt verbis vtar diui Thomæ non qua si pretium, sed quasi sustentationis stipendium: de quo infrà. Si autem huiusmodi

pacto

pacto interueniente fiant; aut etiam cum intentione emptionis vel venditionis, simonia esset. Circa conclusionem primam articuli tertij, & solutionem ad tertium eiusdem articuli sit

DISPVTATIO III.

An sit simonia, vendere aut emere actus pertinentes ad potestatem iurisdictionis quæ in Ecclesia est?

CVi vnica assertione negatiua respondetur cum diuo Thoma in hac solutione ad tertium dicente: *Ille cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad vsum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispensatione. Et ideò si aliquid acciperet pro vsu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito officij sui debet impendere, sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ vsum.* Quod esse simoniacũ ex præcedentibus clarum est. Secundò. Actus procedentes à potestate iurisdictionis Ecclesiasticæ, sunt spirituales ex parte causæ, ideſt, potestatis, & ex parte termini, quia ad spiritualem finem ordinantur: & interdum sunt causæ gratiæ Sacramẽtalis, vt in absolutione à peccatis: ergo materia sunt simoniæ. Sententia hæc communis est omnibus Theologis, & Iurisperitis in cap. *nemo.* & cap. *vendentes.* de simonia. & omnibus Summistis verbo *simonia.*

D. Thom.

Licèt hæc possent sufficere pro expedienda dubitatione proposita: tamen procedamus oportet in speciali aliquos actus ex innumeris designare, qui à potestate iurisdictionis Ecclesiasticę procedunt, quos subinde emere aut vendere, simoniacum erit. Et quidem in potestate iurisdictionis in Sacramento pœnitentiæ exercitæ, tales sunt, propter pecuniam audire confessionẽ, absoluere confitentem: imò & negare absolutionem, vt infra dicetur: & pro pœnitentia leuiore imponenda, aut agenda, pretium accipere: pro commissione audiendi confessiones, pro hoc vt in confessorem eligatur, verbi gratia, Regis, aut Procerum; pro absolutione à censuris, & huiusmodi: & etiam pro alijs actibus à potestate præfata ortis, etiamsi non sint pertinentes ad pœnitentiæ forum: verbi gratia, pro indulgentiarum concessione. Nec licet etiam pecuniam dare pro dispensationibus in foro conscientiæ, putà in votis, vel iuramentorũ relaxatione, & similibus; nec pro præsentia Parochi in contrahendo matrimonio, quia est actus necessarius & spiritualis; vnde inter spirituales actus, & ministeria Ecclesiastica computatur, quamuis non sit actus iurisdictionis. Item neque licet vendere dispensationes votorum, relaxationes iuramentorum etiam in foro externo, dispensationes in legibus Ecclesiasticis, irregularitate, impedimentis matrimonij, & similibus; nec pro visitationibus, correctionibus, & huiusmodi: secus in sustentationem, de quo infra: nec pro aliquo actu Ecclesiastici iudicij, quicunque ille sit, vsque ad iudicij prolationem. Hi omnes enumerati actus ab spirituali potestate procedũt: vnde sine labe simoniæ vendi nequeunt. Quod & fatentur Theologi omnes, & Iurisperiti in capitibus citatis, vbi multa de hac re. Item neque licet sine simoniæ labe, propter pecuniam potestatem iurisdictionis erga hos, & similes actus committere: quia hoc est, vendere vsum spiritualis potestatis, vel ipsam potestatem. Ita expressè cauetur in capite primo, secundo, & tertio, ne Prælati vices suas, vbi Glossa, & omnes Doctores in his conueniunt: & in cap. *ad nostram.* de simonia, & in cap. *licet.* de pœnis. Summistæ verbo *simonia.* Syluester, quæstione 14. Nauarrus cap. 23. num. 111. Ex quo sequitur, non posse vendi ius eligendi ad dignitates, aut Ecclesiastica beneficia, aut confirmandi electionem, & similia: de qua re sunt innumera iura Canonica in titulo de simonia, de translatione Episcopi, de electione. Quod non est ita intelligendum, ac si prohibitio talis venditionis solo iure positiuo sit vetita: est namque prohibita iure naturali, & diuino, vt supra ostendimus.

Glossa. *Syluest.* *Nauarrus.*

Sed contra prædicta se offerunt aliquot obiectiones breuiter expediendæ. Prima: nam stylus Romanæ Curiæ exercitus à Summo Pontifice, & eius Legatis sic habet, vt pro dispensationibus in votis, in legibus Ecclesiasticis, in matrimonij impedimẽtis, pecunia accipiatur. Nec sat est dicere eam pecuniã accipi in stipẽdia pro sustẽtatione dispensantium, & pro scriptis literis testimonialibus, in quibus exarandis laborant officiales: dignus est enim mercenarius cibo suo. Nam contra hoc facit: tùm quia dispensantes aliàs habent opimos redditus, vnde viuere possint: imò ex eisdem tenentur

tur ſuos ſuſtentare officiales, ſicut tenentur curam paſtoralem cum omnibus ſuis expenſis in ſe ſuſcipere: tùm, quia pro chartis, teſtimonalibus literis, & ſigillis, prohibitum eſt aliquid accipere, etiam ipſis notarijs & officialibus in cap. primo. de ſimonia, & cap. *ſicut Epiſcopum*. prima quæſtione ſecunda, & in Concilio Tridentino ſeſſione 21. cap. primo. de reformatione. *Conc. Trid.* Vnde Nauarrus conſ. ſecundo. de ſimonia, reprobat hanc conſuetudinem Romanam accipiendi vnum aureum pro ſubſcriptione, vel pro regiſtratione datarij, vel pro ſuſpenſione ſigilli. *Nauar.* Et licèt dicta iura, atque etiam Nauarrus loquãtur de literis teſtimonialibus, aut bullis in collatione ordinum: tamen eadem ratio videtur eſſe de diſpenſationibus, quæ non minus gratis conferendæ ſunt quàm ordines, & beneficia. Tùm tertiò, quia quò difficilior eſt diſpenſatio, eò maior pecuniæ quantitas poſtulatur. Quod ſignum eſt, non dari pro ſuſtentatione officialium, qui æquè laborant in literis teſtimonialibus circa cauſam leuiorẽ, & grauiorem. Tùm quartò, quia æquali cauſa exiſtente in duobus petentibus diſpenſationem; maior pecuniæ cumulus exigitur ab vno quàm ab altero. Signum ergo eſt, non dari pro officialium, aut diſpenſantis ſuſtentatione: ſed in pretium pro ipſa diſpenſatione faciliori, aut difficiliori; vt ex diſpenſatione difficiliori maior quæſtus, & maximè à diuitibus acquiratur. Reſpondetur. Conſuetudo viſa, & cognita à Summo Pontifice, ac vſitata in Romana Curia approbanda eſt: licèt non negemus, Summo Pontifice ignorante multos ibi abuſus irrepere. Quare quòd ad Pontificem attinet, reſpondetur: eam pecuniam accipi in ſuſtentationem magnorum onerum Summi Pontificatus. Prohibitio verò quæ habetur, tota eſt iuris poſitiui, in quo diſpenſare poteſt, & diſpenſat Summus Pontifex propter magnum onus ſui ſtatus: ad quod leuius portandum, ſtipendium conſtituit in diſpenſationibus concedendis, potiùs quàm in alijs gratijs: quia diſpenſationes odioſæ cùm ſint, oportet eas reddere difficiliores petentibus, ne facilitas obtinendi, maiorem occaſionem tribuat eas importunè petendi. Fiunt autem illis oneroſæ, ſi abſque ſumptibus, & pecunijs illas obtinere non poſſunt. Et hac ratione fieri etiam poteſt, vt quo difficilior eſt diſpenſatio, vt rarius fiat, maius pecuniæ pondus habeat annexum. Illud verò quod obijcitur de pari cauſa ad diſpenſandum, & impari pecunia poſtulata, non videtur approbandum, nili petentes diſparis ſint fortunæ. Tunc enim non immeritò plus à diuite, quàm à paupere poſtulatur: ſicut & tributa Regia pro ſuſtentatione; meritò maiora exiguntur à diuitibus, quàm à pauperibus. Alij tituli iuſtificandi hanc conſuetudinẽ poſſunt aſsignari, putà quando illa pecuniæ datio applicatur alicui pio operi. Et tunc non eſt diſpenſatio, ſed cõmutatio vnius in aliud, vt ſæpe accidit in votorum diſpenſatione. Item quandoque id imponitur in pœnam alicuius delicti, vt quando diſpenſatur in irregularitate proueniente ex homicidio, data pecunia, quam poteſt Pontifex ſuæ Cameræ applicare. Quod attinet verò ad prohibitionem iurium citatorum, contra officiales literarum teſtimonialium; reſpondetur primò, ea non eſſe extendenda plus quam ſonant: quia iura odioſa reſtringi debent. In citatis autem textibus, tantùm fit ſermo de datione pecuniæ in ordinatione miniſtrorum Eccleſiæ. Secundò reſpondetur, ſi ſermo ſit de officialibus Papæ, ipſo vidente ita fieri; credibile eſt cum ipſis diſpenſare in lege illa, ne cogatur ipſe eos alere.

Sed adhuc inquiſitione dignum eſt: an præfati tituli, quibus excuſamus acceptionem pecuniarum pro diſpenſationibus, quæ fiunt in Romana Curia; ſint etiam ſufficientes ad excuſandum Epiſcopos exigentes certam numorum ſummam pro diſpenſationibus, quæ ab ipſis fiunt, in caſibus qui ad ipſos pertinent? Nauarrus conſ. 18. de pœnitent. & remiſsion. Tabiena verbo *ſimonia*. num. 49. tenẽt partem negatiuam, & meritò: quia id eſt prohibitum iure communi, quo præcipitur, omnia ſpiritualia purè, & ſine pacto debere conferri. *Nauar.* *Tabiena.* Allegat multa iuris capita, cap. *Iacobus*. de ſimonia, & cap. *ex multis*. 1. quæſtio. 3. ſed præcipuè, & generalius id habetur capite vltimo de pactis. At Epiſcopi omnes iuri communi ſubduntur, vno excepto Summo Pontifice: ergo. Confirmatur valde ex Cõcilio Tridentino ſeſsione 25. cap. 18. de reformatione. vbi agens generaliter de diſpenſationibus Eccleſiaſticis, iubet eas præſtari gratis: aliterque facta diſpenſatio, ſubreptitia cenſenda. Dicet fortè quiſpiam, illud verbum, gratis, tam in Concilio, quàm in textibus allegatis, eſſe interpretandum, ideſt, ſine pretio. Quando verò pecunia exigitur in diſpẽſationibus Epiſcoporum, *Conc. Trid.*

non

non in pretium, sed in sustentationem, vel pro alijs titulis, quibus solet exigere Summus Pontifex. Certè hæc euasio non quadrat cap. *ex multis*. vbi etiam dationē proprijs vsibus prohibentur: neque etiam Synodo Tridentinæ, quæ non vetat rem tam antiquam, & sine dubitatione detestabilem, sicut est dare pecuniam in pretium dispensationum: sed voluit abolere consuetudinem exigendi in sustentationem, ne sub hoc prætextu detur occasio multiplicandi iniustas dispensationes, vt colligi potest ex principio capituli. Mitto modò quod supponitur, Episcopos habere sufficientes redditus ad onera sui status sustinenda. Ex quo etiam colligitur, non permitti debere, vt pro salarijs officialium talia onera imponantur: quia Episcopi ex suis redditibus tenentur alere eos, & quoscunque alios ministros necessarios ad munia Episcopalia exercenda. Quod verò attinet ad officiales; seruanda est consuetudo: quia iura citata non videntur expresse ad eos dirigi, sed ad dispensantes, idest Episcopos. Aduertendum tamen non esse prohibitum Episcopis, quando dispensant aliquod onus imponere: sicut fieri solet quando dispensant in obseruatione festi alicuius, aut voti de peregrinando, & similibus. Hoc colligo, quia non sunt prohibiti commutare vnum opus in aliud: præfatæ autem dispensationes, quædam commutationes sunt: & eadem ratione si dispensatio supponat culpam in dispensato, possunt illum punire imponendo eleemosynam, vel opus aliàs pium. Caueant tamen, ne sibi applicent immediatè, aut mediatè: Deus enim non irridetur. Caueant itidem, ne sibi committant eam pecuniarum dispensationem, propter populi in hac parte facilem suspicionē quòd sibi arrogent. Tutius erit, per manus fidelium ministrorum erogare. Et propter eandem rationem vitupero morem quorundam confessariorum, qui in pœnitentiam eleemosynas, aut Missarum sacrificia imponunt: & ipsi earum pecuniarum fiunt dispēsatores. Circa solutionem ad tertium tertij articuli sit

DISPVTATIO IIII.

An liceat sine simoniæ labe, scientias naturales vendere, aut emere?

ET videtur vera pars affirmatiua. Primò quia scientiæ, etiam naturales, res spirituales sunt, quæ nullo terreno pretio valent compensari: Prouerb. 3. *Pretiosior est cunctis opibus sapientia: & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Et capi. 23. *noli vendere sapientiam, & doctrinam.* Et cap. 17. *quid prodest stulto habere diuitias, cum sapiētiam emere non possit?* Ergo earum venditio, & emptio simonia est, vt patet ex prima ratione D. Thom. in articulo primo allata, ad explicandum malitiam simonię desumi ex hoc, quòd res spiritualis pretio cōpensatur. Secundò: omnis veritas naturalis est ab Spiritu sancto, vt ait Augustinus de Magistro ca. 12. ergo iniuria irrogatur origini veritatis, vendendo aut emendo illam. Tertiò: edoctio huius veritatis, *Deus est*, quæ per vires naturæ comparari potest, est materia simoniæ: quia eius agnitio necessaria est ad salutem consequendam: ergo scientiæ naturales vendi non possunt sine simonia. Quartò: si daretur status in puris naturalibus; reperiretur materia simoniæ, putà venditio sacerdotij: essent enim veri Sacerdotes, vera sacrificia, vera Religio naturalis. Ergo non est necesse vt simoniæ crimen patretur, versari circa res supernaturales: sed sat esset si circa naturales sacratas versaretur, atque adeò scientias naturales vendere, simoniacum erit. Confirmatur. In illo statu sacrilegia possent committi: verbi gratia, percutiendo Sacerdotes, profanando vasa diuini cultus: ergo etiā simonia per emptionem vel venditionem; nam simonia vel sacrilegium est, vel tantùm differunt penes voluntarium, & inuoluntarium, vt supra diximus in materia de sacrilegio. Vltimò: vendere idolorum sacerdotia, in quibus nil est supernaturale, simonia est, vt patet in Hieroboam Rege Israël 3. Reg. 13. qui notatur vt talis à Doctoribus: ergo.

In oppositum est: quia obiectum simoniç est spirituale: quod denominatur ab spiritu

Prouerb. 3. 23. & 27.

August.

3. *Reg.* 13.

lli

ritu increato, vt eius donum. At solę res supernaturales dicuntur Dei donum: ergo solæ illæ sunt materia simoniæ; ac proinde simonia non est vendere scientias naturales, neque quodlibet aliud quod supernaturale non est. Maior colligitur Actor. 8. vbi diuus Petrus malitiam huius criminis expressit, dicens aduersus Simonem: *Quia existimasti Dei donum pecunia possideri*. Et Sancti hoc sæpe inculcant, vt videre licet
Gratian. apud Gratianum vbi supra. Minor etiam habetur in multis sacræ Scripturæ locis,
Ioan. 4. Ioannis quarto: *Si scires donum Dei*; sermo
ad Ephe. 2. erat de gratia, & Dei aduentu: ad Ephesios secundo: *Iustificati ex fide: donum enim Dei est.* En distinguitur donum Dei contra alias perfectiones naturales, etiam à Deo collatas. Idem habetur alibi passim.

De hac re duas reperio sententias è regione oppositas. Prima docet, spiritualia quæ sunt materia simoniæ, debere esse supernaturalia dona: atque adeò qui scientiam naturalem venderet, non committere simoniæ vitium. Hæc sententia est D.
D. Thom. Thom. expressa supra quæstione 7. art. 4. ad secundum, & in hac quæstione art. 3. ad tertium, Caietani ibidem. Et in summa
Caietan. verbo *simonia*. Ricardi in 4. distinctio. 25.
Ricard. art. 3. quæst. 2. Palud. quæst. 5. Durandus.
Palud. quæst. 3. Adrian. quodlib. 9. tenent eam
Durand. Nauarrus, Victoria, Soto, & moderni om-
Adrian. nes D. Thom. discipuli. Secunda sententia
Nauarr. docet, actus intellectus aut voluntatis, etiãsi
Victoria. sint naturales, & circa obiecta naturalia ver
Sotus. sentur, non posse vendi sine simoniæ vitio: ac proinde, qui vendit scientiam naturalem, simoniam committit. Hanc sententiam te-
Altisiod. nuit Altisiodor. lib. 3. summæ, tractatu 27.
Alens. cap. 3. quæst. 2. Alens. parte secunda, quæst.
D. Thom. 167. memb. 4. dub. 2. D. Thom. in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula 2. in corpore, & ad octauum quodlib. 8. art. 11. Syl-
Sylvest. uest. verbo *simonia*. quæst. 10. & verbo *Doctor*, quæst. 9. ex Canonistis in eam inclinat
Glossa. Glossa in cap. *non licet*. 11. quæst. 3.

Pro decisione præmittendum: bona spiritualia naturalia, idest, quæ habentur ex vi solius luminis naturalis, ex naturæ principijs, posse considerari in se ipsis, & secundum suam substantiam: verbi gratia, habitus, vel actus, qui in voluntate aut intellectu residēt: & sic clarum est non posse de facto vendi, ita scilicet vt in alterum transeant physicè, vt ab eo possideantur. Et sic non est simoniacum ea bona vendere, sicut neque intellectum, & voluntatem, à quibus

A procedunt, & in quibus sunt: quia re vera inuendibilia sunt de facto, de quo supra disputatū. 1. Secundo modo possunt considerari, vt alijs vtilia esse possunt: verbi gratia, quatenus mea scientia discipulis intimata, proficua illis esse poterit. Et sic procedit præsens disputatio, & variæ sententiæ Doctorum relatæ. Quo supposito

Nostra assertio sit. Videre, aut emere bona præfata naturalia, non est simonia. Probatur ex fundamento posito pro secunda sententia, in argumento facto in oppositū. Primò. Malitia simoniæ in hoc consistit, quod non datur gratis id quod gratis accep
B tum est; vel quia venditur id cuius non habetur dominium, aut id quod non est vendibile. Ex his enim colligit D. Tho. in art. 1. malitiam simoniæ. At nihil horum inuenitur in his bonis spiritualibus naturalibus, quantumuis spiritualia sint: quia illa nō accipiuntur gratis, sunt enim naturæ debita. Item quidquid in his reperitur, proprium hominis est: quia sua industria acquiritur, & sub eius dominio consistit, qua ratione vtile est, & in ordine ad vsus humanos vendibile, sicut proficuū: ergo. Secūdò. Abuti his bonis naturalibus, licet malum sit, non tamen aduersatur Religioni, quæ opponitur simoniæ: ergo neque abuti per emptionem, aduersatur Religioni, ac proinde non
C est simonia. Antecedens exemplo ostēditur in eo, qui per maleficium demoliri conaretur scientiam mathematicam, quam habet alter, aut impedire ne in actum exeat, & similia. Nota tamen circa hanc assertionem, nos dumtaxat liberare venditionem horum bonorum naturalium à simoniæ labe: & non ob id negamus, posse aliquando alijs vitiorum circunstantijs inquinari. Vt si quis habeat votum gratis docendi, & vendat suam doctrinam, peccat contra Religionem, & aliquando contra charitatem. Sed hoc per accidens est.

D Secunda assertio. Qui venderet suā doctrinam naturalem, ideſt, suas operas in docendo veritates naturales: imò etiamsi intēdat vendere ipsam veritatem, eo modo quo vendibilis esse potest; non est simoniacus. Probatur ex proximè præcedēti assertione. Sed contrà. Nam posterior pars huius assertionis est contra D. Tho. qui in quodlibeto citato venditionem veritatis naturalis simoniam vocat: & in hac quæst. art. 3. ad tertium dicit, grauiter peccare qui sic venderet. Respondetur: in illo quodlibeto, & in quarto sequutus est secundā sententiam: &

in

in ſumma ſe ipſo factus doctior, primã affir mat. Id verò quod addidit, vendentem veritatem grauiter peccare, non eſt intelligendum de peccato ſimoniæ, ſed iniuſtitiæ. Quia ſi vendere intentet ipſam veritatem; & accipere pecuniam pro re quam non poteſt dare: iniuſtus & fatuus eſſet. Si verò conſideretur veritas vt eſt obiectiuè in verbis, aut ſcriptis magiſtri; vt ſic non diſtinguitur à doctrina. Vnde licèt eſſet vendibilis, non poſſet vendi pretio diſtincto ab ipſa doctrina: quia qui tenetur docere; tenetur veritatem docere. Ergo vẽdere hoc modo veritatem diſtincto pretio à doctrina; eſt vendere idem bis: quod ad iniuſtitiam pertinet. Et hunc puto eſſe ſenſum genuinum D. Tho. qui expreſſe loquitur de eo, qui ex officio tenetur docere: & vlterius conatur vendere veritates ipſas. Eodem modo intelligendus eſt idem ſanctus Doctor, quando in citata ſolutione ad tertium inquit, eum qui habet ab Eccleſia ſtipendiũ vt doceat, non poſſe licitè aliquid recipere, neque vt doceat, neque vt aliqua feſta faciat, vel prætermittat. Vbi non ait, eſſe ſimoniam eam receptionẽ pretij: ſed non licere. Quare? Quia loquitur de Doctore ſtipendiato ad docendum liberales artes, ſeu ſcientias naturales. Et huiuſmodi Doctor peccat quidem, ſed non peccato ſimoniæ: quamuis vocent eam multi Doctores ſimoniam: ita Angelus verbo *magiſter*. num. 11. citans Hoſtienſem & alios: ſed re vera non eſt ſimonia, vt docuimus. Et quando diuus Thom. ait non licere, intelligitur, quia peccat contra iuſtitiam vendendo bis eandem doctrinam, vel carius quam par eſt. Pari tenore intelligendus eſt quando dicit, non licere eidem Doctori ab Eccleſia conducto aliquid recipere, vt aliqua feſta faciat, vel prætermittat. Nam ſi ille ratione ſtipendij tenetur docere tali die; contra iuſtitiam peccat ſi velit quaſi in die feſto otiari. Aut ſi vacare tenetur; non licèt illi pretio vendere vacationem: quia contra iuſtitiam, ad quã tenetur ex debito, peccabit; vel contra obedientiam, pro ratione obligationis. At verò ſi voluntariè & ſine ſtipendio doceat; non erit per ſe loquendo peccatum vendere priuationem operis, ſiue faciendi feſta, ſiue prætermittendi: & hæc eſt expoſitio literæ D. Thom. quidquid dicant Sylueſter verbo *doctor*. quæſtione decima, & Angelus verbo *Magiſter*. numero 14. nec mirum: nam ipſi ſequuntur primam ſententiam. Pari tenore dicendum de licentia do-

Angelus.

Sylueſt.
Angelus.

A cendi ſcientias naturales, ſi illa non pendeat à poteſtate ſpirituali, non eſt ſimonia vendere illam: erit autem peccatum contra iuſtitiam, quando Prælatus, vel Magiſtratus tenetur ex officio illam licentiam dare, putà quia Doctor idoneus eſt, & Reipublicæ intereſt vt doceat.

Ex præfatis aſſertionibus colliguntur multa. Primum eſt, nec ſimoniam cõmittere, neque peccare qui auget pretium ſuæ doctrinæ, vel propter doctrinæ nobilitatem, vel propter perſonæ dexteritatem in docendo; etiamſi labor corporalis maior nõ ſit: imò etiamſi minor ſit, aut nullus. De peccato ſimoniæ clarum eſt ex dictis co-
B rolarium. De alio verò genere peccati patet: quia in vendendis quæ iure vendibilia ſunt, non ſolùm attenditur ad laborem operis, ſed etiam & præcipuè ad artificij nobilitatem, & ad peritiam operantis. Ita & in doctrina naturali vendenda (de hac enim loquimur in præſenti) expenditur nobilitas maior ſcientiæ addiſcendæ, quæ ob id maioris æſtimationis, & valoris eſt: attenditur etiam peritia docentis. Quare iuſtè propter hæc augetur pretium doctrinæ. Quod & confirmatur ex vſu Academiarum. Nam cæteris paribus, maiore ſtipendio conducuntur magiſtri nobiliorum ſciẽ-
C tiarum: & peritiores carius vendunt ſuam doctrinam. Quare non benè dixit Gloſſa citata, teneri Doctorem ad dandum gratis conſilium, quando ſine ſtudio & labore illud dat. Eſt enim hoc falſum: quia illa actio non ſolùm ex labore, ſed ex ſe, & alijs circunſtantijs habet valorem. Et vna digna animaduerſione eſt: quòd docens in acquirenda peritia docendi, aut dandi conſilia, multas pecunias conſumpſit, multos labores pertulit, quæ omnia reddunt operas ſuas dignas maiori pretio, & æſtimatione.
D Colligitur ſecundò, non pertinere ad vitium ſimoniæ, pretium accipere pro dando conſilio in ordine ad mores, quod non excedit limites naturæ: ſiue illud eruatur ex principijs lumine naturæ cognitis, cuiuſmodi eſt illud quod habetur ex Philoſophia morali; vel à iure aliquo humano ſcripto, cuiuſmodi ſunt illa conſilia quæ dantur à Iuriſperitis ad vincendas lites, & ſimilia, quæ vendi licitè poſſunt, vt dicit Auguſtinus epiſtola 54. ad Macedonium, & refertur cap. vltimo 34. quæſtione quinta, cap. *non licet*. 12. quæſtione tertia, D. Tho. ſupra quæſtione 71. articulo quarto, & ibi eius interpretes, & multi Iuriſperiti, præci-

Auguſt.

D. Thom.

puè

pue cap. *per tuas*. Imò etiamsi consilia dentur in ordine ad virtutem naturalem colendam, & vitanda peccata contra legem naturæ puram: quia omnia hæc naturalia bona sunt, tam in se, quàm ex parte principij à quo procedunt, & ex parte termini ad quem tendunt. Caueant tamen huiusmodi pro pretio consulentes, ne limites iustitiæ excedant. De quo modò non disputamus. Habet hoc locum supra quæst. 71. art. 4. ad secundum. Colligitur tertiò ex eisdē assertionibus, non esse peccatum simoniæ vendere opera misericordiæ, nec per se loquēdo illicitum esset, nisi vbi lex charitatis vel misericordiæ aliud postularet. At si homo non teneretur aliqua alia lege; nō esset vllo modo illicitum: quia neque gratis necessariò dandum, neque est aliquid supernaturale. Idem dico de iudice vendente sententiam, qui non esset simoniacus: posset tamē esse iniustus, si officium teneatur aliàs exercere gratis, & non exerceat. Poterūt etiam testes, & iudices esse inobedientes contra legem prohibentem vt pro suo patrocinio, aut testimonio, vel huiusmodi, pecuniā nō accipiant. De quo alibi, quia hic non est locus ista disputandi. Similiter non erit simonia dare alteri pecuniam vt omittat aliquod opus bonū, vel ne alteri benefaciat, vel ne alteri maleficiat, vel ne inebrietur, & similia. Nam istæ priuationes continentur intra latitudinem materiæ naturalis, & merè humanæ: vnde nō possunt esse simoniæ materia. An verò ad alia vitia pertineāt? ex alijs circunstantijs pensandum est.

Ad argumenta in fauorem primæ sententiæ posita initio disputationis, respondendum est. Ad primum ex locis Prouerbior. ad duo priora, fortasse esse intelligenda de sapientia infusa Sanctorum. Vel si de naturali sapientia sermo sit; dicimus in primo loco asseri, sapientiam secundùm se spectatam, nobiliorem esse omnibus fortunæ bonis. Cum quo tamen stat, vt in ordine ad vsus humanos vendi possit: & quandoque minori pretio quàm aliæ res corporales. Etenim vt adnotauit diuus Augustinus 11. de Ciuitate cap. 16. in taxando pretium rerum venalium, non est earum dignitas attendenda; sed potius cōmoditas ad vsus humanos. Videmus namque pluris vendi equum generosum, quàm vile mancipium. Ad testimonium ex cap. 17. dicitur, esse intelligendum de inepto, & inhabili ad scientias addiscendas: qui licèt conducat pecunia egregios Magistros, in literis non proficiet. Secundò respondetur, vt non sit sermo de emptione, & venditione propriè, sed metaphoricè. Itaque Sapiens admonet quærendam esse veritatem, etiam emendo si oportuerit: idest, contemnendo diuitias, & omnia temporalia propter sapientiam. Et illud Sapientiæ septimo: *Noli vendere sapientiam*: idest, propter nullum emolumentum temporale desinas ab eius possessione, aut eam despicias: & ita præmiserat: *veritatem eme*: idest, cōpara, acquire omnibus medijs necessarijs, etiam contemnendo diuitias, & omnia temporalia propter eam. Similiphrasi vtitur Esaias cap. 55. *Venite & emite absque argento*. Et Matthæi 13. laudatur negotiator, qui propter Margaritam Regni cœlestis dedit omnia sua, & comparauit eam: idest, contempsit omnia temporalia, vt illam Margaritam acquireret. Ad secundum quod est Altisiodorensis, respondetur negando consequentiam: quia scientiæ naturales non sunt ab Spiritu sancto vt autor est gratiæ, sed vt autor est naturæ: quo pacto ab ipso omnes res sunt; neq; vendi possent si argumētum aliquid probaret. Quin imò addo, etiamsi scientiæ naturales essent datæ ab Spiritu sancto supra totum ordinem naturæ, vel infusæ per accidens, qualis fortasse infusa fuit Salomoni, aut Beseleel Iudæo: tamen actus qui ex illis proficiscuntur, vt doctrina, artificia eiusdem rationis & valoris sunt, atque si à principio naturaliter habito orirentur. Quare vēdere ea, non esset simoniacū neque iniustū per se loquendo. Sicut si alicui restitueretur miraculosè manus arida; suas operas & labores posset vēdere: sic & de doctrina naturali dicendum est, quamuis esset à principio per accidens infuso. Ad tertiū respondetur, non esse necessariū ad salutem, scire illam propositionem vt demōstrabilem: satis est per fidem ei assentiri, sicut facit maior pars fidelium. Scire enim per demonstrationem paucorum est.

Augustin.

In quarto argumento tāgitur difficultas, an in statu legis naturæ potuerit esse vera simonia? Cui vt respōdeatur, præmittēdū, statū legis naturæ dupliciter cōsiderari posse. Vno modo, vt cōsiderantur eius status dictamina; quatenus ex solis naturæ principijs, & lumine haberi poterāt. Altero modo, vt ratio naturalis eleuata per fidē, poterat dictare de agendis vel vitandis, per dictamina cōnaturalia fidei, & lumini supernaturali. Et si isto modo secūdo consideretur

ſtatus legis naturæ, haud dubium, quin in eo vixerint fideles omnes ante latam legē Moyſi: & in ipſo fuerunt gratiæ gratis datæ, vt prophetia: fuerunt etiam Sacerdotia, aliqua Sacramenta, ſacrificia, & orationes: quorum venditionem perſpicuum eſt ad ſimoniam pertinere. Imò de facto aliqui ſimoniaci extiterunt in ſtatu illo legis naturæ, vt Eſau, & Ephron: de quo inferius. At verò ſi primo modo conſideretur ſtatus legis naturæ, qui à Doctoribus Scholaſticis dicitur ſtatus in puris naturalibus: non mediocris diſputatio eſt, tacta in argumento quarto: an in illo ſtatu potuerit reperiri ſimoniæ vitium? Pro cuius parte affirmatiua arguitur primò: quia in eo ſtatu poſſet, & deberet eſſe cultus Dei religioſus: qui cùm potiſsimè cōſiſtat in ſacrificijs; deberet eſſe ſacrificiū, & Sacerdotium pro eo offerēdo, inſtrumenta ad Dei cultum externū deputata, ceremonię religioſæ quibus cultus Dei perageretur, ea quæ ſuo modo ad Dei fauorem impetrādum, & beatitudinem naturalem conſequendā deſeruirent, vt conſtat ex dictis à nobis in materia de ſacrificio. Ergo vendere huiuſmodi, quæ ad Dei cultū ordinarētur, venditio contra Religionē naturalem eſſet: & conſequenter ſimoniacū. Probatur conſequētia: quia poſita humana inſtitutione, habent omnia relata ſufficientē dignitatem propter habitudinē ad Dei cultū, vt contra rationē eſſet ea vendere; nimirū quia vileſcerent ipſa, & Dei cultus. Confirmatur: quia circa præfatas res cultui diuino dicatas in illo ſtatu, poſſet eſſe verū ſacrilegiū, vt ſi illæ conculcarentur, aut ad vſus profanos transferrētur. Nam ſacrilegiū Religioni ex natura rei opponitur: ideòque vbi eſt vera Religio, etiam verū ſacrilegiū eſſe poteſt. Ergo etiam poſſet eſſe vera ſimonia: quia per emptionem indignè tractaretur. Secundò arguitur ad probandū, in eo ſtatu poſſe reperiri ſimoniam, ſaltem iure poſitiuo prohibitam. Etenim poſſet Reſpublica prohibere earum rerum venditionem propter Dei cultus honorem: ergo tunc ſimonia eſſet eas res vendere. Propter hæc & ſimilia argumēta, Victoria in relectione de ſimonia num. 20. & 21. putat, in eo ſtatu, ſi eſſet, poſſe reperiri ſimoniæ vitium: & de facto reperiri inter Ethnicos, quatenus mera ratione naturali vtuntur. Et alij moderni illum ſequūtur dicentes, eſſe alterius rationis à ſimonia, quæ nunc eſt; quia Religio cui opponeretur eſſet alterius rationis, putà virtus acquiſita, & nullo modo infuſa.

Victoria.

A Nec exiſtimo hanc ſententiam improbabilem, etiam apud eos qui cenſent non eſſe ſimoniam vendere dona naturalia intellectus ac voluntatis.

Nihilominus oppoſitam ſententiam negatiuam probabiliorē iudico. Et probatur, quia obiectum ſimoniæ eſt donum Dei ſpirituale & ſupernaturale, vt in principio diſputationis probaui: ſed in ſtatu purę naturę nil tale reperiretur: ergo. Secundò. Omnes rationes à D. Tho. allatæ ad probandū malitiam ſimoniacæ emptionis, aut venditionis, non procedunt in venditione rerū illius ſtatus, etiāſi ad cultū Dei ordinarētur. Etenim B omnes illæ res non eſſent acceptæ gratis, vt gratis deberent conferri: ſed humana induſtria acquiſitæ, & inſtitutæ immediatè; ac ſubinde earum compararēt homines, vel Reſpublica dominiū: ergo ſine alicuius iniuria pretio poſſent venundari. Confirmatur: quia earum inſtitutio ad Dei cultū eſſet, ſicut inſtitutio ciuilis Magiſtratus: quē vendere neque ſimonia eſt, neque intrinſecè malum, vt alibi latè tractatur. Vnde ius Ciuile innixum rationi naturali, Sacerdotium legis naturæ, & ciuilem Magiſtratum in venditione æquiparat in l. *ſi quis.* 11. ff. de pollicit. vbi ſic dicitur: *Si quis ob honorem* C *vel Sacerdotium pecuniam promiſerit; & an tequam honorem vel magiſtratum ineat decedat: non oportere hæredes eius conueniri.* Supponitur, conditione impleta poſſent hæredes conueniri, atque adeò vtrumq; potuiſſe vendi, ſaltem Reipublicæ autoritate.

Ad argumenta pro oppoſita ſententia reſpondetur. Ad primū negatur conſequentia. Ad probationem negatur, ex tali vendi tione irreuerentiā vllam Deo irrogari: nec propterea vileſceret Dei cultus. Etenim nulli fit iniuria, ſi quis vendat ea quæ non gratis, ſed ſua induſtria cōparauit, & ea quæ ſui arbitrij ſubduntur poteſtati; ac proinde quorū eſt dominus. Fateor, in maiori pre- D tio haberentur propter extrinſecam deputationem ad diuinum cultum: ſed non vſq; adeò extollerentur, vt exirent limites naturalium bonorum; quorum venditio ſine vllius iniuria fit. Ad confirmationem nego conſequentiā: quia cùm ſacrilegium ſit intrinſecè violatio rei ſacræ, & irreuerens tractatio; & in illo ſtatu eſſent res ſacræ, ideſt deputatę ad diuinū cultum naturalem: poſſet illud reperiri. At emptio & venditio rerum, quarum eſt homo dominus, & quæ nō accepit gratis; non eſt irreuerens tractatio earum. Ex quo patet, latius diffundi materiam

riam ſacrilegij, quàm ſimoniæ, & maiorem deformitatem continere: cùm illud in puris naturalibus reperiri poſſet; hæc verò nequaquam.

Ad ſecundum reſpondetur: fortaſſe ſimonia Iurispoſitiui poſſet in eo ſtatu reperiri: nos verò loquimur de ſimonia iure naturæ prohibita. Secundò reſpondetur: neque ſimoniam prohibitam iure poſitiuo cõcedimus, in eo ſtatu reperiri poſſe. Et pro ſolutione argumenti aduertendum, non eſſe in poteſtate legiſlatoris iubere actum, vel ceſſationem ab actu vt neceſſariã in ordine ad certæ virtutis finem: ſed neceſſe eſt, eum actum aut prohibitionem aliquo modo affinem eſſe, aut pertinere, ſeu conducere ad finem virtutis aſſequendum: v.g. ſi lex cõderetur intuitu abſtinẽtiæ, ne quis ſaltaret, ridicula eſſet lex: quia ſaltare, vel non ſaltare nullo modo poteſt conducere, vel obeſſe fini abſtinentiæ. At lex quæ iuſsit in Quadrageſima abſtinere à carnibus propter abſtinentię finem, iuſta eſt. Et licèt aliàs abſtinentia cum eſu carnium incolumis perſeuerare poſſet; tamen multum conducet eius virtutis fini abſtinere à carnibus, quibuſdam ſtatutis temporibus. Ita dico in præſentiarum: ſi eſſet lex in ſtatu puræ naturæ, de non vendendis rebus ad cultum Dei naturalẽ deſtinatis; pertineret ad obedientiam, vel quid ſimile: non verò ad finẽ religionis: quia nulla religio eſſet non vẽdere, neque vlla irreuerẽtia fieret Deo, aut illis rebus ſi venderentur. Itaque vendere, vel non vendere, non circunſtat, neque cõducit ad finem religionis; ac ex conſequẽti Legiſlator vetans venditionem, non benè exigeret quaſi actum neceſſarium religioni, vt eæ res non venderentur. Quare ad argumentum nego antecedens.

Vltimum argumentum parum negotij faceſſet nobis, qui tenemus non eſſe ſimoniam vendere vera ſacerdotia legis purè naturalis: & conſequẽter falſa ſacerdotia idolorum. Illi verò qui tenent oppoſitam ſententiam, variè loquuntur de venditione Sacerdotij idolorum. Omneſque in hoc cõueniunt, vt putent, ſaltem ex conſcientia erronea putantium, vera, imò & ſupernaturalia ſacerdotia vendere, ſimoniam cõmitti. *Victoria.* Alij verò, vt Victoria citatus, ſecluſa conſcientia erronea, putat in venditione illorũ Sacerdotiorũ fuiſſe veram ſimoniam: quia in quauis Republica, extra legem ſcriptam, & gratiæ, erat vera poteſtas eligendi Sacerdotes pro cultu Dei: ergo illi electi verum obtinebant Sacerdotium; ac proinde illud vendere, ſimoniacũ eſſet. Sed certè illa poteſtas non erat ad eligendum Sacerdotes pro cultu falſorum Deorum: pro quibus colendis ipſi ea poteſtate abutebantur. Quare cordatius loquuntur qui tenent, ea Sacerdotia eſſe falſa, & non Sacerdotia. Vnde ea vendere ſimoniacum erat ex conſcientia erronea putantium ea eſſe vera, & nihilominus contra dictamen rationis vendebãt. Illud verò quod additur in argumẽto, Hieroboam vendentem Sacerdotia vitulorum aureorum fuiſſe ſimoniacum; multi Sancti affirmant, quos citat Abulenſis ſuper illum locum quæſt. 41. & fit veroſimile ex Tharaſio cap. *eos.* citato. Sed illi ſunt intelligendi, eſſe ſimoniacum propter conſcientiam erroneam. Nam licèt ipſe Hieroboam ea Sacerdotia inſtituiſſet, & ex hac parte deberet putare ea Sacerdotia eſſe falſa; ac proinde in eorum venditione non habere conſciẽtiam erroneam: tamen credo in tantam cæcitatem deueniſſe, vt putaret, ſe tanquã Regem Iſraël potuiſſe ſupernaturalia, & vera Sacerdotia inſtituere. Sicut modò dicitur de Regibus Angliæ putantibus ſe in Regno ſuo eſſe Eccleſiæ capita. Itaq; ſiqui Sãcti reperiantur id dixiſſe, intelligendi ſunt ſuppoſita conſcientia erronea Hieroboam. Mitto modò quòd non habetur expreſſum in ſacro textu, Hieroboam Sacerdotia vendidiſſe. Sacer Textus ſic habet: *Et fecit Hieroboam de nouiſſimis populis Sacerdotes excelſorum: quicunque volebat implebat manũ ſuam, & fiebat Sacerdos excelſorum, &c.* 3. *Reg.* 13. Illi qui putãt fuiſſe ſimoniacum ſic interpretantur illud: *Qui volebat, implebat manum ſuam*: ideſt, manum Hieroboam pecunia. Alij verò aliter explicant, vt non intelligatur de manu Hieroboam, ſed de manu eius qui volebat fieri Sacerdos. Dicitur autem implere manum: quia conſecrabat, & initiabat manum ſuam, vel vnctione & ritu, ad modum quo Sacerdotes veri legis ſcriptæ inungebantur; vel applicando illam ad ſacrificia iuxta ſuos falſos ritus. Sic explicãt *Abulenſ.* vbi ſupra, & *Caietanus* ſuper illũ locum. Et conſonat locus ſacer. 2. Paralip. 13. qui explicans modum quo fiebant illi falſi Sacerdotes, inquit: *Quicunque venerit, & initiauerit manum ſuam in tauro de bobus, & in arietibus ſeptem, fit Sacerdos eorum qui non ſunt Dij.* Affinis præcedenti ſit

Abulenſ. *Tharaſius.* *Abulenſ.* *Caietan.* 2. *Para.* 13.

DISPVTATIO V.

An pro docenda Theologica scientia liceat accipere pretium sine vitio simoniæ?

ETvidetur vera pars negatiua. Primò quia primæ ad Corint.12.& ad Ephesios 4. inter ministros Ecclesiæ enumerantur Doctores; nimirum doctrinæ Theologicæ. At vēdere ministeria Ecclesiastica, simonia est: ergo. Confirmatur: nam pro actu concionādi accipere pretium, simonia est, vt omnes concedunt: ergo pro actu docendi veritates Theologicas. Nam contingit sæpe eandem esse materiā, easdem esse veritates, quę in Cathedra docentur, & quæ à concionatore è suggesto proponuntur. Secundò: cap. 1.2.& 3. de Magistris, iubetur non accipi pretium pro licentia docendi: aliàs agitur contra illud Matth.10. *Gratis accepistis, gratis date*. quod testimoniū allegatur cap.2. in quo etiam cōsistit simoniæ malitia. Ergo potiori ratione simonia erit, accipere pretium pro ipsa doctrina, ad quam ordinatur docendi licentia. Imò in cap. 1. dicitur, ne accipiatur quidquam sub obtentu consuetudinis cuiusque, ab his qui docent. Tertiò: Theologica doctrina descendit à principijs fidei, versatur circa res spirituales, & ordinatur ad finem supernaturalem, putà ad gignendam, nutriendam, & roborandam fidē, vt docet August.14.de Trinitat.cap.1.ergo vndique supernaturalis est, scilicet ex parte principij, materiæ, ac finis; ac proinde eam vendere simonia est. Dicet quis: non est immediatè à fide vt à principio, sed à scientiæ Theologicæ habitu, qui naturalis est, & nostro labore comparatus, sicut aliæ scientiæ naturales. Contrà: nam assensus Theologicus certior est alio quocunque assensu demonstratiuo aliarū scientiarum, vt dicitur in principio primæ partis à D.Tho. & eius discipulis. Sed talem certitudinē necesse est habere ortū ex supernaturali principio: atque adeò in se aliquid supernaturalitatis habere, ratione cuius vendi nō potest absque simoniæ vitio: ergo. Confirmatur. Gradus magisterij in Theologia, quid spirituale est: ergo docere virtute illius, est quid spirituale. Vltimò. Si doctrina Theologica vendi, & emi posset; sequitur esse simoniam conferre præbendam, siue beneficium Ecclesiasticum pro docenda scientia Theologica: eo quòd daretur beneficium pro re, quæ pecunia æstimatur. Consequens est contra consuetudinem Ecclesiæ, vt patet rubrica de Magistris in Decretalibus: ergo.

1.Cori.12. ad Ephe.4.

Matt.10.

August.

D.Thom.

Propter has & similes rationes, non solū illi autores, qui tenent, scientias naturales vendere esse simoniam; verum & alij qui id negāt, loquentes de sacra doctrina qualis est Theologica, quæ versatur circa res supernaturales: quamuis per demonstrationes, & laborem comparetur, dicunt esse materiam simoniæ; ac eius venditionem esse simoniacam. Ita Palud. in 4. distinct. 25. q. 5. num.20. & diuus Antoninus secunda parte titulo 1.cap.5.§.7.notab. 6.in fine. Syluester verbo *simonia*. quæst.10. Sed iste postremus cū duplici limitatione. Vna, quod quis doceat Theologiam tanquam ex officio vt magister: altera, quòd doceat ex pacto. Opposita sententia est communis in Scholis, maximè apud interpretes D.Tho. circa hanc quæstionem. Tenent eam Adrianus, Victoria, & ferè omnes citati, asserentes scientias naturales posse vendi: & ex Iuris peritis, Glossa in cap. *vendentes*. 1.q.3. Quæ sententia nobis verisimа videtur. Pro cuius ampliori declaratione præmittendū, in hac doctrina tres modus seu genera docēdi reperiri. Vnum est, conclusiones Theologicas doceri, deducendo conclusiones ex principijs quidem reuelatis, deductione habita nostra industria, ingenio, & labore, siue per demonstrationē, siue per rationē probabilem: & eas conando mentibus auditorum inserere, tantū ad eas instruendum in eis. Secundus modus docendi veritates supernaturales est, verbū Dei proponendo populo infideli, ad persuadendam fidē, vel cupiēti esse fidelem, fidei rudimenta, ideſt articulos fidei: aut verò iam baptizatis, exhortando ad fidei perseuerantiam, ad Dei amorem, & timorem. Quæ omnia complectitur Prædicatorum Euangelicorum munus. Tertius modus edocendi à Theologo exercetur dando consilia petentibus, in ordine ad conscientiæ puritatem, vel seruanda præcepta, vel à malis abstinendum. Hoc fundamento præiacto

Paludan. Antonin. Sylueſt.

Adrian. Victoria.

Gloſſa.

Prima assertio sit. Vendere doctrinam Theologicam, quæ versatur circa actus primi generis, nō est simonia. Probatur: quia dato oppositō; dānare cogeremur vsum ferè omnium Vniuersitatū, & Ecclesiarū benè institutarum, quæ pro Theologiæ scientia edocenda, assignant stipendia non solū sustēn-

ſtentationis, verũ & pro dignitate edocentiũ maiora ac maiora. Quem vſum damnare vt ſimoniacum, temeritas eſt. Secundò. Cãtor qui fundit preces in choro, quamuis pro ipſis orationibus non poſsit pretiũ accipere: ſed pro labore, induſtria, & artificio pſallendi, poteſt: ergo idem efficere valebit Theologus pro edocẽdis veritatibus Theologicis. Certè ſi non liceret vendere doctrinam Theologicã, neque etiam liceret vẽdere labores in docendo eam ſcientiam: quia vbi actio vendi non poteſt, neque etiam labor in ea aſſumptus, vt infra videbimus. Hoc argumento vtitur Victoria, & benè. Tertiò. Non eſt ſimonia vendere ius ad docendum Theologiam, vt patet in ſcholaribus vendentibus ſua ſuffragia: qui licèt peccent; non tamen vitio ſimoniæ: ergo neque erit ſimonia vendere ipſam edoctionem in Cathedra. Vltimò. Illa edoctio Theologicarum veritatum non eſt ſupernaturalis, neque ex parte principij, vt videbimus ſoluẽtes argumenta pro prima ſententia: neque ex parte modi, quia per demonſtrationes, aut rationes probabiles procedit, ad eũ modum quo docentur aliæ ſcientiæ naturales: neque ex parte termini; tùm quia illa actio docendi per ſe non ordinatur ad ſpiritualẽ ſalutem audientis, ſed ſolùm ad inſtructionem intellectus in quibuſdam veritatibus, ſine quibus poſſent homines ſaluari: tùm quia illa doctrina per ſe non habet mouere voluntatem ad aliquem affectum ſupernaturalem, ſed ſolùm intellectum dirigit ad cognitionem naturalem aliquarum rerum ſupernaturalium modo quodam naturali, ſcilicet per diſcurſum naturalem. Ergo licebit pro illa actione pretium accipere, nõ minus quàm pro edoctione veritatum naturalium, quæ per diſcurſum naturalem noſtro labore partum diſcuntur. Aduertendum tamen eſt, quòd ſi quis doceret veritates Theologicas, ſiue pertinentes ad Theologiam Scholaſticam, ſiue Poſitiuam, ſine vlla induſtria ſiue diſcurſu præcedente; ſed ex afflatu Spiritus ſancti, & dono Dei mouentis intellectum, & linguam docentis, ſicut Apoſtoli egerunt, quibus dictum eſt Matth. 10. Matth. 10. *Ad præſides & ad Reges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gẽtibus. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quo modo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Qui ex hoc (inquam) afflatu doceret accepto pretio, ſimoniacus eſſet. Probatur, quia actus ille docẽdi, ſpiritualiſsimus, & ſupernaturalis eſſet: & potiſsimè ab Spiritu ſancto vt autor gratiæ eſt. Cõfirmatur: quia eſſet actus procedẽs à gratia gratis data: ac ideò inuẽdibilis. Obijcies, nos dixiſſe, actus ſcientię infuſæ per accidẽs poſſe vendi, ſicut ſcientiæ acquiſitæ. Itẽ, ſi D. Paulus doceret Theologiã in Cathedra pretio accepto, nõ eſſet ſimoniacus, quãuis eam ex infuſione Spiritus ſancti acceperit: ergo hæc aduertentia falſitate non caret. Reſpondetur negando conſequentiã: quia in caſu noſtræ aduertentiæ, actus ipſe docendi ſupernaturalis eſſet, & procedens ab Spiritu ſancto vt autore gratiæ. At verò in caſu obiectionis, edoctio illa naturalis eſſet, licèt à principio infuſo per accidens: quod non obſtat, quominus actus ab eo procedẽs naturalis ſit; & conſequenter vendibilis. Secundò aduertendũ circa eandem cõcluſionem, nos dumtaxat loqui de venditione doctrinæ Theologicæ, ideſt actionis per quã mens diſcipuli, cognitione ſimili ei qua pollet magiſter docens, imbuitur: nõ verò loquimur de veritatibus ipſis Theologicis: quas vendere, ſeu conari vendere, ſimonia eſt. Probatur. Veritates illæ Theologicę ſupernaturales ſunt, & incluſæ in principijs ſupra naturam: ergo venditio illarum ſimoniaca eſt. Et in hoc diſtinguitur Theologia à cæteris ſcientijs naturalibus, quarum veritates vendere, aut conari vendere, diximus non pertinere ad ſimoniam.

Secunda aſſertio ſit. Accipere pretiũ pro omnibus & ſingulis actibus, comprehenſis in ſecundo modo edocẽdi veritates Theologicas; ideſt pro actu concionandi, ſimonia eſt. Aſſertio cõmunis eſt omnibus Doctoribus citatis, & qui poterãt citari: & habetur expreſſe à D. Tho. præcipuè in art. 3. quæſtionis huius ad 3. Et probatur ex Matth. 10. vbi Chriſtus Dominus dixit Apoſtolis: *Euntes prædicate, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, &c.* Et ſubdit: *gratis accepiſtis, gratis date.* Quę verba ad omnia relata iuſſa fieri referenda ſunt, ex omnium cõſenſu. Secundò, quia in prædicationis munere concionator inſtrumentũ Dei eſt, gerens Dei vices, iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittãtur?* Ergo prædicatio prius eſt opus Dei: quam ſiquis vendat, rem valde ſpiritualẽ vendit. Tertiò: munus concionandi totum ordinatur ad fidem generandam, vel confirmandam; aut verò ad inflammandas voluntates audientium in Dei amore, & timore, & alijs huiuſmodi;

D. Thom. Matth. 10. ad Ro. 10.

quì effectus ab Spiritu ſancto ſunt: ergo ſpiritualiſsimum quid eſt, & inuendibile; ac proinde accipere pretium pro ipſo, ſimonia eſt. Circa hanc aſſertionem aduerte: fuiſſe aliquos putantes, quòd edocentes fidei rudimenta populo fideli ad iuuandam eorum memoriam, aut exercendam, accepto pretio, non eſſe ſimoniacos. Quibus non aſſentior: eo quod edoctio articulorum fidei non exuit naturam cõcionis, ſed de ſe ordinatur non ſolùm ad diſcendũ ſpeculatiuè, ſed etiam practicè operandum. Vnde & illa edocentes pretio accepto, ſimoniam incurrunt. Sicut concionator è ſuggeſto loquens ad populum verba de ſe ordinata ad mores componendos; quidquid ipſe fingeret, aut audientes, de memoria adiuuanda aut exercenda, ſi pretium acciperet ſimoniacus eſſet. Si pretiũ, inquam, acciperet: nam de ſtipendio ſuſtentationis poſtea dicemus.

Circa tertiũ genus doctrinæ, quod exercetur à Theologo præbendo conſilia petentibus, vt clarè procedamus aduertere oportet: varijs modis talia conſilia exhiberi poſſe. Primo modo in ordine ad externũ forum. Et hæc conſilia citra dubium vendi à Theologo poſſunt ſine ſimoniæ crimine: tùm quia ille conſiliandi actus merè naturalis eſt, & conditio vel ſcientia perſonæ accidentaria. In his enim conſilijs dandis, Theologus potius agit Iuriſperitũ, aut Philoſophum moralem, quàm Theologum. Vnde ſicut ij vendere poſſunt ea cõſilia: ſic & Theologus. Secundo modo poſſunt cõſilia dari à Theologo, per modum ſuaſionis ad virtutem excolendam. Et tunc illa conſiliatio, cùm ſit quædam priuata concio, nequaquam vendi poteſt ſine ſimoniæ crimine, vt de actu concionandi dicebamus. Tertio modo conſilia poſſunt dari ad pacandã conſcientiam interrogantium, & in illius foro. Et iſto pacto

Tertia aſſertio ſit. Si Theologus, vel quiuis alius etiam Iuriſperitus talia conſilia vẽdat; ſimoniacus eſt. Hanc aſſertionem tenẽt communiter omnes moderni diui Thomæ diſcipuli, à tempore Victoriæ vſq; nunc. Ab hac ſententia communi diſcedit vir egregiè doctus Franciſcus Suarez, lib. 4. de ſimonia cap. 18. dicens, ſi conſilium ſiſtat in pura inſtructione, non eſſe materiam ſimoniæ: etiamſi ab interrogante petatur ad pacandam conſcientiam ſuam, vel ad dirigendam illam. Probat primò ex diuo Thom. in articulo tertio ad tertium dicẽte:

Suarez.

D. Thom.

Licitè poteſt pretium ſuæ doctrinæ, ſine conſilij accipere. Vbi ſicut generaliter loquitur de doctrina, etiam Theologica; ita etiam loquitur de conſilio. Secundò. Huiuſmodi conſilia immediatè ordinantur ſolùm ad inſtructionem intellectus in illa materia morali. Sed illa inſtructio non eſt minus naturalis, quàm ſi daretur in materia ſpeculatiua. Nam ſi conſideretur ſcientia, à qua conſilium procedit; eſt parta labore humano, & merè acquiſita. Si verò conſideretur modus tradendi illam cognitionem, eſt etiam per modum humani magiſterij. Quòd ſi ſpectemus ad proximum effectum, & quaſi intrinſecum finem illius conſilij; ſolùm eſt formare intellectum alterius in cognitione talis veritatis. Quòd verò à diſcente ordinetur ad pacandam conſcientiam ſuam, vel ad alios fines; extrinſecum eſt, & nõ mutat naturã actionis, vt eſt ab ipſo Doctore. Hoc eſt huius opinionis fundamentum. Cõfirmatur: quia ſiquis conſulat Theologum, an talis contractus ſit vſurarius? ſolummodo vt doctior fiat, vel magis idoneus ad audiendas confeſſiones, vel conſulendum alijs; poteſt Theologus ſine ſimonia ſuam reſponſionem illi vendere: quia illa ſolùm habet rationem priuatæ doctrinæ. Ergo idem dicendum eſt, ſi qui interrogat intendat per eam reſponſionẽ conſulere conſcientiæ ſuæ. Probatur conſequentia: tùm quia intentio interrogantis non mutat naturã actionis, neq; enim Theologus reſpondens, quantum eſt ex parte ſua plus operatur cum vno quàm cum alio: tùm etiam, quia reſpondens non tenetur ſe conformare intentioni alterius: ſed poteſt ſolùm intendere docere illũ veritatem, qua ipſe poterit vti in bonum conſcientiæ ſuæ, ſi voluerit.

Mihi verò non libet à communi ſententia recedere: quia veriorem exiſtimo. Et probatur: quia huiuſmodi conſilia ſunt de materia ſupernaturali, & ordinãtur ad finẽ ſupernaturalem. Supponimus enim ordinari ad reformandos mores, & pacandam cõſcientiam interrogantium: ergo ea vendere ſimonia eſt. Confirmatur ex ipſamet vocabuli ſignificatione. Conſilium enim, & doctrina differunt, quia doctrina ordinatur ad ſpeculationem: conſilium verò ad opus; eſt enim prudentiæ actus. Fortè reſpondebis ex doctrina præfati autoris: per accidens ordinari ad opus, putà ad pacandam conſcientiam interrogantis: iſte autem finis extrinſecus eſt, qui non

mutat

mutat naturam actionis. Et intelligenda eſt reſponſio de fine interrogantis: non de fine dantis conſilium. Benè enim ſciebat perdoctus iſte autor, finem operantis actionum, in moralibus dare ſpeciem, & naturam actionis: & licèt non in eſſe phyſico; in eſſe tamen morali mutare naturam actionum. Exemplum ſit in hac eadem materia. Nam eadem verba, & eadem prorſus doctrina vt ordinatur à Theologo ad inſtruendam mentem, vt fit in cathedra, eſt purè ſpeculatiua: & ſi ordinetur ad inflã mandas voluntates audientium, ad quod ordinatur à concionatore, pertinet ad exhortationem ſalutis. Si verò ordinetur priuatè ad pacandam conſcientiam interrogantis; habet rationem conſilij. Intelligendus eſt ergo de fine interrogantis, qui videtur eſſe omninò extrinſecus, vt faciat doctrinam pertinere ad ſpeculationem, vel ad praxim. Contra hoc arguitur ſecundò. Quando quis docet interrogantem de conſcientiæ ſuæ pacatione, & vitæ reformatione: non ſolùm eſt docens, verùm & præcipuè reſpondens ad quæſita, iuxta mentem, & finem interrogãtis. Sed interrogans ordinat ſuam interrogationem ad finem ſalutis æternæ conſequendæ: ergo reſponſio ad eundem finem ordinatur. Ac proinde finis ille practicus, non ſe habet per accidens ad reſponſionem Theologi, etiam quatenus ab illo procedit, ſed per ſe includitur in reſponſione, ſicut in interrogatione. Maior videtur clara: aliàs nõ benè exerceret munus reſpõdentis; dum interrogans vnum intenderet, & reſpondens aliud. Et ſic humana conuerſatio plena thecnis & dolis, ſi non inutilis, ſaltem captioſa, & moleſta redderetur: maximè dicente diuo Thoma ſecunda ſecundę, quæſtione 69. articulo primo, reſpondentem debere conformari menti, & intentioni interrogantis, quando iure interrogatur. Confirmatur. Si tam reſpondens, quàm interrogans, in conſilij datione, & receptione intenderent pacationẽ & reformationem interrogantis: qui venderet ſuum conſiliũ ſimoniacus eſſet, aliàs nunquam in conſilijs dandis cõmitteretur ſimonia, quod eſt contra communẽ Doctorum ſenſum. Ergo idem dicendum quotieſcunque interrogans, de ſuæ conſcientiæ pacatione inquirit. Tertiò, quia in illa reſponſione ad conſcientiæ puritatem ordinata, Spiritus ſanctus præcipuè operatur: homo verò vt inſtrumentũ eius, ſicut de concione dictum eſt. Sed nunquam licet accipere pecuniam pro concione: ergo neque pro cõſilio ad puritatem vitæ, & morũ reformationem ordinato. Quartò. Non exiguam temporis partem conſumit Theologus dandis reſponſis: non quidem per modũ exhortationis ſicut concionatores ſolent, ſed pro conſcientijs interrogãtium pacandis. Ergo ſi liceret eis pro his conſilijs pecuniã accipere, non attento fine interrogantium, ferè ſemper liceret pretium ſuorum conſiliorũ accipere. Quam doctrinam libenter ampleteretur Theologus pecuniarum cupidus: meritòque diceretur Theologia, ſcientia de pane lucrando, ſicut de Iuriſperitia dici ſolet. Sed hanc viri timorati nõ audent in praxim deducere. Quintò. Aſſertio viri alias doctiſsimi videtur contradictionẽ inuoluere. Nam ſi conſilium ordinatur ad conſciẽtias pacandas; ſicut probauimus ordinari, hoc ipſo quòd interrogans ita ordinat, & reſpõdens ſimiliter, ne doloſe reſpondeat: ergo non ſiſtit in ſola inſtructione intellectus. Quod ſi dicatur ſiſtere: certè nõ ordinatur ad conſcientiam pacandam. Demum, nam ſi Theologus, vel quiuis alius verſatus in documentis traditis à ſanctis Patribus pro vita ſpirituali exercenda, interrogetur ab aliquo de aliqua vocatione, an ſit à Deo, nec ne: vel de reuelatione aliqua, an ſit à bono vel malo ſpiritu, vel de modo orãdi, & meditandi, vel de modo vincendi aliquam tentationem: ipſe verò reſpondeat, non ductus ab aliquo principio ſupernaturali: v. g. diſcretione ſpirituum, vel alio ſimili, ſed iuxta ea quæ didicit in Patrũ libris, vel experientia: ſequitur talem reſpondentem poſſe pro ſuo conſilio pecuniam accipere, non curãdo de intentione interrogantis, & fine ſpirituali. Probatur ſequela: quia illud conſilium, cùm non ſit à principio ſupernaturali, neque fiat ſpirituale ex intentione interrogantis, cur enim fiet; & non illud de conſcientiæ puritate? Conſequẽs autẽ illatum nemo concedit, neque præfatus autor: ergo. Ex dictis infero, nõ licere Theologo, neque Iuriſperito interrogato de caſibus conſcientiæ ad pacandum conſcientiã interrogantiũ, pretiũ pro reſponſione accipere. Eſt tamen diſcrimen inter Theologũ, & Iuriſperitũ. Nam hic ferè ſemper interrogatur in ordine ad lites, & forũ exterius: ille verò ad pacandas cõſcientias in earũ foro. Quod ſi ad quietẽ cõſciẽtiæ rogẽtur, neuter poteſt pecuniã pro ſuo cõſilio poſcere, aut accipere. Sequitur ſecũdò: ſi quis interroget Theologũ, an talis contractus ſit vſurarius,

D. Thom.

vel quid ſimile, vt doctior fiat, & magis inſtructus ad confeſsiones audiendas, vel cõſulendum alijs: poteſt ſine ſimonia ſuum reſponſum illi vendere. Secus in conſilijs noſtræ controuerſiæ, in quibus interrogãs ſimpliciter, & ſine dolo interrogat, volens conſulere ſuæ ſaluti: cui intentioni debet conformari reſpõdens, ne doloſus reſpondens ſit.

Ad argumenta pro ſententia citati autoris reſpondetur. Ad primum ex teſtimonio D. Thom. reſpondetur, ſanctum Doctorem ſicut ibi non expreſsit de qua ſciẽtia loqueretur; ita neque de quo conſilio. Quare ad verificationem illius, ſat eſt aliqua conſilia poſſe vendi: verbi gratia, ea quæ ad fines naturales ordinantur. Conſilia autem, de quibus loquimur, ad finem ſupernaturalem ordinari iam oſtendimus. Vnde de eis non eſt cenſendus loqui. Ad ſecundum negatur maior, & minor. Falſum etenim eſt, ea conſilia ordinari immediatè ad inſtructionem intellectus in illa materia morali. Quare non ſunt dicenda purè doctrinalia, ſed potius practica. Item falſum eſt dicere ea non eſſe ſpiritualia: ſunt enim ex parte finis ad quem ordinantur, putà prouidere conſcientiæ, & puritati interrogantium, vt in probatione noſtræ ſententiæ docuimus. Ad confirmationem conceditur antecedens: & extendimus ad interrogantem à Theologo, vt ſciat opinionẽ eius: vel quod ſæpe accidit, doloſe: quaſi interrogans propter ſuæ vel alterius conſcientiæ puritatem; re vera autem tantùm rogat, vt autoritate, & ſcientia reſpondentis alium ſubruat, cum quo contenderat. Hæc enim & ſimilia conſilia vendi poſſent ſine vitio ſimoniæ: quia primò & per ſe ad inſtructionem mentis, vel ad alios fines naturales, & non ſpirituales ordinantur. Secus in conſilijs noſtræ controuerſiæ, in quibus interrogans, ſimpliciter & ſine dolo interrogat, volens conſulere ſuæ conſcientiæ, & mentis puritati. Cui intentioni debet conformari reſpondens, ne doloſus reſpondens ſit: imò non reſpondens, niſi, vt dicitur, ab angulo ad parietem. Quare negatur conſequentia confirmationis. Ad primam probationem reſpondetur, intentionem interrogantis quando ſimplex, & recta eſt, mutare naturam reſponſionis, & in ſpecie morali eam reponere: quia à tali intentione prouenit, vt reſpondens debeat conformari rectæ interrogantis intentioni, vt declaraui in ſecũdo argumento pro noſtra ſententia. Reſpõdentis autem intẽtionem, mutare naturam actionis reſponſiuæ; non negabit prædictus Pater: ſciens eandem actionem in eſſe naturæ ad diuerſas pertinere ſpecies in eſſe morali. In hac materia exemplo comprobaui. Et propter eandem rationem, finis interrogantis, quando idem eſt cum fine reſpondentis, non eſt extrinſecus reſponſioni, vt à reſpondente procedit. Ad ſecundam probationem conſequentiæ dicitur, in his & ſimilibus caſibus, teneri reſpondentem ſe conformare intentioni interrogantis legitimæ, & probè. Quod ſi non faciat, non ſolùm captioſus eſt, & illuſor; verũ ſi vendat ſuam reſpõſionẽ, ſimoniacus: quia hic & nunc reſponſio de ſe poſtulat ordinari ad intentionem interrogantis, quæ omninò ſpiritualis eſt. Ac proinde ſi vendatur; res ſpiritualis ſecundũ ſe venditur: quod ſimoniacũ eſt. Certè ſi licitũ eſſet Theologis vendere ſuas reſponſiones ad caſus conſcientiæ de quibus interrogãtur, non ſe conformando intentioni interrogãtium, ſed ſolùm intendendo docere eas veritates, quibus ipſi poterunt vti in bonum conſcientiæ ſuæ, vt aſſeritur ab iſto autore: egregius & artificioſus inuentus eſſet modus, quo ſi vtantur Theologi, multò maiores diuitias poſſunt acquirere quàm Iuriſperiti, aut Medici; quanto numeroſiores ſunt caſus, de quibus quotidie interrogãtur. Vſus autem iſtius modi facillimus eſſet: nempè non ſe conformando intentioni interrogãtium de ſuæ conſcientiæ pacatione, & puritate; ſed tradendo reſponſiones ſpeculatiuas, & conſilia quæ appellat doctrinalia: quidquid ſit de intentione interrogãtium, quæ extrinſecè ſe habere dicitur. Et tunc Theologia, non ſcientia pauperũ (vt ſolet) ſed ſcientia diteſcendi dici deberet.

Supereſt ad argumenta poſita in principio diſputationis, quatenus contra primam aſſertionem militant, reſpondere. Ad primum dicitur, Paulum in locis illis, eoſdem intellexiſſe nomine Paſtorum, & Doctorum. Vnde & loco ſumpto ex epiſtola ad Epheſios, vtroſque coniunxit: vt oſtenderet (ſicut adnotauit D. Thom.) ad paſtores Eccleſiæ pertinere, doctrina populum Dei paſcere, iuxta illud Hieremiæ 13. *Dabo vobis Paſtores ſecundùm cor meum: & paſcent vos ſcientia, & doctrina.* Hæc ergo doctrina paſtoralis, ad miniſterium Eccleſiaſticũ pertinet: & conſequenter eius venditio ad ſimoniam, ſicut de concione dictum eſt. At verò ſciẽtia merè doctrinalis, de qua

D. Thom.

Hiere. 13.

in

in prima concluſione; non ſpectat propriè ad ſpiritualia, & Eccleſiaſtica miniſteria. Ad confirmationem negatur cõſequentia: quia licèt contingat eſſe materialiter eandem doctrinam, quæ à docente in cathedra, & à concionatore in pulpito proponitur: formaliter tamen differunt. Nam illa per ſe ſolùm ordinatur ad inſtructionem intellectus; non verò ad faciendum homines ſtudioſos modo humano: quæ edoctio merè ſpeculatiua de ſe eſt, ſiue pertineat ad Theologiam, quæ ſcholaſtica dicitur; ſiue ad poſitiuam, quæ verſatur in ſacrorum Bibliorũ interpretatione, conſultis Sanctis, & Doctoribus eorum interpretibus. Hæc verò concionatorum edoctio, ad inflammandas voluntates hominum ad Dei amorem, & pœnitentiam criminum: quod præcipuè eſſe opus Dei perſpicuum eſt. Ac proinde eam vendere, ſimonia eſt: non verò priorem doctrinam ſpeculatiuam. Egregiè hoc declaratur ex differentia, quam D. Thom. ponit quodlib. 3. art. 9. inter cathedram Magiſtralem, & Paſtoralem: quod Magiſtralis tantùm requirit hominem idoneum peritia, & ſcientia. Vnde benè poteſt eligi ad cathedram Magiſtralem homo, qui non ſit in gratia, ſi aliàs ſit vir doctus, & ingenioſus. At Paſtoralis cathedra neceſſariò poſtulat exiſtentem in charitate, & gratia ſupernaturali.

D. Thom.

Ad ſecundum, quod eſt Petri de Palude, reſpondetur, licentiam docendi quandoq; proficiſci à poteſtate iuriſdictionis ſpiritualis; & tunc, ſiue doctrina ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis, ſimonia eſt talem licentiam vendere, non propter doctrinam, ſed propter abuſum iuriſdictionis ſpiritualis. Sicut ſi iudex Eccleſiaſticus venderet Sacerdoti licentiam, ſeu diſpenſationem ad exercendum Medici, aut Aduocati officiũ, ſimonia committeretur: non propter ſpiritualitatem rei venditæ; nam poſſet Medicus pro ſua curatione, & Aduocatus pro ſuo patrocinio pretium accipere: ſed propter licentiam, quæ actus eſt à principio ſpirituali dimanans. Ita & idem Prælatus venderet licentiam ad docendum Theologiam, ſiue aliam ſcientiam naturalem. Et de tali licentia intelligendi ſunt textus allati. At verò ſi ea licentia daretur à iudice ſeculari, ad quem ſpectat talem licentiam dare, vt ſæpè accidit etiam in cathedris dandis à Rege patrono, vel alio; etiamſi pro hac licentia acciperet pretium, eſſet quidem turpe lucrũ, ſed non ſimonia: quia neque actus ad quem datur, neque poteſtas à qua dimanat, ſpiritualia ſunt. Ita ſentiunt Innocent. Panormit. & alij in cap. 2. de Magiſtris. Tabiena verbo *Magiſter*. num. 10. Prohibitio ergo, quæ habetur in dicto cap. 2. vel intelligitur tantùm de licentia docendi, quæ eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis: vel ſi generaliter intelligatur, facit actum eſſe vetitum, aut iniuſtum, non verò ſimoniacum.

Innocent. Panorm. Tabiena.

Circa tertium argumentum nimis operoſum eſſet, & faſtidioſum Lectori ad alia properanti, diſputare vtrùm aſſenſus Theologicus, ſit certior omni alio pertinente ad ſcientias naturales? Vtrùm ſupernaturalis ſit, necne? De his latè agitur, vt in proprijs locis, 1. p. q. 1. & in materia de fide. Modò verò reſpond. ad argum. aſſenſum Theologicum, ſiue naturalis ſit, ſiue quodammodo ſupernaturalis, ad finem naturalem ordinari: nempè ad inſtructionem intellectus circa res fidei. Et quod valdè notandum eſt; dato quod oriatur aliquo modo à principio ſupernaturali: modus tamen quo vtitur Theologus ad ſimilem gignendum in mẽte diſcipuli; & modus quo vtitur diſcipulus ad eum habẽdum, naturalis eſt: ſcilicet, mediante labore, induſtria, diſcurſu demonſtratiuo, omninò perſimili ei quo acquirun tur cæterarum ſcientiarum naturalium aſſenſus. Quare vt ſic naturalis eſt ea edoctio: & ſine labe ſimoniæ vendi poteſt. Eſt ſimile. Si Diuus Paulus, qui dono linguarum omninò ſupernaturali pollebat, vellet vtẽs eo, cathedram aſcendens, peritiam linguarum docere; non eſſet ſimoniacus doctrinã ſuam vendendo: quia in illa edoctione virtute naturæ operaretur, & modo naturali, quo vtuntur alij linguarum Doctores. Et donum infuſum, non aliter ibi concurrit, quã ſi eſſet naturale. Ita de Doctore Theologo docente in cathedra iudicato. Ad cõfirmationem, qua mouetur Syluester, reſpondetur: docere Theologiam, per ſe non requirere hominem Magiſterij gradu inſignitum: imò ſæpiùs egregiè à non Magiſtris exercetur. Quare eſto ille gradus ſpiritualis eſſet; docere tamen Theologiam accepto pretio non eſſet ſimonia. Sicut ſi quis habens eam ſcientiam infuſam per accidens, vendere poſſet ſuam doctrinam. Secundò reſpondetur, Magiſterium in Theologia non eſſe quid ſpirituale ſupernaturale: neque etiamſi venderetur committeretur ſimonia; quia ſolùm eſt publica approbatio ad officium docendi, conſulendi, & ſimilia donata à Pontifice Sũmo mul

tis priuilegijs,commoditatibus, & honoribus temporalibus. Ipſa verò tẽporalis eſt, & pretio æſtimabilis. Cuius non mediocre ſignum ſunt,tot expenſæ datæ pro collatione Magiſterij, etiam Theologici, quæ excedunt titulum ſuſtentationis. Nec obſtat,quòd collatio huius tituli, & inſtitutio ſit à Summo Pontifice:quia ipſe poteſt inſtituere aliquot temporalia ad cõmodum, & ſplendorem Reipublicæ Chriſtianæ. Item,quia etiam Pontifex inſtituit Doctoratus in Iuris ciuilis peritia, & Medicina. Quos gradus, quis dixerit eſſe ſpirituales, & ſupernaturales?

Ad vltimum concedo, eſſe ſimoniam, ſi quis ante annexionem Pontificis volentis aliquod beneficiũ Eccleſiaſticum eſſe annexum oneri docendi, daret illud pro illo munere. At verò ſi Pontifex vellet annectere iſta duo: poſtea accipere beneficium cum iſto onere,non eſſet ſimoniæ crimen. Et hoc eſt quod habetur in vſu omnium Eccleſiarum. Quinimò ſi iſte Beneficiatus ſic obligatus ad docendum Theologiam, adhuc vellet pro eadem doctrina pretium accipere;nõ eſſet ſimoniacus, ſed iniuſtus; quia accipit pretium pro re quam gratis tenetur facere: niſi conſuetudine, vel titulo iuſto ſuſtentationis, aut alia via iuſta accipiat pecuniam:quidquid in oppoſitum dixerit Hoſtienſis cap.penultimo de Magiſtris,ſed ſine ratione firma. Circa primam concluſionem ſecundi, & tertij articuli, & circa articulum quartum eſt

DISPVTATIO VI.

An liceat diſpenſatoribus Sacramentorum, & aliarum actionum ſpiritualium, vt concionis, orationis, & ſimilium, vendere, vel locare operas ſuas, id eſt, labores, & fatigationes, quas inſumunt in miniſtrandis Sacramentis, in prædicando, orando, & huiuſmodi alijs?

PRO intelligentia notandum, triplici titulo poſſe conferri pecuniam pro actione aliqua ſpirituali. Primus titulus eſt, in pretium ipſius rei ſpiritualis. Secundus in pretium operæ, & laboris, qui ibi inſumitur: ita vt labor ipſe locetur, & conducatur. Tertius in ſtipendium ſuſtentationis. Eſt ſimile: Pictor poteſt pretium expoſcere pro artificio,& pro imagine. Item pro operis ſuis, & pro laboribus in pingenda imagine impendendis, qualeſcunque ſint operæ. Poteſt item paciſci de accipiendo ſingulis diebus victu: dicendo ſe nolle operas vendere, ſed accipere victum. Quod fieri poteſt,etiamſi operę exuperent longè pretium, in quo æſtimatur cibus quotidianus. Haud dubium ergo eſt,quin ſimonia ſit accipere pretium pro re ſpirituali,vt oſtendimus. Rurſus compertum eſt, licere diſpenſatoribus rerum ſpiritualium,& Sacramentorum, ſuſtentationem accipere, vt oſtendemus continuò. Sed quod in præſentem controuerſiam venit, eſt; vtrùm liceat eis accipere pretium pro locatis operis, & laboribus?

Videtur autem vera pars affirmatiua. Primò ex ſacra Scriptura Numer. 18. dicit Dominus filijs Leui: *Dedi omnes decimas in poſſeßionem,pro miniſterio quo ſeruiunt mihi.* Et paulò poſt: *Comedetis eas, &c. quia pretium eſt pro miniſterio, &c.* Et decimæ dicuntur pretium pro miniſterio ſpirituali. *Num.* 18.

Item Matt.10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Quod explicuit Luc.10.his verbis: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Et 1.ad Corint.9. eiſdem verbis loquitur. Sed merces in eadem ſacra Scriptura,ſignificat pretium pro operis,& labore debitũ, vt patet Matt.20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*: ergo ſicut poſſunt accipere cibum; poſſunt accipere pretium pro labore. Item Paulus 1.ad Corinth.9. colligit deberi diſpenſantibus ſpiritualia aliquid pro operis ſuis, ex eo principio, quia militibus militiæ temporalis debetur itidem aliquid pro militando. Sed citra dubium, temporalis militiæ militibus debetur tanquam pretium ſtipendium ipſum: ergo etiam his qui militiam ſpiritualem gerunt. Secundò probatur teſtimonijs, quæ habentur in iure. Primum habetur in Canone *Clerici.* 1.quæſt.2. ex Agathenſi Concilio cap. 36. vbi dicitur: *Clerici conſequantur ſtipendia ſuis laboribus debita, ſecundùm ſeruitij ſui meritum.* Secũdum in cap.*ſignificatum*.de præbendis:vbi approbatur conſuetudo Clericorum,qui locant operas ſuas per annum. Tertiò probatur pars iſta teſtimonio Diui Thomæ in art.3. ad tertium, inquientis, quòd qui ex officio obligatur ad vſum poteſtatis ſpiritualis

*Matth.*10. *Luc.* 10. 1.*Corin.* 5. *Matth.*20. 1.*Corin.*9. *Concil. Agath.* *D.Thom.*

tualis; si aliquid accipiat pro tali vsu: non intelligeretur locare operas suas, sed vsum spiritualis gratiæ vendere. Vbi manifestè insinuat D. Thom. quòd locare operas suas nõ est peccatum. Prima verò ratio pro hac parte sit. Operæ illæ, & labores sunt temporales, & pretio æstimabiles: nec est quare suum valorem perdant, propter coniunctionem cum spiritualitate operis. Antecedens videtur clarum, vt patet in Calice cõsecrato, qui quamuis sit coniunctus, & annexus rei spirituali; nihilosecius tamen vẽdi potest, ratione materiæ temporalis, quæ est in eo: ergo similiter, &c. Secunda ratio sit. Clericis, & quibuscunque alijs dispensantibus spiritualia, debetur stipendium ex iustitia cõmutatiua, vt docebimus, & colligitur ex Conc. Agath. relato: ergo æqualitas est rei ad rem, inter id quod illis datur, & actiones suas spirituales. Sed nulla est in actionibus suis spiritualibus res, quæ pretio compensari possit, nisi labor, & opera quam impendunt: ergo pro illa licebit accipere pretium. Tertia ratio. Licitum est simplici Sacerdoti locare operas suas pro ministerio spirituali, vt constat ex vsu Ecclesiæ: sed in locatione id quod datur pro opere, habet veram rationem pretij: ergo. Quod si dicatur, eam locationem licitam esse pro obligatione. Contrà: quia obligatio ad spirituale, spiritualis est; & ideò non est vendibilis: ac proinde, quando venditur locatio; operæ ipsæ, & labores venduntur.

D. Bonau. Ricard.

In hoc dubio est prima sententia affirmatiua: in qua est Bonauent. in 4. dist. 25. quæst. vltima in solutione argumentorum. Ricard. quæst. 1. & 2. quamuis hic quæst. 3. distinguat, concedens licitum esse locare operas in dispensatione actionum spiritualium, quæ non sunt Sacramentorum administrationes: negans verò in Sacramentorum administrationibus. Quæ tamen distinctio friuola est, quoad præsens attinet, cùm omnes sint actiones spirituales.

Adrian. Armacha. Maior.

Adrianus quodlib. 9. art. 1. citat pro hac sententia Armachanum de quæstionibus Armeno. lib. 10. cap. 10. & sequitur eum Adrianus. Maior in allegata distinctione, quæst. 1. refert inter alia pro hac sententia quandam determinationem facultatis Parisiensis. Etenim quidam concionator prædicauerat hanc propositionem: Curatus nihil debet accipere à Parochianis pro confessione, & Sacramentorum administratione. Contra quem Parisiensis facultas sic diffiniuit: *Hæc propositio est contra dispositionem iuris naturalis, & diuini expressè: & ideò falsa, & notoriè hæretica.*

Paris.

Opposita sententia est D. Thom. in allegata distinctione 25. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula 2. Durandi quæst. 3. Palud. q. 5. Syluest. verbo *simonia*. §. 9. Caieta. in comment. super hos tres articulos dubit. 2. & in Summa verbo *simonia*. reg. 5. Soto lib. 9. de iust. q. 6. art. 1.

D. Thom. Durand. Paludan. Syluest. Caietan. Sotus.

Quæstio autem hæc plus habet (mea sententia) contentionis, & discordiæ, quàm difficultatis. Etenim Autores partis affirmatiuæ lapsi sunt, nescientes distinguere inter pretium pro locatis operis, & stipendium sustentationis. Quæ duo manifestè distinguuntur, vt dictum est supra. Sed pro intelligentia præmittendum: labores, & operas, quæ coniunguntur cum actionibus spiritualibus, esse in duplici differentia. Quædam operæ sunt per se intrinsecæ, & necessariò coniunctæ cum ipsis spiritualibus actionibus: ita vt sine illis consistere nequeat actio ipsa spiritualis, vt labor qui insumitur in baptizando puero, &c. Quædam verò operæ sunt extrinsecæ, per accidens coniunctæ cum actibus spiritualibus: vt artificium psallendi, & vocis suauitas, per accidens coniunguntur cum precibus, quas fundunt in choro Cãtores. Labor item qui assumitur in conficiendo itinere vnius, aut duarum leucarum, quando vocatur Sacerdos in locum vbi est celebraturus.

Augustin. D. Thom. Beda.

Prima assertio contra partem affirmatiuam. Simonia est locare operas, seu labores intrinsecos, qui per se, & necessariò cõiunguntur cũ actionibus spiritualibus quibuscunque. Hoc videtur assertum acutissimè, & doctissimè paucis verbis ab August. lib. de Pastoribus cap. 2. cuius verba affert Glossa ordinaria 1. ad Timoth. 5. & Beda ibidem, & D. Thom. artic. 2. in corpore, & art. 3. ad secundum, vbi August. & isti Autores eum sequuti distinguũt inter sustentationem necessitatis, quam recipiunt qui spiritualia dispensant populo; & mercedem dispensationis quam recipiunt à Domino. Legatur etiam Beda Luc. 10. Huic conclusioni fauet Canon *si obiecerit*. 1. quæst. 3. vbi dicitur, quòd quando duo ita se habent, quòd vnum sine altero non prouenit: qui vnum vendit, neutrum inuenditum derelinquit. Prima ratio pro conclusione sit. Hi labores, & operæ considerari possunt secundùm substantiam operis, & secundùm quòd quandam lassitudinem, & defatigationem inducunt; ac demum secundùm quòd

quòd rebus ſpiritualibus cõiunguntur. Prima & ſecunda conſideratione, nullius omnino pretij ſunt, neque vſus & commodi: ergo quando iſti labores locantur, & conducuntur pretio; vltima tantùm conſideratione locantur, & conducuntur. At manifeſta ſimonia eſt accipere pretium pro re, ſecundùm quòd rebus ſpiritualibus coniungitur. Imo ex illo corporali & ſpirituali, vnum opus ſpirituale efficitur, quia eleuatur ad ſpiritualem ordinem, & intimam coniunctionem cum ratione Sacramẽti, aut alterius ſacri miniſterij: quod ſequentibus rationibus magis oſtenditur. Secunda ratio. Manifeſta ſimonia eſt pretium dare aut accipere pro beneficio Eccleſiaſtico. Sed hi labores & operæ, ſunt multo magis ſpirituales quàm beneficium Eccleſiaſticum: ergo. Probatur minor. Beneficium Eccleſiaſticum eſt tantum ſpirituale, quia annexum eſt beneficio ſpirituali conſequenter, vt docet D. Tho. art. 4. At hi labores & operæ, ſunt coniuncti ſimul, & concomitanter cũ ipſamet re ſpirituali. Rurſus. Beneficium non eſt per ſe, & neceſſariò coniunctum, etiam conſequenter, cum officio ſpirituali. Itaque officium conſiſtere poteſt ſine beneficio. At hi labores de quibus modò, ſunt vſque adeò neceſſariò & per ſe coniuncti cum re ſpirituali, vt ſine illis conſiſtere nõ poſsit. Tertia ratio. Eiuſmodi motiones, & labores corporales, qui ſuſcipiuntur in ſpiritualium adminiſtratione, per ſe loquendo, quamuis in genere naturæ corporales ſint; in genere tamen moris ſupra naturam ſunt: vſque adeò vt motio illa corporalis in Sacramentorum adminiſtratione, ſit idem cum virtute cauſatiua gratiæ, quam continent Sacramenta: ſed manifeſta ſimonia eſt vendere res ſpirituales in genere moris: ergo. Explicatur maior ſimili quodam. Quãuis iuxta opinionem probabilem, actus virtutum infuſarũ in genere naturæ ſunt eiuſdem ordinis cũ alijs actionibus naturalibus, ita quòd non exuperant naturam quantum ad ſubſtãtiam actus: tamen citra dubium, in genere moris exuperant naturam, & ſunt ſupernaturales actus. Ad eundem modũ in præſentia, motio illa corporalis, quæ in genere naturæ eſt eiuſdem ordinis cum alijs motionibus corporalibus: in genere moris exuperat citra dubium totam naturam & ſpiritualis, & ſupernaturalis.

D. Thom.

Secũda aſſertio. Labores & operas, quæ per accidẽs cõiũgũtur cum actionibus ſpiritualibus ſiue antecedẽter, ſiue cõcomitãter; poſſunt diſpẽſatores rerũ ſpiritualiũ locare. Probatur. Eiuſmodi labor ſecũdũ ſe tẽporalis, eſt alicuius pretij & æſtimationis; ac demũ per accidẽs tantùm cõiunctus cũ rebus ſpiritualibus: ergo conduci poterit ſecundũ quod in ſe eſt alicuius momenti, & pretij.

Circa vtramque aſſertionem, neceſſariũ cenſeo fuſiùs explicare, quis labor ſit per ſe adiunctus miniſterijs ſacris; quis verò accidentaliter? ex ignorantia enim huius diſtinctionis, multa abſurda approbabuntur. Aliqui dicunt, laborem per ſe adiunctum eum dici, qui intrinſecè cõiungitur actibus ſacris, & ſine illo ij conſiſtere non poſſunt. Omnia verò opera antecedentia, vel cõſequentia, etiamſi alioqui neceſſaria ſint ad tale miniſteriũ, eſſe per accidens coniuncta; ac ſubinde vendi poſſe. V. g. ad concionandũ, opus eſt vt antecedat ſtudiũ: non eſt tamen intrinſecũ concioni. Dicũt ergo poſſe pretio æſtimari. Idẽ dicũt de laſsitudine poſt concionẽ ſequuta. Sed hic modus dicẽdi vt iacet, nõ videtur mihi tutus: quia aperit viam ad vẽdẽdũ miniſteria ſacra mille modis. Nã poſſet quis pro labore eundi ad Eccleſiã celebraturus, accipere pretiũ: prætexẽs illũ laborẽ eſſe accidentariũ, quia ſine illo poſſet ſacrũ fieri. Verius ergo dicetur, non ſolùm operas, & labores per ſe coniungi miniſterijs ſacris, ex quibus componuntur, & quaſi phyſicè ſine illis conſiſtere nequeunt: ſed etiam eas operas, quæ per ſe neceſſariæ ſunt ad tale miniſteriũ ſacrum, provt ab hominibus moraliter exercetur; ac proinde eas nequaquã vendi poſſe, ſicut neq; ſacra miniſteria, quibus adiũgũtur. Illę verò operæ ſeu labores, dicẽdi ſunt per accidẽs cõiũgi cũ miniſterijs ſacris: qui nõ ex vi miniſterij per ſe ac moraliter exercẽtur; ſed tãtùm in caſu ratione circũſtãtiarũ, perſonarum, aut locorũ. Quę operæ, & labores ſine ſimoniæ vitio vẽdi poſſunt. Ex hoc diſcrimine ſic explicato poteris iudicare, qui labores dicãtur per ſe cõiũcti, ac proinde inuẽdibiles: qui verò per accidẽs, & vẽdibiles. Labores omnes phyſicè cõiunctos, perſpicuũ eſt eſſe inuẽdibiles. De moraliter per ſe cõiũctis, accipe aliquot exẽpla. Sicut iudex Eccleſiaſticus nõ poſſet pro ſentẽtia, vel actu iudiciali pretium ſumere: ſic neq; pro ſtudio, & labore videdi proceſſum, audiendi partes extra iudiciũ, aut pro labore eũdi ad tribunal, & ſimilia: quia ſine his operibus, cõmodè & moraliter actus ipſi iudiciales exerceri non poſſunt; & ideò per ſe coniuncti illis dicendi ſunt. At certè dato oppo-

oppositò; actum est de inuendibilitate ministeriorum Ecclesiasticorũ: quia & dona, & tẽporales acceptiones iustificarẽtur. Et idẽ dico de visitatoribus diœcesum, qui pro itineris labore nequeũt accipere pretium. Supponimus namque, aliàs sibi satis prouisum esse de stipendio sustentationis: & tantùm loquimur de stipendio pro operis, & laboribus. Item concionator pro studio concionis, nisi valdè extraordinarium esset, neque pro lassitudine subsequuta non posset pretium accipere: quia sine his concio moraliter, & aptè exerceri non valet. Similiter Diaconus, & Subdiaconus pro canendo Euangelium, vel Epistolam, licèt possint accipere sustentationis stipẽdium; non tamen locare operas suas: quia communiter ministeria sua sine cantu non exercentur. At verò quando operæ, & labores per accidens coniuncti sunt ministerijs sacris, id est, moraliter sine illis exerceri possunt; vendibiles sunt. Quare si Sacerdos celebraturus agat iter vnius leucæ ad sacra facienda, quando id non est coniunctum officio, aut beneficio; expectare quotidie per horam ad celebrandum; dicere Missam statutis horis, vel certis locis: posset hos extraordinarios labores vendere. At verò si Sacerdos senectute grauatus, propter maiorem laborem in faciendo sacro exigat pecuniam vltra debitum stipendium; simoniam committit: nam hoc accidentarium sumitur ex parte subiecti, non ex parte operis: & opus illud rite, & commodè moraliter loquendo sine illa lassitudine senis præstari posset. At verò non est simonia accipere pretium pro canenda Missa: quia labor ille ex parte operis accidentaliter coniungitur Missæ, quæ sine cantu fieri poterat. Quòd si aliàs tenebatur Sacerdos ex officio canere; iniustus esset vendens id quod gratis tenebatur præstare: sed nõ erit simoniacus, nisi præsumptiuè.

Ad testimonium primum allegatum in argumento primo, respondetur fortassè aliqui nouatores, in Hebraica veritate non haberi pretium, sed merces: & ita vertisse Pagninum, & Septuaginta, & Chaldaicam translationem. Attamen cùm Vulgata editio verior sit omnibus exemplaribus, & pro authentica legi, & defendi debeat: respondetur, cum tota proprietate dictũ fuisse pretium, id quod accipiebant Leuitæ à fratribus suis: etenim Leuitarum ministeriũ, etiam in ipso tabernaculo erat temporale, videlicet portandi tabernaculum ab vno loco in alterum, & cubandi apud illud, custodiendi illud, &c. ac subinde pretio poterat proprie locari, & conduci, sicut Sacristæ officium si non esset interdictum lege Ecclesiastica. Legatur Abulens. de re hac, in caput illud 18. quæst. 3c. & 31. Ad testimonia secundo loco allegata respondetur, vocabulum *merces*. dici ad conuertẽtiam cum merito, sunt enim correlatiua: & idcircò merces proprie loquẽdo significat id quod redditur pro meritis, siue tãquam pretium, quo pacto redditur mercenarijs temporalibus: siue tãquam prœmium, quo pacto redditur hominibus iustis pro bonis operibus: siue tanquam stipendium necessitatis, & sustentationis, quo pacto redditur ministris Euangelicis, & dispensatoribus Sacramentorum à populo. Cæterum quoniam stipendium hoc necessitatis, & sustentationis continet duo: alterum quod datur in alimẽtum; alterum quod datur ex iustitia: ratione prioris dicitur Matth. 10. cibus: ratione posterioris, merces. Ad D. Paul. respondetur, stipendium dici ab eo quod est stipendere, apud nos *sueldo, sálario*, ò *gajes*. Hoc autem patet ample, & ad pretium, & ad cibum sustentationis. Verumtamen in militibus militiæ temporalis habere potest rationem pretij tale stipendium: quoniam militia ipsa pretio æstimabilis est. In ministrantibus verò spiritualia, & militibus spiritualis militiæ; non pretij, sed sustentationis tantùm rationem habere potest, quoniam inæstimabilis est.

Abulens.

Matth. 10.

Ad primum cap. allegatum argum. secundo respondetur iuxta dicta de merito, & mercede. Ad secundum cap. respondetur iuxta dicta in secunda conclusione. Secundò respondetur, ibi approbari quòd recipiatur aliquid pro operis, tanquam stipendium necessitatis; non tanquam pretium. Ad tertium ex D. Thom. respondetur eisdem duabus solutionibus. Ad primã rationem respondetur primò negando antecedens: quoniam in genere moris, labor ille spiritualis est, & supernaturalis. Secundò respondetur negando consequentiam: quoniam etsi temporalis esset; ratione tẽporalitatis nullius est pretij: & idcircò censetur locari ratione spiritualitatis. Neq; est simile in Calice: quoniã Calix ratione materiæ temporalis pretiosus est.

Ad vltimum respondetur, obligationem ad ministerium spirituale esse duplicem: primã, quæ est per se annexa ipsi ministerio; & hæc inuendibilis est, sicut ipsum ministe-

Pagninus.

niſterium. Et pro huiuſmodi obligatione non licet accipere pretium, ſicut neque pro ipſo miniſterio. Exigere enim talem obligationē, nil aliud eſt quàm exigere ipſum opus: & vendere obligationem illā eſt vendere ipſum opus; ſicut vēdere alicui obligationē, vt tradat equū, nil aliud eſt quàm vēdere equū. Et propiùs ad rem accedēdo, eſt ſimile in mutuo: quod cùm gratis exhiberi debeat; ſi quis mutuando dicat ſe obligari ad id, non poteſt pretium accipere. Secus eſt ſi obligetur ad mutuandum quoties poſtulatus fuerit. At verò quando obligatio non eſt intrinſeca miniſterio ſpirituali, videlicet quando ordinatur ad ſpiritualia, quatenus includunt aliqua peculiaria onera, quæ ſunt per accidens ad ipſa ſpiritualia ſecundùm ſe conſiderata: ſic vendibilia ſunt ſicut ipſa onera: v. g. obligatio manendi in tali loco, expectare talem, vel talem horam ad celebrandum, & ſimilia. Et de huiuſmodi obligationibus procedit argumentum vltimū. Et confirmatur ex vſu Eccleſiæ, & proborum; qui pro anniuerſarijs, pro feſtis, & proceſsionibus faciendis accipiūt ampliora pretia, quàm aliàs ſint taxata, ſi abeſſet ea obligatio. Nec hoc eſt vendere ſpiritualia, neque ordinem ad illa: ſed vendere obligationem ordinatam ad illa ſpiritualia, quatenus illis oneribus extraordinarijs veſtiuntur. Circa ſolutionem ad quartum tertij articuli eſt

A B C

DISPVTATIO VII.

An liceat abſque ſimoniæ vitio dare pecuniam alicui, vt religionem ingrediatur?

Diſputatio hæc reſoluta à Diuo Thoma circa religionis ingreſſum, agitanda eſt à me ſub vniuerſaliori titulo: de dantibus pecuniam, vt alij opera virtutis exerceant, quæ dūtaxat ipſis accipientibus vtilia ſunt. V. g. dare pecuniam, vel quid ſimile, vt accipiens fiat Chriſtianus, vel Religioſus, vel vt frequentet Sacramenta, & ſimilia, ſiue ſint opera virtutis neceſſaria ad ſalutem, ſiue ſint in conſilio. Quantum ad hoc enim par ratio eſt, cùm opus vtrunque ſpirituale ſit, & conſequenter inuendibile, quidquid diſtinguat Hoſtienſis in cap. *dilectus*. 2. de ſimonia. Et procedendo à certioribus

Hoſtien.

D

Prima aſſertio ſit. Si pecunia detur, vel promittatur ad auferendum impedimentū, aut obſtaculum boni operis faciendi, ſecluſo pacto; licita datio eſt, & ſine ſuſpicione ſimonię. V. g. Infidelis non ſuſcipit baptiſmum, quia relicturus patriam, paupertatem timet; vel quia Iudæus eſt, & multis vſuris inuolutus timet reſtitutionem. In hoc caſu licitum eſt, vel remittere vſuras eum qui poteſt, vel offerre neceſſaria ad vitam, vel pecunias ad ſoluenda debita, & ſic de alijs impedimentis. Hoc aſſerit, & benè Abbas in cap. *cùm in Eccleſiæ*. num. 7. & ſequuntur multi alij, inter quos Felinus, & Archidiaconus, Turrecremata in cap. *quàm pio*. 1. quæſt. 2. Angelus, Sylueſter, & alij. Et probatur: nam illa promiſsio, ſeu datio, opus magnæ charitatis eſt, & nec vmbram ſimoniæ habet; quia ibi nulla eſt ratio pretij, cū abſit pactum, & pecuniæ tantùm dentur ad remouenda impedimenta: & ſupponimus eum Infidelem eſſe affectum ad Chriſtianiſmum, & timetur impediri propter dicta impedimenta, & ſimilia. Et idem, & propter eandem rationem dico de dante pecunias, vel temporalia, ad alliciendū animum proximi, vel ad conuerſionem, vel ad quodcunque opus virtutis, ſecluſo tamen pacto. Ita D. Tho. in hac ſolutione ad quartum, & omnes eius diſcipuli, & Gloſſa in dicto cap. *quàm pio*. & cap. *dilectus*. 2. & Auguſtinus relatus in cap. *debet*. 23. quæſt. 4. ait, vnumquemque debere proximum ad Dei cultum adducere, non ſolùm doctrina, & diſciplina, ſed etiam beneficientiæ conſolatione: id eſt, donis, & beneficijs. Intellige, niſi tantus ſit exceſſus donorum, vt ſit quaſi quædam violentia: qualis etiam reperiretur in precibus importuniſsimis. Sed neque tunc eſſet ſimonia: ſed improba vis. Hæc vt exiſtimo ab omnibus ſunt approbata generaliùs de omni actu virtutis proficuo ſoli operanti. Sed totum controuerſiæ pondus in hoc inclinat: an quando datur, vel offertur aliquid temporale pro actu virtutis ſoli operanti proficuo, pacto explicito, vel implicito præcedenti: do vt facias: ita vt qui recipit promittat, & ſe obliget ad faciendum propter munus: an tunc ea datio, & receptio ſimoniaca ſit, necne? De hac eſt ingens controuerſia non tantum inter iuris Canonici peritos; verùm etiam inter Theologos, qui facta quaſi phalange, ex aduerſo dimicant. Prima ſententia affirmat, non eſſe ſimoniacum: imò neque illicitum talem contractum. Hanc ſentētiam, quòd attinet ad pretium dandum vt aliquis

Abbas. *Felinus.* *Archidia.* *Turrecre.* *Angelus.* *Syluest.* *D. Thom.* *Auguſt.*

conuer-

conuertatur ad fidem, antiqui Iuriſperiti tenuerunt: & in eam inclinat Adrianus citatus, & ex modernis Molina tractatu 2. de iuſtitia, diſtinctione 93. concluſione 4. & expreſsius Thomas Sanctius lib. 1. de ſponſalibus diſtinctione 39. & Leſius lib. 2. cap. 35. dubitat. 12. Et probatur primò: nam Deus ipſe, ad cuius imitationem debent homines componere mores ſuos, pollicitationibus terrenis (præcipuè in veteri teſtamento) homines ad cœleſtia conducebat: & honorantibus parentes, longęuam vitam promittit Exod. 12. Quam promiſsionem etiam eſſe vitæ præſentis, Paulus 1. ad Timoth. 4. explicuit. Idem argumentum fit de comminationibus pœnarum temporalium, per quas Deus ad opera ſtudioſa inducit. Pœnas autem has pretiò æſtimari certum eſt. Confirmatur: nam licitum eſt parentibus filios punire ſi ſtudioſè non viuãt, & illos per flagella, & minas inducere vt operentur opera virtutum: ergo etiam donis, & promiſsionibus id facere licebit. Quod ſine ſcrupulo, imo cum laude ſolent parentes agere: & cum laude eadem dominus promittit ſeruo libertatem, ſi velit conuerti ad fidem. Et autoritate publica interdum malefactori infideli vita promittitur, ſi baptizari velit. Et fidelis poteſt promittere infideli fœminæ, eam ductu-rum in vxorem ſi conuertatur ad fidem. Quæ conditio approbari videtur in cap. *non oportet*. 28. q. 1. & Gregorius in cap. vlt. 23. quæſt. 3. ait, ſeruum infidelem, & obduratum onerandum eſſe laboribus, vt vexatio det illi intellectum. Ergo etiam poterit inuitari muneribus, & promiſsionibus. Tertiò argumentatur Medina C. de reſtitutione, quæſt. 27. ad quartum. Promiſsio, & donatio facta alteri ſub conditione, quæ in ſolam vtilitatem, & fauorem recipientis cedit, non cenſetur oneroſa, ſed gratuita, & liberalis; & conſequenter nequit eſſe occaſio ſimoniæ, quæ ſine contractu oneroſo nõ patratur. Antecedens commune eſt apud Iuriſperitos, vt videri poterit apud Tiraquellum in l. *ſi vnquam*. & Menochiũ conſil. 154. nu. 7. Cuius ratio eſt: quia quãdo conditio tota cedit in vtilitatem alterius cui fit promiſsio, promittens nihil recipit, & recipiens nihil dat, ſed ſibi tantùm proficit: ergo non poteſt dici datio oneroſa, neq; venditio ex parte recipientis; ac proinde neque ſimoniã.

Adrian. Molina. *Tho. Sanct. Leſius.* *Exod. 12.* *1. Timo. 4.* *Gregor.* *Medina.* *Tiraquel. Menoch.*

Secunda ſententia ſimpliciter, & abſolutè negat, licere aliquid dare, vel accipere ex pacto pro quocunque opere bono exercendo à recipiente pecuniã: ſiue illud opus ſit neceſsitatis, vt conuerti ad fidem; ſiue cõſilij, vt fieri religioſum. Ita tenet D. Tho. expreſsè in hac ſolutione ad quartum, & ibi omnes eius diſcipuli antiqui, & moderni, & infrà q. 189. art. 9. & ex Iuriſperitis innumeri circa cap. *dilectus*. 2. de ſimonia, & circa cap. *quam pio*. Eſtque communis ſententia Theologorum, & Iuriſperitorũ. Et probatur ex cap. *quam pio*. citato à Bonifacio VIII. id aſſerente magna exaggeratione, ac dicente ſe nunquã legiſſe, Apoſtolos hoc modo inuitaſſe homines ad fidem, ac religionem. Et ſic argumentatur: Talis actus eſt deſcendens à Patre luminũ: ergo qui pro illo munus accipit, donũ Spiritus ſancti vendit; qui verò largitur munus, donum emit. Confirmatur: quia in iure omnia pacta, & conuentiones in materia ſpirituali, qualis certè eſt conuerſio ad fidem, vel ingreſſus religionis, & ſimiles, reprobatæ ſunt capit. vltimo. de pactis, capit. *quæſitum*. de rerum permutatione, & in eodem c. *quam pio*. Quod autem emantur in vtilitatem operantis, vel alterius nihil refert: quia ſemper manent æquè ſpiritualia. Quod non mediocriter confirmatur: nam ſi dato temporali pretio, poſſum alterum obligare ad orandum in ſuam vtilitatem; cur non in meam? Certè ſi dato pretio pro actu virtutis in meam vtilitatem exercito, committo ſimoniam propter irreuerentiam contra rem ſacram, quę fit commutando illam pro temporali: non video quare propter eandem rationem non fiat irreuerentia eidem rei ſacræ, ſi dedero pretium in vtilitatẽ recipientis. Præcipuè, quia conceſſum eſt cuique, magis ſuum bonum ſpirituale quærere. Secundò. Si liceret ex pacto dare alicui donum temporale vt velit baptizari; eadem ratione liceret dare, vt vellet baptizare: quod apertè ſimoniacum eſt. Sequela patet: quia tam ſpirituale opus eſt ſuſcipere baptiſmum, ſicut dare. Scio patronos primæ ſententiæ reſpondere negãdo conſequentiam: quia in caſu conſequẽtis, nec veſtigiũ liberalis donationis, in caſu verò antecedentis adeſt quidem, & perlibe ralis, & ſine onere: cùm nõ fiat ad emendũ baptiſmum, ſed ad inducendam voluntatẽ infidelis, vt velit baptizari. Contrà. Nam idem poteſt quis dicere in adminiſtratione actiua baptiſmi data pecunia; videlicet eum qui dat non emere Sacramentum, ſed donare ſub conditione boni operis, inclinãdo voluntã-

D. Thom.

voluntatem alterius ad id faciendum. Item, quia hoc ſuffragio admiſſo, excuſaremus mille ſimonias: v. g. promittere electori pecuniam, ſi eligat Paulum digniorem: & electo vt acceptet, quia exiſtimo Deo eſſe gratam eius acceptationem, & eius muneris functionem. Vltimò. Si præfatus cõtractus, de quo diſputamus, eſſet licitus; liceret etiam Religioni cum aliquo paciſci, quòd ſi Religionem ingrediatur, largietur hæc & illa temporalia, hos & illos honores: quod videtur expreſſe damnatum in cap. *quam pio*. ſæpe citato. Similiter poſſet Epiſcopus promittere alicui beneficium, ſi faciat hoc vel illud virtutis opus. Patet ſequela, quia in his & ſimilibus poſſemus dicere dationem eſſe liberalem, ad inclinandum animum alterius ad opus virtutis, non ad emendum illud. Hæc ſecunda ſententia mihi veriſsima videtur propter argumenta facta. Et ideò argumentis pro prima ſententia reſpondetur, præmittẽdo pro omnium ſolutione, emptionem aut venditionem non reperiri ſine pacto, ideſt, ſine mentis & vendentis mutua obligatione: ex parte mentis, dando vel promittendo aliquid vendenti: ex parte vendentis, dando, vel promittendo ſe aliquid daturum, aut facturum propter dationem, vel promiſsionem mentis.

Ad primum ergo reſpondetur: quando Deus promittit bona temporalia, ſua obſeruantibus mandata; aut comminatur pœnã trãſgredientibus: non imponit obligationẽ ex vi promiſsionis, aut comminationis, ſed ſupponitur. Promiſsio verò & comminatio, tantùm habent rationem eiuſdem inductionis ad operandum bona, & vitanda mala. Vnde non adeſt ibi aliquod veſtigium pacti: ac proinde neque emptionis ſimoniacæ. Ad exempla poſita in confirmatione argumenti, & ſimilia, reſpondetur, in his non interuenire pactum, & obligationem ex parte temporale accipientis, aut eius cui fit promiſsio: nec dans aut promittens intendit obligare alterum ad opus virtutis faciendum. Et licèt dans aut promittens exprimat ſe dare aut promittere cum illa conditione, & non aliter; intelligendus eſt non apponere conditionem, ſed potius apponere modum talem, qui non inducat obligationem; ſed inuitet, ac inducat ad benè operandum, vel à malo deſiſtendum: & ſic ſunt iuterpretanda exempla omnia allata in cõfirmatione. Dantur enim à patre munera filio vt frequentet Sacramenta. Et licèt dicat ſe dare ſub illa conditione; non intendit apponere obligationem: ſed modum, & finem ſuum, ac intentionem explicare. Promittitur filiæ certa pecuniæ ſumma, ſi religionem ingrediatur: illa appoſitio conditionis non cenſetur inductio obligationis: ſed explicatio modi donationis, aut finis inducendæ ad Religionem. Quòd ſi intendat obligare ad opus agendum; citra dubium ſimoniacus erit. Eodem modo dicendum eſt de domino promittente libertatem ſeruo, ſi baptizetur: & de fideli promittente ducturum in matrimonium infidelem, ſi ad Chriſtianiſmum conuertatur, & de alijs huiuſmodi. Quia huiuſmodi dationes, & promiſsiones, ſi abſit intentio obligandi alterum ad opus virtutis; liberales donationes ſunt, & vt tales interpretandæ, vt licitè fiant, ſicut à viris timoratis fieri videmus. Et in capite ſecundo. titulo de conditionibus appoſitis. in Decretalibus. manumiſsio ſeruorum facta ſub hac conditione: do eis libertatem, dummodo Monachi fiant, & non aliter: valida eſſe declaratur, & ſeruari præcipitur. Dices fortaſſe: ea promiſsio aut datio, coactio quædam eſt; ac proinde inducere videtur obligationem, maximè quando promiſsio eſt de libertate aſſequenda, vt in caſu proximè poſito; & quando damnato ad mortem conceditur vita, ſi fiat Religioſus. Item quando dantur munera infideli vt conuertatur ad fidem; eſtò non ſit ſimonia: videtur tamen eſſe illicitum propter periculum inconſtantiæ in ſtatu fideli aut religioſo; propter ſcandalum, & fictionem; & quia illa media dandorum munerum non ſunt ſatis accommodata ad ſtatum tam arduum, & excelſum, qualis eſt Chriſtianiſmus, aut Religioſus ſtatus. Quare meritò dixit Bonifacius, nunquam his mediis vſos ſuiſſe Domini diſcipulos. *Bonifaci.* Ad primam obijciunculam reſpondetur, nullam illis fieri iniuriam, quin potius gratia: quia ſerui cùm eſſent, aut morte damnati, datur illis optio euadendi ſeruitutem, aut mortem ſi Religionem ingrediantur. Neque etiam infertur eis coactio, aut vis, propter eandem rationem. Ad ſecundam obiectionem reſpondetur, ſemper cauendum eſſe, ne munera, aut pollicitationes ſint in tanto exceſſu, vt vim videantur inferre. Hoc ſi caueatur, non ſunt illicitæ tales donationes, aut promiſsiones,

nedum

nedum simoniaco vitio inuolutæ: ad quod necessaria est vtrinque, ex parte scilicet dantis, & accipientis interuenire obligationem & pactum. Quod longe abesse in casibus positis iam supra explicatum est.

In secundo argumento duo tanguntur, quorum neutrum verum esse censeo, si generaliter intelligãtur. Primum est, promissionem sub conditione apposita, intuitu siue in gratiam eius cui fit promissio, vel donatio; non esse onerosam, sed liberalem. Quod verum est dumtaxat, quando optio relinquitur libera ei cui fit promissio. Si autem inducat obligationem aliquam, præcipuè ad aliquid factu difficile; etiamsi illi valde proficuum sit, & licèt hæc vtilitas intendatur; contractus onerosus erit, & poterit esse vera commutatio spiritualis pro temporali, & cosequenter emptio & venditio. Et quamuis motiuum ad dandum vel promittendum temporale, ex liberalitate, vel proximi charitate procedat: perficitur tamen obligatione faciendi opus: & ex hac parte simoniaca commutatio est, & contractus onerosus. Quotiescumque enim ex vtraque parte obligatio est, hoc ipso onerosus contractus est: non enim paruum onus est, obligationi subijci, cui antea homo non subdebatur. Secundum quod assumitur in argumento est, neminem emere, nisi qui aliquid recipit à vendente. Vnde inferunt primæ sententiæ sectatores, quòd in casu nostræ disputationis, qui dat, vel promittit temporale pro temporali, nil recipit ab eo qui obligatur exercere opus sibi soli proficuum; ac proinde neq; dicitur vendere, neque alter emere. Illud, inquam, fundamentum falsum est, vt patet in eo qui emit pro tertio baptismum: qui etiamsi nihil recipiat in suũ commodum, dicitur emere baptismum. Item qui intenderet emere actum spiritualem alterius dato pretio, censetur simoniacus à patronis primæ sententiæ: qui aiunt non dari in pretium in casu disputationis, sed esse liberalem donationem, & contractum gratuitum; quod si detur in pretium, aiunt esse simoniam. Item citò dicemus ex omnium sententia, dantem pecuniam pro ingressu Religionis esse simoniacum, quia rem spiritualem emit: & tamen quandoque dans, nullum inde emolumentum percipit. Ergo ad veram emptionem non requiritur vt dans temporale, aliquid à vendente recipiat; sed satis est, vt commutet temporale pro spirituali, etiamsi inde nullum reportet commodũ. Secundò respondetur, re benè perspecta, vendens aliquid in hoc casu dat: & emens aliquid recipit. Emens quidem, affectum vendentis, & illius effectum: idest vt faciat quod emens vult; siue illud maneat in agente, siue transeat in alium, siue sit vtile emenți, siue alteri. Et similiter vendens aliquid tradit: vendit namque suum consensum illius quod spirituale quid est. Alijs verbis potest hoc explicari. Qui vendit actum virtutis sibi soli vtilem, dat suam libertatem in hoc opere faciendo. Absolutè antea opus consilij erat; quod non est sibi liberum post impositam obligationem. Et si opus præcepti antea erat; nouo vinculo alligatum ementi tradit, per promissionem scilicet; & hanc libertatem sibi vendicat emens. Per quod satis superque fit argumento secundo, quod latè prosequitur Medina vbi supra. *Medina.*

In fine huius disputationis dubitas fortè: an datio & acceptio pecuniæ pro actu spirituali, proficuo tamen operanti, verbi gratia pro ingressu Religionis, hac conditione apposita ex parte dãtis, & acceptata ex parte recipientis, quod recipiens maneat obligatus ad ingressum Religionis: quòd si non ingrediatur, restituet acceptas pecunias; an illa acceptio & datio pecuniæ sit simonia? Et videtur vera pars negatiua. Primò: nam id videtur clarè colligi ex capite secundo de conditionibus appositis, vbi approbatur manumissio seruorum facta sub hac conditione, dummodo Monachi fierent: quòd si non facerent, iterum ad seruitutem esse redigendos. Confirmatur altero exemplo, de eo qui alit pauperem in studijs, hac apposita conditione vt fiat Religiosus: quòd si non ingrediatur Religionem, expensas restituat. In oppositum videtur esse, quia in isto contractu videtur esse obligatio & pactum ex parte dantis & accipientis pro re spirituali: ergo simonia est. Dices, accipientem non manere simpliciter obligatum; sed sub disiunctione, vel ad implendam conditionem, vel ad reddendum quod accepit: quæ propriè non est obligatio, vel cõtractus onerosus; cùm liberum sit illi accipienti, in eo statu & libertate manere, in qua antea erat. Hunc modũ dicẽdi sequũtur quidam viri docti: oppositа tamen sententia mihi magis arridet. Primò: nam sequitur ex sententia relata, licere saltem absque simoniæ vitio, promittere, imò dare Episcopo pecuniam, hac appositа conditione, vt vel det beneficium, vel si non dederit restituat *Dubium.*

ſtituat pecunias acceptas. Conſequens falſum eſt, & aperiens viam mille ſimonias honeſtandi. Probatur ſequela, tum, quia non adeſt pactum, & obligatio abſoluta, ſed tantum ſub diſiunctione, quod aiunt relati Autores non ſufficere ad ſimoniam: tùm, quia iſte contractus non eſt oneroſus, cùm relinquat accipientem in ea libertate, & ſtatu quo ante contractum iſtum erat; ac proinde non inducitur ſimonia. Quòd verò pecunia detur in vtilitatem tantum dantis, parum refert, ſi adſit pactum, id eſt, vltro citroque obligatio. Secundò. Simonia conſummatur in venditione, aut emptione rei ſpiritualis: ſed obligatio ſub diſiunctione, veram efficit venditionem, & emptionem, vt patet in eo qui tradit alteri equum pro pecunia, hac conditione, vt ſi voluerit reſtituat pecunias, & reaccipiat equum: imò omnes cenſus redimibiles in hoc genere emēdi innituntur: ergo quando quis dat alicui pecunias, vt Religionem ingrediatur, ſub hoc pacto diſiunctiuo, vt vel ingrediatur, vel ſi non fiat religioſus pecunias reſtituat; verè vendit rem ſpiritualem, & verè obligat accipientem numos ſaltem ſub diſiunctione, ac proinde ſimoniacus eſt.

Ad argumenta pro oppoſita ſententia reſpondetur. Ad primum ex cap. 2. de condit. appoſitis multi multa dicunt: quia videtur ille textus contrarius alteri 1. q. 2. cap. *quampio*. Quare reſpondetur, non adfuiſſe pactum inter eum Diaconū, & ſeruos ſuos, ita quod illi obligarentur ſub diſiunctione, vel ingredi Religionem, vel iterum ad ſeruitutem redire. Sed fuit quædam inuitatio heri, & pollicitatio, vt ſi ingrederētur Religionem ipſos eſſet manumiſſurus, alias nequaquam. Ipſi verò hac promiſsione inuitati, ingreſsi ſunt: ſed vnus receſsit à Religione; quare meritò ad ſeruitutem iuſſus eſt reuocari. Ad illud, talem contractum non eſſe oneroſum, ac proinde non eſſe ſimoniacum; reſpondetur, non eſſe tan oneroſum ſicut contractus obligatorius abſolutè, & ſine diſiunctione, quia ante illum initum, poterat ille, de quo in caſu, non ingredi ſine vlla prorſus obligatione. At poſt illum celebratum, idem poteſt, ſed ſub quadam diſiunctione manet obligatus: quæ licèt non tollat omninò libertatem; tamen talis obligatio eſt, vt ſufficiat ad veram emptionem, & venditionem. Quod ſatis ſuperque eſt ad ſimoniæ vitium, ſi circa res ſpirituales verſetur.

Ex dictis deciſa videtur alia dubitatio affinis, an pro ingreſſu ad religionem, licitum ſit aliquod temporale exigere? Cui D. Thom. reſpondet negatiuè in hac eadem ſolutione ad quartum, & quodlib. 4. art. 23. in fine corporis, & ad 17. Cui conſentiunt omnes Doctores Iuriſperiti propter capit. *quampio*. citatum. Vnde confirmatur ſententia ſecunda negatiua, in diſputatione immediatè præcedenti. Et intelligendum eſt hoc de ingreſſu per ſuſceptionem habitus, vel profeſsionis. Vterque enim ſpiritualiſſimus eſt, tùm ex parte principij, qui eſt Spiritus ſanctus vocans ad altiora: tum ex parte finis proximi, qui eſt cultus Dei perfectus, & ſpiritualis profectus ingredientis. Vnde iura de vtroque ingreſſu indifferenter loquuntur, & meritò: quia cùm vnum ſit via ad aliud, pro eodem reputantur. Vt benè notauit Nauarrus conſilio 86. de ſimonia, & habetur in cap. *nullus*. 1. quæſt. 2. & in cap. *non ſatis*. & cap. *de regularibus*. & cap. *vemens*. cap. *quoniam*. cap. *audiuimus*. de ſimonia. Quæ in hoc caſu prohibita eſt de iure diuino: quia obiectum eius valdè ſpirituale eſt ex natura ſua. Addit tamen D. Thom. ſi Monaſterium ſit tam tenue, quòd non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas; licet quidem gratis ingreſſum Monaſterij exhiberi: ſed etiam licet accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiant Monaſterij opes. Quod ſatis patet, quia ibi nō accipitur temporale pro ſpirituali, ſed pro temporali: id eſt, pro victu, & veſtitu, ſeu obligatione ad illa exhibenda, ſicut dictum eſt circa articulum ſecundum de dote vxoria ad matrimonij onera ſuſtinēda. Et vtrūque horum, tam prohibitio dandi aliquid pro ingreſſu, quàm conceſsio largiendi pro ſuſtentatione, de iure diuino eſt. An verò iure poſitiuo hoc poſtremum ſit prohibitum? agemus inferiùs circa examen ſecundæ concluſionis 2. 3. & 4. articuli. Sed circa primam concluſionem articuli ſecundi, & tertij, & circa ſolutionem ad tertium articuli tertij ſequitur

D. Thom.

Nauar.

DISP.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm ſit ſimonia dare, & accipere pretium pro omiſſione actuum ſpiritualium; verbi gratia, pro non celebrando, pro non prædicando, & ſimilibus?

VIdetur vera pars negatiua: quia omiſsio ſpiritualis actus non eſt ſpiritualis, ſed potiùs negatio rei ſpiritualis: neque poteſt reduci ad poteſtatem aliquam ſpiritualem, cùm ſit ens rationis. Confirmatur, quia qui dat negationem actus pro pretio, nihil dat; ac ex conſequenti non agit contra præceptum Domini: *Gratis accepiſtis, gratis date*: vbi prohibetur venditio rei ſpiritualis, & non venditio negationis. Matth. 10. Secundò. Emptio, & venditio ſimoniaca, eſt intrinſecè mala: at emptio, aut venditio talium negationum, non eſt intrinſecè mala: ergo non eſt ſimoniaca. Probatur minor. Talis emptio honeſtari poteſt, quia licitum, & ſanctum eſt dare pecuniam ei qui electurus eſt indignum, vt ab eligendo abſtineat, & ei qui ſimoniacè ordinaturus eſt, ne ordinet, vt communiter aſſerunt Doctores in capite *cùm in Eccleſiæ.* de ſimonia. Dices, hoc non eſſe ſimoniam, quia per id auocatur homo à malo. Contrà: quia vendere actum ſpiritualem, ſemper eſt ſimoniacum: ſiue actus ſit bonus, ſiue malus. Simonia namque eſt offerre pretium pro electione digni, quæ bona eſt; & pro electione indigni, quæ mala eſt. Ergo ſi non eſt ſimoniaca emptio negationis alicuius actus ſpiritualis mali; neque etiam erit emptio alicuius negationis actus ſpiritualis boni: ac proinde nunquam erit ſimonia, vendere, aut emere negationem actus ſpiritualis. Tertiò. Fundamentum præcipuum oppoſitæ ſententiæ, eſt caput *nemo presbyterorum.* de ſimonia. Sed ibi Pontifex non loquitur de ſimonia in propria ſignificatione: nam aliqua ibi dicuntur eſſe ſimonia, quæ certò conſtat non eſſe, vt celare Epiſcopo propter pecuniam peccatum alterius, vel propter reſpectum conſanguinitatis. Item reconciliare indignum gratia, vel fauore. Item propter liuorem indignum à reconciliatione remouere.

In oppoſitum eſt textus in capite *nemo presbyterorum.* de ſimonia: vbi prohibetur, ne pœnitentia detur, vel negetur pretio. Et ſubditur: *vtrunque enim ſimoniacum eſt.* Secundo probatur eadem pars affirmatiua, rationibus inferius circa ſingulas aſſertiones ponendis.

Circa hanc controuerſiam variæ ſunt ſententiæ: duæ præcipuæ contrariæ. Prima negat, circa ſolam omiſsionem poſſe committi ſimoniam: moueturque argumentis poſitis in principio. Hanc tuetur Adrianus quodlibeto 6. articulo ſecundo in principio, Innocentius dicto capit. *nemo*, quem alij ſequuntur. Secunda ſententia ait, poſſe quandoque ſolam omiſſionem actus ſpiritualis eſſe ſimoniam. Hæc eſt expreſsè Diui Thomæ in hac quæſtione, articulo 3. ad tertium, & in 4. diſtinctione 25. quæſtione 3. articulo 2. quæſtiuncula ſecunda ad ſextum. Palud. ibi quæſtione quinta, Soto eadem diſtinctione, quæſtione ſexta, articulo ſecundo ad tertium, Sylueſter verbo *ſimonia.* quæſtione nona, & ferè omnes Summiſtæ. Ex Iuriſperitis, Panormitanus in dicto capite *nemo.* numero 6. quem ſequuntur alij plures, Archidiaconus, Turrecremata, Præpoſitus circa capitulum *nullus Epiſcopus.* Et hæc ſententia à nobis tenenda eſt: quam explico per ſequentes aſſertiones. Præmittendo tamen, actus ſpirituales eſſe in quadruplici differentia. Quidam pertinent ad meram ordinis poteſtatem, vt conſecrare hoſtiam. Quidam tantùm ad iuriſdictionis poteſtatem, vt abſoluere à cenſuris. Alij ad vtranque ſimul, vt abſoluere à peccatis. Alij ad neutram, vt orare, baptizare, ordines ſuſcipere, religionem profiteri. Non diſsimiliter totidem omiſsiones actuum ſpiritualium, in hac materia conſiderandæ veniunt; cùm negationum diuerſitas, ex diuerſitate affirmationum penſanda ſit. Secundò notandum, hoc eſſe diſcrimen inter ordinis poteſtatem, & iuriſdictionis: quòd illa ſic eſt determinata ad ſuum actum poſitiuum, vt non valeat vllum habere erga illius negationem. Verbi gratia: character Sacerdotalis eſt principium poſitiuum ad conſecrandum Chriſti corpus. Sed circa non conſecrandum, nullum omninò actum habet Sacerdos, magis quàm quilibet alius.

Adrian. *Innocent.* *D. Thom.* *Paludan.* *Sotus.* *Sylueſt.* *Panorm.* *Archidiac.* *Turrecre.* *Præpoſit.*

alius. At poteſtas iuriſdictionis eſt principium poſitiuum erga actum, & illius negationem: verbi gratia: poteſtas ad abſoluendum à peccatis, eſt principium abſoluendi, & retinendi, id eſt, non abſoluendi à peccatis. Ex hoc naſcitur diſcrimen inter ipſas omiſsiones, ſeu negationes actuum ſpiritualium. Nam quædam ſunt merè priuationes actuum ſpiritualium, vt negationes actuum ſpiritualium non pertinentium ad iuriſdictionis poteſtatem, etiamſi ad poteſtatem ordinis pertineant, vt non conſecrare, non orare. Aliæ verò ſunt morales quidam vſus poteſtatis ſpiritualis, cuiuſmodi ſunt omnes negationes actuum ſpiritualium ad iuriſdictionis poteſtatem pertinentium. Tertiò notandum, negationem actus ad iuriſdictionem pertinentis, interdum eſſe alicuius actus ex iuſtitia & officio debiti, vt cùm Parochus negat ſubdito confeſsionis audientiam, tempore quo tenetur ex officio audire; in qua negatione citra dubium infert iniuriam ſubdito. Aliquando verò negatio eſt actus exercendi per poteſtatem iuriſdictionis, ſed non eſt debitus ex iuſtitia; vt ſi Sacerdos ſimplex nolit audire confeſsiones. His præmiſsis ſit

Prima aſſertio. Negatio actus ſpiritualis pertinentis ad ordinis poteſtatem; & negatio actus ſpiritualis ad nullam poteſtatem pertinentis, non ſunt materia ſimoniæ. Exemplum primi: ſi Sacerdoti detur pecunia ne celebret, non eſt ſimonia. Exemplum ſecundi, in eo qui accipit pecuniam ne oret. Hæc aſſertio probatur argumentis factis initio quæſtionis. Probatur præterea: tùm quia illæ negationes, puræ omiſsiones ſunt; nec reduci poſſunt ad aliquam poteſtatem ſpiritualem, vt oſtendimus: tùm, quia ibi non venditur aliquid ſpirituale, ſed naturalis vſus libertatis. Aſſertio intelligitur etiamſi aliàs actus omiſſus ſit in præcepto iuſtitiæ, vel alterius virtutis; & omiſsio ſit peccatum. Probatur: quia ſemper omiſsio illa eſt vſus, vel abuſus puræ voluntatis; & non alicuius poteſtatis, aut gratiæ ſpiritualis: & quando actus eſt debitus; ſolùm additur omiſsioni ratio peccati, quæ non facit omiſsionem eſſe ſpiritualem: quod neceſſarium erat ad rationem ſimoniæ. Quare dare alicui pecuniam ne ingrediatur religionem, etiamſi aliàs de ingreſſu votum emiſiſſet: licèt peccatum ſit; non tamen ſimonia, propter rationem factam. Similiter non eſt ſimonia, ſi Parochus accipiat pretium pro non dicenda Miſſa, quam ex iuſtitia in ſua Parochia tenetur dicere. Aliqui huic noſtræ aſſertioni apponunt exceptionem, niſi intuitu alicuius boni ſpiritualis vendatur negatio actus ſpiritualis ad iuriſdictionem non pertinens; aut pretio, vel maiori pretio æſtimetur. Sed de hoc nos latiùs circa artic. 4. in ſolutione ad ſecundum.

Secunda aſſertio ſit. Vendere, aut emere negationem actus ſpiritualis ad poteſtatem iuriſdictionis pertinentis; ſi illa omiſsio reguletur per poteſtatem iuriſdictionis ſicut ſæpè fit; ſimonia eſt. Verbi gratia: ſi Sacerdos audita confeſsione pœnitentis neget abſolutionem propter acceptam pecuniam: ſiue negatio ſit aliàs iuſta, ſiue iniuſta. Idem dico de negatione abſolutionis à cenſuris, ab habente iuriſdictionem in contentioſo foro: quam negationem per poteſtatem iuriſdictionis regulari certum eſt. Si autem illa omiſsio per eam poteſtatem non reguletur, venditio illius ſimonia non eſt. Poſterior pars probatur: quia illa omiſsio ſi vt purè omiſsio conſideretur, nihil ſpirituale habet, neque ad ſpirituale reducitur: ac proinde non eſt materia ſimoniæ, magis quàm aliæ puræ omiſsiones, quarum actus ad poteſtatem iuriſdictionis non pertinent. Prior verò pars probatur: quia quando omiſsiones actuum ſpiritualium poteſtate iuriſdictionis regulantur; habent pro principio imperante, vel quaſi eliciente, ipſam poteſtatem ſpiritualem: ergo valdè ſpirituales ſunt; ac proinde ſimoniæ materia. Antecedens explicatur in omiſsione abſoluendi à peccatis; quæ non minus regulatur à poteſtate iuriſdictionis, quàm actus poſitiuus abſoluendi: dicente Domino Matth. 18. & Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Retinere autem peccata nihil aliud eſt, quàm negare abſolutionem confitentibus. Quæ negatio iuxta regulas ab eodem Chriſto traditas, & ab Eccleſia, exercenda eſt. Hæc aſſertio ſub tenore poſito certiſsima eſt: in qua veritas ſecundæ ſententiæ innoteſcit. Supereſt tamen explicandum, quomodo, aut quibus

Matth. 18. Ioann. 20.

quibus regulis dignoſcetur, quando negationes actuum ſpiritualium ad poteſtatem iuriſdictionis pertinentium, per eam regulentur.

Tertia ergo aſſertio ſit. Negatio ſeu omiſsio actus ſpiritualis ad iuriſdictionis poteſtatem pertinentis, ſed qui ex iuſtitia non debetur; non eſt ſimoniæ materia. Ratio eſt, quia tales omiſsiones non imperantur, neque eliciuntur etiam in genere moris ab ea poteſtate: ergo per regulas iuriſdictionis ſpiritualis non eſt de illis iudicandum. Explicatur exemplo. Si Sacerdos ſimplex, aut quiuis alius, cui ex iuſtitia non incumbit audire confeſſiones; neget earum audientiam accepto pretio, turpe lucrum exercet; ſed non eſt ſimoniacus.

Quarta aſſertio. Negatio actus ſpiritualis ad iuriſdictionis poteſtatem pertinentis ex iuſtitia debiti, ſi exerceatur autoritatiuè, ideſt, per modum iudicij, eſt ſufficiens ſimoniæ materia. Probatur ex capite *nemo* citato, vbi Pontifex adducit multos caſus, in quibus commemorantur multæ negationes pertinentes ad vſum ſpiritualis poteſtatis: quas vendere ſimoniacum eſſe diffinit. Secundò probatur euidẽter in venditione negationis abſolutionis à peccatis in foro conſcientię, in quo, concedente Domino, in locis citatis ex Euãgelio data eſt facultas Sacerdotibus habentibus iuriſdictionem, retinendi peccata audita in confeſsione, quando id viderint expedire: tunc enim Sacerdos quaſi pro tribunali ſedens, fert ſententiam vel dimittendi peccata, vel retinendi. Et idem dico de abſolutione à cenſuris in foro contentioſo, quas negationes ſi quis vendat, vſum ſpiritualis iuriſdictionis vendit: ac proinde ſimoniacus eſt. Tertiò. Si quis det pretium electori, hac tantùm intentione vt non eligat Petrum, non curans quòd eligat alium; ille ſimoniacus reputatur: & tamen tantùm emit negationem electionis, quam exercere tenebatur per vſum ſpiritualis poteſtatis, iudicans de eligendi idoneitate: ergo. Veritas huius aſſertionis amplius manifeſtabitur, in ſolutione argumẽtorum pro parte negatiua.

Sed maior difficultas eſt de quibuſdam negationibus actuum debitorum ex iuſtitia: qui ſi exerceantur, ad poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualis pertinent. Dubitatio, inquam, eſt, an ſi priuatè denegentur, accepta pecunia; per poteſtatem iuriſdictionis ea negatio regulanda, & conſequenter materia ſimoniæ ſit: verbi gratia ſi Parochus quando tenetur, neget confeſsionis audientiam accepto pretio; ſi iudex Eccleſiaſticus non corrigat quando corrigere tenetur, propter pecuniam. Quidam abſolutè & ſine diſtinctione affirmant, omnes negationes actuum ſpiritualium ad iuriſdictionis poteſtatem pertinentium, etiamſi priuatè ſint, & non autoritatiuè exercitæ, eſſe materiam ſimoniæ: alij verò id negant. Mihi tamen videtur media via incedere. Exiſtimo namque parum referre ad rem, quòd negationes præfatæ priuatè, aut in publico exerceantur; quòd in ipſo iudicio, vel extra iudicium: ſed ſolùm eſſe attendendum, an negans vtatur in ea negatione ſpirituali poteſtate, necne. Nam ſi vtatur, ea negatio empta aut vendita ſimoniam inducit: ſin minus, non eſt ſimonia. Qui vſus, aut non vſus, penſandus eſt prudenter ex circunſtantijs moralibus negationum. Exemplis iſta melius percipientur. Accedit Parochianus ad ſuum Parochum, tempore quo tenetur eius conſcientiam expiare, petens vt eius confeſsionem audiat: Parochus verò repellit illum à confeſsione, quia publicus peccator eſt, indignus audiri ante eiectionem concubinæ à domo ſua. Hæc denegatio confeſsionis ſufficiẽs materia ſimoniæ eſt, ſiue fiat priuatè ſiue publicè; ſiue extra tribunal in domo priuata, ſiue intra tribunal confeſsionis: quia regulatur, & quaſi elicitur à poteſtate iuriſdictionis: non enim ſe extendit tantùm iuriſdictio illa ſpiritualis ad retinenda peccata in confeſsione audita; verùm etiam ad audiendum, vel repellendum peccatores à peccatis ſuis dicendis, quando Parochus id viderit expedire. At verò ſi Parochus cupiẽs dormire, aut venatum ire, quando tenebatur cõfeſsiones ſuorum ſubditorum audire, audientiam deneget; non obijciens indignitatem confiteri volentis, vel aliquid quod ad vſum ſuæ poteſtatis ſpiritualis pertinere poſsit: ea negatio accepto pretio non eſt ſimonia, ſed fortaſsè lucrum turpe: quia in hoc caſu ea negatio non regulatur per poteſtatem iuriſdictionis, ſed potiùs per ſuam inertiam, aut venandi cupiditatem, aut quid ſimile.

Sed contrà obijcitur primò: quia negationes iſtæ, ſiue fiant priori, aut poſterio-

ri modo, ſunt eiuſdem ſpeciei, cùm verſentur circa idem obiectum, & vtraque eſt iuſtitia quædam contra obligationem ratione officij debitam: & colligitur ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 72. art. 6. Ergo vel vtraque eſt materia ſimoniæ, vel nulla. Secundò. Quando petitio ex parte petentis iuſta *D. Thom.* eſt; reſponſio ſiue iuſta, ſiue iniuſta, iuxta mentem interrogantis intelligenda eſt, vt ſupra aliud agentes docuimus. Sed Parochianus, quotieſcunque petit à Parocho ſuo audientiam confeſſionis, exigit ius ſibi debitum, regulatum per poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualis: ergo ſi Parochus id deneget; negatio quæ quaſi quædam reſponſio eſt, intelligenda erit de negatione iudiciali, regulata per poteſtatem ſpiritualem; ac proinde ſimoniæ materia eſt. Ad primam obiectionem reſpondetur, verum eſſe, illas negationes eſſe eiuſdem ſpeciei in ratione iniuſtitiæ; ſed non vt materia ſimoniæ ſunt: quia in priori caſu cenſetur quaſi actus imperatus à poteſtate iuriſdictionis; in ſecundo verò nequaquam. Quare vt ſic ſpecie differunt moraliter tanquam vſus iuriſdictionis, & vſus priuatus ad iuriſdictionem non pertinens. Ad ſecundam negatur conſequentia, quia propterea peccat peccato iniuſtitiæ Parochus denegans illam audientiam; quia contra ius negat debitum poſcenti. Quod verò attinet ad eſſe materiam ſimoniæ, vel non eſſe; aliunde penſandum eſt: videlicet, vtrùm negationes illæ regulentur à poteſtate ſpirituali ſicut in priori caſu, necne, ſicut in poſteriori?

Ad argumenta poſita in diſputationis initio, quatenus militant contra ſententiam affirmatiuam, reſpondetur. Ad primum: negationes, de quibus in noſtris poſterioribus aſſertionibus, habere adiunctum actum poſitiuum, quo Eccleſiaſticus iudex manifeſtat ſe nolle abſoluere, aut iudicare: quia vt dicitur in materia de peccatis, non datur moraliter pura omiſsio, & præcipuè in vſu poteſtatis iuriſdictionis; qui actus ab ea eſt elicitiuè, ſiue imperatiuè: quod ſatis eſt vt dicatur, illam omiſsionem actus pertinere ad poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualem; ac proinde & ipſa ſpiritualis eſt. Secundò reſpondetur & melius. Eſtò eæ omiſsiones reperirentur ſine vllo actu, eſſent ſufficiens materia ſimoniæ, ſub qua ratione non conſiderantur vt entia rationis, ſed vt priuationes reales, ac morales, quæ ratione iuriſdictionis, in cuius vi tales actus denegantur, habent morales effectus: verbi gratia, in foro conſcientiæ detentionem in peccatis. Et ob id rectè dicuntur pertinere ad iuriſdictionem ſpiritualem, & eſſe vſum, & exercitium eius quod pertinet ad ſpiritualem ordinem: & eſt quædam participatio diuini iudicij, tam in foro conſcientiæ, quàm in contentioſo Eccleſiaſtico. Mitto modò, ſat eſſe ponere ordinem tranſcendentalem rationis ad poteſtatem ſpiritualem, quæ etiam ens rationis eſt, vt patet in poteſtate prætoria ciuili. Ad confirmationem reſpondetur, eum qui negat actum iuriſdictionis vtẽ do ea ipſa iuriſdictione, gratis accepiſſe, & gratis dare debere, non transferendo eam neque actus eius in alterum, ſed gratis exercendo eius iuriſdictionis vſum: qui non ſolùm extenditur ad actus poſitiuos; verùm ad eorum negationes. Vnde etiam in hoc vſu dupliciter poteſt committi ſimonia, ſcilicet vendendo actus poſitiuos, & negationes eorum. Itaque venditur, & datur non ſolùm vſus poteſtatis in actibus poſitiuis, verùm etiam in negationibus eorum, vt declaratum eſt. Ad ſecundum, Iuriſperiti quidam, quos refert, & ſequitur Abbas in cap. *cùm in Eccleſiæ*. de ſimonia, dicunt eum, qui pecuniam dat pro *Abbas.* vitando peccato indignæ electionis, non eſſe ſimoniacum: at qui accipit, ſimoniacus eſt. Mihi tamen videtur argumentum verſari in æquiuocatione: & ideò diſtinctione opus eſſe. Nam ſi detur alicui pecunia, vt abſtineat ab electione indigni, tantùm vt indigna eſt, relinquens electori liberam facultatem eligendi: tunc neque ex parte dantis, neque ex parte accipientis ſimonia eſt, quia nil ſpirituale venditur; ſed malitia adiuncta per accidens electioni euitatur: quod ſanctum, & iuſtum eſt ex parte dantis, licet ex parte recipientis, turpe lucrum, aut iniuſtitia committi poſsit. At verò ſi pecunia detur non ſolùm ad abſtinendum à praua electionis circunſtantia, verùm ab ipſa electione: ſimonia committitur tam ex parte dantis, quàm ex parte recipientis, quia pro negatione actus ſpiritualis regulati à poteſtate iuriſdictionis datur. Et hoc eſt quod nos aſſerimus in noſtris aſſertionibus.

Circa

Circa materiam tertij argumenti libet aliquanto fusiùs immorari, in gratiam Iurisperitorum, capitulum *nemo.* declarando. Illud enim non fauere sententiæ nostræ affirmatiuæ, conantur patroni sententiæ negatiuæ argumento tertio proposito. Videlicet illud esse interpretandum de simonia impropriè accepta, pro quacunque datione pecuniæ titulo iniusto. Sed id non apparet verosimile: quia ibi prohibetur ne pœnitētia detur, vel negetur pretio. Et subditur: *Vtrunque enim simoniacum est.* Sed ea vox adaptatur in propriſsima ſignificatione dationi pretij pro pœnitentia: ergo etiam propriſsimè adaptatur negationi eiusdem pœnitentiæ pro pretio: aliàs eadem vox applicata duobus in eodem iuris contextu, vni propriè, & alteri impropriè, & per metaphoram adaptaretur: quod etiam ipſi Iuriſperiti renuunt concedere, & benè. Item, quia verba legis tam absolutè prolata, explicare in ſignificatione impropria, absurdum est: alioqui pro suo arbitratu posſet quiſquam omnia iura, quæ de simonia sunt, in ſignificatione impropria esſe interpretanda asſerere. Quare ad argumentum reſpondetur primò, ea quæ in principio textus reprobantur, & in argumento aſferuntur, non esſe simoniaca, neque Pontifex illud asſeruit. Duas enim partes habet capitulum illud; vnam à principio vſque ad verſiculum *Nec quemquam*: excluſiuè; aliam in toto illo verſiculo, vſque ad finem. Et in priori prohibetur presbyteris, ne accipiant aliquid temporale propter celandum publicum peccatorem Epiſcopo, vel eius miniſtris. In illa autem prima parte nullum de simonia verbum est; ſed prohibetur illud tanquam contrarium bonis moribus. In ſecunda autem parte prohibentur Clerici reconciliare aliquem, vel reconciliationem negare propter pretium. Et de his ratio redditur: *Quia simoniacum est vtrunque.* Quæ verba non referuntur ad priorem capitis partem, ſed tantùm ad hanc poſteriorem. Nam vox illa *vtrunque*, tantùm duas partes complectitur, quæ debent esſe proximè præcedentes: ergo non cadit in eas, quæ remotè præceſſerunt, cùm illa ſint pluſquam duo. Et ſi omnia vellet comprehendere; non vteretur vocabulo *vtrunque*: ſed quia omnia hæc simoniaca ſunt. Reſponſio hæc fuit præuiſa, & acceptata à Gloſſa in eo textu, verbo

A *vtrunque*, & probabilis est. Sed non placet Panormitano, & alijs, qui aiunt illam vocem *vtrunque* referri ad vtranque partem textus; quia caſus ſingularum partium vnus reputatur propter ſimilitudinem: quam ego certè non agnoſco, ſed magnam diſsimilitudinem. Nihilominus admiſſo voculam illam *vtrunque* ad totum textum referri, qui quaſi duplici tractatu ponitur in Decretali illa: reſpondetur, eas actiones connumeratas in principio textus, esſe verè, & propriè simoniacas, ſi conſiderentur vt regulatæ per poteſtatem iuriſdictionis, ſicut verè quandoq; B regulantur. Pro quo aduerte, celationem publici peccatoris non denuntiando Epiſcopo, poſſe fieri dupliciter. Vno modo, à non habente iuriſdictionem, vel ab habente ſine vſu illius: v.g. quando quis tacet delictum quod tenebatur pandere lege charitatis, aut iuſtitiæ, nullo facto vſu ſpiritualis iuriſdictionis, vt ſæpè fit à iudicibus ciuilibus. Altero modo poteſt celari peccator ab habente iuriſdictionem, & obligationē manifeſtandi ex officio vtendo iuriſdictione. Vt ſi Parochus ſciat aliquem esſe publicum peccatorem, & accepta pecunia nō denuntiat Epiſcopo; quin potius occultat, C vtendo ea occultatione poteſtate iuriſdictionis: v.g. ſcribendo in Cathalogo eorum qui communicarunt in Paſchate, vel faciēdo quid ſimile, quod pertineat ad iuriſdictionem. Et in hoc caſu procedit citatum capitulum *nemo.* damnans omnes caſus ibi relatos, vt ſimoniacos. Quod à ſigno colligitur: quia tantùm ibi Pontifex non loquitur vniuerſaliter ad omnes homines, qui certè poſſent esſe rei contra charitatem, aut iuſtitiam legalem, celando publicos peccatores; ſed contra presbyteros, ad quos ſpectat ex officio denuntiare Epiſcopo. Quā denuntiationem ſi omittant admiſcendo D aliquid, vnde colligatur in ea occultatione eos vti iuriſdictione ſpirituali: tunc ait Pontifex ſimoniam committere. Ita intelligendus est Diuus Thomas in prædicta ſolutione ad tertium, quando dicit, ſimoniacum esſe paſtorem, qui pecuniam accipit vt ſubditum corrigat, vel à corrigēdo deſiſtat: nempè in vtroq; vtendo aliquo modo ſui muneris autoritate. Quod non ſemel fit à iudicibus Eccleſiaſticis; ſicut qui poſt auditam cauſam, accepta pecunia reum omittunt condemnare, vel etiam ante formatum proceſſum, aut cauſam auditam, autoritatiuè diſsimulant. Quod

Panorm.

D. Thom.

est quo-

est quodammodò absoluere à reatu pœnæ nocentem.

Hucusque disputauimus de pretio rerum spiritualium, & quomodo sit materia simoniæ: superest explicandum de stipendio sustentationis, an sit licitum? De qua re *D. Thom.* differit D. Tho. in multis locis huius quæstionis, videlicet in articulo 2. conclusione 2. & in solutione ad secundum, & quartum, & in articulo 3. conclusione 2. & 3. & in solutione ad omnia eiusdem articuli argumenta. Et suppositis ijs quæ latè docuimus, non posse pro his aliquid dari sub ratione pretij: est modò

DISPVTATIO IX.

An liceat aliquid temporale dare, & accipere sub ratione stipendij sustentationis ministrorum?

DAtio dubitandi est, quia Domini præceptum impositum omnibus ministris Ecclesiæ, est *gratis accepistis, gratis date.* Quòd si licitè accipiant, imò si ex iustitia debitum (vt dicemus) non dispensant gratis.

Prima assertio sit. Non solùm licitum est dare, & accipere stipendium hoc præfatis ministris: verùm egregiè quadrat cum Euangelica perfectione. Probatur primò exemplo Christi, qui factis docuit hanc conclusionem. Docuit item Christus idem *Matth.10.* verbis, Matthæi 10. & Lucæ 10. Etenim *Luc. 10.* cùm Christus Dominus Apostolis dixisset, quòd prædicarent Euangelium, & alia bona spiritualia conferrent; & postmodùm interdixisset eis duo, negotiationem videlicet in spiritualibus, dicens: *Gratis accepistis, &c.* prouidentiamque rerum temporalium, inquiens: *Non tuleritis sacculum, &c.* respondet Christus tacitæ obiectioni. Poterant siquidem Apostoli obijcere: quomodo ergo prouidebimus indigentiæ nostræ? occurrit Dominus: *Dignus est operarius cibo suo.* Quasi diceret: nolite soliciti esse de re hac, quoniam ij quibus annuntiatis Euangelium, tenentur ex iustitia prouidere in- *1.Corim.9.* digentiæ vestræ. Et D. Paul. 1. Corinth. 9. multis argumentis, & à natura profectis, & à lege veteri, & ab exemplo Apostolorum conatur ostendere hanc veritatem: esse scilicet hoc stipendium ex iustitia debitum ijs qui annuntiant Euangelium, concludens:

A *Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annuntiant; de Euangelio viuere.* Et 1. ad Timo. 5. *1.Timo.5.* *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt.* Siue vocemus duplicem honorem cum qui à nobis dicitur honor, & cõmodum, vt dicantur ab Apostolo digni honore, & commodo: siue dicamus, Apostolũ vocare duplicem honorem, duplicem sustentationem, duplex commodum: *Doblado manteniminto*: ad insinuandum quòd Euãgelij Prædicatoribus debetur non qualiscũque sustentatio, sed abundans. Probatur deinde conclusio ex vsu, & consensione totius Ecclesiæ, quæ approbat eiusmodi stipẽdia quandoque taxata Papæ autoritate: quo B pacto taxatæ sunt decimæ pro stipendio ministrorum Ecclesiæ; quandoque verò taxata autoritate inferiorum Pontificũ; quãdoque demum ex condicto, & conuentione particulari inter ministrum Ecclesiasticum, & eum cui ministrat, vt patet in Capellano. Infinitum opus esset recensere modò testimonia Sanctorum, Conciliorũ, & Pontificum de re hac: quæ vide 1. q. 1. 2. & 3. & 12. q. 1. & 16. q. 1. & in Decretalibus tit. de præbendis, & tit. de simonia.

Sed contra conclusionem arguitur. Si dispensantibus spiritualia debetur ex iustitia stipendium: sequitur quod non dispensant gratis, contra Domini præceptũ Mat. C 10. *Gratis accepistis*, &c. Probatur maior. Sti- *Matth.10.* pendium est ex iustitia debitũ: ergo. Cõfirmatur. Famulus qui recipit ab hero cui seruit victum, & vestitum tantùm; quamuis nõ liceat operas suas, nõ est dicẽdus seruire gratis hero: ergo. Respõdetur, Christum Dominũ non interdixisse Matth. 10. omnẽ cõmutationem: sed tantùm cõmutationem pro pretio. Quin potiùs vt ostendimus paulò ante, approbauit acceptationẽ stipendij ex iustitia: quoniã tale non cõmensuratur, aut cõmutatur cum re spirituali, neque cum laboribus ministrorum; sed cum indigentia ministri quantũ ad victum, & vestitũ. Hinc D patet ad confirmat. Famuli siquidẽ operæ cõmensurari possunt cum victu, & vestitu; ministri verò Ecclesiastici operę neutiquã.

Secunda assertio. Non est illicitũ dispensatoribus præfatis accipere stipendium sustentationis, quantũlibet aliàs diuites sint, & habeant ampla patrimonia. Prob. ex testimonijs sacræ Scripturę allegatis pro prę- cedenti assertione: vbi operarius vt sic dignus dicitur cibo, & mercede: & qui Euangelium annũtiat, hoc ipso de Euãgelio potest viuere: qui prę- est hac ratione quod præest,

dignus

dignus dicitur duplici honore. Et patet ex
1. Corin. 9. inductione Pauli 1. ad Corinth. 9. *Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? &c.* Imo ibi conatur oſtendere ſibi debitum ex iuſtitia ſtipendium, ſicut Petro & reliquis Apoſtolis: quamuis ipſe labore manuum ſibi comparauit neceſſaria ad victum & veſtitum. Et ideò propter meritum ſupererogationis ſupra reliquos Apoſtolos, & gloriam ſuam (ſic enim eam vocat ibidem) cõdonabat illud debitum. Secundò probatur ex vſu Eccleſiæ, non dãnantis eos qui inſeruiunt miniſterijs Eccleſiaſticis, ſtipendia recipere; quãuis aliàs diuites ſint, ſiue ex patrimonio, ſiue ex redditibus beneficij; ratione cuius non tenentur miniſtrare in eo miniſterio, pro quo datur ſtipẽdiũ. Verbi gratia, Parochus, qui habet redditus pingues ſui beneficij, poteſt accipere ſtipendiũ pro Miſſa voluntaria: & Canonici prædiuites poſſunt licitè accipere diſtributiones quotidianas. Probatur: quia illud ſtipendium datur propter officium: ergo ſi aliàs non tenebatur illud exercere, non cogitur ſine ſtipendio miniſtrare. Secus dicendũ quando Parochus, aut Eccleſiæ paſtor, ex vi ſui officij, & beneficij tenetur ad functiones ſpirituales, ratione quarum recipit fructus beneficij, & alios prouentus propter officium ſibi debitos: nam tunc iniuſtum eſt noua ſtipendia accipere. Hanc aſſertionem ſic explicatam tenet expreſſe diuus
D. Thom. Thom. quodlib. 6. art. 11. & fere omnes eius diſcipuli, moderni præcipuè. Ratio autem D. Thom. in allegato loco videtur demonſtratio Theologica. Ea eſt: ſtipendium hoc debitum eſt ex iuſtitia miniſtris rerũ ſpiritualium, vt docet idem ſanctus Doctor expreſſe quodlibet. 10. art. 6. & Corduba
Corduba. referens alios lib. 1. quæſtionarij, quæſt. 4. & omnes Theologi fundantes in hoc decimarum, & oblationum ſolutionem ex iuſtitia debitam. At mediũ iuſtitiæ nõ reſpicit cõditiones, & qualitates eorum, inter quos eſt iuſtitia, ſed tantùm proportionem rei ad rem. Ergo in dando, & accipiendo iſto ſtipendio, non debet attendi conditio recipientis ſecundùm pauperiem, & diuitias: ſed tantùm debet attendi quòd miniſtrẽt. Quod etiam fit in miniſterijs Ciuilibus, à
D. Paulus. quibus diuus Paulus ſuam deduxit ſententiam, dicens: *Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? &c.* Eandem aſſertionem tenent
Abbas. Hoſtien. Andreas. Abbas in cap. *Epiſcopus.* de præbendis, Hoſtienſis, & Ioannes Andreas in cap. *poſtulaſti.* de reſcriptis, & multi alij Iuriſperiti. Et probatur ex capit. finali. prima quæſtione ſecunda. Contra hanc aſſertionem tenet Adrianus in quarto, in materia de reſtitutione, & Ricardus in quarto diſtinctione 25. art. 3. quæſtione prima ad ſecundum, dicens non eſſe ſimoniam, hos diuites accipere pretium ſuſtentationis: eſt tamen illicitum. Sequitur Sylueſter, dicens eſſe turpè lucrum, vel auaritia. A qua ſententia non multum diſcedit Caietanus in hac quæſtione dicens, ibi mendacium interuenire: quia ſe fingit pauperem. Sed non probant, nec video quomodo probent: niſi forte nitantur in quibuſdam iuribus, quæ id videntur deteſtari, 1. quæſt. 2. cap. *Clericos.* cap. *Paſtor.* & ſequentibus, & 12. quæſt. 1. cap. *illa autem.* & cap. *ſi primatim.* & 16. quæſt. prima. cap. vltimo. Propter quæ alicui poſſet videri, ſi non ſecundùm ius naturæ, ſaltem ſecundùm poſitiuum non licere Clericis habentibus propria, de bonis Eccleſiæ ſuſtentari. Sed neque ius poſitiuum contra noſtram aſſertionem pugnat. Nam textus citati non ſunt Eccleſiaſticæ leges, ſed dicta quædã Hieronymi, Auguſtini, & Proſperi, quæ legem poſitiuam non faciũt, ſed declarant ea quæ magis decent ſtatum Clericalem. Ita Gloſſa in citato cap. *Clericos.* Et licèt vtantur verbis ſignificantibus grauem culpam, non eſt quia per ſe malum ſit; ſed quia in tali ſtatu facile committi poteſt, ſi Clerici auari magis ad congregandas diuitias, quàm ad ſubueniẽdum pauperibus nitantur. Vel dicito cum Gloſſa citata, eos Sanctos loqui iuxta morem antiquũ, quando Eccleſiaſtici redditus in communi poſſidebantur, & inter miniſtros Eccleſiæ non tam iuxta eorũ laborẽ, quàm pro ſingulorum indigentijs diſtribuebantur. Quæ cõſuetudo modò ceſſauit facta diuiſione, & reſeruata portione pro ſtipendijs miniſtrorum, quam poſſunt accipere pro ſuo miniſterio alias non debito ratione officij, etiãſi prædiuites ſint. Patronis oppoſitæ ſententiæ facilè concedemus, tales Clericos diſcedere à perfectione Euangelica, accipiendo illud ſtipendium: à quo non diſcederent illud acipiendo ſi eſſent pauperes; tamen negamus eſſe vllum peccatum accipere illud, etſi prædiuites ſint.

(.?.)

Adrian. Ricard. Sylueſt. Caietan.

DISPVTATIO X.

Ad quos ſpectet taxare ſtipendia ſuſtentationis pro miniſtris Eccleſiaſticarum functionum? Et de modo taxandi ſtipendia per leges ſtatuta.

REs ſcitu neceſſaria. Nam cùm ex iure diuino, & naturali dumtaxat habeatur in communi, ex iuſtitia deberi ſtipendium ſuſtentationis pro miniſtris Eccleſiaſticis: neceſſarium fuit apud aliquos eſſe faculratem certam, & in particulari taxandi, habita ratione qualitatis miniſtrantium, & miniſteriorum; aliàs omnia eſſent plena iurgijs, & contentionibus, dum miniſtri magnam pecuniæ, vel temporalium rerum copiam ſibi dari affectarent. E contra verò fideles reliqui, refrigeſcente iam charitate, nimis parci eſſent, ſtipendia pro ſuo libito conferendo. Taxatio igitur hæc tripliciter fieri poteſt: videlicet, per legem taxantem, ſeu per ſtatuta decernentia ſtipendij quantitatem, ſicut fecit Eccleſia in decimis, & oblationibus, de quo ſupra. Item conſuetudine, quæ habet vim legis. Ac demum ex pacto, & conuentione inter miniſtros, & eos quibus ſpiritualia impenduntur.

Sed nota, taxationes has, quæ per legem fiunt, fieri poſſe, vel quoad augmentum, ideſt, imponendo metam illi: ne ſcilicet poſsit exigi vltra talem quantitatem. Et hanc taxam, citra controuerſiam eſt licitè fieri: tùm vt minuatur auaritiæ cupiditas in miniſtris: tùm, vt ſpiritualia cum minori onere temporalium miniſtrentur fidelibus: tùm tertiò, quia iſte modus taxandi ſatis vſitatus eſt in iure, & politica gubernatione. Secundo modo poſſunt etiam taxationes fieri quoad diminutionem: videlicet vt non minus detur, aut accipiatur. Et de hac poſtrema taxatione controuerſia eſt, an ſit licita? Nam D. Thom. in hac quæſtione art. 3. ad ſecundum videtur eam improbare, dicens: *Illicita eſſet ordinatio, ſi in aliqua Eccleſia ſtatueretur, quòd non fieret proceſsio in funere alicuius, niſi ſolueret certam pecuniæ quantitatem: quia per tale ſtatutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi.* Et idem & propter eandem rationem, videtur improbare ſtatuta omnia, in quibus taxantur verſus diminutionem: ideſt, quod non fiant actiones ſpirituales cum minori ſtipendio, quàm taxatum ſit. Sequũtur Syluester verbo *ſimonia*. quæſtione 12. Tabiena numero 18. Angelus *ſimonia*. tertio, & Sotus vbi ſupra quæſtione ſexta, articulo primo ante ſolutionem tertij, & multi alij moderni D. Thomæ diſcipuli. Sed contra hoc arguitur primò. In Eccleſia Chriſti non eſt minor poteſtas, quàm in Republica ciuili. Sed in hac, rerum pretia poſſunt, & de facto taxantur, interdum verſus augmẽtum, interdum verſus minimum, vt patet in cenſibus redimibilibus: ergo etiam id poteſt facere Eccleſia Chriſti, lege lata circa ſtipendia ſpiritualium miniſteriorum, pro miniſtris alendis. Confirmatur, & explicatur. Poteſt enim quandoque id eſſe neceſſarium ad decentiam miniſtrorum Eccleſiæ, qui ſæpe inopia preſsi, pro vili ſtipendio conducuntur, & abiectè viuunt; nollentibus laicis dare id quod iuſtum eſt pro ſui ſuſtentatione. In quo caſu haud dubium eſt, licitè poſſe, & debere Eccleſiæ Prælatos taxare ſtipẽdia verſus minimum. Secundò. Sæpe ſpiritualium functionum ſtipendia Eccleſia taxauit verſus minimum: ergo idem poterunt Epiſcopi, & inferiores Prælati. Antecedens manifeſtatur in decimarum lege, quæ taxat quotam in ſuſtentationem: ita vt à fidelibus minor dari non poſsit ex vi illius legis. Tertiò. Per pactũ in quo conuenitur inter miniſtrum ſpiritualium, & eum cui miniſtratur, licitè taxatur vt tantùm dandum ſit, & non minus, vt videbimus: ergo per legem & ſtatutum idem fieri nil vetat.

Pro deciſione dico primò. Non eſt ſimoniacum, neque illicitum, condere leges, aut ſtatuta taxantia ſtipendia ſuſtentationis pro miniſterijs ſpiritualibus verſus minimum: ideſt, vt non ſint minora, ſi ea ſtatuta aut leges dirigantur ad dantes, & nõ ad accipientes. Prima pars probatur: quia per huiuſmodi leges aut ſtatuta, non præcipitur aliquid dari in pretium rei ſpiritualis, ſed in ſtipendium ſuſtentationis: quo ſtatuto cauetur, ne ſit minoris quantitatis quàm par eſt, pro neceſsitate & decentia miniſtrorum: ergo. Nec eſt verum quod dicit Angelus vbi ſupra, per talem taxationem fieri venale miniſterium ſpirituale: quia proprium pretij eſt ſic eſſe taxatum, vt dicitur. §. primo. Inſtitut. de emptione, & vendit. Non, inquam, hoc verum eſt vni-

Syluester. Tabiena. Angelus. Sotus.

D. Thom.

vniuerſaliter: quia licèt omne pretium taxari debeat, quod lex Ciuilis citata aſſerit: nihilominus non omne quod taxatur eſt pretium; ſed poteſt eſſe ſtipendium pro ſuſtentatione, vt etiam in ciuilibus patet. Secunda pars probatur argumentis, quæ paulò ante proponebam. Ex quo infero. Editis talibus ſtatutis, ex iuſtitia tenẽtur ij dantes, cum quibus ſtatuta loquuntur, non dare minorem quãtitatem quàm taxata ſit: quòd ſi minus dent, tenentur reſtituere, niſi accipientes miniſtri id condonent. Probatur. Ex iuſtitia tenentur alere miniſtros; & pretium ſuſtentationis lege decretũ eſt: ergo ſi minus dent, peccant contra iuſtitiam, & reſtituere tenentur: ſicut qui de fructibus ſuorum prædiorum dat minorem quotam, quàm decimam decretam ab Eccleſia, in ſtipendium ſuſtentationis pro miniſtris.

Dico ſecundò. Leges & ſtatuta, ſi præcipiant miniſtris accipientibus ſtipẽdium, ne minorem ſummam, quàm taxata ſit in ſtipendium recipiant; regulariter & per ſe loquendo illicitæ ſunt: non quidem quia ad ſimoniam pertineãt, ſed quia cùm ipſi poſſint cedere iuri ſuo, & gratis miniſtrare, & partem ſtipendij remittere; non benè illis hoc prohiberetur: quia eſſet (inquit diuus Thomas) præcludere viam gratis officiũ pietatis impendendi. Et iuxta iſtud ſecundum dictum eſt intelligendus ſanctus Doctor, & omnes eius diſcipuli citati. Vnde ſi quæ ſtatuta de hoc fiant, ſic ſunt accipiẽda, vt laicis præcipiant facere iuſtitiam nõ dando minorem quantitatem quàm taxata ſit: & miniſtris non prohibeant liberaliter donare, quando voluerint in totum vel in partem taxatam quotam remittere. Dixi regulariter, & per ſe loquendo: quia aliquando, ſed rariſsimè, poſſe fieri exiſtimo cum Corduba lib. primo quæſtionum, quæſtione 4. dub. 4. verbi gratia, ſi laici dari ſtipendium ſint adeò auari, vt velint ſibi à miniſtris Eccleſiæ vili remuneratione in ſpiritualium adminiſtratione inſeruiri: tunc licita erunt ſtatuta prohibentia miniſtros, ne minorem ſummam accipiant quã taxata ſit: & intelligenda, niſi in caſu neceſsitatis ſubueniendæ, vel pietatis exhibendæ. Item ſi ſint aliqui miniſtri Eccleſiaſtici adeò cupidi, & animi abiecti, vt vellent ad ſe corrodere magnam Miſſarum ſummam: iuſtè fieret ſtatutum, imo & cenſura adderetur, ne acciperent minus ſtipendium quàm taxatum ſit, tùm ad cohibendam Clericorum auaritiam: tùm, ne alij Clerici defraudentur: tùm tertiò, quia indecorum eſt ſtatui Clericali, & in eius contemptum vergit, ſic venum exponere ſtipendia pro functionibus Eccleſiaſticis debita, vt ſibi aſciſcant plures ſtipendiatores: ſicut in venditoribus mercium ſolet contingere, qui viliore pretio vendunt, vt ad ſe concurrant plures emptores.

Corduba.

DISPVTATIO XI.

Circa modum taxationis qui ſit per pactum & conuentionem miniſtrorum, & eorum quibus ſpiritualia diſpenſantur.

QVod maximè locum habet, quãdo pretium ſtipendij non eſt lege taxatum, & miniſtri non tenentur ex officio ea ſpiritualia miniſtrare. Pactum autem fit hoc modo: ſi dederis mihi tantam quantitatem, ſacrum pro te faciam, vel proceſsioni interero, funeri inſeruiam, vel quid ſimile: aut verò ſi dicatur: non miniſtrabo, niſi dederis hoc vel illud.

De qua re dico primò. Attento ſolo iure diuino, nullum peccatum eſt inter partes paciſci de ſtipendio ſuſtentationis, quando non eſt lege aut conſuetudine taxatum, & miniſtris ex officio non incumbit ſpiritualia illa ſine ſtipendio miniſtrare. Hoc dictum limitat Caietanus hic, & in Summa verbo *ſimonia*. reg. 4. vt habeat tantùm verum, quãdo miniſtri pauperes ſunt. Noſtra verò aſſertio tenetur à Victoria, & Soto vbi ſupra. Eſtque modò communis, ac probatur primò: quia velle ſtipendium ex iuſtitia debitum, non eſt ſimonia, neque illicitum ex natura rei, aut iure diuino, vt docuimus: ſed pactum naturas rerum non mutat: ergo neque velle, & accipere ex pacto non eſt ſimonia, neque illicitum, ſtando ſolo in iure diuino. Secundò, non eſt ſimonia ex natura rei paciſci de vaſe, & veſtibus ſacris neceſſarijs ad faciendum ſacrum: ergo neque de ſtipendio neceſſario.

Caietan. *Sotus.* *Victoria.*

Secundò dico. Iura quæ videntur prohibere pacta circa ſtipendia particularia ex conuentione partium facta, non obſtant quominus ſine ſimonia, & licitè fiant. Sunt autem multa iura quæ id videntur prohibere,

bere, cap. vltimum. de pactis, cap. *quam pio.* prima quæſtione ſecunda, vbi prohibentur omnia pacta in ſpiritualibus. Et capite *quidquid.* cum ſequentibus prima quæſtione prima, cap. *placuit.* cap. *ſicut Epiſcopus.* prima quæſtione ſecunda, permittitur hæc ſtipendia recipere ſponte oblata, non tamen exigere: & præcipuè cap. *tua nos.* de ſimonia, & cap. *ſicut Epiſcopus.* in quibus ſignificatur non fieri gratis quod ex pacto fit. Noſtra aſſertio communiter tenetur: ſed diuerſa ratione. Nam quidã dicunt, illa iura dũtaxat vetare pacta inhoneſta, ideſt, quæ repugnant cum gratuita donatione ſpiritualium: & in quibus ſpiritualia pro temporalibus commutantur. Ita Gloſſa in cap. vltimo. de pactis, verbo *ceſſare.* & in cap. *quam pio.* prima quæſtione ſecunda. At verò nos loquimur de pactis pro ſtipendio ſuſtentationis: quæ non repugnare cum gratuita ſpiritualium diſpenſatione, docuimus ſupra. Nec etiam talia pacta cadunt ſupra aliquam permutationem ſpiritualium pro temporali, nec maiorem obligationem inducunt quàm ſtipendia iſta de ſe exigant: ſed eam ſpecificant, & determinant ad exercitium operis, quod aliàs poſſet extare. Alij verò cenſent, iſta iura olim vetuiſſe eiuſmodi pacta, & fuiſſe obligatoria. Cuius opinionis videtur fuiſſe diuus Thomas, articulo tertio ad ſecundum dicens: *Si ſpiritualia pacto interueniente fiant, ſimonia eſt.* Quod de iure poſitiuo intelligendum eſt, cùm clarum ſit hæc pacta non fuiſſe reprobata ſtando in ſolo iure diuino. Aiunt tamen iſti autores, hæc & ſimilia iura eſſe abrogata per non vſum, ſiue contrariam conſuetudinem. Videmus nãque paſsim, ſine ſcandalo & ſcrupulo virorum timoratæ conſcientiæ hæc pacta fieri in Capellanijs inſtituendis, dotãdis; in recipiendis Monialibus, & ſimilibus. Item quia in cap. *ſignificatũ.* de præbendis. approbatur quoddam pactum inter Eccleſiam quãdam, & Clericum. Simile pactum habetur in cap. *Eleutherius.* 17. quæſtione ſecunda. Ita aſſerunt Victoria, & Soto allegati, & multi ex modernis diui Thomæ diſcipulis. Sed controuerſiam hanc autorum relinquo ijs, quibus tempus abundat. Nobis ſatis ſit illa iura non obſtare, quominus pacta hæc licitè fiant: ſiue hac, vel illa via; multum affert contentionis, & parum aut nihil vtilitatis. Et idem dico de exactionibus, quæ vel ſupponũt pacta, vel ſunt quædam virtuales pactiones, quas nõ eſſe prohibitas in iure, vel prohibitiones non habere modò vim aſſerimus circa pacta particularia, quæ celebrant ij quibus ex officio non incumbit ſpiritualia diſpenſare.

Gloſſa. Victoria. Sotus. D. Thom.

DISPVTATIO XII.

An liceat his quibus ex officio incumbit ſpiritualia diſpenſare, paciſci de ſtipendio aliquo accipiendo pro ijs miniſterijs, ſaltem abſque ſimoniæ vitio?

DIco primò. Is cui ex officio incumbit miniſtrare ſpiritualia, poteſt accipere ſtipendia pro ſuis miniſterijs aſsignata vel per legem, vel per conſuetudinem approbatã: imò & exigere; ſeruato tamen moderamine, quod præfiximus ſupra quæſtione 86. articulo ſecundo ex D. Thom. videlicet vt non extorqueantur priuata autoritate, ſed Prælatorum, vbi negata fuerint. Si autem moderamen iſtud non ſeruetur; non eſt ſimonia niſi ratione ſcandali, vel præſumptiuè: ſed exceſſus ille videtur pertinere ad vſurpatam iuriſdictionem, vt ait Caietanus verbo *ſimonia.* cap. ſecundo. Aſſertio nota eſt: quia accipere & exigere rem debitam, nullum eſt peccatum.

D. Thom. Caietanus.

Dico ſecundò. Vltra ſtipendia, quæ cõmuniter aſsignantur miniſtris ex officio pro miniſterio ſpirituali, putà decimas, oblationes, primitias, &c. pro quibuſdam functionibus in iure deſignãtur certa quædam ſtipendia, quæ exigere poſsint miniſtri dicti. Sed iſtorum pauca reperio exempla in cap. *conquerente.* de officio ordinarii: quæ apud noſtrates non ſunt in vſu, præter quam illud ſtipendium quod deſignatur pro viſitationibus, quas iura procurationes vocant. Ita in eodem cap. *conquerente.* Et Concilium Tridentinum ſeſsione 24. cap. 3. de reformatione, id ipſum quodammodo renouauit: dum concedit in locis vbi eius iuris obſeruatio viget, accipere ſolitũ ſtipẽdiũ, aut verò ſi maluerint viſitandi, ſola victualia moderata pro viſitatore, & ſuo comitatu dare. Hoc tamen ſtipẽdij genus, Sotus quæſt. ſeptima articulo ſecundo ad tertium ait, non poſſe accipere Epiſcopos, & alios quibus ex officio incumbit viſitare gregem ſuum: & aliunde, putà ex decimis, vel

Conc. Trid. Sotus.

vel huiuſmodi habent pingues redditus, ſufficientes ad omnia munia Epiſcopalia exercenda; inter quæ procurationes numerantur. Nam ſi habeant; mera fictio eſt dicere quod pro ſtipendio ſuſtentationis accipiunt: cùm aliunde habeant vnde non ſolùm ſufficienter, imò & ſuperabundanter viuere poſsint, & ſumptus facere pro neceſſarijs ad officium paſtorale exequendũ. Certè pia interptetatio iuris, & multum conſona perfectioni. Sed vbi talis eſt conſuetudo, etiamſi miniſtri ſint prediuites ex beneficijs Eccleſiaſticis, non eſt damnanda: tùm quia iura, maximè Concilium citatum poſt tempora Soti promulgatum, indifferenter loquitur de Epiſcopis habentibus pingues redditus, & non habentibus: & vbi iura non diſtinguunt, neque nos diſtinguere debemus: tum quia habentes pingues decimas non poſſent accipere oblationes, nec prædiorum Eccleſiaſticorum redditus, quod falſum eſt. Item quia iuſtè potuit ius id ſtipendij genus concedere omnibus viſitatoribus ex officio, vt excitarentur ad viſitationes ſuorum ſubditorum, à quibus forſitan deterrentur propter expenſas non modicas, quæ in viſitationibus occurrunt: ad eum modum quo Canonicis habentibus pingues redditus Eccleſiaſticos, pro aſsiſtentia chori ſuperadduntur quotidianæ diſtributiones, vt ſine intermiſsione, & alacriores aſsiſtant.

Dico tertiò. Iura multa ſunt, quæ prohibent miniſtris, quibus ex officio incumbit, pro ſpiritualibus aliquid accipere, etiam titulo ſtipendij. Huius rei multa capita ſunt in iure in rubrica de ſimonia. Sed expreſsius hæc prohibitio habetur in cap. *cum in Eccleſiæ*. vbi vetatur ne aliquid exigatur pro benedictione nuptiarum, ſeu alijs Sacramentis conferendis. Et in cap. *ſicut pro certo*. damnantur extorſiones, & exactiones turpes & prauæ, & taxationes de his quæ dãda ſunt pro conſecrationibus Epiſcoporum, Abbatum benedictionibus, & Clericorum ordinationibus, & prohibetur ne quocunque prætextu hæc fiant. Quæ omnia iura ſeruãda ſunt, niſi de eorum abrogatione conſtet vel per legem Pontificiam; nam ſtatutum particulare Epiſcoporum non poteſt abrogare leges Pontificias: vel per conſuetudinem approbatam, quæ legi æquiualet. Et nota in his textibus, & alijs eiuſdem rubricæ, tranſgreſſores notari vt ſimoniacos: quod intelligendum eſt de ſimonia præſumpta. Quia cùm in earum legum tranſgreſsione, non adſit intentio accipiendi temporale vt pretium rei ſpiritualis, ſed vt ſtipendium, licèt excedatur in accipiendo rem non debitam, vt debitam (ſupponimus enim miniſtros habere aliunde vnde viuant) iniuſti ſunt, non ſimoniaci. Fateor probabiliter poſſe dici, ſi leges præfatæ ſint in vſu, tranſgreſſores eſſe verè ſimoniæ reos: quia licèt dicant ſe non habere intentionem vendendi; tamen facto ipſo vendunt ſpiritualia pro temporalibus, quia non accipiunt vt verum ſtipendium: ergo vt pretium. Aut verò dicito, eſſe ſimoniam de iure poſitiuo. Nam hoc ipſo quod vetat eas res vendi intuitu Religionis, & vt ſimonia vitetur: illam materiam reponit in virtute Religionis, & eam tranſgreſsionem in vitio ſimoniæ, etiamſi antea ille actus nil tale haberet, vt amplius declaratur in materia de legibus; & in materia Religionis paſsim exempla occurrunt, de quibus & nos diximus. Sed rogas: an hæc iura intelligenda ſint, etiamſi miniſtri non habeãt vnde ſuſtententur?

Dico quartò. Quando ij qui ex officio tenentur miniſtrare ſpiritualia, non habent vnde prò ſe & ſua familia alantur, vt contingit in Epiſcopatibus, aut beneficijs tenuibus; licitum eſt accipere, paciſci, & exigere ſtipendium, quod ad ſuſtentationem neceſſarium eſt: ſed taxatio quotæ ad autoritatem publicam pertinet, ne ſi relinquatur miniſtrorum arbitrio, fingant indigentiam vbi re vera nõ eſt. Vtraque pars communiter tenetur à Theologis, & Iuriſperitis; & deducitur ex iure diuino: nam æquum eſt vt qui altario deſeruiunt, de altario viuant. Et in caſu huius aſſerti credo non eſſe intelligenda iura citata, quæ nolunt præiudicium afferre miniſtris egenis, quibus ex iuſtitia debetur ſuſtentatio.

DISPVTATIO XIII.

De vi & efficacia conſuetudinis circa ſtipendia ſuſtentationis miniſtrorum.

DIco. Conſuetudo ſi approbata ſit, vim habet taxandi ſtipendia pro ſuſtentatione miniſtrorum Eccleſiaſticorum. Inſuper & imponendi noua, vltra ea quæ deſignata ſunt pro his quibus incumbit miniſtrare.

Item

Item efficax est ad abrogandas leges, quæ de his aliquid iubent, aut vetant. Assertio quoad omnes suas partes nota est, his qui in materia de legibus efficaciam consuetudinum explanant. Præterea, prima pars egregiè confirmatur à D. Thom. in arti.2. huius quæstionis his verbis: *Accipere aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramenta Christi ministrant secundùm ordinationem Ecclesiæ,& consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum: non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis.* Et adducit diuum Augustinũ, lib. de past. cap. 2. tom. 9. Secunda pars probatur: quia non est minor efficacia consuetudinis, quàm legis: sed lex potest eos effectus efficere, vt docuimus in disputatione præcedenti: ergo. Confirmatur ex cap. *ad Apostolicam.* de simonia, vbi dicitur ad aliquas oblationes extraordinarias, id est non pertinentes ad iura decimarum, vel alios stabiles redditus Ecclesiarum, aut beneficiorum, præbere ius laudabilem consuetudinem. De quo nos latè in materia de oblationibus. Tertia etiam nota est, ex his quæ de consuetudine traduntur à Doctoribus in proprijs locis.

D.Thom. *Auguſt.*

Hæc videtur clara. Sed cõtra tertiam assertionis partem est argumentũ. Quia consuetudo exigendi temporalia pro spiritualibus, etiam titulo sustentationis, reprobata est per multa iura in cap. *non satis*, ibi: *neque sub obtentu cuiusquam consuetudinis.* & cap. *cum in Ecclesiæ.* & cap. *in tantũ.* ibi: *prauã illã consuetudinẽ, &c.* & clarius in cap. *sicut pro certo.* ibi: *tantũ abolere volentes abusum; consuetudinem huiusmodi (quæ magis dicenda est corruptela) penitus reprobantes.* At consuetudo reprobata per legem non habet efficaciam: nec potest dare ius, aut præualere contra legem, vt docet Couarrubias plures referens, lib. 3. variar. cap. 13. num. 4. Greg. Lopez in l. 3. titulo 2. partita prima, Glossa 6. & Nauarrus in comment. de spol. §. 14. num. 8. Et videntur iura relata fundari, quia non caret vitio simoniæ, aut eius vehementi suspicione, exigere aliqua ad sustentationem, eos qui aliunde habent sufficientes redditus Ecclesiasticos pro sui sustentatione. Respondetur. In capitibus citatis non damnantur omnes in vniuersum consuetudines exigendi temporalia pro stipendio sustentationis; nam certum est, quandoque ministros habere tenues redditus Ecclesiasticos: aduersus quos textuũ citatorum autores non inuehuntur; sed aduersus ministros habentes sufficientes redditus, aut beneficia vnde alantur: quorum consuetudinem accipiendi vlteriora stipendia damnant. Item, neque hos omnino & in omni casu: sed quando consuetudo est parum pia, & reprobata. Quod vel ex solo Concilio Tridentino agnoscere licet, sessione 24. cap. 14. quod iubet huiusmodi consuetudines examinari ab Episcopis vt retineãtur, aut abijciantur. Non sunt autem piæ, sed reprobandæ illæ, de quibus iura citata loquuntur: & ideò illas non præualere posse puto, nisi accedat autoritas publica, & Ecclesiastica Pontificia, quæ hoc ipso quod approbet, censenda est purgare eas acceptiones, & dationes labe simoniæ, vel eius præsumptione, non quidem mutando ius diuinum, vel in illo dispensando, quod fieri nequit: sed vel mutando obiectum illius iuris, & faciendo vt sit stipẽdium debitum, quod aliàs non erat; vel derogando iuri humano in ea parte, si in aliquo obstabat.

Couarru. *Greg. Lop.* *Nauarr.* *Conc.Trid.*

Sed quod à nobis desiderari posset, illud est: qua regula vtemur, quibusve rationibus colligemus consuetudines approbatas, vel reprobatas; vt sciamus quæ præualeant in taxatione, & designatione stipẽdij sustẽtationis: etiã in ministris aliàs habẽtibus sufficientia stipendia Ecclesiastica vnde sustẽtetur. Certè hæc adamusim & exactè discutere, non est huius loci; sed ad materiã de legibus, & consuetudinibus in communi spectat: essetque modò hæc perquirere nimis operosum, & fastidiosum properanti ad alia. Quare per clausulas quasi conscisas, ea quæ huic disputationi inseruiunt tradere decreui. Et dico, eas consuetudines erga stipendia ministrorum dici reprobatas, quæ introducunt dandum esse temporale pro spirituali per modum pretij. Ita D. Thom. articulo secundo, & in solutione ad quartũ. Et ratio est aperta, quia cùm tales dationes sint contra ius diuinum & naturale, vt supra vidimus, & consequenter intrinsecè malæ: nulla consuetudine introduci possunt, quæ iuribus illis nequaquam præiudicare valet. Et propter eandem rationem reprobandæ sunt consuetudines, vt à ministris Ecclesiasticis sine stipendia sustentationis in spiritualibus seruiatur. Præterea: illæ consuetudines, quæ licèt prætextu stipendij necessitatis introducunt dationem temporalium pro spirituali; tamen ex circunstantijs colligitur habere suspicionem simoniæ, reprobatæ sunt. Ita D. Thom. in citata solutione ad quartum vbi postquam dixe-

D.Thom. *D.Thom.*

dixerat, licitè poſſe miniſtros accipere, & exigere ſtipendia per conſuetudinem approbata, ſubiungit: *In his tamẽ omnibus ſolicitè cauendum eſt quod habet ſpeciem ſimoniæ, vel cupiditatis, ſecundùm illud Apoſtoli primæ ad Theſſalonic. vltimo, ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Hanc autem malam ſpeciẽ ſimoniæ, cupiditatis, aut iniuſtitiæ, habent citra dubium illæ dationes, & receptiones enumeratæ, & damnatæ in iuribus citatis à me in hac diſputatione: & ideò cõſuetudo ad eas introducendum nullius efficaciæ eſt. Aliæ verò dationes, & receptiones ſunt habentes ſpeciem ſimoniæ, aut iniuſtitiæ, aut cupiditatis, quæ non ſunt expreſſe reprobatæ per iura, nec approbatæ, quas firmare non poteſt conſuetudo: & ideò ſi adſit, reprobata cõſuetudo eſt. Exemplũ ſit in conſuetudine dandi aliquid tẽporale pro ſpirituali miniſtris, qui ex officio tenentur ea ſpiritualia miniſtrare, habẽtibus aliunde Eccleſiaſtica ſtipendia vnde viuant, putà decimas, primitias, & huiuſmodi: qui ſi auctiora ſtipendia exigant, non carent ſimoniæ aut iniuſtitiæ ſuſpicione. Itẽ quando ſtipendia aliàs debita exigerentur ab inuitis per ſpiritualium ſubſtractionem, hoc haberet quãdam venditionis ſpeciem, vt notauit D. Tho. in art. 3. ac proinde conſuetudo non eſſet ſeruanda. Eſt tamen magnum diſcrimen inter has, & illas conſuetudines: nam priores, vt pote iuri diuino, & naturali contrariæ, nullo modo honeſtari poſſunt. Poſteriores verò poſſunt ſimoniæ aut iniuſtitiæ ſuſpicione purgari, non quidẽ immutando ius diuinum, aut in illo diſpenſando, quod fieri nequit: neque etiam diſpenſando in iuribus citatis. Nam licèt ea abrogentur, & ex hac parte aliquod obſtaculum amoueatur: tamen ſi dationes illæ habent mali ſpeciem, & ſuſpicionem, per eam abrogationem non amouetur; ſed poſſunt à ſimoniæ ſuſpicione purgari, ſi occurrant cum his in quibus eæ dationes omninò exuant ſimoniæ, aut iniuſtitiæ, vel cupiditatis ſuſpicionẽ. Verbi gratia, ſi eæ dationes, & exactiones originem traxerũt à voluntarijs offerentium oblationibus: tunc à ſimoniæ, & iniuſtitiæ ſuſpicione liberæ ſunt: & ideò conſuetudo circa eas meritò prævalet, vt habetur in cap. *ad Apoſtolicã*. Præterea, ſi exactiones illæ reduci poſſunt ad ſtipendium ſuſtẽtationis, vel quia à principio miniſtri pauperes erant, & poſtea ſunt opimis redditibus aucti; vel quia iudicatæ ſunt ab antiquo, & poteſtate ſuperioris eã ſtipendia neceſſaria, vt quædam functiones executioni mandarentur, quæ poſtulant maiores expenſas; & (quæ eſt fragilitas humana) miniſtri niſi extraordinarijs ſtipendijs inuitati, ad eas functiones nõ accingerentur, ſicut ſupra diximus de procurationibus; vel propter aliquid ſimile: in quibus caſibus ipſa earum dationum obiecta, & fines ſic mutata ſunt, vt non ſicut antea auaritiæ, iniuſtitiæ, aut ſimoniæ ſuſpicionem inuoluant; ſed potius ſtipendij iuſtificationem habeant. Quare conſuetudines circa eas non reprobantur à iuribus, quæ loquuntur de his qui verſantur circa actiones habentes ad minus ſimoniæ, aut iniuſtitiæ ſuſpicionem. Vnde meritò Concilij Tridentinum citatum facultatem facit Epiſcopis examinandi, an conſuetudines circa iſthæc ſtipendia laudabiles ſint, & acceptandæ? An verò prauæ, & ſcandaloſæ: & ideò reijciendæ, & abolendæ? Ex quo etiam colliges, ad tales conſuetudines damnãdas, vel approbandas, neceſſarium eſſe autoritatem ſuperioris interuenire, iudicantem quæ approbandæ, quæ verò reijciendæ ſint. Subſequitur

1. ad Theſſ. vltim.

D. Thom.

Conc. Trid.

DISPVTATIO XIIII.

An ab ingreſſuris Religionem liceat accipere, petere, aut exigere neceſſaria ad ſuſtentationem ingredientium?

NOn diſputamus, an pro ingreſſu, aut admiſſione ad profeſſionem liceat pecuniam accipere, vel dare? Certiſſima eſt enim pars negatiua ex dictis. Sed an liceat accipere neceſſaria, vt ingrediens habeat vnde viuat, ac ſuſtentetur? Et videtur non licere propter capitulum *nullus*. 1. quæſt. 2. & cap. *non ſatis*. cap. *cum in Eccleſiæ*. cap. *veniens*. cap. *de regularibus*. & cap. *dilectus*. 2. & cap. *ſuper hoc*. & in cap. *audiuimus*. de ſimonia: in quibus modò his, modò illis verbis damnari videntur dationes, & acceptiones rerum temporalium, quæ ſolent fieri in Religionum ingreſſu. Quibus textibus ſi reſpondeas cum multis, ibi fieri ſermonem de datione, & receptione pro ipſo Religionis ingreſſu; aut de habẽtibus eius malitiæ ſpeciem. Contrà arguitur ſecundò, ex iuribus quæ apertius loquuntur. Nam in cap. *quoniam*.

niam. de ſimonia, vbi agens de Monialibus, ſeuerè prohibet ne pecunia pro earū ingreſſu exigatur, etiā paupertatis prætextu. Item in Extrauaganti prima de ſimonia Summus Pōtifex prohibet ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, & Papæ reſeruata, ne ab his qui ad Religionem recipiuntur, exigatur aliquid directè, vel indirectè: nec recipiatur quidquam, præter id quod perſonæ ipſæ purè, & ſpontaneè, & plena liberalitate, omniq́ue pactione ceſſante, dare vel offerre voluerint, &c. Ex quo textu videtur colligi, voluiſſe ſummum Præſulem, vt etiā ad ſuſtentationem gratis admittantur. Et in principio illius textus reprobatur omnis conſuetudo illi prohibitioni contraria: & corruptela vocatur.

Pro deciſione ſit prima aſſertio. Neq; ſimoniacum eſt, neque illicitū ſtando in iure naturali ac diuino, accipere & exigere ea quæ ſunt neceſſaria ad ſuſtentationem ingredientis Religionē. Probatur ex D. Tho. in præfata ſolutione ad quartū, qui vt minimum intelligēdus eſt de iure naturali & diuino. D. Tho. ſequuntur omnes tam Thomiſtæ, quàm alij. Probatur etiā prima pars ratione: quia nō accipitur ibi aliquid ſpirituale pro temporali: non enim vēditur ingreſſus Religionis, ſed pro ſuſtentatione temporali, temporale exigitur: ergo non eſt illa receptio, & exactio ſimoniaca de iure diuino. Et eadem ratione probatur ſecunda pars aſſertionis.

D. Thom.

Secunda aſſertio modificatiua præcedētis. Quando Monaſteriū diues eſt, & habet omnia neceſſaria ad ſuſtentationem habitantium, & ingredi cupientiū: non licet aliquid accipere titulo ſuſtentationis. Hæc eſt D. Thom. in citata ſolutione ad quartū, vbi aſſertionem præcedentem cum limitatione aſſerit, nempè: *Si Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas.* Et poſt pauca: *ſi ad hoc non ſufficiāt Monaſterij opes*. Hæc verò limitatio cōmunis eſt omnibus qui de hac re loquuntur.

D. Thom.

Tertia aſſertio. Quādo Monaſteria exiles habent redditus, non ſufficientes ad recipiendorum ſuſtentationem: non eſt prohibitum iure poſitiuo humano accipere, & exigere ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſuſtentationem eorum, qui ad Religionem admitti volunt. Ita D. Thom. in citata ſolutione ad quartum, vbi abſolutè ait, non eſſe illicitum hoc facere quando Monaſteriū tenue eſt. Quod certè nō aſſereret, ſi iure poſitiuo eſſet prohibitum: nam ante tēpus D. Thom. iura citata iam lata erant. Aſſertio cōmunis eſt omnibus Theologis, Iuriſperitis, Summiſtis, paucis exceptis. Et ad citata iura in argumentis reſpondetur primò, benè explicari de datione pro ipſo ſtatu Religionis: vt videre licebit attentè expendēti verba textuum. Item cap. *quoniam*. citatū in ſecundo argumento, in illis verbis, *prætextu paupertatis*. non vetat ſubſidium ſuſtentationis: quia caput hoc ſimilem interpretationem admittit: videlicet ibi prohiberi venditionē ingreſſus, quæ prætextu paupertatis putabatur à quibuſdam Monialibus fieri poſſe: cùm tamen, vt ibi ait Gloſſa, prætextu paupertatis nō debeat quis operari peccatū mortale. Nec etiam noſtræ aſſertioni obſtat Extrauagans citata in argumento ſecundo, maximè ſuppoſita indigentia Monaſterij: quod apertè tenet Nauarr. in Man. ca. 27. nu. 106. & Caietanus verbo *excommunicatio*. cap. 73. in fine, & multi alij. Et aduerte quod & Caietanus inſinuauit in hac Extrauaganti, nullam nouam prohibitionem fieri: ſed tantùm renouari antiquam, & ſuperaddi cenſuram: quod ex verbis textus colligitur. Nam in principio dicitur: *Deteſtabilis, & à Canonibus reprobata ſeruatur abuſio*. Et infra: *Nos igitur huic morbo peſtifero cupientes congruam adhibere medelam: & alijs pœnis in talia præſumentes inflictis à iure, in ſuo robore duraturis; pœnam adijcere grauiorem*. Non ergo aliquid de nouo prohibet, aut punit, quod antea nō eſſet prohibitum, aut punitum: ſed cenſuram adiungit. Oſtenſum eſt autem, iura antiquiora non prohibere ſuſtentationem recipere, vel dare, quando Monaſterium re vera pauper eſt: ergo neque in ea Extrauaganti prohibetur. Secundò reſpondetur, ea omnia iura, & hanc extrauagantem, quando Monaſterium pauper eſt eſſe abrogata per contrariam conſuetudinem, vel non acceptata: quod & patet ex vſu proborum, & timoratorum in receptione Monialium, aduerſus quas illius Extrauagantis conditor fuit Vrbanus quintus. Vtranque ſolutionem recitat Caietanus, & approbat. Igitur noſtra aſſertio vera eſt, & communis: non eſſe prohibitum iure Canonico quando Monaſterium verè indigens eſt, aliquid recipere, & de illo paciſci. Nec neceſſe eſt explicare, illud non accipi pro ingreſſu, ſed pro ſuſtentatione: quidquid aliqui ſcrupuloſe formident, quando ex circunſtantijs intentio innoteſcit, maximè in dotibus Monialium. Et licèt hoc eſſet prohibitum iure Canonico:

Nauar. *Caietan.*

Caietan.

nico: consuetudine contraria abrogatū est, videntibus, & cōsentientibus Prælatis. Nec hæc consuetudo, irrationabilis, aut corruptela dici debet: quia hac via occurritur pauperiei Monasteriorū egentium, & faciliorreditur ingressus cupientiū Deo seruire in Religione: aliàs vel Monasteria grauarentur; vel multæ virgines priuandæ essent religioso statu. At verò nō ita laudauerim consuetudinem petendi ab ingressuris prædia, propinas, & alia dona quæ à Monialibus exiguntur: nam hæc specialius videntur reprobata in cap. *audiuimus*. ca. *quoniã*. cap. *tua nos*. & præcipuè in dicta Extrauagãti. Quapropter, si propter alios fines tolleretur: saltem non essent negandi ingressus, si non darētur. Quod si ob id negentur: neq; ideò damnarem omninò, maximè quia hæ exactiones ad sustentationē quodammodo reduci possūt. Demū nota, Monasteria Monialiū quāuis locupletissima sint, vix reperiri sine indigētia: tū propter magnos sumptus ad curandū morbos frequentes, & mō struosos, maximè virginum intra cancellos detentarum: tùm quia fœminę omnes parū industriæ sunt ad res suas cōseruandas: tùm etiā, quia cū bona sua per sæculares œconomos administrētur; valde minuuntur œconomis ditatis: & propter alia huiusmodi.

Sed quod non modicam controuersiam excitauit, illud est: an quando Monasteriū opulentum est, præhabens omnia necessaria ad sustentationem ingredi Religionem cupientium; accipere aliquid pro alimentis recipiendorum, simonia sit? quodve peccati genus? & quo iure vetitum?

Dico primò. Stando in solo iure diuino, neque simoniacum est; neque iniustum, quòd Monasterium opulentum accipiat, petat, aut exigat ea quæ sunt necessaria ad sustentationem ingredientium Religionē. Prima pars dicti probatur: quia ea acceptio non est simoniaca, quando Monasterium pauper est, vt ferè omnes fatentur, tā Theologi quàm Iurisperiti: quorum plures refert Sylvester verbo *simonia*. num. 15. Ergo idē erit dicendum quando Monasterium opibus abundat: quia in vtroq; casu idem obiectum est, & idem pro eodem petitur, putà temporale pro temporali; ac proinde non est peccatum simoniæ. Etenim conditio recipientiū diuersa, putà pauperies, aut vbertas; si obiectum idem est, non potest facere actum non simoniacum simoniacum, vel è contra. Secunda pars asserti probatur: quia Monasterium non tenetur ex iustitia recipere, neque alere hunc petentem habitum: ergo si petantur ab eo alimenta, non peccatur contra iustitiam, quidquid sit de alijs peccatis. Antecedens probabitur statim, respondentes quibusdam obiectionibus faciendis.

Secundò dico. Non caret peccato auaritiæ, imò & simoniæ præsumptæ, si Monasterium opulentum ac non indigens petat, accipiat, aut exigat vnde sustententur recipiendi ad Religionē. Prima pars probatur, quia cùm statum religiosum non deceat ad diuitias congerendas anhelare, sed parco victu, & vestitu esse contētum, iuxta dictum Apostol. *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus*. 1. *Timo.* 6. Si Monasteriū abundet, & superabundet, ac petat alimenta pro recipiendis; non mediocrem cupiditatē ostētabit. Secūda pars probatur, quia nō modica præsumptio erit, tale Monasteriū non egens alimentis pro recipiendis, pro ipsomet ingressu Religionis temporale accipere: quod simoniā esse quis dubitet? Ex quo etiam sequitur, in huiusmodi exactionibus magnum scandalum in animis audientium generari, tùm propter auaritiam; tùm propter simoniam præsumptam. Verum est tamen, quandoque posse has deformitates euitari. Vt si recipiendus senex est, aut infirmus non valens assistere exercitijs religiosis, sed potius egens seruitoribus qui curam eius valetudinis gerant: tūc sine nota auaritiæ, aut scandali, poterunt Monasteria etiam opulenta aliquid à recipiendis pro eorum sustentatione exigere. Item si Monasterium intendat plures Monachos sibi adiungere: aut verò indigeat eo supplemento ad opes Monasterij tuendas, aut ad fabricam Ecclesiæ, & huiusmodi. Sed hoc iam ad indigentiam Monasterij reducitur.

Dico tertiò. Non est simonia iuris positiui vera, sed tantùm præsumpta, quòd Monasterium locuples, nec indigens, aliquid accipiat in sustentationem religiosorum ingredientium Religionem: si absit intentio emendi, aut vendendi ipsum Religionis ingressum. Assertio probatur expendendo textus citatos in argumento secundo in initio quæstionis (de quo statim) quorum nullus discriminat inter Monasteria egentia, & locupletia. Sicut ergo glossantur, & sicut illis respondetur, quatenus videntur prohibere omnem exactionem etiam à Monasterijs pauperibus: sic & glossari possunt de receptione

ne pecuniarum à Monasteriis diuitibus. Itaque illi textus intelligendi sunt de simoniæ suspicione, aut præsumptione: siue Monasteria egena sint, siue locupleta. Ita *Sylvest.* Sylvester verbo *simonia.* numero 15. Aut vero dicito: si de vera simonia intelliguntur, non sunt acceptati; sed per contrariam *Caietanus.* consuetudinem abrogati, vt insinuauit Caietanus cap. 73. allegato.

Contra hæc tria asserta, & cõtra Sotum, *Sotus.* & alios modernos ea tenentes, acriter in- *Suarez.* stat Franciscus Suarez, lib. quarto. de simonia, cap. 17. numero nono, & decimo. Contra primum assertum obijcit primo, quia bona Cœnobiorũ sunt ab Ecclesia instituta, & ordinata, vt ex his alantur qui religioso statui dicati sunt. Ergo qui legitimè petunt initiari illo statu, ius habent ad constitutionem ex illis bonis: ius, inquam, quasi ad rem. Ergo quando Monasteria sunt opulenta, si aliquid temporale petunt pro illo iure, simoniam committunt, quia vendunt ius spirituale, vel spirituali annexum: sicut in beneficialibus bonis contingit, quæ ex institutione Ecclesiæ annexa sunt ministerijs spiritualibus. Confirmatur, & explicatur: Episcopo petente pecunias ab eo, qui ius habet vt in numero Beneficiatorum admitteretur: qui Episcopus citra dubium simoniacus esset, vt dicitur in capite *tua nos.* de simonia. Et exponunt *Raymund.* Raymundus, Cardinalis, & alij illam De- *Cardinalis.* cretalem intelligi, quando Ecclesia seu Monasterium abundat: ergo pariter dicendum est in casu nostræ controuersiæ: quia non minus ius habet ad bona monasterij, vt ex eis alatur, qui legitimè petit habitum, quàm petens beneficium sibi debitum, vt alatur ex bonis beneficialibus. Secundò obijcit ad probandum talem exactionem esse iniustam. Nam bona Monasterij redditus Ecclesiastici sunt: ideòque expendi debent gratis in his operibus, ad quæ sunt ab Ecclesia destinata. Ecclesia autem vult, vt talia bona in religiosis alendis liberaliter consumantur: & præcipitur etiam, vt quælibet persona idonea ad tale institutum, & ad illud à Deo vocata, ex eisdem bonis gratis alenda sit, si ad id sufficiant, non obstante numero religiosorum præexistente. Ergo tunc aliquid exigere, est vendere id quod gratis dandum est; ac consequenter iniustum. Tertiò obijcit contra tertium dictum cap. *quoniam.* de simonia. Vbi Pontifex arguit quasdam moniales, quæ paupertatis prætextu accipiebant pretium pro ingressu recipiendarum: Vbi apertè significatur, titulo paupertatis vero posse recipi: non autem hæc, qualis fingitur à Monasterio diuite. Item, Extrauagans citata nequaquam glossari potest: quæ strictè prohibet nihil omnino recipi pro ingressu Monialium, quocunque fine detur, & ad quemuis effectum. Excipiendo dumtaxat ea quæ personæ ingredientes, purè, & sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante dare vel offerre voluerint. Et ait, eas esse recipiẽdas; ac invictu & vestitu, sicut alias personas iam in Religione cõmorantes, sincera charitate pertractandas. Quis ergo poterit negare, has dationes, & receptiones esse simoniacas, saltem simonia iuris positiui; quas prohibet Pontifex intuitu Religionis, ac proinde ad simoniam pertinet iuris positiui? Quartò obijcit contra idem assertum quamplures Doctores Canonici iuris interpreres, *Sylvester.* quorum multos refert Sylvester vbi supra. *D. Thom.* Et quod pluris faciendum est, D. Thomas in solutione ad quartum citata, cum limitatione dixit, licitum esse accipere sustentationem, si Monasterium sit tenue. Et iterum: si ad hoc non sufficiant Monasterij opes. Et in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 2. quæstiũ. secunda ad septimum, posita eadem limitatione addidit: *si autem sine grauamine Ecclesiæ potest recipi,* scilicet religiosus: *simonia cum est aliquid pro receptione exigere.* Propter hæc & similia argumenta tenet præfatus autor, Monasteria opulenta si aliquid accipiant pro sustentatione religiosorum ingredientium Religionem; simoniam veram iuri diuino contrariã, ac positiuo, committere: imò & iniustitia. Nos verò oppositum verum putamus: neque solum Sotum id adstruxisse (vt ille ait) sed Aragonium, & quamplures alios. Et ideò obiectionibus eius continuò respondendum est. Ad primum respondetur negando antecedens: in illo enim continentur multa falsissima, & voluntariè dicta. Primum, bona Monasteriorum esse ab Ecclesia applicata, & connexa statui Monachali, vt ex illis alantur Monachi: & etiam quasi quoddam beneficium Ecclesiasticum. Nescio vnde iste autor hauserit talem applicationem, & connexionem: quia Ecclesia, vt plurimum, bona illa non largita est Monachis, sed ipsi ea acquisiuerunt, partim contractibus onerosis, partim hæreditario iure, partim alijs industrijs me-

medijs. Secus in beneficijs Eccleſiaſticis, quorum inſtitutio per decimarum, primitiarum, ac oblationum applicationem ad ſuſtentandos miniſtros Eccleſiaſticos, apertè habetur in iure. Iſta autem inſtitutio bonorum Monachalium quaſi in beneficium pro alendis Monachis, nullibi habetur: ac proinde fictitia eſt, & voluntariè aſſeritur. Poſſidentur quidem bona Monachalia in communi, & deſeruiunt pro ſuſtentandis ſuæ Religionis alumnis: ſed hoc quaſi naturali conſequio reſultat, hoc ipſo quod bona Religionis ſunt. At verò quòd Eccleſia applicuerit peculiari inſtitutione, & annexione, vel ordini religioſo, vel eius domibus, non inuenio in iure fundamentum: neque (vt reor) tale extat. Item id quod aſſeritur, petentem habitum ſi idoneus ſit, & cœnobium habeat ſufficientes opes vt alatur, habere ius ad ea alimenta, quod dicitur ad rem: falſum omninò eſt ſi ſit ſermo de iure iuſtitiæ (nam de iure pietatis, aut miſericordiæ parum refert ad noſtram controuerſiam) aliàs qui negaret habitus ſuſceptionem per aliquot menſes, aut annos; teneretur ad reſtitutionem alimentorum, quæ conſumpturus eſſet illo tempore. Sicut qui habenti titulum legitimum vt fieret Beneficiatus, denegaret admiſsionem ad officium, & beneficium; teneretur reſtituere fructus non perceptos propter talem denegationem. Ac proinde nec ſimile adductum de petente beneficia, fauet. Eſt namque omninò diſsimile: eo quod bona beneficialia citra dubium annexa ſunt ex Eccleſiæ inſtitutione miniſterijs Eccleſiaſticis: bona verò Monachalia non ita, vt explicabam. Magis ſimilis eſſet caſus de petente à prædiuite auaro vt adoptaretur in filium, & offerret pecuniam pro adoptatione: nam ante adoptationem nullum ius haberet ad bona illius diuitis; poſt adoptationem ius hæredis haberet, & hoc ipſo de illis ſuſtentari deberet ſine noua ad id applicatione. Ad ſecundam obiectionem pari tenore reſpondetur, negando bona Monachalia eſſe redditus Eccleſiaſticos, ex Eccleſiæ inſtitutione, & annexione deſtinatos ad alendum Religionis profeſſores: ſed ex vi dominij Religionis, cuius ſunt alumni: ad eum modum quo de filio adoptato dicebamus. Quare Monaſterium opulentum, quod denegaret habitum legitimè petenti, non peccaret contra iuſtitiam peculiarem; ſed contra charitatem, pietatem, aut miſericordiam: aut verò contra religionem, vel iuſtitiam legalem religioſam, quæ attendens bonum commune Religionis, iubet idoneos petentes habitum religioſum eſſe admittendos ad ſtatum, & eo mediante ad priuilegia, & immunitates, ac alimenta, quibus vtuntur eius Religionis profeſſores. Sicut qui negaret eleemoſynam petenti, & habenti miſericordiæ ius vt ſibi daretur; nec peccaret contra iuſtitiam, neque teneretur reſtituere eleemoſynam illo titulo debitam.

Circa tertiam obiectionem aduerte, noſtrum tertium aſſertum non eſſe ita certum, ſicut duo præcedentia. Probabile enim cenſeo, accipere ſubſidium ſuſtentationis extra caſum paupertatis Monaſterij, eſſe ſimoniam iure poſitiuo prohibitam in Canonibus citatis id vetantibus Religionis intuitu. Cæterùm probabilius exiſtimo oppoſitum. Et ad iura in obiectione allata dico. Eam interpretationem quam adhibent Doctores communiter in caſu neceſſitatis, poſſumus nos adaptare extra neceſſitatis caſum: cùm iura illa non diſtinguant de Monaſterio opulento aut egeno, vt patebit legenti. Sed ſpeciatim reſpondetur, capitulum *quoniam.* non eſſe intelligendū vt in obiectione dicitur, quaſi verba illa *prætextu paupertatis*, ſint exceptiua: ſed potius ſunt ſignificantia pallium, quo occultare nitebantur Moniales venditionem ingreſſus ipſius Religionis, quod ſimonia aperta eſt contra ius diuinum: prætextentes, ideſt fingentes ſe accipere ad ſuſtentationem: inſuper putantes propter pauperiem poſſe honeſtari venditionem ingreſſus. Quod benè animaduertit Gloſſa verbo *paupertatis.* & ait: *Prætextu paupertatis non debet quis operari peccatum mortale, ſed potius quælibet mala pati.* Quæ expoſitio quadrat textus contextui ſi attentè legatur. Extrauagans autem Vrbani, quæ rigoroſius loquitur, exponenda eſt ſicut exponitur, in caſu neceſsitatis. Nec video ibi aſsignari diſcrimen inter caſum neceſſitatis & abundantiæ, quod attinet ad iuris poſitiui prohibitionem. Nam quātum ſpectat ad peccatum, magnum diſcrimen eſt: cùm in caſu neceſsitatis ſemper liceat petere, & paciſci de ſubſidio ſuſtentationis, non verò niſi rarò, extra neceſsitatis caſum propter auaritiam, propter ſcandala, & ſimoniam præſumptam, vt iam iam dicam.

Gloſſa.

Ad quartam obiectionem ex teſtimonio Doctorum, & diui Thomæ reſpondetur cum Sylueſtro vbi ſupra: eſſe interpretandos de ſimonia præſumpta vehementer. Et meritò: quia extra caſum neceſſitatis nõ apparet titulus licitus, quare ſubſidium ſuſtentationis exigatur. Semper enim peccatur vel contra charitatem, vel contra Religionem, vel aliquid huiuſmodi. Quare vehemens præſumptio reſultat, pro ipſo ingreſſu, aut ſtatu religioſo pretium exigi. Nec eſt phraſis aliena à D. Thom. nam in ſolutione ad tertium tertij articuli inquit, quòd miniſter qui habet ſtatuta ſtipendia pro fungendo ſuo munere in diſpenſando ſpiritualia: ſi aliquid amplius acciperet, intelligeretur vẽdere ipſum ſpiritualis gratiæ vſum. Intelligeretur, ideſt præſumeretur. Vnde & nos ſupra docuimus, talem non eſſe ſimoniacum: ſed iniuſtum.

Sylueſt. *D. Thom.*

Hac vehementi ſuſpicione, ſeu præſumptione ſimoniæ laborant cœnobia, quæ à poſcentibus habitum exigunt vt ſua boba Monaſterio donent, præcipuè ante profeſsionem: quod vetitum eſt in Concilio Tridentino ſeſsione 25. cap. 16. de reformatione regularium. Vel ſaltem vt de eis non teſtentur in fauorem aliorum; vt ius hæreditandi per profeſsionem eorum in Monaſterium transferatur: quòd ſi hoc facere recuſent, ad profeſsionem non admittuntur, ſed expelluntur, non ſine ſcandalo audientium. Præterea: quando plus exigitur quàm quod ad vnam perſonam ſuſtentandam commodè, iuxta exigentiam illius ſtatus ſufficit, vt docuit Nauarrus vbi ſupra. Item eadem præſumptione laborant, quando exigunt neceſſaria ad ſuſtentationem; aliàs non admiſſuri. Verumtamen ab hac ſimoniæ ſuſpicione vel præſumptione liberantur quandoque etiam Monaſteria opulenta, quando receptio cedit in eorum grauamen: verbi gratia, ſi pro victu, & veſtitu nouitij exigitur: vt conſtat ex Concilio citato, non diſtinguente de Monaſterio diuite, & egeno. Quod non mediocre ſignum eſt, iura citata non eſſe intelligenda de ſubſidio ſuſtentationis, etiam in Monaſterijs diuitibus. Nam ſi id non eſt ſimoniacum tempore nouitiatus; quare in reliquo vitæ curſu? Purgatur autem ea receptio victus ſimoniæ ſuſpicione, & ſcandalo: quia valde grauarentur cœnobia, ſi omnes nouitij aduenientes, & liberè à Religione egredientes, reciperentur alendi ex bonis conuentus, etiam diuitis. Item à ſimoniæ præſumptione, & ſcandalo purgantur acceptiones victus pro ſene infirmo cupiente religioſum fieri: quo certè grauaretur cœnobium etiam abundans, dum cogeretur eum releuare à laborioſis religioſis exercitijs: inſuper & non mediocres, & extraordinarias expenſas facere pro ſeruitoribus, medicis, medicaminibus, &c. Has autem exactiones & ſimiles, liberas eſſe non ſolùm à ſimoniæ crimine, verùm & ab eius ſuſpicione, aut præſumptione; vſus proborum ac timoratorum declarat.

Conc. Trid. *Nauar.*

Ad argumenta poſita in principio diſputationis deſumpta ex Canonico iure iam ſatis ſuperque reſponſum eſt. Solùm aduerto, aliquos Iuriſperitos damnare omnia pacta circa huiuſmodi ſubſidium ſuſtentationis, ſiue Monaſteria ſint opulenta, ſiue egena. Ita Gloſſa in capite *non ſatis*. & ibi Abbas, Marinus, Socinus, & alij. Verumtamen nullo nituntur firmo fundamento: quia iura quæ citant, id non prohibent, vt vidimus. Et illis ex aduerſo opponimus Caietanum, Nauarrum, Sotum, & alios ferè omnes: imò & diuum Thomam, qui in caſu neceſsitatis abſolutè ait, eas dationes & receptiones eſſe licitas. Et ratio ſuffragatur, quia illa iura non prohibent id quod eſt debitum iure naturæ, vt illi autores fatentur. Sed quando egena ſunt Monaſteria, debita eſt illa ſuſtentatio: ergo. Mitto modò, quod vix poteſt res hæc tranſigi ſine pacto, vt patet in monialibus. Atque adeò licita ſunt hæc pacta, quando licita eſt receptio.

Gloſſa. *Abbas.* *Marinus.* *Socinus.* *Caietanus.* *Nauarr.* *Sotus.* *D. Thom.*

HAec dicta ſunt in communi pro explanatione horum trium articulorum, nempè ſecundi, tertij, & quarti, quia ferè eadem eſt illorum doctrina. Modò verò pro maiori dilucidatione articuli quarti, aliquot ſpecialiores inſtituemus diſputationes: ſed prius admonendum duximus Lectorem circa literam diui Thomæ, ne ſibi minus ſufficiens videatur. Fortaſſe enim quis putabit, ſanctum Doctorem non benè partitum fuiſſe annexa ſpiritualibus in duo tantùm membra, ſcilicet antecedenter annexa, & conſequenter; cùm tertium omiſerit, ſcilicet concomitanter annexum, quando ex corporali, & ſpirituali vnum componitur: ſicut in

Sacra-

Sacramentis, quæ actionibus corporalibus A conſtãt, & in Sacramentalibus; & in actionibus ſacris quæcunque corporales ſunt, procedentes à principio ſupernaturali, & ad finem ſupernaturalem ordinatæ. Iſtæ tamen actiones neutiquam dicendæ ſunt res annexæ ſpiritualibus: ſed potius ſimpliciter ſpirituales. Et ita eas appellat diuus
D.Thom. Thomas in articulo ſecundo, & in articulo primo ad ſextum: *Sicut anima* (inquit) *viuit ſecundùm ſe ipſam, corpus autem viuit ex vnione animæ: ita quædam ſunt ſpiritualia ſecundùm ſe ipſa.* Inter quæ principaliter ponit Sacramenta, diſtinguens illa ab alijs quæ ſunt ſpiritualia quaſi extrinſecè, ſeu vt adhærent ſpiritualibus. Nam licèt B actiones Sacramentorum realiter, & phyſicè materiales ſint; tamen ſecundùm ſuum eſſe materiale eleuatæ ſunt ad ſupernaturalem ordinem: nam ipſemet ſunt miniſteria ſacra, & ſigna, & cauſæ gratiæ. Et ideò iam ſic inſtitutæ, & eleuatæ, perinde reputantur ac ſi in ſuis entitatibus eſſent ſpirituales, & ſupernaturales: maximè quia vt partes ſunt Sacramentum componentes, à principio ſupernaturali oriuntur, & ad finem ſupernaturalem ordinantur. Sunt igitur appellandæ pleno ore ſpirituales: & non annexæ ſpiritualibus. Quare diuus Thomas earum non meminit in hoc artiC culo, vbi dumtaxat agit de annexis ad ſpiritualia: quæ ob id ſic nuncupantur, quia cùm in ſe materialia ſint; ratione ſolius cõnexionis cum ſpiritualibus ſpiritualia cenſentur. Hæc autem annexa ſpiritualibus,
D.Thom. diuiduntur à D. Thom. in articulo, in antecedenter annexa, & conſequenter. Exemplum priorum ponit in vaſis ſacris: & idem eſt de templis, veſtibus ſacris, & huiuſmodi. Et Sacramentalia quæ conſiſtunt in facto eſſe, vt aqua benedicta, ad hoc membrum videtur ſpectare. Sub altero verò ponit D. Thom. & omnes Eccleſiaſtica beneficia, quæ ſunt annexa ſpiritualibus officijs tanquam dependentia ab illis, & propter illa inſtituta: quia beneficium datur propter officium. Circa ſecundam concluſionem D. Thom. & circa ſolutionem ad primum, & ſecundum eſt

DISPVTATIO I.

An annexa ſpiritualibus antecedenter vendi poſſint eo pretio quo ante conſecrationem?

RESpondet D. Thom. non poſſe vendi vt ſpiritualibus ſunt annexa. Probatur ex cap. *ſiquis obiecerit.* 2. quæſt. 3. vbi generaliter ſtatuitur, res quæ ex conſecratione proueniunt venales non eſſe. Et exemplum ponitur in templo, & huiuſmodi. Item: illud eſſe quod habent quatenus ſacræ ſunt, ex ſupernaturali principio, & inſtitutione procedit, & ad ſupernaturalem finem proximè ordinantur: ergo materia ſunt ſimonię. Imò ait D. Thom. & benè in ſolutione ad *D.Thom.* primũ, quòd temporalia quæcunque ſi vendantur vt ordinãtur ad ſpiritualia, ſimoniaca venditio eſt. Quo fit vt ſi carius vendantur hæc ſic annexa ratione conſecrationis, aut benedictionis, aut ordinationis ad finẽ ſupernaturalem, quàm antea æſtimabantur ratione ſuæ materiæ vel artis, ſimoniam committi: quia iam venduntur quatenus ſpiritualia ſunt, vel ſaltẽ (quod in idem redit) ratione venditionis ſpiritualis eſt. Et ratio eſt aperta: quia conſecratio vel benedictio non eſt pretio digna: ergo nec rem eſſe conſecratam auget valorem eius. Igitur ſub illa ratione vendi nequit ſine ſimoniæ vitio.

Sed difficultas nõ modica eſt: an iſta annexa ſpiritualibus antecedẽter, vendi poſſint ratione materiæ, eo pretio quo vendi poſſent ante conſecrationem? Et videtur vera pars negatiua ex dicto Canone *ſiquis obiecerit.* & ex regula ibi tradita, & ſæpe à nobis repetita, videlicet, *Qui vẽdit id quod ſine alio ſubſiſtere non poteſt, neutrum inuenditum relinquit.* Sed conſecratio horum annexorum antecedenter, verbi gratia, Calicis, aut ornamentorum Eccleſiaſticorum, non poteſt eſſe ſine tali materiali: nec res illa ſemel conſecrata poteſt iam ſubſiſtere ſine conſecratione: quia manente re non poteſt auferri conſecratio etiam per Pontificem, vt benè docuit Caietanus ſupra quæſtione 88. *Caietan.*

articulo 11. ergo non poteſt vendi vnum
ſine alio : ergo nec res ipſa materialis.
Vnde dictus Canon ſic incipit : *ſi quis obiecerit non conſecrationem emi, ſed res ipſas quæ ex conſecratione proueniunt : penitus deſipere probatur.* Et in cap. *placuit*. 102. & capite. *dictum eſt*. 105. prima quæſtione prima pro Chriſmate, & pro balſamo aliquid exigi prohibetur. Vbi per Chriſma intelligitur Sacramentum Baptiſmi : per balſamum autem materia Sacramenti Cõfirmationis, vel inunctionis, quam neceſſe eſt conſecratam eſſe. Et idem argumentum fiet de oleo ſacrato, & aqua benedicta. Secundo. In actionibus ipſis Sacramentalibus, putà conſecrare, miniſtrare, vel conficere Sacramentum, reperitur etiam materiale, & formale. Nam loquutio, vel motio manus, aut pedis, & ſimiles quæ in his miniſterijs Sacramentorum interueniunt; imò & in Sacramentalibus quæ conſiſtunt in fieri, vt in exorciſmis, materiales ſunt, vt patet : vt ſic haberent ſuum valorem temporalem. Formale verò eſt illud eſſe, quod recipiunt ex inſtitutione, & ex habitudine ad poteſtatem, & finem ſpiritualem. Et tamen poſtquam materiale coniungitur formali, vendi non poteſt vt ſupra dictum eſt : ergo idem dicendum eſt de rebus ſacris permanentibus. Tertiò. Poſtquam res materialis benedicta eſt, & conſecrata, non poteſt transferri ad communes vſus. Ergo iam nequit res illa, etiam materialiter ſumpta, pretio æſtimari, quia totum ſuum valorem habent res illæ in ordine ad communes vſus, quibus per conſecrationem priuatæ ſunt : nam & propter vſus ſacros, & quatenus ad illos ordinantur, non ſunt pretio æſtimabiles.

De hac re duas reperio ſententias. Prima eſt negatiua, ac communis iuris Canonici peritis : has ſcilicet res ſemel conſecratas, quamdiu conſecrationem retinent, eſſe inuendibiles : ſed ſi aliquæ ſunt, quæ confractæ aut ſciſæ amittere poſſunt conſecrationem; prius eſſe frangendas, aut ſcindendas, & poſtea illam materiam vendi poſſe. Vnde inferunt, diſtinguendum eſſe inter huiuſmodi res. Quædam enim conſecrationem recipiunt ſub certa forma artificiali, à qua tanquam à ſubiecto vel neceſſaria diſpoſitione ſubiecti pendet conſecratio. Et in his dicunt materiam vendi non poſſe quamdiu formam, & conſecrationem retinent; ſi tamen illa priuentur, iam vendi poſſe ſine ſimoniæ labe. Aliæ verò ſunt materiæ, quæ ſine reſpectu ad artificialem formam conſecrantur, vt Chriſma, oleum, aqua, & ſimilia. Et de his dicunt amplius vendi non poſſe : quia in his conſecratio ineſt per confuſionem, vt ipſi loquuntur, ſeu inſeparabiliter, vt amplius illa materia nequeat conuerti ad profanos vſus, atque adeò inuendibilis ſit. Ita Panormitanus, & alij ipſum ſequentes in capite *ea quæ*. de ſimonia. *Panorm.* Vbi Gloſſa, quæ in hanc partem inclinat, adducit alia iura. Cui ſententiæ fauet diuus Thomas in ſolutione ad ſecundum huius articuli, dum ait, materiam vaſorum ſacrorum vendi non poſſe, niſi prius confringantur : quia poſt confractionem non intelliguntur eſſe vaſa ſacra, ſed purum metallum. *Gloſſa.* *D. Thom.*

Secunda ſententia eſt affirmatiua : videlicet, eas res ſacras ratione materiæ vendi poſſe, ſiue ſint artificiales, vt vaſa, ſiue materiales, vt oleum, aut balſamum, quod Chriſma dicitur. Hanc indicat diuus Thomas in hoc articulo ad primum, ſecundum, & tertium, & clarius in quarto, diſtinctione 25. quæſtione tertia, articulo ſecundo, quæſtiuncula tertia. Vnde tam de rebus mobilibus, quàm de immobilibus ſacris dicit, non poſſe vendi vt ſacræ ſunt, ſed poſſe vendi ratione materiæ. Et de Calice ait poſſe integrum vendi alteri Eccleſiæ. Limitatio autem, quam retulimus ex ſolutione ad ſecundum, non apponitur quaſi per eam vitetur ſimonia : ſed vt ſeruetur debitus modus alienandi res ſacras, ita vt neque alienentur ab Eccleſia ſine cauſa, neque ad vſus profanos conuertantur. Conſentiunt ibidem Durandus, Paludanus, Ricardus, Antoninus ſecunda parte, titulo primo capite quinto. §. 23. Syluеſter verbo *ſimonia*. quæſtione 12. & Caietanus eodem verbo regula prima. & intelligit de ſimonia ex natura rei, vt ipſe declarat in ſecunda regula, dubitans an vendere huiuſmodi res ſit prohibitum iure poſitiuo, cui ſi extet (inquit) parendum eſt. Et hæc ſententia eſt communis. Et probatur : quia huiuſmodi res ſacratæ aut benedictæ, ratione ſuæ ſubſtatiæ aut naturalis conditionis ſunt pretio æſtimabiles; & non amittunt ſuum valorem ratione conſecrationis : ergo. Secundò. Vſus proborum hæc vendentium ratione materiæ tantùm, ſen-

Durand. *Paludan.* *Ricard.* *Antonin.* *Syluеſter.* *Caietan.*

ſententiam hanc non mediocriter confirmat: & mihi magis placet; & intelligenda eſt ſtando in ſolo iure naturæ. An verò ex iure poſitiuo hoc ſit prohibitum; dicemus ſtatim, ſoluentes argumenta poſita in principio diſputationis. Rurſus: materiale illud quod dicitur eſſe vendibile, non ſolùm eſt materia metalli, verbi gratia, aut panni: ſed etiam artificium, & elegantia operis, figura, & huiuſmodi; quæ certè pretio æſtimabilia ſunt, & ſupponuntur ad conſecrationem. Quod in veſtibus ſacris præcipuè apparet; in quibus præcipua æſtimatio penſatur ex artificij elegantia: & in imaginibus, in quibus quod præcipuè æſtimatur artificium eſt. Cauendum tamen ne imago carius vendatur propter aliquem reſpectum ſanctitatis, putà quia ſacra eſt, vel quia diuæ Virginis eſt, quod ad ſimoniam pertinet.

Ad primum ex Canone *ſiquis obiecerit*, diuus Thomas articulo primo huius quæſtionis ad ſextum, videtur interpretari illud de annexis ſpiritualibus conſequenter: & clarius in quarto, diſtinctione 25. circa literam Magiſtri. Cui expoſitioni videtur aduerſari Paſchalis Pontifex in eo capite, ex illa regula inferens, Eccleſiam non poſſe vendi. At verò Eccleſia eſt de annexis ſpiritualibus conſequenter: de quibus communis conſenſus eſt non poſſe vendi ratione materiæ, vt infra latius dicemus. Quare aliqui aduertunt, & benè, lectionem illius textus non legitimè haberi apud Gratianum: emendatam autem eſſe in Decreto Gregoriano. Vbi enim Gratianus ſic habet: *Nam cum corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale aliquid ſine rebus corporalibus in nullo proficiat*: legendum potiùs eſt: *Cum corporalis Eccleſiæ Epiſcopus, vel Abbas, ſine rebus, &c.* Et ſic textus non eſt contra noſtram ſententiam: nam ibi non agitur de materiali Eccleſia, an poſsit vendi, nec ne: ſed de dignitate Epiſcopi vel Abbatis. Et eadem eſt ratio de officijs Eccleſiaſticis ſpiritualibus, quæ licèt ſpiritualia ſint: cùm ſint ad gubernandum corporalem, & viſibilem Eccleſiam; indigent corporalibus vt ſibi annexis. Et ideò in his verum eſt, quòd qui vendit corporale annexum, nihil inuenditum relinquit: non tamen habet verum in his quæ ſupponuntur, & antecedunt abſolutè. Imò etiamſi legas in recto, ſicut Gratianus, *Eccleſia*; nomine Eccleſiæ corporalis, non intelligitur materialis Eccleſia; ſed viſibilis, ideſt dignitas Eccleſiaſtica, qualis eſt Epiſcopi, aut Abbatis, quæ gratia exempli ponuntur: & tunc benè infertur ex regula Pontificia. Nullus igitur vendat præbendam, vel Eccleſiam, ideſt dignitatem Eccleſiaſticam, vel aliquod Eccleſiaſticum, ſiue dignitas ſit Eccleſiaſtica, ſiue non. Hanc interpretationem inſinuat Gloſſa in eodem Canone. *Gloſſa.* Itaque reſpondemus, illum textum non debere intelligi de annexis antecedenter; ſed de annexis conſequenter: & ſic nil contra nos. Ad alia teſtimonia ex iure Canonico allata, quibus nituntur Canoniſtæ vt teneant ſententiam negatiuam: reſpondetur, in aliquibus ipſorum ſermonem eſſe de collatione Chriſmatis, quæ fit per vſum eius in ſolemnitate Baptiſmi, vel in Sacramento Confirmationis, aut in eius ſacris vſibus: de quibus in titulo de ſacra vnctione. Et ex his nil probatur contra nos: quia dumtaxat ibi prohibetur, propter illam actionem vngendi vel chriſmandi non eſſe accipiendum pretium. Quod omnes fatentur, quia actio Sacramentalis eſt. Fateor, non poſſe negari, quin aliqua ex illis iuribus loquantur de ipſa materia olei, vel Chriſmatis. Et ideò probabile cenſeo, Chriſma ab Epiſcopo confectum & ſacratum, non poſſe vendi, etiam ratione materiæ, propter prohibitionem Eccleſiæ. Nec etiam ante ſacrationem poſſunt materiæ Chriſmatis, vt oleum ac balſamum, vendi fidelibus, vt in commodum ipſorum ab Epiſcopo ſacrentur: quia cùm his ſumptibus ſatis ſuperque prouiſum ſit per decimas, & primitias, aljoſque Eccleſiaſticos prouentus; meritò huiuſmodi venditio vetatur intuitu Religionis, ne detur occaſio palliandi ſimoniam. Demum aduerte cum Soto, prohibitum eſſe iure diuino, vendere illam quantitatem olei, vel balſami, aut Chriſmatis, quæ conſumitur in ipſamet vnctione Sacramentali: quia vt ſic eſt pars Sacramenti, & materia proxima eius. *Sotus.*

Ad ſecundum reſpondetur negando cõſequentiam: quia actiones Sacramentales allatæ in antecedenti, non ſunt, nec dicuntur annexa ſpiritualibus: ſed potius ſecundùm ſe ipſas ſpirituales. Sic eas vocat diuus Thomas in articulo primo huius quæſtionis ad ſextum, & nos nuper *D.Thom.*

explicabamus. Et eſtò appelles annexas concomitanter, ſicut quidam: reſpondetur ita eſſe annexas eas actiones corporales ſpiritualibus, vt ipſæ ſint & fiant ſpirituales, vtpotè materiæ Sacramẽtorum, vel ſacramentalium; & propterea eleuatæ per Chriſti, vel Eccleſiæ inſtitutionem, vt re vera ſint, & dicantur ſpirituales. At verò quę annexa ſunt antecedenter ſpiritualibus: quãuis ſpiritualibus annectantur, retinent ſuam temporalitatem; & ideò vendibiles ſunt: illæ verò actiones Sacramentales, nequaquam.

Ad tertium reſpondetur. Quando vas ſacrum integrum venditur ſine confractione, non venditur conſecratio, cùm ratione illius non vendatur carius: nec venditur vſus, quia hic eſt valde remotus; & qui illud emit ex vi emptionis non obligatur ad illum ſacrum vſum. Solùm ergo emitur id quod materiale eſt, putà metallum, & artificium. Et idem dicendum de alijs rebus ſacratis, aut benedictis. Quando autem Calix venditur laico; dixerunt multi prius debere frangi: & tunc iam non vendi Calicem, ſed metallum. Ita diuus Thomas vbi ſupra admonet: & alij propter ſententiam Ambroſij in cap. *aurum*. 12. quęſtione 2. & habetur etiam in cap. *ea enim*. §. hoc ius. eadem quæſtione ſecunda. Sed hoc non requiritur ad vitandam ſimoniam, ſed ad vitanda ſacrilegia, ſi res ſacræ ad vſus profanos conuertantur, contra regulam iuris, *ſemel dicatum, &c.* & contra iura decernentia, vt ſacra à laicis non contrectentur, cap. *in ſancta*. cap. *veſtimenta*. de conſecratione diſtinctione prima. Quare ſi nullum ſit tale ſacrilegij periculum, & conſtet laicum emere vaſa ſacra, vt per Sacerdotem in ſuo ſacello illis ad rem ſacram vtatur, etiam poterunt illi integra vendi: quia id neque per ſe malum eſt, cùm omne periculum abuſus ceſſet; nec inueniatur in iure prohibitum. Ita Palud. & alij. Igitur ad argumentum reſpondetur, rem ſacram quamdiu ſacra eſt nõ poſſe niſi ad ſacrum vſum aſſumi, accidentarium eſſe ad valorem rei materialis ſecundùm ſe conſideratæ: nam hic non conſideratur niſi ſecundùm communem æſtimationem, conſiderando valorem ſecundũ cõmunem æſtimationem, quam habet antè quam conſecretur, aut benedicatur. Et non propterea nego quin materia & artificium, poſtquã adiuncta fuêre ſacrationi, maneant inhabilia ad plures communes vſus: & ideò pauciores ſunt eorũ emptores; ac proinde minoris valoris. Cæterùm ſecundùm cõmunem æſtimationem totum hoc penſandum eſt: hoc animaduerſo, ne propter vſum ſacrum vendantur, ſed ſecundùm ſe, prout attentis expenſis, & artificij elegantia communiter vendi ſolent. Quare meritò carpitur à quibuſdam Sotus vbi ſupra, aſſerens Calicem poſſe locari pro pretio ad faciendum ſacrum: quia hoc eſt virtualiter vendere vſum ſacrum illius Calicis; eaq; locatio venditioni comparatur: in qua licèt nõ vendatur res: vendi tamen cenſetur vſus rei. Si ergo locatur res ſacra, cùm non poſſit locari niſi ad vſum ſacrum; venditur ſacer vſus. Eodem vitio notari debent Sacriſtæ, qui pretium accipiunt vt dent pretioſiora ornamenta, aut Calices elegantiores ad ſacrum faciendum: ſi illud exigant per modum pretij pro vſu rerum ſacrarum: ſecus ſi pro officio non debito, vel pro expenſis quas in lauandis veſtimentis lineis faciunt, vel in reficiendis ornamentis, quæ vſu deteriorantur. Sed in his omnibus cauendum eſt ab ſpecie mali: & multo magis ſi in venditionibus harum rerum ſacratum negotiatio exerceatur: verbi gratia, emere has res ſacratas in vno loco, vt in alium tranſportatæ carius vendantur, & ſimilia. Quod licèt non ſit aperta ſimonia: habet tamẽ illius ſpeciem. Imò credo ſapere ſacrilegium: quia res ſacræ indignè tractantur: de quo latius ſupra in materia de ſacrilegio. De aliquibus verò annexis ſpiritualibus, vt de iure patronatus, diuus Thomas in ſolutione ad tertium, & nos latius diſſeremus.

D. Thom. — *Paludan.* — *Sotus.* — *D. Thom.*

DISPVTATIO II.

An ſimoniacum ſit, & quo iure, vendere beneficia Eccleſiaſtica?

Vius diſputationis deciſio magni momenti eſt: pro quo præmittenda eſt notio nominis. Beneficiũ enim eſt titulus, ſeu ius Eccleſiaſticum, ordinatum ad exercenda ſpiritualia munia, cum iure recipiendi eo titulo aliqua temporalia emolumenta: v. g. fructus annuos de Eccleſiaſticis bonis. Vocanturq; in iure particularia beneficia multis nominibus, putà Epiſcopatus, Abbatiæ, Prioratus, Dignitates Parochiæ vel Eccleſiæ,

Eccleſię, aut Altaria. Ex qua nominis notione colligere licet, in beneficijs Eccleſiaſticis duo iura includi: videlicet ius miniſtrandi ſpiritualia, & ius percipiendi emolumenta tēporalia propter ſpiritualia miniſtrata. Quorum primum ſtricta ſignificatione officium dicitur, potiùs quam beneficium, quia oneroſum quid eſt: ſecundum dicitur præbenda, vel beneficium, quod propter officium datur, cap. vlt. de reſcriptis. in ſexto. Sed communi vſu beneficium dicitur compoſitum ex vtroque iure. His poſitis

Prima aſſertio ſit. Beneficia quoad ius, & titulum quem includunt, id eſt, quantum ad officiū, ratione cuius diximus dari emolumenta tēporalia; ſpirituale ius eſt, & ex natura rei inuendibile: & conſequēter ipſa beneficia quantū ad hoc inuēdibilia ſunt. Hęc aſſertio certa eſt apud omnes, & oſtenſa in præcedētibus: dū docuimus omnia miniſteria ſpiritualia vendi non poſſe ſine ſimoniæ vitio. Atque ex hoc colligitur, vendere beneficium quoad hoc ius eſſe intrinſecè malum: ac proinde neque Summo Pontifici, neque alicui ex eius diſpenſatione id licere, quia in iure diuino, aut naturali nequit diſpenſare. Et ſi obijcias, beneficiorum Eccleſiaſticorum inſtitutionem, ac titulorum diuiſionem eſſe ex Eccleſiæ inſtitutione: ac proinde Pontifex poterit in hac venditione diſpenſare: ex doctrina Caietani citandi duas elicio reſponſiones. Prima, quòd licèt ex Eccleſiæ inſtitutione aliquid fiat ſpirituale: tamen poſt factum, iure diuino prohibitum eſt; vt patet in Calice cōſecrato, & Sacramentalibus. Secunda reſponſio. Inſtitutio beneficiorum quoad illud ius & titulum, de quo loquimur, à Chriſto emanauit: etenim nil aliud eſt, quàm poteſtas conceſſa ad ſpirituales functiones obeundas. Et hæc licèt participetur à miniſtris mediante Eccleſiæ conceſsione; non ob id ceſſat eſſe diuinum, & à Chriſto promanans.

Caietan.

Secunda aſſertio etiam indubitata apud omnes. Beneficia Eccleſiaſtica, modò de facto nequaquam vendi poſſunt ſine ſimonia: etiam habito reſpectu ad temporale emolumentum, quod priori iuri annexum eſt. Patet ex locis innumeris Canonici iuris, prohibentis omnes oneroſos contractus in Eccleſiaſticis beneficijs; & mandantis, vt purè, & ſimpliciter concedantur, cap. vlt. de pactis. cap. *ſuper eo.* de tranſact. cap. *querelam.* cap. *tua nos.* cum ſimilibus de ſimonia, cap. vltimo, vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione, & 1. q. 3. ferè per totam.

Sed quod in hac re eſt valdè cōtrouerſum eſt, an vendere beneficia, tantùm intuitu & habita ſolùm conſideratione ad temporale emolumentum ex titulo beneficij reſultans; ſit ſimonia tantùm contra ius poſitiuum? an verò contra ius diuinum? De qua re tres referuntur ſententiæ. Prima eſt Iuriſperitorum ferè omnium, quos refert Felinus cum Decio, & alij in cap. *ex parte.* 1. de officio deleg. ſcilicet vendere beneficia Eccleſiaſtica, dumtaxat eſſe contra ius humanum; ac proinde vel à Pontifice, vel ab alio ex commiſsione eius vendi poſſe ſine ſimonia: dummodò venditio non fiat intuitu ſpiritualis iuris, quod in beneficio eſt; ſed intuitu emolumenti temporalis in eo incluſi. Hanc ſententiam tenet Nauarrus in Manua. cap. 23. num. 108. §. 9. & inuehitur contra Caietanum dicens, ipſum nimis Metaphyſicè loqui in materia morali: & multa ſumere, quæ non probat. Ipſe verò hanc ſententiam multis conatur oſtendere; quæ (ni fallor) ad hæc reduci poſſunt. Primò: quia licèt in beneficio duo iura adiungantur, quorum vnum indubitatò ſpirituale: alterum certè temporale eſt, vt potè ad capeſſenda emolumenta temporalia ordinatum: ergo vendibile eſt ſine ſimoniæ labe. Dices: coniuncta ſunt, & temporale à ſpirituale dependens. Contrà ſecundò: quia ſuppoſita diſtinctione ſicut neceſſariò ſupponenda eſt; etiamſi ſimul dentur, & ſeparari non poſsint quoad tranſlationem vnius ſine alio: at quoad venditionem intentione ſeparari poſſunt: putà, quia vendentis intentio feratur in ius temporale, non in ſpirituale. Tertiò ad idem. In vaſis ſacris reperiuntur coniuncta materia, & conſecratio: & tamen manentibus integris vaſis ſacris, poteſt vendi id quod materiale, & temporale eſt, inuendita conſecratione. Ergo idem dicendum eſt in beneficijs Eccleſiaſticis. Nec ſat eſt dicere, ius beneficiorum ad emolumenta temporalia, eſſe conſequenter annexum ſpirituali iuri, ac ab eo dependens; materia verò ſacrorum vaſorum non ſic, ſed antecedenter. Nam magis coniuncta ſunt in vaſis ſacris materia, & conſecratio, quàm in beneficio illa duo: tùm, quia manente vaſe integro, non poteſt per Eccleſiam fieri ſeparatio; & in beneficijs poſſet, vt poſtea dicemus: tùm, quia in vaſis ſacris materia, quæ antecedit, videtur ſecū trahere id quod ſpirituale eſt;

Felinus; Decius.

Nauarrus.

atque adeò magis coniungi quàm in beneficijs, vbi ſpirituale antecedit. Quartò arguitur ex vſu crebro Romanorum Pontificum: quem improbare inſolentiſsimum erit. Videmus namque ſæpè, ac ſæpius, autoritate Pontificis beneficia cum onere alicuius penſionis ab vno in alium transferri: & olim videtur potuiſſe fieri ab Epiſcopis, vt colligitur ex cap. *conſtitutus.* de relig. domibus. Et eadem ratione ſi prohibitio non eſſet, poſſet quiſquam priuatus beneficium ſuum cum ſimili onere alteri tradere. Hoc autem eſt quædam virtualis venditio emolumenti temporalis beneficij, quia eſt datio cum pacto oneroſo: precipuè quòd penſio poſtea poteſt pretio redimi: ergo etiam à principio potuiſſet eo compenſari.

Secunda ſententia omninò contraria præcedenti eſt, vendere beneficia Eccleſiaſtica (quæcunque illa ſint) etiam intuitu ſolius temporalis emolumenti, eſſe ſimoniam contra ius diuinum naturale: ac propterea non poſſe in hoc cadere diſpenſationes, etiam autoritate Summi Pontifi-
D. Thom. cis. Hæc ſententia videtur eſſe D. Thom. in prima concluſione huius articuli, vbi beneficia ait, nullo modo vendi poſſe: at annexa antecedenter ſpiritualibus, aliquo modo vendi poſſe, putà ratione materiæ. Expendenda eſt phraſis D. Thom. quæ de ſimonia prohibita iure naturali videtur procedere. Id ipſum inſinuat in 4. diſtinct. 25. quæſtione 3. art. 2. quæſtiunc. 3. ad quartũ.
Durand. Durand. ibi quæſt. 5. expreſsè eam tuetur, ac omnes ferè Theologi tam in ſententijs,
Caietanus. quàm in ſummis; & præcipuè Caietan. to-
Sotus. mo 2. opuſc. tract. 9. quæſt. 1. Sotus quæ-
Victoria. ſtione 7. art. 1. Victoria dicta relectione,
Couarr. num. 44. Couarrub. regula *peccatum.* par. 2. §. 8. num. 8. Probatur hæc ſententia ex regula poſita in cap. *ſi quis obiecerit.* 1. quæſ. 3. *Qui horum alterum vendit, ſine quo alterum non prouenit: nihil inuenditum derelinquit.* Ex qua infert Pontifex, non poſſe vendi Eccleſiam, vel præbendam: non quidem propter Eccleſiæ prohibitionem, ſed pro-
Nauar. pter inſeparabilitatem. Reſpondet Nauarrus, Canonem illum eſſe intelligendum quoad præſumptionem, non quoad veritatem. Certè interpretatio non quadrat textui. Nam in principio dixerat Pontifex: *Si quis obiecerit, non conſecrationes emi, ſed res quæ ex conſecratione proueniunt; penitus deſipere probatur.* Deſipere inquit, non propter præſumptionem, ſed propter veritatem. Item in cap. *Saluator.* eadem diſtinct. Vrbanus Papa ex verbis Chriſti: *Gratis accepiſtis, &c.* colligit, res Eccleſiaſticas vendi non poſſe. Nomine autem rerum Eccleſiaſticarum intelligit beneficiorum prouẽtus, nam pro ratione ſubdit: *Quæ* (ſcilicet res Eccleſiaſticæ) *dona Dei ſunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur.* Et ſtatim idem confirmat ex regula Paſchalis nuper relata. Similia habentur in ca. *ex multis.* & cap. *res Eccleſiæ.* & cap. *peruenit.* 3. 1. quæſt. 1. vbi æquiparantur in hoc vendere altare, decimas, & Spiritum ſanctum. Et in cap. *ex diligenti.* de ſimonia. dicitur de huiuſmodi contractibus in beneficijs: *Cùm hæc diuinis, & humanis legibus cõtraire noſcantur.* Secundò probatur ratione. Nam ius ad accipiendum ſtipendiũ pro officio quocunque Eccleſiaſtico, eſt diuinum ius, & naturale, & annexum, ac dependens à iure miniſtrandi ſpiritualia munera: ergo non poteſt vendi, niſi vendatur hoc poſtremum ius, quod ex omnium ſententia ſpirituale eſt. Ac proinde ſicut vendere illud ius ad officium ſimonia eſt; prohibita iure diuino: ſic erit vendere ius ad percipiendum ſtipendium, quod annexum eſt priori iuri. Probatur conſequentia: quia quando venditur beneficium, non eſt poſſibile vendere tantùm fructus, ſed ius ad illos: quod cùm ſit annexum, & intrinſecè pendens à priori iure ſpirituali, etiam venditur illud ius ſpirituale.

Tertia ſententia media eſt Panormitani *Panorm.* in cap. *extirpandæ.* in repet. §. qui verò, dicentis, vendere beneficia nõ habentia animarum curam, non eſſe ſimoniam contra ius diuinum: vendere autem beneficia curata, vel quomodocunque habentia iuriſdictionem, eſſe contra ius diuinum.

Pro deciſione ſit tertia aſſertio. Vendere beneficia Eccleſiaſtica, id eſt, ius percipiendi emolumenta temporalia, vt à iure officij alicuius Eccleſiaſtici procedit, id eſt, ius percipiendi emolumenta temporalia propter Eccleſiaſticam quampiam functionem; ſimonia eſt contra ius naturale, & diuinum. Hæc aſſertio probatur argumentis factis pro ſecunda ſententia, quæ eſt communis Theologorum, & quorundam Canoniſtarum ſapientiorum, vt Couarrubiæ citati. Item beneficiatus capit emolumenta temporalia, & habet ius ad illa ratione functionis ſpiritualis quam exercet, ſiue ea pertineat ad iuriſdictionem ſpiritualem, ſiue non: quod ius citra dubium ſpiri-

ſpirituale eſt, ſiue quia ab ſpirituali iure procedit, & ab eo pendet; ſiue quia medium, & ratio eſt capeſſendi beneficij fructus: ergo ſi quis conetur, & intentet per venditionem illud ius transferri in alium; ipſum ius ad miniſterium ſpirituale neceſſe eſt vendere virtualiter: quia radix, ratio, & medium eſt ad obtinendum ius ad fructus beneficiales conſequendos, vt amplius explicabitur dum ſoluemus argumeta pro prima ſententia Iuriſperitorum.

Quarta aſſertio. Si ius percipiendi bona Eccleſiaſtica beneficialia diſſocietur, & ſeparetur à iure miniſtrandi ſpiritualia: non erit ſimonia tale ius vẽdere. Probatur: quia iam tale ius fit mere temporale, non participans vllam ſpiritualitatem à miniſterio ſpirituali, ratione cuius non datur, nec annectitur illi. ac ex conſequenti proprie nõ dicitur beneficium Eccleſiaſticum. Ergo illud vendere non eſt ſimonia. Hanc aſſertionem certam cenſeo: ſed explicatione indiget, quomodo poſsit fieri præfata diſſociatio, & ſeparatio. Poteſt autem fieri multis modis, autoritate Summi Pontificis interueniente. Primò: ſi redditus Eccleſiaſticos deſignet aliquibus laicis pro miniſterio temporali exercendo. ſicut de facto egit in quarundam terrarum decimis, quas applicuit Regibus, & Proceribus pro ſuſcipienda deſenſione terræ fidelis ab infidelibus, vel propter quid ſimile, de quo infrà. Secundo modo extinguendo ſpirituale officium, vel obligationem ad illud: & tunc poteſt vendere ius ad redditus, qui beneficiales fuêre, iam vero non ſunt. Tertiò: poteſt imponere penſionem vendibilem ſuprà beneficium Eccleſiaſticum. Sed de hoc enucleatius agentes de penſionibus. Conſultò autem dixi, autoritate Summi Pontificis interueniente: quia nullus alius poteſt facere hanc ſeparationem, & diſſociationem, ſed ſolus Summus Pontifex propter ſummam poteſtatem diſpẽſatiuam. Sicut enim annexio, & deputatio præbendarum ad officia Eccleſiaſtica, fit autoritate Sũmi Præſidentis Eccleſiæ: ſic & ſeparatio ab eo ſolo poteſt fieri; ſaltem ſtando in iure poſitiuo id prohibente in titulo Ne beneficia cum diminutione conferantur: & in cap. *prohibemus* de cenſibus. idem habetur. Idem ſumitur ex cap. vlt. 1. q. 3. & cap. *vacante*. de præbendis. Exiſtimo autem, hanc prohibitionem eſſe tantùm de iure poſitiuo: vnde illa ſecluſa poſſent Epiſcopi in ſuis diœceſibus ſeparationem facere: ſed hoc meritò prohibitum eſt, quia eſſet in magnam Eccleſiæ perniciem.

Vltima aſſertio. Beneficiarius poteſt fructus ſui beneficij vendere ſeparatos à beneficio & titulo: id eſt, conſiderando eos vt quædam bona poſſeſſa, vel quaſi poſſeſſa à Beneficiario, ſicut alia bona per negotiationem, aut hæreditario iure acquiſita. De hac aſſertione nulla eſt dubitatio: alias fructus beneficij, nullius, aut paruæ eſſent vtilitatis Beneficiatis: inſuper & praxis proborum aperte confirmat.

Sed ex hac aſſertione inſurgitur contra tertiam. Nam Beneficiarius poteſt vendere ius quod habet ad emolumenta temporalia ſui beneficij, ſeparando per intentionem ea à beneficij titulo, vt in vltima aſſertione dicebamus: ergo vera eſt prima ſententia Canoniſtarum, quæ nil aliud aſſerit. Reſpondetur: fructus beneficij in eo ſtatu quo reperti fuerint tempore venditionis, benè poteſt vendere: quia iam nullam habent annexionem cum beneficij titulo; ſed ſub dominio priuato Beneficiarij, ſicut alia bona, conſtituuntur. Nec hoc eſt vendere beneficium, ſed fructus qui à beneficio promanarunt. Quinimo ſi in tale dominium non prouenerunt, ſi vendantur, non eſt propriè venditio, ſed locatio fructuũ: quia ius quod habet Beneficiarius vendens ad illos, non transfertur in ementem, ſed certa accepta pecunia ius accipit illos accipiendi vice Beneficiarij. Obijcies: Beneficiarius poteſt locare fructus ſui beneficij ad certos annos: & ſecluſo iure humano prohibente, poſſet locare ad vitam ſuam. Sed locatio quoddam genus venditionis eſt pro illis annis: ergo iam licet aliquo modo vendere præbendam. Confirmatur: nam poſſet Beneficiarius, ſecluſo iure poſitiuo humano, vendere partem fructuum ſui beneficij pro toto tempore vitæ ſuæ; & poſtea poterit dare beneficium alteri cum ſola altera parte fructuum; & ab hoc ſecũdo etiam poſſet prius quam beneficium tradat, exigere vt emat partem fructuum totius vitæ ſuæ; & ita manet venditum beneficium quoad ſuam tẽporalitatem. Ad primam obijciunculam reſpondetur, non poſſe Beneficiarium, etiã ſtando in diuino iure, ita locare fructus ſui beneficij, vt illos ſeparet à titulo beneficij: quia vt dictum eſt, hæc ſeparatio à ſolo Sũmo Pontifice fieri poteſt. Quamuis ergo locentur fructus annexi, manet beneficiũ: & ad illum per ſe primò pertinent, qui titulum habet beneficij. Conductor verò

tantùm

tantùm vice illius colligit fructus: & ita ex vi contractus illius, ſoli fructus venduntur in ordine ad illum ſtatum, quem habent poſtquam ſunt recepti, & ſub priuato domi nio Beneficiati. Quare ſi durante tempore quo fructus ſunt locati, prior Beneficiarius moriatur, & alius ſuccedat: fructus ſequentis temporis ad ſucceſſorem pertinebunt, & illi tenebitur conductor ſoluere pretium, & nomine ac vice illius colliget fructus. Ad caſum verò confirmationis negatur id poſſe fieri: nam etiam ſtando in ſolo diuino iure, non valet priuatus poſſeſſor beneficij locare, ſeu vendere fructus ſui beneficij futuri per multos annos, vel pro toto tempore vitæ ſuæ: ita vt ex vi huius contractus præiudicet ſucceſſori, priuando illum tali parte fructuum pro toto illo tempore, etiamſi liberaliter dimittat beneficium poſt priorem venditionem; quia priuatus poſſeſſor beneficij, ex natura talis rei non habet poteſtatem ad talem venditionem faciendam. Etenim ipſe ex vi beneficij dūtaxat habet ius percipiendi fructus ex ratione ſpiritualis functionis: ergo ſolùm mediante hoc titulo & functione conſequitur fructus. Ac proinde non poteſt fructus vendere prò illo tēpore, quo non eſt habiturus titulum vel functionē ſpiritualem, quia nullūius habet ad illos fructus, cum liberaliter dederit alteri illud, dando ſcilicet beneficium. Itaque vendere alicui futuros fructus cum animo relinquendi beneficium, ſi ſeparatim fiat, ideſt non dando beneficium emptori; non committitur ſimonia, ſed iniuſtitia: quia non vēditur ſpirituale, ſed temporale, ad quod nullum ius ſeu dominium habet; & ita facit iniuriam vel emptori, ſi decipiat illum, vel ſucceſſori & Eccleſiæ, ſi per vim faciat vt ſucceſſor beneficij illis fructibus priuetur. At verò ſi beneficium detur alicui, accipiendo pecuniā abeo ſub eo imaginato prætextu, quòd vendit fructus futuros; vel quòd poſsit vēdere, & nō facit: tunc ſimonia committitur contra diuinum ius, quia vendit fructus vt poſtea obtineantur ab emēte beneficij titulo: ac proinde vendit illud, vt in tertia aſſertione docuim⁹. Nec excuſabitur vēdens, dicens ſe nō intēdere titulū vēdere, ſed meros fructus: quia facto ipſo vult vēdere fruct⁹ vt percipiēdos ſpirituali titulo; nec ipſe valet eos ſeparare, aut aliter transferre.

Ex hac doctrina ſequitur, Beneficiariū, cùm ſe priuat beneficio vt alteri conferat, non poſſe ab eo exigere aliquam pecuniā, vel partem fructuū ratione iacturæ & damni quod patitur in fructibus percipiendis; quod nō pateretur ſi beneficium retineret. Et quidem ſtādo in iure poſitiuohumano, corolarium certum eſt ex iuribus citatis id prohibentibus, & meritò. Nam ſiquis vult hanc iacturam pati, ſuum beneficium retineat: vel ſi rationabilem cauſam habeat renuntiandi, & non poteſt ſine temporali incommodo; à ſummo Pontifice remedium poſtulet: quia aliàs aperiretur via innumeris fraudibus, & ſimonijs. Stando autem in ſolo iure diuino, idem cenſeo: quia hæc eſt natura beneficiorum, vt omnino gratis conferri debeant, niſi fiat ſeparatio iam relata ab habente autotitatem. Etenim quia poſtquam beneficiarius in alterū tranſtulit beneficium ſuum: nullus illi relictus eſt titulus, aut ratio quare aliquid percipiat de fructibus illius. Dicet fortaſſe quiſpiam: ratione damni quod Beneficiarius ſubit in fauorem eius, in quem beneficium transfert, poterit accipere aliquid temporale, vt ſeruet ſe indemnem: quod ratione dictante licitum eſt in omnibus contractibus. Confirmatur à ſimili. Nam Parochus quamuis non poſsit ſuam iuriſdictionem pro pretio delegare, nec licentiam quam dat alteri Clerico ad miniſtranda Sacramenta in ſua Eccleſia: ſi tamen ipſe iacturā patitur, & priuetur multis prouentibus; poterit ſe indemnem ſeruare, paciſcēdo vt certa pars fructuum ſibi reſeruetur: quia tunc non vendit ſpirituale, ſed redimit damnum temporale, vt docuit Sylueſter verbo *ſimonia*. quæſtione 8. verſ. ſecundum: ergo ſimiliter &c. Reſpond. ad obiectionem, titulū damni emergentis non habere locum in trāſlatione beneficiorū volūtaria, ſicut in alijs rebus; vel quia non ſunt ſimpliciter eius qui poſsidet: vel (quod certius exiſtimo) quia intrinſecè, & ex natura ſua ſunt gratis exhibenda nullo appoſito grauamine: & habens, nil temporale poteſt recipere neq; pro beneficio, neq; dimanās à beneficij poſſeſsione, niſi mediante titulo beneficiali, quo ſupponitur carere eū qui in alium beneficium transfert. Secūdo reſpōd. qui trāsfert in alium beneficium; etiam trāſfert onus Clericale. Quòd ſi ab hoc onere liberatur renuntiās: hac libertate cōpenſatur iactura fructuum; quare nō eſt cur pro damno aliquid exigat. Ad confirmationem reſpond. veritatem antecedentis non eſſe omninò indubitatam. Sed ea admiſſa, negatur conſequentia: quia in caſu antecedentis manet in Beneficiario titulus beneficij, qui eſt fundamentū fructuum perciendorū; & ideò

Sylueſt.

meritò

meritò poteſt ſe indemnem ſeruare: qui autem beneficio renuntiat, nullum titulum retinet, vt poſsit illam recompenſationem accipere.

Supereſt reſpondere ad argumenta poſita in principio diſputationis pro ſententia Nauarri, & aliorum Iuriſperitorum. Ad primum reſpondetur, illud ius quod Beneficiati habent ad fructus beneficiorum, non ponere in numero cum iure ad ſpirituale miniſterium: nec eſſe duo iura, ſed vnum, & idem, quod ad vnum terminatur mediante alio, ſeu ratione alterius. Nam proximum fundamentum illius iuris ad commoda tẽporalia eſt miniſteriũ ipſum ſpirituale, ratione cuius debetur ſtipendium ſuſtentationis: ergo ius illud totum hoc includit, ſcilicet quod ſit ad tales prouentus talis miniſterij. Ergo immediatè verſatur circa ſpirituale, & propter illud tranſit ad temporale. Ergo impoſsibile eſt vendere ius ad commoda temporalia, non vendendo ius ſpirituale: tùm, quia eſt vnum & idem; vt benè adnotauit Caietanus: tùm, quia primariò eſt ad ſpirituale; ad temporale verò tanquam acceſſorium quod ex illo ſequitur: tùm etiam, quia illud temporale ſemper reſpicitur vt habendum titulo ſpirituali: vt ſic autem quid ſpirituale eſt, & appellatur in cap. *dilecto*. ex quo textu ſolutio hæc deſumitur. Id ipſum ſolent Theologi declarare à ſimili. Caietanus ait: *Sicut qui vellet vendere proprietatem iaſpidis; etiam ipſam ſubſtantiã iaſpidis à qua dimanat venderet: ſic qui vellet vendere ius ad fructus beneficiales; neceſſe eſſet ius ad miniſterium ſpirituale vendere, ad quod quaſi propria paſsio illud alterum ius conſequitur.* Alij alio ſimili explicant. Impoſsibile eſt vendere relationem, niſi vendendo fundamentum ad quod relatio conſequitur: nullus enim poterit vendere ſimilitudinem imaginis, niſi vendendo ſimul figuram, in qua ſimilitudo fundatur. Ita imaginandum eſt, ius ad temporales prouentus beneficij eſſe quaſi relationem quandam, quæ fundatur in miniſterio ſpirituali (non enim debentur niſi ratione illius) & ideò & ſpiritualem eſſe, ſicut & ipſum miniſterium, & vendi non poſſe, niſi vendito miniſterio: ſicut neque gratis dari poteſt, niſi gratis etiam dato ſpirituali miniſterio, ſeu iure ad illud.

Caietan.

Similiter reſpondetur ad ſecundũ, propriè vnum tantum eſſe ius: quia vbi vnum propter aliud, ibi eſt vnum. Et eſtò eſſent duo partialia, ſic ſunt annexa, vt vẽdito poſteriori, prius vendi cenſeatur, iuxta regulam Paſchalis in cap. *ſi quis obiecerit.* allatam, quamtumuis intentione velit vendens vnum ab alio ſeparare: tùm, quia inſeparabilia ſunt: tum, quia de facto connexa ſunt, quidquid intendat vendens.

Ad tertium benè ibi negatur conſequẽtia. Ad replicam fateor, annexionem alicuius temporalis antecedenter ad ſpirituale, eſſe diuturniorem, & magis conſiſtentem, quàm annexio quæ fit conſequenter, vt in beneficijs. Nam annexio conſequenter, fit per deputationem rei temporalis per Eccleſiam ad alendos miniſtros Eccleſiaſticos: quos fructus poſſunt in vſus laicales conuertere. Quæ deputatio abrogari, vel ad alios fines deſtinari per eandem Eccleſiam poteſt. At verò annexio antecedenter ſe habens, qualis eſt materia Calicis cõſecrati, fit per deſtinationem ad vſus ſacros, quæ ſine piaculo mutari non poteſt. Diſſonat enim rationi, vt res ad vſus ſacros per conſecrationem deſtinata, ad vſus profanos conuertatur. Eſt igitur annexio materiæ Calicis conſecrati ad conſecrationem, immutabilior quàm annexio iuris percipiendi fructus beneficiales ad officium ſpirituale, ſiue ad ius exercendi illud. Inde tamen non ſequitur eſſe vendibile, ſicut materia Calicis. Quæ cùm antecedat annexionem, in ſuo valore permanet: in nullo alio immutata, niſi quòd ad vſus profanos nequit conuerti. At ius percipiendi fructus beneficiales, totum immutatum eſt: imò totum conſiſtit in eo quod à iure ſpirituali, & mediante eo dimanat. Et hinc naſcitur aliud diſcrimen. Nam materia vaſorum ſacrorũ materialis, vt ſic permanet etiã poſt annexionẽ ad conſecrationem: vnde & vendi poteſt. At ius ad percipiendos fructus propter officium ſpirituale, quod in beneficio includitur; ſpirituale eſt: vnde & inuendibile, ſicut ſpirituale officium nequit vendi.

Ad quartum reſpondetur, beneficia nequaquam vendi de licentia Summi Pontificis, nec poſſe: niſi eiuſdem autoritate fiat ſeparatio, ſeu diſſociatio iuris ad fructus beneficij à iure, & titulo miniſterij ſpiritualis. Ita dictum eſt in quarta aſſertione: iuxta quam procedunt ferè omnia exempla adducta à Nauarro. Nec hoc negauit Caietanus acerrimus defenſor ſententiæ Theologorum: quinimò in fine commentariorum huius articuli tandem id concedit. Et hæc dicta ſint de beneficiorum venditione: ex quibus non erit admodùm difficile iudi-

Caietan.

care de quibuſdam iuribus ad prouentus Eccleſiaſticos, quæ vel ſunt beneficia, vel non paruam cum eis habent ſimilitudinem. Et ideò ſit

DISPVTATIO III.

Vtrùm commendas, coadiutorias, vel hoſpitalia vendere ſimonia ſit?

ET à notione nominis incipiendo, aduertendum, commendas à commendando dictas eſſe. Contingit enim quandoque, Eccleſiam, vel beneficium eius non conferri alicui in titulum: ſed commendatur, ſeu committitur illi cura, vel adminiſtratio eius. Et ob hanc commendationem, fructus beneficij, vel pars eorum ei aſsignatur. Et illa cõmiſsio, ſeu cura cum talibus prouentibus, commenda dicitur. Notio autem nominis coadiutoriæ, & hoſpitalium, non indiget explanatione, quia clara eſt. Et quod attinet ad commendas, multa habentur in iure. Multa etiam dicunt iuris Interpretes: & copioſius Ogeda de beneficijs in comp. 1.p.cap.14. & Sylueſter verbo *commenda*. Nobis autem ſat erit, quæ ad præſens inſtitutum de venditione earum ſpectant, tetigiſſe: præmittendo, commendam, ſiue temporaneam, ſiue perpetuam, quandoque dari cum ſpirituali adminiſtratione, cui tẽporales annectuntur: vt quando Eccleſia Parochialis, vel Cathedralis datur alicui nõ in titulum, ſed in commendam. Interdum verò datur non propter miniſterium ſpirituale, ſed propter temporale: vt ſunt commendæ datæ militibus alicuius ordinis militaris. Hoc ſuppoſito

Ogeda. *Sylueſt.*

Dico primò. Commendæ quæ dantur propter miniſterium ſpirituale, id eſt, propter adminiſtrationem aliquam ſpiritualem, ſiue perpetuæ ſint, ſiue temporaneæ; non poſſunt vendi ſine ſimonię vitio. Probatur: quia ius illud percipiendi fructus, annectitur rei ſpirituali, & inuendibili: ergo & ipſum inuendibile eſt. Conſequentia patet ex his quæ de venditione beneficiorum diximus. Commenda enim hæc vel eſt Eccleſiaſticum beneficiũ, vel illi æquiparatur. Hæc aſſertio etiam extendenda eſt ad eũ, qui toto tempore quo ei Eccleſia cõmendata eſt, nullam exercere tenetur functionem ſpiritualem: vt aliquando contingit in commenda, quæ datur puero, donec habeat ætatem competentem ad titulum recipiendum: quia ſtatim incipit initiari, vt poſtea habeat actualem Eccleſiæ adminiſtrationem. Quæ initiatio quid ſpirituale eſt.

Secundò dico. Vendere coadiutorias, ſimoniacum eſt. Probatur: quia portio quæ pro coadiutore reſeruatur, datur pro aliquo miniſterio ſpirituali, putà pro aſsiſtentia, vel gubernatione vice proprietarij. Quod ſi tantùm detur cum iure ſucceſsionis: hoc ipſum ſpirituale eſt.

Tertiò dico. Emere, aut vendere commendas, quæ titulo ſeculari cõferuntur, v.g. ius decimarum, quod in multis locis, præcipuè in ditione Hiſpanica datur profeſſoribus ordinum militarium, vel ad præmiandum anteacta præclara geſta, vel vt militando defendant Regnum ab infidelibus; non eſt ſimonia. Patet, quia titulus iſtas cõmendas poſsidendi merè temporalis eſt: quare nihil in eis ſpirituale, aut ſpirituali annexum reperitur. Ita Victoria in citata relectione num.45. & D. Thomæ diſcipuli omnes circa hunc articulum. Sed contra aſſertum hoc arguitur primò: quia commendæ hæ dantur ſolis Religioſis profeſsis in certa Religione militari: at profeſsio quid ſpirituale eſt: ergo annexæ illi debent iudicari; & conſequenter ſi vendantur ſimonia committetur. Secundò: quia iſti Commẽdatarij quandoque habent ius præſentandi in Eccleſijs ſibi commendatis aliquem Clericum regularem ſui ordinis, vt ſit Beneficiatus data congrua ſuſtentatione, & retentis pro ſe decimis. quod ius ſpirituale videtur. Tertiò: quia licèt dentur commẽdæ militibus in ſtipendium militiæ: tamen militia in illis eſt opus ſpirituale; vtpotè ad quod ex voto religioſo tenentur. Vltimò: quia huiuſmodi milites tenentur ad quoddã penſum horarũ recitandarũ, vt vidimus in tractatu de Horis Canonicis: quod opus ſpirituale miniſterium eſt. Ergo annexæ ſunt iſtæ cõmendæ titulo ſpirituali; ac ex conſequenti eas vendere ſimoniacum erit. Ad primum reſpondetur, has commendas non dari propter profeſsionem, tanquam propter titulum: ſed eſſe dumtaxat conditionem ſine qua non, & velut diſpoſitionem neceſſariam ex parte perſonæ, vt ſit capax illius commodi temporalis iuxta Pontificis voluntatem. Ad eum modum, quo ſi Pontifex præciperet talia bona temporalia diſtribui

Victoria.

tribui inter solos Religiosos: non ideò essent annexa titulo spirituali. Ad secundum respondebimus infrà agentes de iure patronatus. Ad tertium quidam credunt, has commendas militares non dari propter militiam gerendam: sed in præmium anteactorum laborum, vel cõmendatariorum, vel suorum maiorum; quod ego non credo: aliàs etiam non profitentibus militiam darentur. Dantur ergo, & præcipuè vt parati sint militare contra Ecclesiæ inimicos, & eam ab inuadentibus defendere. Respõdetur ergo: Opus fieri ex voto, non reddit ita spirituale, vt fiat inuẽdibile: potest quidem vendi consideratum secundum suam temporalitatem, dummodo non æstimetur respectus ille faciendi opus ex voto. Ille enim, vt suprà diximus, pretio æstimabilis non est. Ad vltimum respondetur. Illud horarium pensum precum commendatariorum, qualecunque illud sit, de quo in tractatu de Horis Canonicis, non est titulus commendarum, nec propter illum dantur: sed ratione professionis religiosæ illis imponitur.

Dico quartò. Vendere has commendas illicitum est, nisi autoritate Pontificis id fiat ex rationabili causa, verbi gratia, applicando pretium ad maius bonum commune. Probatur: quia Magistri istorum ordinum militarium, & Reges eorum vices his temporibus habentes, & alij proceres, non sunt domini harum præbendarum; sed dispensatores ex ordinatione Summi Pontificis: qui non dedit illis eas, nec debuit dare, vt pro arbitratu suo eas distraherent, sicut alia bona quorum sunt domini; sed vt iustè dispensarent. Item quia si vendantur, dabuntur indignis, & frustrabitur finis institutionis commendarum: & professores militiæ priuabuntur præmijs sibi aliàs debitis, & distribuendis secundum normam iustitiæ distributiuæ. Non tamen propterea damno omnem impositionem onerum quæ fit à Magistris, vel Vicemagistris ordinum militarium, quando prælatas commendas largiuntur: v. g. dant quandoque cum obligatione eundi ad militandum tot annos contra Maiuros: quia hæc impositio multum iuuat finem.

Ex dictis poteris diffinire quid dicendum sit de venditione hospitalium, id est, officij gubernandi hospitalia, datis certis quibusdam prouentibus: quæ genus quoddam commendarum sunt. Et loquimur de hospitalibus Ecclesiasticis, quæ autoritate Episcopi fundata sunt, & sub illius cura existunt, iuxta cap. *ad hæc.* de religiosis domibus. Nam cætera quæ priuatorum voluntate eriguntur, non censentur Ecclesiastica, licet pia loca dici possunt. Et hæc citra dubium sine vitio simoniæ vẽdi possunt, quia totum quod in eis est, temporale est: etiam ipsa cura subueniendi pauperibus secundum suam æstimationem temporalem, vẽdibilis est. At verò si sermo sit de hospitalibus Ecclesiasticis, eodem modo dicendum est, sicut de commendis dicebamus: scilicèt hospitalia, quæ habent annexam aliquam functionem spiritualem, siue in perpetuũ, siue ad tempus, esse inuendibilia. At vero si tantum habent annexum temporale regimen, cum cura pertinente ad infirmorum medicationem, sicut frequentius contingit: possunt vendi sine simoniæ vitio, stando in solo iure diuino, ac naturali. Ita Abbas in cap. *extirpandæ.* §. quia verò. & cap. 1. de simonia, num. 7. & est communis sententia. An verò vendere istæc hospitalia sit simonia prohibita iure humano? quidam negant, quidam affirmant ex Concilio Calcedonensi, & Vrbano cap. *Saluator.* 1. quæst. 3. vbi prohibetur vendi officium procuratoris. Et explicat Vrbanus, intelligi procuratoris nomine quemlibet Ecclesiasticarum rerum procuratorem: sub quo etiam continetur hospitalarius Xenodochij Ecclesiastici. Ita sentiunt Victoria, & Soto, & alij moderni. Sequitur

Abbas.

Victoria. Sotus.

DISPVTATIO IIII.

An præstimonia vendi possint sine simoniæ vitio?

DE quibus, an sint beneficia proprie loquendo, magna concertatio est inter iuris Interpretes: quibusdam affirmantibus, vt Hostiensis in cap. *postulasti.* de rescriptis: alijs negantibus, vt Ioannes Andreas in cap. vnico de rerum permutatione. in 6. Si placet vide Oged. 2. p. de benef. incompat. cap. 8. num. 12. Nos verò breuius præmittimus, præstimonia esse iura quædam ad portionem aliquam Ecclesiasticorum reddituum, quæ solis Clericis dantur, & perpetua sunt. In quo differunt à pensionibus, quæ etiam laicis conferuntur, & temporariæ ferè semper sunt.

Hostien. Ioan. And.

Ogeda.

Igitur

Igitur dico primò. Præſtimonia nequaquam vendi poſſunt ſine ſimoniæ vitio. Hoc aſſertum efficaciter probatur: quia inualeſcente cupiditate obtinendi beneficia, & auri ſacra fame, vt ait Poëta; ſi vendi poſſent, iam vtique centies vendidiſſent, & emiſſent: quod tamen nemo hucuſque auſus eſt facere, nec Eccleſia id pateretur. Secundò: quia præſtimonia, beneficia Eccleſiaſtica communiter reputantur, vt patet ex Hoſtienſi, & Soto, ac alijs. Tertiò, ex modo conferendi præſtimonia non inepte colligitur, eſſe ſpiritualia, & inuendibilia: ſolùm enim conferuntur ab Eccleſiaſticis Prælatis, & cum ſolemnitate qua cætera beneficia Eccleſiaſtica conferri ſolent. Accedit declaratio Pij V. in Motu proprio citato in primo tomo, agentes de Horis Canonicis: vbi explicat fructus præſtimoniorum eſſe ſpiritualibus annexos. Hoc aſſertum commune eſt, & ab omnibus tenetur. Sed valdè incertum eſt quid ſit illud ſpirituale, ratione cuius annexionis, ius ad fructus præſtimoniorum dicatur, & ſit ſpirituale, ac inuendibile reddatur. Quidam enim cenſent, eſſe inſtituta ad alendos pauperes Clericos in ſtudio, vt poſtea poſsint Eccleſiæ inſeruire. Sed hoc videtur ſine fundamento dici: maximè quia cùm ſtudere, ac ſcientijs vacare non ſit ſpirituale: iura capiendi fructus ei muneri annexa, nullam ſpiritualitatem participarent; ac proinde citra ſimoniam vendi poſſent. Alij cùm videant ſolis Clericis præſtimonia dari, dixerunt non eſſe inſtituta propter aliquam functionem Eccleſiaſticam: ſed eſſe annexa ordini Clericali, ſaltem primæ tonſuræ, quæ etiam ſpiritualis eſt. Hic modus dicendi quibuſdam non placet, dicentibus non deberi fructus ratione ordinis Clericalis: ſed ordinem Clericalem ſolùm ſe habere tanquam conditionem, quam ius prærequirit, vt ſubiectum ſit aptum ad recipiendum temporalia emolumenta præſtimoniorum. Quod non videtur ſufficiens ad conſtituēdam propriam annexionem ad ſpiritualia. Sicut ſi quis inſtitueret certas portiones ad alendos Clericos pauperes in ſtudio, & non alios: non ideo dicerentur illa bona annexa ſpiritualibus, ſi nihil aliud ſpirituale ab eis exigeret. Alij aiunt, hanc annexionem fructuum præſtimonialium fuiſſe, & eſſe ad aliquod miniſterium ſpirituale. Quod non obſcurè inſinuauit D. Thom. in hoc articulo dicens, beneficia eſſe annexa ſpiritualibus, quia non competunt niſi habenti officium Clericale, id eſt, exercenti functionem Clericalem. Sed quod eſt hoc officium Clericale? Recitare officium diuinum: ad quod obligantur præſtimonia obtinentes. Probabilis modus dicendi. Sed fortaſsè certius eſt, præſtimonia eſſe annexa ſpiritualibus, quàm eorum poſſeſſores teneri ad Canonicū officium. Quare ſecundus modus dicendi non diſplicet: ſcilicet annexionem hanc non eſſe ad aliquā functionem, ſed ad Clericalem ſtatum; nimirum factam in honorem eius ſtatus, per quem aſſumuntur Clerici in ſortem, & partem Domini: & hunc ſtatum appellat D. Thomas Clericale officium.

Virgil. *Hoſtien.* *Sotus.* *D. Thom.*

DISPVTATIO V.

An penſiones vendi poßint? quæ licet non ſint propriè beneficia eo quod temporariæ ſunt, & cum morte penſionarij extinguūtur, non mediocrem germanitatem cum beneficijs habent, vt adnotauit Abbas in cap. ad audientiam *2. de reſcriptis.* *Abbas.*

HVius rei materia frequentiſsima eſt, nihilque ea vſitatiùs, præcipuè in ditione Hiſpanica, multis incluſa latebris, multis obſuſa tenebris: & ideò multum negotij faceſsiuit Doctoribus Theologis diſcipulis D. Thomæ, & iuris Interpretibus antiquis, & modernis, quos citat Gigas quæſtione 28. de penſionibus. & etiam de eadem tractat Rebuffus de pacif. poſſeſ. num. 132. & 133. Ludouicus Gomez in reg. de annal. poſſ. quæſt. 21. Couarrubias cap. *cùm in officijs.* de teſtam. num. 6. Ogeda de benef. incompat. in præfat. num. 3. Salzedo in pract. cap. 62. num. 20. Ex Theologis omnes diſcipuli Diui Thomæ circa hunc articulum, Soto lib. 3. de iuſtit. quæſt. 6. art. 2. dubit. penult. & lib. 9. de iuſt. quæſt. 7. Victoria in relectione num. 54. & alij innumeri. Sed en nos quædam prælibamus ante diſputationis deciſionem. Primum eſt, penſionem eſſe ius percipiendi partem fructuum alicuius beneficij, Pontificis autoritate conſignatam. Nam licèt attento ſolo iure diuino poſſent Epiſcopi in ſuis diœceſibus penſiones has conſig-

Gigas. *Rebuffus.* *Lud. Gom.* *Couarr.* *Ogeda.* *Salzedo.* *Sotus.* *Victoria.*

consignare: tamen iure positiuo (cuius mul
ta loca superius allegauimus,& vsus ostendit) reseruata est hæc facultas soli Summo Pontifici. Eius autē autoritate id fieri posse patet capite *ad quæstiones*. de rerum permutat. Quod si aliquando Beneficiarij partem fructuum suorum beneficiorum cuiquam largiantur; non dicuntur imponere pensionem, sed contractum donatiuum facere, qui morte donantis expirat: multo aliter quàm in pensionibus à Pontifice impositis; quæ superstite pensionario, etiam si plures Beneficiati moriantur, ad quemlibet beneficij possessorem deuoluitur. Secundum. Quædam pensiones dantur cum titulo temporali, vt quæ dantur filijs Magnatum, vt indulgeāt literis, vel militiæ vacent; & huiusmodi: quædam titulo, & onere spirituali, vt illę quæ dantur coadiutori Parochi, aut Canonici senis. Hanc diuisionem non admittunt multi ex antiquis Iurisperitis citatis: sed communis est, & colligitur ex Motu proprio Pij V. qui incipit: *Exproximo*, edito anno 1571. distinguentis pensiones, in eas quæ conferuntur omnibus, siue laicis, siue Clericis indiscriminatim: & eas quæ cōferūtur Clericis vt Clerici sunt. Quæ diuisio si benè inspiciatur, eadem est cū illa quæ à nobis posita est. Tertiū. Oportet Summum Pontificem multa attendere quando consignat pensiones has, vt adsint causæ illius consignationis. Itaque non potest pro suo arbitratu pensionem consignare. Quibus deficientibus, consignatio neutiquam valida erit. Probatur. Imponere pensiones super beneficia, est actus potestatis dispensatoriæ: non dominatiuæ. At dispensatio quæ sine causa fit, pro voluntate tantùm dispensatoris, dissipatio est, & facta non tenet; maximè in his quæ sunt iuris diuini: ergo, &c. Causæ autem generales in omni dispensatione, sunt Ecclesiæ vtilitas, & Christi Domini honor: ad quas cæteræ reducuntur, putà paupertas Clerici pensionarij; bonum pacis inter litigantes super beneficij obtentionem; resignatio beneficij in alterius fauorem; vel certè permutatio beneficiorū. De quibus latiùs infrà. Modò dumtaxat aduerte, pensiones quæ autoritate Papæ consignātur filijs Procerum, non esse statim damnandas propter opulentiam eorum; quia ex parte Regum id postulantium iustificantur: qui defendentes gladio temporali Ecclesiam, vt seruitia Magnatum remunerent, ad Pontificem merito recurrunt, vt super

Pius V.

A pinguibus Episcopatibus, aut beneficijs pensiones pro ea remuneratione faciendā imponant. His ita præmissis, ad quæstionem præcipuam per sequentes assertiones respondetur.

Prima assertio. Pensiones quæ consignantur titulo temporali, v. g. pro thesaurario, sacrista, pulsandis campanis, pro paupertate pensionarij, pro studio; ac denique pro alio temporali titulo, possunt vendi sine vitio simoniæ. Probatur satis acutè à Cajetano in opusc. 17. resp. 10. Quoniam etsi Autor hic indistinctè loquatur de pensionibus: exponendus est de his pensionibus propter titulum temporalem, quæ vigebāt tempore suo, & in nostro frequentes sunt datæ: nimirum propter titulum temporalē. Sic illum exponit Sotus lib. 9. de iust. q. 7. art. 2. circa fin. Probatur deinde, nam talis pensio nil omninò continet spirituale, siquidem conceditur indiscriminatim laicis, & Clericis: ergo, &c. Contra hanc assertionem tenet Rebuf. vbi sup. nu. 34. eo quod omnis pensio annexa est beneficio Ecclesiastico: ergo vendi non potest. Respondetur negando antecedens: nam quod fructus pensionis sint assumpti, vel consignati ex fructibus beneficij; non sufficit ad annexionē ministerio spirituali: quin potiùs ab eo separatur, sicut suprà dicebamus. Contra eandem assertionem tenent quidā, putantes, omnem pensionem consignatam Clericis, etiamsi detur propter finem temporalem, v. g. ad sustentationem Clerici pauperis, esse inuendibilē: quia Clericatus, seu prima tōsura titulus est, ratione cuius datur pensio; & titulus iste spiritualis est. Ita Nauar. in Man. c. 23. n. 111. & ait, omnes ita sentire. Sed oppositum verius est, quia illa pensio præcisè datur ad sustentationē Clerici pauperis: Clericatus autem solùm requiritur vt conditio, vel dispositio ex parte subiecti. Sicut eleemosyna quæ fit Clerico, quia Clericus est, non ideò fit spiritualis, vel annexa rei spirituali.

Caietan.

Sotus.

Rebuffus.

Nauarrus.

Secunda assertio. Omnis pensio, quæ titulo spirituali consignatur: neque vendi, nec emi potest sine simonia. Hæc assertio vt iacet certa est, quia huiusmodi pensiones, vel beneficia sunt quando designātur pro quibusdam functionibus Ecclesiasticis exercendis: v. g. quando dantur ad iuuandum Parochum in ministerio parochiali, vel ad canendum in choro, & similibus.

Præcipua dubitatio est de pensionibus,

quæ non quidem dantur in beneficij titulum, ſed pro beneficio, vt adnotauit Abbas cap. *conquerente.* de Clericis non reſident. Hæ autem trifariam imponi poſſunt. Primò: pro beneficio, cui aliquis renuntiat, cùm pacificè illud poſsideat, & poſsit illi commodè inſeruire. Secundò: quando pro beneficio litigioſo, per tranſactionem, & arbitrium iudicis vni datur beneficium, & alteri penſio ſuper illud. Tertiò: quando Parochus ſenex, qui per multos annos Eccleſiæ inſeruiuit, dimittit beneficium, & ei datur penſio ad ſuam ſuſtentationem.

Abbas.

Igitur ſit tertia aſſertio. Quando penſio pro beneficio obtinendo imponitur primo, & ſecũdo modo, vendere, aut emere tales penſiones non eſt ſimonia. Hæc eſt Caietani in 1. tomo opuſc. tractatu vltimo, reſponſione 10. qui vniuerſaliter loquitur de omnibus ſimilibus penſionibus: eſt etiam Soti, & Victoriæ vbi ſuprà. Et probatur: quia huiuſmodi penſiones nihil ſpirituale continent, neque dantur propter aliquid ſupernaturale ſpirituale: ergo. Hæc aſſertio ab aliquibus negatur, quia hæ penſiones dantur vt annexæ ordini Clericali: cuius ſignum eſt (inquiunt) quia ſi penſionarius relinqueret ſtatum Clericalem; eo ipſo penſio vacaret, & beneficio rurſus adiungeretur. Sed iam reſpondimus ſuprà, id tantùm probare, ordinem Clericalem eſſe conditionem ſine qua vult Eccleſia ſubiectum eſſe inhabile ad penſionem eam obtinendam. Quod non ſufficit ad annexionem ad rem ſpiritualem: ſed neceſſarium eſſet eam dari propter titulum ſpiritualem.

Caietan. *Sotus.* *Victoria.*

Quarta aſſertio. Probabile eſt, penſiones tertio modo impoſitas propter ſeruitia ſpiritualia anteacta, vt contingit in penſionibus deſignatis pro Parocho, non poſſe vendi ſine ſimoniæ vitio. Ita ſentit Sotus, & Victoria citati. Et probatur: talis penſio eſt annexa ſpiritualibus dependenter, & conſequenter: ergo inuendibilis eſt ſicut beneficia. Antecedens patet: quia titulus ille ſunt functiones ſpirituales anteactæ. Deinde illa Domini ſententia: *Dignus eſt operarius cibo ſuo*, nimirum propter miniſteria ſpiritualia adducitur à Chriſto Domino: & non tantùm verum habet reſpectu miniſterij præſtandi, verùm etiam reſpectu præſtiti. Neque enim minus ſequitur ex natura miniſterij anteacti ius ad percipiendum ſtipendium, quàm ex natura miniſterij agendi. Confirmatur. Mancipium ſenio confectũ laborare non valens, ex iuſtitia meretur ſuſtentari à hero: ergo. Contra iſtam aſſertionem tenent quidam non improbabiliter: inter quos Suarez libro quarto de ſimonia, cap. 26. circa finem. Fundamentum iſtorum eſt, quia illa penſio non datur vt ſtipendium functionum ſpiritualium iam præſtitarum, neque vt illis annexa: ſed immediatè datur perſonæ tanquam eleemoſyna quædam ex bonis talis beneficij, autoritate Pontificis facta. Quæ eleemoſyna poſtquam facta eſt, & quaſi ſeparata à beneficio, temporale quid eſt: licèt motiuum ad illam erogandam ſpirituale fuerit. Sicut ſi fructus certæ poſſeſsionis Eccleſiæ ad vitam Parochi ſenis, ſeparentur quoad vſumfructum à beneficio, & applicarentur ad ſuſtentationem eius. Probabilis ſententia: ſed fundamentum eſſet probandum. Multo enim aliter exiſtimo rem ſe habere: nam ratio propter quam datur penſio Parocho ſeni ſunt miniſteria anteacta, & hæc coram Pontifice allegantur. Secùs ſi ad ſuſtentationem tantùm exigeretur penſio, ſicut poſſet exigi pro ſeculari indigente.

Suarez.

Sed quid dicendum de redimendis penſionibus? Redimere penſiones tunc quis dicitur, quando Beneficiatus ex cuius beneficij fructibus penſionarius percipit certam annuam penſionem, dat penſionario certam ſummam; vt ſe exoneret ab obligatione quotannis dandi partem illi conſignatam. Differt autem hæc redemptio inter alia, à venditione: nam quando venditur penſio, vendens tranſfert in alterum, ius quod ad penſionem habebat. At verò quando redimitur; continuò ius illud extinguitur, & portio aſsignata pro penſione beneficio adiungitur: quod in eodem ſtatu manet, in quo ante penſionem impoſitam extiterat. Igitur modò dubitatur, an, & quando liceat penſionem redimere?

Quinta aſſertio. Quando penſio eſt vẽdibilis, etiam redimibilis eſt ſine ſimoniæ vitio. Hæc patet; quia nihil eſt in huiuſmodi penſionibus ſpirituale: ergo in earum venditione, aut redemptione, nulla ſimoniæ vmbra apparere poteſt. Sexta aſſertio. Si quæ penſiones ſint inuendibiles, vt illæ, de quibus in quarta aſſertione, poſſunt redimi, etiam non præhabita Summi Pontificis licentia. Si verò inuendibiles

ſint

ſint ratione alicuius functionis ſpiritualis annexæ: non poſſunt redimi: verbi gratia coadiutoriæ, & aliæ de quibus infra latius. Prima pars tenetur a Caietano, & alijs: & intelligenda eſt ſtando in ſolo iure diuino, & humano antiquo: nam de poſitiuo, & nouo iure poſtea dicemus. Et probatur. Quando redimitur penſio, non commutatur ſpirituale pro temporali, ſed extinguitur quid temporale: ergo nulla eſt ibi malitia ſimoniæ. Secunda pars aſſertionis probatur: quia illæ penſiones ſunt annexæ functionibus ſpiritualibus, in quo valde aſsimilantur beneficijs: ergo niſi Pontifex ſeparet eas ab illis functionibus, non poſſunt extingui pretio dato: quia daretur pro extinctione rei ſpiritualis, quod eſt contra reuerentiam ei debitam. Item, quia nemo priuata autoritate poteſt iſthæc ſeparare, vt ſupra de beneficijs docuimus.

Contra primam partem aſſertionis tenet Nauarrus conſ. 66. & 93. de ſimonia. & *Nauarrus.* in Manuali capite 23. numero 111. probat, quia nulla penſio poteſt conſtitui ſine autoritate Pontificis: ergo nec deſtrui, ſeu tolli, nam oppoſitorum eadem eſt ratio: & quia eadem concurrere debent ad deſtructionem, quæ ad conſtructionem, capite 2. de regulis iuris. Secundò, quia penſio emi non poteſt: ergo nec redimi: nam contrariorum (ait) eadem eſt diſciplina. Tertiò. Penſio eſt quid annexum ſpirituali: ergo ſicut emi non poteſt, nec redimi. Ad primam obiectionem Nauarri reſpondetur negando conſequentiam, quando id quod cõſtruitur dumtaxat fauor eſt priuatæ perſonæ. Illa namque poteſt cedere iuri ſuo, inſtar priuilegij quod nequit haberi ſine autoritate ſuperioris: poteſt autem deſtrui voluntate priuata priuilegiati renũtiãtis. Confimatur, quia penſiones illæ poſſunt gratis remitti, & ſic deſtrui ſine autotitate Papæ, vt ipſe Nauarrus admittit. Ad alias duas obiectiones negandum eſt antecedens, ex doctrina præhabita.

Contra tertiam aſſertionem & ſextam arguitur: nam ex eis ſequitur, quod ſit licitũ vendere beneficium Eccleſiaſticum. Probatur ſequela. Licitum eſt reſignare beneficium retenta penſione, vt dictum eſt. Rurſus, licet eam penſionem, vt dicitur in hac aſſertione, pretio emere: ergo licet beneficium ipſum eo pretio vẽdere. Explicatur res hæc. Qui reſignat beneficium poteſt ſibi retinere penſionem, verbi gratia viginti aureorum ſingulis annis ſoluendam. Poteſt rurſus penſionem iſtam viginti aureorum, vendere quadringentis aureis. Ergo poterit à principio cùm reſignat beneficium, ambos contractus & pacta facere cũ eo, in cuius fauorem reſignat: ita vt reddat ei illos quadringentos aureos, & ipſe conferat ei beneficium. Caietanus in citata reſponſione 10. aſſerit, quemlibet contractum iſtorum ſeorſum eſſe licitũ: & ambos coniunctos ſimul celebrari non poſſe citra ſimoniæ vitium. Pari tenore loquutus fuerat de alijs ſimilibus contractibus in materia de vſura. At verò contraria ſententia mihi valde probabilis apparet, quam ſuſcipit & tuetur Sotus in alleg. articulo 2. quæſtione 7. quã antea defenderat Maior in 4. diſtinctione 25. quæſtione 2. ad ſecundum: addit tamen non eſſe hoc modo contrahendi vtendum, propter ſpeciem mali, & propter periculum quòd recipiens beneficium moriatur, ante quàm ſummam illã ex fructibus beneficij percipiat. Et Adrinus quodl. 9. ad 9. idem docet. Et probatur, quia cùm illi duo contractus ſeorſum ſine ſimonia effici poſsint; non eſt cur coniuncti damnentur, cùm moraliter loquendo parum referat quòd temporibus diſtinctis, vel ſimul fiant, interueniente Summi Pontificis autoritate: ſic enim volumus eſſe intellectam noſtram ſententiam. Et confirmatur: nam officia Camarlengi, & Auditoris, quæ certè ſi non ſunt beneficia, ſunt tamen officia annexa functionibus Eccleſiaſticis; & tamen quandoque dicuntur vendi iuxta vulgi vocem: re vera tamen modo præfato conferuntur à Pontifice, videlicet virtualiter & tacitè, ſeparando pro ſe ex emolumentis certam penſionem, & ſimul dando officia illa, & petendo vt officiales illi emant illam penſionem. Sed adhuc non videtur animus quieſcere: nam huiuſmodi contractus ſimul iuncti, non videntur alieni à vẽditione beneficij, vel officij ſpiritualis: quia licèt penſio poſsit imponi, & voluntariè redimi; tamen cogere Beneficiatum vt pẽſionẽ acceptet, & ſimul eam redimat, totumq; valorẽ ſimul conferat; ad contractum oneroſum ſpectat: quem in bonis Eccleſiaſticis diſpenſandis, ad venditionem eſſe reducendum ſuperius docuimus. Reſp. igitur, in eo cõtractu vel contractibus non interuenire propriam beneficij venditionem; ſed dumtaxat eſſe impoſitionem cuiuſdam oneris temporalis: quam Pontifex in beneficio facere poteſt ſimul

Sotus. Maior.

Adrian.

cum redemptione eius antecedente. Quæ redemptio licèt venditio sit, non est venditio rei spiritualis, vt constat; neque est venditio rei temporalis annexæ rei spirituali, quia illud onus non est per se annexum titulo beneficij: imò per impositionem talis oneris, intelligitur separari pars reddituum à titulo beneficij. Nec obstat obiectio facta, quòd Pontifex nollet conferre beneficium, nisi volenti statim redimere pensionem. Quia cùm ibi sint duo contractus, datio scilicet, & acceptio beneficij, & virtualis impositio, ac redemptio pensionis; vnum non miscetur cum alio, etiamsi simul fiant: & prior datio gratuita manet, etiamsi Papa nollet illam gratiam facere, nisi volenti acceptare redemptionem pensionis. Declaratur hoc à simili. Si Ioānes nollet mutuare Paulo pecuniam, nisi Paulus sibi vendere velit triticum; non est vsurarius, dummodò non exigat obligationem in futurum, sed tantùm actum præsentis venditionis pro iusto pretio. Tunc enim non exigit pro mutuo aliquid pretio æstimabile; quia vendere rem iusto pretio, non est res pretio æstimabilis nouo, & speciali pretio, magis quàm mutuum: sed solùm est concomitantia duorum contractuum, vel actionum, quas potest quis simul velle facere, non vnam sine alia; sicut potest quis velle mutuare triticum alteri, si ipse mutuet vinum, & non aliàs, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 78. articulo 2. ad quartum. Ita dicimus in præsenti: licèt beneficium non detur sine redemptione temporalis oneris; non ideò venditur beneficium, sed gratis datur simulque venditur temporale emolumentum, iam quodammodò separatum ab illo officio, vel beneficio ex voluntate Pontificis, qui potest illa separare, & onus imponere. Ad illud verò quod formidat Maior de incōmodo quod potest euenire Beneficiato; fatemur, propter illud sic celebrandos esse hos contractus, vt exactio nō sit nimia: quod etiam seruandum est in omni redemptione pensionis. Quòd si æquitas attento periculo seruetur, non est cur formidetur periculum venditionis. Concedimus etiam Maiori, hunc contractum in beneficijs non vacare suspicione venditionis: & ideò ingeneraret aliquod scādalum, & via aperiretur ad magna mala. Quare licèt in rigore simonia non sit: tamen opere vitandus esset. Quapropter Pontifices Summi nunquam eo vsi sunt in beneficiorum prouisione: sed tantùm in quorundam officiorum, quasi sibi propriorum, vt dictum est.

D. Thom.

Demum circa istas assertiones aduertendum, verum habere etiam circa pensiones iniustas, vel illicitas, sed validas. Nam peccatum dispensantis neque facit rem venalem, vel non venalem: sed ex natura rei id pensandum est; secus si tanta fuerit iniustitia, vt reddiderit pensionem inualidam. Nam tunc, cuiuluis conditionis sit pensio, licitum est soluenti eam redimere: quia nō pensionem veram, sed suam vexationem redimit. Ille verò qui pretium recipit; vel erit simoniacus ex conscientia erronea, si putet pensionem inuendibilem esse validam: vel erit iniustus accipiendo pretium, si cognoscat fuisse inualidam. Rursus circa easdem assertiones aduertendum, eas esse intelligendas stando in iure diuino; & considerato iure antiquo ante Pium Quintum, vt dicemus.

Sed quid dicendum de iure positiuo, erga pensiones, quas diximus esse inuendibiles propter annexionem ad aliquid spirituale? Non est potestas humana, quæ possit eas vendibiles efficere, cùm id sit prohibitum iure diuino, in quo neq; Summus Pontifex dispensare potest. At pensiones, quas esse vendibiles asseruimus, potest prohibere ius humanum ne vendantur: & tunc eæ venditiones erunt simoniacæ, quia prohibitæ. Non autem memini me inuenisse talem expressam prohibitionem. Quare standum est stylo Romanæ Curiæ: scisciandusq; est à Curialibus doctis, & probis: stylus namque ille vel declarat naturalem malitiā, vel Ecclesiæ prohibitionem in pensionibus emēdis, vel redimendis: habet enim vim ad obligandum, vt seruetur, vt ait Nauarrus consi. 63. de simonia, ex capite *ex literis*. de constitut. & ibi notatis. Sed en ex aduerso prodit Motus proprius Pij Quinti citatus, qui obligat omnes pensionarios habentes pensiones, vt Clerici sunt, quacunque de causa pensiones illis consignentur, ad recitandum Officium paruum Beatæ Virginis, vt in tractata de Horis Canonicis vidimus. Ergo omnes tales pensiones, licèt beneficia non sint, sunt tamen annexæ spirituali muneri: ac proinde inuendibiles sunt, sicut beneficia. Nec satisfaciet qui dixerit, hoc esse de institutione iuris humani: ac proinde ad summū probari, esse simoniacū tantùm cōtra ius humanū omnes pensiones Clericales vendere. Quia licèt hæc obligatio recitandi

Nauar.

offi-

officium quotidianum Beatæ Virginis, & annexio penſionum ad illud, ſit tantùm de iure humano: tamen ea inſtitutione ſuppoſita, res ſit ſua natura inuendibilis, ſicut diximus de beneficijs. Igitur reſpondetur, noſtras aſſertiones proceſsiſſe conſiderato dumtaxat iure antiquo: tùm vt diſſolueremus concertationes Doctorum antiquorum ante Pium Quintum: tùm vt eſſet doctrina vniuerſalior apud omnes Chriſtianos: etenim conſtitutio illa Pij Quinti nõ eſt acceptata apud omnia Regna. Fateor in Hiſpania obedientiſsima mandatis Pontificum, eius obligatio viget: nec eſt per contrariam conſuetudinem abrogata, quia de tali conſuetudine non conſtat, quin potiùs ab omnibus viris probis ſeruatur. Nec eſt tacitus conſenſus Papæ eam diſſuetudinem tolerans. Quare apud Hiſpanos omnes penſiones Clericales, quacunq; de cauſa conſignentur, exiſtimo eſſe inuendibiles, & irredimibiles ex iure diuino: niſi ex Bulla Pontificis conſtaret, non dari cum annexione ad aliquam functionem ſpiritualem. Hæc dicta ſint de annexis conſequenter, & dependenter ab ſpiritualibus, qualia ſunt beneficia, & quæ beneficiorum ſimilitudinem, & proportionem aliquam ſeruant. Supereſt diſſerere de quibuſdam annexis antecedenter, quæ Diuus Thomas enumerat in ſolutione ad tertium huius articuli. Sit ergo

DISPVTATIO VI.

An ius patronatus ſit inuendibile; & conſequenter materia ſimoniæ?

NON agimus in præſentiarum de iure patronatus in iure Ciuili introductum: ſed de iure patronatus Canonico, ab Eccleſia inſtituto ad remunerandum eos, qui aliquam Eccleſiam fundarunt, dato fundo pro eius erectione; vel conſtruxerunt ſuis expenſis, vel dotarunt. Conueniunt autem patronis ex vi iſtius iuris aliquot fauores ab Eccleſia conceſsi: de quibus habentur integri tituli, & Rubricæ in Decretalibus, & Sexto, & in Decreto, & alibi ſparſim. Hoc autem ius, vt refert Gloſſa in cap. *piæ mentis*. tripliciter conſideratur: vt eſt honorificum, vtile, & oneroſum. Honorificum quidem; propter honores exhibendos patrono, præcipuè locum honorificum præ cæteris in Eccleſia, cuius eſt patronus. Oneroſum etiam dicitur, quia ad patronum ſpectat defendere ſuam Eccleſiam, ne bona eius dilapidentur: cum limitationibus tamen, de quibus in capite *filijs*. 16. quæſtione ſeptima. Dicitur item ius vtile: quia ſi patronus ad paupertatem deueniat, & Eccleſia abundet; debet patrono ſuo potius quàm alijs ſubuenire, capite *quicunque*. cum ſequentibus. Sed noſtra diſputatio de inuendibilitate iuris iſtius, non procedit ſecundum has præciſè conſiderationes, & reſpectus, qui certè temporales ſunt, & per ſe non habent connexionem cum re ſpirituali. Nam licèt ex actu religionis, vel pietatis, qualis eſt ædificare, vel dotare Eccleſiam, dimanent: illa non eſt annexio ad ſpirituale; nec repugnat ex ſpirituali reſultare aliquid temporale, ſicut in decimarum fructibus apparet. Et licèt Eccleſia ad hos reſpectus aſpexerit, quando ius iſtud inſtituit: non tamen voluit illis hos fauores annectere. Vnde & omnes Doctores, ius patronatus ſub hac conſideratione, ſi aliud non inueniretur in eo, poſſe vendi ſine ſimoniæ vitio concedunt. Idem dicendum eſt de quibuſdam iuribus, quæ patronatus appellantur, vt ad ſubueniendum fœminis nubilibus, ad redimendum captiuos: quæ licèt ad opera pia ordinentur, neque ex principio, neque ex actu ſpiritualia dicuntur: vnde citra ſimoniæ vitium vendi poſſent. Igitur quæſtio propoſita procedit de iure patronatus, quatenus Eccleſia conceſſit Patronis ius præſentãdi ad beneficia ſuæ Eccleſiç. Et videtur hoc eſſe vendibile. Primò: quia quamuis ab Eccleſia fuerit inſtitutum, eſt tamen temporale: ac conſequenter non eſt materia ſimoniæ. Antecedens patet: quia ius hoc commune eſt laicis, qui non ſunt capaces ſpiritualium iurium. Secundò: quia transfertur ad hæredes iure ſanguinis. At ſpiritualia non tranſeunt iure hæreditario, vt patet in beneficijs. Tertiò: quia nullum effectum ſpiritualem inducit. Etenim ex hoc quod aliquis ad beneficium præſentetur à patrono, non habet ius ad illud: ſed dumtaxat quaſi applicatur materia circa quam Prælatus Eccleſiæ operetur.

Gloſſa.

Prima aſſertio certiſsima. Vendere ius patronatus ſimonia eſt, ſaltem iure Eccleſiaſtico vetita. Probatur ex capite. *de iure.*

extra de iure patronatus, vbi expreſsè id prohibetur. Et in capite *præterea.* ſecundo. eodem titulo, eadem prohibitio habetur: vbi ſub nomine aduocati, Gloſſa patronum intelligit. Et in cap. *quia Clerici.* ſub nomine aduocatiæ, ius patronatus intelligit eadem Gloſſa, & Ioannes Andreas. *Gloſſa. Ioan. And.* Sed ſcitu dignum eſt, an præfata prohibitio vendendi ius patronatus ſit ex iure diuino, & iure poſitiuo confirmata? An verò ſit ex ſolo poſitiuo humano iure? Quod pendet ex alia dubitatione, an ius patronatus ſecundùm ſe conſideratum ſit ſpirituale? an temporale? Nam ſi ſpirituale eſt; ex natura rei inuendibile eſt. Si verò temporale; natura ſua, ſecluſa prohibitione poſitiui iuris, erit vendibile: licèt prohibeatur eius venditio poſitiuo, & humano iure. De qua re duas reperio ſententias è regione oppoſitas Iuriſperitorum: nam apud antiquos Theologos non inuenio aliquid expreſsè de hac re deciſum. Prima ſententia eſt, ius patronatus eſſe ſpirituale. Ita ſentiunt Antonius de Butrio, & Andreas Barba. in capite *quanto.* & in Rubrica de iudicijs. & Gloſſa in capite *piæ mentis.* 16. quæſtione ſeptima. Vbi quamuis dicat, eſſe partim ſpirituale, partim temporale: tamen ſi attentè legatur, potiùs videtur inclinare vt faueat eſſe ſpirituale. Secunda ſententia aſſerit, eſſe temporale ſecundum ſe ſpectatum: & ſolùm propter annexionem reputari ſpirituale. Ita Abbas, Decius, & alij dicto capite *quanto.* & rubrica de iudicijs, & in capite *iure.* citato: quos multi ſequuntur.

Anton. de Butrio. And. Barb. Gloſſa.

Abbas. Decius.

Secunda aſſertio ſit. Prima ſententia probabilis eſt: & conſequenter, attento iure diuino ius patronatus inuendibile eſt. Probatur. Ius patronatus procedit à poteſtate Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, quia ab ea inſtitutum eſt; & obiectum, id eſt finis illius ſpiritualis eſt, nam eſt obtinere beneficium Eccleſiaſticum, & poteſtatem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ: actus etiam ſpiritualis eſt, nempè præſentatio ad beneficium ſpirituale; per quam non vtcunque applicatur materia, ſeu ſubiectum, ſed etiam quodammodò fit proximè capax inſtitutionis ad beneficium. In cuius probationem facit, quòd ſi perſona ſit idonea, & digna, neceſſariò inſtituenda ſit, iuxta capitulum *ſignificaſti.* cap. ſuggeſtum. cum ſimilibus. de iure patronatus. Et ſi inſtitutio ſine prævia præſentatione fiat; irrita fit, iuxta capitulum *illud.* eodem. Ergo præſentatio licèt non conferat propriùm ius, vt Iuriſperiti docent in capite *quanto.* nihilominus confert quaſi moralem capacitatem ſpiritualem, quia ad finem ſpiritualem ordinatur, & à principio ſpirituali dimanat. Confirmatur. Ius eligendi ad prælationem Eccleſiaſticam, imò & confirmandi electionem, etiamſi contingat eſſe in laico, vt olim fortaſsè permiſſum eſt, vt habetur in Decretis diſtinctione 63. ſpirituale eſt: cuius ſpiritualitas probatur ex principio, obiecto, & actu. Ergo idem erit de iure præſentandi. Secundò. Ius hoc non habet vllam æſtimationem, vel valorem, niſi ratione beneficij, ad quod refertur, vt patet: ergo ſi vt tale eſt vendatur; beneficia virtualiter venduntur, ſaltem vt dantia valorem iuri patronatus: quod eſt apertum ſignum, ius patronatus eſſe natura ſua ſpirituale, & inuendibile. Confirmatur: quia ſi Calix vt conſecratus eſt vendatur, ſimonia eſt contra ius diuinum: ergo idem dicendum de iure patronatus. Nec ſat eſt dicere: ſicut Calix conſecratus per ſe ſpectatus, non habita conſideratione ad conſecrationem, eſt temporalis, & vendibilis; ita ius patronatus: quia Calix ſecundùm ſe ſpectatus, antecedenter, & ſeparabiliter fuit annexus conſecrationi: at ius patronatus habet annexionem intrinſecam naturalem, & inſeparabilem à tali iure: quia totum ſuum eſſe habet in ordine ad beneficia; & inde habet totam ſuam æſtimationem, & valorem. Vnde hoc ipſo quod ab Eccleſia inſtituitur, niſi deſtruatur, annexus eſt inſeparabiliter beneficio.

Tertia aſſertio. Probabilior mihi apparet ſecunda ſententia, aſſerens ius patronatus eſſe ſecundùm ſe quid temporale, & vendibile: prohibitum tamen vendi ab Eccleſia intuitu Religionis, vt vidimus in prima aſſertione. Probatur hæc ſententia ex Diuo Thoma in hac ſolutione ad tertium, qui collocat illud inter annexa antecedenter: quæ eſſe aliquo modo vendibilia, id eſt, ſecundùm ſe ſpectata, affirmat. Autores primæ ſententiæ aiunt, ius patronatus licèt ſit ſecundùm ſe ſpirituale, eſſe tamen annexum antecedenter alteri ſpirituali, ſcilicet beneficio. Quando autem Diuus Thomas ait, antecedenter annexa ſpirituali eſſe aliquo modo vendibilia; loquitur de temporalibus

D. Thom.

ralibus, quæ ſunt annexa ſpiritualibus quale non eſt ius patronatus, ſed eſt merè ſpirituale. Gloſſa certè non eſt ad mentem D. Thomæ: tum quia in hoc articulo quarto tantùm verſat dubitationem de tēporalibus, quæ aliquo modo efficiuntur ſpiritualia per annexionem ad ſpiritualia; non verò de ijs quæ ſecundùm ſe ſpiritualia ſunt, de quibus diſſeruerat in articulo præcedenti: tractans ſcilicet de actibus ſpiritualibus, conſequenter tractat de omni re ſecundùm ſe ſpirituali. Tum, quia abſolutè in articulo ponit diſcrimen inter annexa ſpiritualibus antecedenter, & conſequenter; quòd hæc nullo modo vendi poſſunt, quia abſolutè ſpiritualia ſunt: illa verò ſunt aliquo modo vendibilia, videlicet ſecundùm ſe ſpectata. At idem ſanctus Doctor ius patronatus inter annexa antecedenter reponit: de quibus iuxta eius mentem verificari debet, eſſe aliquo modo vendibilia, & conſequenter temporalia; aliàs nullo modo vendibilia eſſent. Probatur etiam: quia in dicto capite *de iure*, vbi prohibetur vendi ius patronatus, ratio prohibitionis deſignatur: quia ius patronatus eſt ſpiritualibus annexum. In iure autem ſpiritualibus annexa non dicuntur ea, quæ ſecundùm ſe ſpiritualia ſunt, vt patet ex capite *quæſitum*. de rerum permutatione, cap. primo. de tranſactionibus, capite *querelam*. de ſimonia. Secundò. Ius patronatus licèt ab Eccleſia originem duxerit; laicis tamen ac Clericis commune eſt: ergo temporale eſt: laici enim non ſunt capaces ſpiritualium iurium, vt ſupra agentes de decimis docuimus; ac conſequenter ſuapte natura non eſt inuendibile. Tertiò. Tranſit ad hæredes iure ſanguinis, vt colligitur capite *ex nobis* de iure patronatus. iunctis capite *quicumque*. & capite *filijs*. 16. quæſtione ſeptima. Sed ſpiritualia non acquiruntur iure hęreditario: ergo. Quartò. Illud ius tantùm videtur quidam humanus fauor, propter beneficia collata Eccleſiæ: etenim nullum ſpiritualem fructum vel effectum habet. Sed per præſentationem ad beneficia, nullum ius ſpirituale confertur: ſed dumtaxat applicatur materia circa quam Eccleſiæ Prælatus operetur: ergo.

Sed quia hanc ſententiam putamus probabiliorem; ſupereſt ad argumenta primæ ſententiæ reſpondere: ex qua reſponſione hæc ſecunda ſententia confirmabitur. Ad primum reſpondetur. Eccleſia in inſtituendo iure patronatus, non

A ſe habuit vt exercens iuriſdictionis ſpiritualis poteſtatem: ſed vt exercens poteſtatem politicam gubernatiuam, qua pollet, non minùs quàm quælibet perfecta Reſpublica, ad fauoribus proſequendum de ſuo gremio benemeritos. Vnus autem fauor inter alios eſt ius præſentandi ad beneficia: cuius principium & origo non eſt iuriſdictio Eccleſiaſtica vt ſic, ſed poteſtas politica, quæ etiam eminenter eſt in Eccleſia. Itaque principium huius fauoris licèt ſit aliquid incorporale; non eſt tamen ſpirituale pertinens ad ordinem gratiæ, ſed temporale ad ordinem natu-
B ræ ſpectans. Non enim Eccleſia in omni inſtitutione iurium vtitur ſua iuriſdictione ſpirituali: ſed quandoque poteſtate politica gubernatiua, vt clarè apparet in iure patronatus quoad illas tres rationes, iuxta quas diximus conſiderari vt honorificum, vtile, ac oneroſum. Pariformiter dicimus, actum iuris patronatus, putà præſentationem ad beneficia, eſſe quid temporale ſecluſo poſitiuo iure. Nec confert vllum ius ad beneficium, nec vllam capacitatem; ſed dumtaxat ex inſtitutione Eccleſiæ conceditur patrono præ-
C parare materiam, ſeu ſubiectum ad beneficium, & apponere conditionem, vt ſi illa præſentatio non præcedat, irrita ſit beneficij collatio: ſicut poſſet efficere in electione œconomi Eccleſiaſtici, aut aduocati; quæ officia ſecundùm ſe ſpectata temporalia ſunt, & vendibilia, licèt de iure humano inuendibilia ſint. Et ſi obijcias, obiectum huius patronatus eſſe ſpirituale, putà beneficium Eccleſiaſticum: ergo & ipſum ius. Negatur conſequentia. Inſtantia eſt in multis iuribus quæ patronatus dicuntur, inſtituta ad pia opera: ad collocandum in matrimonio virgines nubiles; ad redimendos captiuos; imo ad eligendos
D Capellanos in capellanijs, quæ non pertinent ad confirmationem Epiſcoporum. Quæ omnia habent pro obiecto res ſpirituales: & tamen neque ſpiritualia ſunt, neque inuendibilia: imò neq; propriè iura Eccleſiaſtica, ex omnium Doctorum ſententia. Ad cõfirma. reſp. Benè poſſet Eccleſia laico, propter egregia merita erga Eccleſiam conferre hãc gratiam & fauorẽ, vt quẽcũq; eligeret, aut nominaret dignũ beneficio, eſſet Beneficiatus, nulla expectata collatione Epiſcopi: hucuſq; tamen credo nõ feciſſe: imò tales cõſuetudines execrata eſt, vt patet in Decreti ſloco citato. Sed hoc admiſſo

illud ius eligendi, fauor eſſet temporalis, nec vllum effectum ſpiritualem circa electum operaretur: quia nominatio eſſet à laico, poteſtas verò ſpiritualis Beneficiati eſſet ab Eccleſia, vel à Summo Pontifice illum fauorem concedente. Quare illud ius non diceretur propriè eligendi perfectè, dando poteſtatem ſpiritualem: ſed eſſet potiùs ius nominandi Beneficiatum, ſtrictiori modo quàm nunc fit per ius patronatus. Secundò reſpondetur negando conſequentiam: quia per electionem confertur electo beneficium, & multa ſpiritualia in ipſo contenta; ſecùs per præſentationem. Ad ſecundum negatur conſequentia: quia ius patronatus non venditur vt principium obtinendi beneficium, ſicut collatio Epiſcopi; ſed vt præparans materiam circa quam operetur Epiſcopus. Et in hoc ſenſu intelligitur ſumere ſuum valorem à beneficio: ſed hoc nō ſatis eſt vt colligatur, quòd vendito illo iure, venduntur beneficia. Ad confirmationem negatur cōſequentia, quia Calix conſecratus, per conſecrationem fit ſpiritualis. Quare ſi vt ſic vendatur, venditur eius ſpiritualitas. At ius patronatus, per annexionem ad beneficium non fit ſpirituale. Quin potiùs illa annexio, licèt ſit magis inſeparabilis quàm in Calice, eſt tamen minor annexio: quia dumtaxat dicitur annecti beneficio, quia dicit ordinem ad illud vt præparans materiam obtinendi, vt adnotauit Sylueſter verbo *ius patronatus*. quæſtione 5. dicto 1. Hinc patet ad replicam: quia talis qualis eſt annexio iuris patronatus ad beneficia, eſt inſeparabilior; ſed minor annexio. Quare negatur conſequētia, quæ fit à vēditione Calicis, ad venditionem iuris patronatus, quod & eſt temporale ſecundùm ſe ſpectatum, & annexum rei ſpirituali annexione quadam imperfecta, ſed inſeparabili; & tamen vendi non poteſt propter Eccleſiæ prohibitionem.

Sylueſt.

Quarta aſſertio. Quamuis ius patronatus vendi nequeat: poteſt tamen tranſire cum re vendita cui alligatur; dummodò ratione illius res non vendatur carius. Prima pars eſt Diui Thomæ in hac ſolutione ad tertium, & communiter aſſeritur à Theologis, & Iuriſperitis: habeturque expreſsè in cap. *ex literis*. cap. *cùm Jaculum*. de iure patronatus. Deinde probatur ratione ſumpta ex eiſdem iuribus. Quia ſicut ius Canonicum potuit conferre patrono ius præſentandi: ita potuit largiri illud non ſolùm pro perſona eius, ſed etiam pro ſuis hæredibus, vel ſucceſſoribus, vel alijs quibus patronus voluerit hanc gratiam impartiri. Item potuit concedere, vt hoc ius ita connectatur, vel quaſi affigatur alicui fundo, vel rei temporali, vt ſi hæc vendatur, cum illa tranſeat: ſicut vendito Calice non venditur conſecratio, etiamſi cum illo tranſuehatur. Secunda pars, quæ eſt limitatio præcedentis, nota eſt; ſiue teneas ius patronatus ſecundùm ſe conſideratum eſſe ſpirituale, ſiue temporale. Ex qua limitatione infertur, in nullo humano contractu, vel ſolutione, aut compenſatione rei temporalis, haberi poſſe rationem iuris patronatus, nam eo ipſo venderetur. Verbi gratia: non licet habenti ius patronatus, illud in ſolutionem debiti temporalis dare: nec poteſt vnus hæres alteri ius patronatus cedere, in compenſationem maioris portionis quàm accipit: nec poteſt dari in feudum, vel alio oneroſo contractu diſtrahere, vt latè Abbas in capite *querimoniam*. & capite *ex literis*. ſecundo. de iure patronatus. Item aliqui inferunt, & benè, ac ſauet Nauarrus conſilio 12. de ſimonia. committi hoc vitium, ſi in caſu litigioſo præſentaret aliquem ad beneficium qui ſe eſſe patronum contendit, ſub conditione vt ſuis expenſis litiget, & probet ius præſentandi pertinere ad præſentantem: quia tunc præſentatio venditur pro illis expenſis. Ratio eſt, quia plus exigitur pro obligatione à præſentato, quàm ipſe facere tenetur. At verò ſi conditio tantùm ſit, vt niſi præſentatus intra tempus à iure ſtatutum ſuam præſentationem proſequatur; præſentans ſuo iure vti poſsit ad præſentandum alium, vel agere quod ſibi fuerit opportunum: nulla committeretur ſimonia: quia tunc nullum onus, nullāve obligatio imponitur præſentato, præter eam, quæ iure ineſt. Vnde non cogitur litigare abſolutè, ſed ſub conditione, ſi velit ſuam præſentationem firmam retinere. Nec obligatur ad probandum ius præſentantis, nec ad litigandum pro illo; ſed pro ſe, & pro iure ſuo, ſi voluerit illud obtinere. Quod verò inde poſſit indirectè commodum redundare in præſentantem, ſi præſentatus volens proſequi præſentationem, litem vincat; non facit præſentationem eſſe ſimoniacam: cùm id non obſtet gratuitæ præſentationi, vt patet.

Abbas.

Nauarrus.

D. Thom.

Ex præfata aſſertione, & eius probatione

tione colligitur, ius patronatus non poſſe à patrono in alium transferri, niſi modo & caſibus à iure expreſsis, vt habetur ex communi regula Iuriſperitorum: laicos videlicet, in ſpiritualibus non poſſe niſi quod eis conceſſum eſt à Canonico iure, vt ait *Abbas.* Abbas in cap. *quanto.* de conſuetud. Et ratione etiam probatur: quia hæc poteſtas transferendi ius patronatus non conuenit ex natura rei, quia in his rebus non eſt alia natura, niſi quam ius Canonicum eis præſcribit: & idem ius iubet, vt priuata autoritate non transferantur, ſed dumtaxat certis modis ab Eccleſia præſcriptis: ergo patronus non valet excedere eiuſdem Eccleſiæ diſpoſitionem circa hæc. *Gloſſa.* Iſti autem modi triplices ſunt, vt notat Gloſſa in cap. *cum ſæculum.* de iure patronatus. videlicet iure hæreditario, donatione, & cum re vendita. Primus modus eſt iure hæreditario: & extenditur non ſolùm ad hæredes neceſſarios, ſed etiam advoluntarios, quamuis non ſint conſanguinei: quia ius abſolutè loquitur; & vbi ius non diſtinguit; nec nos diſtinguere debemus, vt notat Gloſſa per textum in Clement. 2. de iure patronatus, *Ioannes Andreas.* & Ioannes Andreas in cap. *cum ſæculum.* in quo differt ius patronatus præſentandi ad beneficia, à iure patronatus quoad honorē humanum, defenſionem, & vtilitatem temporalem: de quo Gloſſa in cap. *piæ mentis.* citato. Nam hoc non eſt transferibile ad alios, niſi iure ſanguinis: illud verò etiam ad extraneos. Secundus modus eſt per liberalem donationem. Ita in cap. *cura.* de iure patronatus, an verò ad hanc tranſlationē per donationem ſit neceſſarium autoritatem Epiſcopi interuenire? dubitant Iuriſperiti: & conueniunt, non eſſe neceſſarium vt fiat tranſlatio in locum religioſum, quia ita clarè habetur in cap. vnico de iure patronatus. in 6. & cap. *nullus.* & cap. *ex infinuatione.* & cap. *illud.* & cap. *vni.* eod. in 6. Colligunt autem Iuriſperiti ex dictis capitulis, ſi eſſet donandum hoc ius aliis, eſſe neceſſariam autoritatem Epiſcopi: fortaſſe moti, quia in illis textibus conceditur locis religioſis illud priuilegium, vt in ipſos poſsit fieri tranſlatio ſine autoritate Epiſcopi. Ergo ſignum eſt, ſi alijs fiat ſine ea autoritate, eſſe inualidam donationem. Videndus eſt Sylueſter quæſt. 5. dicto 3. *Sylueſt.* Sed argumentum hoc à contrario ſenſu non eſt efficax. An verò ſtandum ſit Iuriſperitis in hac parte; alijs diſcutiēdum relinquo. Tertius modus transferendi ius patronatus eſt, cum re vendita cui affixum eſt ius illud. Ita in cap. *ex literis.* & cap. *cum ſæculum.* & D. Thom. in hac tertij argumenti ſolu- *D. Tho.* tione: *Ius patronatus* (inquit) *per ſe non venditur: ſed tranſit cum villa quæ venditur vel conceditur*; liberali donatione ſcilicet. Ecce nil de conſenſu Epiſcopi: ſiue tranſferatur per venditionem villæ, ſiue per donationem. Ratio iuſtificandi modum hunc eſt, quia acceſſoriū ſequitur principale cui adhæret: & in hoc caſu ius patronatus ſe habet ſicut acceſſorium ad villam, & benè quoad hoc comparatur cum Calicis conſecratione. Sed quid dicendum, quando ius patronatus non affigitur villæ, aut fundo, ſed perſonæ; & patronus diſtrahit omnia bona ſua? An tranſibit in emptorem bonorum? Innumeri Iuriſperiti putant transferri, quia tranſit cum vniuerſitate bonorum. Sed Couarrubias, lib. 2. variarum. cap. 18. *Couarru.* num. 6. hos autores refert, & refutat: adducens alios pro ſententia oppoſita. Nos verò hæc remittimus Iuriſperitis: quia Theologis nō eſt quæſtio adeò proficua. Sed quid ſi ius patronatus non cohæret bonis; ſed bona potius iuri patronatus? Verbi gratia, quia fundans ius illud voluit, & inſtituit, vt qui eſſet patronus poſsideret talia bona? Reſpondetur: ſi in commodum patronatus ea bona affixa ſint; tunc non poſſunt vēdi; quia ad ius patronatus pertinent, & inſeparabilia ſunt à iure patronatus; ac proinde ip ſis venditis ius patronatus venderetur. At verò ſi in commodum patroni alligata ſint, benè vendi poſſunt: dum modo non carius vendantur propter patronatū adiunctum. Ratio eſt: quia non pendent à iure illo: ſed è contra. Quartum modum transferendi per iuris patronatus permutationem cum beneficio, addit Sylueſter vbi ſupra, & nos *Sylueſt.* de hoc infra latius. Circa eandem ſolutionem ad tertium ſit

DISPVTATIO VII.

An ſepultura, aut ius ſepeliendi, id eſt vt ſepeliatur quis in loco ſacro, vendi poſsit, aut emi?

ET videtur vera pars affirmatiua ex facto Abrahæ Geneſis. 23. *Geneſ. 32.* ementis ab Ephron ſpeluncam in ſepulturam. In oppoſitum faciunt multa iura citanda, eam venditionem

& emptionem intuitu Religionis prohibentia.

Dico primò: De ſepultura, & iure ſepulturæ paſsiuè, ideſt vt quis ſepeliatur in loco ſacro aut religioſo, ſtando in iure naturali & diuino; per omnia dicendum eſt, ſicut de alijs annexis antecedenter rebus ſpiritualibus: nempè vendere terram communem ad ſepulturam, ſeu vt ibi extruatur ſepulchrum; non eſſe ſimoniam. Ita D. Thom. hìc: & Iuriſperiti in capite *abolendæ*. Et à ſimili patet: quia ad Eccleſiam ædificandam poteſt fundus pretio emi, vt habes ex Ambroſ. in cap. *aurum*. & Gregor. cap. *comperimus*. 14. quæſtio. 6. & clarius ex lib. 7. epiſtol. 54. ad Fantinum: ergo idem dicendū de terra pro ſepulchro. Item: poſtquam terra aliqua, vel cœmiterium eſt ad ſepulturam fidelium benedictum, vel publicè dicatum; licèt poſſet vendi pretio aliquo ſi terra eſſet profana: non tamen poteſt vendi reſpectu habito ad benedictionem, vel ſacrationē. Hoc patet ſumpta proportione à Calice conſecrato. Præterea, ſiquis habeat ſepulchrum proprium, ſuis ſumptibus emptum, aut ædificatum, non eſt ſimonia, ſi vendatur quoad proprietatem iuxta valorem fundi, & reſpectu habito ad ſolas expenſas in eo ædificando factas: patet ex eadem proportione facta. Ita Sylueſter verbo *ſimonia*. quæſtio. 12. dicto 3.

D. Thom. *Ambroſ.* *Gregor.* *Sylueſt.*

Dico ſecundò. Quando locus aliquis ſacer vel religioſus (qui fit talis per conſecrationem, vel benedictionem, aut publicam deputationem ad humanda fidelium corpora) communis eſt pro ſepulturis fidelium: prohibitum eſt ab Eccleſia ſepulturam ibi alicui vendere, vel ſine pretio aliquem ibi non admittere ſepeliendum. Ita habetur expreſſe cap. *abolendæ*. de ſepulturis. Et prohibitio non ſolùm facta eſt pro terra ratione benedictionis: ſed abſolutè, vt patet in dicto cap. *abolendæ*. & cap. *quæſta*. cum tribus ſequentibus. Quod ſi ſciſciteris: an hæ venditiones ſint ſimoniacæ, ſaltem ſimonia ſolius iuris poſitiui humani? Res eſt dubia: quia iura non ita exprimunt hoc. Sed probabilius eſt ſimoniam eſſe: quia in cap. *audiuimus*. vbi etiam hoc inhibetur, ſub titulo ſimoniæ ponitur; & cum alijs ſimoniæ vitijs hoc annumeratur. Et in cap. *cum in Eccleſiæ*. idē fit: & clarius in cap. *ea quæ*. eod. ibi: *quia verò hoc ſimoniacum eſſe cognoſcitur*.

Dico tertiò. Mihi fit veroſimile, etiam eſſe prohibitum iure poſitiuo, vt quis accipiat pretium, vt ſinat aliquem ſepeliri in proprio ſepulchro. Patet ex iuribus citatis; præcipuè ex cap. *in Eccleſia Ilico*. de ſepulturis, vbi omninò videtur interdici Chriſtianis, pro vſu ſepulchri aliquod pretiū accipere. Dixi eſſe mihi veroſimile: quia non inuenio prohibitionem expreſſam in iure, vetantem huiuſmodi venditionem; quæ fortè magis propriè poſſet dici locatio terræ propriæ ad ſepulturam.

Dico quartò. Simonia eſt accipere pretium pro honoratiore loco ſepulturæ. Ita Sylueſt. q. 11. Et res perſpicua eſt: quia ibi tota ratio pretij eſt ſanctitas loci, vel reſpectus ad maiorem ſanctitatem; etiamſi fortaſſe motiuum remotum, ſit honor humanus. Et ſi obijcias cum quibuſdam, dūtaxat ibi vendi honorem quēdam humanum, qui non eſt ſpiritualis, ſed tantùm in hominum apprehenſione conſiſtit; ſicut ſedere in hoc vel illo loco. Reſpōdetur: licèt fortaſſe hoc ſit motiuum mentis, tamen quod venditur ſacrum eſt: & ille honor eſt veluti quid annexum conſequenter ad talem rem ſpiritualem, ſicut honor humanus eſt annexus dignitati, aut beneficio. Vnde ſiquis propter illum honorem moueatur ad emendum beneficium, ſimoniacus eſt ex natura rei. Et ita videtur in præſenti dicendum: quia fundamentum huius honoris eſt maior ſanctitas loci: v.g. ex maiori propinquitate ad altare maius, vel ad Domini corpus. Sed eſtò non ſit ſimonia ex natura rei: certum tamen exiſtimo, eſſe ex Eccleſiaſtica prohibitione in dictis iuribus, quæ intuitu Religionis ſeruandæ lata fuêre.

Sylueſt.

Dico vltimò. Siquis cupiat poſsidere ius ſepulturæ in aliquo Eccleſiæ loco, ita vt non poſsit alius ibi ſepeliri, niſi quos ipſe voluerit: tunc poterit cuia intereſt illius Eccleſiæ curam gerere, pretium pro hac obligatione accipere. Probatur: quia ea obligatio tēporalis eſt, & pretio æſtimabilis, & onus accidentarium; ac proinde non debet cenſeri ſpirituali annexū: ergo vēdibilis eſt. Rurſus, non prohibetur in præfatis iuribus: ergo licita eſt talis venditio. Ex hoc dicto agnoſces, non eſſe dānandū vſum vendendi ſepulturas, qui communiter exercetur: dum multi, imò ferè omnes, pretio dato acquiſierint ius pro ſe, & ſuis ſepeliēdis in certo Eccleſiæ loco, alijs excluſis. De mū nota, in his & huiuſmodi, quæ ſunt tantùm de iure humano, ſeruandas eſſe pias ac laudabiles conſuetudines, nō reprobatas in iure,

Gloſſa. iure, vt notauit Gloſſa in cap. *abolendæ*. citato. Quæ ſint autẽ hæ conſuetudines, colligés ex conſtitutionibus Synodalibus eas quandoque enumerantibus, & ex vſu probato, Clericorum timoratæ conſcientiæ. Quod ſi plura cupis de iure ſepulturæ: vide Sylueſt. verbo *ſepultura*. Fredericum de Senis. conſil. 246.

Sylueſter. Freder.

Ad teſtimonium ex Geneſ. 23. adductũ in principio diſputationis, reſpondet diuus Thom. iuxta doctrinam à nobis traditam in primo dicto, quæ à ſancto Doctore ferè ad verbum deſumpta eſt: videlicet, Abraham non peccaſſe emendo terram, de qua non conſtat fuiſſe religioſam, ideſt deputatam ſepulturæ; ipſe autem eam emit vt ibi ſepeliretur. Addit Doctor Angelicus: *Tamen quia apud Gentiles loca ſepulturæ deputata, religioſa reputabantur, ſi Ephron pro loco ſepulturæ intendit pretium accipere, peccauit vendens: licèt Abraham non peccauerit emens, quia non intendebat emere niſi terram communem. Licet enim etiam nunc, terram vbi quondam fuit Eccleſia vendere, aut emere in caſu neceſsitatis, ſicut & de materia vaſorum ſacrorum dictum eſt. Vel excuſatur Abraham, quia in hoc redemit ſuam vexationem. Quamuis enim Ephron gratis ei ſepulturam offerret: perpendit tamen Abraham, quòd gratis accipere ſine eius offenſa nõ poſſet.* En duas ſolutiones argumenti, quas quidam non admittunt: nos verò conabimur eas à calumnia vindicare. Prima calumnia: quia admiſſo ſepulturæ locum haberi vt religioſum, & ſacrum apud Gentiles: quæ hypotheſis citra dubium vera eſt, vt videre licet apud Lilium Giraldum in opuſculo erudito de vario ritu ſepeliendi: tamen non erat prohibitum vendere ipſum locum materialem iuſto pretio, ſicut de Calice conſecrato dictum eſt. Et ideò Ephron pretium petens, quo ager æſtimabatur (vt dicitur in textu) non peccauit; neque Abraham illud conferens peccauit: ergo falſum eſt quod ait diuus Thom. facta illa hypotheſi, Ephrõ peccaſſe vtique vitio ſimoniæ. Reſpondetur. Sanctus Thomas ſectator antiquorum Patrum, in ipſis inuenit Ephron peccaſſe. Ita Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in Geneſ. ca. 23. & refertur cap. poſt quã 13. quæſt. 2. *Poſtquam pretio* (inquit) *victus Ephron, vt ſepulchrum venderet, & acciperet argentũ, licèt cogente Abraham: vau litera, quæ apud ipſos pro ò legitur, ablata de eius nomine eſt, & pro Ephron appellatus eſt Ephran: ſignificante Scriptura, nõ eum fuiſſe conſummatum, perfectæq; virtutis, qui potuerit vendere memoriam mortuorum.* Gregor. etiam lib. 7. epiſt. 55. & refertur cap. *quæſta.* 13. quæſt. 2. Sed quare peccauerit, non ita clarè habetur: puto quia voluit vendere ſpeluncam illam duplicem iamdiu deputatam ſepulturæ fidelium; maiore pretio propter illum reſpectum, quàm valeret ſi tãtùm eſſet ager communis. Quidam enim putant, ibi ſepultos eſſe Adamum Protoparentem, & Euam vxorem eius, vt notat Gloſſa in cap. citato. Sed obijcies: ergo etiam peccauit Abraham illum inducens. Reſpõdetur, nequaquam: quia ipſe tantùm intendebat emere terram communem, non curans de exceſsiuo pretio ex mala Pagani intentione. Secunda etiam ſolutio calumniam patitur: quia nullam vexationem Abraham paſſus eſt, qui poſſet alium locum quærere, vbi ſuum mortuum ſepeliret. Reſpondetur: ex Dei ordinatione terra illa Abrahæ, & poſteris eius debebatur: & ex eadem ordinatione erant ibi ſepeliendi Patriarchæ illi, vbi Protoparentes. Hanc autem ordinationem diuinam irrideret Paganus, qui deliniendus fuit ſimulata venditione, quæ potius fuit vexationis redemptio. Et quamuis gratis offerebat; tamen non expediebat Abrahæ admittere: quia volebat firmum habere ius ſepulturæ pro ſe & ſuis, ita vt nullus ibi alienus ſepeliretur. Quod certè non obtineret, niſi dato pretio eum agrum omnibus videntibus, ſibi & ſuis vendicaret. Circa eandem ſolutionem ad tertium eſt

Lili. Giral.

Hieronym.

Gregor.

Gloſſa.

DISPVTATIO VIII.

An Eſau vendens primogenia ſua, & Iacob emens fuerint ſimoniaci?

RAtio dubitandi eſt: quia primogenituræ coniunctum erat Sacerdotium, ſaltem poſt diluuium: ergo emens & vendens primogenia, conſequenter emit ac vendit Sacerdotia. Huius quæſtionis deciſio nullum faceſſet negotium his qui cenſent, Sacerdotium in naturæ lege non fuiſſe annexum primogenijs: inter quos Oleaſter Geneſis 25. Sed oppoſitum haberi ex traditione nõ eſt negandum, vt clarè habetur apud Hieronymũ epiſt. 126. ad Euagrium, & in traditionibus Hebræorum ad caput. 14. 27. 49. Geneſ.

Oleaſter.

Hieronym.

Clemens. Geneſ. Auguſt. in Pſalm. 46. & Clemens, lib. 8. conſtit. cap. 5. id inſinuat: & hos ſequuti ſunt omnes Doctores moderni, D. Thom. ad Hebræos 12. Abulenſis Geneſ. 25. & 27. & ibi Lypomanus, & Pererius Geneſ. 25. diſp. 8. Et mihi traditio certa eſt ſaltem poſt diluuium, ſi ſermo ſit de ſummo Sacerdotio: nam alios Sacerdotes inferiores, aut impropriè Sacerdotes, qui non erant primogeniti; nil nocet haberi in ſacra Scriptura.

D, Tho. *Abulenſ.* *Lypoman.* *Pererius.*

Hac ergo ſuppoſita traditione procedit diſputatio. De qua re duas reperio ſententias. Prima affirmat, Eſau non fuiſſe ſimoniacum vendendo primogenita ſua: & cõſequenter neque Iacob emendo. Ita Archidiac. Hugo, & Laurent. in cap. *quam periculoſum.* 7. quæſt. 1. & Gloſſa idem videtur aſſerere. Probatur hæc ſententia, quia primogenitura ſecundùm ſe ſpectata erat res temporalis, vt modò eſt: cui in ſtatu legis naturę ex ordinatione diuina, vel (quod certius credo) ex iure gentium, annexum fuit Sacerdotium ſummum: ergo poterat vendi, & pretio æſtimari, modo non venderetur carius ratione annexionis ad rem ſpiritualem, ſicut dictum eſt de Calice, & veſtibus ſacris. Quod autem ita acciderit in venditione Eſau, hinc facilè colligetur: nam pretium fuit tam vile, vt nec cogitari poteſt carius vendidiſſe ratione Sacerdotij adiuncti. Ergo non fuit ſimoniacus Eſau vendens: & multo minus Iacob emẽs. Hic modus dicendi facilis eſt, ſi verus eſſet. Secunda ſententia affirmat, Eſau fuiſſe ſimoniacum vendendo primogenita ſua: non tamen Iacob emendo. Ita D. Thom. in hac ſolutione ad tertium, & poſt illum ferè omnes moderni. Prior pars probatur ex diuo Paulo ad Hebræos 12. qui appellat Eſau profanum propter venditionem primogenituræ: nam profanus idem eſt quod irreligioſus, & ſacra non curans. Et ideò in ſacra Scriptura, profanus ſancto contraponitur, Leuit. 10. *Vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum, & profanum.* Et Chryſoſtomus ſuper eum locum, vocat mundanum vendentem ſpiritualia. Et Auguſtin. in Pſalm. 46. ait, quod Eſau per gulam perdidit primogenita ſua: nam plus amauit quòd corporaliter cõcupierat, quàm quod ſpiritualiter, prius naſcendo meruerat. Spiritualiter, inquit, quia rem ſpiritualem vendidiſſet, putà Sacerdotium annexum primogenituræ temporali, vel reſpectum ad ſpirituale illud. Secunda pars probatur à

Archidiac. *Hugo.* *Laurent.* *Gloſſa.*

D. Thom.

Hebr. 12.

Leuiti. 10. *Chryſoſto.* *Auguſt.*

D. Thom. excuſando Iacob virum egregiæ ſanctitatis, eo quod ſuam redemerit vexationem: nam ius primogenituræ ad ipſum pertinebat ordinatione diuina. Non ergo acquiſiuit aliquod ſpirituale ius per illam venditionem: ſed abſtulit impedimentum, quod frater ſibi obijcere poterat propter anteceſsionem natiuitatis. Hæc ſententia à nobis tenenda eſt propter teſtimonium diui Pauli citatum: adiuncta expoſitione ſanctorum Patrum, quos ſequutus eſt D. Tho. Nec ſatisfacit quorundam reſponſio dicentium, vocari profanum, quia guloſus, & quia prodigus in vendendo primogenita ſua tam vili pretio. Ita videtur diuus Thomas loqui ſuper Paulum, & Auguſtinus de Ciuitate, lib. 16. cap. 37. & Chryſoſtomus. Reſpondetur. Iſti Sancti damnãtes gulam, & prodigalitatem Eſau, non negant ſimoniam: quin potius aſſerunt. Benè Theophi. aſſecla Chryſoſtomi de Eſau ait: *Eſt bellua, vorax, mundanus, ſpiritualia profanans, & conculcans.* Quo modo niſi per ſimoniæ vitium? Et licèt admiſſo Eſau peccaſſe ſimoniæ vitio, difficile eſt excuſare Iacob ab eodem crimine, vt animaduertit Caietanus in Commentarijs huius articuli, & ſuper locum Geneſeos: tamen non ob id deſeremus ſententiam tantorum virorum; ſcientes multa obſcuriora eſſe veriora facilioribus.

D. Thom. *Auguſt.* *Chryſoſt.* *Theophila.* *Caietanus.*

Sed contra hanc D. Thomæ ſententiam arguitur primò: quia Eſau non erat paratus vẽdere primogenita: ſed à Iacob ſuaſſus, vt patet ex ſacro Textu. At non licet non paratum inducere ad malum, vt patet in vſurario: ergo. Confirmatur: quia nunquam licet petere ab alio, quod ipſe ſine peccato præſtare non poteſt. Reſpondet Caietanus in Comment. ſuper hunc articulum, quòd verba Iacob quamuis ſonarent vendi tionẽ; tamen Iacob eam petere non intendit, ſed traditionem rei, quæ ſua erat ex ordinatione diuina, quam ſciuerat, vel matre edocente, quæ audierat à Deo: *Maior ſeruiet minori*: vel Spiritu ſancto reuelante, vt docet diuus Thom. ſuper locum Apoſtoli citatum. Et ideò oblatio rei temporalis inductiua fuit voluntatis Eſau, vt recuperaret quod ſuum erat, vt videre licet in redemptione vexationis quacunq; ordinata ad recuperandum rem propriam, occupatam à nollente gratis reſtituere. Sed contrà inſtatur ab autoribus primæ ſententiæ: quia Eſau pro tunc non inferebat iniuſtè vexationem; nam habebat naturalem titulum,

Caietanus. *Geneſ. 25.* *D. Thom.*

&

& poſſeſsionem primogenituræ. Vnde illi non conſtabat pertinere ad Iacob: & ſe obligatum ad transferendum eam in illum. Ergo petebat Iacob ab Eſau rem quam ſine peccato facere non poterat: eo quod annuens petitioni, cogebatur illam formaliſsimè vendere: ergo inducebat ad malum.

Caietanus. Ait Caietanus, quòd licèt Eſau ſciuiſſet diuinam ordinationem, non ceſsiſſet: ſed in ſua detentione perſeueraſſet. Et hoc colligebatur ex duritie Eſau, quam in alijs expertus fuerat Iacob. Contrà: nam illa conditionalis de futuro, nihil ponebat in eſſe: nec reddidit culpabilem Eſau in non reſtituendo: ergo nec reddit inculpabilem Iacob in petenda venditione, non prius inſtruendo fratrem de iure ſuo. Reſpõdetur: potuit timere ne eum occideret Eſau feritate natiua incitatus: & meritò, nam ipſe

Geneſ. 27. eſt qui dixit: *Venient dies luctus patris mei, & ego occidam Iacob.* Geneſ. 27. Item, quia Iacob eo tempore non habebat ius in re, ſed ad rem: nam Deus tantùm dixerat: *Maior ſeruiet minori*: quæ erat promiſsio de futuro, non dans ius in re, donec tranſlatio primogenituræ cum effectu fieret. At verò redemptio vexationis non habet locum, donec ſit ius in re acquiſitum, de quo infrà. Reſpondetur, promiſsionem Dei dediſſe ius Patriarchis illis, poſsidendi res promiſſas ab initio promiſsionis, nullo alio expectato, vt patet in promiſsione facta Abra-

Geneſ. 17. hæ: *Daboque tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ.* Et ea ſola promiſsione ius acceperunt poſteri eius debellandi habitatores terræ vt iniuſtos poſſeſſores: quãuis ipſi Dei promiſsionem ignorarent. Secus contingit in beneficiorum promiſsione, & aliorum quæ ab hominibus promittuntur: quorum non habetur ius in re ſtatim poſt promiſsionem. Ex dictis colliges veritatem noſtræ ſententiæ, & diui Thomæ: quam eſſe Sanctorum antiquorum nõ ambigo.

Ad argumentum tamen factum pro prima ſententia reſpondetur. Si Eſau voluiſſet vendere dumtaxat primogenituram, pro vt dignitas temporalis eſt antecedens annexionem ad Sacerdotium, non fuiſſet ſimoniacus: ſed de facto voluit vendere primogenituram cum omnibus prærogatiuis ſibi adiunctis, quæ multa ſunt, vt tetigit

Gloſſa. Tiraquel. Gloſſa in cap. citato *quam periculoſum.* & latius proſequitur Tiraquellus de iure primogenituræ, in præfatione. Quòd ſi roges: vnde colligitur, hæc omnia adiuncta, etiam Sacerdotium voluiſſe vendere? Reſpondetur: id non obſcurè inſinuatur ex ſacro Geneſis textu, vbi dicitur quòd abijt parui pendens quod primogenita vendidiſſet: nimirum cum omnibus ſuis prærogatiuis, & priuilegijs. Nec mirum, nam qui primogenituram tam vili pretio dedit: parum videtur curaſſe de ei adiunctis prærogatiuis. Accedit ad hæc teſtimonium Apoſtoli citatum, appellantis Eſau profanum in venditione illa, quæ appellatio propriè irreligioſum ſignificat: irreligio autem in venditione, quid aliud niſi ſimonia eſt? Vnde Theophilactus explicans verba citata ex *Theophil.* Geneſi: *Hæc* (inquit) *eſt profanatio, contemptus diuinarum rerum.* Quæ certè non erant primogenia temporalia, ſed ſpiritualia eis adiuncta, putà Sacerdotium. Opportunè ſuccedit prædictis

DISPVTATIO IX.

An vexationis redemptio data pecunia, vel re temporali, habeat locum ſine ſimoniæ vitio erga res ſpirituales obtinendas, præcipuè erga beneficia Eccleſiaſtica?

DE hac re D. Thom. in ſolutione *D. Tho.* ad quintum ſecundi articuli huius quæſtionis duas tradidit percelebres regulas, acceptatas ab omnibus Theologis, & Iuriſperitis tam antiquis, quàm modernis. Prima eſt. Poſt ius acquiſitum in beneficio (& idem eſt de alio ſpirituali dono) non eſt ſimonia redimere vexationem, quæ pro iure tollendo iniuſtè infertur. Probatur ex cap. *dilectus.* primo. de ſimonia. vbi quidã Beneficiatus dedit pecuniam alteri, ſub promiſsione nõ inferendi ſibi iniuſta grauamina: & Papa iubet eſſe ſeruandam promiſsionem. Ex quo apertè colligitur, non interueniſſe ſimoniam. Idem habetur in cap. *quæſitum.* 1. quæſt. 3. Ratione etiam probatur, quia ille ſic redimens, nõ dat pecuniam pro aliqua re ſpirituali, ſed pro vitanda iniuria: neque etiam per eam pecuniam aliquid ſpirituale acquiritur, cum illud habeat. Secunda regula. Ante ius acquiſitum in re ſpirituali, non licet pecunia redimere vexatio-

xationem, quæ impedit ius acquirendum: ſed ſimonia committitur ſi talis redemptio intentetur. Hæc regula communis etiam eſt omnibus Theologis, & Iuriſperitis: & habetur ex cap. *Matthæus*. de ſimonia, vt inferius explanabimus. Ratione etiam probatur à diuo Thoma: quia ille qui ſic intentat redimere vexationem per pecuniam, parat ſibi viam ad obtinendam rem ſpiritualem: ergo ſimoniacus eſt. Exiſtimo autem ſufficere, quòd ius exiſtimetur certum communiter à doctis viris: ita quòd ſapienter iudicent, habentem beneficium iniuſtè vexari: tunc enim ſic vexatus, licitè poterit redimere ſuam vexationem. Sed vt exactius explanentur, argumentis impetendæ ſunt.

A

B

Arguitur contra primam regulam, ex capite *Matthæus*. de ſimonia, vbi habetur quendam legitimè electum à maiori parte eligentium, qui pecuniam dederat alijs, qui non conſenſerunt eius electioni, ne ſe vexarent, & turbarent eius electionem; fuiſſe ſimoniacum. Et tamen habebat ius acquiſitum per electionem: ergo falſa eſt regula illa. Secundò ſequitur, eſſe licitum poſsidenti legitimè beneficium, dare pecuniam potenti vexare iuſtè, ne vexet: verbi gratia, Prælato, qui poſſet priuare eum beneficio propter crimen commiſſum. Idem dico ſi daret accuſatori, ne accuſet: & potenti impetrare iuſtè, ne impetret: & ſimilia. Conſequens ab omnibus reijcitur: ergo. Probatur ſequela: quia tunc per talem redemptionem nihil ſpirituale acquiritur; ſed ſolùm remouentur impedimenta. Tertiò ſequitur, non eſſe ſimoniam dare alteri pecuniam, ne mihi litem moueat circa beneficium quod poſsideo pacificè, & bona fide. Conſequens eſſe falſum, inferius oſtendemus: ergo. Quartò. Redemptio vexationis erga ſpiritualia, eſt de genere male ſonantium; eo quod niſi veſtiatur debitis circunſtantijs, emptio potius eſt quàm redemptio: & ideò in Sacramentis non eſt licita, niſi in extrema aut grauiſsima neceſsitate. Ergo in beneficijs rarò licita erit, vt potè quæ non ſunt adeò neceſſaria ſicut Sacramenta. Ac proinde ſequitur non eſſe licitam etiam poſt ius acquiſitum, niſi in grauiſsima aut extrema neceſsitate: quod eſt regulam hãc & eius vſum ferè inutilem reddere. Quinto arguitur. Si habens ius acquiſitum in beneficio pingui; ne ab eo deturbaretur, & vexationem pateretur, offerret vexanti vt à vexatione ceſſaret beneficium minus pingue; vel faceret eum vicarium ſuum, aut verò procuraret illi aliud beneficium, vel quidpiam aliud ſpirituale, ſimoniacus eſſet: ergo regula prima falſa eſt. Antecedens patet, quia re ſpirituali emit rem temporalẽ, putà ceſſationem à vexando.

C

Ad hæc argumenta continuò reſpondere oportet. Ad primum relictis varijs expoſitionibus illius capituli *Matthæus*. reſpondetur cum Innocentio, Panormitano, Cardinali, & alijs, conſequenter illum qui dicitur ſuam redemiſſe vexationem, iudicatum fuiſſe ſimoniacum, quia erat tantùm electus, & non confirmatus: atque adeò non habebat plenum ius in beneficio. Dico in beneficio: quia aliquale habebat ad electionem. Quare ſi illi pauci iniuſtè vellent calumniari electionem; benè poſſet ſine ſimonia redimere vexationem illatam iniuſtè circa electionem: quia nil ſpirituale acquirebat, quod non haberet. At verò ſi vexatio inferretur, vel timeretur inferri, ne electio confirmaretur, iam iniuria erga confirmationem redimibilis non erat, quia ad confirmationem non habebat ius acquiſitum, ſed innatum propter merita legitimæ electionis. Et in hoc ſenſu procedit dictum caput *Matthæus*. Quod non ineptè colligitur ex textus verbis, vbi ſupponitur, electionem legitimam. vt pote à maiori parte eligentium, fuiſſe factam; & voluntate turbata vt dicitur in textu, proceſsiſſe illos paucos eligentes, vt cõfirmationem impedirent. Ob cuius metum illis obtulit pecuniam; & ideò ſimoniacus iudicatus eſt. Ex huius argumenti ſolutione colliges, vnam conditionem neceſsariò requiſitam vt redemptio vexationis licita ſit, etiam poſt ius acquiſitum, eam eſſe, videlicet vt ius ſit plenum, certum & indubitatum; vt cum proprietate & ſimpliciter dicatur ius illud haberi. Ita Panormitanus in cap. *cum pridem*. de pactis. num. 9. Felinus in cap. *dilectus*. primo. de ſimonia, numero tertio. Ius, inquam, debet eſſe certum, & indubitatum, ſaltem communiter apud peritos in eo iure agnoſcendo. Ita Rebufus in titulo de ſimonia, nu. 3. Ad ſecundũ reſpondetur negando ſequelam, & ſimilitudinẽ rationis. Omnes enim Doctores citati in hoc conuenerunt, vt non ſit licita in ſpiritualibus redemptio vexationis, ſi iuſta ſit. Et ratio eſt: quia tunc ius acquiſitum non eſt omninò firmum, ſed irritabile, & transferibile. Qui ergo redimit talem

D

Innocent. *Panorm.* *Cardinalis.* *Panormit.* *Felinus.* *Rebufus.*

talem vexationem, aliquid ſpirituale emit: quia per pecuniam comparare cupit conſeruationem beneficij, ſeu firmitatem nutantis iuris: & ideò ſimoniam committit. Ex hac ſolutione colliges, hanc regulam, imò noſtram diſputationem procedere quando vexatio iniuſta eſt: aliàs ſi iuſta ſit, non licet in aliquo caſu, neque ante, neque poſt ius acquiſitum, vexationem redimere. Ad tertium reſpondetur. Lis quæ timetur futura, vel eſt iuſta; & ſic (vt modò dicebamus) non licet vexationem redimere. Vel eſt euidenter iniuſta; & tunc, habenti ius acquiſitum circa rem ſpiritualem licet vexationem, quæ timetur, redimere data pecunia, ne lis moueatur. Vel eſt dubium, B vtrùm lis ſit futura iuſta, vel iniuſta; & ſic, nequaquam licet per pecuniam litem impedire: quia ſi dubium probabile eſt, hoc ipſo lis iuſta eſt: tùm etiam, quia ſi lis eſt dubia; etiam titulus vel ius ſpirituale dubium eſt: ergo non licet illud pecunia firmare, vt dictum eſt. Circa materiam quarti *Ioan. And.* argumenti, Ioannes Andreas circa cap. *ad aures.* motus eo textu exiſtimat, etiam in beneficijs redemptionem vexationis non licere, quando poteſt adinueniri alia via: verbi gratia, acceſſus ad ſuperiorem, ſeu competentem iudicem, qua compeſcatur *Rebufus.* vexatio. Idem docet Rebufus ſupra numero 20. & 21. referens Abbatem in dicto ca- C *Felinus.* pite *dilectus*, 1. num. 4. & Felinus numer. 3. Verùmtamē oppoſitum cenſemus verius: quia aliàs nūquam liceret in beneficijs iam obtentis redimere pecunia vexationem, niſi vbi tanta eſt vexantis potentia, vt ſine magno diſcrimine aut expenſis poſsit eius potentia coërceri. Quod certè valde oneroſum eſt: & diuus Thomas, & Theologi nunquam tales conditiones popoſcerunt. Item, nam textus ille cap. *ad aures.* nil tale dicit, neque habetur ex iure diuino, quia per pecuniam nō comparatur aliquid ſpirituale; quod omninò haberi ſupponimus in prima regula. Et ad argumentum reſpō- D detur. Quando conſtat vexari iniuſtè eum qui habet ius perfectum iam acquiſitum; non eſt annumeranda ea redemptio vexationis inter male ſonantes actiones, ſed inter iuſtam defenſionem. In Sacramentis verò alia eſt ratio: tùm, quia non habentur ante quàm recipiantur: tùm quia cùm ſint ſpiritualiſsima, cauendum eſt vt non pecunia redimantur, niſi in grauiſsima aut extrema neceſsitate; ne ſcandalum emptionis videntibus inferretur. Ad quintum reſpon- A detur. Redēptio vexationis, ideſt datio pecuniæ proceſſatione à vexādo, ſi in ea ceſſatione ſiſtat, & per pecuniæ dationem, nec ex vi talis dationis aliquid ſpirituale acquiratur, licèt iniuſtitia ſit, non tamen ſimonia: quia non datur temporale pro ſpirituali, ſed temporale pro tēporali. Et ideò ne ſimonia cōmittatur neceſſe eſt vt is cui datur pecunia, nec dans acquirat illud ſpirituale ex vi illius dationis, & ex vi redēptionis non cedat alicui iuri ſpirituali: aliàs ſimoniæ vitiū interueniet, vt in caſu argumenti quo probatur exceptio hæc. Ex hac ſolutione colliges aliā conditionē neceſſariāvt licitè redēptio vexationis iniquæ fiat circa beneficia, poſt acquiſitū ius erga illa: videlicet, vt redēptio illa fiat data pecunia, vel re tēporali. Nā ſi detur aliquid ſpirituale pro ea vexatione redimenda; citra dubium ſimonia committitur, vt argumētum probat, & concedunt Gloſſa, & Doctores in cap. *dilectus*. At verò is qui pro deſiſtendo ab iniqua vexatione acciperet pecuniam; licèt non ſit ſimoniacus: tamen iniuſtus eſſet, & teneretur ad reſtitutionem, quia ſine vllo iuſto titulo eam recipit, & dans inuoluntarius eſt, vt omnes notant in dicto cap. *dilectus*. Et ſi obijcias: nam Pontifex in eo textu non ait, abſolutè eſſe compellendum vt reſtituat: ſed ait, *ſi contra promiſsionem veniſſe conſtiterit*. Ex qua adiecta cōditione videtur Pontifex voluiſſe, quòd ſi ſeruaſſet promiſsionem, non teneretur reſtituere. Iuriſperiti contendunt in ſolutione argumenti huius. Et relecto Hoſtienſi, & alijs, Felinus, & Cardinalis aiunt, non eſſe *Felinus.* validum in hac parte argumentum, quod ap *Cardinalis.* pellant à contrario ſenſu. Et mihi placent, & Gloſſa dicens, ſubintelligendam eſſe vo culam *maximè*: quod Panormitano non diſplicet.

Secunda regula eſt: ante ius acquiſitum non licere pecunia redimere vexationem, quæ impedit ius acquirendum: & intelligenda eſt de vexatione iuſta, vel iniuſta. De iuſta probatur: quia poſt acquiſitum ius ſupra docuimus eſſe ſimoniam velle vexationem redimere. Ergo multo potiori ratione id ipſum dicendum eſt de vexatione iuſta circa ius acquirendum: verbi gratia, in eo qui concurrenti ad beneficium pecuniam tribuit, ne ſe opponat. Item ſi quis illegitimus, aut irregularis, aut aliàs inhabilis pecuniam det ne manifeſtetur ille defectus. Item ſi quis habens defectum ætatis vt ordinetur, corrumpat teſtes vt iurent de

pleni-

plenitudine ætatis: & ſic de alijs. Vide Na-
Nauarr. uarrũ conſ. 39. de ſimonia, & ſequentibus.

Contra iſtam ſecundã regulam D. Tho. arguitur primò. Antequam beneficiorũ titulus habeatur, habetur ius iuſtitiæ diſtributiuæ (quæ eſt nobilior virtus quàm commutatiua) ad beneficia obtinenda per oppoſitionem concurrentium: ergo licitum eſt vexationem in eo iure redimere non minus quàm vexationem in iure commutatiuæ iuſtitiæ. Confirmatur. Nam qui indignum eligit in præſentia digni, vel minus dignum in præſentia dignioris, tenetur ad reſtitutionem digno, vel digniori, vt docetur in materia de reſtitutione: ergo illi dignus aut dignior aliquod ius acquiſitũ habebant, ratione cuius iuxta primam regulam ſi in eo vexentur, poſſunt redimere ſuam vexationem. Secundò. Redemptio vexationis ex ſe non eſt emptio rei acquirendæ, quæ per vexationem impeditur, ſed eſt emptio liberationis ab iniuria vel violentia, aut ceſſationis ab ea: ergo per illam redemptionem non emitur ſpirituale acquirendum. Dices: in ea redemptione virtualiter & intrinſecè includitur emptio rei ſpiritualis: verbi gratia, ſi Epiſcopus non vult me digniorem eligere prætexendo friuolas excuſationes, ſi dem pecuniam pro redimenda vexatione, virtualiter emo beneficium: quia pretium datum licèt redemptionem ſonet; tamen pro electione, & acquiſitione beneficij datur. Redimere enim in hoc caſu & ſimilibus, nil aliud eſt quàm emere. Præterea cùm me vexet in non dando beneficium; ſi do pretium vt non me vexet, neceſſariò do vt beneficium conferat. Tertiò arguitur. Quando in iure acquiſito vexatur quis, licitè poteſt vexationem redimere: tùm quia redimentis affectus tantùm extenditur ad conſeruandũ ius ſuum quietum & pacificum, non ad emptionem rei ſpiritualis: tùm quia emptio rei ſpiritualis non continetur virtualiter in ea redemptione, ſed hæc tantùm ſe habet vt remouens impedimentum. At hæc omnia reperiuntur reſpectu iuris acquirendi, nam per eam dationem pecuniæ, ſolùm tollitur immediatè remotio iniuriæ, nec ad aliud ſe extendit affectus dantis. Quod verò ſequatur acquiſitio rei ſpiritualis, effectus per accidens eſt ſecutus ex remotione impedimenti: ergo non continetur virtualiter in ea pecuniæ datione. Quartò. Licet redimere vexationem ante ius acquiſitum, quia intentio redimentis habet pro obiecto nõ emptionẽ rei acquirendæ, quæ per vexationem impeditur, ſed ſolùm emptionem liberationis à tali vexatione, vel iniuria, ſeu ceſſationis ab eo affectu, à quo ea iniuria oritur. Dices, in ea emptione includi priorem, ſcilicet rei ſpiritualis acquirendæ. Certè hoc non eſt neceſſarium, vt vidimus agentes de vexatione redemptionis in Sacramentis. Quintò: quia ſemper tale ius poteſt reduci ad ius acquiſitum: etenim vnuſquiſque habet ius acquiſitum, vt non fiat ei vis aut iniuria: verbi gratia, vt ſit beneficij prætenſor, vel aliud ſimile. Ergo ad hoc ius conſeruandum, poſſet licitè dare pecuniam: qua mediante nil aliud emit niſi immunitatem huius iuris. Quod autem poſtea ſequitur, eſt accidentarium per ſe loquendo, & pendens ex libera voluntate collatoris. Ergo ex natura rei, non magis in hoc caſu reperitur ſimonia, quàm in tuenda electione facta, vel inſtitutione beneficiali. Confirmatur. Si quis prætenſorem beneficij domi detineat, ne compareat, & ſe beneficij oppoſitorem oſtendat; poteſt licitè eam vexationem redimere: nec cenſendus eſt emere beneficium, vel oppoſitionem ad illud. Item ſi quis calumnietur me falſò de aliquo crimine graui, aut de irregularitate, aut inhabilitate ad beneficium obtinendum: poſſum meam vexationem redimere; nec propterea emo beneficium, vel ido neitatem ad illud. Ergo ſemper licet vexationem redimere, ſiue habeam ius acquiſitum ad beneficium, ſiue acquirendum; ac per conſequens regula illa Thomiſtica non habet verum. Hæc argumenta procedunt, ſiue ceſſatio fiat mouendo litem, ſiue alia actione iniurioſa. Vltimò. Fingamus, electores paratos eſſe ad eligendum in Pontificem Summum, vel alium Epiſcopum, hominem ſceleratũ valde pernicioſum Eccleſiæ. Tunc apparet certum, licitum eſſe cuiq; pecunia data, prouocare electores illos vt hominem dignum eligant: tamen tunc dignus non habet ius acquiſitum ad prælaturã: ergo. Maior probatur. In tali caſu licet procurare, ne tam grauis offenſa fiat Eccleſiæ: & oblato pretio auocare electores à tanto ſcelere. Sed ſuppoſito electionem eſſe faciendam, inde ſequitur vt eligatur dignus: ergo licebit, oblato pretio, eos ſolicitare ad digni electionem.

His perſuaſi argumẽtis quidam, labefactare, & reijcere conantur ſecundam regulam poſitam à diuo Thoma; contemnen-

tes

tes & reijcientes illam diſtinctionem de vexatione ante ius acquiſitum, vel poſt ius acquiſitum: exiſtimantes vtroque modo licere redimere vexationem in beneficijs, & alijs ſpiritualibus. Ita Gregorius de Valentia in tertio tomo diſput. 6. quæſt. 16. puncto 3. & alij poſt eum. Sed regula diui Thom. ab omnibus ferè non ſolùm approbatur, ſed magni fit: & videtur colligi ex dicto cap. *Matthæus*. Nos verò pro deciſione huius difficultatis, & ſolutione argumẽtorum in oppoſitum; præmittere oportet diſtinctionem qua vtũtur, & vſi ſunt Theologi antiqui, & moderni. Videlicet, vexationem circa beneficia obtinenda, interdum prouenire poſſe ab eo qui impedire poteſt, non tamen iuuare: vel ſi poteſt, nõ eſt neceſſarium eius adiutorium, ſeu concurſus in conferendo beneficium: nec pecunia ei datur, vt in aliquo iuuet, vel aliquid conferat; ſed ſolùm vt non vexet aut malefaciat. Exempla poſita ſunt in argumento quinto. Aliquando verò prouenit vexatio ab eodem qui beneficium ſperatũ collaturus eſt. Exemplum eſt in electore, aut Epiſcopo volente eligere indignum. Hac ſuppoſita diſtinctione

Valentia.

Dico primò. Quando vexatio fit priore modo: ſine ſimonia licet eam redimere data pecunia, vt à vexatione ceſſet. Hoc aſſertum commune eſt omnibus Theologis recentioribus: & approbatur à Soto, quæſt. 6. art. 1. ad quintum, & quæſtione 7. art. 1. in corpore. dub. vltimo. Probatur: quia hoc non eſt emere rem ſpiritualem, ſiquidẽ vexatio non valet eam conferre; ſed tantùm eſt redimere vexationem, tollendo impedimenta, quę vexator apponit: quæ ablatio non habet neceſſariam connexionem cum acquiſitione rei ſpiritualis. Quòd ſi is ſic redimens intendat beneficium emere: erit ſimoniacus ex ſua praua voluntate, aut conſcientia erronea; nõ ex natura rei. Quòd ſi obijcias: eſtò non ſit ſimoniaca ex natura rei hæc emptio; erit tamen iuris poſitiui in cap. *Matthæus*. Negatur aſſumptũ: quia in dicto cap. eſt ſermo de pecunia data electoribus, qui per ſe loquẽdo prodeſſe poſſunt; & electione facta poſſunt habere ius impediendi confirmationẽ; & poſſunt etiã ad illam iuuare deſiſtendo à contradictione. In hoc autem aſſerto dũtaxat fit ſermo de ijs, ad quos nullo modo pertinet beneficij prouiſio. Sed quid, ſi quiſpiam pretio aut importunis precibus corrũpat electores, cùm ipſe non ſit elector? An liceat illi dare pecuniam vt ceſſet? Soto in dicta ſolutione ad quintũ, ait non licere: fortaſſe quia putat vexationem non inferri per ambitum, quem ſubornationem vocant: quia tantũ delinquitur contra iuſtitiam diſtributiuam. Reſpondetur: ſi redimens tantùm velit dare pecuniam, vt ille ſubornator ceſſet à corruptione electorum, vnde oritur mihi damnum; nulla eſt ſimonia: quia quod proximè emitur temporale eſt, & non habet per ſe connexionem cum ſpirituali, neque in illo cõtinetur, aut ex illo per ſe ſequitur, neque voluntas electoris inclinatur vt eligat redimentem. Quòd verò illa corruptio electorum per pretium, aut munera, non ſit contra commutatiuam; parũ refert: quia ſat eſt vt dicatur vexatio, quòd ſit mihi nociua, & contra iuſtitiam diſtributiuam. Et ideò redimibilis eſt ſine ſimoniæ vitio: quia nec formaliter, neq; virtualiter eſt emptio rei ſpiritualis. Secus res ſe habet, ſi ille redimens velit non ſolùm vexationẽ redimere, verũ etiam vt ille ſubornator ſeu interceſſor inclinet electores in fauorem dantis pecuniã. Tunc enim non eſt ſola redemptio vexationis: ſed emptio electionis, quæ ſimoniaca eſt. Et ſic eſt intelligendus Sotus, & alij qui eius ſententiam tenẽt, Turrecremata in cap. *quæſtum*.

Sotus. *Sotus.* *Turrecre.*

Dico ſecundò. Si vexatio fiat poſteriori modo, ab eo ſcilicet qui poteſt obeſſe, & prodeſſe ad cõſequutionem rei ſpiritualis, putà eligendo, confirmando, vel aliud ſpirituale conferendo: nequaquam poteſt ea vexatio redimi ſine vitio ſimoniæ: verbi gratia, ſi ſciã electorem electurũ eſſe indignum, me digno prætermiſſo: non licet eam vexationem ab eo redimere. Item ſi ſum præſentatus ad beneficium, & Prælatus per claram iniuriam non vult me inſtituere: non licet redimere, & ſic de alijs. Et iſto pacto eſt intelligẽdus D. Tho. qui apertè loquitur de redemptione vexationis poſteriori hoc modo, non priori, vt patebit legenti eam ſolutionem ad quintum. Et quidem ſi ſit ſermo de ſimonia tantùm iuris poſitiui, videtur haberi in dicto capite *Matthæus*. quod in caſu huius aſſerti verificatur communiter à Doctoribus. Idem videtur probari ex ca. *ſicut tuas*. de ſimonia. Vbi cũ Epiſcopus vexaret quẽdam ritè electum, nollens illum confirmare, & inſtituere, vt extorqueret pecuniam, ſimonia cenſetur eam dediſſe, vt expreſſe dicitur in fine capitis, & in toto diſcurſu eius ſupponitur. Idem etiam videtur

probari quoad electionem ex capite *de hoc*. de ſimonia. Igitur eſſe talem redemptionem ſimoniacam in beneficijs ſecundùm ius humanum, non eſt dubium: maximè accedente conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, & illum textum ita interpretata eſt. Et quando ius ſcriptum deeſſet: ſtylus Curiæ, & communis vſus Eccleſiæ iudicantis eam redemptionem vt ſimoniacam, ſufficeret. Hæc licèt vera iudicem: exiſtimo pariter eam redemptionem vexationis eſſe iure naturali, & diuino ſimoniacam. Et ratio diui Thomæ id ſuadet: quia tunc per pecuniam paratur via ad conſequendum beneficium directè, & proximè, ac per ſe; & non tantùm remotè, & remouendo prohibens. Item, quia tunc remouere impedimentum, nil aliud eſt, quàm ſpirituale conferre; nam vexatio conſiſtebat in non conferendo inſtitutionem, vel debitam electionem: & hæc vexatio non tollitur niſi per contrarium actum, ſcilicet inſtituendo, vel conferendo beneficium. Ergo impoſsibile eſt redimere eam vexationem, niſi ſimul ematur beneficium: & idem dicito de quacunque alia re ſpirituali. Aduerte, hoc aſſertum eſſe intelligendum formaliter, ideſt de vexatore qui poteſt prodeſſe, ſi quatenus habet illam poteſtatem, per eam vexet: vt elector in non eligendo, collator in non conferendo, & ſic de alijs. At verò ſi eadem perſona electoris noceat, & vexet infamando, aut malè inducendo alios electores, denique illis modis, quibus priuata tertia perſona poſſet id facere: ſic non erit coram Deo, & per ſe loquendo ſimonia, vexationem ab illo redimere, vt ceſſet ab illa vexatione, ſecundùm quam poteſt, & debet non obeſſe. Et ratio id oſtendit: quia per talem redemptionem non emitur electio; & conſequenter neque beneficium. Vnde eadem eſt ratio de illa vexatione; ac ſi fieret à perſona diſtincta, quæ non poſſet prodeſſe. Etenim quod in eandem perſonam coincidant; materiale eſt, & per accidens: & in hoc caſu, intentiones diuerſæ diſtinguũt actiones. Quòd ſi recipiens pecuniam ex ſua malitia illam recipiat vt pretiũ electionis, vel poſtea ex illa moueatur ad eligendum: per accidens eſt; & hoc periculum, aut is motus non impediet alium, quin poſsit vti iure ſuo.

Sed cùm in beneficiorum conſequutione multa interueniant, in quibus prætendens, & cupiens beneficium poſsit vexari ante illud obtentum: operæ pretium duxi, ea ſigillatim recenſere. Primum eſt in oppoſitione ad beneficium, quæ quid temporale eſt, nec annexum rei ſpirituali, niſi fortè antecedenter: ſi quis vexetur per vim vel fraudem, aut quouis alio modo, fit illi iniuria, quam redimere pecunia non eſt illicitum, nedum ſimonia: quia per illam redemptionem non acquiritur aliquid ſpirituale, ſed ius acquiſitum conſeruatur, videlicet vt non impediatur oppoſitor per vim vel fraudem, ad oſtendenda merita ſua vt beneficio donetur. Secundum conſiderabile in hac materia eſt. In electione, ſeu præſentatione, nominatione, aut poſtulatione: ſi quis vexetur ab habente poteſtatem eos actus faciendi; ſimonia committitur iuxta ſecundi aſſerti doctrinam: tùm quia ante illos actus nullum ius acquiſitum ſupponitur, ſed tantùm innatum, quod eſt idoneitas perſonæ, vt in ſolutione argumẽtorum dicemus: tùm quia illud ius, quod per electionem acquiritur (quodcunque illud ſit) ſpirituale eſt, & non poteſt pretio vendicari antequã habeatur. Tertium eſt in confirmatione, inſtitutione, aut collatione. Et de inſtitutione aut collatione: ſi quis vexetur ne eam obtineat, res clara eſt noſtrum aſſertum procedere, propter rationẽ ibi factam. De vexatione autem in confirmatione quidam dubitant, ſed ſine fundamento: quia confirmatio non eſt minus ſpiritualis quàm electio, & ſæpe vim habet collationis: & de illa præcipuè procedit ca. *Matthæus*. vt ibi Innocentius notat, & expreſsius habetur de illa in cap. *ſicut tuas*. *Innocent.*

Quartum in quo ſæpe vexatio contingit, eſt circa poſſeſsionem. Et de hoc dubitatur inter Doctores: an poſsit vexatio redimi, etiam ab his qui poſſunt prodeſſe? De qua re duæ circunferuntur ſententiæ. Prima eſt Soti negatiua, dubitanter tamen: ſed ſine cunctatione eam tenet Gloſſa in cap. *decimas*. ſecundo. 17. quæſt. 7. Abbas in cap. *ad aures*. de ſimonia. numero 6. & Innocen. ibi, & in cap. *dilectus*. primo. in fine: vbi etiã Felinus numero 3. & alij moderni. Fundamentum huius opinionis eſt, quia poſſeſsio beneficiorum eſt aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Sed ad obtinendum ſpirituale non licet vexationem redimere, vt nuper docebamus: ergo. Maior patet, quia per poſſeſsionẽ obtinet quis exercitium ſpiritualium: & ratione ſpiritualis tituli datur. Confirmatur ex cap. *decimas*. ſecun- *Dubium.* *Sotus.* *Gloſſa.* *Abbas.* *Innocent.* *Felinus.*

ſecundo. 16. quæſtione ſeptima, vbi prohibetur Epiſcopis, ne decimas à ſuis ſubditis redimant; etiamſi ab eis vexentur, & aliter eas ſoluere nollent. Quæ prohibitio videtur fundari in hoc, quod decimæ ſunt ſpiritualibus annexæ. Altera ſententia
D. Thom. videtur eſſe diui Thomæ in ſolutione citata ad quintum, vbi nulla facta mentione poſſeſsionis, abſolutè ait, iure acquiſito per collationem, licitum eſſe impedimenta remouere, nimirum acquirendæ poſſeſsionis. Et in articulo quarto ad tertium ait, licuiſſe Abrahamo redemiſſe ſuam vexationem in acquirenda poſſeſsione ſpeluncæ duplicis: cuius proprietas erat ſibi à Deo donata. Et idem dicit de Iacob redimente vexationem in acquiſitione poſſeſsionis primogenituræ, & ſibi annexi Sacerdotij.
Nauarrus. Eandem ſententiam tenet Nauarrus dicto capite numero 102. verſ. octauo. & Car-
Cardinalis. dinal. in cap. *ad aures*. ait, eſſe communem opinionem, quando vexatio eſt tantùm de facto, vt ſtatim declarabimus. Ratio pro hac ſententia eſt: quia poſſeſsio ſecundùm ſe conſiderata, non eſt ius aliquod ſpirituale: ſed declaratio quædam forenſis, qua publicum fit hunc hominem habere beneficium. Probatur: quia poſſeſsio quæ modò datur, non eſt ius ad percipiendum fructus: etenim hoc ius cum collatione beneficij datur. Neque eſt ipſa acquiſitio fructuum: nam ſæpe poſſeſsio præcedit per multum tempus talem perceptionem. Quare quãdo poſſeſsio datur, nil ſpirituale præter titulum de nouo datur: ſed declaratur publicè hunc hominem habere ius, & titulum ſpirituale ad beneficium poſſeſſum. Obijcies: ſat fuerit poſſeſsionem eſſe ſpirituali titulo beneficij conſequenter annexam: vt per præfatam redemptionem acquiratur aliquid inuendibile. Reſpondetur (& ſolutio notanda eſt) poſtquam titulus ſpiritualis plenè acquiſitus eſt, iam poſſeſsio nõ prætenditur vt conſequenda tanquã annexa rei ſpirituali: ſed per ſe vt quid corporale eſt, & immediatè ac per ſe debitum. Ac per conſequens, nõ eſt ſimonia redimere vexationem, quæ circa illam fit: quia ſolũ redimitur factum, non ius. Secus eſſet, ſi ius ipſum in dubium verteretur: & ideò nõ conferretur poſſeſsio. Tunc enim iam non per ſe ſola redimeretur poſſeſsio, ſed vt annexa iuri: & per ſe iam ius ipſum redimeretur. Et cùm non eſſet omninò firmum: iudicium ferretur de ea redemptione iuxta primum, & ſecundum aſſertum noſtrũ. Eſt ſimile. Si habenti, & poſsidenti beneficium negarẽtur fructus per ſolam vexationẽ facti; non eſſet ſimonia illos redimere: quia licèt ſint annexi ſpirituali titulo; tunc non redimuntur vt annexi, ſed ſecundùm ſe, vt benè docet Turrecre. in cap. *altaria*. 1. q. 3. art. 3. & in *Turrecre.* dicto cap. *decimas*. Secus verò eſſet, ſi negarentur reuocando in dubium probabile ius beneficij, ſeu proprietatem eius: tunc enim non magis liceret redimere decimas, quàm ius ad illas. Aliqui ex Iuriſperitis citatis pro hac ſententia, eam tuentur cum limitatione hac: vt non ſit licita in hoc caſu redemptio, niſi quando ſine magno incommodo, periculo, aut mora non poteſt adiri ſuperior, qui autoritate ſua vexationem auferat, & poſſeſsionem conferat. Sed neſcio vnde hauſerint hanc limitationem. Non ex iure poſitiuo: quod credo non eſſe ſtatuens hoc. Non de iure naturali: iuxta quod noſtræ rationes procedunt ſine illa limitatione. Fortaſſe id aliquando conduceret ad vitandam ſuſpicionem ſimoniæ. Sed corã Deo, credo non eſſe talẽ malitiam in præfata redẽptione. Ex dictis patet ad fundamentum contrariæ ſententiæ: quia poſſeſsio nõ redimitur tanquam quid ſpirituale. Ad cap. *decimas*. reſpondetur, nullam prohibitionem fieri Epiſcopis: ſed potius dici, ab eis eſſe prohibẽdum ne id fiat, nempe ne decimæ, quas populus dare non vult, quolibet munere ab eo redimantur. Poteſt autẽ hoc duobus modis prohiberi. Primò, prohibendo laicis ne illã vexationẽ faciant: & cogendo illos. Secũdò poteſt fieri prohibitio Clericis, ne in tali caſu redimant decimas à laicis iniuſtè detinentibus illas. Vtrumque ſenſum admittit textus, ſed poſterior accõmodatior. Et fit ea prohibitio, nõ quia redẽptio ſimoniaca eſſet, vt notant Hugo, & Turrecre. ſed ne detur occa- *Hugo. Turrecr.*
ſio laicis irrogandi Eccleſiæ ſimiles vexationes ſpe lucri, vel propter vitãda alia maiora incõmoda animarũ, & Eccleſiæ. Ex dictis etiã ſequitur, ſiquis habens verũ, & certum ius beneficij quod etiam poſsidet; per vim & fraudẽ poſſeſsione priuetur: poſſe ſine ſimonia redimere vexationẽ ſuã vt reſtituatur. Probatur argumẽto quod à fortiori vocãt: quia ſi abſq; ſimonia poteſt quis redimere vexationẽ circa poſſeſsionẽ debitã, nõ tamen habitã: ergo multo magis poterit circa eã quã ſemel legitimè habuit. Imò hoc etiã procedit iuxta ſententiã eorum qui dicũt, poſſeſsionẽ eſſe aliquid ſpirituale: quia poſt ius acquiſitum, licet circa huiuſmodi

D. Thom. vexationem redimere, vt docuit D Tho. in prima regula iam discussa.

Supereſt reſpondere ad argumenta facta contra ſecundam regulam Thomiſticã. Primum poſtulat: quod dicatur ius acquiſitum? quod verò acquirendum? Ius acquiſitum, eſt debitum ex iuſtitia commutatiua: quod alio nomine dicitur ius in re, quando ſcilicet res habetur, & eſt appropriata habenti ius, licèt interdum non poſsideatur. Ius verò acquirendum, eſt aliquale ius, debitum quidem, ſed ſecundùm rationem iuſtitiæ diſtributiuæ, aut alterius virtutis; & hoc dicitur ius ad rem: ideſt ius innatum, quod propriè & riguroſe nõ dicitur ius, ſed dignitas vel idoneitas perſonæ. Et licèt hæc interdum ſufficiat ad habendum ius quoddam ad rem pertinens ad iuſtitiam diſtributiuam; illud non eſt proprium ius, quia per illud non dicitur res eſſe habẽtis ius: ſed eſt quædam proportio perſonæ cum tali munere, ad quam ſeruandam obligat iuſtitia diſtributiua. Et licèt in illo fiat aliqua iniuria, vt in confirmatione argumenti dicitur: non poteſt redimi per pecuniam, quando per eam obtinetur aliquid ſpirituale, vt iam iam paramus explanare. Ad ſecundum benè ibi reſponſum eſt: & reſponſionem nos ampliauimus circa ſecundum aſſertum. Ad tertium reſpondetur, in huiuſmodi redemptoribus vexationum valde eſſe attẽdendum ad redimentium affectum, quantum ad hoc quod ſi affectus eſt emendi rem ſpiritualem, ſemper peccatur ſimoniævitio. At verò quãuis affectus redimentium non ſit emere res ſpirituales: contingit tamen quandoque in ea redemptione contineri virtualiter emptionem rei ſpiritualis. Et tunc, quidquid ſit de affectu redimentis, ſimonia committitur; eo quod affectus poteſt facere de non ſimonia ſimoniam, propter conſcientiam erroneam: non verò poteſt facere de ſimonia non ſimoniam, quia in eo facto malitia ſimoniaca neceſſariò includitur. Vnde ad argumentum negatur minor: & negatur paritas in vexatione iuris acquiſiti, & acquirendi. Nam quando vexatio fit in iure non acquiſito, ſed acquirendo: per redemptionem non ſolùm tollitur impedimentum; verùm & acquiritur res ſpiritualis. Secus quando ius acquiſitum eſt: quia iam ſpirituale habetur; ac proſide per redemptionem non acquiritur, ſed tantùm vexatio redimitur: ideſt tollitur impedimentum. Item quando redimitur ius acquirendum; virtualiter & neceſſariò ibi includitur acquiſitio rei ſpiritualis: non enim tollitur vexatio, niſi conferendo negatiuum ius. Aliter res ſe habet quando ius eſt acquiſitum: quia nullum ius, nullaue res ſpiritualis confertur, quæ antea non habebatur, eo modo quo incorporalia haberi dicuntur. Præterea: quando redimitur vexatio in iure acquirendo: acquiſitio rei ſpiritualis, eſt effectus per ſe & neceſſariò ſecutus ad eam redemptionem, vt potè in ea neceſſariò tanquam terminus eius incluſus. At quando redimitur vexatio in iure acquiſito: non poteſt eſſe effectus redemptionis, ſiquidem redemptionem præceſſerat.

Circa materiam quarti argumenti: illi quos retulimus ſuprà circa articulum ſecundum, tenentes eſſe licitam redemptionem omnibus patientibus vexationem circa Sacramenta, diuerſimodè reſpondent argumento iſti quarto. Nam quidam ei ſuccumbunt, putantes parum aut nil referre ad redimendum vexationem, eam verſari circa ius acquiſitum, vel acquirendum: exiſtimant namque ſemper licere. Alij exiſtimant, ſecundùm ius diuinum idem eſſe dicendum de Sacramentorum redemptione, & de beneficiorum: at ſecundum ius poſitiuum ex cap. *Matthæus*. redemptionem in iure acquirendo circa beneficia eſſe prohibitam: in Sacramentis verò nequaquam. Alij conceſſa redemptione circa Sacramentorum vexationem; negant etiam attento ſolo iure diuino eſſe licitam circa beneficia. Conanturque rationem diſparitatis adhibere: ſed meo iudicio nihil proficiunt. At verò nos qui reputauimus probabiliorem, & magis ad mentem diui Thomæ nunquam licere pecunia data redemptionem vexationis circa Sacramenta: facilè reſpondemus negando antecedens, & eius probationem, vt patet ex dictis. Itaque cẽſemus ante ius acquiſitum ſiue circa Sacramenta, ſiue circa beneficia & beneficiales actus, ſiue alios ſpirituales, idem eſſe dicẽdum quia rationes factæ circa beneficialia, æquali vi procedunt de redemptione vexationis circa quęcunque alia ſpiritualia; & circa abſolutionem à cenſuris. Noſtram ſententiam tenet Innocent. in dicto cap. *ad aures*. Sed oppoſitam ſententiam tenent multi Iuriſperiti, loquentes de abſolutione à cenſuris redempta per pecuniam:

D. Tho.

Innocent.

ita

Gloſſa. ita Gloſſa in dicto capite *ad aures.* & cap.
Panormit. *dilectus.* primo. Panormitanus, Felinus, &
Felinus. alij. Sed probationes eorum non ſunt efficaces: nec diſſoluunt argumenta pro noſtra ſententia, niſi fortaſse dicēdo cum quibuſdam eorum, fideles habere ius acquiſitum ex Chriſti donatione, & inſtitutione, ad Sacramenta obtinenda, & alia quæ ſuſceptionem eorum concernunt, vt circa abſolutionem à cenſuris, & ſimilia. Sed hoc eſt diuinare ſine fundamento. Fortaſſe vehementius inſtaretur, de vexatione facta à Parocho ſuis Parochianis circa Sacramenta, & abſolutionem à cenſuris. Videntur enim Parochiani habere ius iuſtitiæ commutatiuæ, vt à ſuo Parocho vel Epiſcopo ea ſpiritualia adminiſtrentur: ergo habent ius acquiſitum; & conſequenter poſſunt redimere illud. Reſpondetur: non qualecunque ius iuſtitiæ commutatiuæ dicitur ius acquiſitum, ſed illud dumtaxat per quod res appropriatur, & fit eius qui habet ius. Vnde licèt Parochiani habeant ius iuſtitiæ commutatiuæ à ſuis Parochis exoluendum, vt eis Sacramenta, & alia ſpiritualia conferantur: quia tamen per id ius non fit res ſpiritualis eius qui habet ius, ita vt eius dicatur; non dicitur ius acquiſitum reſpectu Sacramentorum obtinendorum. Nam penes alia non obſtat noſtræ ſententiæ, quia multa iura acquirenda ſupponunt alia iura acquiſita: vt patet in iure circa beneficia obtinenda, quod ſupponit alia iura acquiſita circa beneficiales actus. Et hinc patet ad quintum: fatemur namque poſſe accidere, quòd quamuis quis non habeat ius acquiſitum circa beneficia obtinenda: habeat tamen illud circa quoſdā actus beneficiales antecedentes ipſam beneficij collationem: verbi gratia, circa oppoſitionē: à qua ſi deturbetur per vim vel fraudem; poterit vexationem redimere dato pretio, iuxta doctrinam primæ regulæ. Et idem dico de iure iam habito per electionē, & alijs actibus beneficialibus: dummodò non habeant neceſſariam, & infallibilem connexionem cum beneficio acquirēdo. Nam tunc, ſi vexatio fiat à potente conferre, vel adiuuare beneficij aſſecutionem: ſimonia erit talem vexationē redimere. Ex eadem doctrina patet reſponſio ad confirmationem, concedendo cū Dominico de Soto vbi ſupra,
Sotus. in illis caſibus licere redimere vexationem: quia quāuis ille prætenſor non habeat ius acquiſitum in beneficio: habet tamen ius acquiſitum in beneficij oppoſitione, in libertate ſua, in fama ſua, in quibus contra ius vexatur. Item, quia illi, de quibus in confirmatione, per redemptionem vexationis non parant ſibi viam ad obtinendū beneficium: quia ea conſeruatio libertatis, famæ, & huiuſmodi, in quibus vexantur, nō habent connexionem neceſſariam cum beneficij aſſecutione.

In vltimo argumēto tangitur dubitatio: *Dubium.* vtrùm vacante Sede Pontificia, & nollentibus ijs qui ſuffragia habent in electione, eligere dignum; liceat citra ſimoniæ vitium offerre illis pecuniam, vt deſiſtant ab indigni electione, & eligant dignum? Et quidem apud omnes pro certo ſtatuitur, licitum eſſe in tali caſu offerre pecuniam vt deſiſtāt ab electione indigni; imò à digni electione ſi ſint aliqui digniores: quoniam per talem pecuniam non paratur via ad obtinendum aliquid ſpirituale. Et rurſus Eccleſia habet ius acquiſitum vt non eligatur in Pontificem aliquis indignus: imò verò neque dignus in præſentia dignioris. Quo circa licitum eſt pecunia redimere vexationem, quæ Eccleſiæ fit in eo caſu. Demum oblatio pecuniæ hoc animo facta, vt non eligatur indignus, aut minus dignus, nil aliud eſt quàm auocatio quædam à peccato grauiſsimo. Tota controuerſia in hoc conſiſtit: vtrùm liceat citra ſimoniæ vitium offerre pecuniā hoc animo, vt eligatur dignus ſiue in communi & vniuerſali, quiſquis ille ſit; ſiue in particulari vt eligatur Petrus, qui verbi gratia, dignus eſt? Hāc quæſtionē latè verſant Caietanus tomo 2. opuſ. tractatu 9 quæſt. 3. & poſtea Sotus, & alij. Pro cuius deciſione *Caietan.* *Sotus.*

Dico primò. Licitum eſt dare pecuniam vt eligatur dignus, vel dignior in communi. Hanc aſſertionem quidam formidant concedere, quia hoc eſſet dare pecuniam pro munere ſpirituali: quod etiam in communi non licet, vt pro Miſſa, vel pro aliquo beneficio. Sed probatur noſtra aſſertio: nam licet (vt paulò ante dicebamus) offerre pecuniam hoc animo, ne eligatur indignus. At inde neceſſariò ſequitur eligendum eſſe dignum ſaltem in communi, ſuppoſito quòd electio eſt facienda: cùm inter dignum & indignum, nullum ſit medium. Secundò. Eccleſia habet ius acquiſitū, vt eligatur in paſtorē ſuum vir dignus dignitate paſtorali. Itaque hoc eſt illi debitum ex iuſtitia commutatiua. At poſt ius acquiſitum, & debitum ex commutatiua,

licet pretio vexationem redimere: ergo. A
Caietan. Hæc aſſertio tenetur à Caietano, Soto, &
Sotus. Maiori in quarto diſtinct. 25. quæſtione 5.
Maior. ad ſecundum: & extendenda eſt ad caſum in quo aliquis electorũ vexaret Eccleſiam, impediendo iniquè Summi Pontificis electionem: vel ſi omnes electores vafrè eam differrent, cum magno Eccleſiæ diſpendio: quia in Summi Paſtoris electione hoc iure videtur donata, vt circa eligendum, nec circa electionem vexetur. Et ad obiectionem factam in oppoſitum reſpondetur, in caſu huius aſſertionis non dari pecuniam pro exercitio ſpiritualis functionis, ſed ſolũ pro determinatione quoad ſpecificationem (vt aiunt Theologi) quæ naſcitur ex hoc, quòd B
voluntas eligentis retrahitur ab obiectis indignis, vel minus dignis. Hanc autem excluſionem redimere licet: ergo & ſpecificationem illam vt eligatur dignus dumtaxat, quatenus ex illa excluſione ſequitur: nam in hoc caſu, ſecundùm rem idem eſt non eligere indignum, & eligere dignum; licèt verba videantur diuerſa ſonare. Vnde patet ad obiecta ſimilia, quæ longè differũt à noſtri caſus exemplis.

Secundò dico. Simonia eſt offerre pecuniam, vel quoduis temporale, vt eligatur dignus in particulari: quamuis Eccleſia extrema neceſsitate ſpirituali vrgeatur. Probatur: quia nemo habet ius acquiſitum ad C
beneficium quoduis, ante electionem ad illud. Ergo iuxta regulam traditam, ſimonia eſt parare per pecuniam viam ad illud obtinendum. Sed contra vtramque aſſertionem eſt argumentum: nam videntur ſe adinuicem perimere; aut ex vna, cõtradictoriam alterius inferri. Etenim dato caſu, certum eſſe & indubitatum inter eligendos ſolùm vnum eſſe dignum, cæteros verò indignos; vel vnum ſolùm eſſe digniorem reliquis: & offertur pecunia licitè, vt dicitur in prima aſſertione, vt eligatur dignus. At cum non ſit niſi vnus dignus, & D
hoc certò ſciatur: certè in re datur pecunia vt eligatur iſte dignus in particulari, quidquid verba ſonent de digno in communi. Confirmatur. Nam hoc argumento collegimus in prima aſſertione, eſſe licitum dare pecuniam pro electione digni in cõmuni: videlicet, quia licet dare eam, ne eligatur indignus: & ſuppoſito electionem eſſe faciendam iuxta, ſubſequitur vt eligatur dignus. Ad hoc argumentum reſpondet
Sotus. Soto ſolutione ad quintum diſtinguendo: nam vel vnus tantùm eſt dignus, & alius ſeu alij omnes indigni: vel ſunt plures digni. In priori caſu concedit, licitum eſſe dare pecuniam vt talis in particulari eligatur: imò inquit tunc licitum eſſe emere ipſam electionem; & conſequenter Pontificatum pro tali perſona. Loquitur enim conſequenter ad doctrinam, quam de infante baptizando tradiderat: ſcilicet emptionem rei ſpiritualis non eſſe intrinſecè malam, ſed honeſtari in caſu extremæ neceſsitatis: & talem eſſe putat in eo caſu Eccleſiæ neceſsitatem. At, inquit, in poſteriori caſu non licere dare pecuniam pro digniſsimo in particulari eligendo: quia non credit eſſe illam extremam neceſsitatem Eccleſiæ, ſiquidem per electionem digni ſufficienter ei prouidetur, & alioqui non cenſet poſſe ibi ſeparari redemptionem vexationis ab emptione rei ſpiritualis; ac proinde in eo caſu non honeſtari ſi ad digniorem terminetur. Sed hæc Soti ſententia quantum ad id quod affirmat, emptionem rei ſpiritualis non eſſe intrinſecè malam, ſed poſſe honeſtari propter extremam, aut graniſsimam neceſsitatem: iam ſuperius circa articulum ſecundum à nobis impugnata eſt. Quapropter alia via procedere oportet: videlicet, an in caſu argumenti poſsit ſeparari redemptio vexationis, ab emptione rei ſpiritualis. Nam ſi ita fiat, & quotieſcunque fiat, licita erit redemptio vexationis: ſin minus illicita erit, & ſimoniaca.

Dico tertiò. Si multi ſunt æquè digni: non licet pro vnius electione determinatè pecuniam offerre. Ita Caietanus, & omnes. *Caietan.*
Et ratio eſt aperta: quia quicunque eligatur, nulli fit vexatio. Ergo ſi offeratur pecunia, non pro vexatione, ſed pro electione talis perſonæ pecunia datur: quod certò certius eſt ſimoniam eſſe.

Dico quartò. Si inter dignos duo vel tres ſint digniores cæteris, & inter ſe cenſeantur æquales: licitum eſt pecuniam dare vt non eligatur minus dignus; ſeu quod idem eſt, vt eligatur digniſsimus negatiuè: ideſt, vt eligatur aliquis quo nullus ſit dignior. Hæc aſſertio coincidit cum prima, & probatur: quia per illam pecuniam non determinatur voluntas eligentis, magis quàm ſecundùm rectam rationem determinari debeat: ſed tantùm à malo remouetur, & inducitur ad bonum, non emendo ſuffragium, ſed corrigèdo malũ effectum, vt relinquatur voluntas libera ad iuſtè eligendum.

Dico

Dico quintò. Etiamſi electores decreuerint ex certo numero hominũ eligere, quorum vnus tantum dignus eſt, alii verò indigni: licet pecuniam dare vt non eligatur indignus, vel vt eligatur dignus (quod idẽ eſſe dixi) ſi dignus tantùm formaliter ſub ratione digni, & nõ moraliter ſub ratione Petri aut Ioannis intendatur. Hæc aſſertio ex priori patet, & cõceditur à Soto, Nauarro, & alijs: nec diſſentit Caietan. quia loquitur ſemper ſupponendo plures eſſe dignos. Et mihi etiam placet. Sed non eſt facile argumento poſito reſpondere: quia videtur in re dari pecuniam pro electione illius particularis, qui ſolus dignus eſſe agnoſcitur. Nihilominus reſpondetur, etiam in caſu argumenti, pecuniæ largitionem terminari ad dignũ quaſi ſpecificatiuè: ideſt, ad id quod electores tenentur agere ſecundùm rectam rationẽ. Quod autem contingat in vna tantùm perſona obiectum illius petitionis verificari, materiale eſt. Et benè nota diſcrimẽ inter oblationem pecuniæ pro eligẽdo Petro, qui ſolus dignus cenſetur; & pro eligendo digno: & tamen ſolus Petrus dignus eſt. Nã in ſecũdo ſiſtit petitio in qualitate perſonæ eligendæ, & in eo quod neceſſarium eſt ad vitandum iniuſtitiam: in primo autẽ petitio tendit ad applicationem illius qualitatis ad talẽ perſonam, & conſequenter per pecuniam petitur ab alio, vt hanc perſonã eligat vt ſolam dignam, vel digniorem cæteris. Hoc autem non ſolùm eſt remouere malum, & inducere ad ſeruandum iuſtitiæ leges: ſed etiam directè inducere per pecuniam ad electionem; quod ſimoniacum eſt.

Sotus. Nauar. Caietanus.

Dico vltimò. Quando plures ſunt digni, & vnus cæteris dignior, licitum eſt dare pecuniam vt eligatur omnium digniſſimus. Hæc aſſertio probatur ſicut præcedens: ſed vt verum fatear, non eſt tam certa ſicut illa. Eam negat Soto, quia ait, quãdo plures digni eligibiles adſunt, non conſtitui Eccleſiam in extrema neceſſitate, vt dignior eligatur. Et aliunde à nobis obijcitur: quia cùm per electionem digni prætermiſſo digniore non violetur iuſtitia commutatiua; nec Eccleſia habeat ius acquiſitum, vt ſibi in Paſtorem præficiatur qui dignior eſt. Similiter neque ille dignior habet vllum ius acquiſitum vt eligatur: ergo nulla ibi interuenit vexatio, quæ ſupponit læſionem iuſtitiæ commutatiuæ. Argumentum probabile. Reſpondetur tamen: Eſtò Eccleſia non habeat ius iuſtitiæ commutatiuæ ad digniorem (cuius oppoſitum aliqui docent) ſatis tamẽ eſt, quòd illi ſit debitum quocunque titulo, vel iuſtitiæ diſtributiuæ, vel legalis, vel fidelis diſpẽſationis: & quòd violatio huius debiti cedat in magnum detrimentum boni vniuerſalis; vt ſit licitum talem vexationem redimere. Sed dubitas, an doctrina tradita ad ſolam electionem Summi Pontificis applicanda ſit? an verò ad alias præfecturas ſpirituales, vt Epiſcopatum, Canonicatum, & ſimilia? Caietanus ſolùm loquitur de electione Summi Præſulis. Et quidem in ea vrgere præcipuè vexationis redemptionem iuxta dicta perſpicuum eſt, propter excellẽtiam perſonæ toti Eccleſiæ præficiendæ, propter maiorẽ neceſſitatem, propter pernicioſiorem errorem, & huiuſmodi. At verò alij, & meritò, ad alias electiones ſpirituales doctrinam extendunt. Canoniſtæ verò ſupra citati etiam extenſionem admittunt, ſed cum limitatione: niſi recurſus ad ſuperiorem, qui iubeat ritè electionẽ fieri, ſit facilis. Quod credo ſolùm ſpectare ad iuris præſumptionem; non ad rem ipſam.

Caietan.

ARTICVLVS V.

Vtrùm liceat ſpiritualia dare pro munere quod eſt ab obſequio, vel à lingua?

AD QVINTVM ſic proceditur. Videt, quòd liceat ſpiritualia dare pro munere quod eſt ab obſequio, vel à lingua. Dicit enim Greg. in regiſtro. Eccleſiaſticis vtilitatibus deſeruientes, Eccleſiaſtica dignũ eſt remuneratione gaudere. Sed deſeruire Eccleſiaſticis vtilitatibus pertinet ad munus ab obſequio. Ergo videtur quòd licitũ ſit pro obſequio accepto Eccleſiaſtica beneficia largiri.

4.d.25.q.3. art.3.

Li.2.e.57. in princip.

2 ¶ Præterea. Sicut carnalis videtur eſſe intentio, ſi quis ali-

cui det beneficium Ecclesiasti- A cum pro suscepto beneficio, ita etiam si quis det intuitu consanguinitatis. Sed hoc non videtur esse simoniacum, quia non est ibi emptio & venditio: ergo nec primum.

3 ¶ Præterea. Id quod solùm ad preces alicuius fit, gratis fieri videtur: & ita non videtur locum habere simonia, quæ in B emptione vel venditione consistit. Sed munus à lingua intelligitur, si quis ad preces alicuius Ecclesiasticum beneficiũ conferat. Ergo hoc non est simoniacum.

4 ¶ Præterea. Hypocritę spiritualia opera faciunt vt laudem humanam consequantur, quæ ad munus linguæ pertinere videC tur, nec tamen hypocritæ dicũtur simoniaci. Nõ ergo per munus à lingua simonia contrahitur.

¶ Sed contra est, quòd Vrbanus Papa dicit. Quisquis res Ecclesiasticas non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguę vel obsequij, vel pecuniæ, largitur vel adis- D piscitur, simoniacus est.

Habetur 1. q. 3. c. Salvator, ante medium.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictum est, nomine pecuniæ intelligitur cuiuscunque pretium, quod pecunia mensurari potest. Manifestum est autem, quòd obsequium hominis ad aliquam vtilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari. Vnde pecuniaria mercede ministri cõ ducuntur. Et ideò idem est, quòd aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset. Similiter etiam quòd aliquis satisfaciat precibus alicuius, ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam vtilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideò sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus à manu, ita etiam contrahitur per munus à lingua vel ab obsequio.

art. 2. huius quæst.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd si aliquis Clericus alicui Prælato impendat obsequium ad spiritualia ordinatũ (putà ad Ecclesiæ vtilitatem, vel ministrorũ eius auxilium) ex ipsa deuotione obsequij redditur dignus Ecclesiastico beneficio, sicut & propter alia bona opera. Vnde nõ intelligitur esse munus ab obsequio. Et in hoc casu loquitur Grego. Si verò sit inhonestum obsequium vel ad carnalia ordinatum (putà quia seruiuit Prælato ad vtilitatẽ cõsanguineorum suorũ, vel patrimonij sui, vel ad aliquid huiusmodi) erit munus ab obsequio, & est simoniacum.

¶ Ad

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſi aliquis aliquid ſpirituale alicui cõferat gratis propter conſanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, eſt quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen ſimoniaca: quia nihil ibi accipitur. Vnde hoc non pertinet ad contractũ emptionis, & venditionis, in quo fundatur ſimonia. Si tamen aliquis dat beneficium Eccleſiaſticum alicui, hoc pacto, vel intentione, vt exinde ſuis conſanguineis prouideat, eſt manifeſta ſimonia.

¶ Ad tertium dicendum, quòd munus à lingua dicitur, vel ipſa laus pertinens ad fauorem humanum, qui ſub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur fauor humanus, vel contrarium euitatur. Et ideò ſi aliquis principaliter ad hoc intendit, ſimoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit. Vnde ipſum factum eſt ſimoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipſum factũ non eſt ſimoniacum: quia ſubeſt debita cauſa, ex qua illi pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid confertur: tamen poteſt eſſe ſimonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad fauorem humanum. Si verò aliquis pro ſe rogat vt obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus, & ſic preces ſunt pro indigno. Licitè tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigẽs, pro ſe beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura animarum.

¶ Ad quartum dicendũ, quòd hypocrita non dat aliquid ſpirituale propter laudem, ſed ſolùm demonſtrat: & ſimulando magis furtiuè ſurripit laudem humanam quàm emat. Vnde non videtur pertinere ad vitium ſimoniæ.

CONcluſio. Sicut eſt ſimonia, ſpiritualia conferre pro pecunia, vel pro alio munere à manu: ita pro munere ab obſequio, vel à lingua. Probatur, quia munus ab obſequio, vel à lingua, ſunt pecunia æſtimabilia: ergo conferre ſpiritualia pro his; idem eſt ac ſi pro pecunia darẽtur.

Paraphraſis Articuli.

SAnctus Thomas circa primum, & ſecundum articulum docuerat, non poſſe accipi pretium pro re ſpirituali ſine vitio ſimoniæ: quod formalius exprimitur in dationę pecuniæ pro ſpirituali re. In hoc verò art. de alijs modis, ſeu ſpeciebus pretij diſputat, inquirens, an per earum dationem, ſimonia contrahi poſsit? Et ponit diuiſionem pretij, in illud quod dicitur munus à manu, & illud quod ab obſequio, & à lingua. Diuiſio celebris eſt apud omnes: & habetur in cap. *ſunt nonnulli.* 114. 1. q. 1. vbi D. Gregor. ait: *Aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua.* Et hæc deſcribens ſubdit: *Munus ab obſequio eſt, indebitæ ſeruitutis: munus à manu, pecunia eſt: munus à lingua, fauor.* Eadem diuiſio habetur in cap. *ordinationes.* & cap. *de ordinationibus*, eadem. & in cap. *Saluator.* 1. q. 3. Sed vt explicatius procedamus, aduerte, inter munera à manu principem locum tenere pecuniam, ſiue numeratam, ſiue promiſſam. Quæ ſi pro re ſpirituali detur, aut promittatur; ſimoniæ vitium incurritur,

ritur, vt habetur in capit. *nobis*. de ſimonia, cap. *de hoc*. capite *cum eſſent*. capite *tua nos*. & ſimilibus. Item: ſufficit ad ſimoniam mortiferam pecunia data, vel promiſſa, etiamſi ſit exiguæ quantitatis; vt notant ferè omnes Theologi, & Iuriſperiti. Et videtur colligi ex capite *ex tuæ*, vbi Clericus qui ſex tantùm ſolidos pro ſua præſentatione ad ordines dedit; perpetuò deponendus ab ordine, & in Monaſterium detrudendus dicitur. Quæ quantitas ſatis parua videtur, vt Doctores ibi notant. Facit etiã caput. *placuit*. 102. 1. quæſtione 1. facit etiã factum Eſau, qui pro vili pretio grauem ſimoniam commiſit. Vide etiam Hieronym. Malach. 13. & refertur in capite *iudices*. 1. quæſtione 1. Ratio verò eſt, vt dicit Nauar. in Manuali cap. 23. num. 101. & cõſ. 52. de ſimonia. quia licèt pecunia ſit parua, irreuerentia eſt magna, eo quod res ſpiritualis venalis efficitur. Præterea. Sub munere à manu comprehendũtur omnes res temporales pretio æſtimabiles. Et in capite *totũ*. 6. 1. quæſt. 1. ſic ait Auguſtin. *Totum quidquid homines poſſident in terra: omnia quorũ domini ſunt, pecunia vocatur: ſeruus, & vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum eſt, pecunia dicitur*. & cap. *& ſi quæſtiones*. cap. *tua nos*, cap. *in tantum*. de ſimonia. Et ratio eſt aperta: quia eadem irreuerentia fit rei ſpirituali ſiue commutetur pro re pecunia æſtimabili, ſiue pro ipſa pecunia: ſiue ea commutatio dicatur emptio, vel non. Item: ad munus à manu pertinet, ſi quis pro re ſpirituali conſequenda debitum remittat, aut ſe remiſſurum promittat, & ſimoniam committit. Ratio clara eſt: quia qui remittit debitum, moraliter dat remvel pecuniam debitam: & cui remittitur, accipit. Et idem eſt ſi remittit rem priuſquàm debeatur; vel promittit remittere pro eo tempore quo debebitur, vt habetur cap. penultimo. de ſimonia. Et hæc benè nota pro multis decidendis caſibus: in quibus propter remiſſionem, vel propter premiſſionem remiſſionis incurritur ſimonia, vt videre eſt apud Nauarrum capite 27. numero 158.

Hieronym. *Nauarrus.* *Auguſt.* *Nauarrus.*

Sed dubitabit quiſpiam, an inter munera à manu ſit computandum mutuum: ita quod mutuare pecuniam pro obtinẽdo beneficio, vel alia ſimili re ſpirituali; vel è cõtra dare beneficium ſub conditione pecuniæ mutuandæ, ſit ſimonia? Et videtur vera pars negatiua. Nam ex omnium Doctorum ſententia, & D. Thom. in hoc articulo, ad ſimoniã requiritur pretium, aut aliquid pretio æſtimabile. At qui mutuum tantùm petit pro re ſpirituali; nõ pecuniam petit pro ea, ſed pro æquali pecunia, quam poſtea ſoluturus eſt. Ergo ſolam mutuationem petit quæ non eſt aliquid æſtimabile pecunia: ergo. Et confirmatur, quia mutuum non ſufficit ad vſuram. Etenim qui non vult mutuare pecuniam, niſi ſub conditione accipiendi mutuatum triticum; per ſe loquẽdo non comittit vſuram, vt dicitur à D Tho. & eius diſcipulis in materia de vſura. Et ratio eſt: quia nihil pretio æſtimabile vltra ſortem petit. Ergo ſimiliter in præſenti, id non eſt ſufficiens pretium ad ſimoniam. Nihilominus mutuum inter munera à manu computatur: & dare rem ſpiritualem pro mutuo, ferè ab omnibus ſimonia cenſetur. Et ad obiectionem reſpõdetur, quòd licèt mutuum ſecundùm ſe non ſit æſtimabile pretio: nihilominus vtilitas illa quę eſt in præſenti vſu pecuniæ, aliquid eſt temporaliter vtile: & illud ſi ſpectetur vt pretium rei ſpiritualis, ad ſimoniam ſufficit, quamuis id non ſit pretio peculiari æſtimabile, ſed eodem quo ipſa pecunia: quia ad deordinationem ſimoniæ, ſufficit illa commutatio vtilitatis temporalis cum re ſpirituali. Ad confirmationem reſpon. multas eſſe commutationes & conuentiones, quæ ſunt immunes à vitio vſuræ, non verò à ſimoniæ labe: quia in mutuo largiendo non eſt neceſſaria tanta puritas, & gratia, quanta in ſpiritualibus diſpenſandis, propter dignitatem eorum, quæ non admittit commutationem pro rebus temporalibus: quæ dignitas non reperitur in rebus mutuatis.

D. Thom.

Munus ab obſequio non eſt aliud quàm opus quoduis hominis, quod ad vſus & commoditates eius ordinatur. Quòd ſi pro re ſpirituali commutetur, vel è conuerſo: haud dubium quin ſimoniam inducet, quia cùm huiuſmodi operationes ſubeant rationem mercium, conducanturque ac locentur pretio; eſſe æſtimabilia perſpicuum eſt: ac proinde ſi pro re ſpirituali commutentur, in tali commutatione malitiam ſimonię interuenire neceſſe eſt. Munus à lingua, preces ſunt, ſupplicationes, laudes, adulationes, interceſsiones omnes. Quæ cùm pretio ſint æſtimabilia; citra dubium ſi pro eis ſpirituale detur, ſimonia committitur. Hæc pro explicatione literæ D. Thomæ. Circa hunc articulum ſequitur

DISP.

DISPVTATIO I.

An dare beneficium, vel aliquod aliud ſpirituale ratione conſanguinitatis tantùm, ſit ſimonia?

IT videtur vera pars affirmatiua, ex Autoribus, & iuribus citandis. Negatiua autem videtur ſuaderi, quia cõſanguinitas non cõprehenditur ſub munere à manu, ab obſequio, vel à lingua: ergo non eſt ſufficiens materia ſimoniæ. Partem affirmatiuam tenuit Cantor Pariſienſis, vt refert Altiſiodorenſ. quæ adſcribitur etiam D. Bonauenturæ, ſed falsò; verius tribueretur Maiori in 4. diſtinctio. 25. quæſt. 3. ad primum, & videtur colligi ex cap. *nemo*, de ſimonia. Et confirmatur ex cap. *ſi quis neque*. 115. 1. q. 1. vbi D. Gregor. videtur addere quartum membrum diuiſionis poſitæ dicens: *Iniuſto cordis amore, id eſt, carnali affectu, qualis eſt ad conſanguineos.* Et ratio pro hac ſententia eſt argumentum ſecundum D. Tho. quia non minus æſtimabilis pretio eſt conſanguinitas, nec minus carnalis, quàm fauor humanus, qui pertinet ad munus à lingua: propter quem dare beneficium, ſimonia eſt. Oppoſita ſententia vera eſt, & communis. Ita D. Thom. in hoc articulo ſolutione ad ſecundum, & omnes eius diſcipuli, Adrianus dicto quodlib. ad tertium, Couarr. li. 1. variarum. cap. 5. num. 4. & alij ferè omnes. Probatur: quia dans conſanguineo beneficium, vel aliud ſpirituale, non dat ſpirituale pro temporali: nec dat ex pacto, quia erga conſanguinitatem impoſsibile eſt: ergo nulla adeſt ſimonia de iure diuino. Quod ſi obijcias, pretio æſtimari quòd quis ſe fingat cõſanguineum alterius: pro quo ſi quis offerat beneficium, ſimoniacus eſt: vt ſi Epiſcopus infimis parentibus ortus, det viro illuſtri beneficium, vt ſe fingat illius conſanguineum, ſimonia eſt. Reſpondetur, id iam pertinere ad munus à lingua, de quo inferius. Nos verò loquimur de datione beneficij intuitu conſanguinitatis. Et ad textus in oppoſitum adductos, qui videntur probare hanc dationem eſſe prohibitam vt ſimoniacam iure humano; reſpondetur, non eſſe verum (vt patebit attentè eos legenti) ſolùm ibi reprehendi Epiſcopos, quia præter ius, & æquũ, prætermiſsis dignis, vel dignioribus, ſuos cõſanguineos præferunt. Et de intelligentia capituli *nemo*. vbi videtur dici hoc eſſe ſimoniacum, iam ſuprà reſpondimus, aſsignantes veram illius textus interpretationem. At ſi Epiſcopi ſuis conſanguineis aliàs benemeritis de beneficio, etiam comparatione aliorum, beneficia conferant ratione ſolius conſanguinitatis: nullum peccatum committunt per ſe loquendo. Caueant tamen Epiſcopi ſcandalum quod oriri poteſt, & ſæpe oritur ex prouiſionibus conſanguineorum: vel quia ſunt frequentes, vel quia eorum ſufficientia non conſtat publicè. Item caueant, ne affectu carnali ducti fallantur circa ſufficientiam eorum. Tunc enim peccabitur, vel contra charitatem ſcandalizando proximos; vel contra iuſtitiam diſtributiuam, vel quid ſimile: non verò erit peccatum ſimoniæ. Ad rationem pro oppoſita ſententia reſpondetur, conſanguinitatem plurimi reputari: nequit tamen eſſe materia ſimoniæ, quia nullo modo poteſt alteri conferri. Ex quo etiam liquet, etſi prohibeatur iure poſitiuo, eam prohibitionem non poſſe ad ſimoniæ vitium referri.

Altiſiodo. *D. Bonau.* *Maior.* *Gregor.* *D. Thom.* *Adrian.* *Couarru.*

DISPVTATIO II.

An dare munera à manu pro beneficio obtinendo, ſimonia ſit?

DIco primò. Quando munus datum habet rationem pretij reſpectu rei ſpiritualis obtinendæ: ſimoniaca datio, & receptio eſt. Si verò non eam rationem pretij inducit: nequaquam ſimonia erit. Vtriuſque partis ratio clara eſt: quia malitia ſimoniæ in hoc conſiſtit, vt pro re ſpirituali pretium, vel habens rationem pretij detur. Nauar. cap. 23. num. 100. verſ. 4. cum Archidiacono in cap. *iudices*. & cap. *ordinationes*. 1. quæſt. 1. ait, tunc habere rationem pretij, quando dantur pro ipſa re ſpirituali, & in commutationem eius. Et hi dicunt, ſic eſſe intelligenda iura Canonica quando vtuntur illa voce *pro*, ad explicandum vitium ſimoniæ, vt in c. *placuit*. 102. & ſequentibus. 1. quæſtione 1. cap. *non ſatis*. ibi: *Pro earum commiſsione pretium exigatur*: & cap. *cùm in Eccleſiæ*. ibi: *pro Epiſcopis*. & cap. *ſicut tuis*. ibi: *Pro facto huiuſmodi aliqua pecunia offerretur*, de ſimonia. Et certè ſi attentè conſideretur

Nauar. *Archid.*

retur quid eſt vnum pro alio dari, quod emptionem, vel oneroſum contractum æquiualentem emptioni denotat: ſi temporale donũ pro re ſpirituali datur, haud dubium quin ſimonia deſignetur, vt ex art. 1. & definitione ſimoniæ patet. Ex hoc infertur corollarium: quando temporale donum gratis datur, nulla committitur ſimonia ſtãdo in ſolo iure naturali, & diuino. Ita colligitur ex cap. *quàm pio*. 2. quæſt. 2. & in cap. *ſicut Epiſcopus*. eod. Quæ iura de muneribus antecedentibus beneficij collationem intelliguntur. Imò etiamſi in ipſo actu, ſimul cũ beneficio ſpirituali temporale donum offeratur gratis; recipi poſſe dicitur in cap. *placuit*. 2. 1. quæſt. 1. & in cap. *dilectus*. 2. & cap. *tua nos*. vbi Doctores. Ratio corollarij aperta eſt: quia quod datur gratis, nequit rationem pretij habere: ſiue detur ante collationem rei ſpiritualis, ſiue poſtea, ſiue ſimul. De quo Nauarrus vbi ſuprà num. 106. ad quartum, & Couarrub. lib. 1. variarum, cap. 20. num. 4. Ad dationem gratuitam reducitur datio temporalis doni, ad ſuſtentationem recipientis beneficiũ: quæ licèt ſit debita ex iuſtitia Beneficiato; tamẽ ipſum beneficium gratis datur. Idem dicito de datione pro extraordinario labore, & de datione pro redimenda vexatione: de quibus ſuprà ſatis dictum eſt.

Nauarrus. *Couarr.*

Demum notandum, in huiuſmodi munerum largitione reperta circa ſpiritualium collationem, maximè beneficiorum, valdè conſiderandam eſſe intentionem dantium, & accipientium. Nam etiamſi non adſit intentio formalis dandi, vel recipiendi tẽporale munus pro re ſpirituali: poteſt tamen adeſſe virtualis intentio, quæ ſufficiet ad ſimoniam, vt colligitur ex cap. *tua nos*. de ſimonia. Vbi loquens Pontifex de eo qui donans bona Eccleſiæ ſuæ, rogans admitti ad Canõgiam, & permitti habere bona ſua pro præbenda; & de Canonicis illum admittentibus, ait: *Si tamen is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, vt per temporalia bona, ſpiritualia valeat adipiſci; & Clerici qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri; ſine dubio tam iſti, quàm ille, apud diſtrictum iudicem culpabiles iudicantur*. Vbi citra dubium de vera ſimonia, per virtualem intentionem commutandi vnam rem pro alia, ſermo eſt. Aduerte tamen ne fallaris, ſæpè contingere, dantes, vel recipientes ſpiritualia; ſecundariò attendere ad munera temporalia, propter aliquam honeſtam cauſam dandi, vel recipiendi temporalia. Et tunc ea intentio non debet ſimoniaca iudicari: nam Sacerdos qui applicat Miſſam pro eo qui ſtipendium dedit, vel daturus eſt, aliàs non oblaturus; non eſt ſimoniacus. At ſi teneatur Miſſam pro populo offerre, & ab illo nouum ſtipendium exigat vt pro illo dicat, aliàs non oblaturus; virtualiter vult Miſſam vendere: quia cùm non habeat ius petendi nouum illud ſtipẽdium; moraliter cõuincitur exigere vt pretium, ſeu in commutationem rei ſpiritualis. Ita D. Thom. in hac quæſtione art. 3. ad 3. Igitur quoties nec ratio ſtipendij locum habet, nec redemptio vexationis licita, aut aliæ extrinſecæ rationes accidentarij laboris, vel honeſtę amicitiæ, vel quid ſimile: & nihilominus temporalia dantur ſolo intuitu obtinendi ſpiritualia, vel è contrario: illa intentio ſufficit, vt illud temporale habeat rationem pretij rei ſpiritualis; & ſic ſimonia vera coram Deo committatur. Et quamuis ex intẽtione formali, vel virtuali dandi munera pro re temporali, colligatur ſimoniæ vitium: cùm tamen difficile ſit huiuſmodi intentionem agnoſcere; ex coniecturis, & alijs indicijs Eccleſia, & ſapientes viri præſumptionem ſumunt ſimoniacæ malitiæ, vel carentiæ illius. Quæ præſumptio, licèt in foro interno aliquando fallat; in externo tamen multum iuuat. Et ideò quidam in c. *& ſi quæſtiones*. de ſimonia. erudite docent circunſtantias, vnde huiuſmodi præſumptio ſumenda ſit. Vbi tria conſideranda eſſe dicuntur: perſonæ dantis, & accipientis qualitas; quantitas muneris; & tempus, id eſt occaſio dationis. Perſonæ, inquam, dantis, & accipientis conſiderandæ ſunt, v. g. an ſit dives, vel pauper qui dat, & cui datur: eo quod quantitas donationis, ex habitudine ad perſonam pendet. Sæpè enim quod parum eſt reſpectu diuitis: eſt multum reſpectu pauperis. Et eadem ratione nobilitas perſonæ conſideranda venit: quia ex reſpectu ad perſonæ nobilitatem, quantitas doni augetur, vel diminuitur cæteris paribus; & ipſa nobilitas per ſe eſt indicium gratuitæ donationis. Ad hanc circunſtantiam ſpectat vinculum perſonarum inter ſe. Nam ſi aliàs inter eos intercedat magna amicitia, vel conſanguinitas: faciliùs præſumitur liberalis donatio inter ipſos facta. Denique eſt conſideranda virtus, & integritas perſonæ. Nam ſi eſt timoratæ conſcientiæ, aut ingenuis moribus præditus; & præſertim liberalis, aut diuitiarum contemptor: multum

D. Thom.

auget

auget bonam præsumptionem. E contrario A verò, ex contrarijs qualitatibus personæ, contraria præsumptio sumitur. Secunda circunstantia est quantitas muneris. Nam si sit nimis magna, non præsumitur liberalitas, quia nemo debet præsumi sua bona prodigere. Si verò munus sit exiguum, & vile; quasi nihil reputatur: quia non est verosimile dari pro re tam excellenti, vt est res spiritualis; nec ad mouendum animum eius, à quo spirituale aliquid desideratur. Præterea, materia temporalis considerandа est. Nam si res donata sit numerata pecunia: malam secum affert simoniæ speciem. At verò si sit res pertinens ad cibum, B vel potum, & in parua quantitate: quasi nihil æstimari solet, vt in eodem capite *& si quæstiones*. indicatur, & in capite *Statutum*. §. insuper. de rescriptis. in texto. Demum esset considerandа circunstantia temporis, præcipue occasio largitionis, vt in eodem textu expresse significatur: vt si Prælatus Ecclesiasticus hic & nunc indigebat, & aliter sibi prouidere non poterat. Tunc enim censetur subuentio necessitatis, non emptio spiritualis actionis, aut beneficij. Ad hanc temporis circunstantiam pertinet considerare an munus detur ante receptam rem spiritualem, vel in ipsa recep- C tione, vel post ipsam. Nam si munera dētur post receptionē rerum spiritualium; & præcipuè si temporis interuallum præcessit: tunc facilius præsumitur esse liberalitatem, aut gratitudinem. At verò si in continenti detur; maiorem habet speciem recōpensationis. Si autem præcesserit; videtur inducere quandam necessitatem, vel posse mutare animum: & ideò minuitur præsumptio liberalitatis, vt indicatur in cap. *quam pio*. in fine. & sumitur ex cap. *sicut Episcopus*. 2. quæstione 2. & Doctoribus ibidem. Hæ coniecturæ habentur in dicto capite *& si quæstiones*. Alias plures coniecturas po- D test quis considerare. Verbi gratia: si adsit pactio munerum dandorum: quia hæc repugnat gratuitæ donationi. Si interueniat taxatio rei temporalis tribuendæ: indicium est oneroſi contractus, vt habetur capite *dilectus*. de simonia. Item si dorum temporale non sit sponte oblatum, sed exactum: indicium est non gratuitæ donationis, vt significatur in Extrauaganti prima. de simonia.

DISPVTATIO III.

An dare beneficia, vel alia spiritualia pro obsequijs, simonia sit?

EST videtur vera pars negatiua. Nam beneficium Ecclesiasticum collatum in vtilitatem Ecclesiæ, aut ministrorum eius, non est simonia, vt ait Diuus Thomas ad primum: *D.Thom.* ergo collatum propter qualiacunque obsequia, etiam inhonesta, non erit simonia. In hac re decidenda cōmuniter dicitur: si obsequia resoluantur in pretium: ea dare pro re spirituali obtinenda, vel dare rem spiritualem pro ea; simoniam esse. Sin verò nō resoluantur in pretium: in eis exhibendis simoniam non esse. Benè hoc dicitur: sed explicatiùs oportet dicere, quando resoluātur in pretium, & quando non. Vnde

Dico primò. Dare, & accipere beneficiū spirituale, propter obsequia ante beneficij collationem iam exhibita, in eorum recompensationem, & quasi solutionem debiti ex iustitia, ad condignam mercedem tribuendam, simonia est. Si autem beneficij collator moueatur ex huiusmodi obsequijs, ad dandum beneficium gratis; nulla est simonia. Ita D. Thom. in hoc articulo: ipsumq; *D.Thom.* sequuntur omnes Theologi, & Iurisperiti in locis ex iuribus citatis. Prima pars asserti probatur, quia debitum temporale ortum ex obsequio, beneficio persoluitur: quod idem est ac si pecunia solueretur; ac proinde tunc obsequia in pretium resoluuntur. Secunda pars probatur: quia tunc obsequia non habent rationem pretij, sed dumtaxat conciliant beneuolentiam, à qua procedit gratuita beneficij collatio. Hanc assertionem intelligo, siue obsequia sint honesta, vel turpia: quia ad rationem simoniæ nil hoc refert. Sed tamen considerandum est, an habeant rationem pretij, necne. Nam si habeant; per vtrumque exhibitionem fit simoniaca collatio: si non habeant; nequaquam simonia interuenit. Assertio declaratur in Episcopis, qui interdum suis famulis, nullo persoluto stipendio dant beneficium: quo liberos se esse existimant ab omni debito, sed non à malitia simoniæ. At verò si famulis iusta stipendia soluant: & fideliter seruientibus conferant beneficiū, eorum seruitijs inclinati; nō sunt simoniaci.

Ex hac

Ex hac doctrina ſcies quid dicendum ſit in caſu frequenti, quo ſolēt Epiſcopi, propter obſequia eis præſtita, ſuos famulos beneficio donare: & Principes ſæculares ad beneficia Eccleſiaſtica (quorū præſentatio ad eos ſpectat) præſentare; & tūc benè poteſt fieri collatio beneficij ſine ſimonia: quia vtrumq; poteſt fieri gratis. Nec obſtat habere aliquem reſpectū gratitudinis: ſicut neq; obſtare in munere à manu diximus. Alio modo contingit ſeruire Principi, aut Prælato, in officio vel ſeruitio: in quo velut famuli inſeruiunt, & neceſſe eſt aliquod intercedere pactum, ſaltem implicitum. Nā tales famuli ex officio ſeruiūt: & ex ipſo ſeruitio volūtariè acceptato, naſcitur intrinſecè obligatio iuſtitiæ ad reddendā mercedē famulātibus. Et in hoc, & ſimilibus caſibus, qui volūt ab his famulis ſeruiri ſola vel ferè ſola ſpe ſpiritualis remunerationis, cū ſolo futuro commodo tēporali annexo ſpirituali; ſimoniaci abſq; dubio ſunt: quia videtur temporale obſequium, & debitum perſoluere per aliquid ſpirituale. Neceſſe eſt ergo vt hi Prælati tribuāt ſuis famulis iuſtum ſtipēdium, ſaltem minimū in ea latitudine: tunc enim collationes donorum ſpiritualiū gratuitæ cenſebuntur: & non aliàs.

Dico ſecundò. Si beneficium detur non propter obſequia exhibita, ſed exhibenda, ideſt cum onere, & ſub conditione exhibendi aliquod obſequium temporale: dummodo id obſequium non ſit annexum beneficio, ſimonia eſt. Si tamen detur non cū hac cōditione: ſed cum expectatione quòd recipiens ex gratitudine obſequium illud præſtabit; non eſt ſimonia. Hoc aſſertum eiſdem probatur quibus præcedens. Et prima pars clara eſt: nam eadem ratio eſt promiſſionis in futurū, & ſolutionis præexiſtentis debiti, vt notant Doctores cap. *cum eſſent*. de ſimonia. Secunda pars etiam cōſtat. Dixi in prima parte, dummodo id obſequium non ſit annexum ſpirituali beneficio: quia ſicut quædam beneficia annexa ſunt temporali muneri, v. g. ad docendam Grammaticam: ita licitum eſt ei qui habet poteſtatem, de nouo inſtituere cū tali onere; & collatori cum eodem onere conferre, vt patet ex vſu Eccleſiæ, & Conc. Trident. ſeſſ. 5. capite 5. de reformat. & ſeſſ. 25. cap. 18. Et tunc illud beneficium non habet rationem pretij, ſed ſtipēdij pro munere vtili ad functiones Eccleſiaſticas.

Conc. Trid.

Sotus. Caietan. Victoria.

Ad argumenta pro parte negatiua, nos cum Soto, Caietano, & Victoria locis citatis faremur, quòd ad rationem ſimoniæ attinet, parum referre obſequia eſſe honeſta, vel inhoneſta: multum autem refert, vt prouiſio beneficiorū ſit iuſta, vel iniuſta; aut vt diſpenſatio ſit infidelis, aut carnalis & turpis affectio. Et hoc intendit D. Tho. ſolutione ad primū, qui non loquitur propriè de ſimonia: ſed de ſimonia impropria, ideſt præſumpta. Qui enim confert propter obſequia turpia; præſumitur in pretiū dare, dans indigno. Qui verò propter honeſta, maximè ordinata ad Eccleſiæ vtilitatem, vel miniſtrorum eius; præſumitur gratis dare: ſiquidem ea obſequia reddunt hominē dignum beneficijs Eccleſiaſticis, & conſequēter quod eis gratis conferātur.

D. Thom.

DISPVTATIO IIII.

An dare beneficium propter preces ſit ſimonia?

VIdam abſolutè, & generaliter affirmant, ſi formale motiuum & ratio dandi beneficium ſint preces; ſimoniam committi. Ita Adrianus quodlib. 9. art. 2. dub. 1. & dicit eſſe ſentētiam communem Theologorum. Et Durand. in 4. diſt. 25. ait eſſe ſimoniam, ſi detur beneficium propter preces principaliter, quamuis detur digno: & videtur fauere D. Tho. in hac quæſt. ſolutione ad 3. & ſequitur Sylueſt. verb. *ſimonia*. quæſt. 16. Probatur ex iuribus citatis: ex quibus colligimus trimembrem illam diuiſionem muneris. Ratio etiam ſuffragatur: eo quod preces pretio ſunt æſtimabiles. Alij oppoſitam ſententiam tenent, dicentes, preces non ſufficere ad rationem ſimoniæ: ſi intra rationem & naturam precum permaneant. Secùs ſi tranſeant in rationem pretij. Hæc ſententia à nobis tenēda eſt cum Caiet. verbo *ſimonia*. circa finem, Victor. dicta relec. à num. 36. Soto dicta quæſt. 7. art. 2. Nauar. cap. 23. num. 102. & 107. & cum Canoniſtis communiter in cap. *tuam*. de ætate & qualitate. Et quidem ſi verum eſt, preces aliquando reſolui in pretium, aliquando non; indubitata hæc ſententia eſt: quia vbi non adeſt formalis, vel virtualis emptio, aut venditio; ſimonia reperiri non poteſt. At niſi adſit pretium, vel æſtimabile pretio, non eſt emptio aut venditio: ergo. Solum igitur explicandum ſupereſt, quando preces naturam precum retineant: quando verò

Adrian.

Durand.

D. Thom. Sylueſt.

Caietanus. Victoria. Sotus. Nauarrus.

verò in rationem pretij transeant. Pro cuius declaratione

Dico primò. Preces pro obtinendo beneficio pro se, siue pro alio fusæ, siue honestæ, siue inhonestæ sint; si fiant sine pacto, vel promissione, non habent rationem pretij, nec Prælatus propter illas conferens beneficium, etiamsi propter illas principaliter; nec obtinens beneficium, sunt simoniaci: possunt tamen interuenire alia peccata. Prima pars probatur: quia dare isto modo propter preces, non est vendere, sed gratis donare. Ergo nec petere, vel precibus obtinere est emere, nec per onerosum contractum obtinere: quod requiritur ad rationem simoniæ. Consequentia nota est, quia emptio, & venditio correlatiuæ sunt. Antecedens verò probatur: quia dare beneficium propter amicitiam etiam inhonestam, non est vendere beneficium, sed gratis dare. Ergo idem erit dare intuitu precum: quæ nihil aliud sunt, sistendo in propria natura, nisi quædam motiua amicabilia, qua superiores inclinantur ab inferioribus. Confirmatur, quia quod datur ex solis precibus, gratis simpliciter datur; & qui recipit, solum manet obligatus ex gratitudine: ergo. Cõfirmatur secundò, quia mutuare propter preces, non est vsura, quia preces non tollunt gratuitam donationem: ergo similiter, &c. Demum, petere alia spiritualia, quæ non sunt beneficia, vt orationes, suffragia, Missas, & huiusmodi, non est simonia: ergo idem dicendum est in petitione beneficiorum. Ex hoc colligitur, non esse simoniam, precibus inducere aliquem, vel aliquos, vt mihi impetrent beneficium à potente illud dare: vt patet ex vsu proborum, qui precantur familiares, & amicos Papæ, vel Episcoporum, vt pro illis, vel alijs beneficia impetrent. Sed dices: nonne simonia esset dare pecuniam alicui, vt impetret beneficium à valente illud dare? Ergo idem est de precibus. Negatur consequentia: quia pecunia de se habet esse pretium: at preces non, nisi per accidens, vt dicemus. Secunda pars assertionis clara est: quia licèt collatio, aut receptio beneficij propter puras preces, non sit simonia: ibi tamen multa inuoluuntur peccata, vt constat quando preces inhonestę sunt, maximè pro indigno fusæ. Et addit D. Thomas in ea solutione ad tertium: *Si aliquis pro se rogat vt obtineat curam animarum: ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno. Licitè tamen potest aliquis si sit indigens,* D.Thom.

A *pro se beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum.* Quæ verba discutit Caietanus in commentarijs huius articuli. Nos verò susiorem de hac re, Deo dante, instituemus tractationem. Interim contentus esto doctrina Caietanica: ad quam legendam Lectorem remitto. Caietan.

Contra priorem partem assertionis arguitur primò, ex cap. *nemo.* de simonia. vbi presbyteri prohibentur ne quẽquam pœnitentem, vel minus dignè pœnitentem, gratia, vel fauore ad reconciliationem adducant. Et concluditur: *Simoniacum enim est vtrunque.* Per gratiam autem, & fauorem

B intelliguntur ibi preces: quia preces in fauore, & gratia niti solent. Et in cap. 1. *ordinationes.* dicitur, ordinationes factas precibus falsas esse, sicut factas pecunia. Secundò. Diuus Thomas in solutione ad tertium huius articuli: *Qui principaliter* (inquit) *preces pro indigno porrectas exaudit: factum facit simoniacum.* Tertiò. Qui petit beneficiũ pro indigno, vult vt propter preces detur: quæ cùm sint temporales, vult conferri spirituale pro temporali. quod est simonia saltem mentalis. Ad primum fortasse respondebit quispiam, obtinere beneficium propter preces, esse simoniam iure positiuo

C prohibitam. Sed errabit valdè, cùm in aliquibus iuribus approbetur eiusmodi collatio, in cap. *tua nos.* de simonia, cap. *latorem.* & cap. *filium.* 121. & 122. 1. q. 1. Quare ad c. *nemo.* respondetur cum quibusdam, ibi fieri sermonem de simonia improprie. Secundò respondetur, per gratiam, & fauorem ibi intelligi non gratiam quam facit ille qui exaudit preces, sed quam prætendit: nec fauorem quem exhibet, sed quem sperat. Et tunc iam preces transeunt in pretium, vt videbimus, & in secundo dicetur. Et sic etiã intellige capitulum *ordinationes.* in quo nõ agitur de simonia, sed de modis illicitis conferendi ordines. Ad secundum ex D. Tho.

D respondetur, dixisse, dare beneficium indigno propter preces esse factum simoniacum, non quia semper ita sit, sed quantum est ex qualitate facti ita præsumitur. Perpende antecedentia verba, videtur autem (inquit) quod ad præsumptionem pertinet, & merito: nam cùm collator non moueatur ex dignitate personæ, cui dat beneficiũ: indicium est moueri aliquo quod possit habere rationem pretij, vel ipsis precibus resolutis in pretium, vt dicemus. Ad tertium negatur consequentia. Aliud est enim dare beneficium propter preces: aliud pro precibus

D.Thom.

cibus. Ad primum ſat eſt quòd detur propter preces, tanquam propter motiuum beneuolentiæ, & gratiæ erga precatorem: quod ſine ſimonia fieri poſſe diximus, nimirum quia ea non inducitur niſi temporale detur pro pretio. Quapropter, ſicut quando datur beneficium in oſtenſionem gratitudinis propter obſequia temporalia, non pro obſequijs temporalibus, nō committitur ſimonia: ita neque in præſenti. Ad ſecundum verò neceſſe eſt vt daretur pro precibus tanquam pro pretio: de quo ſtatim.

Dico ſecundò. Quoties preces, vel præcedunt, vel ſequuntur dationem beneficij ex vi pacti, aut promiſsionis: tunc ſunt pretium, & munus à lingua, & ſimonia committitur. Explicatur aſſertio: nam multis modis hoc poteſt contingere, & verificari. Primus eſt, ſi per collationem beneficij, vel alterius rei ſpiritualis, collator intendat obligare alium ad preces pro ſe porrigendas: ſi id fiat ex pacto expreſſo, vel tacito, ſimonia eſt. De expreſſo, res perſpicua eſt: quia datur ſpirituale pro temporali ex obligatione, & pacto. De tacito verò, eadem ratio eſt. Cuius exemplum ſit in Epiſcopo danti beneficium alteri, intendens illum obligare vt pro ſe Regem exoret pro hoc, vel illo obtinendo. De hoc modo fundendi preces loquitur cap. *ſunt nonnulli*. Et probatur: quia preces huiuſmodi, ſunt quid temporale, & æſtimabile pretio; & fiunt in gratiam, & lucrum eius qui propter illas ſpirituale præbet: ergo ſi pro illis, vt ſic ſpirituale detur, eſt clara ſimonia. Et hoc eſt quod *D.Thom.* ait D. Thom. in articulo, quod aliquis ſatisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quærendam; ordinatur ad aliquam vtilitatem, quæ poteſt pecuniæ pretio æſtimari. Vt autem hæc ratio pretij interueniat, neceſſe eſt promiſsionem, vel pactum in- *D.Thom.* teruenire. Quod alijs verbis dixit D. Tho. in dicta ſolutione: *Qui principaliter intendit ad preces, ſimoniam committit*. Principaliter intendere eſt, in pretium eas dare pro re ſpirituali: nam ſi abſque obligatione detur beneficium, & poſtea ſequantur preces ex ſola gratitudine, non eſt ſimonia: imò neque ſi preces antecedant, & ſequatur beneficij collatio ex ſola gratitudine, vt iam paramus dicere. Secundus modus verificandi ſecundam aſſertionem eſt, quando preces, & interceſsiones præceſſerunt ſub pacto, vel promiſsione beneficij ſi fiant. V.g. ſi Epiſcopus petat ab aliquo, vt apud Regem, vel alios Proceres pro ſe intercedat; promittēs beneficium ſi id faciat: manifeſta eſt ſimonia conuentionalis, & realis, ſi poſtea executioni mandetur. Tunc autem temporale quod confertur ſunt preces ex pacto expreſſo: & ideò in pretium reſolutæ. Idem dicito quando pecunia aliquis conducitur, vt preces pro me fundat ad beneficiū obtinendum. Et ratio eſt, quia tunc beneficium emitur ſaltem in cauſa morali, quales ſunt preces. Et ſi obijcias de ſtipendiatis in Curia Romana ad impetrandum beneficia pro ſtipendiarijs. Reſpondetur, hoc improbamus, niſi ſtipendia dentur pro aliorum negotiorum tractatione. Tertius modus (ſi forte non eſt idem cum præcedenti) ſi pactū fiat de precibus fundendis non apud alium à collatore, ſed apud ipſum collatorē: v. g. ſi nolit cōferre beneficium, niſi à tali perſona rogatus, vt hinc ſumat occaſionem illum obligandi. Et tunc, ſi ita paciſcatur dicens alicui ſibi familiari: fac vt ille petat, & ego dabo tunc: ſimonia videtur committi: quia per promiſsionem beneficij, ille Epiſcopus negotiatur fauorem alterius temporalem, vel amicitiam humanam cum illo: & ad eam comparandum obligat illum cui beneficium promittit, vt ab alio obtineat precationem, & interceſsionem pro ſe. Quæ negotiatio ex parte deſiderantis beneficium, eſt pretio æſtimabilis, & reducitur in quandam interceſsionem pro ipſo Prælato, quatenus procurat vt alteri illi ſe ſubmittat, & obligatum ſe conſtituat: quod pretio æſtimabile eſt. Imò etiamſi Epiſcopus non paciſcatur expreſsè: ſed intendat vt acceptaturus beneficium rogando illum ſe illi ſubmittat, & ſubiectus ſit; ſimonia mētalis erit propter eandem rationem. Dicta facilè poterunt applicari ad alia, quæ inter munera à lingua numerauimus, vt interceſsiones, laudes, aſſentationes, & huiuſmodi: de quibus ſicut de precibus iudicandum eſt.

Obijcies fortaſsè pro prima ſententia, nunquam preces eſſe materiam ſimoniæ: quia quando in pretium reſoluuntur iuxta tenorem ſecundæ aſſertionis, ſunt obſequia quædam, vel munera à manu. Etenim quādo habent promiſsionem adiunctam expreſſam, vel tacitam de alio munere: iam tunc motiuum dandi non ſunt preces vt preces, ſed munus à manu, vel ab obſequio. Reſpondetur. Præfatæ diuiſionis membra non ita diſtinguūtur, vt non quodammodo ſe includant: ſed claritatis gratia à Sanctis, & Doctori-

Doctoribus excogitatæ ſunt. Quæ licèt obſequia dici poſſent; ea tamen quæ pecuniam, & pecunia res æſtimabiles reſpiciũt, munera à manu: ea verò quæ obſequioſas actiones, munera ab obſequio dicuntur: munera verò linguæ, ea quæ non per modum ſeruilis obſequij fiunt; & ideò non tantùm à ſeruis, & miniſtris, ſed etiam à proceribus exerceri ſolent: & ob id occultiorem rationẽ pretij habere videntur. Meritò ergo hoc munus à lingua, ab alijs diſtinctum conſideratur, vt cõſideratio explicati⁹ procedat.

DISPVTATIO V.

An dare beneficium, vel aliam rem ſpiritualem propter vitandum aliquod malum quod timetur, ſimonia ſit?

D.Thom. PRæcedenti diſputationi meritò hæc ſuccedit: quia D. Tho. in 4. diſt. 25. q. 3. art. 3. ad 4. hoc motiuum reducit ad preces, quas armatas vocat. Et ibidem expreſsè tenet partem affirmatiuam. Et in ſolutione ad tertiũ huius articuli ait, preces ex quibus acquiritur fauor humanus, vel cõtrarium euitatur, ſi pro eo vitando beneficium offeratur; ad

Durand. Adrian. Maior. ſimoniam pertinere. Et Durandus diſtinctio. citata q. 4. n. 6. Adrian. quodl. 9. & ante hos Maior vbi ſup. Ratio pro hac ſententia eſt. Dans beneficium ex metu temporalis damni, illud confert propter vitandũ illud malum, vt patet. Sed vitare illud malum eſt pretio æſtimabile: ergo habet rationem pretij talis timor; & conſequenter pertinet ad ſimoniam. Minor probatur, tùm, quia vitare malum temporale, bonum eſt; ſub hac enim ratione appetitur: tùm, quia ſæpè redimitur temporali pretio cũ æqualitate rei ad rem, ita vt ex hac parte non committatur iniuſtitia. Ergo ſignum eſt ipſum eſſe aliquid æſtimabile pretio. Hanc diſputationem reor eſſe decidendam ſicut præcedentem. Nam quando liberatio à malo formidato in pretium reſoluitur, ſimonia erit beneficium pro ea conferre: ſin autem in pretium non reſoluatur; neutiquam ſimonia interueniet. Hæc ſententia mihi placet. Sed quando reſolutio in pretium fiat, & quando non; valdè difficile eſt. Conabimur autem id declarare.

A Dico igitur primò. Si detur beneficium ad fugandum iram, & indignationem illius qui minatur malum, vel à quo timetur malum eſſe inferendum; non committitur ſimonia. Probatur. Quia hæc datio licèt ex metu procedat tanquam ex motiuo: non tamen habet rationem pretij. Etenim qui dat rem ſpiritualem propter metum mali; quamuis illo motiuo inducatur, non dat pro aliqua re, quæ habet rationem pretij, cum qua commutare intendat rem ſpiritualem. Secundò. Conferre beneficium ſpirituale ex amicitia, & propter conciliandam amicitiam, non eſt B ſimonia, vt ſuperius multis docuimus: ergo neque ad fugandum odium, & vitandum indignationem, quam quis habet, vel timet habiturum aduerſum me. Probatur conſequentia, quoniam par ratio eſt proſequendi vnum contrariorum, & fugandi, ſeu auertendi aliud: ſicut eiuſdem rationis eſt appetere ſalutem, & vitationem morbi. Confirmatur. Nam Monachus, qui ne incurrat Prælati indignationem opera monaſtica exercet, non eſt ſimoniacus: ergo.

Secundò dico. Non licet per datione beneficij, per ſe primò intendere vitare malum aliquod tẽporale quod timetur. Pro- C batur argumento facto à patronis primæ ſententiæ: quam eſſe D. Thom. locis citatis certum eſt. Et aſſertionem intelligimus de vitatione cuiuſuis argumenti temporalis, ſiue in vita, ſiue in honore, vel fama, ſiue in fortunæ bonis. Quam extenſionem facimus contra quoſdam viros doctos, qui putant aſſertum nõ eſſe extendendum ad nocumenta in vita, honore, & fama: quia cùm ſint ſuperioris cuiuſdam ordinis, nequeunt pretio æſtimari; ac proinde neque eſſe poſſunt ſimonię materia. Sed aſſumptum horũ Autorum falſum eſſe exiſtimo: quia vita, fama, & honor in ordine ad commutationes humanas pretio æſtimari poſſunt. Hono- D res venduntur, fama ſimiliter. Item eo dato non mediocris irreuerentia fit rebus ſacris, ſi honor, fama, & quæuis alia temporalia, etiam ſuperioris ordinis, pro rebus ſacris cõmutentur.

Dico tertiò. Dare beneficiũ, vel aliquod ſpirituale ex metu imminentis mali, non eſt ſimonia per ſe, & ex vi talis motiui, niſi aliud admiſceatur: verbi gratia: quando metus inducit ad dandum aliquid ſpirituale pro pecunia, vel alio ſimili. Obijciet quiſpiam, hanc aſſertionem non benè cohærere cũ immẽdiatè præcedenti, vbi aſſeruimus,

vitationem mali temporalis, non posse intendi per dationē beneficij: & in hac assērimus posse dari ad vitandum malum imminens. Ergo non benè cohærent. Respondetur, nomine mali imminentis nos intelligere malum comminatū, vel actualiter incussum: seu ipsam actualem damnificationem; quatenus pendet ex odio, vel voluntate inferendi malū. Et dare beneficium ad euitandū malum imminens, nil aliud est nisi dare ad placandum iram alicuius, & vt deponat odiū, & voluntatem inferendi malū; & cōsequenter cessationem à malo comminato, seu ab actuali damnificatione, vt ab ea volūtate procedit: & tūc vitatio dāni non est intenta per se, & ex vi illius metus; sed solùm intenditur amotio causæ quatenus potest inferre malū, id est, malæ voluntatis inferēdi malum: & vitatio illa est quidam effectus consequutus ad obliterationē odij, & malæ voluntatis eius qui malum infert. Est simile, quo manifestatur veritas vtriusque assertionis, desumptum ex doctrina D. Thom. *D.Thom.* supra quæst. 64. art. 7. vbi Doctor sanctus ait, non esse licitum intendere mortem alicuius ad propriam defensionem: at licitum est intendere propriam defensionem, quāuis inde sequatur hominis occisio. Sic dico in præsenti, non licèt per se intendere vitationē mali temporalis dando beneficiū, vt dicitur in secūda assertione: at licitū est, velle placare irā alterius, quamuis inde sequatur cessatio ab imminenti malo: & hoc est quod dicitur in tertia assertione. Itaq; euasio mali potest intendi licitè, nō vt finis immediatus, aut tanquā pretium rei spiritualis collatæ: sed vt effectus cōsequens ex dationē beneficij tanquā ex necessaria conditione ad cor alterius emoliendum, iram sedādum, vel quid simile, ad benevolum, & māsuetum reddendum. Hæc assertio sic explicata probatur argumentis factis pro prima assertione. Etenim cessatio à malo imminenti, id est, actualiter incusso, vel actualiter comminato, per se sequitur ex mente placata, & odio sublato persecutoris incutientis, vel minantis malum. Et circa istam assertionem, & immediatè præcedētem aduertendum: consultores in hac materia non debere nimis scrupulosos esse. Sed quamuis aliqui persecutori iniustè vexanti, aut malum comminanti dicant: accipe beneficium vt cesses vexare: dummodò intentionem non habeant dandi illud pro euasione à malo eminenti, & in commutationē pro illa: quidquid verba sonent, intentio interpretanda est iuxta tenorem tertiæ assertionis: vt videlicet feratur in placationem persecutoris, & euasio mali sit volita tanquam effectus consequutus, ad eum modum quo Diuus Thomas de homicidio in propriam defensionem philosophatur. Et ratio suffragatur: quia vexatus offerens beneficium vexatori, nil recipit ab eo, cùm cessatio à malo debeatur sibi ab illo. Confirmatur ista pia interpretatio ex multis iuribus, quæ vt reor illam sequentia, multas collationes rerum spiritualium ex metu factas non improbant vt simoniacas. Cap. *ad audientiam*. de his quæ vi, &c. Innocentius Tertius declarat resignationem beneficij factam ex metu à Rege incusso, & cadente in constantem virum, irritari debere, & beneficium resignanti restitui. Quod non fecisset, si actionem illam resignandi existimasset fuisse simoniacam. Item in cap. *ad aures*. eodem. Clemens Tertius ait, renuntiationem electionis metu factam non obstare, quominus electus ius suum obtinere debeat. Idem respondet Alexander Tertius in cap. *Abbas*. eodem. de renuntiatione beneficij facta metu amittēdi patrimonium.

Dico quartò. Si vexatus ex metu motus, non solum beneficium vexatori conferat, sed etiam pactum ineat cum eo, obligādo illum in futurum propter beneficij collationem ex vi pacti, ad non inferendum malum, simoniam committit. Ita sentit Victoria suprà conclusione 3. num. 25. *Victoria.* Probatur, quia obligatio illa est pretio æstimabilis. Item, quia ibi non tantùm intenditur vitatio mali imminentis: sed etiam quædam securitas in futurum per obligationem vexatoris. Poterat enim contingere, vt cessaret à vexatione præsenti factus placatus: & in futurum ad vexationem rediret. Illa autem securitas est temporale bonum pretio æstimabile: ergo. Assertio est intelligēda de pacto explicito, & implicito. De explicito, res clara est. De implicito, magis dubitabile: sed illius esto exēplū. Si quis metuens malum sibi inferendū, quia certò scit, aut probabiliter coniectat, offerat vexatori beneficiū, rogans ne sibi tale malum inferat: implicitè pactum facit, aut intentat, obligando ne malum illud formidatum sibi inferatur; & simonia cōmittitur. Et si obijcias contra assertionem: etiā quando in præsenti datur spirituale ne malum inferatur comminatum, aut incussum, iuxta tenorē tertiæ assertionis, ibi interuenit quędā

mutua

mutua obligatio. Reſpondetur negando A aſſumptum: ſed intercedit quædam reciproca actio, ſeu ex vna parte actio, & ex alia omiſsio actionis per ſe debita, & non æſtimabilis pretio. Secundò dico. Quando obligatio eſt præſentanea, non æſtimatur obligatio vt quid diſtinctum ab actu: ſecus quando eſt in futurum, vt conſtat in mutuo. Licet enim non mutuare vnam rem, niſi mutues aliam: non tamen licet mutuum dare exigendo obligationem mutuandi in futurum. Ita docet D. Thom. ſuprà quæſtione 68. arti. 2. ad 4. & ita eſt in præſentia. Hæc aſſerta procedunt attento ſolo iure diuino: nam apud humanum, non reperio expreſſam prohibitionem de non dandis rebus ſpiritualibus propter metum, niſi tantùm quando pactum intercedit: talia enim pacta generaliter prohibentur circa omnem materiam beneficialem. Ex dictis haud difficile erit reſpondere ad quoſdam caſus, qui viris doctis ſolent difficultatem ingerere: vt de Epiſcopo, qui dat beneficium alicui ad petitionem Principis, ne illum offendat, & ſic non aſcendat ad pinguiorem Epiſcopatum. Item de Epiſcopo qui confert beneficium debitori, ex timore amittendi debitum. Et alios quamplures caſus non erit admodum difficile decidere, ſi attentè perpendas ea quæ dicta ſunt.

D. Thom.

Commentarijs huius quinti articuli, vbi D. Tho. egit de multiplici pretio, quod ſimoniam inducit in emptione & venditione formalibus vel virtualibus rerum ſpiritualium, decreui adiungere diſputationes valde neceſſarias de quibuſdam contractibus oneroſis, qui non ſunt emptiones, aut venditiones, neque interuenit in eis propria ratio pretij: nihilominus ſæpe ſimoniaci ſunt, & nomine emptionis & venditionis in diffinitione ſimoniæ comprehenduntur, vt Doctor ſanctus docuit in hac quæſtione art. 1. ad 5. ſub his verbis: *Nomine emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Vnde nec permutatio præbendarum vel Eccleſiaſticorum beneficiorum fieri poteſt autoritate partium abſque periculo ſimoniæ, ſicut neque tranſactio, vt iura determinant.*

Sit igitur

DISPVTATIO VI.

An commutatio vnius rei ſpiritualis pro alia ſpirituali; vel vnius rei annexæ ſpirituali pro alia ſimili, ſimonia ſit?

VIdam magni nominis Autores partem affirmatiuam tuentur. Ita Ricardus in 4. diſtinct. 25. art. 3. quæſt. 1. ad 1. Paludanus ibidem quæſt. 2. num. 15. Adrian. quodlib. 9. circa finem. imò D. Tho. in verbis allegatis, huius videtur fuiſſe ſententiæ: quamuis poſsit, & debeat interpretari de ſimonia prohibita iure humano. Nos verò in præſentiarum tantùm diſputamus de ſimonia prohibita iure diuino. Et videtur talem cõmutationẽ eſſe prohibitam iure diuino. Primò: quia Chriſtus Dominus Matth. 10. dixit: *gratis accepiſtis* (nimirum res ſpirituales) *gratis date*. En prohibitã omnem commutationem, quia contractus eſt nõ gratuitus, ſed oneroſus. Secundò: quotieſcunque vna res pro altera commutatur à vero domino; fit contractus & datio vnius rei pro alia. Sed malitia ſimoniæ (vt vidimus art. 1.) in hoc ſita eſt, quòd traditur vna res ſpiritualis pro alia ab eo qui nõ eſt dominus. Etenim rerum ſpiritualium homo non habet dominium. Tertiò: quia ſi vna res ſpiritualis pro altera commutatur, non datur gratis: eſt enim contra rationem gratiæ commutatio quæcumque illa ſit. Quartò: ſi vna res ſpiritualis pro alia ſpirituali ex pacto commutetur, intercedit obligatio quædam ciuilis pretio æſtimabilis, ſicut obligatio ad mutuandum. Confirmatur: quia ſi licet vnam remſpiritualem pro alia commutare, licebit etiam ſic paciſci: ego modò pro te facio ſacrum, dummodo obligeris ad ſimile pro me faciendum in futurum. Cõſequens eſt falſum, quia illa obligatio in futurum eſt pretio æſtimabilis. Vltimò: nam etiam licebit vaſa ſacra commutare pro beneficio, ſiquidem vtrunque quid ſpirituale eſt. Conſequens eſt falſum: quia in tali commutatione neceſſariò permiſcetur æſtimatio rei ſpiritualis, non ſolùm ratione ſpiritualitatis; ſed etiam ratione materiæ.

Ricard. *Palud.* *Adrian.* *D. Thom.* *Matth.* 10.

Oppoſita ſententia mihi magis placet,

eſtque communior: videlicet non eſſe ſimoniam iure diuino prohibitam, commutare rem verè ſpritualem pro alia purè ſpiri tuali, etiamſi cum omni proprietate vna res ſpiritualis pro alia detur. Ita ſentiunt Diuus Thomas Matth. 10. & in 4. diſtinct. 25. q. 3. artic. 3. ad octauum, & Durandus ibi quæſtione 5. num. 9. Maior quæſtio. 6. Argent. art. 4. ad tertium, Soto lib. 9. quæſtione. 5. art. 2. Couarrubias lib. 1. variarum, cap. 5. num. 4. Probatur hæc ſententia. Vbi nō eſt pretium, non poteſt eſſe ſimonia, ſiquidem emptio, & venditio, quæ ſunt de ratione ſimoniæ, nequeunt cōſiſtere ſine pretio. Sed quando vna res ſpiritualis pro altera cōmutatur, nō interuenit ratio pretij: ergo. Probatur minor: quia id quod ſpirituale eſt, nō poteſt habere veram pretij rationē, vt colligitur Actor. 8. *Pecunia tua tecū ſit in perditionem; quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Vbi ſimoniæ malitia expenditur penes commutationem rei ſpiritualis pro pecunia: & nomine pecuniæ intelligitur quidquid pecunia æſtimatur, vt ex Ariſtot. 3. Polit. docuit D. Tho. in artic. 2. & 5. huius queſt. Idemq; colligi poteſt ex verbis Chriſti Matth. 10. vbi poſtquam Chriſtus dixit: *Gratis accepiſtis gratis date*: ſubiungit: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, &c.* tacite declarans, gratuitam donationē excludere pretium argenti, & auri. Et ita expoſuit expreſsè Hieronym. Et Chryſoſt. hom. 33. in Matth. ita illa coniunxit: *Nihil poſſideatis: gratis accepiſtis, gratis date*: & D. Tho. ibi exponit *gratis date*, id eſt, nō propter aliquid temporale. Et quia poſſent dicere (inquit) vnde ergo viuemus? ſubdit: *nolite poſſidere, &c.* & eodem modo exponūt cęteri Patres. Tertiò probatur eadē aſſertio: nā per talem cōmutationem, non fit iniuria vel irreuerentia rei ſpirituali, dū pro ſibi ſimili, & ęquiualenti cōmutatur. Deniq; valdè confirmatur ex vſu piorum, & doctiorum, qui ſpirituales ſatisfactiones inter ſe cōmutant: & Sacerdos petit vt pro ſe dicat Miſſam, alia die pro eo ipſe dicturus. Et ſimiles cōmutationes in audiendis confeſsionibus, in ſacriſque functionibus quotidie à viris probis ſine vllo ſcrupulo fiunt.

Ad argumenta pro prima ſententia non eſt difficile reſpondere. Ad primum, quod eſt Adriani, iam reſponſum eſt. Ad ſecundū quod eſt Ricardi reſpondetur, ex ſola carentia dominij rerum ſpiritualium, non inferri malitiam ſimoniæ: ſed vlterius neceſſe eſt, vt res ſpiritualis velut temporalis æſtimetur, vt ſupra circa articulum ſecundum docui. Secundò: dato non eſſe dominos rerum ſpiritualium (quod fortaſsè non eſt vſque adeò verum) ſumus tamen diſpenſatores præſertim eorum quæ priuatè poſſidentur: & diſpenſatio hæc ex Chriſti Domini voluntate ſe extendit ad res ſpirituales donādas gratis datas. Ergo poſſumus eas ad inuicem cōmutare: ſaltem non obſtabit carentia dominij. Ad tertium negatur eſſe contra rationem gratiæ quòd pro gratia detur: ſicut non eſt contra excellentiam ſpiritualis præmij, quòd pro ſpirituali meritò detur. Ad quartum reſpond. Si interueniat reciproca obligatio ad aliquid ſpirituale pro alio faciēdum; tunc ſpirituale datur pro ſpirituali, & obligatio pro obligatione: & ſic non datur ſpirituale pro temporali, neque è contrà. At verò ſi tantùm interueniat reciprocra traditio de preſenti rei ſacrę pro ſacra; vel actionis ſpiritualis pro ſpirituali; apertiùs eſt non eſſe ſimoniam, quia nulla eſt obligatio ciuilis: vel ſi eſt aliqua, nullo pretio computatur. Confirmatio huius argumenti pluſculum habet difficultatis. Ad quam quidam reſpondent, commutationem in eo caſu fieri inter res ſpirituales: obligationem autem eius qui ſtatim rem non dat, non eſſe pretium rei ſpiritualis quam accipit, ſed neceſſariam quandam conditionem, quæ ex dilatione ſolutionis naſcitur. Sed cōtrà. Nam eadē ratione poſſet exigi ab aliquo propter mutuum datū, obligatio ad mutuandum in futurum. Quare melius reſpondetur, nō eſſe omninò reſecandam ſimilitudinē vſuræ, & ſimoniæ: ſed quāuis obligatio mutuandi in futurum ſit pretio diſtincto à mutuo æſtimabilis; nō tamen obligatio dandi ſpirituale in futurū, ſed eiuſdem rationis eſt cum datione rei ſpiritualis, & ipſa re ſpirituali. Quòd autem interdum poſsit eſſe oneroſa temporaliter, per accidens eſt: & ſemper intelligenda eſt obligare ſine graui incommodo.

In vltimo argumento petitur, quæ ſint, & cuius conditionis ea ſpiritualia, quæ ad inuicem diximus commutari poſſe. Nam ſi ſint mere ſpiritualia; in eorum commutatione nulla eſt ſimoniæ vmbra ex parte materiæ: quia licèt contingat vnam rem eſſe alia digniorem; ſemper intra eundem ordinem conſiſtunt: vt ſi duo Sacerdotes paciſcantur: ego tibi dabo Euchariſtiam; tu mihi pœnitentiæ Sacramentum. In alijs verò mixtis ex ſpirituali, & tēporali, aliquid poteſt eſſe periculi, ne exceſſus in

re

re temporali per ſpiritualem compenſetur: vt ſi quis Roſarium benedictum pretioſæ materiæ tribuat pro Roſario communis materiæ, quia habet maiores indulgentias, ſimonia eſt; nam cenſebitur emere ſpirituale, & alter vendere. Item oportet ſeruare proportionem: nam ſacrum pro ſacro, ſi in vtroque temporale eſt annexum antecedenter, bene commutantur, vt Calix pro Calice, aut Caſulla. Et tunc ſi in materiæ æſtimatione ſit inæqualitas, poteſt fieri compenſatio pecuniæ: quia materia harum rerum vendibilis eſt: non verò ſi in ſpirituali ſit inæqualitas, quia tunc gratis dandus eſt exceſſus. At verò ſi commutarentur ſpiritualia, quæ habent temporalia annexa conſequenter (etiam ſeclusa prohibitione Eccleſiæ) licèt in temporalibus eſſet inæqualitas, non poſſet temporali pretio cõpenſari: quia neceſſariò emeretur ſpirituale à quo pendent. Hinc fit vt ſpirituale, cui antecedenter annexũ eſt tẽporale, commutari non poſsit etiam ex natura rei, pro ſpirituali, cui annexa ſunt ſpiritualia conſequenter, vt Calix pro beneficio: quia quando temporale antecedenter ſe habet; id quod primò, & quaſi fundamentaliter datur, eſt temporale; quod etiam in tali re eſt vendibile. In alia verò re, in qua temporale eſt conſequenter annexum; quod primò & per ſe datur eſt ſpirituale: & ita tunc emeretur ſpirituale vnius pro temporali alterius. Oportet ergo ſeruare proportionem, ita vt ſpiritualia, quæ commutantur, purè ſpiritualia ſint: vel ſi habeãt temporale annexum, in vtroque ſit antecedenter, vel in vtroque conſequenter, & vt non miſceatur compenſatio ſpiritualis pro temporali.

DISPVTATIO VII.

An commutatio rerum ſpiritualiũ ſit prohibita iure Pontificio?

IN præcedenti diſputatione docuimus, non eſſe prohibitam talem commutationem iure diuino: ſupereſt diſputandum, an iure humano? Vt enim vidimus contra Durandum aliquot poſſunt prohiberi, & de facto ſunt prohibita vt ſimoniaca iure humano, quæ non inuoluuntur tali crimine ſtando in ſolo iure diuino. Et vt reſolutoriè in materia vaſta, & controuerſa inter Doctores procedamus

Dico primò. Permutatio vnius rei ſpiritualis pro alia ſpirituali, in beneficijs Eccleſiaſticis, & in his quæ ad ea ſpectant, prohibita eſt per Eccleſiam, ſi propria autoritate fiat: & ſic facta vera ſimonia eſt, prohibita iure tantùm poſitiuo. Prima pars clara habetur cap. *quæſitum*. cap. *cum olim*. de rerum permutatione. cap. *maioris*. de præbendis. Vbi de ſola permutatione dignitatum ſermo eſt. Verumtamen in alijs iuribus ad beneficialia extenditur, vt in cap. vlt. de pactis. & cap. *præterea* 2. de tranſactio. & cap. *tua nos*. de ſimonia. & ſimilibus. In quibus omnis pactio in ſpiritualibus abſolutè, & ſimpliciter improbatur. Secunda pars non ab omnibus conceditur: eſt tamen ferè omnium ſententia. Ex Theologis eam tenent Ricardus, Palud. Maior, Argentina in 4. diſtinct. 25. Soto dicta quæſtio. 5. art. 2. Victoria num. 17. & multi docti Canoniſtæ. Probatur ex capite *quæſitum*. citato, ibi: *Generaliter teneas, quòd commutationes præbendarum de iure fieri non poſſunt; præſertim pactione præmiſſa*. Vox, *præſertim*, addita eſt non ad limitationem, ſed ad explicationem deformitatis talis commutationis, quæ committitur in vi pacti. Etenim permutatio non poteſt fieri ſine pactione, id eſt, ſine contractu. Præterea probatur. Ratio eſt: nam ea permutatio eſt illicita in materia ſpirituali contra religionem, ſolùm ratione voluntariæ pactionis, & commutationis: ergo eſt ſimonia. Omnis enim irreuerentia contra religionem conſiſtens in commutationibus, ad ſimoniam reducẽda eſt. Secũdò: quia huiuſcemodi prohibitiones factæ videntur ad vitandam ſimoniæ ſpeciem. Etenim quãuis titulus beneficiorum ſpiritualis ſit; prouentus temporales ſunt. Vnde (quæ eſt fragilitas humana) facilis lapſus eſt, vt in commutationibus eorum potior conſideratio habeatur ad temporalia, quàm ad ſpiritualia: quod non caret ſpecie mali: & ideò meritò tales cõmutationes prohibitæ ſunt ad vitandum ſimoniæ ſpeciem. Cõſultò in aſſertione dictum eſt, idem eſſe aſſerendum in his quæ ad beneficia quouis modo concernunt: quia habet etiam verum in omnibus ſpiritualibus, quæ habent temporalia annexa conſequenter, etiamſi propriè, & in rigore beneficia non ſint: putà quia perpetua non ſunt, vel propter quid ſimile: verbi gratia, ſi commutetur beneficium pro vicaria etiam amouibili

Ricard. Paludan. Maior. Argentina. Sotus. Victoria.

ad nutum. Etenim eadem ratio prohibitionis in his reperitur. Item, quia in dicto cap. *quæſitum* prohibentur pacta omnia, etiam in his quæ ſunt ſpiritualibus annexa. Item habet verum aſſertio in actionibus pertinentibus ad prouiſiones beneficiorum, quę à poteſtate, vel iure aliquo ſpirituali procedunt. Verbi gratia: cũ duo electores ita paciſcuntur: tu elige hunc, & ego eligam illum. Vel elector cum confirmatore. vel etiã ſi electio, vel confirmatio pro collatione alicuius beneficij, vel promiſsione illius fiat. Ita c. *de hoc*. de ſimonia. Imò etiãſi patronus præſentationem offerat, ſi alter ſibi renuntiet beneficium. Sic aſſerunt Autores citati, & colligitur aperte ex citatis iuribus, & ex alijs quæ in vniuerſum prohibent pacta in his materijs: cap. *cum pridem*. & cap. vltimo. de pactis, cum ſimilibus. Et ratio eſt; quia licet hic videatur ſpiritualis functio pro ſpirituali commutari; tamen moraliter loquendo, & præſumptiuè non æſtimatur vt quid ſpirituale, ſed vt via, & medium ad lucrum temporale, & ideò meritò tales commutationes ab Eccleſia prohibitæ ſunt. Itẽ, quia hæ actiones beneficijs ſunt annexæ, nam ad ea ordinantur, & ab eis æſtimationem accipiunt. Eſt ergo hæc cõmutatio prohibita non minus quam beneficiorũ. Item aſſertio verum habet, quando permutantur inter ſe ſimilia iura ad beneficia: vt ſi vnus cedat ſuæ præſentationi, vt alius ſibi cõferat aliam præſentationem, vel expectationem quam habet, vel quid ſimile. Ita docet Panormit. cap. *cum olim*. de rerum permutatione, & alij Iuriſperiti, quos refert Felinus in cap. *ad audientiam*. 2. de reſcriptis. num. 11. Sylueſter verbo *permutatio*. 2. quæſtione 7. & 13. concl. 9. Nauarr. conſil. 43. Cuius rei varias adhibent rationes, quas examinare non vacat. Contenti ſumus rationibus nuper allatis: videlicet quia in prohibitione permutandi beneficia, & illis annexa, prohibitum eſt hæc iura inter ſe commutare, quia ſunt beneficijs annexa, & ab illis habent ſuam æſtimationem, & illis permutatis, virtute permutantur beneficia. Item habet verum aſſertio in commutatione vnius beneficij in iure quaſi inchoato ad aliud: v. g. ſi quis det vni beneficium vt cedat præſentationi quã habet ad aliud. Patet ex eiſdem rationibus: quia ſicut præſentatio actiua non poteſt permutari pro beneficio, quia eſt annexa beneficio: ita & propter eandẽ cauſam, nec præſentatio paſsiua. Ita Sylueſt. verbo *permutatio*. quæſt. 13. Nauar. citatus. Contrarium huius tenet Gloſ. in cap. *ad audientiam*. 2. de reſcriptis. & ibi Panormitanus num. 6. loquunturque in eo caſu, in quo aliquis renũtiat literis Apoſtolicis de obtinendo beneficio cum pacto ſuſcipiendi beneficium. Ratio eorum eſt, quia per tales literas nullum acquiritur ſpirituale ius. Sed illud eſſet verum, quando per illud pactum nihil aliud exprimeretur, quam quod ex vi literarum fieri deberet: alioquin ſi nouum pactum fiat de re quæ in ipſis literis non continebatur, ſimonia eſſet. Et negari nequit quin literæ illæ aliquid conferant, ſiue vocetur ius ad rem, ſiue actio, ſiue commodum: nam certe ſpirituale eſt per annexionem, originem, & proximam habitudinem; aliàs vendi poſſet pretio temporali, quod videtur abſurdum.

Secundò dico. Permutare ſpirituale pro ſpirituali extra beneficiorum, & beneficialium materiam, non eſt ſpecialiter prohibitum iure poſitiuo. Ita Gloſſa in capite *quam pio*. 1. quæſtione 2. verbo *pactio*. quatenus declarat per illa verba generalia: *Dũmodo ceſſet omnis pactio*, prohiberi inhoneſtas pactiones; non tamen honeſtas. Per inhoneſtas autem videtur intelligere illas, quæ ſunt inter ſpiritualem, & temporalem rem: per honeſtas verò, quæ inter ſpiritualia. Et ita exponit, ac ſequitur ibi Præpoſit. num. 2. referẽque plures antiquos pro eadem ſententia, & inter eos Panormit. & Innocentiũ: & idem ſentit Turrecremata. Item Gloſſa in cap. vlt. de pactionibus, verbo *ceſſare*. vbi Abbas, Cardinalis, & alij, & in cap. 2. & cap. *ſuper eo*. de tranſactionibus. Idemque ſupponunt omnes allegati in prima aſſertione. Et probatur, quia nulla talis prohibitio in iure inuenitur. Dices, ſatis contineri in generalibus prohibitionibus, quæ habẽtur in dicto cap. *quam pio*, & cap. *ſuper eo*. & cap. *quam pridem*. & cap. vltimo. de pactis. Sed hæc iura generaliter loquuntur de pactis, in quibus temporale pro ſpirituali datur, vt patet in dicto cap. *quam pio*. & vlt. de pactis. Dum enim id quod datur ab ſpiritualibus diſtinguunt, ſignificant loqui de temporali munere dato pro ſpirituali. Imò etiam multa iura in materia beneficiali de ſimili pactione loquuntur, vt in cap. *tua nos*. de ſimonia, cap. *ſuper eo*. de tranſact. & in cap. vltimo. de rerum permutat. cum Gloſſa ibi, verbo *temporalia*. Alia verò quæ ſpiritualius loquuntur damnãdo pacta in ſpiritualialibus, loquuntur in particulari de be-

Panorm. *Felinus.* *Sylueſt.* *Nauarrus.* *Sylueſt.* *Nauar.* *Gloſſa.* *Panorm.* *Gloſſa.* *Præpoſi.* *Panorm.* *Innocen.* *Turrecre.* *Abbas.* *Cardinalis.*

de beneficijs, aut iuribus quæ illa concernunt: non verò de alijs ſpiritualibus, quæ ſi purè ſpiritualia ſunt, nunquam in iure fit prohibitio de illis commutandis, vel non commutandis. Si verò ſint ſpiritualia antecedenter annexa; non inuenitur ius prohibens eorum commutationes. Imò in cap. *ad quæſtiones.* de rerum permutat. approbatur permutatio vnius Eccleſiæ pro alia. Quòd verò ibi poſtuletur Prælati autoritas, non obſtat: quia Eccleſia parochialis nō poteſt conuentuali de nouo vniri ſine Prælati autoritate: vel quia fit permutatio beneficiorum, quæ non conſiſtit ſine eadem autoritate; quod iam paramus dicere. Obijciet namque quiſpiam contra primam aſſertionem, beneficiorum permutationem eſſe de iure diuino, ſuppoſita eorum inſtitutione: in cuius ſignum non poteſt fieri priuata autoritate, etiam ſublato omni iure poſitiuo. Reſpondetur: in commutationibus beneficiorum duo veniunt conſideranda. Vnum eſt, tranſlatio perſonarum ab vno in alterum beneficium: quæ ſi fiat priuata autoritate, nullius roboris eſt; & attentatio faciendi, eſt contra ius diuinum ſacrilega, quia contra reuerentiam rerum ſacrarum. Tum etiã iniuſtitia eſt vſurpatę iuriſdictionis, quam Prælatus habet ad deſignandum miniſtros Eccleſiaſticos. Sed ſub hac conſideratione non reperitur ſimonia: quia ibi non conſideratur ratio emptionis, & venditionis, ſed iniquæ intruſionis. Alterũ quod in eis commutationibus conſideratur, eſt permutatio vnius beneficij pro alio ex conuentione partium ſine Prælati autoritate. Et ſub iſta conſideratione non reperitur ſimonia contra ius diuinum, ſed cõtra humanum, vt docuimus.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm hæc permutatio beneficiorum, & eorum quæ ad ea ſpectant, poßit aliquo modo licitè fieri?

PArs affirmatiua certa eſt, vt patet ex vſu proborum, & multis iuribus id aſſerentibus, cap. *inter cætera.* de præbendis. & in cap. vnico. de rerum permutatione in 6. & ſumi poteſt ex cap. *quærenti,* & cap. *cũ olim.* & cap. *ad quæſtiones.* extra eodem. Sed operæpretium erit inueſtigare, quæ conditiones neceſſariæ ſint, vt huiuſmodi permutationes licitè, & abſque ſimonia fieri valeãt. Prima eſt autoritas ſuperioris. Ita habetur in proximè citatis iuribus, & capite *cum vniuerſorum.* de rerum permutatione, ibi: *licet ipſi per ſe de iure non poßint Eccleſiaſtica beneficia cõmutare* Quomodo autem id fiat oportet expendere. Nam quando beneficia permutantur (vt cœpi dicere in præcedenti diſputatione) duo reperiũtur. Vnum eſt, ipſa beneficiorũ permutatio. Alterum eſt, perſonarum ab vno in alterũ tranſlatio. Prior actio directè reſpicit res quarum vna pro altera commutatur: fitque per quendã contractum, in quo vnuſquiſque contrahentium quantum in ſe eſt confert aliquid alteri propria voluntate & cõſenſu, vt conſtat ex Rubrica de rerum permutatione, & Sũmiſtis verb. *permutatio.* Trãſlatio autem, non res, ſed perſonas immediatè reſpicit. Eſt enim tranſlatio perſonæ ab vno beneficio in aliud mutatio facta autoritate ſuperioris, vt conſtat ex titulo de tranſl. Prælat. & cap. *ſcias frater.* 7. quæſt. 1. Fuerunt ergo aliqui putantes, non licere fieri commutationes beneficiorum, etiam autoritate ſuperioris, per modum commutationis, ſed per modum tranſlationis: fundabantur in cap. *quærenti.* de rerum permutatione. Nã prius in illo pro generali regula datur: *permutationes beneficiorum de iure fieri non poſſunt.* Poſtea in fine ſubditur: *Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam: licitè poterit ab vno loco ad alium transferre perſonas.* Nihilominus dico, commutationem beneficiorum vtroque modo poſſe fieri interueniente autoritate Prælati: videlicet permutando beneficia, & transferendo perſonas. Ita ſentiunt communiter omnes Doctores & D. Tho. in art. 1. ad 5. prius enim dicit, *D. Thom.* has permutationes nō poſſe fieri priuatim: ſubdit vero ſtatim; *Poteſt tamen Prælatus permutationes eiuſmodi facere.* Et Pontifex in cap. *conquærenti.* appoſuit Regulã generalem: videlicet, permutationes non poſſe fieri priuata autoritate. Sic enim illam regulam omnes intelligunt. Cætera quæ ſubdit, vt modum vſitatiorem illo tempore, & magis cõformẽ rationi inſinuaret, addidit. Neceſſaria eſt igitur Prælati autoritas, ſiue ad commutationẽ beneficiorũ, ſiue ad tranſlationẽ perſonarũ: & nunquã licet priuata autoritate, quidquid dicat Innoc. ſuper dictũ c. *quæſitum,* vt benè contra eum docent Hoſtienſ. Panorm. & alij circa idem capit. *Innocent. Hoſtien. Panorm.*

Sed rogat quiſpiam: cuius Prælati autoritas requiritur? Reſpondetur: Epiſcopi pro ſua diœceſi. Ita colligitur expreſsè ex dicto cap. *quæſitum*. & cap. vnico. de rerum permutatione. in 6. & ſi ſit commutatio inter Epiſcopos, recurrendum eſt ad ipſorum ſuperiorem. Et nomine Epiſcopi, nõ ſolùm intelligimus eum qui dignitate Epiſcopali fruitur: ſed etiam eum qui iuriſdictionem Epiſcopalem habet, vt capitulum in ſede vacante, & Abbates exercentes eandem iuriſdictionem Epiſcopalẽ. Ita notauit Gloſ. in Clementina vnica de rerum permutat. & Panormitanus cap. *quæſitum*. & multi alij Iuriſperiti. Imò ſatis erit, quòd quis habeat præſcriptam iuriſdictionem dandi autoritatem permutationibus: quia per præſcriptionem acquiritur iuriſdictio, & ita Diuus Thomas non fecit mentionem Epiſcopi, ſed dixit: *Poteſt autem Prælatus ex officio ſuo, &c.* Vnde in dicto cap. *conquerẽti*. nomine Epiſcopi intelligitur omnis qui vndecunque habet iuriſdictionem ad faciendas has commutationes. Sed eſtò non liceat beneficia permutare ſine notitia, & conſenſu Prælati: dubitatur, an ſaltem liceat partibus inter ſe prius negotium tractare, & de permutatione facienda hoc, vel illo modo conuenire, cum ordine ad ſcientiam, & conſenſum Prælati? Sylueſt. verbo *permutatio*. 2. Egregiè hæc, & ſimilia tractat. Quare nos ex eius doctrina breuiter dicimus, id poſſe licitè fieri, contra quoſdã Canoniſtas ſcrupuloſè loquentes, quos Sylue. refert, & reprobat cũ Hoſtienſi, & alijs. Et probatur, quia prohibere hunc modum cõueniendi, & tractandi, eſſet moraliter loquendo prohibere permutationẽ, quia non poteſt ad eam alia via peruenìri. Et propter eandem rationem dicimus, licitum eſſe volentibus permutare, & tractare de negotio, & concludere quantum eſt ex ſe, præbendo ſuum mutuum conſenſum in ordine ad conſenſum Prælati. Hoc enim moraliter eſt neceſſarium. Et colligitur apertè ex d. c. vnico. de rerum permu. in 6. Denique, quia non inuenitur hoc prohibitũ. Quinimò licitum erit, partes conſentire vt ſe obligent ad ſtandum conuentioni inter ſe factæ, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſub conditione, ſi Prælatus conſenſerit. Ita Sylueſt. & probat, quia hoc nõ eſt prohibitũ, ſed ſola permutatio, præſertim pactione præmiſſa, vt dicitur in dicto cap. *quæſitum*. Pactio autẽ tantùm conditionata, ſi Prælatus conſenſerit; nec eſt permutatio, nec ſimpliciter pactio de permutatione, cũ conditionalis ſuſpendat permutationẽ, & ſubijciat iuri voluntates contrahentiũ. Item hoc genus obligationis moraliter eſt neceſſarium, ne cõtingat fruſtra poſtulari ſuperioris conſenſum, ſi illo præſtito poſſent partes retrocedere pro ſuo arbitrio. Vnde in praxi videtur ita ſeruari: nam poſtquã Prælatus cõſentit, non eſt in poteſtate permutãtium, vel reſignantium retrocedere, vt tradit Innoc. in cap. *inter cætera*. de præbendis.

Gloſſa. Panorm. D. Thom. Sylueſt. Hoſtien. Sylueſt. Innocent.

DISPVTATIO IX.

An beneficium Eccleſiaſticum poſſit ſine ſimonia cum penſione permutari?

SVppoſita diuiſione penſionis in ſpiritualem, & temporalem; quã tradidimus ſuperius: & ſuppoſito talẽ permutationem nõ poſſe fieri ſine ſimonia per ſolam voluntatem permutantium, vt dictum eſt in diſputationibus proximè præcedentibus:

Dico primò. Præſtimonium, & penſio in titulum beneficij erecta; quocunque nomine vocetur, permutari poteſt cum beneficio in manibus Epiſcopi iuxta commune ius. Ita ſentiunt ferè omnes Iuriſperiti; & colligitur ex dictis in quæſtionibus præcedentibus, quia hæ penſiones vera beneficia ſunt, ſicut & præſtimonia: ergo de illis ſicut de beneficijs iudicandum eſt.

Secundò dico. Beneficiũ poteſt permutari pro penſione ſpirituali, etiãſi non ſit in titulum beneficij erecta. Non tamen autoritate inferiorum Prælatorum, ſed ſolius Papæ. Prima pars patet ex his quæ de beneficijs dicta ſunt. Secũda verò plus dubietatis habet propter quoſdam oppoſitum ſentiẽtes. Sed probatur: quia licèt hæc penſio ſpiritualis ſit; non tamen eſt beneficiũ, neque perpetua eſt, neque per canonicam inſtitutionem confertur. Inferioribus autẽ Prælatis tantũ conceſſum eſt, vt poſſint permutationes beneficiorũ facere, tractatus, & conuentiones permutare volentiũ, approbare: ergo non poſſumus iura extendere ad permutationem beneficij cũ penſione. Confirmatur: quia in huiuſmodi permutationibus intercedit reſignatio beneficij in fauorem tertij: & ex hac parte non poteſt approbari ab Epiſ-

ab Epiſcopo, vt videbimus. Deinde intercedit tranſlatio penſionis, quam non poteſt Epiſcopus concedere: nec alicubi legimus hanc facultatem conceſſam eſſe Epiſcopis, ſed ſoli Pontifici. Ergo ex vtroque capite facultatem Epiſcopi excedit: non verò Summi Pontificis. Sed obijciet quiſpiam, in cap. *quærenti.* conceſſam eſſe autoritatem Epiſcopis faciendi permutationes beneficiorum: ergo & penſionum, quæ nomine beneficiorum quodammodo comprehenduntur. Nam iura in fauorabilibus, quale eſt beneficiorum permutatio, amplè intelligenda ſunt. Reſpondetur admiſſo pro tunc permutationes beneficiorum pertinere ad fauorabilia: ſed intra propriam & veram ſignificationem. At penſiones, neque in ampla neque in ſtricta ſignificatione, beneficia ſunt; vnde non fit de illis ſermo in cap. citato *quærenti.* Et hæc aſſertio certior eſt in permutatione penſionis pro penſione, quæ nequit fieri niſi autoritate Papæ: quia cùm penſionum deſignatio ad Epiſcopum non pertineat, neque illarum permutatio ad illum ſpectat; ſed ad Summum Pontificem, qui poteſt illas conferre, & licentiam ad eas transferendas tribuere. Et obiter nota: quamuis det licentiam ſimpliciter transferendi penſiones, non cenſetur dare licentiam permutãdi, quia hoc eſt contra ius commune: & ideò ſi permutatio fiat; cum illius conſenſu facienda eſt.

Dico tertiò. Penſio merè temporalis nequit cum beneficio permutari ſine ſimoniæ labe contra ius diuinum: vnde neque à Papa fieri poteſt per modum permutationis. Probatur: quia in tali permutatione datur beneficium ſpirituale pro re temporali, quod aduerſatur diuino iuri, in quo Papa non valet diſpenſare. Ita ſentiunt omnes Theologi: & in caſu hoc Imola in Clementina vnica. §. *eadem.* de ſupplenda neglig. Prælat. & ibi Zabarelus, quæſt. 8. Dicet quiſpiam, ſæpe Summum Pontificem hoc efficere. Reſpondetur: per viam commutationis id non eſt poſsibile, vt ratio allata probat, ſed alijs vijs: verbi gratia, ſi tanquam ſupremus diſpenſator vtatur tranſlatione perſonarum à beneficio in pẽſionem, & à penſione in beneficium. Sed hæc non eſt propriè permutatio inter partes: quia re vera non poſſunt dare vnam rẽ pro alia, ſed dumtaxat ſe conſtituere in manu Pontificis, declarando deſiderium ſuũ. Quare tunc non eſt renuntiatio ſub illis verbis, quæ interdum malè apponuntur, non aliter neque alio modo, ſed ſimpliciter totum negotium conſtituendo in manibus Pontificis: aliàs non vitabitur ſimonia. Victoria dicta relectione num. 46. dubitat, an poſsit commenda pro beneficio commutari, & officium temporale vt œconomia? Et reſpondet negatiuè: ac reprehendit Adrianum, qui in dicto quodlib. 9. ad quintum dixit, autoritate Pontificis fieri poſſe: quia ipſe poteſt ſeparare fructus præbendę à iure ſpirituali, & ita concedere commutationem inter illos, & commendam. Contra quod obijcit Victoria: quia eſt falſa fictio. Nam re vera ille cui datur præbenda non percipit fructus, niſi in vi ſpiritualis iuris: cuius ſignum eſt, quia ſi non recitet nõ faciet fructus ſuos; & grauiter peccaret ratione beneficij, etiamſi ordine ſacro non ſit initiatus. Cui rationi ego ſuccumberem, niſi praxis Curiæ me detineret. Et ideò reſpondetur, benè probare id non poſſe fieri per modum commutationis vnius rei pro alia: non verò probat quominus Papa vt ſupremus diſpenſator, conferre poſsit vni beneficium cum onere dandi alteri ſuſtentationem, vel aliquid loco eius: quod poteſt eſſe commenda, vel aliquod beneficium Eccleſiaſticum. Nec etiam probat, non poſſe Papam ſuſcipere in ſe renuntiationem, & prouiſionem illarum rerũ, & poſtea illas diſtribuere pro vt ſibi videbitur expedire. In hoc enim nulla emptio, & venditio inter partes interuenit. Sed contra hanc doctrinam eſt argumentum. Nam ex ea ſequitur licere habenti beneficium, reſignare in manibus Pontificis hac conditione, & non aliter, vt ſibi detur certa pecuniæ portio, vel aliquid pecunia æſtimabile. Conſequẽs abſurdum eſt: hac enim via omnia beneficia, data pecunia poſsideri poſſent: quod eſt idem in praxi, ac ſi venderentur. Negotium certè Eccleſiæ Chriſti pernicioſum, & cupiditati, auaritiæ, & acceptioni perſonarum, & indignitati Beneficiatorum ampliſsimam viam aperiens. Probatur ſequela: quia licet Pontifici, vtendo perſonarum tranſlatione à beneficio in penſionem tẽporalem, dare beneficium propter temporalem penſionem: ergo eadem via licebit dare propter pecuniam, vel alias res pretio æſtimabiles. Reſpondetur primò negando conſequentiam: quia tam beneficium cum ſuis redditibus, quàm penſio etiam temporalis, pertinẽt ad poteſtatem diſpenſatiuam Pontificis eorum inſtitutoris, & diſpenſato-

Victoria.

Adrianus.

Imola.

Zabardus.

ſatoris. Vnde vtens ea poteſtate, poteſt facere eam tranſlationem modo dicto. At verò in caſu noſtræ replicæ, licèt beneficium ad eam poteſtatem pertineat, non verò pecunia aut aliæ res pecunia æſtimabiles, eius qui data pecunia beneficium obtineret. Secundò reſpondent aliqui, id poſſe fieri ſeparando fructus beneficij in totum vel in partem à munere ſpirituali: & pro illis ſic temporalizatis (vt ita dicam) poterit dari pecunia ſine ſimoniæ labe: quia iam datur ſpirituale pro temporali. Nihilominus etiã ſi id poſſet Pontifex, rarò expediet facere, propter inconuenientia magna, quæ inde ſequerentur, & rarò fecit. Talem ſeparationem, & temporalizationem fecit in tertia parte decimarum Regni Hiſpaniæ, pro ſumptibus ad tutelã Regni neceſſarijs. Aliàs non audiui illud feciſſe, nec expediet: præcipuè ſi beneficium relinqueretur ſine fructibus.

DISPVTATIO X.

An quando beneficia ſunt inæqualia, liceat abſque ſimoniæ vitio inæqualitatem compenſare data pecunia, vel aliquo temporali pecunia æſtimabili?

HAec diſputatio parum negotij faceſſet Iuriſperitis multis, qui tenent, beneficia attento ſolo iure diuino vendibilia eſſe. Nobis verò & ſapientioribus Canoniſtis ſententibus oppoſitum, non admodum facile apparet.

Dico primò. Quando exceſſus eſt in re ſpirituali; non licet illum ſupplere dando pecuniam, vel aliquid æquiualens temporale. Aſſertio clara eſt: quia tunc venderetur ſpirituale pro temporali ſaltem ex parte, quod eſt contra ius diuinum: ac proinde nec Summus Pontifex id efficere poſſet, vt adnotauit Sylueſter in verbo *permutatio*. 2. quæſt. 6. Hinc tamen non inferas cum aliquibus, eſſe ſimoniam commutare beneficium dignius & magis tenue, pro pinguiori, & minus digno: eo quod (inquiunt) exceſſus dignitatis cum exceſſu fructuum compenſatur: hoc namque ſubolet ſimoniam. Sed ſi adſit recta intentio, non habendo reſpectum ad pretium temporale pro re ſpirituali, ſed ad nudam permutationem: nulla adeſt ſimonia. Nodus difficultatis eſt: an quando beneficia ſunt inæqualia in fructibus temporalibus, liceat data pecunia illam inæqualitatem compenſare, nullo modo intendendo dare pretium pro ſpirituali titulo, ſiue dignior ſit, ſiue non. De qua re ſunt duæ ſententiæ. Prima non eſſe hoc intrinſecè malum, neque prohibitum, ſi fiat interueniente autoritate Prælati competentis. Ita Caietanus in hac quæſt. art. 4. Sylueſt. verbo *permutatio*. 2. quæſt. 3. Angelus eodem numero ſexto. Probant, quia in beneficijs licèt coniuncta ſint ſpirituale, & temporale; tamen intentione diſtingui poſſunt, & cum proportione, ſpirituale pro ſpirituali, & temporale pro temporali permutari, licèt vno actu & contractu vtrumque ſimul fiat. Et in hoc fundatur tota iuſtificatio permutationis in beneficijs. Ergo ſimiliter poteſt per intentionem rectam fieri, vt pecunia detur pro tẽporali, & non pro ſpirituali. Secundò probatur idem ex cap. *ad quæſtiones*. de rerum permutatione. vbi Pontifex dicit, poſſe Eccleſiam pro Eccleſia permutari, & poſſeſſiones vnius Eccleſiæ pro poſſeſſionibus alterius, addita pecunia pro ſupplenda inæqualitate poſſeſſionum, dummodo contractus non miſceantur. Altera ſententia negat hoc eſſe licitum: ſed eſſe has compenſationes contra ius poſitiuum, & diuinum. Ita Adrianus quodlib. 9. art. vltimo ad quintum: ſimiliter Cardinalis, Imola, & Ancharranus, & Nauarrus dicto cap. 23. num. 100. Grego. Lopez l. 2. titulo 6. partita quinta, Couarrubias lib. 1. variarum ca. 5. num. 8. & 9. Probatur hæc ſententia: quia exceſſus ille fructuum datur pro pecunia: ergo venditur & emitur: ergo venditur ſpirituale pro temporali; atque ex conſequenti ſimonia committitur. Antecedens manifeſtum eſt. Prima conſequentia probatur, nam permutatio quæ ibi intercedit, eſt ſpiritualis pro ſpirituali, & fructus integri beneficij tenues, cum æquali parte pinguioris beneficij. Supereſt ergo vt pecunia detur pro reliquo exceſſu fructuum, comparando ſeu emẽdo. Secunda conſequentia probatur, quia ille exceſſus fructuum beneficij pinguioris non emitur, niſi vt annexus ſpirituali titulo, & comparandus per ſpirituales functiones: quia hanc habet annexionem, nec poteſt à permutantibus ſeparari: ergo illa parte vendita, neceſſe eſt titulum ſpiritualem vendi, iuxta capitulum

ſiquis

Caietanus. Sylueſt. Angelus.

Adrian. Cardinalis. Imola. Ancharra. Nauar. Greg. Lop. Couarr.

Sylueſt.

ſiquis obiecerit prima quæſt. 3. de qua re latius ſuprà. Secũdò arguitur ab inconueniẽti. Quia data oppoſita ſententia, etiam liceret dare alteri beneficium non cauſa permutationis, ſed ſimplicis renuntiationis, dando illi titulum ſpiritualem, & recipiendo ab illo recompenſationem fructuum in pecunia numerata, ſaltem quatenus excederent congruam ſuſtentationem. At hoc eſſet vẽdere beneficium, etiam quoad ſpirituale ſolum propter connexionem: ergo idem eſt ſi pro parte fiat ſimilis datio aut emptio. Imò ſequeretur: ſi vnum beneficium nullos habet fructus, & aliud haberet, poſſent commutari dando æquiualentem pecuniam pro omnibus fructibus alterius beneficij. Quod certe eſſet vendere beneficium quoad ius percipiendi fructus: imò & ipſum ſpirituale titulu, vt ſupra latè deduximus contra quoſdã Canoniſtas. *Caietan.* Caietanus loco citato reſpondet, negando ſequelam: aſsignando diſcrimen inter partẽ, & integros fructus: quia quando vtrumque beneficium (inquit) habet fructus, poteſt inter eos fieri commutatio: & exceſſus cõpenſatio eſt quaſi quid conſequens & acceſſorium; & ideò ſequitur naturam principalis: ideſt, ſicut reliqui fructus æquales fructibus beneficij tenuioris permutantur pro fructibus beneficij magis tenuis, ſine ſimoniæ labe: ſic & pars excedens, pro eiſdem commutatur ad commutationẽ ſui totius. Quando verò alterum beneficium nõ habet fructus, nequaquam poteſt fieri permutatio, quia quod non eſt, non permutatur: ſed re vera celebratur venditio, quæ omninò illicita eſt: ergo. Planè fateor vim huius ſolutionis non penetrare, nec diſcrimen aſſignatum ad rem referre. Puto etenim ſiue exceſſus ille ſit quid acceſſorium, ſiue non, pro eo datur pecunia: ergo emitur. Dices; permutatur ad permutationem reliquorũ fructuum. Hoc eſſet verum ſi nulla daretur pecunia, ſed vnum beneficium pro alio ſimpliciter permutaretur: & tunc haberet verum, quòd ille exceſſus permutaretur per accidens. At verò ſi datur pecunia pro exceſſu ſupplendo; nõ valeo intelligere, quo modo non ematur pars illa fructuum excedens: ſicut quando interueniente pecunia emuntur integri fructus, permutando beneficium habens illos cum non habente. Hæ rationes videntur probare, eſſe contra ius diuinum tales compenſationes. Vltimò probatur, eſſe prohibitas iure humano, per generalem regulam cap. *cum pridem*, & cap. vltim. de pactis, & cap. *quam pio.* prima quæſtione ſecunda, & cap. *cum olim.* cap. *cum vniuerſorum.* de rerum permut. cum ſimilibus: in quibus, pactiones de temporalibus pro ſpiritualibus, vel ſpiritualibus annexis, prohibentur. Itaque iuxta hanc ſententiam, permutatio beneficij tenuioris pro pinguiori, data pecunia vel alio æquiualenti ad ſupplendum exceſſum in fructibus, quo pinguius beneficium ſuperat magis tenue; ſimonia eſt contra ius diuinum: ac proinde nec Summus Pontifex poteſt has permutationes ſic efficere per modum propriæ permutationis, & diſpenſationis, quæ in ius diuinũ cadere non poteſt. Hæc ſententia mihi veriſsima videtur. Nihilominus

Dico ſecundò. Summus Pontifex, & ipſe ſolus poteſt adinuenire, & præbere modum quo in permutandis beneficijs, quorũ vnum excedit alterum in fructibus, exceſſus pecunia compenſetur. Ita Caietanus in ſecunda reſponſione ad primam obiectionem: vbi loquitur de illo caſu, in quo beneficium nullos habens redditus, pro beneficio illos habente permutatur, recompenſatione facta per pecuniam. Exiſtimat enim, fieri poſſe ex plenitudine poteſtatis Papæ, & non aliàs. Et idem dicit in reſponſione ad ſecundam obiectionem. Sed quo vſu, aut quo modo in ſpeciali id fiat, nõ declarat acutiſsimus Doctor. Nos verò conantes explicare id poſſe Papam efficere, non per modum propriæ permutationis, nec diſpenſando in iure diuino, ad quod eius poteſtas non ſe extendit: ſed permutationem factam ex parte materiæ, & quaſi nouum ius condendo ex parte ipſarum rerum: videlicet ſeparando à beneficio pinguiori partem fructuum, & applicando illam in compenſationem alterius, qui tenue beneficium recipit; & concedendo vt fructus ſic ſeparati, & temporalizati, pecunia compenſentur. Vel etiam poteſt permittere vt ille qui beneficium pingue recipit, det aliquid alteri: non in compenſationem vel permutationem pro fructibus ſpiritualibus, ſed in congruam ſuſtentationem eius qui tenue beneficium recipit. Eſt enim in poteſtate Papæ diſpenſatio, & applicatio talium fructuum: & ideò poteſt denudare talem pecuniam à ratione pretij, & admittere loco ſtipendij ſuſtentationis, & hoc iure condito ceſſat venditio, & conſequenter ſimoniæ vitium. Quia tamen hoc periculoſum eſt, & malam ſpeciem habet: non con-

Caietan.

conſueuerunt Pontifices niſi in caſu raro hoc permittere: maximè quando vnum beneficiorum nullos habet fructus. Et certè ſi modus iſte executioni mandaretur; actū eſt de beneficiorum venditione palliata. Quòd autem ſolus Pontifex iſtis modis vti poſsit, communis ſententia eſt, quia prohibitæ ſunt iſtæ compenſationes in iuribus ciA tatis in vltimo argumento ſecundæ ſententiæ. Epiſcopus autem, & alij inferiores à Papa, nequeunt in his legibus diſpenſare. Dices: Commiſſa eſt illis diſpenſatio in cap. *quæſitum*. Nequaquam: tum, quia in illo textu non eſt ſermo de permutatione ſpiritualis pro temporali, quæ vetita eſt iure B diuino: tum quia id non fit à Summo Pontifice per modum permutationis, ſed alijs medijs, & modis dictis, qui ſolius poteſtatis ſupremæ diſpenſatiuæ, quæ in ſolo Papa reſidet, ſunt.

Ad argumenta prioris ſententiæ reſpõdetur. Ad primum negando partem illam fructuum, in qua excedit beneficium pinguius, eſſe temporalem, niſi à Pontifice fiat temporalis per ſeparationis modum explicatum. Vnde non poteſt compenſari pecunia ſine ſimoniæ vitio. Ad ſecundum reſpondetur: in illo capitulo non agebatur de permutationibus beneficiorum: ſed Ec C cleſiarum quæ erant vnitæ duobus Monaſteriis, & conſequenter ab eis poſsidebantur, nõ in titulum beneficij, ſed in proprietatem ad ſuorum Cõuentuum ſuſtentationem, vt Couarrubias, lib. primo variarum *Couarr.* cap. quinto aduertit, referens alios. Et aiunt Iuriſperiti, beneficia perpetuò vnita Monaſterio, iam non reputari vt beneficia, ſed vt bona propria Monaſterij cui vnita ſunt. Quia verò Eccleſiæ licèt vnitæ habent duplicia bona; quædam pertinentia ad ius decimarũ, quod ſemper ſpirituale eſt, & propriè pertinet ad Eccleſiam vt Eccleſia eſt: alia pertinentia ad poſſeſsiones, quæ ſimpliciter ſunt bona temporalia immobilia, & per ſe non habent annexionem aliam ad titulum ſpiritualè; ſed dũtaxat ſunt ſub dominio tẽporali Eccleſiæ: ideò dixit ibi Pontifex Eccleſiã pro Eccleſia eſſe ſimpliciter cõmutandã: (in quo fauet ſecundæ ſententiæ, & noſtræ) & inter poſſeſsiones, ſi permutentur, poſſe fieri recompenſationem in pecunia ſi inæquales ſint, quia illæ ſunt merè temporales: quod nihil probat contra nos. Et addit Pontifex, ita eſſe illam duplicem permutationem faciendam, vt contractus non miſceantur. Vbi non prohibet quin poſsit ſimul fieri: & vnus non ſine alio, quia non propterea miſcentur ſi concomitanter fiant, & liberum ſit contrahentibus eos ſimul celebrare. Sed prohibet Pontifex, ne compenſatio quæ datur pro temporali, extẽ datur ad ſpiritualia, nec etiã aliquid amplius detur hoc titulo: tũc enim proprie miſcerentur cõtractus. Et hæc ſufficiant pro explanatione illius textus. Argumenta verò pro ſecunda ſententia probant noſtram: nec refragantur noſtræ vltimæ aſſertioni.

Quod dicimus de compenſatione in beneficiorum permutatione: dicendum eſt B de permutatione imponendo penſionem alteri eorum. Quod quamuis liceat autoritate Pontificis, non verò aliorum Prælatorum: maximè ſi penſio merè temporalis eſt. Tunc enim contra ius diuinum peccatur dando ſpirituale pro temporali, vel è contra. Poſſet verò Pontifex penſionem imponere in beneficio pinguiori, vtendo modis nuper explicatis in beneficiorũ inæqualium permutatione. Sed quid, ſi vnum beneficium ſit dignius alio in ſpiritualibus? Poterit ne Pontifex acceptare permutationem, imponendo penſionem ſuper beneficium dignius? Et videtur non poſſe fieri, quia ibi non habet locum mutatio materiæ: quia nec illa maior dignitas ſpiritualis poterit ſeparari ab vno beneficio, & alteri coniungi; neque temporalis penſio quantũuis ſpiritualis fiat, cenſetur compenſare illum exceſſum, niſi ratione ſui temporalis commodi. Item, quia illa videtur eſſe quædam indebita diſtributio Eccleſiaſticorum reddituũ: quia maior dignitas ex ſe poſtulat pinguiores fructus, vt modo conueniẽti, & decoro geratur. Ergo cõtra rationem eſt dare vni beneficium dignius: & illi penſionem imponere ſolùm propter maiorem dignitatem. Reſpõdetur, factum hoc magnam præ ſe ferre ſimoniæ ſpeciem. Etenim qui præbet alteri beneficium dignius, non videtur exigere penſionem, niſi ad compenſationem ſui beneficij. Vnde cùm ille exceſſus quid ſpirituale ſit; ſpirituale pro temporali commutatur, quod contra ius diuinum eſt. Nihilominus hoc non apparet ita intrinſecè malum: nam ſi dignius beneficium eſt etiam ditius, non erit abſonum moderatam penſionem illi adijcere, dummodo pro qualitate dignitatis, & oneris ſufficientes redditus beneficij relinquãtur. Deinde licèt in quantitate reddituum non excedat, ſi aliunde cauſa iuſta moueat Põtifi-

tificem: verbi gratia, quòd persona quæ beneficium dignius dimittit, magis indiget; vel aliàs est dignior, & magis de Ecclesia benemeritus; vel quòd beneficiũ aliud non solùm minus dignum est, sed etiam magis laboriosum & oneroſum: tunc fieri potest, vt non solùm simonia non interueniat; verùm etiam neq; iniusta distributio, vel illicita dispensatio. Demum circa hanc materiam permutationem, nota ex Syl- *Sylvest.* uestro verbo *permutatio.* 2. quæstio. 12. quatuor esse conditiones requisitas vt permutationes fiant sine simonia. Prima vt res ipsæ permutabiles sint natura sua: & quòd iure Ecclesiastico prohibitæ non sunt permutari. Secunda vt permutatio fiat autoritate superioris Prælati, ad quem de iure id spectat. Tertia vt sine autoritate Pontificis nullum onus imponatur, aut exactio fiat. Quarta vt nulla pactio inter partes priuatim fiat, nisi in ordine ad consensum Põtificis, vel Prælati ad quem spectat. Quo fit, vt si fiant pacta quod vnus soluat omnes expensas, vel expediat suis sumptibus Bullas ad vtrumque permutantium pertinentes, aut similia; simonia committitur, nisi Pontifici declarentur, & ipse consentiat. Videndus est Nauarrus lib. 5. titulo de si- *Nauarrus.* monia cons. 50. & 51. De alijs verò conditionibus pertinentibus ad iustitiam, vel honestatem permutationum, vt quod fiant voluntariè sine vi & fraude, & ex iusta causa, & similibus; non est huius loci disputare: sed dumtaxat quando simonia intercedat, vel non.

DISPVTATIO XI.

An renuntiatio beneficij in fauorem tertij simoniam includat?

VIus disputationis decisio apprimè vtilis est propter frequẽtem huius rei vsum. Et incipientes à diffinitione descriptiua renuntiationis beneficiorum (nam sub generali ratione non intendimus in præsentia agere) est abdicatio voluntaria, qua quis se spoliat, siue dimittit beneficium suum. Ista hæc autem renuntiatio, aliquando fit causa permutationis; de qua in duabus disputationibus immediatè præcedentibus: aliquãdo verò per se, & sui causa. Appellaturque renuntiatio simplex: quæ non erit valida, nisi fiat in manibus Prælati, qui eam accepiet, vt habetur in cap. *admonet.* & cap. *quod in dubijs.* de renuntiat. Quatuor autem modis potest hæc renuntiatio fieri in manibus Prælati, vt quidam benè adnotarunt. Vno modo purè & absolutè: idest, sine onere pensionis, & sine designatione personæ cui beneficium conferatur. Secundò purè, & non absolutè, sed sub conditione, vt detur tali personæ beneficium. Tertiò nec absolutè, nec purè, sed vt detur tali cum tali pẽsione. Quartò absolutè, idest non designando personam: sed non purè, idest cum pensione. De primo modo non est difficultas; quia nec per se malus, nec prohibitus: & potest fieri non solùm in manibus Papæ, sed etiam inferiorum Prælatorum, exceptis Episcopatibus, vel similibus. Et licèt Pius Quintus in constitutione sua 43. suspenderit omnes has renuntiationes, & ad se aduocauerit: postea abstulit suspensionẽ cum certis limitationibus, de quibus postea. Itaque hoc priori modo renuntiationis non interuenit simonia, nisi per accidens, quatenus pro illa faciẽda pecunia intercedere potest. De secundo modo renuntiationis sub conditione, communis & certa sententia est, non continere simoniam cõtra ius diuinum. Ita Sotus dicta quæstio. 7. *Sotus.* art. 2. in principio, Couarrubias copiosè *Couarrub.* lib. 1. variarum ca. 5. num. 3. & 5. Syluester *Sylvest.* verbo *renuntiatio.* quæst. 6. & verbo *simonia.* quæstione 13. dicto sexto. Probatur: quia in illa renuntiatione sub cõditione, nõ datur spirituale pro tẽporali: imò pro nulla re datur, sed gratis offertur non cuilibet, sed certæ personæ, in cuius fauorem resignatur. Hoc autem non est contra, neq; præter Christi verba: *Gratis accepistis, gratis date.* Nec enim dixit, date omnibus: nec prohibuit dare huic potius quàm illi, sed solũ iussit vt cui daretur, gratis daretur. Talis igitur renuntiatio non est simoniaca ex vi iuris diuini, nec per se mala, si alijs circunstantijs honestis vestiatur, putà quòd fiat in fauorẽ dignæ personæ, propter honestum finem, sine offensione Ecclesiæ, & proximorum, &c. De iure verò humano Ecclesiastico, communis sententia est, esse prohibitas tales renuntiationes. Ita ferè omnes Iurisperiti antiqui, & moderni, quos longum esset recensere. Summistæ etiam, Angelus verbo *simonia.* 3. num. 39. Syluester *Angelus.* verbo *permutatio.* quæst. 6. Vbi autem ha- *Sylvest.* beatur hæc prohibitio assignare difficile est.

eſt. Multa iura adducunt Iuriſperiti, quæ ſi preſsius vrgeantur, nõ ita clarè hoc prohibent: ea vrgenda eis relinquo. Mihi verò ſat ſit conſuetudo & ſtylus Curiæ, damnãtis has renuntiationes vt vetitas iure poſitiuo.

Sed rogas: an Epiſcopus poſsit has renuntiationes approbare: an verò ſoli Papæ reſeruentur? Conſultò dixi, an poſsit approbare: nam an poſsit acceptare; poſtea dicemus. In qua re dico primò. Si renuntiatio in fauorem tertij fiat ſub conditione riguroſa, non aliter conſequutura effectum, niſi impleta conditione; approbatio huius renuntiationis ad ſolum Pontificem ſpectat: ſin verò aliter fiat, non ſuperat Epiſcopi facultatem. Pro intelligentia huius aſſertionis notandum, quandoque à reſignante beneficium in manibus Prælati, apponi præfatam conditionem riguroſe: verbi gratia, ſub his verbis, vel ſimilibus: renuntio in fauorem Petri, & non alio modo, neque aliter. Et de hac renuntiatione intelligitur prima pars aſſertionis. Aliquando verò cõditio apponitur, non ſub ratione riguroſa conditionis ſuſpendentis effectum renuntiationis, ſed declarantis Prælato modum concupitum, & ſeruandum in prouiſione beneficij poſt factam renuntiationem, vt ſic Prælatus inducatur ad illam conditionem implendam. Et de hac renuntiatione intelligitur ſecunda pars aſſertionis. Hoc ſuppoſito probatur prima pars: primò ex conſuetudine, quæ ſemper habuit vt inferiores Prælati tales renuntiationes non admittant, vel eis non obligentur, vt fatetur *Couarr.* Couarrubias. Secũdò. Secundum commune ius non poteſt beneficium aliquod conferri alicui de nouo, niſi prius vacet. At in eo caſu non vacat beneficium, donec alteri deſignato beneficium conferatur, quia non prius impletur conditio: ergo non poteſt fieri niſi Papæ autoritate. Secunda pars probatur: quia ille modus renuntiandi nullum includit pactum, ſed habetur ac ſi aſſet ſimplex renũtiatio: & de hoc nulla extat prohibitio, quæ ſolùm eſt vbi pactio vel promiſsio reperitur. Ergo benè & ſine peccato poteſt fieri in manibus Epiſcopi: quia per illam conditionem (vt ſupponimus) tantùm vult inducere Epiſcopum vt tali perſonæ beneficium conferat: nam etiam ſupponit perſonam quam deſignat eſſe dignam. Et communior ſententia eſt, poſſe renuntiantem facta renũtiatione pura & abſoluta, rogare Prælatun vt det beneficium A tali perſonæ: vt dicit Nauarrus dicto num. 107. & cap. *ſi quando.* de reſcriptis. exceptione 4. docet contra Abbat. Decium, & alios. Vbi etiam Nauarrus dicit renuntiantem non peccare, etiamſi ante renuntiationem ea ſpe renuntiet, dummodo pactum non faciat, neque riguroſam conditionem adhibeat, ſed ſolam interiorem intentionem. Ex quo benè infertur, quòd ſi renuntians in ipſamet renuntiatione miſceat aliqua verba, quæ hunc animum oſtendant, dummodo non ſint talia, quæ conditionem riguroſam declarent, qualia ſunt illa vſitata: *& non aliter, neque alio modo*: non appa- B ret aliquod peccatum per ſe loquendo. Quòd ſi hæc vera ſunt, loquendo de ipſo renuntiante: etiam Epiſcopus eam renuntiationem acceptans, benè poterit votis annuere renuntiantis. Nihilominus ad id non tenebitur, & poterit dare beneficium alteri, & in rigore collatio valebit: quia renuntians (vt ſupponitur) abſolutam fecit renuntiationem, & non potuit obligare Epiſcopum, nec eſt ius vnde obligetur. Sed hæc intellige ſecundum ius commune, quod extabat ante tempora Pij Quinti: nam quid ſit dicẽdum poſt eius tempora, inferius dicemus.

C Sed rogabit quiſpiam: in caſu primæ partis noſtræ aſſertionis, quando renuntiatur, aut intentatur beneficiũ reſignari ſub conditione riguroſa, quod peccati genus committitur? Reſpondeo, ſi præcedat pactum cum Epiſcopo: verbi gratia, quòd ipſe aceptabit renuntiationem, & conferet beneficium perſonæ à reſignante deſignatæ; citra dubium ex parte Epiſcopi, & renuntiantis ſimonia eſt iuris poſitiui, propter regulam generalem iurium ſæpe ac ſæpius repetitam, prohibentium pacta illicita in hac materia beneficiorum. At verò ſi pactum non præcedat, ſed reſignans intentet talem renuntiationis modum; non eſt ſimonia, vt D benè probãt Sotus, & Couarrubias: quia ibi *Sotus. Couarrub.* non eſt commutatio vnius pro alio, nec realis, neque mentalis, neque expreſſa, neque tacita: ſimonia autem ſolùm in cõmutationibus voluntarijs reperitur. Item cùm Epiſcopus poſsit illam renuntiationem abijcere, aut acceptare; nullus ibi reperitur contractus oneroſus, ſine quo ſimonia non coaleſcit: nec ex parte renuntiantis imponitur onus Epiſcopo, ſed dumtaxat limitat ſuum conſenſum: quam limitationem recipere, liberum eſt Epiſcopo. Erit igitur illud peccatum, genus quoddam iniuſtitiæ in materia

Nauarr.

ria Religionis; quatenus, ac si esset verus dominus beneficiorum, vult vsurpare potestatem sibi per iura vetitam. Et etiam quoddam sacrilegium est, quatenus irreuerenter tractat res sacras, volens eas distribuere contra iura. Ex dictis colligitur quid dicendum sit de renuntiationibus reciprocis, quæ sub colore & prætextu permutationum fieri solet in manibus Ordinariorū: v. g. quod ego renuntiem in fauorem tui amici, & tu in fauorem mei: sunt enim simoniacæ propter pactum interueniens.

Sed dubitas, & meritò: estò has renuntiationes conditionatas non posse facere resignans, neque Episcopus approbare, sed ad solum Pontificem spectare: an sit aliquis modus licitus, quo possint vti Episcopi tales renuntiationes acceptando: & ad quid deseruiat huiusmodi acceptatio; cùm non posit subsequi approbatio? Couarrubias, & Sotus vbi suprà aiūt, posse eas acceptare absque simoniæ vitio; si tamen conditionem non approbet. Et vt hoc explicet Couarrubias aliqua adiungit. Primò, posse Prælatum licitè, & validè, ac firmiter, & sine periculo irritationis, dare beneficiū personæ designatæ à renuntiante, si aliàs idonea sit: quia nullo iure (inquit) hoc est illi prohibitum, sed dumtaxat vt non conferat beneficium tanquam obligatus ex conditione renuntiantis, vel ex alio pacto. Si autem aliàs iudicauerit talem prouisionē beneficij esse conuenientem & iustam; nullo iure prohibetur illam non facere: nam eam probè faceret si renuntians non errasset in modo renuntiationis. Cur ergo debet vel ipse Episcopus priuari libertate sua propter errorem alterius; vel persona illa tertia puniri in eo quod nō delinquit, maximè si delicto renuntiantis non communicauit? Secundò dicit, posse Prælatum, si velit, reijcere conditionem, & acceptare renuntiationem absolutam & puram, & dare beneficium alteri digno: collationemque futurā esse validam. Probat, quia ipse non tenetur acceptare conditionem. Item quia hæc cōditio habetur pro non adiecta, vt Boërius dixit in tractatu de dignit. legat. quæst. 2. & refert Couarrubias pro se Ioannem Staphileum de literis grat. & inst. Tertiò dicit, talem collationem quamuis ex iuris rigore non possit rescindi: ex æquitate rescindendam esse à Papa, vel iudicibus ab eo designatis, iuxta Clem. vnicam. de rerum permut. & cap. *inter cætera*. de præbendis. Hāc Soti, & Couarrubiæ sententiam videtur approbare Flamin. lib. 1. de resignat. quæst. 3. num. 63. dicens esse à Rota decisum, vt si renuntians ignoret suam resignationem esse contra stylum Curiæ, ac subinde inualidam; possit acceptari ab Episcopo reiecta conditione. Oppositam sententiam quantum ad duo priora dicta tenet Rebufus in pract. titulo de resignat. condit. numero 7. & sequentibus. Et arguitur contra primum dictum, quia eæ renuntiationes prohibentur fieri in manibus Prælatorum Papæ inferiorum: ergo prouisio beneficij est Papæ reseruata: ergo Episcopus non potest sibi vsurpare illam. Secundo. Illa renuntiatio & ex vi prohibitionis est nulla: ita enim ex communi sententia Doctorum illa prohibitio intellecta est: & ex vi conditionis suspendit effectum, ita vt cum effectu beneficium non vacet, donec conditio alteri impleatur. Ergo non potest Episcopus cōferre tale beneficium, quasi implendo conditionem, vt beneficium vacet, & conferri possit: nam hoc excedit potestatem eius, vt dictum est. Et quantumuis dicatur Episcopus non operari ex conditione appositā renuntiationis; negari non potest quin in effectu id faciat, quidquid sit de intentione eius. Hæc argumenta militant etiam contra secundum dictum Couarrubiæ. Præterea quia ex dicta Clementina vnica habetur, in permutationibus non valere actus, nisi beneficia conferantur permutantibus. Ergo à paritate rationis, in resignatione cōditionali non valent actus nisi impleatur conditio. Secundò: quia actus factus cum aliqua qualitate & adiectione, nō potest accepta ri quoad vnam partem, & non quoad aliā: quia si diuidatur, omninò mutatur, vt ibi latè Rebufus. At in præsenti non fit renuntiatio simpliciter, sed cum adiectione per modum vnius, vt constat: falsumque est illam conditionem haberi pro non adiectā: quia hoc nullo iure probatur: imò quia est adiecta reprobatur talis renuntiatio. Et addit vlterius Rebufus num. 16. neque Papam posse id efficere: nam licèt valeat renuntiationem refutare, & non acceptare; tamen si illam acceptet, non potest iustè dare beneficium, nisi ei in cuius fauorem facta est resignatio: aliàs priuaret renuntiantem inuitum suo beneficio sine iusta causa, quæ ex tali actu resultaret, cùm sic renuntians in manibus Pontificis non peccet; siquidem Pontifex potest & solet eam renuntiationem acceptare. Ergo non potest iustè Papa priuare inuitum & innocentem: cùm de-

Couarrub. *Sotus.* *Boërius.* *Ioan. Staph.* *Flamin.* *Rebufus.* *Rebufus.*

debeat agere vt fidelis diſpenſator, non vt dominus. Inter has duas ſententias, nolo vt arbitrer ſedere. Vtramque reputo probabilem & autorum grauitate, & pondere rationum: alijs electionem liberam relinquo.

Hæc dicta ſint iuxta commune antiquũ ius: extat enim nouum Pij Quinti in motu proprio 58. incipiente: *Quanta Eccleſiæ Dei &c.* vbi abſtulit ſuſpenſionem, & auocationem, quam antea ſibi fecerat omnium reſignationum: & ponit caſus, & cauſas ob quas poſſunt beneficia ſimpliciter renuntiari in manibus inferiorum Prælatorum. Et ſubiungit hæc verba: *Caueant autem Epiſcopi & alij prædicti, itemque omnes electores, præſentatores, & patroni, tam Eccleſiaſtici, quàm laici, quicunque ſint, ne verbo quidẽ aut nutu futuri in huiuſmodi beneficijs, & officijs ſucceſſores, ab ipſis reſignantibus, aut alijs eorum ſignificatione vel hortatu deſignẽtur: aut de his aſſumendis promiſsio inter eos, aut intentio qualiſcunq; intercedat.* Loquitur autem Pontifex de intentione, quæ aliquo modo exterius proditur, & tacitam petitionem ſecum affert, vt explicat Nauarrus, ca. 23. num. 110. verſ. 6. & hæc conſtitutio modò ſeruanda eſt: & vtinam ritè ſeruetur.

Pius V. *Nauarrus.*

Ex doctrina tradita circa ſecundum modum renuntiandi initio diſputationis præfixum, non difficile erit circa tertium, & quartum decernere. Et circa tertium, videlicet quando renuntiatio fit cum deſignatione perſonæ, & cum penſionis onere; ex dictis facilis eſt reſolutio. Quòd enim vltra deſignationem perſonæ poſcatur penſio, non tollit malitiam deſignationis, aut apponit bonitatem. Et ideò quæ diximus eſſe obſeruanda circa ſecundum renuntiationis modum, à fortiori ſeruanda ſunt circa tertium. De quarto verò, quando renuntiatio fit cum aliquo onere penſionis, regreſſus, vel reſeruationis, nulla deſignata perſona in quam renuntiatio fiat: ex dictis perſpicuum eſt non poſſe fieri in manibus Ordinariorũ, qui iuxta Canones, & ſtylum Curiæ non poſſunt penſionem conſtituere, aut beneficia regulariter diminutè conferre. Et oppoſitum ad ſimoniacam prauitatem pertinet, vel iuris diuini, vt ſi penſio aut onus impoſitum temporale ſit: vel iuris poſitiui, ſi ſpirituale ſit. At verò ſi in manibus Papæ fiat, licitè fit, vt docent Iuriſperiti omnes, præcipuè Felinus in cap. *ad audientiam.* de reſcrip. Nauarrus dicto cap. 23. num. 108. & Theologi ſimiliter in quarto diſtinct. 25. Adrianus quodlib. 9. Sotus

Felinus. *Nauar.* *Adrianus.* *Sotus.*

dicta quæſtione 5. qui omnes aſſerunt in hac & ſimilibus renuntiationibus non interuenire ſimoniam, ſi omnia referantur ad conſenſum Pontificis, & poſtea in petitione omnia integrè, & fideliter narrentur: quia ipſe poteſt diſpenſare in lege prohibente pacta in commutatione temporaliũ, & cum diminutione beneficia conferre, & beneficium reſignatum vni dare cum onere ſoluendi alteri penſionem. Sed cauendum eſt, ne ex pacto antecedente obligetur is qui accepturus eſt beneficiũ ad dandam cautionem laicam de penſione ſoluenda, vel ad largiendam aliquam anticipatam ſolutionem. Hoc enim pertinet ad pacta ſimoniaca iure poſitiuo prohibita. Imò qui habuit beneficium litigioſum, & multas fecit expenſas pro eo obtinendo: ſi poſt poſſeſsionem pacificam velit illud renuntiare cum hoc onere, vt ſoluantur ſibi expenſæ factæ; nequaquam licitum erit, ſed ſimoniacum. Dices: ſeruat ſe indemnem. Negatur: quia propter renuntiationem non incurrit expenſas illas. Vnde neque per ſe, neque per accidens coniunguntur dationi beneficij: quod neceſſe eſſet vt diceretur ſeruare ſe indemnem. Item expenſæ illæ ſunt factæ in gratiam eius qui litigauit, & obtinuit beneficium; non in gratiam eius in quem fit renuntiatio: ergo non eſt cur ipſi imputentur: ergo ſi petuntur, eſt ratione beneficij. Quinimò neque hac via videtur poſſe à Pontifice concedi, quia contra iuſtitiam proceditur: alijs verò vijs, propter indigentiam, & huiuſmodi, poſſet: ſicut ſparſim ſæpe diximus. Nunc opportunè ſuccedit

DISPVTATIO XII.

An tranſactio in ſpiritualibus, habeat rationem ſimoniæ?

DE hac materia extant tituli integri in iure. Fit etiam mentio in cap. vltimo de rerum permut. & cap. *niſi.* de prębendis: de qua multa Iuriſperiti in locis citatis, & alibi ſæpe. Theologi verò pauca: quia ex dictis in proximè præcedentibus diſputationibus, maximè agentes de permutatione ſpiritualium, ferè tota materia deciſa eſt. Vnde D. Thom. in dicta ſolutione primi articuli ad quintum de permutatione, & tranſactione eodem modo loquitur. Nos verò in particu-

D. Thom.

ticulari nonnulla dicemus. Et in primis ſignificationem, & deſcriptionem, ab ipſis iuribus & iurium peritis ſumemus. Eſt ergo tranſactio, pactio quædam non gratuita, in dubijs, & ſub certa lite conſtituta. Ita habetur in l. 1. ff. de tranſact. & leg. 2. C. de trãſact. Quam diffinitionem ſi attentè perſpexeris, videbis tria requiri, & ſufficere ad trãſactionem. Primum, vt pactio non ſit contractus gratuitus. Quo fit, vt multæ amicabiles compoſitiones, & donationes nõ ſint tranſactiones. Exemplum ſit in donationibus debitorũ Eccleſiaſticorũ ex fructibus Eccleſiaſticis malè perceptis, ex debitis dubijs, & alia quæ habentur in Bullis cõpoſitionis apud Hiſpanos: quæ compoſitiones quia gratuitæ ſunt, ſaltem quantũ ad maiorem debitorum partem, non ſunt dicendæ tranſactiones. Item ſi litigantes inter ſe cõueniant, vt vnus omninò cedat actioni vel rei de qua litigabatur ſine recompẽſatione, vel diuiſione, ſed omninò gratis, dicetur illa amicabilis compoſitio, non tranſactio. Secũdum, vt ius vel res ſuper quam tranſigitur, ſit incerta ſeu dubia, ad quam pertineat, ſaltem probabili exiſtimatione vtriuſque partis: alias eſſet clara iniuſtitia ex parte vnius volentis tranſigere; & compoſitio facta ab ea parte quæ pro ſe iuſtitiam clarã habet, potius eſſet redemptio vexationis, de qua multa alibi diximus. Tertium, vt tractatus & pactio ſit ad litem componẽdam vel dirimendam, ſiue lis ſit mota, ſiue timeatur.

Hac ſuppoſita tranſactionis diffinitione; dubitatur, an poſsit hic tranſactionis contractus eſſe licitus: an verò ſimoniacus, & quando, ſi circa ſpiritualia verſetur? Vnde

Dico primò. Quando duo litigant, vel contendunt, ad quem beneficium, vel aliquod ſpirituale pertinet; & vnus litigantium liberè, & gratis cedit iuri ſuo in gratiam alterius abſque aliqua diuiſione rei, vel iuris ſuper quod lis eſt, vel ſine vlla recompenſatione: nullum in eo contractu veſtigium ſimoniæ eſt, quia nullus ibi adeſt oneroſus contractus, & is qui cedit iuri, ſi quod habebat, gratis illud condonat. Imò ille modus compoſitionis valde laudabilis eſt, & conformis perfectioni Euangelicæ, iuxta illud Matthæi quinto: *Qui voluerit à te tollere tunicam, da ei & pallium.* Fateor, hanc donationem ſeu remiſsionem non eſſe propriè tranſactionem, ſed amicabilem quandam compoſitionem, de qua multa iura extant: præcipuè approbat caput *ſuper eo.* de tranſaction. Fit autem hæc compoſitio, vel quando altera pars liberaliter cedit iuri ſuo; vel quando litigantes amicabiliter promittunt ſtare arbitrio aliquorum prudentium: vt ille omninò gratis cauſam dimittat, quem minus probabile ius habere cenſuerint. Et tunc non eſt neceſſaria Prælati autoritas ex vi compoſitionis. Secus ratione nouæ inſtitutionis, aut renuntiationis, ſi facienda eſſet poſt datum arbitrium: nam ad illam neceſſaria eſt Prælati autoritas, vt notat Panormitanus dicto capite *ſuper eo.* Idem dico quando compoſitio remittitur ad ſortes quaſi ad arbitros: de quo ſupra in materia de ſortibus. Sed maior difficultas eſt, quando res ſpiritualis vel annexa ſpiritualib⁹, ſuper qua litigatur, diuiditur ex pacto litigantium inter ſe, vel tota vni applicatur, & ipſe de rebus aut bonis ſuis aliquam recompenſationem facit: nam videtur hanc tranſactionem ſimoniacam eſſe. Primò, quia omnis pactio in ſpiritualibus ſimoniaca eſt, iuxta capit. vltimum. de pactis, & caput *quam pio.* Item quia in capite *ſuper eo.* videtur reprobari vt ſimoniacam eiuſmodi tranſactionem, & capite *præterea.* primo, & ſecundo, capite vltimo. de rerum permutatione. In oppoſitum facit capit. primum, & ſecundum. & cap. *veniens.* de tranſact. approbatur huiuſmodi contractus, maximè ſi accedat Prælati autoritas. Nihilominus dico primo. Trãſactio in qua aliquid ſpirituale manens in ſua ſpiritualitate remittitur, ſimoniaca eſt. Aſſertio eſt communis, & clara ex dictis circa permutationes. Eſt enim huiuſmodi tranſactio genus quoddam permutationis ad terminandam litem. Ex hoc aſſerto infertur, ſi ſpiritualis iuriſdictio in litem vocetur, non licet tranſigere dando pecuniam, quia eſt clara ſimonia: de qua in dicto capite *præterea.* ſecundo. Item, ſi beneficium ſit litigioſum, non licet componere litem, vel dando pecuniam actori vt deſiſtat, vel recipiendo ab illo pecuniam: iuxta dictum cap. *conſtitus.* & relinquendo illi beneficium. Quo modo autem liceat tranſigere acceptando penſionem: infra. Item, ſi de iure præſentandi controuerſia ſit orta, non licet tranſigere dando pecuniam alteri vt deſiſtat, vt in dicto capite *præterea.* primo. Item, ſi de rebus ſacris, vt de Reliquijs, lis mota eſt, non licebit tranſi-

Panormit.

Matth. 5.

gere data vel accepta pecunia. Et idem dicito de aliis rebus ſacris annexis antecedenter rebus ſpiritualibus, ſi ratione ſpiritualitatis pluris æſtimentur, ad tranſactionem faciendam altiore pretio: nam ſi ſolùm materiale in eis conſideretur, ſicut vendi poſſunt, ita & ſuper eas tranſigi. Idē etiam dicito de tranſactione ſuper rebus, quæ annumerantur ab Eccleſia inter res ſpirituales, vt officium Sacriſtæ, &c.

Dico ſecundò. Si tranſactio circa rem ſpiritualem in materia non pertinente ad beneficia, fiat per largitionem vel ceſsionem alterius rei, vel iuris ſpiritualis proportionati; non eſt ſimoniaca: & ideò fieri poteſt de conſenſu partium ſine autoritate Prælati. Probatur ex ſupra dictis, vbi aſſeruimus commutationem vnius rei ſpiritualis pro alia ſpirituali, non eſſe contra ius diuinum, neque eſſe prohibitam iure poſitiuo. Tranſactio autem genus quoddam commutationis eſt. Exempla ſint: ſi lis moueatur ſuper Reliquijs cuius ſint; poterunt litigantes paciſci vt diuidantur, aut pro Reliquia de qua contenditur, altera detur. Item, ſi contentio ſit de iure præſentandi; & litigantes conueniant vt alternis præſentent: non eſt ſimonia. Item, quando circa ius decimarum mouetur lis; & litigantes conueniunt vt hic vnam partem fructuum, alter verò aliam accipiat: nulla eſt ſimonia, etiāſi tranſactio priuata autoritate fiat: quia eſt datio ſpiritualis pro ſpirituali; & annexi pro annexo, cū proportione, quā diximus eſſe ſeruandam in permutationibus. Et hoc non eſt prohibitum aliquo iure: imò ex multis iuribus approbatio colligi poteſt per argumentum ab æquiualentibus, & ex capite *ad quæſtiones*. de rerum permutation. capite *cum venerabilis*. de cenſibus capite *conſtitutus*. de religioſis domi. capite *ex multiplici*. de decimis. Obſeruandum tamen, aſſertionem eſſe intelligendam quantum eſt ex vi tranſactionis præciſe ſpectatæ, ideſt, dumtaxat quòd attinet ad commutationem rei ſpiritualis pro temporali: nam aliunde poteſt prouenire vt ſit neceſſaria Prælati autoritas: verbi gratia, quando cum laicis fit tranſactio de decimis. Tunc enim neceſſariò exigitur Prælati autoritas, iuxta capit. *veniens*. de tranſactionibus, & cap. *venerabilis*. de conſtitut. vtili vel inutili, & cap. *decimas quas*. 16. quæſtione ſeptima. Et aſſertio habet verum præcipuè quando vnum extremum tranſactionis, iuriſdictionem includit dandam à Prælato, ei qui non habet, vel non eſt certū habere. Tunc enim cum priuatè trāſigentes non poſsint eam dare; neceſſaria eſt Prælati autoritas: non quidem ad vitandam ſimoniam, quæ nulla eſt in hoc caſu; ſed periculum vſurpatæ iuriſdictionis quam à Prælato neceſſe eſt conferri. Quo fit, vt ſi duo Parochi contendant ad quem pertineat cura certi oppidi; non poſsint tranſigere, vt vnus retineat pro aliquo ſpirituali accipiendo, vel quod Parochiani diuidantur.

Tertiò dico. In materia beneficiali non eſt licita tranſactio, etiamſi in ea ſpirituale pro ſpirituali tranſigatur, quando illa propria autoritate litigantium fit: autoritate autem Prælati poterit honeſtari. Prior pars aſſertionis communis eſt Iuriſperitis, Innocentio, Panormitano, & alijs in capite *conſtitutus*. & dicto capite *ſuper eo*. & alijs: & caput dictum *conſtitutus*. id expreſſe videtur aſſerere. Explicatur aſſertio exemplis: quando litigatur de vno beneficio, ſi litigans pro beneficio pingui det collitiganti aliud beneficium quod pacificè ipſe poſsidet, vt ſibi relinquat pacificè beneficium pingue: talis tranſactio, ſi fiat ſine autoritate ſuperioris, prohibita eſt: quia verè permutatio eſt, vel renuntiatio in fauorem tertij ex pacto. Item, ſi vnus litigantium promittat alteri pro deſiſtendo à lite accipere illum in vicarium, vel accipere in coadiutorem, vel quid ſimile ſpirituale; prohibitum eſt: & magna ex parte reduci poſſunt hæc pacta ad commutationem ſpiritualis pro temporali. Item ſi litigium ſit ſuper plura beneficia ſimul; & litigantes inter ſe paciſcantur, vt vnum beneficium detur vni, & aliud alteri, quod vnuſquiſque pacificè poſsidet, renuntiando alij vel alijs; non licet, eo quod cōuentio non eſt gratuita: eo præcipuè, quòd cum ius vtriuſque partis dubium ſit, non poteſt per voluntatem tranſigentium renuntiari in alium: quia exponit ſe periculo dandi id quod non habet: & ideò neceſſaria eſt Prælati autoritas. Secunda pars aſſertionis, ſcilicet huiuſcemodi tranſactionem non poſſe fieri ſine autoritate Prælati, & ad id ſufficere Epiſcopum; communis eſt inter Doctores, & colligi poteſt ex dicto capite ſecundo de tranſactione. Item, permutatio beneficiorum ex cauſa iuſta fieri poteſt in manibus Epiſcopi, vt docuimus: ſed cauſa tranſactionis ſatis honeſta eſt, & Reipublicæ neceſ-

Innocent. Panormit.

neceſſaria, ſcilicet pacis bonum, quod ſummoperè promouetur per ceſſationem à litibus: ergo.

Sed hæſitauit quiſpiam: an poſsit Epiſcopus pro bono iſto pacis promouendo, collitigantes ſupra aliquod beneficium ſic componere, vt vnus habeat beneficium, de quo lis eſt, & de illo ſoluat penſionem alteri parti? Et videtur pars negatiua: quia ſupra docuimus, neminem præter Summum Pontificem poſſe ſuper beneficia penſiones imponere. Nihilominus credo id poſſe, ſi penſio ſpiritualis ſit: ſiue collitigantes ante vllam concordiam ſe remittant prouidentiæ Prælati, vt eos componat: ſiue antea inter ſe conueniant, quod vnus beneficium retineat, & alteri ex eius fructibus penſionem ſoluat, remittendo ſuam concordiam ad conſenſum & approbationem Prælati, & non alio modo. Ita habetur in cap. *niſi*. de præbendis, *Hoſtien.* & ſuper illud Hoſtienſis, Panormitanus, & *Panorm.* alij. Et ad argumentum contra hoc poſitũ reſpondetur primò, Epiſcopum non poſſe imponere penſiones ſuper beneficia ne (vt aiunt iura) beneficia ſine diminutione conferantur: poteſt tamen ad vitam eius qui debet ſoluere, & eius cui aſsignatur. Et videtur inſinuari in dicto cap. *niſi*. nam cũ hac limitatione approbatur in fine tex- *Azor.* tus. Ita ſentit Azor tomo ſecundo lib. 8. cap. ſexto. Secundò reſpondetur, poſſe Epiſcopum imponere penſionem ſuper beneficium, quæ duret etiam mortuo Beneficiato, ex cap. *de cætero*. de tranſact. per argumentum à contrario. Dicitur enim ibi, penſionem impoſitam per tranſactionem iuridicam ſine Epiſcopi autoritate, non excedere vitam eius qui penſionem ſoluit. Ergo interueniẽte Epiſcopi autoritate, poteſt excedere vitam Beneficiarij, ac ſubinde ſuper beneficium ipſum imponi. Ita notãt *Panormit.* ibi expreſſe Panormitanus, Cardinal. & alij *Cardinal.* antiqui, & moderni: & habetur expreſſe in cap. tertio de colluſio. deteg. & ita vſus videtur declaraſſe hæc iura. Quo circa, licèt Epiſcopus non poſsit ordinariè penſionem ſuper beneficium imponere: aliquando poteſt, quando ex iure vel conſuetudine id colligitur. At in tranſactionibus, vt pote neceſſarijs ad bonum pacis, & iura & vſus id introduxerunt. Ad caput *niſi*. reſpondetur, eam penſionem non fuiſſe impoſitam autoritate Epiſcopi, ſed aliorum arbitrio. Ad cap. *veniens*. etiam dico, non fieri in eo ſermonem de tranſactione ſuper beneficium, nec de penſione ad vitam penſionarij: ſed de tranſactione ſuper obligatione decimandi, & remiſsione perpetuò duratura: quæ ſine Papæ autoritate fieri non poteſt. Sed quid, ſi penſio temporalis ſit? Poterit ne imponi ab Epiſcopo? Suppoſitis his quæ docuimus ad dignoſcendum inter penſionem ſpiritualem, & temporalem; præcipuè poſt tempora Pij Quinti: dico Epiſcopum non poſſe eam imponere ad requiſitionem partis: neque inter litigantes poteſt antecedere talis conuentio. Quòd ſi antecedat, debet à Prælato reprobari; vt colligitur ex cap. *cum pridem*. de pactis, vbi iuris Canonici periti dicunt, illum textum eſſe intelligendum, quando penſio temporalis eſt, & quando partes ipſæ litigantes inter ſe conuenerunt ante conſenſum Prælati. At verò ſi ipſe Prælatus iudicauerit talem pactionem conuenire: poterit ſuo conſenſu firmare. Et præcipuè pactio vndique licita erit, ſi collitigantes nulla præcedente conuentione, remittant ſuam compoſitionem ad arbitrium & prudentiam Prælati. Ita colligunt Doctores ex cap. *niſi*. citato.

Et ſi roges: an quando partes collitigantes inter ſe conueniunt, quòd vnus retineat beneficium, & det alteri certam penſionem, remittendo ſe ad conſenſum Prælati; quos modò dicebamus peccare: quod peccati genus ſit illud? Reſpondetur, in rigore non eſſe ſimoniam: habet tamen eius ſpeciem, cùm videatur dari ſpirituale pro temporali. Ille enim qui exigit pẽſionem temporalem, parum videtur attendere ad bonum pacis, quod eſt finis tranſactionum: ſed dum taxat ad emolumentum temporale, propter quod ceſſat à lite mota circa beneficium ſpirituale. Sed contra hoc eſt argumentum. Primò, quia tractatus antecedens conſenſum Pontificis in permutationibus, ſi fiat nihil concludendo ante illius conſenſum, licitus eſt: ergo idem erit in tranſactionibus. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ille non habet mali ſpeciem, cùm permutantes vt ſic ad ſuum cõmodum attendant, remittentes illud ad conſenſum Pontificis: tranſigẽtes verò non ſic, vt modò dicebamus. Secundò arguitur contra eiuſdem aſſertionis vltimam partem. Nam dare ſpirituale pro tẽporali, eſt contra ius diuinum: ergo nullus Prælatus valet approbare tranſactionem inter litigantes, vt detur penſio tempo-

rali pro deſiſtendo à beneficio ſpirituali. Reſpondent quidam, temporale illud dari ex prouidentia iudicis propter bonum pacis, vt dicitur in dicto cap. *niſi*. Sed contrà: quia bonum pacis in tali caſu non eſt aliud, niſi quod lis ceſſet: non autem ceſſat, niſi quatenus vtraque pars renuntiat iuri ſuo: ergo in effectu dare temporale pro bono pacis, eſt dare pro renuntiatione iuris, per quam talis pax acquiritur. Item, bonum pacis, vt pote effectus charitatis, bonum ſpirituale eſt. Certè hoc argumentum difficile eſt: quod tetigimus ſuprà in diſputatione de permutationibus, cui meo iudicio multi non ſatisfaciunt: & ego ſuccumberem, niſi conſuetudo & ſtylus Prælatorum ex aduerſo extaret. Vnde reſpondeo, quòd ſicut quando quis beneficium reſignat in manibus Pōtificis, ſub onere certæ penſionis ſibi ſoluendæ, Pontifex approbans, & confirmans, non commutat rem ſpiritualem pro temporali; hoc enim eſſet contra ius diuinum: ſed ad ſe auocans beneficium illud, ex eius fructibus aſsignat certam penſionē reſignanti: quod ei licitum eſt ex poteſtate diſpenſatoria, vt ſupra dictum eſt: ita in noſtro caſu tranſactionis, Prælatus in cuius manibus modus tranſactionis relictus eſt, quaſi ad ſe aduocat beneficium, de quo lis eſt, & dat vni diſſociando certam pēſionem pro altero litigante propter bonum pacis fouendum: quod non eſt commutare ſpirituale pro temporali.

Vltimò contra eandem aſſertionem obijciuntur cap. 2. de arbitris, & vltimum de rerum permut. in quibus videntur reprobari tranſactiones cum aliqua largitione temporali, in commodum partis iuri ſuo renuntiantis. Horum capitum exactam diſcuſsionem remitto Iuriſperitis. Breuiter verò dico, eas tranſactiones in ſecundo cap. recitato reprobatas eſſe, quia à dolo & fraude acceperant initium: & ex fauore in vnam partem fuerat inclinatum. Præterea: oblata pecunia coactus eſt renuntiare beneficio ille qui certum ius in illo habere videbatur, vt patebit attentè legenti. Quòd ſi ita erat, non dabatur pecunia pro bono pacis, ſed pro renuntiatione beneficij: quod ſimoniacum eſt. Item, quia ille Clericus pro ſolis quinque marchis argenti, videbatur ab arbitris renuntiare & beneficio, & toti controuerſiæ: quod non ſolùm ſimoniacum, verum & iniuſtiſsimum erat. In cap. autem vltimo. de rerum permut. non tam fiebat tranſactio quàm vēditio perpetua iuris decimandi. Et fortaſſe non fundabatur ille contractus in bono pacis, ſed in permutanda vna re pro alia: quod non poterat fieri per iudices arbitros. Et hoc apertè ſupponit Pontifex reprobans illud arbitrium, dicens: *Quia permutatio de ſpiritualibus ad tēporalia reprobatur.*

Demum obſerua, bonum pacis quod eſt finis tranſactionum tanti fieri à iure, vt compoſitionem litigantiū non ſolùm concedat Epiſcopis, & alijs Prælatis inferioribus: ſed etiàm facultatem faciat collitigantibus, vt poſsint compromittere in Clericos, quos elegerint, non ſolùm vt iudices cauſæ, ſed etiam vt rem componant tanquam arbitratores, vt patet ex dicto cap. *niſi*. de præbendis, & ca. *de cætero*. de tranſactionibus. Et tunc poſſunt tales iudices arbitri rem componere adiudicando ſemper beneficium ei qui verum titulum habet, aut habere magis præſumitur, aut probatur, & imponendo Beneficiato onus aliquod temporale, ſi ad bonum pacis iudicauerint expedire: non tamen poſſunt ſuper beneficium onus penſionis imponere ſine conſenſu Prælati.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſit conueniens ſimoniaci pœna, vt priuetur eo quod per ſimoniam acquiſiuit?

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quòd non ſit conueniens ſimoniaci pœna vt priuetur eo quod per ſimoniam acquiſiuit. Simonia enim committitur ex eo quòd alicuius muneris interuentu ſpiritualia acquiruntur. Sed quædam ſunt ſpiritualia, quæ ſemel adepta non poſſunt amitti: ſicut omnes characteres qui per aliquam conſecrationem imprimūtur. Ergo non

4. d. 25. q. 3 art. 1. q. 1. ad 1.

non eſt conueniens pœna vt quis priuetur eo quod ſimoniacè acquiſiuit.

2 ¶ Præterea. Contingit quandoque quòd ille quieſt Epiſcopatum per ſimoniam adeptus, præcipiat ſubdito, vt ab eo recipiat ordines: & videtur quòd ei debeat obedire quamdiu ab Eccleſia toleratur. Sed nullus debet aliquid recipere ab eo qui non habet poteſtatem conferẽdi. Ergo Epiſcopus non amittit Epiſcopalem poteſtatẽ, ſi eam ſimoniacè acquiſiuit.

3 ¶ Præterea. Nullus debet puniri pro eo quod non eſt factũ coſciente & volente: quia pœna debetur pro peccato quod eſt voluntarium, vt ex ſuprà dictis patet. Contingit autẽ quãdoque quòd aliquis ſimoniacè conſequitur aliquid ſpirituale procurantibus alijs, eo neſciente & nolente. Ergo non debet puniri per priuationẽ eius quod ei collatum eſt.

1.2.q.74. art.1.& 2. & q.71.ar. 5.& 6.

4 ¶ Præterea. Nullus debet portare commodum de ſuo peccato. Sed ſi ille qui conſequutus eſt beneficium Eccleſiaſticum per ſimoniam, reſtitueret quod percepit: quãdoque hoc redũdaret in vtilitatem eorum qui fuerunt ſimoniæ participes, putà, quando Prælatus & totum Collegium in ſimoniam cõſenſit. Ergo non ſemper eſt reſtituendum quod per ſimoniam acquiritur.

5 ¶ Præterea. Quandoque aliquis per ſimoniam in aliquo Monaſterio recipitur, & votum ſolemne ibi facit profitendo. Sed nullus debet abſolui ab obligatione voti propter culpam commiſſam. Ergo non debet Monachus quod ſimoniacè acquiſiuit amittere.

6 ¶ Præterea. Exterior pœna in hoc mundo non infligitur pro interiori motu cordis, de quo ſolius Dei eſt iudicare. Sed ſimonia committitur ex ſola intentione vel voluntate, vnde & per voluntatem diffinitur, vt dictum eſt. Ergo non debet aliquis priuari eo quod ſimoniacè acquiſiuit.

ar. 1. huius quæſt.

7 ¶ Præterea. Multo maius eſt promoueri ad maiora quàm in ſuſceptis permanere. Sed quandoque ſimoniaci ex diſpenſatione promouentur ad maiora. Ergo non ſemper debent ſuſceptis priuari.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur 1.q.1.c. Si quis Epiſcopus. Qui ordinatus eſt, nihil ex ordinatione vel promotione, quæ eſt per negotiationẽ facta, proficiat: ſed ſit alienus à dignitate vel ſolicitudine, quam pecunijs acquiſiuit.

1.q.1.c. Si quis Epiſcopus.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd nullus poteſt licitè retinere id, quod contra voluntatem domini acquiſiuit; putà ſi aliquis diſpenſator de rebus domini ſui daret alicui contra

voluntatem, & ordinationem domini ſui, ille qui acciperet licitè retinere non poſſet. Dominus autem, cuius Eccleſiarũ Prælati ſunt diſpenſatores, & miniſtri, ordinauit vt ſpiritualia gratis darentur, ſecundùm illud Matth. 10. Gratis accepiſtis, gratis date. Et ideò qui muneris interuẽtu ſpiritualia quæcunque aſſequitur, ea licitè retinere non poteſt. Inſuper autem ſimoniaci tam vendentes quàm ementes ſpiritualia, aut etiam mediatores alijs pœnis puniũtur, ſcilicet infamia & depoſitione, ſi ſint Clerici; & excommunicatione, ſi ſint laici, vt habetur 1. q. 1. cap. Si quis Epiſcopus.

1. q. ca. Siquis Epiſcopus, ſumitur ex Concil. Calced. cap. 2.

¶ Ad primvm ergo dicendum, quòd ille qui ſimoniacè recipit ſacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam Sacramenti, non tamen recipit gratiam neque ordinis executionem: eo quòd quaſi furtiuè ſuſcepit characterem contra principalis Domini voluntatem. Et ideò eſt ipſo iure ſuſpenſus; & quoad ſe, vt ſcilicet de executione ſui ordinis ſe non intromittat: & quoad alios, vt ſcilicet nullus ei communicet in ordinis executione, ſiue ſit peccatum eius publicum, ſiue occultum. Nec poteſt repetere pecuniam quam turpiter dedit, licèt alius iniuſtè detineat. Siverò ſit ſimoniacus, quia contulit ordinem ſimoniacè, vel quia dedit, vel recepit beneficium ſimoniacè, vel fuit mediator ſimoniæ, ſi publicum, eſt ipſo iure ſuſpenſus & quoad ſe, & quoad alios. Sed quando eſt occultum, eſt ſuſpenſus ipſo iure quoad ſe tantùm, non autem quoad alios.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd nec propter præceptum eius, nec etiam propter excommunicationem, debet aliquis recipere ordinationem ab Epiſcopo, quem ſcit ſimoniacè promotum. Et ſi ordinetur, non recipit ordinis executionem, etiamſi ignoraret eum eſſe ſimoniacum: ſed indiget diſpẽſatione. Quamuis quidam dicãt, quòd ſi nõ poteſt probare eum eſſe ſimoniacum, debet obedire recipiendo ordinem, ſed non debet exequi ſine diſpenſatione. Sed hoc abſque ratione dicitur, quia nullus debet obedire alicui ad communicandum ſibi in facto illicito. Ille autem qui eſt ipſo iure ſuſpenſus, & quoad ſe, & quoad alios, illicitè confert ordinem. Vnde nullus debet ſibi obedire, recipiendo ab eo quacunque ex cauſa. Si autem ei non conſtat, non debet peccatum credere alterius: & ita cum bona cõſcientia debet ab eo ordinem recipere. Si autem Epiſcopus ſit ſimoniacus aliquo alio modo quã per pro-

promotionem ſuam ſimoniacè factam, poteſt ab eo ordinem recipere, ſi ſit occultum, quia non eſt ſuſpenſus quoad alios, ſed ſolùm quoad ſe ipſum, vt dictum eſt.

Inſolut. in præced. arg.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ad hoc quòd aliquis priuetur eo quod accepit, non ſolùm eſt pœna peccati, ſed etiam quandoque eſt effectus acquiſitionis iniuſtæ, putà cùm aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non poteſt. Et ideò ſi aliquis ſcienter & propria ſponte ſimoniacè accipiat ordinẽ, vel Eccleſiaſticum beneficium, nõ ſolũ priuatur eo quod accepit, vt ſcilicet careat executione ordinis, & beneficium reſignet cũ fructibus inde perceptis, ſed etiam vlterius punitur, quia notatur infamia. Et tenetur ad reſtituendos fructus non ſolùm perceptos, ſed etiãeos qui percipi potuerunt à poſſeſſore diligenti. Quod tamen intelligẽdum eſt de fructibus qui ſuperſunt deductis expẽſis factis cauſa fructuum, exceptis fructibus illis qui aliàs expenſi ſunt in vtilitatem Eccleſiæ. Si verò eo neſciente nec volente, per alios alicuius promotio ſimoniacè procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur reſignare beneficium quod eſt conſecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos, quia bona fide poſſedit: niſi forte inimicus eius fraudulẽter pecuniam daret pro alicuius promotione: vel niſi ipſe expreſſe contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renuntiandum, niſi forte poſtmodum pacto conſenſerit, ſoluẽdo quod fuit promiſſum.

¶ Ad quartum dicẽdum, quòd pecunia, vel poſſeſſio, vel fructus ſimoniacè accepti, debent reſtitui Eccleſiæ, in cuius iniuriam data fuerunt, non obſtante quòd Prælatus vel aliquis de Collegio illius Eccleſiæ, fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet alijs nocere: ita tamen quòd quantum fieri poteſt ipſi qui peccauerunt inde commodum nõ conſequãtur. Si verò Prælatus, & totum Collegiũ ſunt in culpa, tũc debet cum autoritate ſuperioris vel pauperibus vel alteri Eccleſiæ erogari.

¶ Ad quintum dicẽdum, quòd ſi aliqui ſunt in Monaſterio ſimoniacè recepti, debent abrenuntiare. Et ſi eis ſcientibus cõmiſſa eſt ſimonia poſt Conciliũ generale, ſine ſpe reſtitutionis de Monaſterio ſuo repelluntur: & ad agendam perpetuam pœnitentiam ſunt in arctiori regula ponendi, vel in aliquo loco eiuſdem ordinis, ſi arctior ordo non inueniretur. Si verò hoc fuit ante Concilium, debent in alijs locis eiuſdem ordinis col-

locari. Et si hoc fieri non po- A
test, dispensatiuè debent in eis-
dem Monasterijs recipi, ne in
sæculo euagentur, mutatis ta-
men prioribus locis, & inferio-
ribus assignatis. Si verò ipsis ig-
norantibus, siue ante Concilium,
siue post, sint simoniacè recep-
ti: postquam renuntiauerint,
In hac solu tione. possunt de nouo recipi locis mu
tatis, vt dictum est. B

¶ Ad sextum dicendum, quòd quoad Deum sola voluntas fa-
Extra de si monia cap. Mandato. cit simoniacum. Sed quoad pœ
nam Ecclesiasticam exterio-
rem nō punitur vt simoniacus,
vt abrenuntiare teneatur, sed
debet de mala intentione pœ-
nitere.

¶ Ad septimum dicēdum, quòd
dispensare cum eo qui est Be- C
neficiatus simoniacè scienter,
solus Papa potest. In alijs autem
casibus potest etiam Episcopus
dispensare: ita tamē quòd prius
abrenūtiet quod simoniacè ac-
quisiuit: & tunc dispensatio-
nem consequatur, vel paruam,
vt habeat laicam communio-
nem: vel magnam, vt post pœ-
nitētiam in alia Ecclesia in suo D
ordine remaneat: vel maiorem,
vt remaneat in eadem, sed in
minoribus ordinibus: vel maxi-
mam, vt in eadem Ecclesia etiā
maiores ordines exequa-
tur, non tamē Præ-
lationem acci
piat.

Summa Articuli.

PRima conclusio. Qui muneris interuentu spiritualia quæcūque assequitur; ea licitè retinere non potest. Probatur: Nullus potest licitè retinere quod contra volūtatem domini acquisiuit. Sed Dominus ordinauit, vt spiritualia, quorum Prælati sunt dispensatores, gratis darentur, iuxta illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*: ergo qui munere aliquo spiritualia acquisiuit, non potest ea licitè retinere. *Matth. 10.* Secunda conclusio. Simoniaci spiritualia vendentes, aut ementes, vel etiam mediatores, pœnis alijs puniuntur: Clerici infamia, & depositione: laici verò excommunicatione. Probatur ex cap. *siquis Episcopus.* 1. quæst. 1.

Paraphrasis Articuli.

CIrca materiam huius articuli habentur plura capita in iure Canonico, 1. quæst. 1. cap. *presbyter.* cap. *reperiuntur.* cap. *siquis Episcopus.* cap. *placuit.* cap. *qui per pecuniam.* & 1. quæst. 3. capite *audiuimus.* cap. *siquis dator.* cap. *siquis præbendas.* & vltimo. De simonia in Decretalibus. cap. *qui alium.* cap. *sicut.* cap. *de hoc.* cap. *insinuatum est.* cap. *veniens.* cap. *Matthæus.* cap. *dilectus.* secundo. Vide Concilium Toletanum 6. cap. 4. & octauum cap. 3. duas Extrauagantes de simonia. Syluest. verbo *simonia.* quæst. 19. & 20. Soto lib. 9. de iustitia, quæst. 8. art. 1. & 2. & alios plures, quos passim in discursu disputationum referemus. Præcipuè tamen videndum est Concil. Constantiense sessione 43. vbi est constitutio Martini V. contra simoniacos. Sed vt ea quæ circa pœnas simoniæ in sequentibus dicenda sunt, plenius percipiantur, circa diuisionem simoniæ in mentalē, conuentionalem, & realem, præmittenda est subsequens disputatio.

Conci. Tol. *Sylvest.* *Sotus.* *Conc. Const.*

DISPVTATIO I.

An prædicta diuisio sit sufficiens?

PArs negatiua sequentibus argumētis cōfirmatur. Primò. Simonia ficta, est verè & propriè simonia: & sub nullo prædictæ diuisionis mēbro continetur: ergo. Minorē pro-

probo: quia illa non eſt mẽtalis: hæc enim præſupponit actũ voluntatis, quo quis verè vult ſpiritualia pro temporalibus commutare. At ſimonia ficta non præſupponit huiuſmodi actum: ſed fictam, & ſimulatam intentionem emendi, vendendi ve rem ſpiritualem. Relinquitur ergo ſimoniam fictam non eſſe mentalem. Quòd verò non ſit conuentionalis, aut realis, ex eodem principio manifeſtum fit: nam hæc neceſſariò ſupponunt ſimoniam mentalem. Si ergo mentalis non eſt; neque conuentionalis, aut realis erit. Maior verò aſſeritur *Nauarrus.* à Nauarro in commentarijs ad caput vltimum de ſimonia. num. 10. Et probari poteſt multipliciter. Primò. Quando quis propter fictam, aut ſimulatam promiſsionem alicuius rei temporalis obtinet beneficium ſpirituale; verè commutat rem temporalem pro ſpirituali: ergo verè eſt ſimoniacus. Antecedens probatur. Actio fictè promittendi eſt quid temporale oneroſum nimis, & pretio æſtimabile. Sed ſic promittens, pro hac actione intendit ſpiritualia accipere: ergo verè commutat temporale pro ſpirituali. Declaratur hoc. Datio, & receptio ſpiritualis non gratuita, eſt verè ſimonia. Sed in prædicto caſu non eſt largitio rei ſpiritualis omninò gratuita, ſed ſub onere promittendi quod eſt pretio æſtimabile: (vt diximus) poteſt enim quis ſecundùm iuſtitiam pecuniam exigere pro obligatione exteriori in fauorem alterius facta, etiãſi ficta ſit, & ſimulata: ergo. Cõfirmatur. Adulator qui per ficta, & ſimulata ſigna honoris obtinet beneficium, veram ſimoniam committit: ergo idem erit in noſtro caſu.

Secundò principaliter arguitur. Simonia quæ committitur per traditionem rei ſpiritualis tantùm cum promiſsione pretij, vel è conuerſo, eſt verè, & propriè ſimonia: & neque eſt mentalis, aut conuentionalis præciſè; neque etiam eſt ſimonia realis conſummata, & perfecta: hæc enim traditionem exigit ex parte vtriuſque: ergo præter illas tres ſpecies ſimoniæ, quarta erit aſſignanda.

In hac diſputatione nulla eſt de re ipſa inter Theologos, & Iuriſperitos controuerſia: ſed ſolùm differunt in modo loquendi. Theologi namque ſimoniam in communi acceptam, in duo tantùm membra diſtinguunt, nempè in mentalem, & conuentionalem. Ita Caiet. in ſumma, verbo *ſimonia.* Sylueſt. quæſt. 20. Soto lib. 9. de iuſt. q. 8. art. 1. At Canoniſtæ, vt colligitur ex Nauar. in Manuali cap. 23. num. 103. & in commentarijs ad cap. *mandato.* de ſimonia, trimembrem conſtituunt diuiſionem. Sed (vt dixi) quæcunque commutationes inter ſimoniacos, ad mentalem, & conuentionalem facilè reuocantur. Nos ergo vt clariùs procedamus, tria hæc ſigillatim explicabimus, præmittentes prius diuiſionem ſimoniæ communiſsimè ſumptæ, in ſimoniam fictam, & in ſimoniam veram, & propriè ſumptam, circa quam tota deinceps noſtra verſabitur diſputatio. Vera ſimonia eſt voluntas emendi, vel vendendi, vel ipſa emptio, & venditio rei ſpiritualis. Ficta verò, eſt ſimulatio voluntatis emendi, aut vendendi rem ſpiritualem. Et de hac exiſtimauit Nauarrus propter primum argumentũ eſſe in rigore ſimoniam, & ad conuentionalem reuocandam: quamuis ex alio capite doceat, eam non eſſe ſubiectam pœnis ſimoniæ, quia videlicet huiuſmodi pœnæ ſolùm ſunt latæ propter ſimoniam ex vtraque parte conſummatam per traditionem rei ſpiritualis pro temporali: quod in ſimonia ficta nullatenus reperitur. Veriùs tamẽ dicendum eſt cum Domino Caietano opuſc. de ſimonia, quæſt. 2. quem ſequitur *Caietan.* Soto lib. 9. quæſt. 8. artic. 1. quòd quando quis fictè promittit pretium pro re aliqua *Sotus.* ſpirituali comparanda, ibi nulla interuenit vera ratio ſimoniæ. Et probatur argumento Caiet. vbi omninò deeſt emendi voluntas, emptio ſecundùm veritatem eſſe non poteſt. Sed in præſenti qui accipit beneficium ſpirituale ex promiſsione ficta, non habet veram emendi voluntatem. Ergo ibi non eſt vera emptio, ſed emptionis tantummodò ſimulatio. Ergo nec eſt ibi vera ſimonia: quia hæc eſt ſtudioſa voluntas emẽdi, & vendendi. Si ergo deeſt vera emẽdi voluntas: & veram rationem ſimoniæ deeſſe neceſſe eſt. Confirmatur. Emptio, & venditio correlatiuè dicũtur; ita vt vna ſine altera reperire nequeat: haud enim intelligi poteſt venditio nullo emente: ergo quamuis quantum eſt ex ſe, & ex affectu propriæ voluntatis quis intendat rem ſpiritualem pro temporali commutare, non cum emente, ſed cum emere ſimulante: ibi nec vera emptio, aut venditio reperitur ſecundùm rem, ſed ſecundùm apparentiam tantùm, cùm vero tamẽ affectu ſimoniæ ex parte venditoris. Vbi autem emptio, & venditio non eſt; nec vera ratio ſimoniæ erit. Denique id manifeſtum fit ex communi ratione contractus. Nam de ratione

Caietanus. Sylueſt. Sotus Nauarrus.

contractus, eſt mutuus ex vtraque parte cõ
ſenſus: ſed ſimonia eſt quidam contractus
emptionis, & venditionis: ergo neceſſariò
exigit mutuum ex vtraque parte conſen-
ſum. Conſenſu igitur ex altera parte de-
ficiente, non erit verus contractus, neque
vera ſimonia. Et conſequenter nullis ſubij-
citur pœnis ſimoniæ, fictio hęc emptionis,
aut venditionis ſimulatio: quia pœnæ iu-
ris latæ ſunt contra vitia, quæ ſecundùm
veritatem talia ſunt; & non ſecundùm ſi-
militudinem, & apparentiam tantùm.

Implicabitur nihilominus emptor iſte ſi
mulatus multis alijs vitijs & peccatis, vt op
timè adnotauit Caiet. Primò communicat
cum ſimonia mentali venditoris, ad illam
efficaciter cooperando. Deinde ſe ipſum
infamat: ſatis enim mentitur ſe ſimoniacũ
eſſe. Tertiò incurrit peccatum ſcandali &
mendacij pernicioſi. Ex his expeditum
manet primum argumentum Nauarri: ne-
go enim maiorem. Ad primam eius proba-
tionem nego minorem: quia huiuſmodi fic
ta promiſsio non reſoluitur in pretium rei
venditæ, neque tradens rem ſpiritualem
acceptat illam in pretium, cùm ſit illi omni-
nò impertinens, & inutilis ad quemcun
que vſum: ſolùm igitur id intendit vt pre-
tium quod ſub tali ficta promiſsione cadit;
quamuis aliàs ex falſa exiſtimatione decipiatur. Idque neceſſariò tenetur Nauarrus
admittere in propria ſententia: quia quando promiſsio eſt vera, non reſoluitur in
pretium rei ſpiritualis: aliàs commutatio rei
ſpiritualis facta ex promiſsione pretij, eſſet
completa ſimonia realis ex vtraque parte;
quod non admittit Nauarrus. Probo ſeque
lam: quia iam eſſet ex parte venditoris tra-
dita res ſpiritualis; & ex parte emptoris eſ-
ſet exhibitum in pretium aliquid tempora-
le, vel ſaltem in partem pretij: quod ſufficit
ſecundùm prædictum autorem ad ſimoniã
realem punitam ab Eccleſia. Si ergo pro-
miſsio vera pecuniæ non habet rationem
pretij: multo minus ficta, & ſimulata. Ad
ſecundam probationem cõcedo maiorem,
& nego minorem, quia collatio beneficij
ex parte recipientis eſt omninò gratuita,
cùm ex parte eiusnulla ſit intentio ſoluen-
di aliquid temporale. Et quamuis ex parte
alterius conferentis beneficium non ſit
gratuita ſecundùm intentionem, & af-
fectum eius: id tamen ex falſa exiſtimatio-
ne procedit. Et ideò non ſaluatur vera con
uentio emptionis, & venditionis: & con-
ſequenter nec vera ſimonia conuentionalis,

A ſed ſolùm ficta, & ſimulata. Ad confirma-
tionem negocõſequentiam: quia qui in caſu
antecedentis ſic obtinet beneficium, verè
offert in pretium aliquid temporale, quam
uis illud ſit viliſsimum: quod omnino ſuf-
ficitad ſimoniam. Secùs in noſtro caſu, vt
ex prædictis manifeſtum eſt. His circa ſi-
moniam fictam ſic breuiter conſtitutis: quę
verè & propriè ſimonia eſt diuiditur in tria
illa membra à nobis in principio diſputa-
tionis aſsignata: in mentalem, conuentio-
nalem, & realem. Mentalis eſt intentio
emendi, aut vendendi rem ſpiritualẽ. Quæ
multipliciter poteſt inueniri. Primò, quan-
B do in ſolo actu interiori conſiſtit, non tran
ſiens in exteriorem effectum abſque ali-
quo pacto & conuentione. Et hæc eſt deli-
berata voluntas emendi aut vendendi rem
ſpiritualẽ opere non ſubſecuto: quod com-
mune eſt ſimoniæ cum alijs quibuſcunque
vitijs. Secundò cõtingit mentalis ſimonia,
quando extra fit opus ſimoniacum per tra-
ditionem rei tam ſpiritualis, quàm tempo-
ralis: & intus manens intentio, neque for-
maliter, neque virtualiter per pactum taci-
tum vel expreſſum exteriùs explicatur:
ſed ſimoniaci exteriùs ſic apparent, ac ſi
C liberaliter donarent. De hac loquitur D.
Tho. ſolutione ad 6. cuius doctrinam infra *D. Thom.*
latiùs explicabimus. Tertiò contingit ſi-
monia mentalis, quando ex altera tantùm
parte eſt ſimonia in munere à lingua, à ma-
nu, vel ab obſequio, vt cùm famulus inſcio
Epiſcopo obſequium præſtat, animo & in-
tentione obtinendi beneficium.

Conuentionalis ſimonia eſt contrac-
tus quidam, ſeu conuentio commutandi ſpi
rituale pro temporali, nondum executio-
ni mandata per traditionem rerum. Vt ſi
Epiſcopus conueniat cum alio de commu-
tando beneficio pretio promiſſo: ſi poſ-
tea pœnitentia ducti, aut impotentia rece-
D dant à contractu, illa erit conuentionalis
ſimonia. Dubitat tamen & meritò Caiet. *Caietan.*
an ſimonia per traditionem alterius rei, ſpiri
tualis ſcilicet, aut temporalis tantùm con-
ſummata, ſit verè & completè ſimonia rea-
lis? an intra limites ſimoniæ conuentiona-
lis contineatur? Gregorius à Valentia 2. *Valentia.*
2. diſputatione 6. quæſtione 16. de ſimo-
nia puncto 5. ſecutus Nauarrum dicto c. 23. *Nauarr.*
num. 103. qui etiam allegat pro ſe Caſſa-
dorum, & Gomezium, nullum conſtituit
diſcrimen inter ſimoniam conſummatam
per traditionem rei ſpiritualis, & inter eam
quæ per traditionem rei temporalis com-
pletur.

pletur. Sed vtranque docet, intra limites conuentionalis ſimoniæ contineri: quia cùm de ratione ſimoniæ ſit quidam contractus, & conuentio, ſicut in alijs contractibus emptionis, & vēditionis, reperitur emptio, & venditio anticipata ſolutione, & credita pecunia: ſic in conuentione ſimoniaca poteſt vtraque indifferenter reperiri. Ergo ſicut traditio rei venalis in temporalibus non conſtituit venditionem conſummatam, & perfectam: ita neque traditio rei ſpiritualis promiſſo temporali, cōſtituet conſummatam, & completam ſimoniam.

Caietan. *Sotus.* Verius tamen reſpondet Caietanus loco citato, quem ſequitur Sotus lib. 9. quæſt. 8. art. 1. Et ideò dico primò. Quando contractus ſimoniacus completur per traditionē rei temporalis præciſè: talis contractus cōtinetur intra limites conuentionalis ſimoniæ. Ratio deſumitur ex proportione ad quamlibet aliam ciuilem conuentionem. Quantūuis enim pecunia numeretur, eiuſque traditio fiat: quandiù res vendita non tranſit in dominium, & poſſeſſionem emptoris, non intelligitur venditio, illa conſummata. Ergo ſimiliter, imò à fortiori idē erit dicendum in præſenti: quòd quandiù res ſpiritualis manet ſub poteſtate venditoris, nondum intelligitur illa venditio completa. Dico ſecundo. Quando fit traditio rei ſpiritualis credita pecunia: verè & completè eſt ſimonia realis. Probatur ex definitione Hoſtienſis, quam alij communiter acceptant. *Hoſtien.* In ſumma enim tit. de ſimonia. §. 1. *Simonia* (inquit) *eſt datio, vel acceptio ſpiritualis ex pacto proueniens.* Ecce vbi acceptio ſeu datio rei ſpiritualis executioni mandata, ponitur tanquam pertinens ad eſſentiā, & ſubſtantiam ſimoniæ realis: pretium verò non vt neceſſarium in re exhibitum, ſed vt ſub promiſſione futurum. Secundò. Finis emptionis non eſt pretium, ſed res venalis: ergo emptio tunc intelligitur cōſummari, & vltimo in ſua perfectione compleri, quando emptor in dominium rei vēditæ eſt plenè conſtitutus. Tertiò. Propria materia emptionis eſt res ipſa, vt transferenda ab vno in alium; pretium verò eſt veluti inſtrumentum quoddam commune, & generale ad illam, & ad quamlibet aliam commutationem faciendam inſtitutum: ergo quādo res venalis eſt ſub dominio emptoris, emptio iam intelligitur conſummata, etiam ante ſolutionem pretij. Igitur in propoſito ſi res ſpiritualis ſit tradita ſub promiſſione pretij futuri: iam intelligitur conſummata irreligioſa rei ſacræ contrectatio.

Ad argumentum Nauarri reſpondetur, & primò concedo, eandem eſſe rationem de alijs ciuilibus conuentionibus, & de cōtractu ſimoniaco. Sed ſicut ſimonia realis non completur per exhibitionem pretij, ſed per traditionem rei ſpiritualis. Ita alij contractus complentur non per pecuniam numeratam, ſed per traditionem rei venalis, etiamſi pretium nondum numeratum ſit. l. 2. ff. de contrahenda emptione, & §. 1. inſt. de emptione, & venditione. Secundò reſpondetur cum Caietano, negando eandem eſſe rationem. Et differentia eſt, quòd in ſimonia tota radix repugnantiæ ad venalitatem, prouenit præciſe ex re ſpirituali, quæ ex ſua intrinſeca ratione, & entitate venalis nō eſt: & ideò per traditionem eius intelligitur irreligioſa venditio executioni mandari. Secus in rebus alijs temporalibus, quibus non repugnat venalitas, ſed ſecundùm ſuam naturam ſunt ſubiecta venditioni.

Tertia ſpecies huius diuiſionis, eſt ſimonia realis, quæ in ipſa rerum traditione cōſiſtit; vel ſaltem in traditione rei ſpiritualis. Tria igitur poſſumus in ſimonia conſiderare, vt optimè adnotauit Caieta. intentionem contrahentium, conuentionem, & rerum exhibitionem: quæ ſe habent ſicut includens, & incluſum, vel ſicut inferius, & ſuperius. Sola intentio emendi, vel vendēdi rem ſpiritualem, conſtituit veram ſimoniam, ſed purè mentalem; de qua nulla eſt in hoc articulo difficultas, quia in eo ſolùm fit mentio de his quæ manent ſubiectæ Eccleſiaſticis pœnis, quæ non puniunt purè interiora. *Caietan.* Si verò ad intētionem addas realem rerum exhibitionem, etiamſi contrahentes nihil exterius exprimant paciſcendo, non eſt ſimonia purè mentalis, ſed verè ſubijcitur Eccleſiaſticæ poteſtati, quia exhibitio rerum locum habet conuentionis: imò eſt illius conſummatio, finis, & perfectio. Vt ſi hæreticus proferat ſuam hereſim animo pertinaci: etiamſi exterius dicat, ſe non proferre tali animo, eſt verè hæreticus, & Eccleſiæ clauibus ſubiectus. Conuentionalis, ſupra mentalem pactionem addit explicitam, & formalem, vel implicitam, & virtualem. Realis hæc omnia includit: & inſuper dicit realem rerum exhibitionem, vel ſaltem rei ſpiritualis. Sed de hoc infrà diſputatione octaua iterum à nobis habendus eſt ſermo.

DISPVTATIO II.

Quæ intentio conſtituat mentalem ſimoniam?

IN hac diſputatione variant Doctores. Nam Durandus in 4. diſt. 25. quæſt. 4. num. 7. circa finem, eam intentionem docet ſufficere, qua quis ita commutat ſpirituale pro temporali; quod ſi non eſſet commodum temporale, neque ſpirituale conferret. Tũc enim (inquit) Prælatus ſimoniam committit, quando confert beneficium ſpirituale habito reſpectu ad temporale. Et explicans qualis ſit huiuſmodi reſpectus ait: *Habetur autem huiuſmodi reſpectus ad hoc, quando ſine his non eſſet alias collaturus.* Caietan. verò in ſumma, verbo *ſimonia*. §. *circa tertium caput*, diſtinguit duos modos intentionis. Alterum, quo intenditur temporale, vt pretium: alterum, quo vt finis principalis intenditur: & vtrunque, docet, veram ſimoniam cõſtituere. Ait enim, quando quis intendit pro ſpiritualibus temporalia habere, aut è contrario, ita vt ly *pro*, denotet pretiũ: & ſimiliter quandocunque principalis intentio ad temporale habendum ex collatione ſpiritualis, aut è contrariò tendit, veram eſſe ſimoniam. Hanc ſequuntur ex Theologis Maior in 4. diſtin. 15. quæſt. 29. ad quintum. Alenſis 4. par. memb. 3. art. 2. Altiſiodor. 3. par. tract. 27. cap. 2. quæſt. 2. Corduba lib. 1. quæſt. 32. art. 1. ex Canoniſtis Gloſſa cap. vnico de Cleric. non reſid. in 6. verbo *receperit*. Eam latè defendit Nauar. in Manuali cap. 23. num. 100. §. *quarto quod*. & ſequentibus. Vbi ex Caietani ſententia determinat, eſſe vniuerſaliter verum, nil poſſe accipi pro re ſpirituali, vel ei annexa comparanda, ſiue maximum, ſiue minimum; ſi ad illud attendas, vt ad pretium, vel vt ad cauſam principalem, & immediatam. Et quamuis in hoc loco ſolùm dicat nõ eſſe finem principalem omnem eum, ſine quo res non fieret; ſed eum, qui in maiori æſtimatione habetur: libro tamen de oratione cap. 6. num. 12. latè explicat rationem finis principalis; definiens eum eſſe finem principalem, gratia cuius ſolius fit, vel fieret opus, etiamſi alius non concurreret actu, neque virtute. In cuius declaratione plura intermiſcet, non ſatis Theologicè dicta. Sed pro explicatione

Durand. *Caietan.* *Maior.* *Alenſis.* *Altiſiod.* *Corduba.* *Gloſſa.* *Nauarrus.*

A Dico primò. Qui in miniſtratione ſpiritualium intendit temporale, vt motiuum concomitans finem principalem, diuinum ſcilicet cultum; etſi ita intendat vt ſine illo non miniſtraret, aut conferret ſpirituale; non peccat. Eſt contra Durandum vbi ſuprà: exiſtimo tamen eſſe certiſsimum, & debere ab omnibus acceptari. Et hoc intendit Gloſſa cap. 1. de Cleric. non reſident. lib. 6. vbi habetur peccare eum, qui ſurgit ad matutinas preces, principaliter propter quotidianas diſtributiones: non verò illum qui ſurgit principaliter vt Deo inſeruiat, & minus principaliter, & ſecundariò vt eas lucretur. Et probatur ex cap. *ſi officia*. 59. diſt. B ex cap. *quid proderit*. vbi Celeſtinus, & Vrbanus Pontifices determinarunt, licere Clericis in Eccleſijs Deo inſeruire ſpe aſcendendi ad dignitates earum. Probatur etiam ex Gloſſa cap. *cùm eſſet*. de ſimonia. cap. *cùm ad noſtram*. de electione. Quæ aiunt, illum admittere ſimoniam, qui Prælato obſequium præſtat ob beneficium Eccleſiaſticum principaliter, maximè intercedente pacto: non autem qui principaliter ob aliam iuſtam cauſam inſeruit, licèt minus principaliter, & ſecundariò ob illam ſpem inſeruiat. Ex quibus facilè conuincitur, eodem modo peccare Prælatum, qui principaliter intenderet compenſare famuli obſequium beneficio aliquo ſpirituali: nõ tamen ſi principaliter iuſtam cauſam attendat, famuli ſcilicet dignitatem, quamuis ſecundariò etiam titulo gratitudinis ei conferat beneficium. Ratione probatur. In tali intentione ſeruatur debitus ordo; ordinat enim temporalia ad ſpiritualia tanquam adminicula, inſtrumẽta, & media ad finem: ſpiritualia verò reputat tanquam finem præcipuum: ergo non eſt vnde huiuſmodi intentio vitietur. Confirmatur: quia aliàs omnes Canonici, & Beneficiati ſimonię labe eſſent infecti; qui ita ad temporalia reſpiciunt, quòd ſi non eſſet commodum temporale, neq; ad Chorum irent, nec Miſſam celebrarent. At hoc admittere duriſsimum eſt, & contra vſum ſatis communiter receptum. Imò qui celebrat propter ſalutem, aut propter beneficium temporale ſibi à Deo conceſſum, aut cõcedendum, alioquin non celebraturus, tantùm abeſt quod peccet; quin potiùs benè, & meritoriè operatur: ergo. Contrà eſt argumentum deſumptum ex cap. *tua nos*. de ſimonia, vbi Pontifex verba faciens de quodam qui bona ſua conferebat Eccleſiæ, eo animo vt admittere-

Gloſſa. *Gloſſa.*

mitteretur ad Canonicatum, & permitteretur habere bona ſua pro præbenda; ſimiliterque de Canonicis illum admittẽtibus, ait: *Si tamen is qui talem donationem facit ea intentione ducatur, vt per temporalia bona, ſpiritualia valeat adipiſci, & Clerici qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi cõmoda temporalia perciperent, admiſſuri: ſine dubio tam iſte, quàm illi apud ſtrictum iudicem culpabiles iudicantur.* Ecce vbi Pontifex damnat crimine (vtique ſimoniæ) eos qui ita admittunt ad bona ſpiritualia, quòd aliàs ſi non eſſet commodum temporale, ad illa non eſſent admiſſuri. Sed reſpondetur, Pontificem loqui de Canonicis, qui nulla alia ratione honeſti ducebantur; ſed ſolùm reſpiciebant ad cõmodum temporale: & ideò conuincuntur habere intentionem ſimoniacam, ſaltem virtualem, de qua infrà oſtendemus ſufficere ad verum crimen ſimoniæ.

Dico ſecundò. Qui in adminiſtratione ſpiritualium, principaliter intendit commodum temporale tanquam ſtipendium, nõ tanquam pretium proportionatum ſuo labori: peccat quidem, ſed non crimine ſimoniæ. Pro explicatione huius concluſionis nota: tria hæc, intendere aliquid temporale, vt finem principalem, vel in ſtipendium, vel in pretium, eſſe omninò diuerſa, poſſeque ab inuicem ſecerni. De quo latè P. Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 44. num. 4. & ſequentibus, vbi multa minus neceſſaria congerit ex his, quæ prima ſecundæ diſputari ſolent. Nos verò præfatam diuerſitatem breuiter in hunc modum explicamus. Ratio finis, vt ex Philoſophia conſtat, in eo ſita eſt, vt finis propter ſuam bonitatem appetatur, & media ad illum conſequendũ ordinata propter ipſum. Infirmus enim appetit ſanitatem propter ſuam bonitatem: minutionem, potionem amaram, & alia ad illam conſequendam neceſſaria, propter ipſam. Huiuſmodi finis principalis (loquor de fine proximo, & immediato humanarum actionum, non de eo qui eſt ſimpliciter principalis, qualis eſt Deus Opt. Max.) aut eſt finis ad quem opus ex natura ſua ordinatur, vel ad quem opus ex intentione operantis dirigitur: quę duo facile ſeparantur. Nam medicina, ad medendum corpus ex natura ſua ordinatur: Medicus verò non ſemper id intendit, ſed proprium lucrum, & commodum temporale. Ratio verò ſtipendij in eo conſiſtit quòd ſit quid temporale, debitum ex iuſtitia ſpiritualia miniſtrantibus, proportionatum, & commenſuratum non quidem cum re ſpirituali, aut cum laboribus miniſtrorum, quia hæc nullo terreno pretio poſſunt compenſari; ſed cum indigentia ipſorum, & cum his quæ ſunt ad eorum victum, & veſtitum neceſſaria. Hoc expreſsè colligitur ex D. Paulo 1. Corint. 9. vbi id conatur oſtendere multis argumentis, tùm à natura profectis, tùm à veteri Teſtamento. Deinde Apoſtolorum exemplo, ait enim: *Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* De quo Diuus Thomas artic. 2. E contrario verò ratio pretij non commenſuratur indigentiæ miniſtri: ſed proportionari debet operi, & labori impenſo, aut rei venali ſecundùm æqualitatem rei ad rem, quam conſtituit iuſtitia commutatiua. Hoc non aliter probatur, quàm ex communi omnium conſenſu, inſtituentium pretium ad æqualitatem conſtituendam in commutationibus, quæ fiunt interueniente iuſtitia. His prænotatis, prima pars concluſionis eſt, quòd ſi quis intendit principaliter bonum temporale in diſpenſatione, & miniſterio ſpiritualium, vt ſtipendium, ad ſuam indigentiam; peccat quidem, ſed non ſimoniace. Verbi gratia: Sacerdos celebrans in mortali principaliter propter ſtipendium (aliàs, ſi principaliter intenderet cultum Dei, aut commodum ſpirituale, non celebraturus) licèt grauiſsimum ſacrilegium committat; tamen non eſt ſimoniacus. Probatur facili ratione. Qui ſic diſpenſat ſpiritualia, peruertit ordinem rerum: ordinat namque ſpiritualia ad temporalia, vt media ad finem, qui ordo peruerſiſsimus eſt: ergo grauiter peccat. Quòd verò non ſit ſimonia probatur ex eius definitione: eſt enim ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi rem ſpiritualem, &c. At præfatus miniſter, etſi peruerſè agat, non vendit rem ſpiritualem, quia non accipit quidquam in pretiũ, ſed in ſtipendum tantùm: ergo. Probo minorem. Nam ille peruerſus ordo non mutat naturam ſtipendij in naturam pretij: ſed ſtipendium ipſum manens in ratione ſtipendij, reputat finem principalem.

Meritò tamen dubitabis, an huiuſmodi peccatum ſit lethale? Reſpondeo: ſi quis ita intendat commodum temporale, vt in eo ſiſtat tanquam in vltimo fine: procul dubio ſacrilegium eſt grauiſsimum. Vt ſi Sacerdos lucri cupiditate Miſſam celebret in mortali, ordinetque excellẽtiſsimum illud ſacrificium ad proprium cõmodum acquirẽdum, tan-

Suarez.

1. Corin. 9.

tanquam ad vltimum finem ſibi præfixum: in tali celebratione duplex, & vtrumq; grauiſsimum committit ſacrilegium. Alterum quia ad tantum miniſterium indignus præſumit accedere: alterum, quatenus ex lucri cupiditate conſtituit ſibi vltimum finem in pecunia per tam excellens medium comparanda. Ratio eſt manifeſta: nam vltimus finis reſpectu cuiuſcunque actionis humanæ debet eſſe ipſe Deus: ergo quicũque conſtituit ſibi vltimum finem in creatura, præponit creaturam creatori, & conſequenter peccat mortaliter. Tunc autem quis cenſetur vltimum finem in creatura collocare: quando ita eſt eius deſiderio captus, vt pro eius amore non dubitet quamcunque præcepti tranſgreſsionem admittere. Si verò bonum temporale reſpiciat in commutatione ſpiritualium, non vt finem vltimum, ſed vt proximum & immediatum: diſtinguendum eſt. Quia vel ordinat vlteriùs hoc bonum temporale in aliquem finem honeſtum; & ſic nullum eſt peccatum rem ſpiritualem ad temporalem ordinare. Licitè enim poſſunt res ſuperioris ordinis ad inferiores ordinari, vt ad finem proximum: ideſt vt ad medium neceſſariũ ad alium finem principaliorem conſequendum. Vel animus & intentio ſiſtit in bono illo temporali, non ordinando illud ad aliũ finem honeſtum, ad quem res ſpiritualis eſt ſecundùm ſuam naturam ordinabilis. Et tũc ſic commutare rem ſpiritualem pro temporali, quamuis ex genere ſuo ſit lethale; ex paruitate materiæ poterit aliquando eſſe veniale. Probatur. Sacrilegiũ ex genere ſuo eſt mortale: ſed huiuſmodi commutatio eſt ſacrilegium: ergo. Minor probatur, quia irreuerentiam exhibet rebus ſacris, qui præfert illis bona temporalia. Quia verò talis irreuerentia poteſt eſſe minus grauis, vt ſi quis ob ineundam amicitiam cum Principe, vel quid ſimile, conferat aliquid ſpirituale: ideò dixi aliquando eſſe veniale ex prauitate materiæ.

Sed circa iſtam doctrinam aduerte: quòd quamuis qui ita intendit commodum temporale vt ad illud conſequendum ordinet ſpirituale vt medium ad finem, non ſit formaliter ſimoniacus, vt explicatum eſt: nihilominus habet quandam ſimilitudinem, & effigiem ſimoniæ: eſtque (vt ita loquar) radicaliter ſimoniacus. Explicatur hoc ex

D. Thom. D. Tho. ſup. art. 1. vbi ait. *Quia res ſpiritualis non poteſt aliquo terreno pretio comparari, vt de ſapientia dicitur: pretioſior eſt cun-*

Prou. 3. *ctis opibus: & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari. Ideò etiam Petrus in ipſa ſui radice ſimoniacam prauitatem condemnans, dixit: Pecunia tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſsidere.* Actor. 8. Ecce ibi D. Tho. clarè docet, radicem ſimoniæ eſſe magis æſtimare temporale, quàm ſpirituale: ergo qui ſic comparat beneficium ſpirituale ad temporale vt principaliter intendat, & pluris æſtimet temporale, quàm ſpirituale; eſt veluti radicaliter ſimoniacus.

Dico tertiò. Intentio ſufficiens, & neceſſaria ad ſimoniam mentalem, eſt illa quæ reſpicit commodum temporale, vt pretium rei ſpiritualis: ſiue principaliter, ſiue minus principaliter operans intendat illud. Dixi, ſiue principaliter, ſiue minus principaliter intendat: quia ad rationem pretij, per accidẽs eſt quòd operans intendat illud vt finem principalem, vel minus principalem. Explicatur hoc in Medico, qui principaliter intendit ſalutem infirmi: nihilominus ſecundariò reſpicit mercedem & pretium ſui laboris. Sic ergo in propoſito: ſi quis Medicus ſpiritualis intendat principaliter ſalutem infirmi in diſpenſatione Sacramentorum: ſi tamen reſpiciat aliquid temporale etiam ſecundariò, vt pretium rei ſpiritualis; eſt verè & propriè ſimoniacus. Hanc concluſionem ſic explicatam exiſtimant nõnulli eſſe contra mentem D. Thom. quodlib. 8. art. 11. vel quæſt. 6. ſed immeritò, quin potius certum mihi videtur, doctrinam huius, & præcedentium concluſionum in præfato loco, firmum habere fundamentum. Nam ibi D. Thom. intendit explicare, an quando Canonicus Eccleſiam frequẽtat ob quotidianas diſtributiones, ſit ſimoniacus? & in corpore articuli aſſerit in hæc verba: *Simoniam committit qui huiuſmodi actus, (ſcilicet ſpirituales) vendere intendit. In qualibet enim venditione pretium accipitur quaſi finis. Et ideò in prædicto caſu diſtinguendum eſt. Si enim huiuſmodi diſtributiones recipit, quaſi finem ſui operis principaliter intentum; ſimoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu; ad huiuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundariò, non quaſi in finem* (vtique ſui operis) *ſed ſicut in id quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem: conſtat, quòd non vendit actum ſpiritualem; & ita ſimoniam non committit, nec peccat.* Expendamus, ſi placet, ſingula eius verba. Et in primis, in poſteriori-

D. Thom.

rioribus verbis habes doctrinam primæ, & ſecundæ concluſionis: in prioribus verò doctrinam tertiæ; requirit enim ad ſimoniã intentionem vendendi. Venditio autem cũ ſit actus iuſtitiæ commutatiuę, æqualitatem conſtituentis inter rem, & re: reſpicit pretium vt finem ſui proportionatum, & commenſuratum in valore cum re venali: pretio namque æqualitas conſtituitur in commutationibus iuſtitiæ. Ex hac doctrina, quæ veriſsima eſt, ſoluit D. Thom. propoſitam difficultatem inquiens, quòd qui recipit huiuſmodi diſtributiones quaſi finem ſui operis principaliter intentum (id eſt, quaſi pretium proportionatum, & commenſuratum in valore operis) ſimoniam cõmittit. Tunc enim ſaluatur vera ratio venditionis rei ſpiritualis. Quod amplius explicuit D. Thom. in ſecundo membro diſtinctionis: vbi diſtributiones conſiderat nõ vt finem operis, vel vt pretium eius, ſed cõparat cum indigentia miniſtri, & cum his quæ ſunt ad vitam tranſigendam neceſſaria: quod eſt intendere eas formaliter, vt ſtipendium ſibi debitum ex iuſtitia, & obligatione orta ex natura rei ad perſonam ſic ſpiritualia miniſtrantem. His præmiſsis, probo concluſionem facili ratione. Ad veram emptionem, & venditionem ſufficit, & requiritur intentio commutandi rem venalem pro pretio ei proportionato; ſiue vẽdens in tali contractu principaliter, ſiue minus principaliter intendat pretium: ergo hæc eadem intentio ſufficit, & requiritur ad veram ſimoniam. Probo conſequentiã clarè ex ipſa definitione ſimoniæ, quæ eſt ſtudioſa voluntas vendendi, &c. Antecedẽs verò per ſe manifeſtum eſt: ſed explicatur amplius. Si amico indigenti mercetua, illã vendas iuſto pretio, intendens principaliter amici neceſsitati, & indigentiæ ſubuenire; & minus principaliter, & ſecundariò reſpicias pretium: non dubium quin ſit vera emptio, & venditio: ergo ſimiliter in propoſito. Confirmatur. Qui mutuat principaliter, vt proximi neceſsitati ſuccurrat: ſi minus principaliter, & ſecundariò ſperet lucrum tanquam pretium mutui, vſurarius eſt: ergo, &c. Antecedens videtur negare Nauarr. in Manuali. cap. 23. num. 101. contra Soto de iuſtit. lib. 6. quæſt. 1. artic. 2. Sed neque negari poteſt: neque ipſe Nauarrus negat. Nam cap. 17. antecedenti, num. 209. expreſsè ait: *Licèt nullum, neque principale, neque minus principale lucrum, tanquam iure debitum ex mutuo expectari poſsit: poteſt*

D. Thom.

Nauarrus. Soto.

A *tamen tanquam antidorale, & remuneratorium de gratia, & non de iuſtitia debitum.* Et quamuis inferius lubricè loquatur, intelligendus eſt iuxta ſeriem horum verborum. Denique probatur à priori: quia cùm exterioris, interioriſque ſimoniæ idem ſit obiectum formale: exterior eſt veriſsima interioris regula. Sed conferre ſpirituale pro temporali tanquam pro pretio, ſimonia eſt in re. Ergo id animo deliberare, ſimonia eſt in mente.

Sed obijcies. Sequitur ex hac doctrina, ſi quis conferat alicui temporalia, à quo eſt accepturus ſpiritualia, vel è conuerſo; niſi B vterque reſpiciat ad commodum temporale, vt ad pretium in eo rigore, & proprietate, qua diximus non committere ſimoniã. Conſequens videtur non admittendum: ergo. Sequelam probo. Totam ratione ſimoniæ ad præfatam intentionem diximus reducẽdam: ergo hac intẽtione deficiente, deficit ſimonia. Minor probatur, quia cùm nullus poſsit de interioribus iudicium ferre, iniuſtè quis ſimoniacus iudicabitur, quãtumuis bona conferat temporalia: & ſic lata relinquitur via ad quamuis commutationem ſpiritualium. Ad argumentum concedo ſequelam: quia (vt ſatis probatum eſt, C & ex ipſa definitione ſimoniæ colligitur) malitia ſimoniæ ex intentione operantis penſari debet. Et ideò nego minorem. In cuius explicationem aduertendum, intentionem ad ſimoniam non requiri adeò formalem, vt expreſsè, & quaſi in actu ſignato reſpiciat temporale, vt pretium: ſed ſufficere virtualem (vt ſuprà tetigimus) quando ſcilicet ita conferuntur ſpiritualia, vt ad tẽporalia ſolùm habeatur reſpectus. Tunc autem conuincitur quis habere huiuſmodi virtualem intentionem; quoties in tali cõmutatione nulla interuenit ratio ſtipendij, vexationis, honeſtæ amicitiæ, vrbanitatis, &c. Doctrina hæc habetur expreſſa in D. D Tho. ſup. art. 3. ad tertium. Vbi loquens de eo qui habet ſtatuta ſtipendia ex redditibus Eccleſiæ dicit: *Si aliquid acciperet pro vſu ſpiritualis poteſtatis, non intelligeretur locare operas ſuas, quas ex debito ſuſcepti officij debet impendere: ſed intelligeretur vendere ipſum ſpiritualis gratiæ vſum.* Idem latiùs repetit in eadem ſolutione ad tertium.

D. Thom.

DISPVTATIO III.

An intentio remunerandi donò ſpirituali antidoralem obligationem ortam ex aliquo temporali, ſufficiat ad veram ſimoniam mentalem? Id eſt, an Epiſcopus conferens famulo beneficiū Eccleſiaſticum, ea intentione vt ex gratitudine recompenſet obſequia ab eo ſibi præſtita: vel an famulus eadem intentione inſeruiens, ſint mente ſimoniaci?

D.Thom. RAtio dubitandi deſumitur ex D. Thom. quæſt. 13. de malo. art. 4. ad 13. vbi conſtituens diſcrimen inter ſimoniacum, & vſurarium, aſſerit in hæc verba: *Quia ſimoniacus non dat id quod ſuum eſt, ſed id quod eſt Chriſti: ideò non debet ſperare aliquam recompenſationem ſibi fiendam; ſed ſolùm honorem Chriſti, & vtilitatem Eccleſiæ. Sed vſurarius nihil alteri præſtat, niſi quod ſuum eſt: vnde poteſt aliquam amicabilem recompenſationem ſperare per modum prædictum.* Hæc ille. Vbi clarè D. Thom. affirmat, non eſſe licitum ſperare aliquam recompenſationem amicabilem in commutatione ſpiritualium: quam tamen ſperare vſurarius poteſt.

Ad hanc dubitationem breuiter reſpondendum eſt ex doctrina tradita. Conferens beneficium aliquod ſpirituale ei, cui ex gratitudine tenetur, animo rependendi obſequia ſibi præſtita, & ſe ab illa obligatione liberandi: nullum committit crimen ſimoniæ. Similiter nec famulus inſeruiens Epiſcopo, ſperans vt ex gratitudine ſibi beneficium conferat. Primam huius concluſionis partem negauit Innocent. in cap. *tuam*, de ætate, & qualit. Syluest. verbo *ſimonia*. quæſt. 16. ſed eam tenet Nauar. dict. cap. 23. num. 106. §. *ad quartum*. Soto lib. de iuſt. 9. quæſt. 7. art. 1. & 3. præcipuè ſolut. ad primum. Et vtraque pars concluſionis ferè iam communis eſt apud Doctores. Et probatur. In prædicto caſu non inducit famulus debitum aliquod legale: & Epiſcopus ſolùm liberatur ab obligatione antidorali. Ergo nulla hic interuenit ratio pretij; &

Innocen. Syluest. Nauarrus. Sotus.

A conſequenter, nec ſimonia. Prima conſequentia probatur, quia ſola obligatio antidoralis ex accepto beneficio prouenies, non habet rationem pretij, vt eleganter oſtendit D. Thom. ſup. q. 78. artic. 2. ad ſecun dum. Vbi loquens de vſura docet, ſoli ciuili obligationi competere, vt per eam inducatur neceſsitas, ne recompenſatio ſpontanea ſit. Et in ſolutione ad tertium ſimiliter docet, licere accipere, exigere, & expetere pro mutuo munus exhibitum ex beneuolentia, quæ non eſt æſtimabilis pretio: non tamen (inquit ipſe) ſi quaſi ex obligatione rei exhibetur; id eſt, ſi exhibetur B vt pretium rei ſibi præſtitæ. Et antecedens docet infrà quæſt. 106. art. 5. Vbi recompenſationem beneficij reuocat ad iuſtitiā, ad amicitiam, & ad gratiam. *Ad iuſtitiam* (inquit) *pertinet quando recompenſatio habet rationem debiti legalis: ad amicitiam, & gratiam, ſecundùm quod habet rationem debiti moralis.* Et ratio huius eſt, quam tradit art. 3. quæſt. citata. Effectus ad ſuam cauſam reducendus eſt naturaliter. Sed benefactor in quantum huiuſmodi, eſt cauſa beneficiati. Ergo naturalis ordo requirit, vt qui ſuſcepit beneficium, per gratiarum recompenſationem ad benefactorem conuertatur. Ecce C qua ratione obligatio orta ex gratitudine, non eſt ciuilis, ſed merè naturalis, orta & naturaliter conſequuta ad ipſum beneficiū acceptum. Vide Caiet. hanc rationem optimè explicantem quæſt. 2. de vſura.

D.Thom.

Caietan.

Contra hanc doctrinam eſt argumentum ex cap. *ſicut Epiſcopum*. 1. quæſt. 2. vbi Epiſcopus, & miniſtri eius prohibentur aliquid ab ordinato exigere: ipſe verò non prohibetur aliquid gratis offerre. Ex quo ſic argüitur. Petitio per ſe non excludit gratuitum donum. Et tamen ſuppoſita prohibitione, etiamſi gratis detur petitio eſt ſimoniaca: ergo doctrina noſtræ concluD ſionis falſa. Confirmatur ex Concil. Tridē. ſeſſione 21. cap. 1. de reformatione. Vbi eodem modo prohibentur Epiſcopi, & alij ordinum collatores, aut eorum miniſtri, aliquid etiam ſpontè oblatum, quouis prætextu accipere pro collatione quorumcunque ordinum, aut literis dimiſſorijs, aut pro ſigillo, vel pro alia quacunque cauſa. Et ſeſſione 24. cap. 18. loquens de examinatoribus ad beneficia Eccleſiaſtica, & de munere ſibi iniuncto fideliter exequendo ſic ait: *Caueantq; ne quidquam prorſus occaſione huius examinis, nec ante, nec poſt accipiant: aliquin ſimoniæ vitium tam ipſi, quā alij dantes incur-*

Conc. Trid.

incurrant, à qua abſolui nequeant, niſi dimiſſis beneficijs, quæ quomodocunque antea obtinebant; & ad alia in poſterum inhabiles reddantur. Quibus verbis videtur etiã gratuita largitio, & acceptio prohiberi ſub crimine ſimoniæ, & pœnis contra eam latis.

Propter hoc argumentum Pater Suarez c.49.num.5.& ſequentibus duo aſſerit. *Suarez.* Primum, poſſe Eccleſiaſtica lege prohiberi gratuitam, & merè liberalem largitionẽ, & receptionem rei alicuius temporalis ratione ſpiritualis miniſterij; ita quod actus contrarius præfatæ legi, ſit in vera ſpecie ſimoniæ: quia liberalis donatio rei temporalis, facta cum reſpectu, & ordine ad aliam ſpiritualem recipiendam, licèt ſecundùm ſe gratuita ſit, tamen quandam habet permutationis ſuſpicionem. Ergo poteſt Eccleſia propter reuerentiam rerum ſacrarum, dationem illam vt ſimoniacam interdicere. Qua ſuppoſita prohibitione, datio illa ſimonia erit: quia omnis commutatio contra religionem ſimonia eſt. Secundum eius aſſertum eſt, non ſolùm prædictam legem eſſe poſsibilem: ſed ſatis eſſe veroſimile, ſpontaneas oblationes, ſeu donationes, ex vi illorum iurium eſſe prohibitas iam de facto vt ſimoniacas, & ſimoniæ pœnis ſubiectas.

Sed quidquid ſit de poſsibilitate legis (de hoc enim in præcedentibus ſatis à nobis dictũ eſt) falſum exiſtimo, iuribus in argumento allatis latã eſſe de facto huiuſmodi legem. Nam in c. *ſicut Epiſcopũ.* ſolùm fit ſermo de exactione alicuius tẽporalis per modum pretij, vt colligitur ex prioribus verbis capituli: *Sicut Epiſcopum non decet manũ, quàm imponit vẽdere: ita miniſter, vel notarius non debet in ordinatione eius vocem ſuam, vel calamum venundare.* Imò expreſſe cõceditur facultas aliquid gratis oblatum recipiẽdi, ibi: *Is autem qui ordinatus fuerit, ſi non ex pacto, &c. offerre aliquid gratiæ tãtummodo cauſa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus.* Et rurſus, autoritate Gregorij datur intelligi, quod pro ingreſſu Eccleſiæ non licet pecuniam exigere: ſed ſpontaneè oblatã licet accipere. Ad primã autoritatem Concilij reſp. prohiberi quidẽ etiam ſpõte oblata. Nulla tamẽ ibi mẽtio fit de ſimoniã. Imò ex verbis Cõcilij, ad auaritiam potiùs cõtrarius actus reducendus videtur. Inquit enim: *Quoniã ab Eccleſiaſtico ordine omnis auaritiæ ſuſpicio abeſſe debet.* Dices. Infra in eodẽ c. cõtrarios abuſus, & corruptelas, ſimoniacæ prauitati fauentes appellari. Reſpõd.

A hæc poſteriora verba nõ eſſe ad 1. par. cap. referenda: ſed ad aliã, in qua notarij, quibus eſt aliquod ſalariũ pro ſuo officio exercendo conſtituturũ, prohibentur aliquid accipere pro literis dimiſſorijs, aut teſtimonialibus. *Tunc enim* (inquit) *gratis operam ſuam eos præſtare omninò teneri decernit. Cõtrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines, &c. quæ potius abuſus, & corruptelæ ſimoniacæ prauitati fauentes nuncupari poſſunt, penitus caſſando, &c.* Ex quo obiter adnotandũ, quod ſi notarius ſtipendiũ habeat ſibi taxatũ, nõ ſolùm peccat cõtra iuſtitiã aliquid exigendo pro miniſterio ſuo: ſed etiam cõtra religionem ſimoniam cõmittit, vt optimè ad-
B notauit Soto lib.9.q.6.ar.1.quia operæ eius *Sotus.* annexæ ſunt conſequenter ordini ſpirituali, cui literæ teſtimoniales debentur, vt cõmodè exerceri valeat; & ideò nihil pro eis poteſt exigere niſi per modũ ſtipendij, vbi illud taxatũ non ſit. Ad ſecundam Concilij autoritatem dico, nullam ibi mentionẽ fieri de gratuita munerum largitione: ſed intelligendum eſt de acceptione alicuius rei tẽporalis per modum pretij, quæ verè ſimonia eſt. Nam per modũ ſtipendij aliquid examinatores recipere ex fructibus beneficij, vſu receptiſsimum eſt. Et nimis etiam durũ eſſet admittere, tàm examinatores aliquid gratis ſibi oblatum accipientes, quàm exa-
C minati id etiam gratis conferentes, priuari ipſo facto beneficijs aliàs ritè obtentis, & inhabiles reddi ad alia quæcunque in futurum obtinenda. Quod neceſſariò tenetur admittere prædictus Pater: quia hæc ſunt pœnæ à Concilio cõtra tranſgredientes huiuſmodi prohibitionem.

Dico ſecundò. Si famulus per obſequia temporalia à ſe exhibita, per ſe intendat quòd Epiſcopus obligetur obligatione orta ex gratitudine ad dandum ſibi determinate, & in particulari beneficium Eccleſiaſticum; non carebit aliqua inordinatione. Probat hanc concluſionem Pa-
D ter Suarez lib.4. cap.45. num.7. quia nul- *Suarez.* lus debet velle maiorem obligationem inducere, quàm munus, & obſequium præſtitum poſsint inducere. Sed munus, & obſequium temporale, non videntur poſſe inducere in recipiente obligationem ad remunerandum dono ſpirituali, quod eſt altioris ordinis, & rationis, improportionatum nimis. Ergo illicitum eſt id per ſe intendere. Hæc ratio nõ videtur ſatis firma: tùm, quia aliàs è cõtra poſſet Prælatus velle inducere obligationem conferendi ſibi ex gratitudi-

ne centum numos aureos ob beneficium spirituale collatum. Consequens aperiret ianuam ad palliandum quodcunque genus simoniæ: ergo. Sequela probatur, quia licèt sit peruersus ordo, velle inducere obligationē per beneficia ordinis inferioris, ad remunerandum dono ordinis superioris ex gratitudine: tamen è contrario nulla peruersitas reperiretur. Minor probatur: quia si id licet, licebit etiam accipere, postulare, & expetere: quod tamen nullus admittit. Tùm secundò: quia in materia vsuræ liceret ob mutuum velle inducere obligationem, vt ex gratitudine rependatur aliquod commodū temporale determinatè, & in particulari. Verbi gratia: quia mutuaui mille scuta, licebit exigere ex debito gratitudinis equum, vel quid simile. Et consequenter si hanc obligationem inducerem; teneretur alius ex debito gratitudinis equum donare: sin minus esset ingratus, quia non satisfaceret debito gratitudinis: quæ videntur manifestam includere absurditatem. Ratio ergo prædictæ conclusionis est: quia gratitudo ex se non inducit obligationem ad remunerandum in hac, vel illa materia determinatè, & in particulari, quando, & modo quo maluerit ipse benefactor: sed determinatè solùm obligat, vt statim quantum ad affectum recompensatio fiat; quantum verò ad donum, obligat in communi ad benefaciendum quādo, & quomodo oportuerit.

D.Thom. Doctrina hæc colligitur ex D. Thom. quæstio. citata 106. art. 4. Ergo benefaciens, qui vult inducere obligationem, vt recompensatio fiat quando, & quomodo, & in materia determinata, in qua viderit sibi expedire, vult obligare Beneficiatum ad aliquid, ad quod naturaliter non tenetur. Ergo vult illi nouam, & distinctam obligationem legalem inducere: quod iuxta subiectam materiam non est omninò liberum à crimine simoniæ.

Dices: non est inordinatum per se loquendo, temporalia obsequia dono remunerare spirituali. Ergo neque illicitum erit famulum id intendere per se loquēdo. Antecedens colligitur ex D. Tho. q. 106. ar. 5. in corp. vbi ex eo quod recompensatio beneficij respicit beneficiū secundùm voluntatem benefacientis, colligit, ex debito honestatis teneri illum qui beneficium accepit aliquid gratis impendere. Nihil autem videtur gratis impendere, nisi quod reddit excedat quantitatem accepti beneficij: & ideò gratiæ recompensatio semper exigit, vt aliquid maius quàm acceptum sit, retribuatur. Potest ergo dono spirituali fine iniuria ipsius, beneficium temporale recōpensari. Respondetur. Concedo antecedēs, & distinguo consequens. Potest licitè famulus intendere quasi sibi debitum etiā ex gratitudine; nego cōsequentiam, quia etiāsi Episcopus huiusmodi beneficium non conferret; multis alijs modis posset gratum animum exhibere, & se ab obligatione gratitudinis liberare: quod est euidens signum, illum non posse obligari in particulari ad hoc beneficium conferendum. Potest nihilominus illud intendere, hoc est sperare, & postulare, vt sibi conferendum ex beneuolentia, præsuppositā condignitate ad illud.

Ex dictis colligo, & dico tertiò. Nulla obligatio antidoralis deduci potest in pactum cum promissione implendi illam, nec simpliciter, nec cū conditionibus, quibus stantibus naturali iure ille teneretur obsequi, aut benefacere. V.g. non potest Episcopus beneficium cōferre, pacisc endo cum eo, cui contulit beneficium, vt si ipse indiguerit eius obsequio, & ille commode potsit obsequium præstare, sit illud præstiturus. Prima huius assertionis pars est contra Couar. *Couarr.* lib. 1. variarū, c. 20. n. 4. Maior in 4. d. 15. q. 29. ad 2. Secundam partem negarent illi, quos refert Caiet. sup. q. 78. ar. 2. 9. *in resp. ad* 2. qui affirmabant posse in pactum deduci naturalem obligationem ortam ex mutuo: non simpliciter, sed quando occurrerent conditiones, quibus ille teneretur remutuare. Eam tamen improbat Caietanus ibi, & latiùs Sotus lib. 5. de iustitia, quæst. 1. art. 2. tenet eam Diuus Thomas in materia de vsura pluribus in locis, præcipuè loco citato, & in q. 13. de malo ad 5. & ad 13. Nauarrus dicto cap. 23. num. 106. ad quartum. Vbi negat remissionem obligationis antidoralis posse deduci in pactum. Et ratio est manifesta: quia huiusmodi pactum inducit nouam obligationem, distinctam ab obligatione naturali: ergo exigit aliquid pretio æstimabile: ergo committit simonia. Probatur prima consequentia: quia obligatio illa, vel esset ex iustitia, vel ex fidelitate: vtraque autem ex his in pactum deducta, est pretio æstimabilis: ergo. Dices huiusmodi promissionem nō postulari vt debitā ex iustitia, sed ex beneuolentia tantū conferendam. Si hoc liceret, latissima proculdubio via aperiretur simoniæ. Posset enim famulus pactum inire cum Prælato

Caietan. *Sotus.* *D.Thom.* *Nauarrus.*

lato in hunc modum: inſeruiam tibi tot annis, ſi mihi promiſeris te liberaliter donaturum beneficium aliquod ſpirituale. Similiter Prælatus diceret: accipe beneficium liberaliter conceſſum; & redde ex gratitudine centum aureos. Quæ omnia abſurditatem manifeſtam præ ſe ferunt. Et ratio eſt, quia eo ipſo quod promittit, noua inducitur obligatio ſupra debitum gratitudinis, ſaltem ex fidelitate. Vnde etiamſi non accepiſſet beneficium; ex ſola promiſsione teneretur conferre quod ſe daturum pollicitus eſt: & ideò promiſsio illa eſt pretio æſtimabilis; in pactumque deducta vitiat collationem beneficij crimine ſimoniæ.

Ad rationem dubitandi in principio adductam reſpondetur ex doctrina Domini Caiet. quæſt. 2. de vſura, rationem diſcriminis à D. Tho. inter ſimoniacum, & vſurarium conſtitutam, ſic eſſe intelligendam: quòd quia in ſimonia id quod datur eſt Chriſti, & non conferentis illud: ideò nullum munus debet ſperari (ſcilicet principaliter) conſtat namq; in collatione ſpiritualium, oculum ſiniſtrum, ſeu ſpem ſecundariam poſſe dirigi ad remunerationem aliquam temporalem obtinendam. Quia verò in vſura id quod mutuatur no ſolũ eſt Dei, ſed etiam mutuatarij: ideò poteſt nõ ſolùm ſecundariò, ſed etiam ex principali intentione commodum expetere temporale.

Caietan.

DISPVTATIO IIII.

An conferre, ſeu reſignare beneficium Eccleſiaſticum in confidentia, ſit verè & propriè ſimonia; & ad quam ſpeciem reducẽda?

SOlent Epiſcopi, aut Patroni alicuius Eccleſiæ præſentare, eligere, aut conferre beneficium Eccleſiaſticum alicui, ea ſpe, quod ille adſeruabit beneficium illud conſanguineis collatoris: aut fructus beneficij, vel partem concedet famulis, vel etiam ſibi ipſi. Contingit etiam quandoq; ,quod ſenex, & valetudinarius reſignet beneficiũ quod poſsidet in alterius fauorem, certò cõfidens quòd ille poſtea renuntiabit tempore ſtatuto, vel in fauorem renuntiantis, vel in fauorem alterius tertij, iuxta beneplacitum eius: aut etiam ſperans, quòd ex beneficij redditibus partem ſibi, aut alijs iuxta eius voluntatem reſeruabit. Dubitatur ergo, an huiuſmodi confidentiæ ſint vere ſimoniacę? Pro cuius explicatione notandũ, duobus modis poſſe collationẽ aut reſignationem beneficij in cõfidentia fieri. Primò ita quòd reſignans ſperet eum in cuius fauorem beneficiũ reſignauit, ſibi & conſanguineis ex gratitudine benefacturum, illis ſubueniendo fructibus beneficij, non intẽdens nouam aliquam obligationem inducere, præter eam quę ad beneficium collatum ſequitur naturaliter. Secundò: ſi per talem confidentiam nouum aliquod debitũ legale velit ſuperaddere: vt ille alius teneatur vel ſibi vel alijs beneficium renuntiare, aut partem fructuum perſoluere.

Dico ergo primò. Si reſignatio, aut collatio beneficij priori modo fiat; per ſe loquẽdo, & ſtãdo in iure diuino, non eſt ſimoniaca confidentia: poteſt tamen aliũde eſſe illicita. Prima pars huius aſſerti ex dictis ſatis infertur: quia talis collatio, aut reſignatio fiduciaria, nullo interueniente pacto explicito vel implicito, eſt omninò gratuita: ergo non eſt ſimoniaca. Secũdò: qui ſic confert beneficium, poteſt ante beneficij collationẽ ex amicitia ab alio ſperare munus aliquod vel obſequium. Sed per collationem beneficij non efficitur deterioris conditionis: ergo licebit illi ſperare vt ſibi in neceſſitatibus ſubueniat ex gratitudine. Secunda pars manifeſtatur in eo qui confideret ſibi aliquid dandum illicitè: vt quòd beneficiũ illud in fauorem indigni renuntiaret. Dico ſecundò. Reſignatio aut collatio beneficij in confidentia, quòd ſibi vel alijs beneficiũ idẽ reſignabit vel fruct⁹ eius, aut ſaltem partem fructum reſeruabit is in cuius fauorem reſignatio fit; vt plurimũ eſt ſimoniaca. Probatur, quia quamuis reſignãs poſſet ex ſola gratitudine ſperare commodum aliquod tẽporale, ab eo in cuius fauorem beneficiũ reſignauit: creditu tamen difficile eſt, quòd is cui beneficium confertur, cum aliàs eſſet pecuniæ ſitientiſsimus, ſubitò ita liberalis fiat, vt ex gratitudine quotannis reddat ei qui ſibi cõtulit beneficiũ, omnes beneficij fructus, aut ſaltem maximam eorũ partem; præcipuè cum alijs, neq; quid minimum ſo ſoleat elargiri. Secũdò, quia cum auri fames ſoleat mentis oculos excæcare; facilè quiſque decipitur exiſtimans ſe gratis beneficium reſignare, & commodum temporale ſperare ex debito gratitudinis exibendum:

& tamen certo certiùs eſt, illum ciuilem obligationem intendere. Vnde ante conſtitutiones Piorum Quarti, & Quinti, beneficiorũ reſignatores in confidentia, ſi res vti ſperabant non ſuccederet, litem mouebant coram iudice; & ab illo cogebantur ſæpè qui acceperant beneficium, ad reddẽdos fructus omnes, aut magnam partem, ijs qui reſignauerant in confidentia: quod eſt euidens ſignum, obligatione ciuili obligari eos qui ſic reciperent beneficium. Tertiò. Qui mutuat, intendens principaliter lucrũ: quamuis per ſe non ſit vſurarius; vt in plurimum talis præſumitur. Ergo ſimiliter qui reſignat beneficium ſub confidentia, quod ſibi partem fructuum conferet is, in cuius fauorem reſignauit; vt plurimum ſimoniacus eſt.

Dico tertiò. Si collatio, aut reſignatio beneficij fiat poſteriori modo, hoc eſt, cũ intentione per talem confidentiam nouam ex pacto formali, ſiue virtuali, tacito, vel expreſſo inducendi ciuilem obligationem, vt beneficium ſibi, vel cõſanguineis, famulis, &c. aut bona pars fructuum conferatur: erit confidentia ſimoniaca. Probatur ex ſuperius dictis. Quia noua illa ciuilis obligatio, eſt pretio æſtimabilis, & pro ſpirituali confertur: ergo. Secundo. Id colligitur ex conſtitutione Pij IIII. qua huiuſmodi collationes irritauit, decernens eſſe ſimoniacas, pœniſq; ſimoniæ ab ipſo latis ſubiectas. Quam conſtitutionem ampliauit Pius Quintus alia edita conſtitutione ſub anno Domini 1569. quę incipit: *Intolerabilis, &c.* circa quam ſunt quędam difficultates breuiter expediendæ.

Et primò dubitari ſolet, an in prædicta cõſtitutione prohibeatur quæcunque cõfidentialis reſignatio? Corduba in Sum. q. 32. in fine affirmat, omnem confidentiam, etiã cum ſola ſpe, & gratitudine accipiendi fructus, vel idem beneficium, dicta conſtitutione prohiberi: cui ſubſcribunt nonnulli ex iunioribus Summiſtis. Huius ſententiæ fundamentum eſſe poteſt: quia Pontifex intendebat omnẽ palliandæ ſimoniæ occaſionẽ totaliter impedire. Sed ſi in dicta cõſtitutione relinqueretur locus ad huiuſmodi cõfidentiam; multæ palliandæ ſimoniæ eſſent occaſiones; omnẽ ergo confidentiã prohibuit. Oppoſita tamen ſententia probabilior eſt: videlicet, in dicta cõſtitutione ſolũ prohiberi confidentiam, quæ aliàs erat illicita, & ſimoniaca, vel cõtra ius diuinum, quando inducebatur noua ciuilis obligatio

Corduba.

A ad aliquid temporale: vel contra ius cõmune, propter pactum implicitum, vel explicitum idem beneficium reſignandi ſibi, aut alteri. Hanc ſequitur Nauar. d. c. 23. n. 109. probatque optimis coniecturis. Nam Pius Quintus de eadem omninò confidentia diſponit, de qua Pius Quartus; vt planè ex toto cõſtitutionis textu colligitur. At Pius Quartus ſolùm damnat, & prohibet confidentiam aliàs illicitam: ergo. Probatur minor. Nam ſtatim in principio ſic habet: *Sanè licèt dudum cum certam ſimoniacæ prauitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiã vocant.* Ecce vbi ante prohibitionem præ-

B dictæ cõſtitutionis, iam eam ſimoniæ ſpeciem appellat: quod in progreſſu amplius declarat. Vide alias rationes à Naua. Præter illas autem poſſumus, & nos aliam adijcere: quoniam Pius V. numerans quatuor caſus, in quibus reperitur prauitas confidentiæ; in ſecundo ad confidentiam expreſsè requirit, quòd aliqua pactio interior, vel exterior, implicita, vel explicita interceſſerit. Aſſerit enim: *Itidem ſi ordinarius, vel alius collator contulerit ante hac, vel conferat in futurum beneficium Eccleſiaſticum quouis modo vacans, ea conditione tacita, vel expreſſa, vt poſtea in alterum, &c.* Signum ergo eſt,

Nauarr.

C quòd in alijs tribus caſibus, ad confidentiã ſimoniacam debet aliquod pactum interuenire. Idem enim quantum ad hoc de omnibus eſt iudiciũ. Dices: in primo confidẽtiæ modo docet Põtifex, ſolam dimittentis intentionẽ ſufficere ad prędictam confidentiã ſimoniacam conſtituendam. Et rurſus, explicans quibus coniecturis, & præſumptionibus confidentiarum abuſus probãdus ſit; inter alias adijcit: *Si quid de fructibus talis beneficij de facto, etiã per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit.* Quid clarius? Sed reſpõd. ex doctrina Nauar. n. 110. §. *ſexto quod hæc*, his, & ſimi-

D libus nihil ſignificari contrariũ eius quod à nobis ſtatutũ eſt. Nã in prioribus verbis, nõ intendit, quòd ſola illa intentio ſit ſufficiens ad ſimoniã confidentialẽ interiorem; ſed quòd ſi probetur in foro exteriori, cõfidentia ſimoniaca præſumatur. In alijs ſimiliter non affirmat, per hoc quod gratis aliquid conferatur reſignanti, cõmitti crimen ſimoniæ: ſed quòd præſumatur: & quòd quantumuis quis ſe illud gratis dare confingat, nulla ei fides adhibeatur.

Ad rationem dubitandi in principio adductam facilè reſpondemus, Sũmos Pontifices ſatis impedijſſe quamcunq; palliandæ

ſimo-

ſimoniæ occaſionem, aſsignantes quaſdam præſumptiones ſufficientes in foro exteriori ad probandum vitium confidentiæ, & ad inducendas iuris pœnas. Huiuſmodi præſumptiones latè in prædicta conſtitutione continentur: de quibus vide Nauarr. Relinquitur ergo in dictis Bullis, non omnem confidentiam prohiberi, nec pœnis illarum ſubiacere: ſed quæ aliàs erat illicita, & ſimoniaca. Neque tamen omnis interdicitur: ſed quæ in collatione, aut reſignatione beneficiorum Eccleſiaſticorum committitur cum confidentia tacita, vel expreſſa: quòd beneficium collatum, aut reſignatum, conferenti, aut reſignanti, vel alteri ſecundùm eorum placitum reddendum eſt: ea etiam quæ ſub confidentia accipiendi penſionem fructus beneficij, aut partem eorum committitur. Ex quo ſequitur primò, nõ eſſe ſimoniã confidentialem punitã in prædictis Bullis, quæ interuenire poteſt in reſignatione penſionum, quia hæ beneficia nõ ſunt: benè tamen in præſtimonijs cõmiſſam, de quibus ſup. diximus, inter beneficia Eccleſiaſtica eſſe cõputanda. Ratio huius eſt: quia dicti Pontifices ſolùm de hac confidentia loquuntur. Sequitur ſecundò, quòd ſi Petrus, v.g. cõferat Ioanni beneficium ſuũ, ſperans Ioannẽ alteri tertio beneficiũ quod poſsidet collaturũ: ſimiliter ſi confidentia ſit de alijs rebus tẽporalibus, vel etiã ſpiritualibus cõferendis, nulla ratione ad illud beneficiũ reſignatum ſpectantibus: quãuis aliàs in his, & ſimilibus caſibus ſimonia quędã confidentialis reperiatur, nõ tamen ea cõfidentia, de qua prædicti Põtifices loquuntur: quia cũ illæ ſint leges pœnales, coarctari debent ad eos caſus, de quibus expreſsè fit mentio. At in præfatis cõſtitutionibus ſolùm fit mentio de reſignatione, collatione, vel ceſsione alicuius beneficij, ſub confidentia iterũ recuperandi illudmet beneficiũ, aut accipiendi fructus, vel partem fructuũ eiuſdemmet beneficij. Hoc expreſsè colligitur ex conſtitutione Pij V. illis verbis: *Quare nos volentes, &c. vt ſi quis quacunque autoritate Eccleſiam, vel Monaſteriũ, aut aliud beneficiũ Eccleſiaſticũ, &c. receperit, vt illa, vel illud, etiã in euentũ regreſſus, vel acceſſus, eidem dimittẽti, vel alteri poſtea conferatur, aut illius fructus, vel eorũ pars alij, vel alijs concedantur.* Ecce vbi relatiuũ, *illud*, ſemper refert beneficiũ renuntiatũ, quod clarius vltimis verbis apparet, cũ dicit: *Vel penſiones ſoluantur ex eiſdẽ* (ſcilicet beneficijs renuntiatis) *hæc conſidẽtia cenſeatur.* Sed ex prædictis maior oritur difficultas. Quia videtur quòd quamuis ad cõfidentiam ſufficiat vt beneficium eidem dimittenti, vel alteri renuntiandũ fit: de pẽſionibus verò, aut fructibus aliter iudicandũ videtur, propter appoſita verba: *alij, vel alijs concedantur.* In quibus oſtenditur, non ſufficere ad confidentiã, penſiones deſignare perſoluendas eidẽ dimittenti, ſed alij, vel alijs. Ita exiſtimauit Nauar. conſ. 33. n. 4 & conſ. 76. num. 6. Sed attende, obſecro, ad ſubſequẽtia eiuſdem conſtitutionis verba, ex quibus nullus dubitationis ſcrupulus remanebit. *Itidem ſi ordinarius, vel alius collator, &c. ſiue vt de eo prouiſus, fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, & remittat, ſeu penſionem illi, vel illis, quẽ, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per ſe, vel aliũ ſcripto, aut verbo iuſſerit, ſeu ſignificauerit, perſoluat.* Quibus quæſo clarioribus verbis oppoſitũ ſent. Naua. potuit ſtabiliri? *Nauarrus.*

Dubitabis tertiò: An in prædictis Bullis cõprehendatur ſimilis confidentia in permutationibus beneficiorũ commiſſa? Exẽplum ſit. Petrus renũtiauit in fauorẽ Ioannis beneficium ſuum; & Ioannes aliud in fauorem Petri, ea lege, & conditione, vt prædicti eadẽ beneficia poſtea in fauorem nepotum renuntiarent: vel fructus, aut partẽ eorum, ſibi vnuſquiſque, vel alijs conferendã confideret. In hoc dubio duo dicit P. Suarez. Primum eſt, Epiſcopũ, aut quẽuis alium collatorem beneficiorũ cum aliquo permutantiũ conuenientẽ de fructibus ſibi vel alijs ſub confidentia reddendis, ſimoniã confidentialẽ cõmittere, quia verba Pij V. ſunt valdè generalia quoad collatores, de beneficijs quouis modo vacantibus, & eorũ collatione. In prædicto verò caſu re vera beneficia vacant, & de nouo conferuntur. Igitur dicendum videtur, præfatam collationem in dictis Bullis contineri. Secundũ eſt, huiuſmodi permutationes non comprehendi in illis Bullis, ſi loquamur de permutantibus inter ſe. Primò. Quia lex eſt pœnalis, & ideò limitanda ad eos caſus, de quibus expreſsè fit mentio. At in prædictis Bullis nulla de permutationibus ſub cõfidentia mentio fit: ergo. Minor prob. Nã Pius IIII. ſolùm loquitur de collatoribus, aut renuntiantibus: Pius V. de accipientibus ex reſignatione, aut ceſsione. Nomine autem reſignationis, aut ceſsionis, non venit permutatio intelligenda, iuxta cõmunem Iuriſtarum loquendi modum. *Suarez.*

Secundò. Quia incommoda, quæ ex alijs confidentijs ſequuntur, & mouerunt prædictos Pontifices, videntur non habere locum in permutationibus: & ideo lex non eſt extendenda. Pro eadem ſententia citat Nauar. conſi. 77.

Nauarrus.

In oppoſitū tamen ſunt argumenta profectò non contemnenda. Nam Pius V. referens in principio ſuæ conſtitutionis diſpoſitionē Pij IIII. ſic ait: *Ac etiam decreuit omnes, & quaſcunque prouiſiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias diſpoſitiones de Eccleſijs, &c. nullius momenti fore, nec cuiquam ſuffragari.* Quibus quæſo vniuerſalioribus verbis potuit Summus Pōtifex omne genus contractus in beneficijs ſub confidentia, in dicta Bulla comprehēdere? Secundò. Incommoda, quæ mouerūt Pōtifices ad huiuſmodi leges ſtabiliendas, eodem modo militant in præſenti. Nā præcipua inconuenientia ea erant, quòd tales collationes, & reſignationes erant in cauſa, quòd ex redditibus Eccleſiaſticis alerentur homines ſeculares, & profani cum magna pompa: imò interdum criminoſi, irregulares, ſeditioſi. Similiter, quòd beneficia Eccleſiaſtica quaſi iure hæreditario perpetuarentur in quibuſdam familijs. Hæc autem inconuenientia ſequi ex prædicto cōtractu, & modo commutandi, quis dubitet? Poterit namque Petrus renuntiare beneficium in fauorem Ioannis, vt poſtea reſtituat conſanguineo Petri, & è contra: vel reſeruando fructus hominibus ſeditioſis, &c. Ergo dubitari non debet, de intentione Pontificum fuiſſe, in prædictis Bullis has confidentias includere: aliàs relinqueretur locus ad quamcunque ſimoniam cōfidentialem contrahendam; quia poſſent conuenire de reſignandis ſibi ad inuicem beneficijs quæ poſsident, ea conditione tacita, vel expreſſa, vt poſtea vnuſquiſque illorum beneficium in ſuum fauorem collatum alterius conſanguineo conferat. Tertiò. In permutatione reperiuntur duo veluti contractus diſtincti. Alter dicitur permutatio beneficij pro beneficio, quæ Summi Pontificis interuentu celebrari licitè poteſt, & abſque crimine ſimoniæ. Alter eſt renuntiationis vtriuſque beneficij in fauorem permutantium, ſub confidentia iterum recuperandi illud. Quamuis ergo vt permutatio eſt non ſit comprehenſa in dictis Bullis: benè tamen vt renuntiatio ſub confidentia.

Dices, falſum eſſe duos ibi interuenire contractus permutationis, & reſignationis: ſed ipſæ duæ reſignationes faciunt vnam permutationem. Fateor, ſecundum rem ita eſſe. Sed quid iuris ſi quamlibet ſeorſum ſpectemus? Nullus vt credo negabit, huiuſmodi reſignationes ſeorſum conſideratas, ſub dictis Bullis comprehendi. Si ergo quælibet ſeorſum conſiderata comprehenditur: ſimul ſumptæ, & veluti multiplicatæ non comprehendentur? Propter argumenta crediderim hanc partem eſſe tenendam: licèt oppoſita ſententia ſit probabilis. Et quidem non dubito ſic permutantes, ſi in foro exteriori denuntiarentur, iuxta præfatas conſtitutiones eſſe puniendos.

Pœnæ autem à Sūmis Pontificibus ſtatutæ pro huiuſmodi confidentijs, ſunt grauiſſimæ. Nam Pius IIII. Epiſcopis, & quibuſcunque ſuperioribus Prælatis, Eccleſiæ ingreſſum interdicit: inferiores verò excommunicantur excōmunicatione maiori; à qua præter quam in mortis articulo abſolui nequeunt, niſi à Romano Pontifice. Deinde omnes huiuſmodi collationes, reſignationes, &c. annullat: & inhabilitat ſimoniacos ad idem beneficium obtinendum, & ad alia inde ſubſequuta: eorumque collationes, & prouiſiones, ſimiliter & fructus Apoſtolicæ Sedi reſeruantur. Tertiò. Pius Quintus illis verbis: *Sed ne quiſquam*, in duobus caſibus priuat omnibus beneficijs aliàs iuſtè obtentis: & inhabiles reddit ad illa, & ad alia quæcunque beneficia in futurum obtinenda. Primum eſt, eorū qui ante præfatam conſtitutionem, Eccleſias, fructus, vel penſiones interueniente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent: *Niſi ſtatim* (vt verbis vtar Pontificis) *ad ſe reuerſi, & reſipiſcentes, celeri dimiſſione ſibi proſpexerint.* Secundum eſt, eorum qui tale admiſerint in futurum. Circa quam notauit Nauarr. quòd licèt ſit rigoroſa nimis; ſeruanda tamen, quia ſtatuta cap. *in memoriam.* 22. diſtinctione, ſed in ea diſpenſari iuſtè poteſt. Aduerte tamen circa prædictam pœnam, non ſtatim ita obligare, vt quis teneatur ſe ipſum priuare beneficijs aliàs legitimè obtentis: ſed ad minus requiritur ſententia declaratoria criminis: quia quando quis re ſua priuatur; ante ſententiam ad executionem pœnæ obligari non debet. Secùs in alijs cenſuris, & inhabilitatibus, quæ ſtatim ſuum ſortiuntur effectum, vt notauit Pater Suarez cap. 44. nume. 13.

Nauarr.

Suarez.

Sed vt

Sed vt diſcernas quinam ſint huiuſmodi pœnis ſubiecti, eſt ſpecialiter adnotandum, quòd huiuſmodi confidentia tot modis admitti poteſt, quot diximus de ſimonia in communi. Alia eſt enim confidentia mentalis, quando abſque conditione tacita vel expreſſa intendit obligationem inducere, quam alius intelligat ex vi beneficij ſibi collati. Conuentionalis verò, quando conditio tacita, vel expreſſa exterius eſt ſufficienter ſignificata; nondum tamen executioni mandata. Realis, quando per executionem conuentio ipſa completur. Confidentia ergo mentalis, aut purè conuentionalis, nullis ex prædictis ſubijcitur pœnis: ſed requiritur, quòd ſit executioni mandata, ſaltem ex vna parte. Nam eo ipſo quod quis accipit beneficium: ante quàm adimpleat quod promiſit, ipſo facto incurrit prædictas pœnas. Imò exiſtimauerim, quòd etiamſi qui accipit beneficiū promittat ſe illud renuntiaturum tempore ſtatuto, vel partē fructuum collaturum, abſq; intentione adimplendi promiſſum, & omninò fictè & ſimulatè: eum tamen qui ſub confidentia fictè promiſsionis renuntiauit beneficiū dictis pœnis innodari. Quod colligo ex illis verbis Pij Quinti: *licèt ipſum confidentiæ crimen, alterius tantùm partis conſcientia ſit admiſſum*. Circa mediatores verò Pater Suarez dicto cap. 44. num. 15. explicans dictum Nauarri, ſcilicet quòd mediator confidentiæ vetitæ à prætatis Pijs ipſo facto eſt excommunicatus: docet hanc extenſionem non haberi in illis Bullis; & ideò eſſe intelligendum de excommunicatione lata à Paulo Secundo Extrauagante ſecūda de ſimonia, vbi excommunicantur mediatores in ſimonia beneficiali. Circa quā cēſuram notat ſecundò, non incurri niſi per ſimoniam realem, vtrinque completam; & ideò idem dicendum eſſe de mediatoribus in confidentia, per prædictam Extrauagantem non puniri, donec vtrinque confidentia compleatur. De quo latius infrà.

Suarez.

Nauarrus.

Sed in primo dicto diſcordat Nauarrus conſ. 80. num. 6. vbi ſoluens quoddam argumentum ſic habet. *Pius Quintus non damnat omnes qui procurant alijs beneficia: ſed ſolum qui procurant vt de illis poſtmodum ad libitum diſponant, fructus etiam percipientes illorum.* Dices, Nauarrum loqui de procurantibus beneficia: prædictum Patrem, de mediatoribus. Iſtos verò diſtingui ab illis, nullus dubitat. Nihilominus ſi attente legamus clauſulam, ex qua Nauarrus fecit extenſionem illam ad procuratores; idem omnino de mediatoribus iudicabimus. Nam explicans prælatus Pius Quintus, præſumptiones, quibus dignoſci debent qui in pœnas dictæ conſtitutionis inciderint; ſic inter alia habet, *Denique ſi quis pro conceſſione alicui facta quacunque auctoritate de beneficio Eccleſiaſtico, per ſe, vel alium, vel alios interceſſerit, vel alias in negotio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquomodo.* Deinde: *Aliquid de fructibus talis beneficij, &c.* Perpendo vltima verba: in quibus videtur includere quoſcunque interceſſores, & mediatores, qui procul dubio aliquomodo ſe immiſcent in negotio conceſsionis. Quod ſi hæc doctrina (vt exiſtimo) vera eſt; procuratores, interceſſores, & mediatores ipſo facto erunt excommunicati; etiamſi confidentia ſimoniaca alterius tantùm partis conſcientia ſit admiſſa. Denique circa prædictas præſumptiones adnotandum, longe diuerſam eſſe rationem de confidentia quantum ad conſcientiæ forum, & confidentiæ probationem ſeu præſumptionem in exteriori foro. Etenim ſi adſint præſumptiones, & legitimæ coniecturæ: & tamen re ipſa confidentia ſit talis reſignatio; à Theologo ſimoniaca confidentia dicenda non eſt, nec pœnis ſupra dictis ſubiecta, quia Theologus iudicat de internis & occultis per ſe; & ideò debet ſecundum veritatē, nō ſecundum præſumptionē iudicare. In foro tamē exteriori iuſtè damnabitur: quia forū exterius iudicans tantùm de externis, legitimè procedit per externas preſumptiones. Circa primam concluſionem D. Thom. eſt

DISPVTATIO V.

An qui beneficium Eccleſiaſticum muneris interuentu acquiſiuit, teneatur illud reſtituere; & quo iure? an diuino? an verò poſitiuo tantùm?

Videtur huiuſmodi reſignationē eſſe faciendam iure diuino. Primò ex ratione articuli ſupra inducta: Non poteſt quis licitè retinere id quod contra domini voluntatem acquiſiuit. Sed ſimoniacus in beneficio acquirit illud contra domini beneficij voluntatem: ergo illud non poteſt licitè

retinere. Hæc autem ratio videtur procedere ſecluſo quocunque iure poſitiuo. Ergo ſtando in ſolo diuino iure naturali, beneficium ſic cõparatum manet reſtitutioni obnoxium. Secundò. Diſpenſator non poteſt rem aliter diſpenſare, quàm ſecundum modum ſibi à principali domino perſcriptum. Sed Chriſtus dominus principalis rerum ſpiritualium, ſolùm contulit miniſtris harũ rerum poteſtatẽ eas gratis cõferendi, iuxta illud: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Ergo nec in diſpẽſatoribus eſt poteſtas ad aliter conferendũ: nec in accipientibus erit capacitas ad aliter acceptandũ. Et cõſequenter, quocunque alio modò collatio fiat, erit ex natura rei inualida, quacunq; lege poſitiua ſecluſa. Tertiò. Qui accipit pecuniã pro beneficio ſpirituali, iure diuino ad reſtitutionem tenetur, vt nunc ex infrà dicendis ſuppono: ergo & qui accipit beneficiũ. Probo cõſeq. quia cõtractus non debet claudicare; ſed vtriuſque contrahentiũ æqua debet eſſe cõditio. Quartò ſequitur, quòd emptor beneficij ſpiritualis, nõ tenearur ad reſignandũ illud ante iudicis condemnationẽ. Nam ſi iure diuino emptio rei ſpiritualis eſt valida; ſtando in eodem iure, emptor acquiret verũ eius dominium. Ergo leges quæ eum propter ſimoniæ crimen ſpoliant eius dominio, ſunt leges pœnales. At leges pœnales non priuant quemquam dominio ſuarũ rerum ante iudicis condemnationem: ergo. Quintò. Quãdo tàm dare, quã accipere eſt iniuſtum, quacunque lege poſitiua ſecluſa, licitè id quod accipitur retineri nõ poteſt, vt docet D. Tho. ſup. q. 32. art. 7. At in emptione ſimoniaca, tàm dare quàm accipere eſt iniuſtum contra iuſtitiam diuinã: ergo. Minor eſt D. Tho. & probatur dupliciter. Primò. Vendere rem alienam inuito domino eſt contra iuſtitiam; & ſimiliter emptio contra domini voluntatem: ſed ſimonia eſt emptio, & venditio rei alienæ inuito domino: ergo eſt contra iuſtitiam. Maior explicatur in iure vendente rem alienam ſcienti eam eſſe furtiuam; vterque enim iniuſtitiã committit. Secundò. Qui vendit rem non æſtimabilem pretio, vt in vſura conſpicitur, iniuſtitiam committit. Sed qui vendit rẽ ſpiritualem, vendit rem non æſtimabilem pretio: ergo iniuſtitiam committit.

D. Thom.

In oppoſitum eſt primò. In cõmutatione ſimoniaca rei ſpiritualis pro temporali, ex parte conferentis ſpirituale eſt vera, & abſoluta volũtas illud cõferendi, & ex parte accipientis intercedit etiã verus conſenſus. Ergo datio, & acceptio eſt valida iure diuino, niſi Eccleſiaſtico prohibeatur. Antecedẽs ſuppono; & cõſeq. probat. quia ſimonia nec ex natura rei quatenus peccatũ mortale eſt, annullat huiuſmodi contractus: aliàs quodlibet aliud peccatũ lethale annullaret; quod cõtra Vviclephum damnatũ eſt. Nec quia tale peccatum: quoniam ſimonia ſecũdùm ſuam ſpecialem rationem, non habet maiorem repugnantiam cum poteſtate cõferẽdi beneficia Eccleſiaſtica, quàm quodlibet aliud peccatum: ergo. Dices, ſimoniam ex propria ratione excludere gratuitam donationem. At vt collatio beneficij ſit valida, debet eſſe omninò gratuita, vt ex verbis Chriſti conſtat. Sed hoc non obſtat: quia in pluribus caſibus contingit donationẽ gratis fieri debere: & tamen ſi dato pretio fiat, factum tenet: ergo ſimiliter in propoſito. Antecedens probatur multipliciter. Primò. Vſurarius gratis mutuare tenetur: & tamẽ ſi mutuet propter lucrum, valida erit mutuatio. Secundò. Quãuis diſpẽſator, qui cõtra domini volũtatem fructũ vẽdidit pauperibus, quibus gratis illũ conferre tenebatur ad pretij reſtitutionẽ obligetur: pauperes verò nihil reſtituere tenentur. Ergo in propoſito, licèt venditor forſan iure diuino ad pretij reſtitutionẽ obligetur: tamen qui beneficiũ accepit illud, reſignare iure diuino nõ tenebitur. Tertiò. Qui per ſimoniam baptizatus eſt, ordinatus, aut cõfirmatus, verũ ſuſcipit characterẽ: imò ſi inuincibiliter ſimoniacã dationem ignorauit, ſuſcipit etiã & gratiam. Similiter extrema vnctio, abſolutio ſacramentalis ſimoniacè facta ex parte miniſtri ignorante pœnitente, nõ ſolũ non ſunt inualida; ſed gratiã cõferunt ſacramentalẽ. Item cõſecrationes Calicis, Eccleſiæ, ac denique omnes functiones ſacræ, benedictiones ſacramẽtales, actus Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, acquiſitio iuris patronatus, aut cuiuſuis alterius officij mere temporalis etiã ſimoniacè factæ; eſt valida ſtando in iure diuino: imò & de facto. Et ratio de omnibus his eſt eadem: quia ſimonia ex propria vi, & ratione, non poteſt huiuſmodi collationes irritare, proprioſque earum effectus impedire: ſicuti nec quęuis alia peccata quantumuis grauiſſima. Et alias tales collationes, vel non ſunt irritabiles ab Eccleſia: vel quæ ſunt irritabiles, de facto non ſunt irritæ. Ergo idẽ de collatione ſimoniaca beneficij dicendũ eſt. Et tũc emptor beneficij ſtando in iure diuino ſuſcipit beneficium, & ad reſtitutionem non tenetur.

Confir-

Confirmatur. Religiosus qui dato pretio professionem emisit, verè Religiosus est, vt omnes cum D. Thom. supponunt ex expressis iuribus, cap. *quoniam*. cap. *de regularibus*. de simonia: quia quamuis huiusmodi actus potuerit ab Ecclesia irritari; vsque modo factum non est: ergo idem erit in *Armacha.* præsenti casu. Armachanus in Summa lib. 10. de quæstio. Armenorum, cap. 23. asseruit, omnem electionem, prouisionem, aut collationem Ecclesiastici beneficij factam quacunque de causa, quæ peccatum sit: esse irritam & inanem iure diuino. Itaque nõ solùm collatio simoniaca, verùm & ambitiosa, nulla est. Probatque ex illo Ioannis *Ioann. 10.* 10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Sed qui intrat in beneficium per peccatum, nõ intrat per ostium, sed ascendit aliũde: ergo fur est: & consequenter iure diuino tenebitur ad resignationem beneficij. Et cap. 25. addit, parum referre ad propositum, quòd illud peccatum sit mortale vel veniale. Verùm hæc sententia reijcienda est omninò vt periculosa, imò & erronea: accedit namque ad errorem Ioann. Vvicleph. damnati in Concil. Constant. asserentis, nullum esse Prælatum quamdiu manet in peccato mortali. Et ratio in contrarium est manifesta. Quia aliàs Ecclesia esset omninò dubia de omnibus suis Prælatis: imò probabiliter iudicaret nullum habere Prælatum: nam quis quęso est, qui venialiter saltem in assecutione dignitatis non deliquerit? Verba verò Ioann. non inducuntur ad sensum intentum in parabola. Secunda sententia affirmat, iure diuino inesse obligationem ei qui beneficium Ecclesiasticum emit, illud resignandi. Ita Adrianus quodlib. 9. *Adrianus. Henricus. Sotus.* art. 3. Henricus Gandau. in quodlib. articu. 26. Sotus lib. 9. quæst. 8. art. 1. dubio circa primam conclusionem. Quamuis enim argumenta pro vtraque parte constituat, & oppositum existimet probabile: absolutè tamen huic parti adhæret. Tertia sententia negat, iure diuino inesse talem obligationem: sed Pontificio tantùm. Hanc sequitur *Sylvest. Caietan. Victoria.* Sylvester verbo *simonia*. Caietanus eodem verbo, & hic idem asserit saltem de simonia mentali. Victoria secunda parte relectionis de simonia num. 4. & 5. & alij.

Dico primò. Beneficia Ecclesiastica simoniacè acquisita, stando in iure diuino non sunt obnoxia restitutioni: sed tuta cõscientia retineri possunt. Et quidem si conclusio intelligatur de simonia, quæ interdicta est iure tantùm positiuo, quando ius ipsum positiuum non efficit res sacras, sed antea erant sacræ, & prohibet in illis tales actiones: certissima est, & absque opinione ab omnibus admittenda. Exemplum est in confidentia beneficiali, aut permutatione beneficiorum facta autoritate priuata, quæ actiones in opinione probabili sunt simoniacæ iure tantùm positiuo; versantur tamen circa res sacras ante ipsum ius Pontificiũ. Sed vniuersaliter intellecta, probatur omnibus argumentis factis in oppositum. Deinde autoritate diui Thomæ hic *D. Thom.* ad sextum, vbi de simoniaco mentali docet, non teneri abrenuntiare; sed solùm de mala intentione pœnitere. At stando in iure naturæ, eadem est ratio de simonia mentali, & reali, quantum ad obligationem restituendi: ergo. Secundò in ca. *sicut tuis*. de simonia dicitur, quòd ille qui contradixit expresse dationi factæ simoniacè in beneficio suo, est verus beneficiatus, & non tenetur resignare beneficium. Si verò non contradixit expresse, sed per ignorantiam inuincibilem simoniacè illud accepit: tenetur beneficium resignare. At stando in iure diuino, non est magis simoniacus qui ignorauit collationem simoniacam inuincibiliter, quàm qui nouit illam, & contradixit expresse: ergo stando in iure diuino, nemo tenebitur resignare beneficium. Itẽ in lege quinta, versiculo. *Pero si*. titulo 17. partita prima habetur: *Por ende el que recibiesse beneficio, ò orden en esta manera* (vtique muneris interuentu, vt verbis præcedentibus declarauerat) *ò otra cosa espiritual: puedala retener, è non ha porque la renunciar: solamente que faga penitencia del yerro que fizo, porque lo gano ansi*. Tertio probatur à priori. Emptor beneficij Ecclesiastici, per se loquendo non peccat contra iustitiam: ergo non tenetur ad restitutionem. Antecedens probatur: quia nec committit iniustitiam in ordine ad Deum, nec in ordine ad venditorem, nec in ordine ad aliquem alium tertium: ergo. Pro prima parte patet: quia iniuria in simonia contra Deum commissa, tota reducitur ad irreligionem, & irreuerentiam, quæ fit Deo per abusum rei sacræ, non verò ad aliquam iniustitiam pro priè sumptam, per quam priuetur Deus suis bonis. Secunda probatur: quia vendens rem spiritualem tali modo, voluntarius est in huiusmodi contractu: ergo nulla illi fit iniuria. Nam *volenti & scienti, &c.* Similiter tertia pars probatur: nam per accidens est

in simonia interuenire tertiam personam: ergo per se loquendo in simonia non committitur iniustitia ex parte ementis.

Dico secundò. In iure Pontificio, quodcunque beneficium Ecclesiasticum simoniacè comparatum, siue occultè, siue manifestè, resignandum est in manibus Prælati ante omnem iudicis sententiam: vno excepto Pontificatu, quod non est necessariò resignandum. Fructus etiam huiusmodi beneficij sic acquisiti, ante iudicis sententiam restituendi sunt. Prima pars huius assertionis manifestè habetur in Extrauagant. Pauli Secundi, quæ incipit: *Cum detestabile scelus.* ibi: *Per electiones verò, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quasuis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant; in Ecclesijs, Monasterijs, Dignitatibus, personatibus, officijs Ecclesiasticis, & quibusuis beneficijs, aut aliquo eorum: cuiquam ius nullatenus acquiratur.* De fructibus verò statim subdit: *Neque inde faciat aliquis fructus suos: sed ad illorum omnium quæ percepit restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus.* Quòd verò sufficiat delictum esse occultum habetur ibidem: quia enumerans omnes qui censuris, & pœnis à Romanis Pontificibus latis innodantur, sic habet: *Et eorum quemlibet, tam manifestum, quàm occultum: quos ipso facto eas incurrere volumus.* Et ratio est, quia si electio est nulla, siue occultè siue manifestè fiat, emptor nullum acquirit ius ad beneficium, nec ad fructus eius: igitur illa renuntiare tenebitur ante quamcũque iudicis condemnationem. Eamque resignationem in manibus Prælati esse faciendam probatur ex eo, quòd antiquus possessor liberè à se abdicauit titulum beneficij, & rursus inhabilis factus est ob delictum legibus Pontificijs ad illud beneficium obtinendum. Ergo illi restitui non debet: sed in manibus Prælati resignandum est. Excipimus autem Pontificiam dignitatem: quia sic habetur capite *licèt de euitanda.* de electione. & ratio ibidem adducitur. Quoniam in alijs electionibus patet recursus ad superiorem, qui eas (exigente legitima causa) ratas, & validas reddat. At in Pontificis electione, non adest ad superiorem recursus: ergo. Circa hãc conclusionem dubitari posset, an collatio beneficij simoniacè facta, iure antiquo sit nulla? Sed quia parum interest dum de iure constat: breuiter dico, nõ solùm insinuatam esse in iure antiquo huiusmodi prohibitionem, sed expressam. Ita sensit D. Tho. allegans pro sua conclusione in argumento sed contra, capur *si quis Episcopus.* 1.q.1. *D. Thom.*

Circa restitutionem fructuum ex talibus beneficijs perceptorum, notanda est valde doctrina D. Thom. in solutione ad tertium, vbi primò asserit: *Si quis scienter, & propria sponte simoniacè accipit beneficium Ecclesiasticum: tenetur ad restitutionem fructuum, non solùm ex beneficio ab ipso perceptorũ, sed etiam eorum qui à diligenti possessore percipi potuissent, deductis expensis factis in ipsis fructibus percipiendis, & similiter exceptis fructibus expensis in vtilitatem Ecclesiæ.* Quia si non acquirit beneficij titulum, vt ex allegata Extrauaganti suppono; nec fructus potest facere suos: & sic ad restitutionem tenebitur omnium fructuum, qui ratione tituli beneficij possent diligenti possessori cõpetere: etiã ipsas distributiones quotidianas ob beneficium perceptas, quidquid dicat Nauarrus consil. 90. de simonia. Secundò docet, quòd si qui beneficiũ accipit, inuincibiliter ignorauit collationem pretij pro beneficio obtento: tenetur ad resignãdum beneficium, & fructus beneficij existentes: non verò fructus consumptos, quia bona fide possedit. Excepit ab hac regula duos casus: alterum quando inimicus in odium alterius fraudulenter dedisset pretiũ pro collatione beneficij. Aequa enim ratio exigit, ne inimicus alteri noceat aliquid committendo, de quo alius est omnino inuoluntarius. Alter casus est, quando ipse cui collatum est beneficium, contradixit expresse collationi pretij. Ita definitum est in dicto cap. *sicut tuis.* Quòd si post collatum beneficium, à voluntate contradicendi recesserit; consenserit que pecuniam soluẽdo promissam, aut reddendo solutam: tenebitur ad restitutionem fructuum, atque ad beneficij resignationem. Ita colligit diuus Thom. ex allegato text. in solutione ad tertium. *Nauarrus.* *D. Thom.*

Sed hinc oritur difficultas, an in casu quo post collatum beneficium consenserit pretium soluendo promissum, ipso facto priuetur beneficio obtento? An verò sit necessaria sententia iudicis? Dixi post collatum beneficium: nam si præcessisset cõsensus ante ipsam collationem, quamtumuis antea cõtradixisset, inualida esset collatio beneficij: tunc enim cooperaretur ad simoniam, & sic eisdem pœnis, & eodem modo subiaceret. Si verò subsequatur consensus: Suarez capite 57. numero 32. existimat, *Suarez.*

mat, quòd licet ob delictum ſubſecutum poſsit electio irritari à iudice: de facto tamen niſi illo priuetur, verum habet beneficij titulum. Eiuſdem ſententiæ videtur fuiſſe Adrianus quodlib. 9. art 3. vbi expreſſe affirmat, quòd in tali caſu, licèt ſit vera culpa ſimoniæ; non tamen pœna vlla, nec obligatio ad reſtitutionem. Additque illam exceptionem, niſi pacto conſenſerit, ad alteram partem diſiunctiuæ, ſcilicet: *nihil tibi debet ad culpam vel pœnam imputari*, eſſe referendam: ideſt ad culpam. Probatur ex cap. *cum quis*. de ſentent. excommunic. vbi in ſimili caſu non incurritur pœna excommunicationis ipſo facto. Ergo idem erit in propoſito. Deinde collatio beneficij fuit valida toto tempore antecedenti ipſum conſenſum, omninòque independens ex futuro euentu, quia bona fide beneficium accepit: ergo per peccatum ſubſequens nō amittit titulum beneficij. Probo conſequentiam: quia nullum eſt fundamentum ad tantum rigorem præſumendum.

Adrian.

Oppoſita tamen ſententia verior eſt: quam procul dubio tenuit diuus Thomas in illa ſolutione ad tertiū, vbi ait: *Non tenetur ad renuntiandum, niſi poſtmodum pacto conſenſerit ſoluendo quod fuit promiſſum*. Ergo ſi pacto conſenſerit, renuntiare tenetur. Sic eum intellexerunt doctiſsimi Thomiſtæ. Dices, intelligendum eſſe cum limitatione dicta: ſi per ſententiam iudicis obligetur. Sed quis non videt, expoſitionem textui contradicere? Nam ſi obligetur per ſententiam iudicis; profectò ille non renuntiat beneficium, ſed ſiue velit, ſiue nolit, illo priuabitur. Eo vel maximè quod verbum *dimittere*, aut *renuntiare*, executionem & factum ſignificant, vt idem Pater docet num. 38. probatque ex cap. vltimo. de ſimonia. Secundò arguitur ex dict. cap. *ſicut tuis*. ex illis verbis: *nihil debet ſibi ad pœnam vel culpam imputari*. Quæ propoſitio non eſt diſiunctiua, vt exiſtimauit Adrianus: ſed æquiualens copulatiuæ, propter illam negationem *nihil*, antecedentem totam propoſitionem. Quæ cùm ſit malignantis naturæ: iuxta regulam ſummuliſticam, quidquid poſt ſe inuenit deſtruit, & eius oppoſitum reddit. Et ideò particularitas incluſa in illa diſiunctione *vel*, mutatur in vniuerſalitatem. Vnde hæc eſt bona cōſequentia: nihil tibi debet ad culpam vel pœnam imputari: ergo neque ad culpam, neque ad pœnam tibi imputabitur. Igitur ſi poſtea conſenſerit, pecuniam ſoluendo promiſſam, aut reddendo ſolutam: ad culpam, & ad pœnam imputabitur. Quia quādo caſus exceptionis ab aliqua regula generali non verificatur: caſus manet ſub eadē regula generali comprehenſus. Et ratio eſt legitima: quia quando poſtea ſoluit pecuniam promiſſam, verè committit crimen ſimoniæ realis, vt Adrianus fatetur, & Suarez non negabit: ergo tunc incurrit pœnas contra ſimoniacos latas. At vna ex pœnis eſt, quòd renuntiare teneatur: ergo hāc incurrit ipſo facto. Obijcies contrà. Vt aliquis priuetur bonis ſuis, requiritur ſententia iudicis. Sed qui ſic acquiſiuit beneficiū, habet ius & titulum beneficij bona fide: ergo vt illo priuetur, neceſſaria eſt ſententia iudicis. Sed reſpondetur explicando maiorem. Si enim intelligatur de bonis merè temporalibus, quorum homo habet verum dominium, & independens, ſuntque bona eius particularia: tranſeat maior. Si autem intelligatur de bonis communibus Eccleſiæ, quæ appropriantur vnicuiq; ſecundùm eiuſdem Eccleſiæ leges, nego maiorē: quia Eccleſia iuſtis de cauſis poteſt ſub quibuſdam conditionibus bona hæc cōmunia priuatis perſonis applicare. Quibus etiam deficientibus, ipſo facto priuat huiuſmodi bonis.

D. Tho.

Ad argumenta in oppoſitum facta reſpondetur. Et ad primum deſumptum ex c. *cū quis*. caſum eſſe omninò diuerſum: quia ille non iniecit re vera manus violentas in Clericum, neque per ſe, neque per alium; & ideò non mirum ſi Pontifex noluerit illum ſub pœnis ſtatutis contra eos qui injiciunt manus violentas in Clerum, comprehendere. At in præſenti, quando poſtmodum ſoluit pecuniam promiſſam; verè eſt ſimoniacus. Quod manifeſtius eſſet, ſi ſententia quorundam eſſet vera, exiſtimātium quòd ſi beneficium accipiatur ſub ſpe pretij, ſimonia ſic commiſſa non ſubiacet pœnis, vſque per ſolutionem pretij compleatur: tunc enim incurrit pœnas ſimoniæ. De qua ſententia plura poſtea dicemus. Ad rationem reſpondetur: concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem iam diximus fundari in ipſa ratione ſimoniæ realis, quæ tunc committitur, quando qui poſsidet beneficium, ſoluit pretium promiſſum. Vnde ſequitur, quòd ſi non redderet amico pretium ſolutum pro collatione ſui beneficij: ſed ſolum poſt collationem ſimoniacè factam, approbaret

baret eam per ſolam ratihabitionem, tunc non maneret ipſo iure priuatus: quia illa ratihabitio, quamuis eſſet ſimonia, non tamē eſſet realis, ſed mentalis, quæ non punitur ab Eccleſia. Colligitur hæc doctrina ex dicto cap. illis verbis: *Niſi poſtea conſenſeris pecuniam ſoluendo.* Ergo ſi conſenſerit non ſoluendo pecuniam, non erit ſubiectus pœnis. Ita notauit Gloſſa.

Circa ſecundum documentum diui Thomæ, quando ſcilicet ignorauit inuincibiliter qui accepit beneficium, collationem fuiſſe ſimoniacē factam: ſi conſtet in fraudem ipſius pretium eſſe ſolurum, ad nihil reſtituendum tenebitur, etiamſi merè negatiuè ſe habuerit. Colligitur id ex dicto cap. *ſicut tuis.* Nam quāuis Pōtifex in principio videatur diſtinguere, inter eum qui non præbet conſenſum, ſed negatiuè ſe habet omninò, & eum qui expreſſe prohibet collationem beneficij ſimoniacam: tamen ratio quam aſsignat ad liberandū eum qui expreſſe prohibuit; eodem modo militat in eo qui ſe habuit negatiuè: alioquin contingeret, quòd alicuius factum inſidias parantis alicui, ei damnoſum exiſteret, & ſic aliquis ex fraude ſua commodum reportaret. Sed expreſsius habetur hæc doctrina in cap. *nobis.* eodem titulo. Si verò ab amicis vel parentibus in fauorem eius ſit ſoluta pecunia: cùm primum fit conſcius delicti tenetur renuntiare beneficium, & reſtituere fructus eius, in quantum factus eſt ditior ratione tantùm rei alienæ, iuxta communes regulas reſtitutionis, etiamſi fructus perceperit bona fide. Hoc addidi propterea quòd diuus Thomas diſtinguens de fructibus acquiſitis ante vel poſt notitiam criminis: de his exiſtimat tanquam malæ fidei poſſeſſorem, teneri omnia in integrum reſtituere: de illis verò tanquam bonæ fidei poſſeſſorem, ſolùm eſſe reſtituendos fructus exiſtentes: conſumptos verò minimè. Hoc vltimū cum prædicta limitatione intelligendum eſt, ſcilicet non eſſe reſtituendos conſumptos, niſi in quantum ex illis factus eſt ditior. Hæc enim eſt regula reſtitutionis reſpectu bonorum, quæ bona fide poſſidentur. Quod forſan D. Thom. illo verbo *exiſtentes*, explicuit: quia quāuis fructus conſumpti in ſe non ſint, ſunt tamen in ſuo fructu. Cui tamen fructus reſtituendi ſunt? Dico. Poſſidens beneficium tutus in conſcientia manet, ſi cum Pontifice compoſitionem faciat de fructibus beneficij, vt partem reddat, partem retineat: ſin minus Cameræ Apoſtolicæ reſtituēdi ſunt vbi de hoc viget conſuetudo. Nam ſtando in iure communi, reſtituendi ſunt Eccleſię beneficiali. De quo Sylueſter verbo *reſtitutio.* 4. quæſt. 1. Hinc ſequitur, collationem ſimoniacam in fauorem ignorantis factam, fuiſſe à principio nullam iure poſitiuo. Quod etiam indicatur in dicto cap. *ſicut tuis.* illis verbis: *Quamuis ſecundùm ſacrorum Canonum inſtituta, etiam paruuli qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere teneantur.* Et probatur. Nam ſi à die notitiæ delicti, tenetur reſtituere tam beneficium, quàm fructus exiſtentes: ergo collatio beneficij fuit à principio inualida: aliàs fructus beneficij feciſſet ſuos, & ſic non teneretur ad reſtitutionem illorum. Ita tenet Ioann. Gutierrez, lib. 11. Canonic. quæſt. cap. 23. num. 25. quamuis in fundamento deficiat, exiſtimans ipſo iure diuino collationem fuiſſe nullam, ſecutus in hoc Couarrubiā regul. peccatum. ſecunda parte. §. 8. num. 7. & 8. ſed hoc iam diximus eſſe falſum. Neque oppoſitum probat efficaciter Nauarrus conſ. 95. ex ca. *nobis.* de ſimonia. Vbi de hac collatione dicitur, eſſe penitus reprobandam, ideſt irritandam: ergo de ſe fuit valida ab initio. Ad hoc facilè reſpondetur cum Gutierrez ex Couarrubia num. 8. verſiculo. *Igitur Pontificiæ deciſiones*, verbum *reprobare* magis declarare nullitatem, quàm irritationem: & ita ſenſus eſt debere iudicem declarare illam collationem fuiſſe à principio nullam. Eſt tamen adnotandum ex Hugolino tab. 4. cap. 6. §. 6. quòd non debet admitti actio contra eum, qui bona fide per triennium poſsidet beneficium. Aliud tamen de eo qui ſcienter accepit beneficiū ſimoniacè, iudicandum eſt.

Sylueſt. *Ioan. Gut.* *Couarrub.* *Nauarrus.*

Reſtat modò ad argumenta in principio diſputationis facta reſpondere: & ad primum deſumptum ex autoritate diui Thomæ dico, rationem illam eſſe optimam cōgruentiam ad manifeſtandum leges Pontificias (quas D. Thom. in toto articulo ſupponit) irritantes collationes ſupradictas, eſſe iuſtiſsimas, quandoquidem tales res ſpirituales contra earum domini voluntatem comparantur. Secundò reſpondetur, dupliciter poſſe aliquid retineri contra domini voluntatem. Vno modo quando dominus non conceſsit facultatem ad rem illam alienandam. Alio modo quādo conceſsit quidem facultatem alienādi per liberalem, & gratuitam donationem: at diſpenſator, contra

tra dominũ voluntatem rem pretio distribuit. Quod primo modo alienatur; iustè retineri nequit: quia alienum est. Quod posteriori modo alienatur; retineri potest: quia quamuis dispensator non seruauerit modum sibi perscriptum in distributione; benè tamen habuit facultatem alienandi rem. In proposito ergo, Christus Dominus absolutè dedit facultatem distribuendi bona spiritualia: aliàs nihil Ecclesia haberet certitudinis in administratione spiritualiũ, sed in omnibus esset dubia; quod maximũ inconueniens est. Perscripsit tamen modum conferendi (scilicet gratis) non tamẽ per istum modum intendebat irritare actionem. Vnde etiamsi contra prædictum modum spiritualia conferantur; collatio est valida iure diuino. Et per hoc solutum manet secundum argumentum. Ad tertium quæstione sequenti fiet satis. Ad quartum nego sequelam. Ad probationem, ex dictis respondetur, leges Pontificias non solùm esse pœnales; sed irritantes actiones, & inhabiles constituentes personas ad huiusmodi beneficia obtinenda, & ad quæcunque alia in futurum assequenda, vt colligitur ex cõstitutione Pij Quinti versiculo: *Illis sit ipso iure priuatus, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda.* Ex quibus planè colligitur, ante quamcunque iudicis sententiam esse inhabiles ad ea consequenda: quia eodem modo loquitur de beneficijs in futurum obtinendis, & de simoniacè acquisitis. At statim ipso facto ad hæc est incapax & inhabilis: ergo & respectu aliorũ. Ita tenet contra Nauarrũ, Hugolinus tab. 4. cap. 6. §. 6. quem sequitur Suarez cap. 58. num. 9. & sequentibus, quamuis cum limitatione loquatur: in vigore (inquit) iuris. Nam existimat cum Nauarro, præfatam pœnam quoad hunc effectum inhabilitandi ad alia beneficia in futurum obtinenda, non esse vsu receptam; de quo mihi non constat: illi tamen si vigeat standum erit. Nonnulli etiã existimãt, priuari ipso facto beneficijs aliàs iustè obtentis, non solùm per Extrauagantem secundam de simonia; vbi omnes simoniæ pœnas iure antiquo latas, ipso facto esse incurrendas statuit Pontifex: verùm stando in iure antiquo. Tenuit hoc Bernar. Diaz in practic. cap. 131. pro qua sententia citari solet Glossa prima in cap. *presbyter.* prima quæstione prima. Est tamen hæc sententia contra communem Canonistarum, quos refert & sequitur Hugolinus tab. 1. cap. 19. quia in toto corpore iuris non inuenitur lex aliqua, quæ ipso facto, vel ipso iure priuet beneficijs aliàs iustè obtentis. Ad fundamentum verò alterius partis, facilè respondetur, quòd in prædicta Extrauaganti specialiter declaratur incurri pœnam priuationis beneficiorum simoniacè acquisitorum: vsusque id satis confirmat. Nullus enim simoniacus in beneficio, priusquam de crimine conuincatur renuntiat beneficia, quæ antea legitimè possidebat. De quo vide Nauarrum cõsil. 92. de simonia. Nam cum pœna priuationis beneficij iustè obtenti ipso facto incurrenda, sit vna ex grauissimis totius iuris; credendum non est, absque maiori declaratione fuisse in dicta Extrauaganti *innouatam.* Excipio examinatores simoniam in examine committentes: de quibus in Concilio Tridentino sessione 24. cap. 18. de reformatione. statutũ est, priuari beneficijs omnibus, quæ quomodocunque antea obtinebant: neque absoluendos esse, nisi prius illis dimissis; ad futuraq; inhabiles fiunt. Vide Suarez cap. 58. Ad quintũ satis ex ratione tertia pro prima conclusione responsum est. Ibi enim diximus, rationem iniustitiæ repertam in simonia in ordine ad Deum, ad irreuerentiam, & irreligionem esse reuocandam. Ad probationes verò quatenus specialiter procedunt de vendente res spirituales, quid dicendum sit, ex disputatione sequenti manifestum fiet.

Nauarrus. *Conc. Trid.* *Suarez.*

Ad argumenta in oppositum non oportet respondere: quia efficaciter probant primam assertionem, & non impugnãt secundam. Solùm circa vltimam cõfirmationem notanda est doctrina diui Thomæ solutione ad quintum, vbi dupliciter docet posse aliquem in Monasterio recipi simoniacè, vel ipso sciente, vel ignorante. Et quamuis possessio quocunq; modo facta, valida sit: tamen si ipso sciente simonia fuit commissa, post Concilium Generale de suo Monasterio repellendus est, & in arctiori regula ad agendam pœnitentiam reponendus. Si verò ipso ignorante simoniacè susceptus fit: postquam renuntiauerit, potest de nouo recipi locis mutatis. Quæ doctrina habetur in expressis iuribus cap. *de regularibus.* de simonia, illis verbis: *Respondemus, vt locum quem taliter adepti sunt omninò dimittant: & solitudines, vel alia strictiora Monasteria adeant.* cap. *quoniam.* eodem titulo, *tam recipiens, quàm recepta* (Monialis scilicet) *sine spe restitutionis, de suo Monasterio expellantur,*

Hugolin. Suarez. *Bern. Diaz Glossa.* *Hugolin.*

tur, & in locum arctioris regulæ, &c. collocentur. Quod etiam poſtea ad omnes religioſos extenditur. Circa quas pœnas cum Hugolino notandum eſt, tab. 1. cap. 17. §. 4. nõ incurri ipſo facto, donec per ſuperiores iuridicè imponantur.

Hugolin.

DISPVTATIO VI.

An venditor rei ſpiritualis teneatur ad reſtituendum pretium ſimoniacè acceptum iure diuino? an poſitiuo tantùm?

COmmunis ſententia Iuriſperitorum docet, ſolo iure Pontificio obnoxia eſſe reſtitutioni temporalia, quæ pro ſpiritualibus commutantur. Tenet Nauarrus in Manuali cap. 23. numero 103. vbi citat Innocentium quartum, Hoſtienſem, Ioannem Andream. Sed latius in Comment. ad caput vltimum de ſimonia num. 12. latiſsimè Petrus Nauarra, lib. ſecundo de reſtitutione cap. 2. num. 392. cum ſequentibus. Ioannes Gutierrez, lib. 2. Canonicarum quæſt. cap. 23. num. 35. & ſequentibus. Ex Theologis ſequuntur non pauci, Caietanus ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 6. & in Summa verbo *ſimonia*. Sylueſter ibi quæſt. 20. Armilla num. 58. Victoria ſecunda parte relectionis num. 4. & plures alij, quos laborioſum eſſet recenſere. Probant primò autoritate diui Thomæ ſecunda ſecundæ dicta quæſtione 100. ar. 6. ad ſextum, vbi habet, quòd quoad Deum ſola voluntas facit ſimoniacum: ſed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non punitur vt ſimoniacus, vt abrenuntiare teneatur; ſed debet de mala intentione pœnitere. Si dixeris, diuum Thomam de ſimonia purè mentali eſſe intelligendum; in qua nihil datum, nec acceptum eſt. Contrà: nam ſolutio eſſet omninò ridicula, quia neque ad intentum argumenti, neque ad intentum articuli: in quo dubitat, an quis iuſtè priuetur eo quod ſimoniacè acquiſiuit? Probatur ſecundò ex ca. finali. de ſimonia. in ſecunda eius parte: vbi loquendo de ſimonia mentali, ad literam ſic habetur: *Et ad reſignationes ſpiritualium, & temporaliũ, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente vtrinque taliter acquiruntur (in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori) eos pro ſimonia huiuſmodi non teneri.* Adeò textus iſte difficilis eſt, vt autores contrariæ ſententiæ male torqueat, atque in diuerſas expoſitiones diuidat. Ioannes ergo de Medin. quæſtione quarta de vſura. ſolut. ad ſecundum. concordat textum iſtum, & caput *conſuluit*. de vſuris, exiſtimans, iſtud in foro conſcientiæ, in quo Papa fuit conſultus, eſſe intelligendum: illum verò in foro Eccleſiæ, de quo Pontifex illo capitulo interrogatur. Hæc videtur ſecunda ſolutio, quam meritò impugnat Caietanus: quia oppoſitum ex contextu colligitur illis verbis: *In quo caſu ſufficit per pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori.* Si ergo in ſimonia mentali ſufficit per pœnitentiam creatori ſatisfacere: ergo in conſcientiæ foro ad nihil amplius obligabitur. Secunda expoſitio eſt Adriani quodli. 9. art. 3. & in materia de reſtitutione tractans de vſuris dubio octauo: vbi aſsignans diſcrimen inter vſurarium & ſimoniacum, docet non poſſe Pontificem lucrum ex vſuris comparatum remittere, quia particularibus hominibus debetur; poſſe tamen pretium per ſimoniam acquiſitum ſimoniaco mentali remittere, tanquam ſupremum Eccleſiæ bonorum diſpẽſatorem, quia huiuſmodi pretium Eccleſiæ reſtituendum eſt. Et hoc (inquit) in prædicto cap. habetur. Hęc ſolutio voluntaria omninò videtur: quia pretium ſimoniacè acquiſitum, iure diuino naturali non debetur Eccleſiæ: ſed ſi alicui reſtituendum eſt, ei vtique à quo acceptum eſt. Nec minus inſufficiès eſt alia expoſitio eiuſdem, quam ſequitur Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 8. art. 1. circa finem, verbo *alia ergo eſt ſolutio*. Aſſerũt enim ij autores, non ſolùm prædictum textum non obſtare ſuæ ſententiæ: verùm hanc quam propoſuimus impugnare, quia ibi dicitur, diſpenſandi autoritatem extendi ad Abbates, & ad reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi vtrinque acquiruntur: ita enim literam eſſe conſtruendam cenſent. Hanc tamen expoſitionem nonnulli ex Canoniſtis audacem appellãt: & Nauarrus non parum reprehẽdit dicto cap. 23. num. 103. verbo *quarto quod*. tùm quia vt ſuam fundent expoſitionem, notam rubeam, quæ diuiſionem ſignificat, è medio eſſe tollendam incunctanter aſſeuerant, contra perpetuam huc vſque ſeruatam conſuetudinem: tùm quia vt ex gloſſa colligitur, duæ illæ clauſulæ, duæ ſunt diſtinctæ reſponſiones ad duo omninò diuerſa interrogata: ergo inter ſe nõ ſunt con-

Nauar.
Pet. Naua.
Ioan. Gut.
Caietan.
Sylueſt.
Armilla.
Victoria.
D. Thom.
Caietan.
Adrianus.
Sotus.
Nauarrus.

confundendæ. Deinde, quia vltima illa verba: *Eos pro ſimonia huiuſmodi non teneri*, nullum tentum congruum poſſent admittere; ſed eſſent fruſtra à Romano Pontifice ſuperaddita. Hoſtien. *Hoſtien.* in ſumm. de ſimonia numero primo, Gandauen. *Gandauen.* ciuis quodlib. 6. q. 26. aliter reſpondendum docent: ſcilicet, Pontificem loqui de ſimonia, quæ eſt contra ius poſitiuum, non vero in ea quæ contra ius diuinum fuerit commiſſa. Exiſtimant enim, diſtinctione opus eſſe inter ſimoniam intrinſecè talem, & inter eam quæ ſolùm eſt talis quia prohibita. Et de prima affirmant inducere obligationem de iure diuino reſtituendi: de ſecunda verò minimè. Sed contra hoc obiecit Caietanus, præfatum textum loqui de ſimonia commiſſa in ingreſſu Religionis, quæ procul dubio eſt contra ius diuinum. Hanc tamen obiectionem inſufficientem iudicat Pater Suarez: *Suarez.* quia Gregorius Nonus in illo capite loquitur de ſimonia contra ius Eccleſiaſticum, vt patet ex illis verbis: *Secundùm conſtitutionem generalis Concilij diſpenſares.* Sed profectò multo minus ſufficiens eſt hæc eius ratio contra Caietanũ. Nam quamuis in prima parte capituli loquatur de diſpenſatione erga Abbates; tamen in ſecunda parte expreſſe loquitur vniuerſaliter, ſecundùm communem omnium ſententiam, de quacunque ſimonia ſiue contra ius humanum, ſiue diuinum, vt inter alios docuit *Sylueſt.* Sylueſter verbo *ſimonia*. quæſt. 20. & Ioannes Andreas relati à Nauarro in Manuali, *Ioan. And.* cap. 23. num. 103. verſiculo 5. ibi: *tum quia illud caput.* Neque admitti etiam debet, Pontificem iuxta probabilem ſententiam reſpondiſſe, quamuis oppoſita ſententia probabilior ſit: quia ſi hoc admitteremus, nihil ſtabile aut certum eſſet in Decretis Pontificum. Relinquitur ergo, prædictam cõmunem ſententiam in dicto capite finali à Summo Pontifice fuiſſe approbatam, nihil addẽdo vel delendo, ſed ſtando eius literæ communiter receptæ. Probat etiam hanc *Decius.* eandem ſententiam Decius ex cap. *tua nos.* de ſimonia. verſic. *Si verò purè ac ſine pacto vel conditione qualibet efferat, &c. huiuſmodi receptio fieri poterit abſque ſcrupulo ſimoniacæ prauitatis.* Et poſtea ſubdit: *Quia nobis datum eſt de nõ occultis tantùm modo iudicare.* Tertiò poteſt rationibus ſatis efficacibus præfata ſententia confirmari. Emptor rei ſpiritualis voluntariè omninò abdicauit à ſe dominium rei temporalis, tranſtulitque illud in venditorem: ergo venditor non tenetur reſtituere pretiũ, ſiſtendo ſolùm in iure diuino naturali. Antecedens probatur, ſi prius ſupponamus prædictum contractũ fieri ſecluſa omnino vexatione. In emptione & venditione, in qua nulla interuenit vexatio, ſed omnimoda ex vtraque parte libertas, tranſfertur pretij dominium ab emptore in venditorem: quia de ratione emptionis & venditionis eſt tranſlatio pretij, & rei venalis ab vno in alium: ergo in noſtro caſu, emptor pretij dominium tranſfert in venditorem. Confirmatur. Suprà determinauimus, ſtando in iure diuino beneficium per ſimoniam acceptum, reſignandum non eſſe: ergo nec pretium reſtituendum, quoniã cõtractus debet eſſe æqualis ex vtraque parte. Quarrò. In tali acceptione pretij, læditur ſola religio, & nulla malitia reperitur contra iuſtitiam: qui enim pretium dedit ſciens & prudens, voluit rem ſpiritualem emere, & pro ea pretium voluntarie contulit. Scienti autem & volenti nulla fit iniuria: ergo. Eſt ſimile. Si rem forte ſublatam vendas ſcienti illam eſſe furtiuam, nullam ei irrogabis iniuriam: neque iure diuino ad aliquam reſtitutionem ei faciendam teneberis. Similiter, ſi quis officium publicum alicuius Reipublicæ diuendat, ſcienti lege cautum eſſe huiuſmodi officium vendi non poſſe niſi ciuibus Reipublicæ: nulla ei fit iniuria, quamuis ſumma Reipublicæ fiat. Et ideò licèt Reipublicæ teneatur ſatisfacere de damno illato, ei verò cui officium contulit, nihil reſtituere tenetur. Quintò. Si pretium eſſet reſtituendum, ei vtique reddendum eſſet à quo acceptum eſt, ſi ſolùm ius diuinum conſulamus: at ei reddendum non eſt: ergo nulli. Maior probatur: quoniam attento iure diuino naturali, & ſecluſa lege poſitiua, alienum reſtituendum eſt ei à quo accipitur. Minor verò probata eſt ex his quæ diximus; quia ſcilicet ille liberè à ſe abdicauit dominium illius rei. Secunda ſententia eſt Hugolini, tabul. 4. cap. 2. §. 1. non *Hugolin.* ſolùm negantis, iure diuino teneri venditorem beneficij ad reſtitutionem pretij accepti, ſed neque iure Pontificio ad id adſtringi ante condemnationem iudicis. Quoſdam pro ſe citat autores, ſed immeritò, vt in dicendis patebit. Hæc ſententia probari poteſt, quia lex Eccleſiaſtica non impedit quominus ſimoniacus tranſferat dominium pretij in venditorem rei ſpiritualis: ergo nulla manet obligatio ex iuſtitia ei pretium reſtituendi. Sed neque Eccleſiæ, nec pauperibus reſtituendum eſt, quia nullum

lum habent ius ad tale pretium: ergo nulli A in conscientia reddendum est. Primum antecedens videtur manifestum, quia aliàs id cederet in fauorem simoniaci, cui tamen Ecclesia nullum præstat. Confirmatur. Quia iure diuino (vt probatum est) non inest obligatio restituendi; sed positiuo tantùm: ergo talis restitutio est pœna imposita iure positiuo. At pœnas nemo incurrit ante condemnationem iudicis: ergo.

Adrianus. Tertiam sequitur Adrianus quodlib. 9. art.
Sotus. 3. Sotus 9. de iustitia, quæst. 8. art. 2. Henri-
Henricus. cus quodlib. 6. quæst. 26. Medina C. de re-
Medina. stitutione, quæst. 2. Nauarrus cap. 17. num.
Nauarrus. 32. Couarrubias regul. *peccatum.* secunda
Couarrub. parte. §. 2. num. 7. Qui omnes asserunt, in venditore rerum spiritualium oriri obligationem restituendi pretium acceptum, ex ipso iure diuino non positiuo tantùm. Probatur hæc sententia sequentibus argumentis. Primò. Stando in iure diuino, venditor rei spiritualis non acquirit verum pretij dominium: ergo eodem iure tenebitur restituere. Antecedens probatur. Venditor ille nullo iure potest accipere pretium pro re spirituali, vt colligitur ex illo Matthæi. 10.

Matth.10. *Gratis accepistis, gratis date.* Quibus verbis abstulit Christus omne ius (si quod esse poterat) ad recipiendum pro rebus spiritualibus pretium: at dominiũ semper fundatur in aliquo iure: ergo. Confirmatur ratione, & exemplo adducto à D. Thom. in articulo. Qui vendit rem nõ suam contra domini voluntatem, eam gratis distribuere præcipientis, iniustitiam cõmittit: ergo nec acquirit pretij dominium, nec retinere illud licitè potest. Explicemus hoc: si dominus præcipiat dispensatori, frumentum inter pauperes distribuere: ille verò contra domini voluntatem pretium extorqueat à pauperibus: haud dubium quin maneat pretium illud restitutioni obnoxium. At Christus beneficiorum Ecclesiasticorum, & bonorum supernaturalium dominus, præcepit Ecclesiasticis dispensatoribus vt gratis conferant spiritualia: ergo si pretiũ contra Domini voluntatem pro huiusmodi distributione accipiant, illud restituendũ est iure diuino. Secundò. Si nulla esset iure diuino ad restituendum obligatio, sequeretur solùm simoniacos in beneficijs Ecclesiasticis, ordinis collatione, & Religionis ingressu, teneri ad restitutionem: consequens est contra communem omnium consensum, absque distinctione vnanimiter affirmantium, simoniacos ad restitutionem teneri, vt colligitur plane ex doctrina huius articuli: ergo. Sequelam probo. Nam in iure solùm habetur istos simoniacos ad restitutionem obligari: sic dicitur 1. quæst. 1. cap. *si quis neque.* cap. *presbyter.* & in titulo de simonia. extra. cap. *de hoc.* cap. *veniens.* cap. *mandato.* & in Cõcil. Const. sessione 43. & in Extrauaganti quæ incipit: *cum detestabile.* At ius istud positiuum odiosum est: ac proinde restringendum ad eos tantùm casus de quibus expresse loquitur: ergo si iure diuino simoniaci alij à relatis ad restitutionem nõ tenentur, nullo iure absolutè tenẽtur. Tertiò. Pretiũ B pro absolutione, aut baptismate conferendo, non est restitutioni obnoxium secluso iure positiuo? Ergo etiamsi centũ nummos aureos pro absolutione extorqueas, non teneberis restituere iure naturali. Nam si pretium non est restituendum, ideò erit, quia res spiritualis quæ venditur, alicuius æstimationis est: ergo propter quantitatem pretij, quamtumuis magnam, nulla oritur obligatio ad restituendum, cùm res illa maioris æstimationis sit quocunque pretio. Quarta & vltima sententia in hac disputatione est Patris Suarez, lib. 4. de simonia. cap. 59. nu. *Suarez.* 15. & sequentibus, vbi inter alia multa, duo ad propositũ docet. Et in primis functiones spirituales considerat dupliciter: & vt C spirituales sunt, & secundùm quod inuoluunt aliquam actionem humanam temporalem. Si ergo quis vendat huiusmodi functiones spirituales vt tales sunt, aut propter effectum supernaturalẽ, quem possunt inducere: ad restitutionem pretij tenetur ex vi legis diuinæ. Si tamen huiusmodi functiones consideres, vt sunt quædam actiones materiales & tẽporales: si de facto vendantur, non tamen maiori pretio quàm ratione sui laboris possunt æstimari, si tantùm esset seruitium aliquod temporale; etsi simonia sit, ex illa tamen non oritur obligatio restituendi. Primam huius dicti partem D nos latius ostendemus infra: secundam ipse probat sic. In huiusmodi venditione nulla reperitur iniustitiæ ratio: quia & in effectu, & in re ipsa reperitur æqualitas inter actionem illam materialiter consideratam, & pretium quod pro illa confertur: ergo nulla est obligatio restitutionis. Explicatur antecedens. Actio illa, licèt quia est sacra effecta non debeat pretio æstimari; suam tamen materialitatẽ retinens intra latitudinem iustitiæ, ratione illius æstimabilitatem habet: ergo si pretium non excedat materialem illam æstimationem, nulla fit iniu-

Conc. Cons.

iniuſtitia. Idem proportionabiliter cenſet eſſe dicendum in beneficiorum Eccleſiaſticorum venditione : ſcilicet Beneficiarium vendentem ſuum beneficium, ex ſola lege naturali non obligari ad reſtitutionem pretij, ſi in illo ſeruetur debita moderatio comparatione facta ad commodum temporale beneficij. Hoc probat primò ex cap. *mandato*. iam citato, & deinde ratione. Commodum illud temporale ſpirituali officio annexum, eſt pretio æſtimabile ſecundùm ſe : ergo quamuis illud vendi non debeat, ne ſimul ſpirituale vendatur: tamen ſi de facto venditur, nil venditur inuendibile: ergo nulla hinc oritur obligatio ex iuſtitia ad reſtitutionem pretij. Itaque quamuis in prædicto cõtractu ſit vera ratio ſimonię contra ius diuinũ, quatenus vendẽdo tẽporale vẽditur prius ſpirituale: quia tamen ſpirituale, & tẽporale non pluris æſtimãtur, quã ſi ſolũ tẽporale venderetur, ideò in huiuſmodi vẽditione nulla iniuſtitiæ ratio reperitur. Hinc multa alia infert, quę potius faſtidioſum, quã neceſſariũ eſſet recenſere: quia de omnibus æqua eſt ratio.

Inter tot grauiſsimorum virorum, tanq; diſsidentium ſententias, difficillimũ eſt iudicium ferre. Ne tamen difficultate oppreſsi videamur ſuccumbere : à certioribus incipientes.

Dico primò. Qui vendit rem ſpiritualem ei cui ex iuſtitia tenebatur conferre: iure diuino adſtringitur ad reſtitutionem pretij. Vt ſi Parochus vendat ſubditis Sacramenta, Pęrlatus beneficia, vel etiam officia quorum non eſt dominus; in his & ſimilibus caſibus manifeſtè lædit iuſtitia, ſiue ſimonia ſit realis, ſiue mentalis : ergo oritur ex ipſa lege naturæ obligatio ad reſtituendum. Nec euacuat vim argumenti, Prælatos ex ſola iuſtitia diſtributiua teneri ad beneficiorum diſpenſationem: quia hoc admiſſo, multis ſupra quæſt. 63. probari ſolet, iuſtitiæ diſtributiuæ violationem obligare ad reſtitutionem, non minus quàm commutatiuæ. Et quamuis hoc ita certum non eſſet; nihilominus noſtra concluſio eſt certiſsima: quia in tali caſu, quando Epiſcopus vendit beneficium digniori, cui ex iuſtitia illud conferre tenebatur; non ſolùm violat iuſtitiam diſtributiuam, ſed etiam commutatiuam : ergo ad reſtitutionem tenebitur. Antecedens probatur. Nam per acceptionem pretij, dignior cui venditur beneficium non ſolùm lædi-

A tur in bonis habendis, ſed etiam in bonis iam acquiſitis, ſcilicet in pecunia, quam pro beneficio ſibi conferendo elargitur Epiſcopo : ergo verè lædetur iuſtitia commutatiua. Secundò. Quicunque tenetur ex officio & iuſtitia, ratione ſtipendij accepti gratis aliquid miniſtrare; ſi pro huiuſmodi miniſterio aliquid pretij accipiat, tenetur iure diuino illud ſtatim reſtituere. Sed Parochus, & Prælatus ratione ſtipendij accepti ex officio, de iuſtitia tenentur ſpiritualia miniſtrare gratis : ergo ſi pretium accipiant, illud tenentur in conſcientia ſtatim reſtituere. Ma-

B ior eſt diui Auguſtini ſermone 19. de verbis Domini, refertur 23. quæſt. prima, can. *militare*. inquit Auguſtinus : *Quicunque ſibi ſtipendia publicè decreta accipit : ſi amplius quærat, tanquam calumniator & concuſſor, Ioannis ſententia condemnatur*. Quod inductiuè manifeſtum eſt in iudice, qui pro ferenda ſententia pretium accipit à ciuibus: illud enim reſtituere tenetur, ſi aliàs iuſtum accipiat ſtipendium. Item in moderatore Cathedrę, qui accepto ſtipendio ab Vniuerſitate, aliud à diſcipulis pretium extorquet. Minor verò certa eſt : nam propter huius diſpenſationem, accipiũt Parochi & Epiſcopi decimas fructuum, ab Eccleſia in eo-

C rum ſuſtentationem deſignatas.

Auguſt.

Dico ſecundò. Qui vendit rem ſpiritualem vt ſpiritualis eſt, ſiue mentali ſimonia, ſiue reali : etiamſi ex iuſtitia non teneatur eam emptori miniſtrare; lege naturæ debet in conſcientia pretium reſtituere. Hãc concluſionem negãt autores primæ ſententiæ: ſed defendunt, & ſatis efficaciter probant autores tertiæ, argumentis pro illa ſententia adductis. Et inſuper probatur. In re ſpirituali vt ſpiritualis eſt, nihil eſt ratione cuius poſsit exigi iuſtè pretium: ergo ſi extorqueatur, iniuſta erit exactio, & reſtitutionis obligationem inducet. Antecedens

D probatur, tùm quia ſpiritualitas vt ſic, nullo eſt humano pretio æſtimabilis, cùm ſit alterius ordinis ſupra omne emolumentum temporale: tùm quia bona ſpiritualia vt talia, non ſunt ſub dominio humano; ſed ſub vero dominio Dei, qui ſolùm contulit miniſtris poteſtatem ea alijs gratis conferendi: ac proinde accipiendo pretium, peccat contra iuſtitiam debitam emptori. Etenim poſtquam ſemel aliquid diſpenſat ſpirituale : tenetur non tantùm ex Religione erga Deum, verùm ex iuſtitia erga proximum, gratis & ſine pretio illa conferre. Hæc enim eſt voluntas Chriſti Domini, qui has

functiones ſpirituales ita inſtituit: vt omnibus conceſſerit ius & facultatem ad illa gratis obtinenda. Igitur ſi miniſtri pro huiuſmodi functionibus pretium exigant; contra iuſtitiam faciunt fidelibus debitam, & ad reſtitutionem tenentur iure diuino. Explicatur hoc. Diſpenſator, qui iuſſus eſt gratis frumentum pauperibus diſtribuere: peccat contra iuſtitiam pauperibus debitam, ſi pretium pro huiuſmodi diſtributione ab illis extorqueat. Et quamuis ipſi pauperes per modum emptionis, & venditionis videantur liberè à ſe abdicare pretij dominium: ſecundùm communem omnium ſententiam eleemoſynarius tenetur pretium reſtituere pauperibus; quia voluntas pauperum redimentium ſuam vexationem, fuit mixta propter iniuriam antecedentem ſibi factam. Ergo in propoſito, cùm Chriſtus rerum ſpiritualium Dominus, præceperit eas gratis omnibus conferendas: ſi pro huiuſmodi diſtributione miniſtri pretium extorqueant, faciunt contra iuſtitiam debitam fidelibus: & conſequenter in collatione pretij inuoluntarij ſunt propter iniuriam ſibi factam: & ideò pretium reſtituendum eſt iure diuino naturali. Secundò probatur. Vſurarius etiam mētalis, lege naturæ tenetur lucrū reſtituere ex mutuo cōparatum, vt ſatis ſupra oſtenditur, q. 78. ergo quicunque ſimoniacus pretiū reſtituere tenetur quod accepit pro munere ſpirituali: quoniam ſicut vſurarius ſi mutuet, gratis mutuare tenetur iure diuino: ſic qui rem ſpiritualem confert, poſtquam ſemel conferre decreuit, gratis illam iure diuino tenetur diſpenſare. Huic argumento variæ adhibentur ſolutiones. Et omiſſa quā tradit Petrus Nauarra, lib. 3. de reſtitut. cap. 2. n. 216. cum ſequentibus, vbi cum aliquibus quos ipſe refert, exiſtimat vſurarium mentalem non teneri ad reſtitutionem lucri ex mutuo: omiſſa, inquam, iſta ſententia vt minus probabili, quia oppoſitum expreſſe habetur ſecūdum communem ſententiam in dicto cap. *conſuluit*. de vſuris. aliam habet Ioann. Gutier. lib. 2. Canonicarum quæſt. cap. 23. n. 46. & ſequentib. vbi conſtituens differentiam inter ſimoniacum mentalem, & vſurarium mentalem, docet iſtum teneri reſtituere lucrum; illum verò non teneri. Et ratio diſcriminis (inquit) deſumitur, ex eo quod vſura non ſolùm conuentionalis, ſed etiam mentalis, eſt prohibita iure diuino, vt patet Lucæ 6. *Mutuum dantes, nil inde ſperantes*. Itaque non licet pro mutuo aliquid, etiam mente ſperare. At verò (inquit ipſe) cum ſimonia mentalis, quātumuis peſsima, nō ſit expreſsè & in individuo iure diuino inhibita: hinc eſt quod ſimonia mentalis non obliget ad reſtitutionem; ſed ſufficiat pro ea ſuo ſatisfacere creatori. Hęc tamen ſolutio nullatenus admittenda videtur: ſupponit enim fundamentum omni nò improbabile: quòd ſcilicet ſimonia mētalis non ſit iure diuino interdicta. Nam cū ſimonia mentalis & realis, eandem habeāt malitiam: ſi realis iure diuino inhibetur; ſimiliter & mentalis. Tùm etiam, quia ſeclusa quacunque lege poſitiua, ſimonia mentalis eſt intrinſecè mala: ergo iure diuino prohibita. De quo latè Sotus lib. 9. de iuſtitia q. 5. art. 2. Caſtro lib. 13. de hæreſ. ca. *ſimonia*. per totum: & nos latius ſupra. Nauarrus verò aliam conſtituit differentiam: quòd ſcilicet vſuram ſoluere non eſt peccatum, cap. *debitores*. de iure iurando. Recipere autem, ſic, cap. *quoniam*. de vſuris: & qui malè recipit ab eo qui benè dat, tenetur id reſtituere danti, cap. *non ſanè*. cum Gloſſa. 14. quæſt. 5. At ſimoniacus mentalis accipit pretium à male dante: & conſequenter nemini tenetur illud reſtituere. Hæc etiam ſolutio non conuincit: quia quòd emptor malè det pretium rei ſpiritualis; non tollit quin venditor malè accipiat illud, & abſque titulo: & conſequenter non aufert obligationem reſtituendi. Ex eo ergo quòd malè conferat, ſolùm colligitur iuſtè illum poſſe priuari pretio dato. Probabilius ergo reſpōdet Caiet. hic: quòd mutuatarius, ad redimendam vexationem ſibi factam inuoluntariè vſuras ſoluit, vt patet 3. Ethicorum: & ideò ea recipiens, ad reſtitutionem tenetur. Secus verò in ſimonia mentali: vbi quidquid datur, voluntariè datur animo vendendi & emendi. At emptio & venditio, contractus ſunt voluntarij abſque inuoluntario, vt patet 5. Ethicorum: & ſic tota diuerſitatis ratio, ad voluntarium & inuoluntarium eſt reducenda. Hæc ſolutio eſt ſatis apparens. Contra eam nihilominus inſtat Sotus vbi ſupra. §. *Caietanus ergo*. quòd ſimoniacus non minus inuitus videtur conferre pretium, quàm qui accipit ad vſuras: mallet ſiquidem gratis illa ſpiritualia accipere, quàm munere aliquo, vel temporali pretio à ſe præſtito. Huic tamen obiectioni reſpondet Caietanus, quem ſequitur Nauarrus, & Petrus à Nauarra vbi ſupra numero 402. non ſufficere ad reſtitutionis obligationem

A B C D

Pet. Naua. *Ioan. Gut.* *Lucæ. 6.*

Sotus. *Caſtro.* *Nauarrus.* *Gloſſa.* *Caietanus.* *Ariſtot.* *Sotus.* *Caietan.* *Nauarrus.* *Pet. Naua.*

nem inducendam, quòd mallet emptor rem gratis accipere, quàm pretio dato: aliàs enim omnis venditor teneretur reſtituere pretium ementi. Hæc tamen ſolutio non eneruat vim argumenti: quia venditor rei ſpiritualis, tenetur ex iuſtitia (vt diximus) poſtquam ſpiritualia diſpenſat, ea gratis diſpenſare. Et ideò optimè colligitur, emptorem eſſe inuoluntarium in ſolutione pretij, cùm haberet ius ad accipiendum ſpirituale ſine pretio. At venditor rei temporalis, non tenetur gratis rem donare: & ideò emptor non eſt inuoluntarius in acquiſitione illius per exhibitionem pretij, cùm non poſsit eam gratis exigere à venditore. Ex hac concluſione colligitur, idem eſſe dicendum in venditione beneficiorum Eccleſiaſticorum, vt ſpiritualia ſunt: in venditione rerum ſacrarũ, vt ſunt vaſa, veſtes ſacræ, agnus Dei, grana benedicta, &c. Cùm enim in his ſpiritualitas non augeat valorem materiæ: ſi ratione illius carius vendantur, non ſolùm ſimonia, ſed iniuſtitia committitur; ideò iure diuino exceſſus pretij ratione ſpiritualitatis reſtituendum eſt.

Dico tertiò. Non ſolùm eſt contra iuſtitiam vendere functiones ſpirituales, ad quas miniſtrandas quis non tenetur ex officio: ſed etiamſi vendantur ſecundùm quamcunque rationem materialiter conſideratam; & ideò pretium iure diuino obnoxium eſt reſtitutioni. Hanc aſſertionem ſtatuo contra vltimam ſententiam ſuperius relatam. Pro cuius explicatione, in memoriam reuocanda ſunt, quæ ſupra latius adnotauimus circa ſecundum, & tertium articulum, diſputatione ſeptima, pecuniam ſcilicet poſſe dari pro actione aliqua ſpirituali, in pretium ſpiritualitatis, vel in pretium operæ, & laboris, qui inſumitur, ita vt labor ipſe commutetur. Dicimus ergo non ſolùm eſſe contra iuſtitiam pretium accipere pro re ſpirituali, vt talis eſt: ſed etiam pretium accipere pro labore, & pro ipſa actione materialiter conſiderata. Loquor de labore, & materiali actione intrinſecè incluſa in ipſa functione ſpirituali. Probatur primò. Id quod ſecundùm rectam rationem pretio æſtimari non poteſt, non eſt vendibile; & ſi vendatur, venditio erit iniuſta: ſed actio illa materialis ſacra effecta, ſecundùm rectam rationem pretio æſtimari non poteſt, vt fatetur Suarez loco citato numero decimo quinto: ergo eſt inuendibilis; & ſi vendatur, venditio erit contra iuſtitiam. Maior videtur exterminis nota: nam pretium vniuſcuiuſque rei debet ſecundùm rectam, & prudentem hominum æſtimationem taxari. Si ergo pro re aliqua, ſecundùm rationem rectam pretium taxari non poſſit; illa erit inuendibilis. Secundò. Qui huiuſmodi functiones ſpirituales diſpenſat, non habet aliquod ius exigendi pretium pro illis quomodocunque conſideratis: ergo ſi pretium exigat, facit contra iuſtitiam, & reſtituere tenetur, tùm ratione rei acceptæ: tùm ratione iniuſtæ acceptionis: quia accipere aliquid ad quod ius non habet, iniuſta acceptio eſt. Antecedens docet Suarez ibidem num. 20. vbi loquens de miniſtris qui non habent ſtipendium, docet, illos obligari vt ſi miniſtrare voluerint, gratis id faciant: nec poſſunt exigere niſi iuſtum ſtipendium: quia hac veluti cõditione eſt illis conceſſa facultas miniſtrãdi; & ideò ius non habent amplius exigendi. Hæc ille ferè ad verbum. Dices, præfatum autorem loqui de miniſterio harum rerum ſpiritualium vt tales ſunt: non verò ſecundùm quod ſunt actiones materiales. Contrà eſt efficax argumentum. Diſpenſator ſpiritualium non habet ius exigendi pretium pro huiuſmodi miniſterio: ergo nec pro actionibus materialiter in tali miniſterio incluſis. Exemplum ſit in abſolutione. Abſolutio (inquiet ille) eſt inuendibilis, vt ſpiritualis eſt; non tamen vt eſt quædam actio vitalis hîc & nunc à miniſtro exercita. Sed contrà procedit argumentũ factũ: quia ipſa actio vt vitalis, intrinſecè & neceſſariò includitur in abſolutione: ergo ſi vendere abſolutionem eſt contra iuſtitiam; etiam vendere actionem ibi incluſam. Tertiò. Illa actio materialiter cõſiderata, eſt ſecundùm iuſtitiam pretio æſtimabilis? Ergo illam vendere nullum eſt peccatum. Nec ſatisfacis ſi reſpondeas: propter coniunctionem ad rem ſpiritualem, ſimoniam eſſe vendere huiuſmodi actionẽ materialiter conſideratam. Nam quia veſtes ſacræ, & vaſa argentea, ſecundùm ſe habent valorem ex coniunctione ad conſecrationes, non impediuntur; quinimò licitè & abſque aliqua ſimoniæ vmbra commutantur. Ergo ſi, &c. Quartò: abſoluere & baptizare: verbi gratia, ſecundùm ſubſtantiam & entitatem conſiderata, nullius vſus aut emolumenti ſunt ad humanum conuictum: ergo pretio æſtimari non debent, & conſequenter ſi vendantur, procul dubio

Suarez.

pretium reſtituendum eſt ipſo iure diuino.

Dico quartò. Beneficiarius vendens beneficium Eccleſiaſticum, non ſolùm peccat contra religionem, ſed etiam contra iuſtitiam: & ideò lege naturæ tenetur pretium reſtituere. Pro intelligentia huius concluſionis recole, ſi placet, quæ ſupra diximus articulo quarto diſputatione ſecunda, videlicet, in beneficijs Eccleſiaſticis duo iura includi: ius miniſtrandi ſpiritualia, & ius percipiendi emolumenta temporalia propter ſpiritualia miniſtrata. Primum horum non dubium quin ſpirituale ſit, & omninò inuendibile, non ſolùm contra religionem, ſed contra iuſtitiam etiam. Secundum verò quod primo ſpirituali annexum eſt conſequenter; ſi de facto loquamur, ſuppoſito iure Pontificio annullante, & prohibente omnes oneroſos contractus in beneficijs Eccleſiaſticis, vt ſæpe repetitum eſt: certum videtur eſſe omnino inuendibile, quia ille qui vendit, non poteſt dominium beneficij in alium transferre: ergo nec pretium accipere pro huiuſmodi beneficio.

Suarez. Nec ſatisfacit Suarez. num. 40. inquiens: *Qui relinquit beneficium patitur incommoditatem, priuando ſe emolumento temporali.* Poterit ergo ſe indemnem pretio accepto conſeruare. Hoc, inquam, non ſufficit: quia ſi ius non habet ad vendendum beneficium: quod illo priuetur; ſibi, non alteri debet imputare. Si verò de hoc iure percipiendi commoda temporalia ſermo ſit, quatenus annexum eſt conſequenter ſpirituali officio, & ſecluſo iure Pontificio, iubente beneficiorum conceſsiones fieri purè & ſimpliciter; maior eſt difficultas, an illud ſecundùm iuſtitiam ſit inuendibile? Quod negat Suarez. Sed oppoſitum his argumentis confirmo. Primò ex regula in Canone *ſi quis obiecerit.* 1. quæſt. 3. *Qui horum alterum vendit, ſine quo alterum non prouenit: nihil inuenditum derelinquit.* Sed ius diuinum ad percipiendum emolumentum temporale propter ſpiritualia miniſtrata, ita eſt annexum & intrinſecè pendens à primo iure ſpirituali, vt hoc ſine illo nequeat prouenire: ergo qui alterum vendit, nihil inuenditum derelinquit. At in confeſſo eſt apud præfatum autorem, & à nobis ſatis confirmatum, contra iuſtitiam eſſe vendere beneficium ſpirituale, vt tale eſt: ergo & ius percipiendi emolumenta temporalia propter illud ſpirituale. Dices, hoc argumentum conuincere, hanc connexionem efficere, ne ius illud ſit vendibile ob reuerentiam rei ſacræ: non tamen efficere, quòd venditio ſit contra iuſtitiam, niſi pluris ratione annexionis venderetur, quam illud ſecundùm ſe poſſet æſtimari. Sed contra hoc obijcio, quòd ſi ius illud ſecundùm ſe eſt pretio æſtimabile; ex coniunctione ad ſpiritualia non amittit huiuſmodi valorem: & ſic non ſolùm non eſſet contra iuſtitiam, ſed neque contra religionem illud vendere; quod eſt omninò abſurdum. Illatio manifeſtatur in Calice conſecrato. Secundò: vt venditio non ſit iniuſta, oportet venditorem rei habere ius, & facultatem ad vendendum illam, & transferendum in alium. Nam vendere alicui quod ei vendi non poteſt, iniuſtitia eſt. Sed Beneficiarius non habet ius, & facultatem vendendi beneficium: ergo ſi vendat, venditio erit iniuſta. Minor eſt certa, & eam libenter admittit prædictus Pater. Sed inquit, quòd licèt non poſsit transferre beneficium in alium: quia tamen ipſa renuntiatio proprij commodi temporalis in fauorem alterius, & incommoditas quam inde patitur, eſt pretio æſtimabilis; ideò ceſſat iniuſtitia. Sed ſolutio deficiens eſt: nam incommodum illud temporale quod patitur, nihil aliud eſt, quàm renuntiare ius exigendi ſtipendium pro munere ſpirituali, vel ſaltem neceſſariò conſequitur ad talem renuntiationem. Sed Beneficiarius tenetur gratis ius illud renuntiare, ſi velit beneficium dimittere: ergo gratis etiam tenetur pati incommodum illud temporale ex tali ſuppoſitione; & conſequenter ſi vendat, iniuſtiam committit, & ad reſtitutionem tenetur. Hinc infero, & propter eaſdem rationes, Monaſterium recipiens aliquem ſimoniacè, teneri ex natura rei ad pretij reſtitutionem: quia onus illud temporale alendi Religioſum, cùm ſit coniunctum conſequenter ſpirituali, eſt omninò inuendibile. De his verò quæ ſunt annexa ſpiritualibus antecedenter, vt in chriſmate, oleo ſancto, in fundo habente coniunctum ius patronatus, & ſimilibus, fateor poſſe vendi materiam ſine iniuſtitia, & ſine ſimonia, niſi forſan lex Eccleſiaſtica prohibuerit venditionem illius. Colligo ſecundò, falſam eſſe ſententiam ſuperius relatam ſecundo loco, quatenus docet, non teneri Beneficiarium pretium reſtituere ante condemnationem iudicis:

quia

quia ſi iure diuino impeditur tranſlatio dominij; ſtatim pretium à ſe debet abdicare. Imo ſtando præciſe in iure Pontificio (etiamſi quæ diximus ſecundùm ius diuinum vera non eſſent) ſententia Hugolini falſa eſt, & contra D. Antonin. ſupra titulo 1. cap. 5. §. 7. Sylueſtrum verbo *ſimonia*, quæſt. 20. Nauarrũ dicto cap. 17. num. 32. Palud. dicta quæſt. 5. Medinã C. de reſtitutione quæſt. 20. ad tertium, & plures alios quos refert, & ſequitur Suarez cap. 60. nu. 3. Et probari poteſt ex cap. *de hoc*. de ſimonia. vbi dicitur, reſtituenda eſſe ea quæ acceptа ſunt per ſimoniam: cum ea ſine graui ſalutis periculo retinere non poſsint ſimoniaci. Notandum eſt, illud verbum *retinere*, quod ſignificare videtur, eos qui accipiũt tale pretium, non comparare eius dominium: & ideò ante condemnationem tenentur pretium reſtituere. Hoc tamen adnotandum, quòd prædictum caput non debet excedere caſum ibi expreſſum, cùm ſit odioſum ius: nec debet extendi ad alios ſimoniacos in alijs rebus ſpiritualibus. Et ideò ſi ſolùm ius Pontificium conſulamus, pretiũ receptum in alijs materijs ſimoniæ, in ingreſſu Religionis, in ordinis collatione, & ſimilibus, nõ eſſet reſtitutioni obnoxiũ ante iudicis cõdemnationem, quia nullũ de hoc ius inuenitur, eſtque id de ſimonia reali, & non mentali intelligendũ. Sed abſolutè iam diximus, ſtando in iure diuino naturali hæc omnia eſſe in conſcientia ſtatim reſtituenda.

Antonin. Sylueſt. Nauarrus. Paludan. Medina. Suarez.

Ad argumenta in principio adducta reſpondendum eſt. Et ad primum ex D. Tho. ſolutione ad ſextũ, omiſſa expoſitione Soti, dico D. Thom. loqui de abrenuntiatione beneficij, quæ abrenuntiatio pœna eſt Eccleſiaſtica: aſſerit enim, ſimoniacum mentalem, non puniri pœna Eccleſiaſtica, vt abrenuntiare teneatur (beneficium vtique) nullam namque de pretij reſtitutione mentionem fecit. Vnde potius hinc colligo ſententiam D. Thom. fuiſſe, reſtitutionem pretij ſimoniacè acquiſiti non tam eſſe pœnam ab Eccleſia indictam, quàm à iure diuino expreſſam illis verbis: *gratis accepiſtis, gratis date*. Quia ſi D. Thom. intelligeret reſtitutionem pretij eſſe pœnam Eccleſiaſticam, non ſolùm vteretur verbo abrenuntiandi, quod proprie ad beneficia pertinet, ſed etiam vſus eſſet verbo reſtituendi, quod pretio proprie adaptatur. Cum ergo D. Thom. ſolũ dixerit in præfata ſolutione, ſimoniacum mentalem non teneri abrenuntiare; de ſolo beneficio intelligendus eſt.

Ad ſecundum deſumptum ex capite vltimo de ſimonia; vno e tribus modis reſpondendum eſt: nam omnes aliæ ſolutiones ſuperius aſsignatæ, ſatis ſuperque impugnatæ manent. Primò igitur reſpondetur cum Panormitano, & Gloſſa hic, quos ſequitur late Ludouicus Lopez, capite 306. de ſimonia circa finem. quòd ibi Pontifex declarauit, non fuiſſe neceſſariam reſignationem ſpiritualium aut temporalium, licèt recepta vtrinque fuerint affectu animi præcedente, non tamen ſimoniaco, quia non affectu principali, vel etiam minus principali emendi vel vendendi id fecerunt. Cuius indicium eſt, abſtinuiſſe à quocunque pacto & obligatione ciuili: licèt Monaſteria, & Abbates aliquod emolumentum temporale ſibi gratis conferendum ſecundario, & minus principaliter ſperarent. Ita Panormitanus capite *conſuluit*. de vſuris, & in dicto capite finali de ſimonia. Gloſſa ibi verbo *affectu animi*. Et in fine concludit, illum affectum fuiſſe quidem peccatum ambitionis, non ſimoniæ propriè. Sed ſi hæc ſolutio minus placet, & cum Nauarro contendas, Pontificem loqui de peccato proprio ſimoniæ: ſecundò reſponderi poteſt notando, quòd in Concilio Lateranenſi ſecundo ſub Innocentio Tertio, & refertur in capite *quoniam*. de ſimonia, latæ ſunt grauiſsimæ pœnæ contra Religioſos dantes vel accipientes pretium pro ingreſſu Religionis: quarum etiam meminit diuus Thomas ad quintum. Tempore verò Gregorij Noni, quidam huiuſmodi ſimoniam commiſerant (mentalem procùl dubio) & petierunt à Gregorio Nono diſpenſationem. Ille cuidam conceſsit literas vt cum illis diſpenſaret: is verò poſtmodum dubitauit, an illud mandatum extenderetur ad Abbates? Et an Abbates tenerentur pretium reſtituere, quod acceperant? Et ſimiliter, an Monachi recepti pro pretio, ad renuntiandum Monachatum tenerentur? Et ſuper his duobus cõſuluit Gregorium. Qui ad primum reſpondit affirmatiuè: & ratio eſt, quoniam iure diuino illius pretij reſtitutio facienda eſſet ei qui dedit. At is qui dedit per profeſsionem, abdicauit à ſe dominium pretij, & tranſtulit in Conuentum: ac propterea Cõuentus manet prorſus liber ab obligatione, qua tenebatur reſtituere illud pretium. Eſt

Panormit. Gloſſa. Ludo. Lop.

simile, si Cõuentus per vsuras lucrum acquirat, iure diuino tenetur lucrum restituere. At si mutuatarius faciat professionem in Cõuentu illo, procul dubio manet à restitutione liber. Solutio est sapientissimi *Orellana.* Magistri fratris Ioannis de Orellana: quam sequitur Aragon isto loco. Tertiò clarius meo videri respondetur cum Glossa, ibi, *item aliqui*. Prò quo notandum de duobus ibi interrogari Pontificem: & primò omisso, nam ad rem non pertinet, secundum est iuxta interpretationem Glossa, aliquos fuisse adeptos spiritualia nullo dato pretio, nullo pacto dandi vel recipiendi præcedente, sed solo affectu animi antecedente *Panormit.* hinc, inde. Sic etiam Panormitanus casum refert capite vltimo de simonia. Quæritur ergo, an isti propter huiusmodi affectum, teneantur ad spiritualium resignationem? Et respondet Pontifex, istos pro huiusmodi simonia non teneri ad resignationem spiritualium, & temporalium (ex illis vtique spiritualibus prouenientium: quia iam diximus, in isto casu non interuenisse aliquod pretium vel temporale datum) quæ nullo pacto taliter acquiruntur: sed solùm ex vtraque parte tam dantis quàm accipientis spiritualia affectu animi præcedente. Ex quibus manifestè colligitur, in prædicto textu nihil contra sententiam à nobis propositam decerni: quia nos de pretio, & temporali per modum pretij simoniacè accepto diximus, iure diuino restitutionis obligationem inducere. At in hoc textu nulla fit mentio de temporali accepto per modum pretij ratione spiritualis: imò expresse casus negat, aliquid temporale sic fuisse acceptum. Loquitur ergo de spiritualibus, & de fructibus temporalibus ex illis spiritualibus prouenientibus: de quibus disputatione præcedenti diximus non esse obnoxia restitutioni secundùm legem diuinam. Et si solo affectu animi simoniaco spiritualia acquirantur, docet Pontifex in præsenti, non esse subiecta restitutioni aut resignationi: caput verò *tua nos.* à Decio inductum, nullam de pretij restitutione mentionem facit: & ideò extra rem adducitur ad oppositam sententiam confirmandam.

Ad tertium nego antecedens. Diximus enim non esse emptorem omninò liberum in collatione pretij, sed mixtum inuoluntario: quia cum venditor rei spiritualis teneatur eam illi gratis conferre; pretium pro ea exigere extorsio est, & iniusta exactio: & ideo obligationem inducit restituendi. Similiter, ad confirmationẽ concesso antecedenti (vt supra concessimus) nego consequentiam: quoniam venditor rei spiritualis, irrogat iniuriam emptori contra iustitiam commutatiuam, exigendo pretium pro re, quam nõ solum ex religione erga Deum, sed ex iustitia erga proximum tenetur gratis conferre, si semel conferat. At emptor tantùm peccat contra Religionem: nullam namque iniustitiam facit venditori, ei pretium conferendo. Ad probationem consequentiæ dico. Tantùm abest quòd contractus iniustus debeat esse æqualis ex vtraq; parte: quin potius in contractu iniusto inæqualitas reperitur necessariò: & ad æqualitatem constituendam oritur obligatio restituendi ex ea parte dumtaxat, ex qua committitur iniustitia. Explicatur in dispẽsatore, qui vendit frumentum pauperibus, quod gratis ex præcepto Domini tenebatur distribuere. Etenim dispensator tenetur ad restitutionem pretij: pauperes verò non tenentur ad restitutionem frumenti. Non dissimiliter in proposito.

Ad quartum nego antecedens: quia (vt explicatum est) summa ei fit iniuria per exactionem pretij, pro eo ad quod gratis obtinendum ius habet à Deo sibi concessum: & ideò quia pretium illud non debetur, nec iustè exigi potest, sed ex iustitia tenetur rerum spiritualium ministrator (si velit) ea gratis dispensare: ideò emptor semper intelligitur inuoluntarius, & voluntas dandi temporale nõ sortitur effectum: quia vbi causa dandi non subsistit, nec datio ipsa subsistit. In summa, quæ de vsurario, & mutuatario supra latè dici solent, in præsenti casu possunt proportionabiliter applicari. Ad exempla in oppositum respondetur, negando eandem esse rationem ibi, & in præsenti: quia venditor in adductis exemplis non tenetur rem furtiuam, vel officium publicum gratis conferre. Et cùm semper teneatur ratione iniustæ acceptionis rem furto sublatã, vel etiam officium publicum venditum contra Reipublicæ leges, vero domino restituere: ideò in huiusmodi venditione potest se ipsum indemnem conseruare; & sic exigẽdo ab alio pretium nullam ei iniustitiam facit. Secus in nostro casu vt sæpius repetitum est.

Quintum argumentum petit, cui pre- *Dubium.*
tium simoniacè acceptum restituẽdum sit? Dico primò. Si ad ius tantùm diuinum attenden-

tendamus; reſtitutio pretij ei facienda eſt, A à quo fuit acceptũ. Probatur. Qui dedit pretium, nõ abdicauit à ſe eius dominium, nec tranſtulit in venditorem: ergo ei facienda eſt pretij reſtitutio. Nam iure diuino res ei reddẽda eſt, à quo fuit accepta: quia ille eſt qui iniuriam patitur; & ideò per reſtitutionem illa iniuria reſarcienda eſt. Ita tenuit *Sotus.* Sotus ſupra: quem ſequitur Magiſter *Bañes.* Bañes ſecũda ſecundæ quæſt. 32. ar. 7. Sed obijcies diuum Thomã locum proximè citato. Vbi poſtquam docuit, obligationem reſtituendi eſſe ex natura rei in hac materia, & ex iuſtitia legis diuinæ: poſtea ſubiungit, huiuſmodi reſtitutionem non eſſe faciendam ei qui dedit, ſed in eleemoſynas pauperum B pretium erogandum: & ratio quam adducit, videtur ſuffragari. Qui pecuniam dedit, turpiter dedit: ergo indignus eſt, vt ei reſtitutio fiat. Probatur conſequentia ex regula Iuriſtarum, Turpe lucrum reddẽdum nõ eſſe danti, quando ille turpiter dedit, leg. *ſi ob turpem*. ff. de cõdit. Sed reſpondetur, D. Thom. in illo art. ſupponere legẽ Eccleſiaſticam, in qua procul dubio eius doctrina fundatur. Et ad rationem dico, ſimoniacum emptorem eſſe dignum vt in pœnam ſui delicti, ei amplius pretium non reſtituatur, ſed illo per legem omninò priuetur. Sed antequam huiuſmodi lex feratur, ex natura rei non priuatur dominio ſui pretij: & ideò ei debet fieri reſtitutio. Ad probationem reſpondetur, regulam illam eſſe iuxa doctrinam à nobis traditam intel- C *Couarrub.* ligendam. De quo latè Couarrubias regul. *Sotus.* *peccatum*. ſecunda parte. §. 2. num. 7. Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 1.

Dico ſecundò. Attento iure Pontificio, in ſimonia imperfecta, & nondum conſummata, pretium ei reſtituendum eſt, à quo fuit acceptum: verbi gratia, vendidit quiſpiam beneficium; ſed antequam traderet illud, accepit beneficij pretium; in iſto caſu dicimus, pretium ei eſſe reddendum, D à quo fuit acceptum. Hanc aſſertionem te- *Caietan.* net Caietanus in Summa, verbo *ſimonia*. *Victoria.* Victoria ſecunda parte relect. numero *Sotus.* 6. Soto quæſtione octaua articulo quinto, *Nauarrus.* Nauarrus dicto cap. 23. numero 104. Et ratio eſt: quia lex Eccleſiaſtica non punit ſimoniam hanc incompletam, vt infra latius oſtendemus: ſed iure naturæ ei pretium reſtituendum eſt, à quo fuit acceptum: ergo & in prædicto caſu, etiam poſt legem latam; ſiquidem in ea non comprehenditur.

Maior autẽ difficultas eſt, cuinam pretium reſtituendum ſit poſt Ius Põtificium, in ſimonia ex vtraque parte completa? An Eccleſiæ, vel pauperibus, vel ei qui dedit? Suarez cum alijs, quos refert capite 60. *Suarez.* nume. 8. docet, pretium illud Eccleſiæ eſſe reddendum, non ei à quo acceptum eſt. Et probatur primò ex diuo Thoma ſecunda ſecundæ quæſt. 62. articulo quinto, ad ſecũdũ. vbi ex eo quòd emptor ſimoniacus dedit pretium ſimoniacè, & contra legem; meretur (inquit) amittere quod dedit, & ei de his non debet fieri reſtitutio, ſed in pios vſus, pretium conuertendum eſt. Idem habetur in capite *de hoc*. expreſſe definitum, quatenus dicitur, Regem, & Principes inducendos eſſe, vt quæ ſimoniacè acceperint, Eccleſiæ ſine diminutione reſtituant. Solet etiam adduci caput *audiuimus*. quatenus ibi præcipitur, pecuniam in vtilitatem locorum, in quorum diſpẽdium fuit ſoluta, eſſe fideliter conuertendam. Probat etiam ratione. Qui pecuniam dedit, debuit habere voluntatem à ſe illam abdicandi, & in alium transferendi ex vi illius contractus, ſecuta cauſa. At Eccleſia non reſtitit huiuſmodi abdicationi; ſed de facto illam acceptauit, & ius illius pecuniæ applicauit Eccleſiæ, quæ paſſa eſt iniuriam: ergo illi Eccleſiæ facienda eſt reſtitutio.

In explicationem huius difficultatis dico primò. Ante ſententiam iudicis, ei pecunia reſtituenda eſt, à quo fuit accepta, in ſimonia in beneficijs Eccleſiaſticis commiſſa. Hanc ſententiam docuit Sotus *Sotus.* quæſtione octaua articulo primo, Bañes *Bañes.* ſecunda ſecundæ quæſtione 32. articulo ſeptimo dubio ſecundo. Et ratio eſt. Pretij reſtitutio ei facienda eſt, apud quem manet eius dominium. Sed dominium pretij iure diuino manet apud emptorem, & per leges Eccleſiaſticas cõtra ſimoniacos latas, eo non ſpoliatur ante condemnationem: ergo ei pretium reddẽdum eſt. Sed obijcit Suarez: tùm quòd ille contractus ſufficit ad transferendum dominium in alium: tùm quòd lex pœnalis poteſt præcipere recipiẽti, ne reddat illam ei à quo accepit; ſed quòd in pios vſus expendat. Sed hæc minimè obſtant. Et ad primum nego antecedens: ex dictis enim in hac diſputatione ſatis cõſtat, huiuſmodi exhibitionẽ pecuniæ pro beneficio obtinendo eſſe inuoluntariam, quia ius habet ad illud gratis obtinendum. Imò hoc ipſum antecedens negare tenetur Sua-

rez: quia vt vidimus in ſua ſententia, quãdo quis vendit ſpiritualia vt talia ſunt, iure naturæ tenetur ei pretium reſtituere, à quo accepit. Et ſi fiat argumentum: ille contractus ſufficiens eſt ex natura ſua ad transferendum dominium pretij in venditorem, quia liberè emptor à ſe illud abdicauit: ergo ei reſtitutio fieri non debet. Negabit procul dubio antecedens, & meritò. Quare ergo idem nobis non licebit? Ad ſecundum fateor, poſſe ſtatui legem, qua ſimoniaci priuentur ipſo facto pretij dominio: nego tamen modò eſſe latam.

Dico ſecundò. Pretium acceptum in ſimonia commiſſa in ordine, in ingreſſu Religionis, & in alia quacunque materia ſimoniæ; ex vi Eccleſiaſtici iuris præciſe, non eſt reſtitutioni obnoxium: & ideò de eo ſecundùm regulas iuris diuini iudicandum eſt. Hoc aſſertum non aliunde probatur quàm ex eo, quòd in iure Pontificio nihil circa hoc expreſſum inuenimus: & ideò diuino ſtandum eſt. Hoc ſolùm adnotãdum, in cap. *veniens*. haberi, Abbatem & Monachos ad reſtituendam pecuniam eidem fratri à quo indignè acceperant, compellendos. De cuius textus intelligentia latè Couarrubias regul. *peccatum*. §. 2. num. octauo. Suarez dicto cap. 11.

Couarr. *Suarez.*

Ad D. Thom. in contrarium reſpondetur, illum nihil aliud intendere, quàm poſt ius poſitiuum, qui pretium dedit, in exteriori foro non poteſt illud repetere, & dignus eſt vt per ſententiam iudicis eo priuetur. Ita in ſolutione ad primum. In capite verò *de hoc*. manifeſtum eſt fieri ſermonem de condemnatione per ſententiam iudicis. Et idem manifeſtius eſt de capit. *audiuimus*. quia duplicata ſoluere, procul dubio pœna eſt per ſententiam iudicis infligẽda. Ad rationem dubitandi diximus ante ſecũdum aſſertum. Sed quia oppoſita ſententia eſt probabilis, quamplures Theologorum, & Iuriſperitorũ docent: ſi ſemel reſtitutio facta ſit Eccleſiæ, aut pauperibus, etiam ante condemnationẽ iudicis; nõ eſt ſimoniacus cogendus in foro conſcientię, vt pretiũ iterũ reſtituat eidem à quo acceperat. Aduerte etiam quoſdã exiſtimaſſe, fuiſſe conſuetudine introductum, pecuniã ſimoniacè acquiſitam poſſe pauperibus erogari: alios ex conſuetudine etiã poſſe Cameræ Apoſtolicæ applicari; circa quod conſuetudo conſulenda eſt. Et ex his expedita manet ratio cum ſua confirmatione adducta in fauorem ſecundæ ſententiæ.

A Ad argumenta vltimæ ſententiæ ex dictis reſpondetur. Et ad primũ quod procedit de actionibus ſacris materialiter cõſideratis, nego antecedens. Ad probationem ſimiliter nego antecedens: ſatis enim (ni fallor) explicuimus, qua ratione in venditione harũ rerum nõ ſolùm ſimonia, verũ iniuſtitia reperiatur. Ad illud verò de beneficijs ratione commodi temporalis annexi ſpirituali ex c. *mandato*. vide quæ diximus ſolutione ad primum. Ad rationem dico, quòd licèt ſecundùm ſe illud eſſet pretio æſtimabile: tamen vt annexum conſequẽter ſpirituali, pretio æſtimari non debet. Et quia gratis vtrunque conferre tenetur: ſi
B conferat, iniuſtitiam committit pretiũ exigendo pro quolibet eorum, quomodocunque conſideretur. Aliàs vt ſupra deduximus, argumentum conuinceret non ſolùm non eſſe contra iuſtitiam, ſed neque contra Religionem: quod nullus admittit.

DISPVTATIO VII.

Circa alias ſimoniacorum pœnas.

DIximus hactenus de reſtitutione pretij: & quidem ſatis copioſe: nunc de alijs pœnis à iure
C latis contra ſimoniacos, dicendũ reſtat. Has autem, ad quatuor reuocat diuus Thomas, ad excommunicationem, ſuſpenſionem, infamiam, & depoſitionem. Circa excommunicationem, certum eſt maiorẽ ipſo facto incurri per ſimoniam in ordine, in beneficio, in ingreſſu Religionis commiſſam, & quidem Pontifici reſeruatam. Duæ priores huius aſſerti partes (quidquid ſit de iure antiquo) expreſſe habentur in
D Extrauag. 2. de ſimonia, quæ incipit: *Cum deteſtabile*, ibi: *ſtatuentes præterea quòd vniuerſi & ſinguli, etiam præmiſſis dignitatibus prædicti, qui quomodolibet dando vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut quòd illa fiat mediatores extiterint, ſeu procurauerint; ſententiam excommunicationis incurrant: à qua niſi à Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, abſolui nequeant, præter quam in mortis articulo cõſtituti.* Fecerat autem ſermonem ante huiuſmodi verba, de ſimonia in ordine, & beneficio cõmiſſa. Igitur vtraque ſub prædicta cenſura continetur. Nomine autem ſimoniæ in ordine, illam etiam cõprehendimus, quæ in collatione primæ tõſuræ com-

committitur: quia per tonſuram quis ſimpliciter intra ſtatum Clericalem conſtituitur. Hanc verò cenſuram, ad Notarium vel miniſtrum pro literis dimiſſorijs aliquid accipientem extendere, vel etiam ad ipſum ordinatum pecuniam eis largientem, non exiſtimo verum, quidquid dicat Salzedo in addit. ad practic. Bernard. capite 91. verbo *quinto*. quia vt conſtat ex vi illius Extrauagantis, non incurritur excommunicatio niſi per ſimoniacam ordinis ſuſceptionem, aut collationem. At Notarij non conferunt ordinem, & ideò in dicta pœna comprehendi non debent. Quid vero nomine beneficij intelligendum veniat, ex dictis ſatis conſtare poteſt. Vltima noſtri aſſerti pars habetur in Extrauaganti prima de ſimonia, ibi: *Nos enim, qui ſecus egerint ſi ſint ſingulares perſonæ, tam dantes, quàm accipientes huiuſmodi excommunicationis, ſi Capitulum vel Cõuentus fuerit, ſuſpenſionis ſententijs eo ipſo decernimus ſubiacere*. Loquitur autem ibi Pontifex (vt in præcedentibus verbis expreſſe habetur) de his qui pro ingreſſu ad Religionem aliquid pecuniæ exigunt, vel etiam conferunt. Ex his planè colligitur, falſum dixiſſe Nauarrus in Manuali cap. 23. num. 111. §. *ſeptimo quod*. vbi ſolùm ſimoniacum in ordine & beneficio, eſſe ipſo iure excommunicatum docet.

Salzedo.

Nauarrus.

Ex verbis immediatè citatis cõſtat, Capitulum ſeu Conuentum pœna ſuſpenſionis innodari ipſo facto, ſi in ſimoniacam receptionem religioſorum conſenſerint. Deinde eadem ſuſpenſionis pœna imponitur in dicta Extrauaganti ſecunda contra recipientes ordines ſimoniacè: *Confirmantes* (inquit Pontifex) *& innouantes Apoſtolica autoritate declaramus, quod omnes illi qui ſimoniacè ordinati fuerint, ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi*. Ex quibus verbis colligo, ſecundum communem aliorum ſententiam, præfatum ordinatum incurrere non ſolùm ſuſpenſionem ordinis ſimoniacè ſuſcepti, ſed ſuorum (inquit) ordinum: ideſt abſolutam omnium ordinum quos habuerit ſuſpenſionem. Circa quam notauit Suarez capite 56. numero octauo. §. *ſecundò imponitur*. hanc ſuſpenſionem exigere culpam in ordinato: ita quòd ſi quis, eo inuincibiliter ignorante, ſimoniacè ordinatus ſit interueniente pretio exhibito ab alio tertio, non incurrit ſuſpenſionis pœnam. Et ratio eſt: quia hæc ſuſpenſio eſt pœna: ergo incurri non debet niſi propter culpam. In præſenti ex parte ordinati nulla eſt: ergo. Eandem ſententiam tenet Nauarrus in Summa cap. 25. numero 68. Oppoſitum tenet Sylueſter verbo *ſuſpenſio*. quæſt. ſeptima, imò expreſsius D. Thom. ſolution. ad tertium: *Si verò eo neſciente* (inquit) *nec volente, per alios alicuius promotio ſimoniacè procuratur: caret quidem ordinis executione*. & probatur cap. *de ſimoniacè*, vbi interrogatus quid de ſimoniacè ordinatis agendum eſſet, reſpondet. *Cum quidam, licèt ſecundùm quandam ſpeciem ſimoniæ, vt potè ipſis ignorantibus ſimoniacè ordinentur, poſſunt* (quia ſimoniaci non ſunt) *in ſuis ordinibus remanere*. Remanere, inquit Gloſſa, diſpẽſatiuè: quia de iure renuntiare tenentur poſtquam hoc ſciuerint, vt prima quæſtione quinta, cap. *præſentium*. vbi ignoranter ſimoniacè ordinatum, ſecundum ſacros Canones deponendum teſtatur Põtifex: & quod ſi Eccleſia cui inſeruit, Sacerdotum penuriam non patitur, ſuſpenſus à Sacerdotali officio permaneat. Sed reſpondet Suarez tomo quinto de cenſu. diſputatione 31. ſectione quarta, numero 41. in fine, hunc textum loqui de eo qui culpabiliter ignorauit, vt colligitur illis verbis: *Culpam iſtam neſciens, & coactus commiſit*. Sed Gloſſa ibi, culpam pro defectu accipit: & de eo qui inculpabiliter ignorauit textum intelligit. Similiter Archidiaconus ſupra idem caput. Ad rationem verò Suarez reſpondetur, ſæpius aliquem pati pœnam ſine culpa, propter proximitatem ad illam: quæ etiam purgari ſolet per intermediam perſonam, capite *ſi alicuius electionem*. penultim. de electione. vbi cum electo propter ſimoniam eo ignorante, ac ratum non habente, non poteſt Epiſcopus pro illa vice diſpenſare. Similiter, ordinantem eſſe ipſo iure ſuſpenſum, certum eſt. Suſpenſum, inquam, non ſolùm à collatione ordinis, quem ipſe contulit ſimoniacè: ſed abſolutè à quorumcunque ordinum collatione: vt expreſſe habetur in capite penul. de ſimonia. vbi de conferente dicitur, manere ſuſpenſum à collatione ordinum. Quod etiam de præſentante ad ordines aſſirmat.

Suarez.

Nauarrus.

Syluest.

D. Tho.

Suarez.

Gloſſa.

Archidiac.

Circa tempus verò huius ſuſpenſionis notandum, quoad collatorem & præſentantem eſſe triennalem, quia ibi Pontifex ita decernit. *Ordinator, à collatione; præſentator verò, ab executione ordinum per trien-*

nium, &c. De recipiente verò, nulla eſt temporalis limitatio: ſed ſemper manet ſuſpenſus, donec diſpenſationem obtineat.

D. Thom. Raimund. Turrecre. Sed nota ex D. Thom. ſolutione ad primum, & ex Raimundo, quem refert & ſequitur Turrecremata in cap. *ſi quis Epiſcopus.* 1. quæſt. 1. quòd licèt tam occultus, quàm manifeſtus ſimoniacus maneat ſuſpenſus ab ordinum executione, vt diximus: diuerſimodè tamen. Nam occultus manet ſuſpenſus, quoad ſe, non quoad alios: publicus verò quoad omnes. Ordinatus tamen ſimoniacè, ſiue publicè ſiue occultè, ſuſpenſus manet & quoad alios, &

D. Thom. Sotus. Sylueſt. Præpoſit. Innocent. quoad ſe. D. Thom. ſequuntur Sotus quæſt. 8. articulo primo ad primum, lib. 9. Sylueſter verbo *ſuſpenſio.* quæſt. 7. & ex Canoniſtis non pauci, Præpoſitus in cap. *ſtatuimus.* 1. quæſt. 1. num. 4. indicat Innocentius, & alij cap. penultim. de ſimonia. Sed tum quoad ordinatos, tùm quoad ordinantes, nouiſsimè ex Bulla Sixti Quinti, quæ incipit: *Sanctũ & ſalutare*, notandum primò omnes pœnas ibi latas contra Clericos malè promotos alijs modis, ad ſimoniacè ordinatos extendi. Prædicti autem ibi pœna ſuſpenſionis puniuntur, cùm dicit: *Clericos poſthac malè promotos, ab executione, miniſterio, & exercitio ordinum ſuſceptorum, & ab omni ſpe, & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores, perpetuò ſuſpenſos declaramus.* De ordinante verò ſic habetur: *Eo ipſo ſuſpenſum à collatione quorumcunque ordinum, atque adeò ipſius tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium.* Vbi vides ampliſsimã extenſionem pœnæ quoad ordinum collatorem, ſuſpenditur namque ab omni ſolemni & Pontificali benedictione, & ab his omnibus, quæ ſunt propria Epiſcopi ſecundùm ordinariam poteſtatem. Neque huiuſmodi pœnæ à Clemente VIII. reuocatæ ſunt in Bulla anni 1595. nam expreſſe excepit omnes pœnas contra ſimoniacè ordinantes, & ordinatos inflictas. Secundò notandum, huiuſmodi ſuſpenſionem extendi non debere ad ſuſpenſionem ab officio, & beneficio reſpectu ordinatorum: quia in dicta Extrauaganti nulla fit mentio de ſuſpenſione ab officio & beneficio, expreſſe enim limitatur ibi: *A ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi.* Neque Sixtus Quintus quidquam addidit: quin potius docuit, quod ſi ſæculares ſic ſuſpenſi miniſtrauerint, irregulares fiant, beneficijſque priuentur: religioſi verò voce actiua & paſsiua. Ex quo euidenter colligitur, ex vi ſolius ſimoniacæ ordinationis non manere ipſo iure ſuſpenſos ab officio & beneficio. De ordinantibus verò ſubiungit: *Quod ſi in præmiſſis ſe ingeſſerint ſpreta ſuſpenſione & interdicto, ſuſpenſionem incurrant à regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & perceptione fructuum.* Colligitur etiam ordinantem ex vi ſolius ordinationis ſimoniacæ, non incurrere has poſteriores pœnas: & per hæc intelligenda ſunt, quæ ex eodem Sixto Quinto, paulò ante retulimus. Non enim ex vi illorum ſuſpenſus manet ab adminiſtratione Eccleſiæ, à beneficio, vel à iuriſdictione, quæ Pontificalem benedictionem non requirit. Tertiò notandum ex eodem D. Thoma in ſolutione ad primum, hanc ſuſpenſionis pœnam incurrere ipſo iure quoad ſe & quoad alios, tam conferentem, & recipientem beneficium ſimoniacè, quàm mediatorem ſimoniæ; ſi tamen delictum ſit publicum: nam ſi fuerit occultum, manent ipſo iure quoad ſe tantùm. Declarant hoc latius Soto lib. nono quæſtione octaua, articulo primo ad primum. Innocentius, Panormitanus cap. *tanta.* de ſimonia, Couarrubias Clement. *ſi furioſus.* parte prima. §. primo nume. ſeptimo, tenuit doctiſsimus Vincentius Beluacenſis ſecundo tomo ſpeculi doctrinalis lib. 9. cap. 34. & probatur ex §. *verũ.* 32. diſtinct. ibi: *Officium ſimoniacorum, & in fornicatione iacentium, ſcienter nullo modo recipiatis: & quantum poteſtis, tales à ſanctis miniſterijs, vbi oportuerit prohibeatis.* Super quæ gloſſa eadem verba repetit, quæ adduximus ex diuo Thoma. Meritò tamen dubitabis, quid ſit eſſe ſuſpenſum quoad ſe & alios; & quoad ſe tantùm? Ad hoc ex Gloſſa iam citata, & ex Beluacenſi reſpondetur: eſſe ſuſpenſum quoad ſe & alios, eſt eſſe ſuſpẽſum per ſententiam Canonis vel hominis, propter quam tenetur ſic ſuſpenſus, ab officio abſtinere: & qui id ſciuerint, quantum ad executionem illius officij vitare tenentur. Suſpenſus autem quoad ſe quis dicitur, quando ab officio abſtinere tenetur, non per ſententiam Canonis vel hominis, ſed per ſimplicem prohibitionem iuris abſque ſententia. Sic quilibet Sacerdos exiſtens in mortali, tenetur abſtinere à celebratione: ſi tamen celebrauerit, nullus etiam ſciens eius peccatum, illum vitare tenetur. Notorius ergo ſimoniacus in beneficio, & occultus in ordi-

Sotus. Innocent. Panormit. Couarrub. Beluacen. Gloſſa. Beluacen.

ordine, ſunt ſuſpenſi quoad ſe, & alios: ſimoniaci verò occultè peccantes in beneficio, quoad ſe tantum. Sed obijcit Suarez, *Suarez.* hanc impropriſsimè appellari ſuſpenſionem: ergo abſolutè dicendum eſt, nullam eſſe ſuſpenſionem latam contra ſimoniacos in beneficio. Sed ſi in re nulla eſt diſſenſio: quare in modo loquendi non imitabimur Diuū Thomam; quem tot grauiſſimi viri, tàm Theologi, quàm Iuriſperiti ſequuntur? Imò in hoc non tam Diuum Thomam, quàm dicta Pontificum, amplectuntur. Vide ſi placet Ludouicum Lopez cap. 305. de ſimonia. §. *reſpondetur*. fere in principio.

Tertiò. Numerauit Diuus Thomas inter ſimoniacorum pœnas, infamiam: quæ proculdubio habetur cap. vltimo. 1. quæſtione 3. Vbi generaliter tam de ſimonia in ordine, & beneficio, quàm in alijs materijs verba faciens Pontifex, ſic ait: *Emptor, venditor, & interuentor, nota infamiæ percellantur.* Similiter capite *ſanè*. 15. quæſtione 3. ſimonia commiſſa in aſſecutione ſedis Epiſcopalis, in conferendis ordinibus, & in eligendo, eadem infamia inuritur. Circa *Victoria. Ludo. Lop.* hanc tamen pœnam notandum eſt ex Victoria, quem ſequitur Ludouicus Lopez cap. 307. non incurri ipſo facto, niſi per ſententiam iudicis, vt ſimoniaci condemnentur: dicto cap. *ſanè*. Idem de depoſitione dicendum reor. Hæc enim pœna cùm ſit grauiſsima, non eſt ipſo iure lata, ſed ferenda, vt colligitur ex capite *erga ſimoniacos*. 110. 1. quæſtione prima, ibi: *Erga ſimoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſeruanda habendam eſſe decernimus*: & infrà: *Deponendos eſſe, Apoſtolica autoritate ſancimus*. Præter has ſimoniacorum pœnas, nullas alias in iure expreſſas inuenimus. Nihilominus circa irregularitatem notauit *Sotus.* Sotus lib. 9. quæſtione 8. articulo ſecundo, quòd licèt hoc nomine non ſit in ipſo iure expreſſa (& ideò non incurritur ſecundùm quòd eſt ab alijs cenſuris condiſtincta) tamen ipſa ſuſpenſio (vt diximus) quoddā genus irregularitatis eſt. Deinde, cùm ſimoniaci ſint excommunicati; ſi celebrent, ipſo iure manent irregulares: & quandiù excommunicati ſunt, ad alios ordines nequeunt promoueri, quod eſt aliud irregularitatis genus. Imò infamia iuris poſt ſententiam iudicis irregularitatem inducit: quæ tandiù durat, quandiù perſeuerat in ſimonia.

A Sed dubitat Aragon quæſtione 100. artic. 6. dubitat. penultima, Petrus Nauarra *Aragon. Pet. Naua.* lib. 2. de reſtitutione, cap. 2. num. 436. an prædictæ pœnæ contra ſimoniam in beneficijs, comprehendant etiam eam, quæ in permutatione beneficiorum committitur? Et vniuerſaliter, an ſimonia contra ius tantum poſitiuum, ſit ſubiecta pœnis ſimoniæ? Partemque negatiuam defendunt: quia exiſtimant prædictas permutationes, non eſſe in omni proprietate, & rigore ſimoniam. At lex pœnalis, ad delictum proprium eſt ſemper reſtringenda. Sed fundamentum eſt debile: & ideò immeritò in B dubium, oppoſitum reuocatur. Quia ſimonia contra ius poſitiuum, verè, propriè, & in omni rigore ſimonia eſt, vt ex dictis à nobis in tota hac quæſtione planè conſtat: ergo non eſt cur illam à communioribus pœnis pro ſimonia latis, excipiamus. Imò Durandus, qui (vt vidimus ſuprà) negauit *Durand.* huiuſmodi eſſe ſimoniam quoad delictum; ſimoniam tamen appellandā cenſuit quoad pœnas iuris. Deinde probari poteſt ex capite *de hoc*. de ſimonia. capite *quæſitum*. de rerum permutatione. ex dicta Extrauaganti ſecunda, *cum deteſtabile*. & ex alijs iuribus ſæpiùs repetitis: quibus indifferen- C ter punitur ſimonia contra ius diuinum, & humanum.

Diximus de pœnis contra ſimoniam in beneficio, in ordine, & ingreſſu Religionis. Aliæ verò quæcunque pro ſimonia in quauis alia materia commiſſa, non ſunt ipſo facto incurrendæ. Ita tenuit Caietanus *Caietan.* in Summa, verbo *excommunicatio*. cap. 72. Syluester quæſtione 19. Nauarr. dicto ca- *Syluest.* pi. 23. num. 111. §. 6. & 7. Hugolinus tab. 1. *Nauarrus.* cap. 12. Suarez cap. 55. num. 5. vbi alios plu- *Hugolin.* res pro hac ſententia refert. Et quidem an- *Suarez.* te tempora Pauli Secundi nullus de hac doctrina dubitauit: quia quamuis multæ ſint in iure pro ſimonia qualibet ſtatutę pœnæ; D omnes tamen quæ citra tres caſus enumeratos loquuntur, ſunt ferendæ, & non latæ, vt expreſsè habetur in capite *erga*. 110. 1. quæſtione 1. cap. *nullus Epiſcopus*. in cap. *baptizandis*. 99. & in cap. vltimo. 1. quæſtione 3. & alibi ſæpè: in quibus iuribus omnes pœnæ ſunt ferendæ, & nullæ reperiuntur latæ. At poſt dictam Extrauagantem, nonnulli dubitant, quia Paulus Secundus recenſens, & innouans omnes pœnas contra ſimoniam quamlibet, addit: *Quas ipſo facto eos incurrere volumus*: ergo omnes

pœnæ, quæ antea erant ferendæ, nunc ex vi horum verborum ſunt latæ. Præterea, ex illis verbis: *Statuentes quòd vniuerſi, & ſinguli, qui quomodolibet dando, vel recipiendo, ſimoniam commiſerint, aut quòd illa fiat mediatores extiterint, ſeu procurauerint; ſententiam excommunicationis incurrant.* Sotus. Arguit Sotus lib.9.de iuſtitia, quæſtione 8. artic.2. intendens, ſub hac cenſura quamlibet ſimoniam, & in quacunque materia, fuiſſe comprehenſam. Quod haud obſcurè indicat verbum illud, *quomodolibet dando, vel recipiendo, &c.* Nimis tamen durum videtur, quemlibet ſimoniacorum omnes pœnas à iure expreſſas, nunc ipſo facto incurrere. Et ideò ad obiecta reſpondemus: & ad primum reſpondet Suarez dicto capite 55.num.8. cum Felino, in illa Extrauaganti ſolùm fieri extenſionem pœnarum, ad ſimoniacos occultos. Itaque non intendit Pontifex, omnes pœnas, quæ antea erant ferendæ pro quocunque genere ſimoniæ, & in quauis materia, nunc eſſe latas: ſed quod latæ pro ſimoniacis manifeſtis, ſint etiam latæ pro occultis. Et hoc (inquit) colligi videtur ex illis verbis, *& eorum quemlibet tam manifeſtum, quàm occultum.* Et ſtatim ſubdit: *quas ipſo facto eos incurrere volumus.* Verum hæc ſolutio in eo videtur deficere, quòd licet relatiuum *eos*, ad manifeſtum, & occultum referendum ſit: illud tamen *quas*, procul dubio refert omnes, & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. pœnas ſuperius commemoratas. Ergo ſi in prædictis Pontifex fecit mentionem de omnibus non ſolùm latis, ſed etiam imponendis; eas ipſo facto quemlibet ſimoniacum, tam manifeſtum, quàm occultum, incurrere neceſſe eſt. Et ideò negandum eſt, Pontificem in prioribus verbis, de omnibus pœnis tam latis, quàm ferendis meminiſſe, vt ex præmiſſis manifeſtè colligitur. Ait enim: *Ac etiã omnes, & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, priuationis, & interdicti ſententias, cẽſuras, & pœnas dudum à Romanis Pontificibus prædictis, & pro talibus reputatis, contra ſimoniacos quomodolibet latas, &c.* Latas, inquit: quod verbũ in lege pœnali adeò grauiſsima, procul dubio in omni proprietate, & rigore accipiendum eſt. At ſecundùm proprietatem, pœna lata ſolum ſignificat eam, quæ ipſo facto incurritur. De his ergo ſolùm Pontifex mentionem fecit: quas in ſequentibus verbis extendit ad ſimoniacos cuiuſcunque ſtatus, aut conditionis ſint, ſiue manifeſti, ſiue occulti. In quo verum habet prima ſolutio. Vel ſecundo reſponderi poteſt, quòd etſi verba illa in toto rigore accipienda ſint de omnibus pœnis ſiue latis, ſiue ferendis; nunquam fuerunt cõmuni vſu in tanto rigore intellecta: quod ſufficit vt ſuum modo non ſortiantur effectum, quia vſus, & communis omnium ſenſus, eſt optimus legum interpres. Ad ſecundum Soti reſpondetur, verba illa limitanda eſſe ad ſimoniam in beneficio, & ordine: quia principaliter Pontifex intendebat huiuſmodi labem reprimere: vt ex duabus clauſulis immediatè præcedentibus illam, *ſtatuentes*, & pluribus alijs non leuibus coniecturis oſtendit Ludouicus Lopez cap.305.de ſimonia in principio. Suarez cap.55.num.9. Lopez. Suarez.

Suarez. Felinus.

DISPVTATIO VIII.

Pro quibus actibus ſimoniæ, præfatæ pœnæ ſint impoſitæ?

PRO huius elucidatione operæpretiũ erit, quę ſuperius duximus adnotãda diſputatione prima huius artic. circa diuiſionem ſimoniæ in mentalem, conuentionalem, & realem, in memoriam reuocare. Præſens namque difficultas, ex his quæ ibi diximus maxima ex parte pendet. Illis ergo ſuppoſitis; certum eſt ſimoniam mentalem non puniri ab Eccleſia prædictis pœnis. Et loquor de ſimonia mentali, quæ ſe exterius prodit ad opus, quando hinc ſcilicet munera temporalia offeruntur, & illinc ſpiritualia prauo animo miniſtrantur: nullis tamen verbis, aut ſignis eorum animi deprauati exterius ſignificantur. Nam ſi ſermo ſit de ſimonia purè mentali, qua quis ſecum deliberauit ſpiritualia pretio temporali diſtrahere: non ſolùm certum eſt eſſe à prædictis pœnis liberam; verum nec Eccleſiaſticis pœnis puniri poſſe, quia Eccleſiæ iudicio, purè interiora nõ ſubduntur. Secundò certum eſt, ſimoniam purè conuentionalem, quæ ſcilicet, interueniente pacto de commutando ſpirituali pro temporali, ad executionem non perducitur, quia ante collationem rei ſpiritualis, vel temporalis ex vtraque parte à præcedenti pacto recedi-

ditur: certum, inquam, eſt, huiuſmodi ſimoniam de facto, non eſſe ſubiectam pœnis ab Eccleſia latis. Dixi de facto, quia dubitari non debet eam ab Eccleſia poſſe puniri. Imò ſi publica ſit, & ad iudicem Eccleſiaſticum deferatur, punienda eſt pœnis ad arbitrium iudicis infligendis. De hac doctrina nonnulli dubitarunt, ſed immeritò, quia ratio in contrarium eſt euidēs. Leges pœnales, cùm ſint ſtrictiſsimi iuris, non ligant donec actio mala compleatur, eo modo quo per legem exprimitur: ſed ſola conuentio non complet actionem malam punitam Eccleſiaſticis pœnis: ergo. Minorem oſtendo: nam iura Eccleſiaſtica contra ſimoniacos, exigunt non ſolam cōuētionem, ſed rerum exhibitionem. Quod patet ex Extrauag. ſecunda de ſimonia, ibi: *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo, ſimoniam commiſerint*. Ecce vbi clarè Pontifex non conuentionem dandi, vel accipiendi, ſed ipſam dationem, vel acceptionem punit. Item 1. quæſtione 1. capite *preſbyter, ſi per pecuniam Eccleſiam obtinuerit*. cap. *reperiuntur*. cap. *quos conſtituerit*. 1. quæſtione 2. ferè per totam, & 1. quæſtione 3. cap. 1. cap. *ex multis*. Ex his iuribus, & ex pluribus alijs, quæ in re adeò trita ſuperfluū eſſet recenſere, planè colligitur Eccleſiam non punire conuentiones, quando intra limites ſolius conuentionis continentur. Et ex hoc principio deduco cum Caietano, quem ſequitur Sotus lib. 9. quæſtione 8. artic. 1. contractum completum per traditionem pretij præciſe, ſimoniæ pœnis nō ſubiacere; quia vt diſputatione prima probaui, huiuſmodi contractus eſt purè conuentionalis. Vltimò certum eſt, ſimoniam realem ex vtraque parte completam per traditionem rei ſpiritualis, & pretij temporalis ſiue in totum, ſiue ſecundùm aliquam eius partem, de facto Eccleſiaſticis pœnis eſſe punitam: quia nihil ei deeſt ad perfectam, & conſummatam rationem ſimoniæ.

Caietan. *Sotus.*

Tota igitur controuerſia eſt, vtrùm ſimonia realis completa per traditionem rei ſpiritualis, nondum numerata pecunia, ſit de facto ſubiecta præfatis pœnis? Nauarrus in Summa cap. 23. num. 104. cum Caſſadoro in deciſione 5. de conſtitutionibus, & Gomezius in regula Chācellariæ, de trienna. quæſtione 12. negatiuam partem defendunt. Hos ſequitur Couarrubias regula *peccatum*. 2. par. §. 8. num. 7. & 8. Salzedo in practi. Bernard. cap. 91. §. 6. Ludouicus Lopez cap. 305. de ſimonia. §. *igitur pro eruenda veritate*. Hugolinus tab. 3. cap. 5. Hi omnes ſupponunt cum Nauarro, prædictam conuentionem, quia grauiſsimum peccatum eſt, ſi ad forum contentioſum deferatur, & probetur, ſolitam eſſe puniri â grauiſsimo Rotæ prætorio priuatione beneficij per talem conuentionem aſſequuti: & ideò exiſtimant, collationem à principio non fuiſſe omnino inualidam. Hæc ſentētia probatur primò. Tranſlatio dominij beneficij per ſimoniam collati, impeditur iure tantùm humano Pontificio, vt ſuprà ſatis oſtendi: & pœnę contra ſimoniacos eodem iure introductæ ſunt: ergo eatenus eas ſimoniaci incurrunt, quatenus iure poſitiuo id exprimitur. Sed nullibi expreſſum eſt, quòd huiuſmodi pœnis innodetur conferens beneficium ſpirituale ſpe pretij obtinendi, potius quàm qui præſtat commodum temporale ſperans ſe beneficium ſpirituale ſuſcepturum: ergo cùm de hoc omnes admittant, de facto non eſſe ſubiectum pœnis, idem de illo admittendum erit. Secundò. Paulus Secundus in Extrauagan. 2. non punit vniuerſaliter omnes ſimoniacos, ſed in ordine, & beneficio: & hos non omnes, ſed eos qui ad dandum, & recipiendum peruenerunt, vt colligitur ex illis verbis: *dando vel recipiendo commiſerint*: ergo cùm hæc lex ſit pœnalis, intelligenda eſt de dādo, & accipiendo tam rem ſpiritualem, quā temporalem. Tertiò. Huiuſmodi ſimonia non eſt vndequaque perfecta, & conſummata: ergo non eſt de facto ſubiecta pœnis, quia pœnæ ſolùm puniunt actus ex omni parte conſummatos. Vltimò, & efficacius id probatur ex eo quòd antiquus Romanæ Curiæ ſtylus iudicat, non eſſe ipſo iure priuatum beneficio, eum qui facta promiſſione pretij illud conſequitur, donec pretium ſit ſolutum. At ſtylus Curiæ habet vim legis, vt patet capite *ex literis*. de conſtitutionibus, & capite *quam graui*. de crimine falſi: ergo.

Nauarrus. *Caſſado.* *Gomez.* *Couarr.* *Salzedo.* *Ludo. Lop.*

Oppoſitam ſententiam defendit Caietanus hoc articulo, & opuſcul. de ſimonia. quæſtione 2. in Summa verbo *ſimonia*. Sotus libro 9. quæſtione 8. articulo 1. Annanias in capite *nobis*. de ſimonia. Gloſſa in dicto capite *de hoc*. Abbas in capite *veniēs*. vbi notat, ex ſola conuentione in ordine ad pœnas, ſimoniam cōmitti ſpirituali recepto, licèt non tradatur temporale promiſſum. Et confirmatur hæc ſententia primò,

Caietan. *Sotus.* *Annan.* *Gloſſa.* *Abbas.*

mò, quoad pœnam ſuſpenſionis, ex capite penultimo de ſimonia, vbi habetur: *Si quis ordinauerit, ſeu ad ordinem præſentauerit, aliquam promiſſionem, vel iuramentum ab eo recipiens, quòd ſuper prouiſione ſua non inquietet eundem: ordinator à collatione, præſentator verò ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerint, nouerint ſe ſuſpenſos.* Propter hunc textum exiſtimauit Suarez capite 56. numero 32. ſuſpenſionem in ordine, de rigore iuris antiqui incurri ipſo facto in ipſa ordinatione, etiamſi ſolum præceſſerit promiſsio pretij. Sed meo videri textus iſte non cogit contra Nauarrum. Nam dicet ipſe: pretium interueniens in præfata conuentione, fuit promiſsio vel iuramentum non inquietandi aliquem eorum ſuper beneficio, vel prouiſione ſua: & ideò facta promiſsione vel iuramento, completur ex vtraque parte; & nihil expectandum reſtat ad perfectam & conſummatam rationem ſimoniæ. Secùs ſi promiſsio eſſet de aliquo temporali conferendo. Et ideò aliter probatur ex Extrauaganti 2. ibi: *Apoſtolica autoritate declaramus, quòd omnes illi qui ſimoniacè ordinati fuerint, à ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi.* At qui ſub promiſsione pretij ordinantur, ſimoniacè ordinati ſunt: ergo ſtatim à ſuorum ſunt ordinum executione ſuſpenſi ante exhibitionem cuiuſuis rei temporalis. Item quoad excommunicationis pœnam arguitur ex eadem Extrauaganti, ibi: *Statuentes quod vniuerſi, & ſinguli, qui quomodolibet dando vel recipiendo, ſimoniam commiſerint; ſententiam excommunicationis incurrant.* Quibus verbis comprehendit Pontifex tam ordinantem, quàm ordinatum, conferentem, & accipientem beneficium, nulla mentione facta de pretio, aut pecunia numerata. Sed obijcit Nauarrus ſecundum argumentum propoſitum, ſcilicet illam diſtinctionem *dando vel accipiendo*, intelligēdam eſſe de datione, & acceptione ex vtraque parte, tam pretij, quàm rei ſpiritualis, cùm eadem ſit vtriuſque ratio. Hoc tamen ſtare non poteſt: quia cùm illa particula, *vel*, diſiunctiua ſit, ad veritatem illius diſiunctiuæ ſufficiet dare ſpirituale, vel accipere temporale pro ſpirituali miniſterio. Et ſic non erit neceſſarium, vtrunque copulatiuè verificari. Dicendum igitur eſt, illa verba, *dando vel accipiendo*, ad beneficium, vel ordinem eſſe referenda. Secundò probatur ratione. Mutuare ex conuentione ſoluendi aliquid vltra ſortem, vſura eſt ſufficienter conſummata, & omnibus pœnis à iure latis ſubiecta, etiamſi poſtea mutuatarius non ſtet promiſsis. Ergo pari ratione per ſolam collationem beneficij, vel ordinis, facta conuentione de ſoluendo pretio, cōmittitur ſimonia ſubiecta pœnis, etiamſi pretium poſtea non ſoluatur. Tertiò. Simonia realis ſubijcitur Eccleſiaſticis pœnis vt modò ſupponebamus: ſed ſimonia, quæ committitur per exhibitionem rei ſpiritualis ſpe pretij promiſsi, eſt verè ſimonia realis, vt efficaciter ſatis ſuprà diſputatio. 1. oſtenſum eſt, cum D. Caietano: ergo eſt præfatis pœnis ſubiecta.

Propter hæc argumenta exiſtimo, ſtando in rigore iuris, ſimoniam completam per exhibitionem rei ſpiritualis, ante ſolutionem pretij eſſe ſubiectam omnibus pœnis contra ſimoniam latis. Nihilominus ſeruandus eſt ſtylus Curiæ, ſecūdum quem (autoribus contrariæ ſententiæ affirmantibus) vſu introductum eſt Pontifice conſentiente, in dicta Extrauaganti 2. ſolam ſimoniam ex vtraque parte completam puniri: quia hoc ſufficit ad derogandum rigori iuris, vt probatum eſt argumento vltimo pro ſententia Nauarri. Sed arguit ipſe contra hanc determinationem loco citato. Nulla collatio beneficij purè facta, poteſt eſſe pendens: ſed ſtatim aut valet, aut non valet, argumento cap. 2. de electione libro 6. At ex iſta ſententia ſequitur, collationem purè factam cum pacto dandi centum ad finem anni, pendere: ſi enim non ſoluantur, valet; ſi ſoluantur, non valet à principio. Ergo hæc ſententia admittenda non eſt. Idem argumentum fieri poteſt de excommunicatione purè lata, capite *ad hæc.* capite *quoniam.* de appellationibus. Dupliciter ad hoc reſpondet Nauarrus. Primò, collationem illam ſpiritualium, eſſe pendentem vſque ad ſolutionem pretij: & tunc incurri ipſo facto nullitatem tituli, & excommunicationem, non per retrotractionem ad tēpus dati tituli, ſed ſolùm cenſentur pœnæ incurſæ à tempore ſimoniæ ex vtraque parte completæ. Et hæc ſolutio facilior eſt (inquit ipſe) niſi in contrarium ſtaret ſtylus Curiæ. Et ideò reſpondetur ſecundò concedendo, quòd iure antiquo, nec collatio, nec excommunicatio

Suarez.

Nauar.

poteſt

poteſt eſſe pendens. Verùm ius quod habetur in dicta Extrauaganti inducta modo prædicto ſtylo Curiæ adiuncto, eſt nouum ius contrarium antiquo in hoc: & ita tollit illud tanquàm poſterius, capite 1. de conſtitution. libro 6. Dici ergo poteſt, quòd dicta Extrauagans, per ſtylum Curiæ vſu recepta Pontifice conſentiente, probat, nullitatem tituli, & excommunicationem inductam per illam eſſe ita in pendenti, quòd non ligent, donec ab vtraque parte compleatur, tam per traditionem rei ſpiritualis, quàm temporalis. Adimpleta verò, etiamſi ab altera parte poſt longum temporis interuallum compleatur, ſtatim pœnas retrotrahi, & cenſeri eas eſſe incurſas iam inde à die commiſsi criminis per traditionem rei ſpiritualis ſpe pretij promiſsi. Hæc tamen ſolutio nullum habet in dicta Extrauaganti fundamentum: quia ſi illa ſolùm eſt lata contra ſimoniam realem vtrinque completam, vt ſupponit Nauarrus: ante huiuſmodi complementum nullis erit ſubiecta pœnis, nec pro tempore antecedenti incurri vnquam poſſunt, cum toto illo tempore non ſit delictum comprehenſum in lege pœnali. Deinde Sacerdos celebrans ſimoniacè cœpta nõdum conſummata, non fit irregularis, vt benè probat Nauarrus. idem dicturus de alijs Sacerdotalis iuriſdictionis actibus: qui, etiamſi poſtea compleatur ſimonia, nũquam annullantur. Quid ergo erit cenſuram retrotrahi? & quem poſtea effectum inducit in illo tempore antecedente pretij ſolutionem? Ad hæc reſponderi poteſt in ſententia Nauarri, excommunicationem retrotrahi non quoad omnes effectus, vt benè probant rationes modò inductæ: ſed quantum ad inhabilitatem ad quoduis aliud beneficium obtinendum; ita quòd ſi illo tempore medio inter ſimoniam cœptam & pretij ſolutionem, quis legitimè acquirat beneficium Eccleſiaſticum: ſi poſtea ſimonia per ſolutionem pretij compleatur; collatio alterius beneficij annullabitur, tanquam facta excommunicato, & inhabili à die obtentionis illius. Similiter pœnam annullatem titulũ beneficij retrotrahi ad diem inchoatæ ſimoniæ: quantum ad hoc quod eſt obligare illum in conſcientia ad reſtituendos omnes fructus ex beneficio perceptos à die collationis illius. Ita Hugolinus tab. 4. capite 6. in fine. Hoc non aliter probat, quàm ſtylo Romanæ Curiæ, vſu recepto.

Hugolin.

Negat tamen Leſsius capite 35. dubio 27. ſtylum Curiæ obligare in foro interiori ad reſtituendos fructus omnes, & ad beneficia aliàs rite obtenta dimittenda ante condemnationem iudicis. Huic etiam ſententiæ facilè ſubſcribit Suarez capite 58. numero 57. Cui verò ex his in re hac ſit fides adhibenda, vnuſquiſque veſtrum iudicabit: mihi enim non conſtat de ſtylo in Romana Curia inducto. Ad argumenta Caietani reſpondeo, illa quidem conuincere primam noſtræ aſſertionis partem, videlicet ſtando in rigore iuris, ſimoniam realem per traditionem rei ſpiritualis ſolùm completam, eſſe pœnis omnibus contra ſimoniam latis ſubiectam: non verò expugnare ſecundam, qua diximus ſtandum eſſe ſtylo Curiæ vſu recepto, ſummo Pontifice approbante. Hoc tamen mihi certum eſt, ſtylum præfatum poſt tempora Caietani fuiſſe introductum: quia ille nullam de tali ſtylo mentionem fecit. Circa ſolutionem ad ſeptimum

Leſsius.

Suarez.

DISPVTATIO IX.

Quis in ſimonia poſsit quoad pœnas à iure latas diſpenſare?

DIxi quoad pœnas: nam ſi de diſpenſatione quoad culpam quæ in ſimonia committitur, ſermo ſit: vt certum ſuppono, eam quæ eſt contra ius diuinum, eſſe omninò indiſpenſabilem per quamcunque etiam Pontificiam poteſtatem. Si verò ſimonia ſit contra ius tantùm poſitiuum; ſolus Pontifex poterit diſpenſare, vel inferiores Prælati ex eius commiſsione. Quod in materia de legibus manifeſtum eſt: nam ad eandem pertinet poteſtatem condere leges, & per ſe in illis diſpenſare. Loquendo ergo de diſpẽſatione quoad pœnas, D. Tho. ad 7. docet, poſſe ſolum Pontificem diſpenſare cum eo, qui ſcienter eſt Beneficiatus ſimoniacè: in alijs autẽ caſibus poſſe Epiſcopum diſpenſare, ſi tamen abrenuntiet prius quod ſimoniacè acquiſitũ eſt. Prima pars huius ſolutionis extendenda eſt ad tres illos caſus commemoratos, ſcilicet ad ſimoniam in ordine, beneficio, & ingreſſu Religionis commiſſam: quandò inter-

D. Tho.

interueniente pacto, traditio rei ſpiritualis & temporalis ſubſequuta eſt. Imo quoad ſimoniam in ordine, exiſtimauit Caietanus hic literam eſſe deficientem. Extenſio hæc, ſi de abſolutione ab excommunicatione loquamur, habetur expreſſa (vt ſupra diſputatione ſeptima latius demonſtraui) in Extrauaganti prima, & ſecunda de ſimonia: quibus interdicitur ſub excommunicationis pœna Pontifici reſeruata, ſimonia in his caſibus commiſſa. De diſpenſatione verò in ſuſpenſione Capitulo impoſita propter ſimoniacam receptionem alicuius ad Religionem, habetur etiam in dicta Extrauaganti prima: in ſuſpenſione ab ordine ſimoniacè ſuſcepto, in capite penultimo de ſimonia. Vbi Gloſſa notauit, neminem poſſe niſi ſolùm Pontificem cum ſic ordinato in ſuſpenſione diſpenſare. Sed vniuerſalius præfata extenſio colligitur ex Bulla Sixti V. diſputatione ſeptima adducta: vbi tam ordinatum, quàm ordinantem, vult perpetuò à ſuorum ordinum executione eſſe ſuſpenſos. Cuius ſuſpenſionis abſolutionem ſibi poſtea reſeruauit, cum diſpenſatione in interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ contra ſimoniacè ordinantes. Sed notanda eſt primò illa particula *ſcienter*. per quam videtur diuus Thomas inſinuaſſe, quòd ſi quis ignorauerit vitium ſimoniæ commiſſum in prædictis caſibus, poterit cum eo Epiſcopus diſpenſare. Quod in ſequenti parte ſolutionis amplius declarauit, concedens Epiſcopo facultatem diſpenſandi in omnibus alijs caſibus ab enumeratis. Scio negare hanc diſtinctionem Patrem Suarez capite 61. numero ſexto in fine, loquens de ſuſpenſione, quam incurri inculpabiliter, iudicat impoſsibile. Sed poſſe quempiam pœnis à iure latis contra ſimoniacos inculpabiliter innodari, probatum ſupra relinquimus diſputatione ſeptima. Imò hac eadem diſtinctione vtitur præfatus Pater ibidem, numero decimo de inhabilitatis pœna in ordine ad beneficia ſpiritualia obtinenda, docens ſolùm Pontificem poſſe habilitare eum, qui ſcienter recepit beneficium ſimoniacè, ad idemmet beneficium obtinendum: imò ad quæcunque alia in futurum aſſequenda, ſi cõſtitutio quinta Pij Quinti, ſit vſu recepta, quoad omnes pœnas in ea expreſſas, de quo diximus ſupra diſputatione quinta ad tertium argumentum. Si verò beneficium non ſit ſimplex, & ſimonia eo inſcio ſit commiſſa, non poteſt Epiſcopus cum eo pro illa vice diſpenſare. Si tamen beneficium ſimplex ſit, poſt liberam eius reſignationem Epiſcopi diſpenſatio toleratur capite penultimo de electione. Circa has pœnas, in quibus diximus non poſſe Epiſcopum diſpenſare, notanda eſt doctrina Concilij Tridentini ſeſſione 24. cap. 6. vbi Epiſcopis eſt conceſſa facultas diſpenſandi in caſibus occultis, & ad forum contentioſum non deductis. Quæ extendi debet ad excommunicationem, & ſuſpenſionem occultam propter ſimoniam commiſſam: quia eo ipſo quòd non excipitur, ſub generali comprehenditur. Secundò, ad diſpenſationem, docet D. Thom. debere neceſſariò præcedere abrenuntiationem omnium, quæ quis ſimoniacè acquiſiuit. Quod habetur in cap. *quicunque*. prima quæſtione prima. Nam cùm pretium ſimoniacè acquiſitum iure diuino ſit reſtitutioni obnoxium: nullus Epiſcopus poteſt ſuper hanc reſtitutionem diſpenſare. Pontifex verò, quando crimen eſt ad ſuum forum deductum, & iure poſitiuo priuatur is à quo pretium acceptum eſt, eius dominio: poterit diſpenſare, vt qui accepit pretium, illud retineat non vt pretium ſimoniacum, ſed vt munus ſibi à Pontifice liberaliter conceſſum: quia huiuſmodi pretium, tunc ſubeſt Pontificiæ diſpenſationi. Secus ſi iure diuino ei reſtituendum eſſet pretium à quo acceptũ eſt, nulla ex parte eius interueniente culpa: quia non poteſt quis ſine cauſa à Pontifice priuari iure ſuo.

Sed dubium eſt, an ſecum poſsit Pontifex diſpenſare, ne pœnas à iure latas cõtrà ſimoniacos, incurrat? Supponimus Papam incidere poſſe in crimen ſimoniæ: quod docuit D. Thom. art. 1. ad ſeptimum, Caietanus ibi, Sotus, & alij. Et quidem, quando materia eſt inuendibilis iure diuino, id certum eſt: quia Pontifex non minus ſubditur legi diuinæ, quàm cæteri hominum. Si verò materia eſſet tantùm inuendibilis iure Pontificio id prohibente, poſſet eſſe aliqua difficultas. Nihilominus idem affirmandum videtur ex cap. *cum omnes*. de conſtitution. vbi definitur, comprehendi autorem legis ipſa lege quam ſtatuit: allegaturque illud Sapientis: *Patere legem quam tuleris*. Et in leg. 4. C. de conſtitutio. Principum, id ipſum definit Cæſar. Secundò. Princeps ſubiectus eſt ſuis legibus quantum ad vim directiuam, vt eſt communis Theologorum

Gloſſa. Suarez. Conc. Trid. D. Thom. D. Thom. Caietan. Sotus.

D.Tho. gorum conſenſus cum diuo Thoma prima ſecundæ, quæſtione 96. articulo quinto: ergo Pontifex non tranſgreditur leges de non vendendis rebus ſpiritualibus citra ſimoniæ vitium. Verùm adnotandum, aliquas eſſe leges, quæ ſpecialiter ad inferiores diriguntur, vt de non permutandis, aut reſignandis beneficijs in confidentia, niſi conſenſu, & autoritate Pontificis interuenientes: & his Pontifex non tenetur etiam quoad vim directiuam, quia vt benè notauit Soto primo de iuſtitia, quæſtione ſexta articulo ſeptimo, Princeps tunc ſuis ſubditur legibus, quando leges ex æquo ad ipſum, & ad ſubditos diriguntur. Quando verò ſpecialiter ad inferiores ſpectant; ſuis legibus non adſtringitur. Et ideò ſi Pontifex (etiam ſine cauſa) huiuſmodi leges non obſeruet; ſimoniam non committit, quamuis peccet contra fidelem diſpenſationem Eccleſiæ debitam.

Sotus.

Hoc ſuppoſito fundamento, ad dubitationē dico. Sūmus Pontifex nunquā incurrit pœnas ſimoniacis impoſitas: quia ſupremus Princeps quoad vim coactiuā nō ſubditur ſuis legibus. Imò in omnibus illis poteſt etiā quoad vim directiuā ſecum diſpēſare, iuſta exigēte cauſa: & tunc nullū ſimoniæ crimen incurrit, vt communiter tenent Canoniſtæ dicto cap. primo de ſimonia, Sylueſter verbo *ſimonia*. quæſt. 4. Sotus lib. 9. quæſt. 5. articulo ſecundo ad ſecundum. Sed quid iuris, ſi abſque legitima cauſa ſecum in his legibus diſpenſaret? Breuiter cum Victoria alijs omiſsis dicendum videtur, diſpenſationem eſſe inualidam: quia Princeps non tam propria voluntate, quàm ex vi legis naturalis ſuæ legi ſubijcitur; & ideò nulla exiſtente cauſa, non poteſt ſecum validè diſpenſare. Confirmat id Victoria. Si Summus Pontifex citra vllam cauſam tranſgrediatur præceptum Eccleſiaſticum ieiunandi; peccatum intemperantiæ committit, quia trāſgreditur legem, & non aliam niſi quam ipſe tulit de obſeruatione ieiunij, quæ ad temperantiam ſpectat: ergo ſi citra cauſam vendat ſpiritualia, quæ iure Pontificio vendi non poſſunt; polluitur crimine ſimoniæ. Sed quando Pontifex, tùm ſecum, tùm cum alijs intelligitur diſpenſare in legibus interdicentibus ſimoniam? Adrianus quodlib. 9. art. 3. ad 4. Maior in 4. diſt. 25. quæſt. 3. ad 4. negant, Pontificem alicui vendentem beneficium; aut ſecum quoad culpam, aut cum alio quoad pœnas diſpenſare. Caietanus etiam dubius eſt in hac parte: & probatur primò ex Clementina vnica de ſententia excommunicationis, vbi dicitur, Epiſcopum ſcienter communicantem cum excōmunicato, non cenſeri abſoluere illum, niſi id exprimat: ergo etiam niſi exprimat, nō intelligitur diſpenſare quoad pœnas. Secundò: in prædicto caſu nec interuenit diſpenſatio expreſſa, nec præſumpta: ergo nulla. Secunda pars antecedentis probatur. Nam primam ſupponimus: quia licèt poſſit Princeps ſola voluntate diſpenſare, tamen ſi eius expreſſa volūtas non habetur; non debet præſumi diſpenſare, niſi ratione ſuadente huiuſmodi præſumptionem. Sed in præſenti caſu, recta ratio ſuadet oppoſitum: nam ex huiuſmodi diſpenſatione proueniret, quòd Eccleſia indignis paſtoribus, & miniſtris impleretur: ergo. Quòd ſi reſpondeas, iam nos ſupponere Pontificem eſſe iniquum; & ſic non requiri ad præſumendam eius diſpenſationem, quòd recta ratione ducatur. Contrà arguit Caietanus. Princeps non debet cenſeri peior, quàm opera eius oſtendant. Sed peior multo eſſet Pontifex ſpiritualia vendens, & volens ementes ea licitè retinere; quàm ſi venderet tantùm: ergo præſumendū nō eſt, tūc de facto diſpenſare. Confirmatur. Diſpenſationes huiuſmodi, cùm maximè exorbitent à iure communi, ſunt ſtrictiſsimi iuris: ergo minimè præſumendæ. Verùm oppoſita ſententia communior eſt, quam tenuit Paludanus, dicto 25. quæſt. 4. Sotus, lib. 9. de iuſtitia quæſt. 5. art. 2. & quæſt. 8. art. 2. Sylueſter verbo *ſimonia*. quæſt. 4. & 19. Couarrubias regul. *peccatum*. ſecunda parte. §. 8. num. 9. Dico igitur cum his autoribus. Eo ipſo quod Pontifex diuendat alicui beneficium Eccleſiaſticum, intelligitur cum eo in lege diſpenſare: & ideò manet omninò liber non ſolùm à pœna, ſed etiam à culpa, & crimine ſimoniæ, quando contractus emptionis & venditionis eſt ſolùm lege Eccleſiaſtica interdictus. Probatur. Recta ratio exigit, vt Pōtifex velit ſuū actum, & operationem eſſe efficacem, & quòd ſuum ſortiatur effectum: ergo Pontifex Sacerdoti vendens præbendam, quam nec emere, nec retinere citra excommunicationem poteſt; cum eo intelligitur diſpenſare, vt citra excommunicationem, & ſine culpa (quoad fieri poteſt) beneficium conſequatur. Aliàs fruſtra ei præbendam ven-

Sylueſt. Sotus.

Victoria.

Adrianus. Maior.

Caietanus.

Paludan. Sotus. Sylueſt. Couarrub.

vendidiſſet: quem nouit illius eſſe incapacem propter ipſam conuentionem cum Pontifice celebratam; niſi eo ipſo cum illo diſpenſaret, & habilem redderet ad beneficium obtinendum. Deinde quoad pœnas excommunicationis latas, hæc ſententia certior eſt: quia nullus intelligitur contumax contra legem, quando vna cum legiſlatore actũ per legem prohibitum operatur. Ergo neque qui cum Pontifice facit commutationem ſpiritualium pro temporalibus, contumax contra leges Pontificias iudicandus eſt. Ergo neque excommunicatus: nam excommunicatio, niſi per contumaciam non incurritur. Deinde confirmari poteſt: nam aliàs Pontifex peccatum duplicaret, pretium recipiens, & nihil conferens. Innecteret enim fraudem, niſi ipſo facto emptorem beneficij, tùm ab excommunicatione abſolueret; tùm & habilem redderet ad beneficij conſecutionem. Imò huic ſententiæ addit Linnanus referente Sylueſtro dicta quæſtione quarta, quod contractus qui aliàs eſſet ſimoniacus ſi cum alijs celebraretur: tamen ſi ſciente Pontifice, & diſſimulante celebretur, manet omninò liber à crimine ſimoniæ. Verùm niſi ſcientia Pontificis talis eſſet, vt communi ſapientium conſenſu lex ibi abrogata cenſeretur, conſuetudine introducta per huiuſmodi Pontificis permiſsionem; haud dubium quin ſimoniam per talem legis trãſgreſsionem committatur.

Linnanus.

A

B

Ad argumenta ergo in fauorem primæ ſententiæ adducta facilè reſpondemus. Et ad primum deſumptum ex Clementina, dico primò cum Caietano, quòd lex illa eſt exceptiua à cummuni iure: & ideò facta quia oppoſitum erat de iure: vnde Clementina illa extendenda non eſt. Vel ſecundò dici poteſt, quòd licèt Pontifex cõmunicans cum excommunicato, non intelligatur ipſo facto eum ab excommunicatione abſoluere, niſi id exprimat: intelligitur nihilominus diſpenſare cum eo cui contulit beneficium, vt poſsit illud licitè retinere: quia eo ipſo quod Pontifex beneficium vendit; intendit (ne fraudulentus videatur) quòd emptor in veritate illud conſequatur: Nam venditor rem in dominium emptoris ex vi contractus transferre tenetur; & hæc eſt voluntas præſumpta diſpenſandi. Per quod expeditum manet ſecundum argumentum cum ſua confirmatione. Admittimus enim, diſpenſationes præſumptas non eſſe facilè recipiendas, niſi ratione cogente, vt contingit in caſu noſtrę diſputationis. Cui finem impoſuimus, die 21. Aprilis anni 1612.

LAVS DEO.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

Ex lib. Geneſis.

1 *Sint in ſigna, & tempora, & dies, & annos.* pag. 254. col. 1. lit. C.

2 *Igitur perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.* 387. 2. A.

9 *Arcum meum ponam in nubibus cœli, & erit ſignum, &c.* Ad placitum ſcilicet, de non futuro diluuio vniuerſali, naturale tamen, non futuri diluuij ſecundùm naturæ ordinem. 320. 1. B.

15 *Ego Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum.* Explicatur. 110. 1. B.

15 *Vnde ſcire poſſum* (ait Abraham) *quòd poſſeſſurus ſim eam?* ſcilicet terram promiſſam à Deo. Abraham non peccauit in petendo ſignum, quia ex inſtinctu diuino id fecit. pag. 456. 2. D. & 465. 1. D.

16 *Iudicet Dominus inter me & te.* Citatio eſt Saræ facta Abrahæ ad comparendū coram Deo. 482. 1. B.

41 *Quæ facturus eſt Deus oſtendit Pharaoni.* Per ſomnium ſcilicet, à Deo immiſſum. 279. 1. B.

Ex lib. Exodi.

13 *Et erit quaſi ſignum in manu tua*: id eſt, ſolemnitas azymorum erit tibi tāquam ſignum memoriale liberationis ab Aegypto. 327. 2. A.

20 *Non adorabis idola*, ſcilicet exterius, *neq; coles*, ſcilicet interius. 32. 2. C.

20 *Non habebis Deos alienos coram me.* pag. 33. 1. A.

20 *Non habet inſontem Dominus, qui aſſumpſerit nomen eius frustra.* Eſt inuectiua contra vanum iuramentum. 576. 2. D.

32 *Ego autem in die vltionis viſitabo hoc peccatum eorum.* Idolatriæ ſcilicet: quia in poſterum grauior pœna pro illo reſeruatur. 459. 2. C.

34 *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, &c.* 520. 1. D.

Ex Leuitico.

5 *Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis vt vel malè quid faceret, vel bene, &c.* 518. 2. A.

5 *Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis falſum, &c. niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam.* Hæc indicatio debet fieri ijs, qui magis poſſunt prodeſſe, quàm obeſſe periuro: & ſi peccatum per iurij occultum fuerit, ſeruandus eſt ordo Euangelij. 586. 2. B.

10 *Vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter Sanctum, & Prophetam.* 734. 1. D.

Ex lib. Numerorum.

2 *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* Somnium iſtud, ſpecies eſt quædam Prophetiæ. 275. 2. B.

Ex Deuteronomio.

4 *Ne forte elatis oculis ad cœlum videas Solem & Lunam, & omnia astra cœli, &c.* 109. 1. B.

6 *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* pa. 33. 1. A.

6 *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.* Iuramentum vestitum debitis circunstantijs est intrinsecè bonum. pag. 493. 1. D. & 495. 1. B. Et est actus Religionis. 500. 1. A.

6 *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tentatio est graue peccatum cõtra Dei præceptum. 463. 2. B.

12 *Neque facietis ita Domino Deo vestro, &c.* 28. 2. D.

20 *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & c. cunctus populus qui in ea est, salvabitur, &c.* Verba hæc non fuerunt dicta de illis vicinis ciuitatibus, sed de alijs quæ procul valde erant. 520. 1. B.

32 *Videte quòd ego sim solus, &c.* 33. 1. A.

Ex lib. Iosue.

9 *Fecitque Iosue cum eis pacem: & inito fœdere pollicitus est vt non occiderentur.* Latè explicatur. 519. 1. A. & B.

24 *Hæc dicit Dominus Deus Israel: trans fluuium, &c.* 114.

Ex lib. Iudicum.

5 *De cœlo dimicatum est contra eos. Stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt. Stellæ*, id est, Angeli, vel sidera, quæ Deo disponente aduersus Sisaræ exercitum excitata sunt. 254. 1. C.

6 *In quo liberabo Israel?* (ait Gedeon.) Ex debilitate fidei petijt signum, ideoque peccauit. 465. 1. D. & 466. 2. C.

8 *Fecitq; ex eis Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra: fornicatusq; est omnis Israel in eo.* Explicatur latè pag. 27. 1. C.

Vlt. *Iurauerunt quoque filij Israel, &c. nullus nostrum dabit filijs Beniamin de filialibus suis vxorem.* 518. 2. C.

Ex lib. 1. Regum.

24 *Iudicet Dominus inter me & te: & vleiscatur me Dominus ex te.* Citatio est Dauidis facta ad Saulem ad comparendum coram Deo. 482. 1. B.

Ex lib. 3. Regum.

14 *Et fecit Iudas malum coram Domino, &c.* 28. 2. C.

15 *Insuper & Maachã matrem suam amouit.* 28. 2. A.

19 *Relictus sum ego solus*: id est, cæteri Deos alienos coluerunt. Sed respondit Dominus. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.* 116. 1. A.

Ex lib. 4. Regum.

5 *Eunte Naamam ad sacrificandum idolis, &c.* Explicatur latè. pag. 48. 2. C.

Ex lib. 1. Paralipom.

16 *Omnes dij populorum idola*: id est, vanitas & inania: *tùm idola*: id est vacuitates. 22. 1. A.

Ex lib. 2. Paralipom.

15 *Transierunt dies multi in Israel sine Deo vero, &c.* 116. 1. B.

33 *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis, &c.* 26. 1. A.

Ex lib. 1. Esdræ.

Vlt. *Et dederunt manus suas, vt ejicerẽt vxores suas.* Explicatur. 518. 2. D.

Ex lib. Iudith.

8 *Et qui estis vos qui tentatis Dominum, quia posuistis tempus miserationum Domini? & c.* Non licet præfigere Deo tempus vt suum nobis mittat auxilium. 483. 1. A.

Ex lib. Esther.

14 *Ne tradas sceptrum tuum dijs qui nõ sunt*: id est, idolis. 21. 2. D.

Ex lib. Iob.

7 *Sic qui discenderit ad inferos, non ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam, &c.* Attento scilicet naturæ ordine. pa. 201. 1.B.

31 *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè*: id est, idolatriam respuit adorantium Solem & Lunam. pag. 108. 2.D.

33 *Quando homines dormiunt in lecto, tunc aperit Deus aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina*: id est, aliquando Deus hominibus aliqua in somnijs reuelat, eo quòd tunc aptiores sunt ad ea recipienda. 280. 2. B.

34 *Nunquid nosti ordinem cœli, aut pones rationem eius in terra?* id est, nunquid poteris rerum supernarum proprietates agnoscere? 249. 1. C.

37 *Qui in manu omnium hominum signat, vt norint singuli opera sua.* Late explicatur. 327. 2. A.

41 *Halitus eius*, id est, suggestio dæmonis *prunas ardere facit*: id est, mentes passionum æstibus accensas, in cupiditatem libidinosam vehementer pellit. pa. 368. 1. C.

41 *Non est potestas quæ compararetur ei in terra.* Explicatur. 216. 1. A.

Ex lib. Psalmorum.

8 *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Explicatur. 219. 1. D. & 2. A.

14 *Qui iurat proximo suo, & non decipit.* 493 1. A.

18 *Opera manuum eius annuntiat firmamentum*: id est, cœlum stellatum sua pulchritudine annuntiat nobis excellentiam inuisibilium operum Dei. pa. 254. 1. C.

54 *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* In Deo collocanda est spes. 161. 2. A.

62 *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Explicatur de iuramento vestito debitis circunstantijs. 493. 1. A.

75 *Cogitatio hominis confitebitur tibi*: id est, in vigilia cogitans Dei beneficia, Deo laudem confessionis dicet. *Et reliquiæ cogitationis*, id est, somnia ab ipsis cogitationibus causata. *Diem festum agent tibi*: Nimirum, quia volita propter causam à qua dimanant Deo sunt grata, & quasi in venerationem religiosam acceptantur. 276. 2. D.

77 *Et tentauerunt Deum in cordibus suis.* Deum tentare, est dolose postulare, cũ simplicitate verborum, & cordis malitia. 457. 2. B.

77 *Spiritus vadens & non rediens.* Scilicet per cursum naturæ. 201. 1. B.

77 *Tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis, &c.* Tentatio Dei, vt grauissimum crimen à Deo punitur. 463. 2. C.

88 *Semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mentiar*: id est, non mentiar. pag. 557. 1. A.

94 *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*: id est, iuraui quod non introibunt &c. ibid.

96 *Omnes dij gentium dæmonia.* pagina. 25. 1. C.

102 *Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, nec cognoscet amplius locum suum.* Per cursum scilicet naturæ. 201. 1. B.

103 *Extendens cœlum sicut pellem.* Explicatur. 254. 2. C.

103 *Simulacra gentium argentum, & aurum.* 22. 1. D.

106 *Mutauerunt gloriam Dei, &c.* pag. 27. 1. B.

109 *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*: id est, quę iurauit non mutabit. pag. 556. 2. C.

111 *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mẽdax*: id est, ego eleuatus ad contemplanda diuina per intelligibiles effectus. 301. 1. C.

Ex lib. Prouerbiorum.

8 *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.* Res spiritualis, non valet aliquo terreno pretio compensari. pagina. 642. 1. D.

6 *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, &c.* id est, ex corporeis affectionibus cognoscuntur hominum inclinationes. 324.1.C.

16 *Sortes in sinum mittuntur, sed à Domino temperantur*: id est, sortes non sunt alienæ à prouidentia Dei. 337.1.D.

17 *In facie sapientis lucet sapientia, oculi stulti in finibus terræ*: id est, diuinatio methoscopica, quæ ex vultu hominis prædicit animæ affectiones, aliquam habet probabilitatem. 324.2.B.

18 *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quandoque dijudicat*: id est, finis sortis diuitoriæ est diuidere rem sortiendam ne iurgia nascantur. 339.2.C.

22 *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*. Fama & vita non possunt pecunia compensari. 645.1.B.

30 *Verba mendacij* (loquitur Sapiens de mendacio iurato) *longè fac à me*. pa. 563. 2.A.

Ex lib. Ecclesiastes.

5 *Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri*. Intellige de somnijs non habentibus significationem. 278.2.D.

Ex lib. Sapientiæ.

6 *Cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis*. Rectores Reipublicæ sunt quasi diuinæ prouidentiæ ministri. 592. 2.A.

13 *De his quæ videntur bona*, id est, ex creaturis, *non potuerunt intelligere eum qui est, &c.* 42.1.B.

13 *Magnitudine speciei, & creaturæ, &c.* 41. 2.C.

14 *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, &c.* 26. 1.C.

14 *Initium fornicationis idolorum inuentio*. Non loquitur de prima origine, sed contra quosdam, qui sua ætate vel circiter, sacrificabant simulachris. 117.1.B.

14 *Superuacuitas hominum adinuenit idola in orbem terrarum: acerbo enim luctu dolens pater, sibi rapti filij fecit imaginem. Dolens pater*, id est Sirephanes; non quia iste fuit primum initium idolatriæ, sed quia apud Aegyptios idolatriæ crimen designauit. 120.1.A.

Ex lib. Ecclesiastici.

5 *Multas curas sequuntur somnia*: id est, omnia quæ sensu diurno voluuntur, nocte reddit amica quies. 274.2.B.

13 *Cor hominis immutat faciem illius*. pag. 322.2.A.

18 *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*. Non præparare se ante orationem, est quasi interpretatiuè Deum tentare. 457. 2.A. & 473.1.C.

19 *Qui citò credit leuis est corde*. Ad credendam aliquam veritatem etiamsi sit fidei, requiritur quòd sit sufficienter proposita. 460.2.C.

23 *Iurationi non assuescat os tuum, quia multi casus in illa*. Iuramentum est ita periculis expositum, vtvix sine peccato fiat. 493.1.A. & 495.1.D.

23 *Vir multum iurans replebitur iniquitate*. Non est iurandum nisi ex necessitate. 503.1.B.

23 *Si frustrauerit fratrem, delictum illius super ipsum erit, & si dissimulauerit delinquet dupliciter*. Explicatur, pagina. 504. 2.B.

31 *Nequius oculo quid creatum est?* 400. 1.D.

34 *Somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit vmbram, &c. sic & qui attendit ad visa mendacia*. Intelligitur de somnijs non habentibus significationē. 278.2.D.

Ex Isaia Propheta.

1 *Omne caput languidum, & omne cor mœreus: à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*: id est, multi in scelus dilabebantur. 116.2.A.

1 *Quærite iudicium, subuenite oppresso, & vehite arguite me, dicit Dominus*: id est, si hoc feceritis, experimento probabitis beneficia Dei. 467.1.B.

3 *Agnitio vultus eorum respondebit eis*. Hoc est, vultus exterior, eorum secreta cordis patefaciet. 322.2.A.

7 *Pete tibi signum à Domino Deo tuo. Non petam & non tentabo Dominum*. Explicatur. pagina. 456.2.C. & pagin. 467. 1.B.

19 *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem*, id est, carnem assumet. 116. 2. A.

28 *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*. Explicatur. 213. 1. C.

29 *Erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de summo eloquium tuum mussitabit*: id est vox tua erit exilis & stridula: vel clauso ore loqueris. 205. 1. C.

34 *Complicabuntur sicut liber cœli*. Explicatur. 254. 2.

41 *Ecce vos estis ex nihilo: & opus vestrum*, id est, idola, *ex eo quod non est*. 22. 1. A.

44 *Ego sum Dominus irrita faciens signa diuinorum*. 234. 2. C.

47 *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent, & saluent te augures cœli*: id est, Astrologi cœli. 234. 2. C.

Ex Ieremia.

2 *In omni colle sublimi, & in omni ligno frondoso, &c.* 25. 2. D.

2 *Secundum numerum ciuitatum tuarum erant dij, &c.* 26. 1. A.

2 *Confusi sunt domus Israël, ipsi, & Reges eorum, &c.* 116. 1. B.

7 *Et mulieres conspergunt adipem vt faciant placentas Reginæ cœli*: id est, Lunæ. pag. 109. 1. B.

10 *Iuxta vias gentium nolite discere, &c.* 234. 2. C.

Ex Threnis Ieremiæ.

3 *Oculus meus depredatus est animam meã.* 400. 1. B.

Ex Ezechiele.

1 *Facta est super eum manus Domini*: id est, facta fuit illi reuelatio. 305. 1. C.

8 *Eleuauit me*, scilicet Deus, *inter cœlum & terram: & adduxit me in Hierusalem in visione Dei*. 296. 2. D.

8 *Eleuauit me in visione Dei*: id est, per ecstasim ad diuina contemplanda. pag. 305. 1. C.

21 *Stetit enim Rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, &c.* Explicatur ex Hieronymo. 334. 1. C.

Ex Daniele.

9 *Deficiet hostia & sacrificium*: id est, euertetur Hierusalem, & cessabit sacrificium Iudæorum. 116. 2. B. & C.

Ex Osea.

4 *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annuntiauit ei*. Explicatur ex Hieronymo. 334. 1. D.

Ex Nahum.

1 *Non consurget duplex tribulatio*: id est, peccatum non est duplici pœna puniendum. 636. 1. C.

Ex Zacharia.

13 *In die illa*, id est, tempore legis gratiæ, *erit fons patens*, nimirum Messias, *domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris*, id est, populi Iudaici, *& menstruatæ*, id est, Gentilici. *Et erit in die illa dicit Dominus exercituum, disperdam nomen idolorum de terra*. Prædicit Propheta euersionem idolorum ab omni natione per Messiæ aduentum. 123. 2. A.

Ex Micheæ.

3 *Sacerdotes eius in mercede docebant, Prophetæ eius in pecunia diuinabant*. Conuertitur Micheas cõtra Sacerdotes, eo quod simoniaci erant. 647. 2. A.

Ex Malachia.

3 *Inferte omnem decimam in horreum meũ, vt sit cibus in domo mea, &c. & probate me*. Intellige non causaliter, quasi ad hoc soluere deberent decimas vt Deum probarent: sed consecutiuè, quia si decimas soluerent, experimento probaturi erant beneficia Dei. pag. 456. 1. C.

5 *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ*. Et infrà multa habentur, in quibus ostenditur, quàm grauiter puniat Deus periuros. 583. 1. B.

Ex lib. 2. Machabæorum.

5 *Non propter locum gentem, ſed propter gentem Dominus locum elegit.* Sanctitas loci ordinatur ad ſanctitatem hominis, qui in loco ſacro cultum Deo exhibet. 600.1.C.

NOVVM TESTAMENTVM.

Ex Matthæo.

4 MITTE *te deorſum.* Explicatur. pa. 469.2.A.

5 *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino.* Late. 493. 2. C.

5 *Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat.* Iurare per Deum eſt actus religionis, quo Deum reueremur. 500.1.B.

5 *Qui voluerit à te tollere tunicam, da ei & pallium.* 771.1. D.

6 *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, &c. reſpicite volatilia cœli, &c.* Vt ſcilicet ſpem noſtram ponamus in Deo. 161.2.A.

7 *Non poteſt arbor mala fructus bonos facere.* Intellige, ſi fructus procedant ab illa vt mala eſt. 492.1.D.

10 *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo:* id eſt, qui timore hominum ficte coluerit Deos alienos. 46.1. C.

10 *Cum ſteteritis ante Reges, & Præſides, noli te cogitare quomodo aut quid loquamini, &c.* Explicatur. 468.1.C.

10 *Gratis accepiſtis, gratis date.* Dona ſpiritualia proueniunt ex gratuita Dei voluntate. 642.2.B. & 645. 1.A.

Ex Marco.

11 *Scriptum eſt, domus mea, domus orationis eſt, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Propter peccata ſcilicet iniuſtitiæ, quæ negotiationes ſecum afferunt. 620.1. C.

13 *De illo die nemo ſcit, &c. nec filius.* Scilicet, non ſcit vt reuelet: vel non ſcit ab humanitate. 574.1.A.

Ex Luca.

1 *Vnde hoc ſciam?* (ait Zacharias ad Angelum.) Ex debilitate fidei ſignum petijt; & ideo peccauit. Explicatur late. pag. 446.2.B. & 456.2.C.

9 *Nil tuleritis in via.* Explicatur. pagin. 467.1.D.

10 *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuprà ſerpentes, & nihil vobis nocebit.* 422.1.D. *Et ſuper omnem virtutem inimici.* Intellige de poteſtate ad arcendos, expellendos, & conculcandos dæmones. 218. 1. D.

11 *In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit, &c.* 119.2.B.

11 *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poßidet. Cùm autem fortior illo ſuperuenerit:* id eſt, vicerit eum, *vniuerſa eius arma auferet:* id eſt, vniuerſam idolatriam magna ex parte eliminabit. 422.2.A.

12 *Quis veſtrum cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* 396.1.A.

16 *Filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis.* Modus eſt loquendi iuxta morem vulgi, quod laudat id quod efficaciter ſortitur effectum. 437. 2. B.

18 *Filius hominis cum veniet, putas ne, inueniet fidem in terra?* id eſt, putas ne inueniet eximiam fidem, quæ in paucis reperitur? 116.2. C.

22 *Quando miſi vos ſine ſaculo & pera, ac calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil.* Debemus confidere prouidentiæ Dei. 468.1.A.

Ex Ioanne.

2 *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Lumen naturale dictat, iniuriam irrogari templo per negotiationes in eo factas. 619.2.C.

4 *Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate. In ſpiritu,* id eſt, non cultu ſuperfluo. *In veritate,* id eſt, non cultu pernitioſo. 17.2.C.

4 *Nos colimus quod ſcimus:* id eſt, Deum ſcibilem, & verum. *Vos colitis quod neſcitis:* id eſt, Deum, qui cùm verus non ſit, ſcio illis non eſt. 29.2.A.

6 *Vnde*

6 *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Apostoli habebant vsum rerum temporalium. 468. 1. B.

10 *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, &c.* 795. 1. B.

12 *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*: id est, non coletur idolatriæ cultu. 122. 1. D.

13 *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*. Diuina verba habent virtutem sanctificandi nos. 597. 1. B. & 628. 2. B.

Ex epistola Pauli ad Romanos.

1 *Ita vt sint inexcusabiles*. Loquitur de ijs qui habuerunt notitiam veri Dei. *Quia cum cognouissent Deum, &c.* 40. 2. D.

1 *Testis est mihi Deus*, forma est iuratoria. 493. 2. A.

Ex 1. ad Corinthios.

1 *Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius seculi?* Putà Astrologiæ iudiciariæ deditus. 240. 2. A.

2 *Absconditum à seculis in Deo: quod nemo Principum, &c.* 240. 1. D.

4 *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei.* Prælati Ecclesiæ non sunt domini, sed dispensatores rerum spiritualium. 642. 2. B.

6 *Sed abluti estis, sed sanctificati estis*. Populus Christianus per Christi Sacramenta sanctificatus est. 592. 2. C.

8 *Scimus quia nihil est idolum in mundo*: id est, scimus quod imagines quæ idola dicebantur non erant animatæ. 21. 2. D. & 26. 1. D.

9 *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt?* Ministros Ecclesiæ oportet à populo sustentari. 654. 2. B.

10 *Quid ergo, dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid?* id est, idolis non est aliquid immolatum: quia carnes immolatitiæ per talem immolationem non consequebantur aliquam sanctificationem. 20. 1. D.

10 *Quæ immolabant gentes, dæmonijs immolabant*. Nimirum in idolis assistentibus? 25. 1. C.

11 *Nunquid domos non habetis ad manducãdum?* Obiurgantur Corinthij, eo quod non decet, domũ Dei quæ deputata est sacris vsibus triclinium epularum facere. 621. 2. C.

Ex 2. ad Corinthios.

1 *Ego autem testem Deum inuoco*. 493. 2. A.

1 *Ego testem Deum inuoco in animam meam*. Hoc est, in vitam meam. 506. 2. B.

6 *Quæ societas lucis ad tenebras? aut quæ conuentio Dei ad Belial?* 214. 1. C.

11 *Quare? quia non diligo vos? Deus scit*. Hæc verba *Deus scit*, forma est iuratoria, qua viri timorati submittunt sermonem suum scientiæ Domini. 490. 1. C.

Ad Galatas.

4 *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo vos, &c.* 426. 1. A. & 431. 1. A.

Ad Ephesios.

5 *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* 420. 2. C.

6 *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, &c.* 214. 2. A.

Ex 2. ad Thessalonicenses.

2 *Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati. Discessio*, id est, Anti-Christus, vel defectio à Romano imperio. 116. 2. D. & 117. 1. A.

Ex 2. ad Timotheum.

4 *Penulam quam reliqui Troadæ, veniens affer tecum*. Explicatur de vsu rerum temporalium, quem Apostoli habebant. 468. 1. B.

4 *Coram Deo & Christo Iesu*. 493. 2. A.

Ad Hebræos.

6 *Quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem; iurauit per ſemetipſum.* Negari non poteſt Deum iuraſſe: rationes iuramenti diuini ſubdit Paulus. *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immutabilitatem conſilij ſui interpoſuit ius iurandum.* En primã rationem. *Vt per duas res immobiles, quibus impoßibile eſt mentiri Deum fortiſſimum ſolatium habeamus.* En ſecundam. 556.2.A.

6 *Omnis controuerſiæ finis ad cõfirmationem eſt iuramentum*: id eſt, iuramentum eſt confirmatio veritatis. 486.1.B.

Acta Apoſtolorum.

8 *Quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri.* Res ſpiritualis non eſt ſubiecta humano arbitrio, ſed pendens ex liberali Dei largitione. 645.2.A.

17 *Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video.* Syriacè, *nimios in cultu dæmonum*: Græcè, *æquo ſuperſtitioſiores.* pag. 3.

17 *Inueni aram in qua ſcriptum erat, ignoto Deo.* Explicatur. 111.2.C.

19 *Facta eſt illo tempore turbatio non modica.* 117.2.B.

19 *Virtutes non modicas quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli, &c.* 436.1.C.

Iacobi.

1 *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo.* Non ſcilicet, quod ſibi donetur per infuſionem: ſed poſtulet cognitionem vt non erret circa neceſſaria. 366.1.B.

5 *Ante omnia autem fratres mei nolite iurare nec per cœlum, nec per terram, &c. ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non, quod autem his abundantius eſt à malo eſt.* Prima pars explicatur. pag. 493.2.C. In ſecunda traditur conſilium nunquam iurandi, niſi propter iuſtitiam aut vtilitatem proximorum. 495.1.D.

Prima Petri.

5 *Omnem veſtram ſolicitudinem in eum proijcientes, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* 161.2.B.

INDEX CAPITVLORVM

IVRIS CANONICI, QVÆ IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

EX DECRETO.

CAP. *Admoneant.* 26.q.7. pag. 442. col. 2. lit. C.
C. *Aliquanti.* 26.q.5. 450.2. A.
C. *Altaris.* de consecrat. dist. 1. 629.1.D.
C. *Baptizandis.* 99.1.q.3. 813.2.D.
C. *Clericum.* 22.q.1. 506. 2. D.
C. *Constituimus.* 17.q.4. 623.2.A.
C. *Constituit.* 17.q.4. 601.2.D.
C. *Constituimus.* 3.q.5. 583.2.D.
C. *Consuluisti.* 2.q.5. 475. 2. C.
C. *Contra idolorum.* 26.q.5. 450.2.A.
C. *Cùm contingat.* 22.q.4. 523.2.B. & 535. 1. C.
C. *Diffiniuit.* 17.q.4. 622.2. D.
C. *Ecclesiam.* 1. & 2. de consecrat. distinct. 1. 638.2.B.
C. *Ecclesiam.* de consecr. Eccles. distinct. 1. 616.2.B.
C. *Eijciens.* 88.d. 620.1. C.
C. *Eos.* 1.q.1. 647.1.A. & 652.2.B.
C. *Erga simoniacos.* 100.1.q.1. 813.1.C.
C. *Florentinus.* 85. dist. 581.2. C.
C. *Humanæ aures.* 22.q.4. 538.1.A.
C. *Illi qui.* 6.q 1. 584.1.B.
C. *Illos.* 26.q.2. 450.2.B.
C. *Infames.* 6.q.1. 583.2.D.
C. *Infamis.* 6.q.1. 450.2.A.
C. *Legna Ecclesiæ.* 1.d. 623.1.D.
C. *Longinquitate.* 12.q.2. 539.2.D.
C. *Mennam.* 2.q.5. 475. 2. C.
C. *Metuentes.* 14.q.4. 539.1.A.
C. *Miror.* 17.q.4. 622.2.D. & 625.1.B.
C. *Nemo.* de consecr.d.1. 629.1.A.
C. *Nemo.* 2. de consecr.d.1. 629.2.A.
C. *Non liceat.* 26.q.5. 442.2. D.
C. *Non obseruetis* 26.q.5. 442.2.D.
C. *Non oportet.* 26.q.5. 450.2. D.
C. *Non oportet.* 2.d.62. 622.1.D.
C. *Nulli.* 62.d. 622.1.D.
C. *Nullus Episcopus.* 1.q.3. 813.2.D.
C. *Optatum.* 100.d. 539.1.A.
C. *Paruuli.* 22.q.5. 584.2. B.
C. *Per tuas.* 22.q.4. 523.2.D.
C. *Placuit.* 23.q.5. 616.2.B.
C. *Placuit.* de consecr.d.1. 629.1.A.
C. *Quacunque arte.* 22.q.5. 538.1.C.
C. *Qualitas.* de pœnit.d.5. 620.1.B.
C. *Quæ semel.* 19.q.3. 629.1.D.
C. *Quicunque.* 6.q.1. 584.1.B. & 585.1.C.
C. *Quid autem.* 22.q.2. 565.2.D.
C. *Qui diuinationis.* 26.q.5. 450.1.D.
C. *Qui pro pecunia.* 1.q.1. 654.2. A.
C. *Qui rapit.* 17.q.4. 629.1.B.
C *Quisquis.* 17.q.4. 616.2.D. & 629.1.B. & 637.2.A.
C. *Quoties.* 1.q.7. 558.2.C.
C. *Sacratas.* 23.d. 629.2.B.
C. *Sacrilegium.* 17.q.4. 603.2.B. & 629.1.B.
C. *Sæpè contingit.* 2.q.5. 479.2.C.
C. *Saluator.* 1.q.3. 652.2.A.
C. *Sanè.* 15.q.3. 813.1.B.
C. *Si aliquid.* 1. & 2. 22.q.4. 523.2.C.
C. *Si motum.* de consecr.d.1. 638. 1. C.
C. *Si peierauerit.* 22.q.5. 587.1.D.
C. *Si quis antiquus.* 17.q.4. 629.1.B.
C. *Si quis ariolos.* 26.q.5. 450.2.D.
C. *Si quis Clericus.* 26.q.5. 450.2.B.
C. *Si quis conuictus.* 22. q. 5. 583. 2. D. & 587.1. D.
C. *Si quis contumax.* 17. q. 4. 623. 1. C. & 636.1.D. & 640.2.A.
C. *Si quis Episcopus.* 26.q.5. 450.2.A.
C. *Si quis presbyter.* 2.q.5. 558.2.B.
C. *Si quis suadente.* 17.q.4. 594.1.D. & 595. 2 D. & 598.1. C. & 637.2.A.
C. *Si quis.* 22.q.1. 506.2.D. & 507.1. B.
C. *Si quis Episcopus.* 1. q. 1. 812.1.A.
C. *Si quis obiecerit.* 1.q.3. 806.1. D.
Caput tertium. 2.q.8. 450.2.A.
C. *Tibi Domino.* 63.d. 538.2.D. & 539.1.B.
C. *Vestimenta.* de consecr.d.1. 630.1.B.
Caput vnicum. 85.d. explicatur. 529.
Caput vltimum. 1.q.3. 813. 1. B.

EX DECRETALIBVS.

CAP. *Abbas.* de his quæ vi. 553.1.C.
C. *Abbas.* de iureiur. 503.2.D.
C. *Ad abolendam.* de hæret. 451.1.A.
C. *Ad audientiam.* de iureiur. 530. 2. D.
C. *Ad aures.* de his quę vi. 533.1.A. 508.2.C
C. *Ad hæc.* de relig. domibus. 623. 1. D.
C. *Ad hæc.* de appellationibus. 816.2.C.
C. *Aduersus.* de immunit. Eccles. 628.2. D
C. *Breui.* de iureiur. 546.2. D.
C. *Clericus.* de iureiur. 549.2.C. & 550.1.A.
C. *Commissum.* de spõs. explicatur latè. 527.
C. *Cõquæsti.* de sen. excõ. 629.1.B. 637.2.C.

C. *Conſuluiſti.* de conſecr. Eccleſ. 616. 2. B. & 638. 2. A.
C. *Conſulunt.* de vſuris. 804. 1. D.
C *Conſulunt.* de Iudæis. 62. 1. D.
C. *Contingit.* de ſent. excomm. 597. 2. D.
C. *Cùm decorem.* de vita, & hon. Cle. 621. 1. B
C. *Cùm Eccleſia.* de immunit. Eccl. 618. 1. D
C. *Cùm in Eccleſia* de ſimon. 656. 2. A.
C. *Cùm omnes.* de conſt. 818. 2. D.
C. *Cùm quidam.* de iureiur. 547. 1. D.
C. *De hoc.* de ſimonia. 813. 2. B.
C. *Dilecto.* de præb. 543. 2. A.
C. *Dilecti filij.* de purg. vulg. 475. 2. D.
C. *Eccleſia.* de immun. Eccleſ. 606. 2. C.
C. *Eccleſia.* de ſortileg. 346. 1. A.
C. *Eccleſiæ.* de immunit. Eccleſ. 623. 1. A.
C. *Ego.* de iureiur. 558. 2. C.
C. *Et ſi Chriſtus.* de iureiur. 506. 2. D. & 515. 1. C.
C *Ex reſcripto.* de iureiur. 558. 2. B.
C. *Ex tuarum.* de ſortileg. 450. 2. B.
C. *Ex tuarum.* de purg. canonica. 476. 2. A.
Caput finale. de ſortileg. 344. & 345.
C. *Id conſtituimus.* de immun. Eccleſ. 622. 2. D. & 625. 1. B.
C. *Intellecto.* de iureiur. 543. 2. A.
C. *Iudæi.* de Iudæis. 62. 1. D.
C. *Licèt.* 2. de teſtibus. 539. 1. D.
C. *Nobilis.* de purgat. can. 476. 1. B.
C. *Non contingat.* de iureiur. 518. 1. A.
C. *Non minus.* de immunita. Eccleſiarum. 628. 2. D.
C. *Nullus.* eod. tit. 622. 2. D.
C. *Nuper.* de ſent. excom. 596. 2. D.
Caput penult. de ſimon. 816. 1. A.
C. *Peruenit.* eod. 558. 2. B.
C. *Petitio.* de iureiur. 546. 2. D.
Caput primum. de ſortil 450. 1. D.
C. *Propoſuiſti.* de conſecr. Eccleſ. 638. 1. C.
Rubrica de purg. vulg explicatur. 476. 1. B.
C. *Quæſitum.* de rerum permut. 813. 2. B.
C. *Quanto* de cenſibus. 629. 1. A.
C. *Quanto.* de iureiur. 518. 1. A.
C. *Quemadmodum.* de iureiur. 546. 2. D. & 547. 1. C.
C. *Querelam.* ne Prælati vices ſuas. 508. 2. C.
C. *Querelam.* de iureiur. 585. 1. B.
C. *Quia in omnibus.* de vſuris. 616. 2. B.
C. *Quid erat.* de iureiur. 584. 1. B.
C. *Quodam.* de conuerſ. coniug. 548. 1. B.
C. *Quoniam.* de ſimonia. 807. 2. C.
C. *Quoniam.* de appellat. 816. 2. C.
Caput ſecundum. de iureiur. 532. 1. D.
Caput ſecundum. de teſtibus. 539. 1. D.
Caput ſecundum. de pactis. 553. 1. C.
Caput ſecundum. de ſortileg. 450. 2. C.
C. *Sententiam ſanguinis.* ne Cleric. vel Monachi. 451. 2. A.
C. *Si alicuius.* penult. de elect. 811. 2. C.
C. *Sicut pro certo.* de ſimonia. 647. 1. A.
C. *Sicut.* de ſponſ. 543. 1. A.
C. *Significantibus.* de purg. vulg. 343. 2. B.
C. *Significaſti.* de adulterijs. 639. 1. C.
C. *Si verò.* de iureiur. 530. 2. D. & 533. 1. A. & 553. 1. C. & 518. 1. A. & 523. 2. B.
C. *Teſtimonium.* de teſtibus. 558. 2. A.
C. *Tua nos.* 1. de iureiur. 543. 1. A.
C. *Veniens.* de iureiur. 534. 2. A.
C. *Venientes.* eod. 529. 2. D.
Caput vltimum de iuram. calum. 558. 2. D.
C. *Vniuerſitatis.* de ſentent. excommunic. 597. 2. C.

Ex lib. 6. Decretalium.

CAP. *Decet.* de immunit. Eccleſ. 618. 2. A. & 619. 2. B.
C. *Non confirmatur.* 18. de reg. iuris. 548. 1. B.
C. *Non eſt obligatorium.* eod. 518. 1. A.
C. *Si quis.* de pactis. 518. 1. A.
C. *Semel.* de reg. iur. 629. 1. D.
Caput vltimum de iuram. calum. 539. 1. A.

Extrauagantes.

EXtrauag. 1. de ſimonia. 811. 1. B.
Extrauag. 2. de ſimonia. 810. 2. D.

Ex iure Ciuili.

Leges Codicis.

L. *Eorum.* C. de malef. 450. 2. B.
L. *Etſi.* C. de malef. 451. 1. B.
L. *Multi.* C. eod.
L. *Nemo.* C. eod.
L. *Nullus.* C. eod.
L. *Quicunque.* C. eod.
L. *Si quis maior.* C. de tranſact. 584. 1. A.
L. *Si quis in hoc.* C. de Epiſcop. & Clericis. 640. 2. A.
L. 4. C. de conſtit. Princ. 818. 2. D.

Leges Pandectarum.

L. *Diui.* ff. ad l. Iuliam pecul. 617. 1. A.
L. *De pretio.* ff. de Publicia. 617. 2. C
L. *Nullius.* 55. ff. de reg. iur. 335. 1. A
L. 1. ff. de dolo. ibidem.
L. *Quis ab alio.* ff. de re iudic. 549. 1. C.
L. *Si pactum.* 9. ff. de probat. 539. 2. B.
L. *Si peculium.* §. 1. ff. de ſtatu lib. ibidem.
L. *Stipulationes.* 1. ff. de verbor. ibid.
L. *Si ob turpem.* ff. de cond. 809. 1. B.

INDEX RERVM, ET SENTENTIARVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam deſignat.

A

Abraham.

ABRAHAMVS nunquam ſuperſtitione idolatrica infectus fuit. pag. 115. col. 2. lit. B.

Abſtinentia.

Licitum eſt Chriſtianis per Hæreticorum Prouincias itinerantibus, ſi non poſſint ſe excuſare carnes comedere. 57. 2. A.

Actus.

Actus humani ſaltem quoad inclinationem poſſunt prænoſſe indirectè ex animalium operationibus. 311. 2. C.

Corpora cœleſtia poſſunt indirectè cauſare actus humanos, non autem directè. 256. 1. D.

Adiuratio.

Adiuratio dæmonum. Vide *Dæmon.*

Adoratio.

Adoratio imaginum. Vide *Imago.*

Res coniunctæ rei adorandæ adorantur ſimul cum earum adoratione. 79. 1. C.

Adoratio debita Chriſto in Euchariſtia eſt eiuſdem rationis cum ea, quæ debetur illi in propria ſpecie viſibili exiſtenti. ibi. 2. B. & 2. D.

Adulterium.

Adulterium poteſt dupliciter cõmitti, vel intentione inhonorandi maritũ adulteræ, vel ſola carnis cõcupiſcẽtia. 593. 2. A.

Aëromantia.

Aëromantia eſt ſpecies diuinationis, quæ dupliciter fieri poteſt, vel dæmone dante reſponſa verborum, allecto, & inuocato per aërem: vel dæmone repræſentante imagines, quibus repræſentaretur id, de quo conſulitur. 207. 2. D.

Vtriuſque modi varia exempla. ibi.

Ætas.

Aetates mundi ſeptem. 108. 1. A.

Alchimiſtæ.

Alchimiſtæ quomodo à ſuperſtitione excuſentur. 408. 1. C.

Alchimiſticæ artis vſus multis modis eſt illicitus. ibi.

Alchimiſta poteſt facere aurum quantum ad apparentiam, nõ quantum ad ſubſtãtiam, & proprietates. ibi. B.

Alchimiſtico auro vti in pharmacis non eſt licitum. ibi. D.

Alcion.

Alcion auis in ouorum incubatione, & pullorum excluſione ſedatum mare indicat. 312. 2. D.

Alteratio.

Alterationis terminus ſemper eſt in potẽtia materiæ rei alteratæ. 378. 1. C.

Amor.

Varia remedia ad conciliandum amorem. 367. 1. D.

Nulla

Nulla creatura eſt potens voluntatem cogere ad amandum. ibi.2.D.

Voluntas poteſt inuitari ad amorem, & actus venereos ope diaboli,& medijs maleficijs amatorijs.368.1.B.

Obſeruationes quæcunque ad amorem venereum conciliandum ordinatæ, ſunt illicitæ.ibi.2. B.

Caligula mortuus eſt,cùm ei Leſonia ad cõciliandum amorem hyppomanem potãdum tribuiſſet.ibi. C.

Lucretius Poëta dementatus eſt maleficijs amatorijs,ac demum ſe interemit.ibi.D.

Amatorij maleficij diuerſa remedia. 420. 2. A.

Amuletum.

Non licet vti amuletis,cæremonijs,aut geſtibus ad procurandas ſanitates.440.1.D & 435.2.B.

Non ſunt excuſandi qui eis vtuntur,ſimplici cordis deuotione moti.ibi.2.B.

Si amuleta contineant aliquid falſum, aut apocriphum,vt quod Chriſtus habuit febres, vel Virgo Maria paſſa ſit animæ deliquium, &c. ſuperſtitioſa eſt eorum obſeruatio.441.1. B.

Superſtitiones circa amuleta ex rebus naturalibus, quæ ineptè putantur habere virtutes naturales ad aliquos effectus. Vide 442.1. C.

Vtentes amuletis ex imaginibus Aſtronomicis anathemati, ſi laici: ſi verò Clerici, degradationi ſubduntur.ibi.2.D.

Anaxagoras.

Anaxagoras ad mortem damnatus fuit eo quod dixit, Solem eſſe ſaxum ignitum. 112.1.D.

Angelus.

Angeli multipliciter apparent. 175. 1.

Tantùm ſunt tria nomina Angelorum,Michael ſcilicet,Gabriel, & Raphael. 441. 1. C.

Anima.

Animæ ſeparatæ naturali ſua virtute nequeunt apparere.197.2.A.

Aliquando Dei permiſsione apparuere viuis,& cum eis colloquia miſcuere.ibi.B. & hoc eſt de fide.198.1.B.

Anima Moyſis apparuit in corpore aêreo aſſumpto. ibi.

Ex innumeris apparitionibus animarum, quæ referuntur,pauciores fuerunt animarum,plures verò miniſterio Angelorum, aut dæmonum. ibi.1.D.

Multæ rationes quare animæ à ſuis locis euocantur,& viuis apparent.ibi.2.

Animæ beatæ poſſunt adaptare ſibi corpora aërea, in quibus nobis quoties voluerint appareant: animæ verò exiſtentes in Purgatorio,vel damnatæ non poſſunt apparere, niſi Angeli eas deferant. 199. 2.

Omnes apparitiones animarum, quæ per artem Nicromanticam dicuntur fieri vanæ ſunt,& fallaces.ibi.2.

Quando Samuel apparuit Sauli, anima eius vera apparuit in corpore aëreo aſſumpto.202. 2. C.

Cùm anima attendit ad actum vnius potẽtiæ,abſtrahitur homo ab actu alterius potentiæ.2.B.

Animal.

Animalia bruta melius pronuntiant ea, quæ ex motu cœli pendent, quàm homines. 156.2. D.

Quòd animal brutum determinetur hìc, & nunc ad operandum non eſt reducendũ ad cœleſtium corporum efficacitatem, ſed in Deum,& Angelum.255.2.D.

Animalium inſtinctus ex duplici capite prouenire poteſt,corporali ſcilicet,& ſpirituali.311.1.C.

Per animalium operationes poſſunt prænoſſe ea futura, quæ ad eorum conſeruationem expectant.ibi.D.

Indirectè etiam poſſunt prænoſſe actiones humanæ, ſaltem quoad inclinationem. ibi. 2. C.

Diuinatio,quæ ſumitur ex motu quouis animalium, dicitur augurium, vel auſpicium.310.2.D.

Cauſa ſpiritualis motuum animalium eſt Deus,vel Angeli, & dæmon.311.2.D.

Anulus.

Duobus modis fit alligatio dæmonis ad anulum.218.2.D.

Dæmon alligatus nõ ſemper præſens adeſt anulo.219.1.B.

Apparitio.

Apparitio ſpirituum triplex. 174.2.D.ſcilicet corporalis, imaginaria, & intellectualis.

Angeli multipliciter apparent.175.1.

Si cõſtet,vel dubitetur an apparitio ſit dæmonis,nõ eſt illi fides adhibẽda. 176.1.B

Si cer-

Si certò cõſtet eſſe diuinam indubitatò eſt illi credendum.ibi. C.

Ex innumeris apparitionibus animarum, quæ referuntur, pauciores fuerunt animarum,plures verò miniſterio Angelorum,aut dæmonum. 198.1.B.

Multæ cauſæ quare dæmones appetant in forma defunctorum apparere. 101.1.

Apis.

Apis qui in forma vituli apparebat, & colebatur fuit præcipuum numen apud Aegyptios.27.1.B.

Apollonius.

Apollonius cum eſſet in conſpectu Domitiani repentè ex omnium receſsit,&longè alibi inuentus eſt. 130.1.A.

Apoſtata.

Qui apoſtatauerit exterius, interiori fide retenta non incurrit excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra hæreticos,& apoſtatas.104.2.C.

Aqua.

Vis quam habebant aquæ maledictæ ad manifeſtationem adulteræ erat ſupernaturalis.437.1.B.

Archimedes.

Archimedes in Siracuſarum obſidione per ſpecula naues combuſsit,& tot machinas adinuenit, vt dicerent Romani ſe non contra homines, ſed contra Deos pugnare.126.1. D.

Architа.

Architа fabricauit quandam columnam ligneam,quæ volabat. 126. 1.D. & 135. 1. A.

Ars.

Ars notoria illicita eſt.364.& 365.2.C.

Illa quæ tradit quædam documenta, & regulas obſeruandas, ad acquirendam plurium rerum ſcientiam ſubitò,&per infuſionem illicita eſt.ibi. C.

Ars notoria eſt triplex, quædam conſtat obſeruantijs merè ſuperſtitioſis, alia cõſtans obſeruantijs ex ſuo genere probis, vt ieiunijs,abſtinẽtijs,oratione, &c. tertia media,quæ ſuperſtitioſis, & pijs quibuſdam conflatur.ibi.D.

Quomodo exerceatur. 365.1.A.

Artificiatum.

Artificiata vt ſic nullam habent vim ad tranſmutanda naturalia.387.2.D.

Artificiata Aſtrologica in cœlo ab Aſtrologis poſita.386.1.B.

Artificiata Necromantica. ibi.2.B.

Artificiata vt ſic nullum habent vſum, niſi illum ad quem ex voluntate inuentoris ordinantur.ibi.2.B.

Aruſpicium.

Aruſpicium erat ſpecies diuinationis, qua dæmon per animalium exta, aut membra reſponſa dabat.207.2.A.

Exercebatur circa aras animalium immolatorum. 208.2. D.

Aliquando vſurpatur pro ariolatione ſtrictè ſumpta. ibi.

Aſtrologia.

Pars iudiciariæ Aſtrologiæ, quæ verſatur circa affectus merè contingentes, & caſuales damnata eſt in ſacris literis. 234. 2. B.

Aſtrologia iudiciaria, ſeu diuinatrix pugnat cum Philoſophiæ principijs. 135. 1. D.

Aſtrologia iudiciaria, quæ verſatur in prædicendis futuris merè contingentibus noxia eſt bonis moribus formandis, & religioni veri Dei, i ſque fidei,& miniſterijs contraria. 237.2.D.

Figuræ,& imagines,quas Aſtrologi in cœlo ponunt, enumerantur. 386.1.B.

Aſtrologiæ iudiciariæ fundamenta,&principia ſunt partim falſa, partim dubiæ veritatis.241.1.A.

Praxis ab Aſtrologis obſeruata, ad coniectandum omnia, quæ ad vnumquemque hominem ſpectant.ibi.C.

Omnia fundamenta Aſtrologorum impugnantur.ibi.& ſeq.

Fundamenta, ex quibus Aſtrologi coniectant legum, ac Regnorum mutationes, & inſigniores euentus, impugnantur. 245.1.

Fundamentum,quo reſpondent ad interrogationes,v.g. quis hoc furtum commiſit? vtrùm hæc mulier ſit adultera? &c. impugnatur. ibi. 2.

Non poteſt ex cœlo cognoſci, qua hora aliquid fiat fœliciter, qua verò infœliciter.246.2.C.

Aſtrologiæ ſcientia eſt vana, & inutilis,maxime quæ verſatur in prædicendis effectibus

ctibus merè contingentibus. 249.1.A.
Illa Astrologiæ pars, quæ ex natalitia constellatione, prædicit natorum propensiones, & inclinationes, si prædictio intra limites proprios contineatur non est vana, sed ad naturalis Astronomiæ partes reducenda. 251.1.C.
Astrologia iudiciaria partim reijcienda est, partim verò licita est. 384.1.B.
Astrologia duplex, vna quæ versatur circa naturas cœlorum, siderum, &c. & pars est Astronomiæ, veraque scientia; altera est, quæ iudiciaria dicitur eo quod futuros aliquos euentus ex Astrorum consideratione prædicit. 233.2.A.
Plures partes Astrologiæ iudiciariæ 234.1
Astrologia iudiciaria, quæ de euētibus corporalibus, ac naturalibus, qui vt plurimū ab Astris proueniunt, differit, licita, ac laudabilis est. ibi. D.

Astrologus.

Astrologus potest ex siderum positione, & situ Lunæ leuem quandam coniecturam desumere effectuum actualium, maximè merè contingentium. 251.2.A.
Quos effectus sublunares poterit Astrologus prædicere ex inspectione Astrorū. 256.2.D.
Quando Astrologi prædicunt futuros euētus, id non accidit ex inspectione siderum propter artem Astrologicam, sed ex alijs causis. 263.2.D.
Ephemeridum editores debent abstinere à prædictione absoluta futurorum. 267.2.B.
Artificiata Astrologica in cœlo ab Astrologis posita. 386.1.B.
Astrorum effectus obseruare ad effectus purè corporeos licitum est. 429.1.D.
Annos, menses, &c. obseruare ad effectus ex libero arbitrio pendentes, vanum, & superstitiosum est. ibi. A.
Argumenta, quibus Astrologi probant, Astra esse signa certa futurorum. 252. & infra.
Fit satis his argumentis. 254.1.B. & infra.

Athenienses.

Athenienses in Regione Athica multas aras ignoto Deo erexerunt. 111.1.A.
Verum Deum sub nomine ignoti Dei colebant. 112.1.B.

Augurium, & Auspicium.

Augurium, & auspicium vsurpantur pro omni diuinatione, imò pro obseruatione rerum subitò euenientium instituta ad cognitionem futurorum, vel occultorum. 310.2.C.
Strictius sumuntur pro diuinatione, quæ sumitur ex auium garritu, volatu, aut pastu, aut motu quouis aliorum animalium. ibi. D.
Auguria, & auspicia fuerunt in magno pretio apud Gentiles. 312.1.D.
Ars hæc incepit à Troianis, vel à Chaldæis, inde ad Græcos, & tandem ad Romanos deriuata est. ibi. 2.A.
Augurium naturale quatenus reducitur ad vnam causam communem ipsi, & futuris euentibus diuinationis licitum est, & pars Philosophiæ naturalis. ibi. C.
Auguria diuina, id est, diuinatio sumpta à motibus animalium, à Deo, vel Angelis causatis ad designanda futura, licita est, & ei fides indubitatò est adhibenda. 313.2.A.
Diuinatio ex augurijs dæmoniacis, illicita est, nec ei fides est adhibenda. ibi. D.
Eius exempla. 314.1.
Vt plurimum non est fides adhibenda augurijs. ibid. 2.A.
Diuinatio per auguria diuina, aut naturalia licita est, & nullo modo est peccatum. Diuinatio autem, quæ versatur circa actus exemptos à causalitate rerum corporalium peccatum mortale est superstitionis, & tacitæ inuocationis dæmonum. 315.1.C.
Diuinatio auguralis circa euentus futuros subditos causalitati corporum cœlestiū, si non innitatur probatis experientijs est peccatum veniale leuitatis, & temerarij iudicij. ibi. D.
Hetrusci mittebant filios suos ad Collegiū solemne augurum hac arte erudiendos. 312.2.A.

Auis.

Alcion auis in ouorum incubatione, ac pullorum exclusione sedatum mare indicat. 312.2.D.
Ex auium garritu, volatu, aut pastu, siue alio motu sumitur diuinatio, quæ dicitur augurium, seu auspicium. pag. 310.2.D.

Aurum.

Alchimista potest facere aurum quantum ad apparentiam, non quantum ad substantiam, & proprietates. 408. 1. B.

Alchimistico auro vti in pharmacis non est licitum. ibi. D.

B

Bellum.

Nunquam licet bellum iustum resoluere in duellum, nisi in casu extremæ necessitatis ratione defensionis iustæ ab actualiter inuadente. 359. 1. D.

Bellum iustum, aut est vindicatiuū, aut defensiuum. 357. 2. B.

Bellum vindicatiuum non potest indici, nisi à potentiore. ibi.

Bellum indicere aliquando est licitum, non tamen indicare duellum. ibi. C.

Beneficium.

Si sunt duo collitigātes supra aliquod beneficium poterit Episcopus illis consentientibus alteri dare beneficium sub cōditione, quòd alteri parti soluat ex illo pensionem specialem. 773. 1. A.

Episcopus potest imponere pensionem super beneficium, quæ duret etiam mortuo Beneficiato. ibi. C.

Episcopus non potest ad requisitionem partium collitigantiū supra beneficium imponere alteri parti pensionem temporalem: & si partes antea de hoc conuenerint, conuentio debet à Prælato reprobari, nisi iudicauerit conuentionem talem conuenire. ibi. 2. B.

Quando partes conueniunt, quòd vnus retineat beneficium, & det alteri certam pensionem remittendo se ad Prælati cōsensum non est in rigore simonia, habet tamen eius speciem. 773. 2. C.

Beneficia Ecclesiastica simoniacè acquisita stando in iure diuino non sunt obnoxia restitutioni, sed tuta conscientia retineri possunt. 795. 1. D.

Emptor beneficij Ecclesiastici per se loquendo non peccat contra iustitiā. ibi. C

In iure Pontificio quodcunque beneficiū Ecclesiasticum simoniacè comparatum resignandum est in manibus Prælati ante omnem iudicis sententiam, vno excepto Pontificatu, quod non est necessariò resignandum. 796. 1. A. Fructus etiā huiusmodi beneficij sic acquisiti ante iudicis sententiam restituendi sunt. ibi.

Si quis accipiat beneficium ignorans inuincibiliter collationem pretij pro beneficio obtento, tenetur resignare beneficium, & fructus præsentes, non verò consumptos: & ab hac regula excipiuntur duo casus. ibi. 2. B. & C.

Si in casu præcedenti post collatum beneficium Beneficiarius consenserit in pretio promisso, inscio illo, & illud soluerit, ipsofacto priuatur beneficio obtento, & tenetur illud renuntiare. 797. 1. B.

Quando ille qui accepit beneficium inuincibiliter ignorauit collationem fuisse simoniacè tactam, si constet in fraudem ipsius pretium fuisse solutum ad nihil restituendum tenetur, etiamsi merè negatiuè se habuerit, secus si ab amicis, vel consanguineis in eius fauorem fuit soluta pecunia; nam tunc cùm primùm sit conscius delicti tenetur restituere beneficium, & fructus eius, in quantum fructus est ditior. 798. 1. B.

Beneficium quid? 714. 1. B.

In Beneficio Ecclesiastico duo includuntur iura, & quæ sint? 715. 1. A.

Beneficio quoad ius, & titulum quem includunt spirituale ius est, & ex natura rei inuendibile. ibi. 1. B.

Beneficiarius cùm se priuat beneficio, vt alteri conferat non potest ab eo exigere pecuniam, vel partem fructuū ratione iacturæ quam patitur in fructibus percipiendis, quam non pateretur si beneficium retineret. 718. 2. B.

Biarni.

Biarni solebant vendere ventos nauigantibus, habebant enim initum cum dæmone pactum. 129. 2. D.

C

Caligula.

Caligula mortuus fuit cùm ei Lessonia ad conciliandum amorem Hyppomanem potandum tribuisset. 368. 1. C.

Carthaginenses.

Carthaginenses filios mactabant Deo, & qui illos non habebant à patribus emebant. 37. 1. B.

Caſtitas.

Michael Verinus ob caſtitatem ſeruandam obijt, nollens matrimonium contrahere. 471. 2. C.

Cauſa.

Cauſa diuerſorum effectuum, & proprietatum enumerantur. 402. 1. C.
Effectus ex cauſis præſagire licitum eſt. 426. 2. C.

Cælum. Cæleſte.

Cælum animatum eſſe, delirium eſt, ſicut & poſitio aſſerentium, ſublunaria hæc corporis cœleſtis animam, & ſpiritum haurire. 365. 1. B.
Corporibus mixtis ad operationes, quæ nõ tranſcendunt facultates elementares magna ex impreſſionibus cæleſtium inditur efficacia. 379. 2. B.
Quomodo id fiat. ibi. D.
Corpora cæleſtia poſſunt producere in rebus naturalibus aliquas formas nobiliores elementaribus. 380. 1. B.
Corpora cæleſtia non ſunt cauſa effectuum per accidens, ſiue in rebus naturalibus, ſiue in artificialibus. 235. 2. B.

Cenſura Eccleſiaſtica.

Celebrans in Eccleſia polluta non incurrit aliquam cenſuram. 640. 1. A.

Chiromantia.

Chiromantia eſt diuinatio ſumpta ex manuum hominis diſpoſitionibus, putà lineis, &c. 326. 2. A.
Chiromantia eſt duplex: quædam quæ de propenſionibus diuinat, & hæc eſt licita: alia quæ iudicat de omnibus euentibus, & vita hominum, & hæc non eſt licita. ibi. & 327. 1. A.
Ars chiromantiæ quomodo iudicat de lineis manuum. 327. A.

Citatio.

Citationes, quæ fieri poſſunt ad Dei tribunal ab eis qui ſe iniuriam paſſos conqueruntur, quandoq; abſolutè fiunt nullo præfixo tempore ad comparendũ coram Deo, interdum verò aliquo præfixo temporis ſpatio. 482. 2. A. Si fiant abſolutè propter bonum finẽ, ac nullis malis motiuis licitę ſunt. ibi. B.
Si fiant præfigẽdo tempus illicitæ ſunt, & ad tentationem Dei pertinent. ibidẽ. D.

Claudia.

Claudia virgo Veſtalis virtute Dei adiutâ portauit aquam à Tiberi in vaſo perforato, ſine effuſione. 127. 2. D.

Clericus.

Clericus vtens amuletis ex imaginibus Aſtronomicis degradationi ſubditur. 442. 2. D.
Clerici vtentes ſuperſtitionibus, & ſortilegijs bono zelo, ſuſpenduntur à diuinis per annum, & vltra, iudicis arbitrio ſecundùm criminis qualitatem. 450. 2. C. Si dolo malo id faciant deponendi ſunt ab ordine ſacro, & priuandi beneficijs, & in Monaſterium perpetuò detrudendi. ibidem.
Clerici ſimoniaci ſpiritualia vendentes, aut ementes, ſunt infames, & deponendi. 778. 2. B.
Clericus celebrans in mortali, principaliter propter ſtipendium, licet grauiſsimum ſacrilegium committat, non eſt ſimoniacus. 783. 2. C.

Cognitio.

Cognitio vnius rei ex alia tripliciter contingit, primò, vt ex ſua cauſa, ſecundò, vt ex ſuo effectu, tertiò, vt ex effectu ſuæ cauſæ. 163. B.

Color.

Colores vt ſic nullam habent efficaciam ad effectus naturales, niſi ratione materiæ, in qua exiſtunt. 393. 1. B.

Columba.

Columba quæ deſcendit ſuper Chriſtum fuit verum animal. 312. 1. A.

Commenda.

Commmenda à commendando dicta. 720. 1. B.
Commendæ quæ dantur propter ſpirituale miniſterium, ſiue perpetuæ ſint, ſiue nõ, nequeunt vendi ſine ſimonia. ibi. 1. D.
Commendas vendere illicitum eſt, niſi autoritate Pontificis id fiat rationabili cauſa. 721. 1. C.

Cometæ.

Cometæ, ſeu Stellæ crinnitę in aëris regione generantur: & conſumptis exhalationibus ex quibus producuntur, euaneſcunt. 318. A.

Cauſæ cometarum aliæ ſunt naturales, vt cœli, & ſidera: quædam ſpirituales, vt Deus, Angeli, vel dæmones. ibi. B.

Cometæ naturaliter ſunt ſigna ſterilitatis, famis, ac prælij. ibidem. D. & frequenter ſiccitatem temporis denotant. ibidem. 2. A.

Cometæ minantur mortem bilioſis, & qui ardentiores ſunt naturæ. ibi. B.

Non rarò cometæ ſunt ſupernaturaliter à Deo volente admonere homines de imminente calamitate, vel morte Regum, ac Principum, vt mores corrigantur. ibidem. C.

Non eſt dubium quin poſsint fieri à dæmone, licèt non legantur factæ. ibid. D.

Idem dicendum eſt de alijs, quæ in aëre gignuntur, vt de ventis, grandine, nubibus, rore, &c. & de quibuſdam imaginibus in aëre conflatis, aliquando de ſonitu, vocibus, & alijs portentoſis, hæc enim poſſunt eſſe à Deo, vel dæmone; ſed frequentius à Deo volente monere homines diuinam iram fugere. ibid. & 319. 1. A.

Commercium.

Commercium cum infidelibus in his, quæ ad vitam politicè tranſigendum attinent, non eſt illicitum. 51. 2. C. Secùs in operibus pertinentibus ad infidelitatem. 52. 1. A.

Communicatio cum infidelibus concelebrando eorum feſta, vel aliquo modo adiuuando eis non eſt licita. pag. 55. 2. D.

Commercium cum dæmone aliud expreſſum, aliud implicitum. 212. 1. B.

Expreſſum multipliciter contingit. ibidem. C.

Nullo modo licet habere aliquod commercium cum dæmone innito pacto, ſeu ſtipulatione, ſiue expreſſa, ſiue tacita. 213. 1. C.

Omnis inuocatio dæmonum, & omnis familiaritas, etſi fiat ſine pacto abnegandi fidem, aut offerendi dæmonis ſacrificiũ, obedientiam, &c. eſt grauiſsimum peccatum inuoluens multiplicem malitiam. ibi. 2. C.

Precari à dæmone, aut petere aliquod officij genus, putà conſilium, fauorem, ſanitatem, & huiuſmodi, etiam citra pactum, aut hæc acceptare, peccatum grauiſsimum eſt. 214. 1. B.

Non licet imperare dæmonijs, vt nobis inſeruiant, aut conferant aliquod officij genus. 216. 1. A. Licet tamen per modum imperij ad dæmonem loqui, vt dicendo: Recede Sathana: & alia quæ potiùs contemptum indicant, quàm imperium. ibi. C.

Ad ſocietatem dæmoniacam pertinet acceptare beneficia à dæmone oblata, imò non licet oblatis vti, quandiu dependentiam à dæmone habent. 216. 2. B.

Licèt omne commercium cum dæmone ſit ex ſuo genere peccatum mortale, ex imperfectione tamen actus poteſt eſſe veniale. 218. 1. C.

Commercium, & familiaritas cum dæmone multiplici inuoluitur malitia, & inſeparabiliter includit apoſtaſiam à fidelitate debita Deo. 221. 1. B.

Commercium cum infidelibus.

Licitum eſt Chriſtianis vendere infidelibus ea quæ de ſe non ſunt determinata ad ſuperſtitioſum vſum, ſi non vendat ea vt infideles eis ad ſuperſtitionẽ vtantur. 58. 2. A. Secus ſi ſint deſtinata ad malum vſum. ibid.

Non ſufficit cauſa rationabilis ad ſuppeditandum infidelibus res de ſe ad malum vſum deſtinatas. 59.

Licitum eſt vendere res indifferentes ad bonum, vel malum vſum infidelibus, etiamſi vendens ſciat illos eſſe malè vſuros eis, ſi bono motiuo compulſus illas vendat: ſecus ſi ſine motiuo. 63. 2. A.

Confidentia.

In conſtitutione Pij Quinti, quæ incipit *Intolerabiles*, ſolùm prohibentur confidentiæ, quæ aliàs erant illicitæ, & ſimoniacæ. 790. 1. D.

Omne genus contractus in beneficijs ſub confidentia comprehenditur in prædicta Bulla Pij Quinti. 792. 1. B.

Epiſcopi, & quicunque ſuperiores Prælati facientes ſimoniacas confidentias Eccleſiæ ingreſſu interdicuntur. ibid. 2. B.

Inferiores verò excommunicantur excommunicatione maiori, à qua præter mortis articulum abſolui nequeũt, niſi à Romano Pontifice. ibi.

Omnes reſignationes, & collationes ſub confidentia ſimoniaca, ſunt nullæ, & ſimoniaci manent inhabiles ad tale beneficium obtinendum. ibi.

In duobus caſibus manent ſimoniaci accipientes beneficia ſub confidentia priuati omnibus beneficijs, aliàs verè obtentis, dùm prius intercedat ſententia declaratoria criminis. ibi. C. & D.

Confidentia alia mentalis, alia conuentionalis, alia realis. 793. 1. A.

Confidentia mentalis, aut purè conuentionalis, nullis pœnis ſubijcitur, ſed requiritur quòd ſit ex equutioni mandata ſaltem ex vna parte. ibi. & B.

Coniunctio.

Coniunctio magna dicitur cùm ſimul iunguntur Iuppiter, & Saturnus, quod poſt viginti annos ſemper euenit. 245. 1. A.

Conſuetudo.

Conſuetudo nihil aliud eſt, quàm frequentia actuum, vel actus frequenti. 567. 2. A.

Conſuetudo peccandi, vt ſic, non eſt verum peccatum. 567. 2. D.

Sola praua conſuetudo ſi retractatur, non ſufficit ponere hominem in ſtatu peccati, quia periculum, quod illa conſuetudo ſecum affert, eſt effectus, non ſtatus peccati. 568. 2. D.

Contemplatio.

Contemplatio naturaliter fieri nequit, vt intellectus aliquid contempletur ſine cooperatione phantaſiæ, vel ſine ordine ad phantaſmata. 297. 1. C.

Naturaliter fieri poteſt contemplatio diuinorum ſine externorum ſenſuum coopetatione. ibi. 2. D.

Perfectiſsima contemplatio eſt potens cauſare alienationem à ſenſibus externis. 300. 1. D.

Contemplatio, ad quam ſequitur raptus, quandoque conflatur ex actibus, qui non poſſunt haberi, niſi auxilio Dei. ibidem.

Tam vehemens poteſt eſſe contemplatio diuinorum, vt ſuaptè natura, & efficacia impediat, & liget imaginationem, ſeu phantaſiam, ne aliquid operetur. 301. B. Non tamen poterit ſuſpendere operationes potentiæ vegetatiuæ. 302. 2. B.

Corpora cæleſtia.

Effectus omnes corporei ſublunares communicantur præcipuè à corporibus ſuperioribus, niſi ſint effectus caſuales, & fortuiti. 255. 1. D.

Influentiæ corporum cœleſtiũ nihil poſſunt in ordine ad religionis affectum cauſandum. 43. 2. B.

Cultus ſuperfluus.

Cultus ſuperfluus eſt ille, in quo reperitur aliquid non proportionatum fini diuini cultus. 12. B.

Ad cultum ſuperfluum pertinet Sabbathis non ſecare vngues, vel non fila ducere in honorem Beatæ Virginis. 13. D.

Cultus ſuperfluus eſt qui nimius eſt, & inanis abſque mendacio ſpeciali. 161. C.

Cultus perniciоſus.

Cultus pernicioſus eſt, in quo admiſcetur falſitas, vel ex parte rei ſignificatæ, vel ex parte colentis. 10. A.

Cultus pernicioſus eſt, qui non ſolùm inanis eſt, ſed etiam mendax. 14. C.

Cultus pernicioſus eſt ſi quis ex iſtimans ſe colere Deum occidat filium ſuum. ibidem, & D.

Cultus pernicioſus alius ex parte rei ſignificatæ, alius ex parte colentis. ibidem. B.

Cultus pernicioſus ex parte colentis debet eſſe contra Eccleſiæ inſtitutionem, aut prohibitionem; ſecùs de ſuperfluo qui non eſt contra, ſed præter Eccleſiæ conſtitutionem. 16. 1. D.

Cultus pernicioſus ex partis colentis non ſolum reperitur in cultu communi, ſed etiã in priuato, quo miniſter offert Deo cultum prohibitum. 16. 1. A.

Cultus pernicioſus ex parte rei ſignificatæ ferè ſemper eſt mortale, etiam in indiuiduo. ibi. 2. C.

Cultus pernicioſus ex parte colentis, quãdo fit ex nomine Chriſti, vel Eccleſiæ, ſemper eſt peccatum lethale. 17. 1. A.

Quando cultus indebitus non fit ex preſſè nomine Chriſti, vel Eccleſiæ, ſed contra Eccleſiæ prohibitionem, eſt peccatum mortale, vel veniale, iuxta materiæ grauitatem, vel leuitatem. ibi. C.

Si quis ieiunaret die Dominico ad profitendum errorem Manichæorum, aut aliorum negantium Chriſti Reſurrectionem, ille cultus eſſet pernicioſus, ex par-

ex parte rei significatæ. pag. 16. 2. A.

Cultus Dei.

Cultus veri Dei nullo tempore ab Adamo vsque ad finem mundi defecit, nec deficiet. 113. 1. A.

Ex sacra Scriptura constat, non defeciſſe cultum Dei, ab Adamo vsque ad diluuiū: attamen à diluuio vsque ad Abraham nō colligitur ex sacris literis apud aliquos semper mansiſſe, licèt sit certum quod nō ou defecit. ibi. 2.

Certò colligitur ex sacris Literis, à temporibus Abrahami vsque ad Christum non defeciſſe veri Dei cultores. 115. 2. D.

A Christo vsque ad finem mundi non deficere veri Dei cultores est de fide. 116. 2. A.

Cognitio quædam generalis de Deo, quòd est principium omnium rerum, sufficit vt mortales illum colere teneantur, & ab idololatriæ crimine abstineant. 40. 1. D.

Cultus hominis.

Homines dupliciter coli possunt, vel prout in se excellentes sunt absoluta aliqua sanctitate, & sic cultus pertinet ad dulia: vel quia Dei aliquid sunt, & sic cultus expectat ad religionem. 598. 1. C.

Cultus dæmonis.

Inuocare dæmonem tanquam potentem adiuuare, in eo quod desideratur tāquā si alius homo inuocaretur, etiamsi non includat cultum illius formaliter, & expresè; includit tamen virtualiter, & implicitè illum: vnde nō est licitū. 220. 1. C

Curationes.

Non licet vti verbis sanctis ad quandam formam reductis, ad curandum. 439. 1. B.

Vti verbis sanctis non vt habentibus virtutem sanatiuam, sed ad impetrandam sanitatem à Deo, licitum est. ibi. 2. B.

D

Degradatio.

Clericus vtens amuletis ex imaginibus Astronomicis degradationi subditur. 442. 2. D.

Dæmon.

Multæ causæ quare dæmones appetant in formis defunctorum apparere. 201. colum. 1.

Alligatio dæmonis anulis, phialis, aut rei alteri duobus modis fit. 218. 2. D.

Dæmon, qui dicitur alligatus, non semper præsens adest tali rei. 219. 1. B.

Alligare dæmones non est licitum, nisi id fiat virtute diuina. ibi C.

Dæmones fugari nequeunt virtute rerum naturalium. 419. 2. A.

Dæmones possunt efficere quidquid factibile est per motum localem. Et multa mirabilia virtute eorum patrata. 129. 1. & 2.

Opera miranda, quæ dæmones efficiunt, necessariò debent fieri per actionem transeuntem in exteram materiam. ibidem. 1. B.

Dæmones possunt quidquid possunt causæ naturales, eas applicando per localem motum, vt operentur iuxta naturalem motum suum. 130. 1. C.

Dæmones non possunt quidquam quod naturam superet, aut aliquid, quo naturæ ordo, aut lex gubernationis vniuersi mutetur. 130. 2. D.

Hac ratione non possunt cœlorum motus sistere; integrum elementum de suo loco naturali ad alium transferre; vacuum producere; nec aliquid ex nihilo efficere, carnem, ossa, & alias partes integrales viuentium, formam in aliquo producere, corpora alicuius speciei perfectæ in aliam transformare; duo corpora in eodem loco constituere; cadauera viuificare; formam substantialem etiam præuijs dispositionibus in instanti producere. ibid. & 132; & 133.

Aliqui dæmonum effectus sunt veri, non decipientes sensus; alij verò sunt fucati, præstigiosi, ac deceptorij. 134. 1. D.

Dæmones formant corpora ex aëre. 137. 1. D.

Dæmones possunt hominum intellectum decipere. 143. 2. C.

Dæmones attenta sua naturali virtute possunt humanum intellectum illuminare. ibidem. D.

Dæmones possunt decipere intellectum

humanum,non immutando illum immediatè,ſed mediatè.144.2. A.
Dæmones poſſunt cogere phantaſiam, vt ſpecies ſenſatas curſet. 144.2.D.
Dæmones nec directè, nec indirectè poſſunt mouere voluntatem. 145.2. B.
Dæmones poſſunt multipliciter ad peccatum inclinare.ibi. C.
Effectus facti à dæmone, qui videntur ſuperare vires naturæ creatæ, ſunt præſtigioſi, & apparentes dumtaxat. 146. 2. B.
Dæmones poſſunt decipere ſenſus viſus, & auditus,& tactus,niſi circa carnes,&oſſa, & aliqua quibus fabrica corporis viuentis conſtat.147.& 148.
Naturalibus rebus nulla ineſt virtus ad dęmones profligandos, benè tamen ad inducendas diſpoſitiones illis ingratas.420 1.B.& 419.2. A.

Dæmonis præcognitio.

Dæmon multa cognoſcit:& quæ?164.1.A.
Dæmon prædicit multos euentus futuros, quia ſcit eos ipſum facturum,vel quia ex ſacris literis Prophetarum id didicit,vel quia à cauſis naturalibus neceſſarijs pendent,quæ ab alijs cauſis naturalibus non poſſunt impediri.164.1.& 2. D.
Dæmon non poteſt præcognoſcere certò ea, quæ ſunt omninò liberè futura. ibi. 2.
Dæmones aliquando prædicunt multa de cogitationibus internis, quia hæc cogitata ſolent in corpore ſui ſigna relinquere.165.2.
Dæmones perficiunt pleraſque ſuarum diuinationum, per pueros innocentes, ac per virgines, quia volunt videri mundicici amatores.208.2. C.

Deus.

Deum eſſe vnum oſtenditur.34.
Deum eſſe eſt per ſe notum ſecundùm ſe, non tamen quoad nos.42.2.D.
Non eſt certum poſſe inueniri hominem ita rudem, vt per breue tempus laboret ignorantia inuencibili vnius Dei.41. 1. D.

Dies.

Dies vnde mali dicantur.428.2. C.
Dies ominoſi quare dicantur Aegyptiaci. 430.1.B.
Dies qui notati ſunt in Kalendarijs antiquis vt ominoſi, non fuerunt ab Eccleſia poſiti.431.1.D.

Diſpoſitio.

Materiæ diſpoſitio quantum valeat in Aſtrorum actione.383.2.C.

Diuinatio.

Diuinatio per augurium. Vide, *Augurium.*
Diuinatio per auium, vel animalium operationes, quæ dicitur auſpicium. Vide ibid.
Diuinatio eſt peccatum.151.2. B.
Diuinatores ſunt, qui indebito modo futurorum euentuum prænuntiare, aut præcognoſcere præſumunt.153. 2. B.
Diuinatio eſt idem atque diuinitatis imitatio.155.1.A.
Diuinationis partes ſunt tres, ſcilicet prophetia, prænotio naturalis, quæ præſagium dicitur, & dæmoniaca futurorum prænotio.155.1.B.
Diuinationem, hoc eſt, futurorum prædictionem eſſe,certum eſt.155.2.C.
Nullæ creaturæ puræ ineſt vis naturalis diuinandi,niſi ei ſupernaturaliter donetur. 156.2.A.
Omnis diuinatio futurorum, quæ fit per expreſſam,vel tacitam dæmonum inuocationem, ad ſuperſtitionem pertinet. 160.1.D.
Dæmon multa præcognoſcit,& quæ? 164. 1.A.
Dæmon prædicit multos euentus futuros, quia ſcit ipſum eos facturum,vel quia ex ſacris literis Prophetarum id didicit, vel quia à cauſis naturalibus neceſſarijs pēdent, quæ ab alijs cauſis naturalibus non poſſunt impediri.164.1. & 2.D.
Dæmon non poteſt præcognoſcere certò ea quæ ſunt omnino libere futura. ibi.
Dæmones aliquando prædicunt multa de cogitationibus internis,quia hæc cogitata ſolent in corpore ſui ſigna relinquere. 165.2.
Diuinatio eſt quædam ſuperſtitionis ſpecies, in qua prænuntiantur occulta, mediante inuocatione tacita, aut expreſſa dæmoniorum.166.1.D.
Diuinatio quæ quouis modo indebitè patratur,omni iure diuino, naturali, & humano eſt prohibita.ibi.2.C.
Diuinatio omnis ſuperſtitioſa eſt peccatū mortale ex genere ſuo, excuſantur tamē reue-

reuelantes propter ignorantiã, niſi craſſa ſit, & ſupina. 167. 2.

Diuinationis peccatum poteſt fieri veniale ex leuitate materiæ, quæ expenditur ex leui ſocietate cum dæmone habita. 168. 1. C.

Genus diuinationis triplex: primum, per manifeſtam dæmonum inuocationem; ſecundum, per ſolam conſiderationem diſpoſitionis, vel motus alterius rei; tertium, facere aliquid, vt nobis manifeſtetur occultum. 171. 1.

Diuinatio, quæ fit per ſolam dæmonis inuocationem, eſt ſpecie diſtincta à diuinatione, quæ fit per tacitam dæmonis inuocationem. 172. 2. C.

Species contentæ ſub his duabus enumeratis in ratione mali moralis non ſunt verè ſpecies differentes, ſed dumtaxat modi quidam varij diuinandi, ſecùs eſt in genere naturæ. 173. 1.

Dæmones perficiunt pleraſque ſuarum diuinationum, per pueros innocentes, ac per virgines, quia volunt videri mundiciei amatores. 208. 2. C.

Diuinationis finis eſt cognitio rerum ſingularium occultarum, ſuperſtitioſo modo conſequenda. 361. 2. D.

Conſtitutio Sixti V. cõtra exercẽtes quæcunq; diuinationum genera, vel legẽtes, aut habentes libros de eis. 446.

Diuinatoria arte vtentes ſunt de iure excõmunicati. 451. 1. A.

A monſtris ortis à naturalibus cauſis nulla ſumitur legitima diuinatio. 329. 1. B.

Variè diuinationes antiquorũ ex monſtris, & alijs rebus ſumptæ. ibi per tot.

Geomãtia eſt ſpecies diuinationis. 207. 2. A

Hydromantia eſt ſpecies diuinationis. ibi.

Nicromantia eſt quædam ſpecies diuinationis, qua per mortuos, aut aliquid ad eos pertinens occulta conantur ſcire, ac prædicere. 195. 1. B.

Omen propriè accipitur pro diuinatione, quæ fit per verba abſque intentione diuinandi dicta, quæ quis retorquet ad futurum quod vult prænoſcere. 315. 2. B.

Præſtigium eſt diuinatio, quæ promanat ex præſtigioſis dæmonum apparitionibus occulta homines edocentium. 175 2. B.

Pythonica diuinatio à quo ſit nominata. 203. 1. A. Eſt illa, qua diabolus occulta prædicit medijs hominibus viuis, ibidem. B.

Probabile eſt Sixtum V. in quodam Motu proprio prohibuiſſe aliquod genus diuinationis, aliàs licitum, eo quod pernitioſus erat Chriſtianæ plebi. 271. 1. D.

Probabilius tamẽ eſt hoc non prohibuiſſe, ſed tantùm id quod aliàs iure diuino prohibitum erat. ibi. 2. A.

Qui aliqua futura contingentia in ſingulari prædicit, vt quòd iſte erit rapax, &c. iudicandus eſt vt ſuperſtitionis diuinatiuæ reus. 272. 1. A.

A mõſtris ortis à naturalibus cauſis, vt plurimum nulla ſumitur legitima diuinatio. 329. 1. B.

Portenta, aut prodigia dæmoniaca vacua ſunt omni ſignificatione naturali, ac proinde diuinationes ab his deſumptę ſuperſtitioſæ ſunt ad tacitam inuocationem dæmonis pertinentes. 329. 2. A.

Dolus.

Dolus quandoque in bonam, quandoq; in malam partem accipitur. 535. 1. D.

Dolus ſimpliciter dictus pro malo ſumitur. ibidem. 2. A.

Donum Spiritus ſancti.

Donum Spiritus ſancti, quod eſt diſcretio ſpirituum, eſt quoddam lumen actuale ab Spiritu ſancto communicatum, quando vult, & quibus vult ad vtilitatem Eccleſiæ. 188. 1. B.

Eſt realiter diſtinctum à lumine prophetico. ibi. D.

Dos.

Dos Eccleſiæ, dicitur manſus Eccleſiæ. 629. 1. A.

Duellum.

Duellum, ſeu monomachia frequens fuit apud omnes nationes. 351. 2. D.

Maximè viguit apud Longobardos, Germanos, Frãcos, & valdè nimis apud Hiſpanos. 352. 1. A.

Hiſpani antiquiſsimi omne litigium, & omnem cauſam duello finiri cenſebant. ibidem.

Varij ritus duellorum. ibi. C.

Duellum omni iure eſt prohibitum. 353. 2. A.

Duellum ſuſcipere propter manifeſtandam veritatem, illicitum eſt. 354. 2. C.

Duellum ſuſceptum ad oſtendendas vires, vel vitandam ignominiam prohibitum eſt. 355. 1. & 2. D.

Non poteſt duellum ſuſcipi ad vindicandã iniuriam aliquam.356.1.D.

Principibus non licet terminare litem criminalem,ſeu ciuilem,acceptando,vel indicendo duellum,etiamſi cauſa aliter terminari non poſsit.357.1.C.

Idem dicendum eſt ſi cauſa ſit inter priuatos.358.1.B.

Si innocens poſsit mediante duello euertere mortem imminentem ab aduerſario,licet duellum innire cum illo,ſiue acceptando,ſiue indicendo.ibi.D.

Si quis innocens eſſet ab iniquis iudicibus damnatus,vt in duello pugnaret,vel mortem ſubiret;poſſet licitè ſubire duellum. ibi.2.B.

Nunquam licet bellum iuſtum reſoluere in duellum, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, ratione defenſionis iuſtæ ab actualiter inuadente.359.1.D.

Duellum licet inire ratione propriæ defenſionis,vel ſuorum.ibi.2.B.

Perſona priuata etiamſi non inuadatur ab inimico, ſi ſciat ſe occidendam, poteſt licitè cum ſuo aduerſario duellum inire, ſi non eſt aliud medium euadendi.ibi.2.D.

Si duobus exercitibus hinc, & inde caſtramentatis dux vnius prouocet ad particularia certamina, poterit alter dux, ne videatur degeneris animi, & ne hoſtium animi erigantur, ſi habet ſpem victoriæ, acceptare duellum : ſecurius tamen eſt non acceptare. 356.1.B.

Bellum iuſtum,aut eſt vindicatiuum,aut defenſiuum.357.2.B.

Bellum vindicatiuum non poteſt indici,niſi à potentiore. ibi.

Bellum indicare aliquando eſt licitum,non tamen indicare duellum.ibi. C.

Illi qui cooperantur duellis quouis modo, peccant grauiter, & ſunt excommunicati,ſiue duellum ſit publicum, ſiue priuatum.360.1.A.& 354.1.C.

Quidam ſenex Deo ſuggerente iniuit duellum cum Iudæo, qui blaſphemias in Deiparæ imaginem multas effuderat, & illum ſuperabit.360.2.B.

Troto Tertius Dannorum Rex ſtatuit, vt quælibet controuerſia ferro decernetur.352.2.A.

Dulia.

Colere homines prout in ſe excellentes ſunt aliqua magna ſanctitate,pertinet ad duliam.598.1.C.

E

Eccleſia.

Dos Eccleſiæ dicitur manſus Eccleſiæ. 629. 1.A.

Eccleſia non debet conſeruari ſine dote, quæ ad onera eius ſuſtentanda ſufficiat. 629.1.A.

Eccleſia polluta dicitur, quæ eſt indigna,& inepta,vt in ea diuina officia celebrentur.638.1.A.

Eccleſia violatur per homicidium iniuſtum in Eccleſia patratum; per copioſam ſanguinis effuſionem in ea; per humani ſeminis copioſam effuſionem: item ſi in ea infidelis ſepeliatur,vel fidelis excommunicatus non toleratus. Item ſi infans viuus cum matre per negligentiam ſepeliatur. 648. Dummodo iſthæc ſacrilegia publica ſint. ibi.

Celebrare in Eccleſia polluta eſt mortale ex ſuo genere, dum non celebretur de licentia Epiſcopi. 639. 2. A.

Celebrans in Eccleſia polluta non incurrit in aliquam cenſuram. 640. 1. A.

Eccleſia polluta purificari poteſt,ſi conſecrata eſt,ab Epiſcopo; ſi tantùm benedicta,à quolibet Sacerdote. ibi.

Si Eccleſia polluatur dum Miſſa celebratur, ſi violatio ſit poſt canonem debet Miſſa finiri,ſecùs ſi ante canonem.ibi.B.

Eſtaſis.

Vide. *Raptus.*

Eſtaſis eſt mentis à ſenſibus abſtractio. 295.2.B.

Sequi poteſt ex vi naturalis contemplationis,etiam ſi fiat per ſolam ſpeculationem ſine affectu.300.2.D.

Eſtaſes quæ non ſunt diuinæ ſunt illę,quæ prorumpunt in conſiderationem alicuius falſitatis,vel rei non vtilis, vel inutilis alicui.306.1.

Eſtaſes illæ ſunt diuinæ, quæ prorumpunt in veritates, quæ minimè à creaturis ſciri poſſunt.ibi.2.Item illę quas patiuntur viri probi,& ſancti cum interiori mentis illuſtratione. ibi.

Eſtaſes quæ ſunt à dæmone ſunt illæ, quãdo eſtaſim patiens in conſiderationem prorumpit maximè practicam de falſo enuntiato, aut iniquo, vel inutili. Item quando nullum actum habet intellectus, vel voluntatis. Item, quando eſtaſis eſt voluntaria,vt ſi quis iactet ſe rapi,quado voluerit,&c.307.1.

Ecſtaſes quæ ſunt ab ægritudine. ibid. 2. D. & quæ ſunt à vehementi contemplatione. 308. 1. B.

Viſio diuinæ eſſentiæ in hac vita cauſat ecſtaſim, & ſuſpenſionem à ſenſibus. 302. 1. C.

Effectus.

Effectus obſeruantiarum alij communes, & præuij, alij mirabiles, alij dubij; an naturales ſint, necne? 372. 2. B.

Effectus varij ex imaginatione proueniẽtes. 394. 2. C.

Effectus ex cauſis præſagire, timere, & præcauere, licitum eſt. 426. 2. C.

Effectus rerum naturalium corporales, aliqui reducuntur ad principia elementorum, alij tantùm ad cœleſtia corpora. 375. 1. C.

Ægyptij.

Aegyptij fuerunt primum initium idolatriæ. 108. 2.

Adorabant ferè omnia animalia. 109. 1. D.

Error.

Errores Philoſophorum circa falſos Deos. 24. 1. A.

Ethnici.

Ethnici quando fœmina naſcebatur biceps, vanè diuinabant, ſeditionem in populo futuram, corruptionem, & adulterium in domo vbi nata eſſet. 329. 1. C. Item ſi mulier leonem peperiſſet aiebãt ſignificari, quòd ab externis gentibus erat ſuperanda illa ciuitas, in qua id contigiſſet. ibi.

Euchariſtia.

Adoratio debita Chriſto in Euchariſtia eſt eiuſdem rationis cum ea quæ debetur illi in propria ſpecie viſibili exiſtenti. 622. 2. B.

Euchariſtiæ debetur latriæ cultus. 626. 2. D

Purgatio per Euchariſtiæ ſumptionem etiam ſi à iudice alias legitimo imponatur eſt illicita. 478. 2. A.

Exorciſmus.

Exorciſmi ad maleficia curanda, maximè conducunt. 422. 1. A.

Exorciſmi ad maleficia curanda, quando, & quomodo ſint adhibendi. ibidem. 2. D.

Exorciſmi ad morbos ex naturali cauſa prouenientes nihil conducunt. 423. 1. A.

Maleficia quando curari poſſunt exorciſmis. 422. 2. C.

Excommunicatio.

Illi qui cooperantur duellis quouis modo, peccant grauiter, & ſunt excommunicati, ſiue duellum ſit publicum, ſiue priuatum. 360. 1. A. & 354. 1. C.

Diuinatoria arte vtentes ſunt de iure excõmunicati. 451. 1. A.

Sortilegi, malefici, incantatores, ſunt etiam excommunicati de iure. ibi.

Excommunicatio non incurritur inferendo violentas manus in Euchariſtiam. 627. 2. C.

Habentes libros prohibitos ſunt excommunicati, niſi tradant eos Inquiſitoribus. 452. 2. B. nec ſunt abſoluendi, niſi parati ſint eos tradere. ibi.

Laici ſimoniacè vendentes, aut emẽtes ſpiritualia excommunicatione puniuntur. 778. 2. B.

Per ſimoniam in ordine, in beneficio, in ingreſſu Religionis commiſſam incurritur excommunicatio maior, Pontifici reſeruata. 810. 2. C.

F

Familiaritas.

Familiaritas cum dæmone, vide, *Commercium*, & verbum, *Pactum*.

Faſcinatio.

Diſcrimen inter veram, & falſam faſcinationem. 399. 1. C.

Faſcinatio poſsibilis eſt naturaliter. 398. 2. C.

Faſcinatio per viſum ſpontanea eſt ex pacto dæmonis. 399. 2. D.

Faſcinationũ modi enumerantur. 398. 2. D.

Fœmina.

Fœminæ facilius à dæmone arripiuntur. 205. 1. D.

Fides.

Quamuis mente retineatur verâ fides, nunquam licet Dei cultum exhibere creaturæ etiam vitandæ mortis cauſa. 45. 2. D.

Figura.

Figuræ, & imagines, quas Aſtrologi ponunt

in cœlo enumerantur. 386. 1. B.
Figura cœli tempore natiuitatis Chriſti. 239.
Obſeruationes omnes ex figuris artificiatorum deſumptæ illicitæ ſunt, & ſuperſtitioſæ. 391. 2. C.
Figura repræſentans genituram Domini Ioannis Auſtriaci. 242.

Fornicatio.

Fornicationis nomine aliquando per metaphoram ſignificatur quodcunque mortale peccatum. 26. 2. D.
Fornicatio maximè ſubijcit hominem diabolo quàm aliud genus peccati. 606. 1. D.

Fumus.

Per fumum quarundam herbarum omnes trabes domus ſerpentes apparent. 142. 2. A.

Futura.

Futura prædicere, vide, *Diuinatio*, & verbũ *Dæmon*, & verbũ, *Prædicere*.
Futurorum cauſæ tripliciter ſe habent. 153. 2. B.
Futura nec homo, nec Angelus pręcognoſcere poſſunt in ſe ipſis. 154. 1.
Futura poſſunt prænoſci in ſuis cauſis, vel certò, vel conjecturaliter. ibi.

G

Garritus auium.

Augurium, vel auſpicium ſunt diuinatio, quæ ſumitur ex auium garritu. 310. 2. D.

Gentiles.

Auguria, & auſpicia fuerunt in magno pretio apud Gentiles. 312. 1. D.
Gentiles cuilibet rei perficiendæ in numeros aſsignabant Deos. 34. 2. D. Immolabant in excelſis locis. 27. 2. D. & quare. 28. 1. B.
Gentiles colebant idola pro Dijs. 95. 2. D.

Geomantia.

Geomantia eſt ſpecies diuinationis. 207. 2. A.
Dupliciter fieri poteſt, vel dæmone dante reſponſa, allecto, & inuocato per corpus terreſtre, vel formante quaſdam imagines, quæ repræſent id, de quo conſulitur. ibi.

Græci.

Græci colebant vt Deos ſacinoroſos homines, Iouem, Venerem, Bacchum, &c. 110. 2. D.

H

Hæreſis.

Hæreſim manifeſtam ſapit illud dictum, vel factum, ex quo ſaltem probabiliter infertur, quòd ille qui ea vtitur verſatur in aliquo errore, aut hæretico ſenſu. 444. 2. A.
Habentes libros prohibitos ſunt valdè ſuſpecti de hæreſi contenta in illis. 452. 2. B
Illæ ſuperſtitiones, quæ fiunt interueniente expreſſa dæmonum inuocatione ad aliquid faciendum, quod excedit ſcire manifeſtè, ſapit hæreſim. 444. 2. B. Secùs ſi res facienda non excedat vires dæmonis, ſi fiat inuocatio ſine cultu aliquo dęmonis. ibi.
Si quis inuocet dæmonem expreſsè nullo alio præcedente cultu, niſi quod dæmon obſecratur, & exoratur, vt tanquam potens aliqua faciat, ea inuocatio ratione obſecrationis ſapit manifeſtam hęreſim. 445. 1. D.
Aliqui caſus ſunt, in quibus etiam extra pactum expreſſum cum dæmone reperiũtur ſuperſtitiones ſapientes hæreſim manifeſtam. ibi. 2. B.
Quãdo ſuperſtitiones, aut ſortilegia ſapiũt hæreſim manifeſtam attento iure communi, attinet ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis ea punire. 446. 1. D. Secùs ſi dubium ſit, an ſapiat hæreſim: at ſi conſtat quod ſapit; & dubitatur, an ſapiat manifeſtam, poſſunt de illa qualificatione cognoſcere. ibi. 2. A.

Herba.

Per fumum quarundam herbarum omnes trabes domus ſerpẽtes apparẽt. 142. 2. A.
Herbarum vires variarum non reducibiles ad principia elementaria recenſentur. 380. 2. A.

Hetruſci.

Hetruſci mittebant filios ſuos ad Collegiũ ſolemne augurum hac arte erudiendos. 312. 2. A.
Iactabant ſe intelligere linguam auium. ibidem.

Hidromantia.

Hidromantia eſt ſpecies diuinationis qua dæmon reſponſa dabat, inuocato per aquam, vel formante imagines, quæ repræſentarent id de quo conſulebantur, vel dando reſponſa verborum. 207.2.A

Honor.

Honor, & cultus diuinus quomodo differat ab eo qui non eſt diuinus. 33.1.D.

Horoſcopus.

Ex horoſcopo natiuitatis Chriſti, colligi potuit futurum inſignem virum, qui magnam Religionis mutationem afferret. 239.2.A.

Pars Philoſophiæ, quæ ex horoſcopo prædicit natorum propenſiones, ſi prædictio intra limites proprios contineatur, non eſt illicita. 251.1.B.

I

Idolatria.

Cognitio quædam generalis de Deo, quòd ſit principium omnium rerum, ſufficit vt mortales ab idolatriæ crimine abſtineant. 40.1.D.

Idolatria includit in ſua ratione odium Dei formale, & blaſphemiam. 102.1.B.

Idolatria exterior eſt grauius peccatum infidelitate interiori. pag. 102.2.D. & 103.1.B.

De cauſa Idolatriæ.

Cauſa diſpoſitiua, & occaſionalis idolatriæ ex parte hominis deſumpta eſt, & hoc contingit tripliciter. 107.1.C.

Cauſa cõſummatiua idolatriæ ex parte dæmonum ſumpta eſt. ibid.

Potiſsima cauſa diſpoſitiua idolatriæ fuit ignorantia veri Dei, & eius excellentiæ, adiuncta cognitione confuſa aliquorum diuinorum numinum. ibid. 2.B.

De origine Idolatriæ.

In prima mundi ætate nondum inuenta eſt idolatria. 108.2.A.

In ſecunda mũdi ætate certum eſt viguiſſe idolatriam. ibid. C.

Ab Aegyptijs ortum habuit idolatria. ibid.

Omnes fere nationes quando in initio prolapſæ ſunt in idolatriam colebant ſtellas, aſtra, & elemẽta in ſe ipſis. 117.1.B.

Idolorum primus inuẽtor non fuit Iſmael. 118.1.A.

A Nino filio Beli primum initium ſumpſit idolatria. 119.1.C.

Primus idolorum cultus ad res inanes, vt ad arbores annoſas, ad lapides impolitos, & ad huiuſmodi dirigebatur. 120.2.C.

In ſexta ætate idolatria eſt excluſa per virtutem, & doctrinam Chriſti. 122.1.C.

Philoſophi Gentilium, qui agnouerunt Deum eſſe vnum, nequeunt excuſari tum à crimine idolatriæ, tum ab omiſſione colendi illum. 40.2.B.

Idolatria ex genere ſuo, & cõſiderata ratione ipſius peccati grauius peccatum eſt quàm odium Dei, & reliqua peccata. pag. 100.1.D.

Genuflexiones, proſtrationes, & id genus alia ſunt ſigna indifferentia ad exhibendum honorẽ Deo vel creaturæ. 33.2.B.

Signa ſenſibilia ad cultum exteriorem pertinentia ſunt in duplici differentia. pag. 46.2.D.

Signa indifferentia ad cultum Dei, & creaturæ ex quibus circunſtantijs coarctentur ad cultum idoli? 49.2.A.

Socrates accuſatus à Melito eo quod reijceret Deos Atheniẽſium morte punitus eſt ducentis octoginta, & vna ſententijs. 112.1.D.

Idolatriæ etymologia.

Idolum differt à ſimulacro quod illud eſt rei inſubſiſtentis, hoc autem eſt rei ſubſiſtentis. ibid. A.

Ly *imago* ſemper accipitur in bonam partem. 22.1.B.

Idolatræ cœperunt vocari Pagani, & quare? ibid.

Idolatria alia exercebatur ſine ſimulacris, alia medijs ſimulacris. 23.B.

Alia erga Angelos, Solem, Lunam, & Stellas; alia erga homines, & animalia reptilia; alia erga piſces. ibid. C.

Idolatria alia interior, quæ in actibus interni conſummatur, alia exterior quę conſummatur in actibus externis. 25.D.

Idolatria ad ſolum cultum creaturarum pertinet, & ſic diſtinguitur à cultu indebito veri Dei. 26.1.B.

Idolatriæ nomine aliquãdo per metaphorã ſignificatur quodcunque mortale peccatum. ibid. 2.

Populus Iſraël, & Gentilium immolabant in excelſis locis. 27.2.D.

Immolare in excelso post prohibitionem à Deo factam non erat peccatum idolatriæ, sed indebiti cultus veri Dei. ibidē.
Quare Gentiles in excelsis immolassent? 28.1.B.
Hæreticus volens verum Deum colere, etiamsi aliquem errorem habeat de Deo, idolatra non est, nisi eum Deum velit colere, quem credit, & nō alium. 30.1.B.
Idolatria est vitiū superstitionis, quo creaturæ exhibetur cultus, seu diuinus honor. 33.1.C.
Sine idolatriæ crimine potest actus deuotionis, & oblationis versari circa Sanctos. 33.2.D.
Si honos indifferens ad colendum Deum, & creaturas, exhibeatur creaturæ, animo eam colendi sicut verum Deum, idolatria est. 34.1.A.
Animus iste tripliciter potest haberi. ibid.
Idolatræ etiamsi non habuissent notitiam veri Dei, non excusandi sunt à crimine idolatriæ. 41.1.A.
Influentiæ Astrorum nihil possunt in ordine ad Religionis affectum causandum. 43.2.B.
Quamuis mente retineatur vera fides nunquā licet Dei cultum exhibere creaturæ etiam vitandæ mortis causa. 45.2.D.
Propter mortem vitandam non licet absq; idolatriæ crimine venerari extrinsecè creaturam signo sensibili per se ordinato ad cultum Dei; etiamsi colens non habeat intentionem falsum Deum colere. 46.1.B.
Qui simulat se colere idolum signo aliquo indifferenti, si signum permaneat in sua indifferentia, non peccat contra præceptum non idolatrandi: aliquando tamen peccabit contra præceptum confitendi fidem. 47.1.C.
Si tamen signum istud determinetur ad cultum idoli ex aliqua circunstantia, idolatria committitur. ibi. 2.D.
Non est licitum, iudice cogente aliquem vti signis amphibologicis ad sacrificandum idolis, illa sacrificare, etiamsi sit licitum verbis amphibologicis iudicem iniustum deludere. 50.1.D.
Fideles qui effugiendæ mortis causa vtuntur signis, quæ instituta sunt ad exhibendum cultum autori alicuius sectæ taxantur idolatriæ crimine. 52.2.D. Secus si vtatur vestibus proprijs infidelium, quibus politicè distinguuntur à fidelibus. 53.1.A.
Si verò vestes sint ex lege institutæ, distinguendæ Religionis causa, tunc si ex vsu illorum Deo debitus subtrahatur honor, aut scandalum proximi sequatur, non licet illis vti: secus è contra. 54.1.A.
Christiana captiua, quæ caudam vestium dominæ gestando, simul cum illa genuflectit, aut adorat idolum, non committit peccatum idolatriæ. 56.1.A.
Christianus occultatus habitū idolatrarum, si in eorum fano communicaret eorum ritibus, ne agnosceretur, idolatriæ peccatum committebat. ibi.D. Secus si quando ingressus fuit fanum genuflecteret. ibi.2.A.
Vesci idolotitis non est licitum Christianis in idoli honorem. 56.2.D. Secus si non sit in illius honorem, nec sit proximi scandalum, aut diuini honoris substractio. ibi.

Idolum.

Idolum differt à simulachro, quòd illud est rei non subsistentis. 21.A.

Ieiunium.

Si quis ieiunaret die Dominico ad profitendum errorem Manichæorum, vel aliorū negantium Christi resurrectionem, talis cultus pernitiosus esset ex parte rei significatæ. 16.2.A.

Ignis.

Nembroth Rex Assyriorum, quia audierat mūdum sicut diluuio perijt, ita igne absumendum fore, eum timens vt Deum colebat. 110.1.A.
Probatio per ignem. Vide *Probatio.*

Imago.

Imagines semper fuerunt licitæ etiam sine indicatione alicuius historiæ. 64.2.A.
Viuente Christo Domino tres illius imagines fuerunt factæ. Prima ab ipso Christo admouente linteum faciei suæ, & hanc misit Regi Agabaro. Secunda est quam apud Paneadē mulier liberata fluxu sanguinis Christo dicauit. Tertia est quam fecit Nicodemus, de qua postea à Iudæis lancea confossa sanguis profluxit. ibi. 2.
Diuus Lucas Christi, & eius matris imagines depinxit. 65.1.A.
Imagines rerum sacrarum in templis licet collocare, & nunquam melius collocantur. ibid.2.D.

Olim

Olim in calicibus Eccleſiæ erat depictus Chriſtus portans in humeris ouem perditam. 66. 1. A.

In illis verbis Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile nec omnem ſimilitudinem, &c.* non prohibuit Deus imaginum picturas, ſed ſolùm idolatriæ adorationem, ne ſcilicet eas populus cultu diuino adoraret. 68. 2. D.

Imagines vbique honorificè ſunt tractandæ, & adorandæ. 71. B.

Imago ſolum conſideratur dupliciter, nimirum vt res quædam eſt, & vt imago eſt. 77. 2. C.

Imagines non adorãtur impropriè, & abuſiue, contra Durandum. 78. 1. C.

Licite & ſanctè colluntur imagines eadem numero adoratione, qua earum prototypa. ibi. 2.

Idem eſt motus in imaginem, & in rem imaginatam. 81. 1.

Imago non ſolùm eſt conditio adorandi, ſed etiam obiectũ quod adoratur. 83. 1. B

Imagines non poſſunt adorari perſe, niſi adoratis ſuis exemplaribus. ibid. C.

Etiamſi poſſent imagines adorari non adoratis exemplaribus, magis tamen vſitatus eſt in Eccleſia modus adorandi eas eadem adoratione qua earum exemplaria. 86. 2. A.

Imaginibus non ſolùm exhibetur id quod externum eſt adorationis, ſed etiam actus internus, & affectus ſummiſsionis, aut ſeruitutis: contra aliquos autores. 87. 1. D.

Imaginibus etiam Chriſti, non poteſt ſacrificium offerri. 89. 1. B.

Vota, laudes, & huiuſmodi nequaquam referri poſſunt ad imagines, nec etiam cõtomitanter cum prototypis, aut tanquam ad aliquid coniunctum cum ipſis. 89. 1. D.

Petitio non poteſt dirigi ad imaginem, vt petitio eſt; ſecus autem vt honoratio. 90. 1. A.

Licet imago, & exemplar eadem adoratione adorentur, imago tamen inferiori modo participat hanc adorationem. 91. 1. D

Quare vna imago magis quàm alia eiuſdem exemplaris magis veneretur? 95. 2. B.

Adoratio imaginum, quæ eſt in vſu Eccleſiæ Dei, nequaquam cenſenda eſt idolatriæ crimen. 94. 1. B.

Autores imaginum artificiatarum quibuſdã characteribus, ſculpturis, &c. 387. 1. B.

Ante Dedali tempora ſtatuæ ſine manibus, vel pedibus, vel oculis effingebãtur. 121. 2. A.

Imago ſemper accipitur in bonam partem. 22. B.

Imagines, & figuræ quas Aſtrologi in cœlo ponebant, enumerantur. pa. 386. 1. B.

Imagines Aſtrologicæ. 386. 1. B.

Imagines nicromanticæ. ibi. 2. B.

Imagines, quę ab Aſtrologis in cœlo ponũtur, fictitiæ ſunt. 387. 1. C.

Imagines nullam habent vim ad producendos effectus niſi dæmonis ope. 391. 2. A.

Imaginum vſum, & obſeruationem damnat Academia Pariſienſis. 392. 1. D.

Imaginatio.

Effectus varij ex imaginatione prouenientes. 394. 2. C.

Imaginatiua.

Imaginatiua ex coniunctione ad intellectũ poteſt diſcurrere, & ſyllogizare circa ſingularia. 277. 2. B.

Imaginatiua multum poteſt in corpus prò prium, & non in alienum. 396. 1. C.

Imperatores.

Leo Imperator habebat auiculas aureas cãtantes. 126. 1. D.

Caroli Magni tempore Romæ in ſepulchrò cuiuſdam Gentilis fuit candela accenſa ante Chriſti aduentum, quæ nec aqua, nec aëre potuit extingui. 126. 2. A.

Impreßio.

Impreſsio corporum cœleſtium communicatur omnibus indiuiduis eiuſdẽ ſpeciei; & non vni ſic, alteri non. 377. 1. C.

Impreſsiones corporum cœleſtium diutur næ ſunt, & permanentes, vt pote naturales. 378. 2. B.

Ex impreſsione cœleſtium aliqui effectus fiunt, qui ſine illa abſolutè non fierent. 380. 1. A.

Obſeruare impreſsionem cœleſtium corporum, quando ſit licitum, quando verò ſuperſtitioſum, & illicitum? 382. 2. A.

Incantatores.

Incantatores. Vide *diuinatio*, & Verbũ *Venefici*

Inclinationes.

Inclinationes diuerſæ hominum ad iram, vel mãſuetudinem, ſtudia, vel arma, &c. pro-

proueniunt à cœleſtibus corporibus.pa. 257.2. C.
Iſtæ inclinationes ſunt in duplici differentia. 258. 1. B.
In cœleſtibus corporibus non ſunt virtutes inclinantes, & ſtimulantes homines ad flagitia. 259. 1. B.
Ex inclinationibus rerum ſublunarium nõ poſſunt prædici effectus actuales merè contingentes, qui ſub orbe Lunæ fiunt. ibid. D.
Nec poſſunt inferri propoſitiones nimis exiguam habentes connexionem cum illis. 260. 1. C.

Iniuſtitia.

Attendere ad præſagia ex phiſonomia in obſeruatione legum iuſtitiæ vindicatiuæ, vel diſtributiuæ, eſt peccatum mortale iniuſtitiæ. 325. 2. C. Secus autem eſt in actibus arbitrarijs, quos quis habet in ſua poteſtate, poteſt enim quis hunc illi præferre quia vultu eſt venerabilior. pa. 326. 1. B.

Intellectus.

Ad intellectum pertinet iudicare de veritate, aut falſitate effectuum, qui à dæmone fiunt. 146. 1. D.

Inuocatio.

Inuocare dæmonem tanquam potentem adiuuare in eo quod deſideratur, tanquã ſi alius homo inuocaretur, etiamſi non includat cultum illius formaliter, & expreſſe, includit tamen illum virtualiter, & implicitè, vnde non eſt licitum. 220. 1. C.

Iris.

Iris, id eſt arcus cœleſtis, quare formetur variatione colorum conſpicuus. 319. 2. B. Nunquam fit niſi Sole è regione poſito. ibid. D. & quomodo generetur, & cuius ſit figuræ ibid.
Fuit ante diluuium. 320. 1. A.
Significat mundum non eſſe obruendum diluuio, ſicut tempore Noe. Eius ſignificatio non eſt naturalis, ſed ad placitum Dei inſtituentis illam vt eſſet recordatiuum quoddam promiſsionis Dei. ibid. B. & C.
Licèt non ſit ſignum naturale nunquam futuri diluuij vniuerſalis, eſt tamen ſignum naturale non futuri diluuij vniuerſalis ſecundùm ordinem naturæ, & ſtantibus cauſis, quæ Iridem generant in tali diſpoſitione. ibid. D.
Significatio hæc naturalis non futuri diluuij citò, & de propinquo poſt Iridis apparitionem, non infert neceſſariò nunquam futurum diluuium: tamē magnam habet conuenientiam ad id ſignificandum, ſuppoſita Dei inſtitutione vt ſit tale ſignum. ibid. 2. C.
Aliæ ſignificationes naturales, quas habet Iris. 322. 1. A.

Iſidorus.

Diuus Iſidorus fabricauit duas lucernas, quarum vnam iuſsit apponi ad caput ſui ſepulchri, & aliam circa pedes, quæ nunquam fuerunt extinctæ per ducẽtos annos. 126. 2. A.

Iuramentum.

Iurare eſt Deum in teſtem aſſumere. 486. 1. B.
Iuramẽtum aliud eſt aſſertoriũ, aliud promiſſorium. ibid. C.
Ad ea quæ ſunt neceſſaria, & per rationem inueſtiganda non inducitur iuramentũ. ibid.
Iuramentum eſt inuocatio Dei in teſtem ad confirmandum id quod à iurante aſſeritur. ibi. 2. A.
Cauſa finalis iuramenti eſt confirmatio veritatis: cauſa materialis eſt inuocatio ſeu enuntiatio alicuius affirmationis, vel negationis: cauſa formalis eſt inuocatio Dei in teſtem. ibi.
Iuramentum dicitur à iure. ibi. B.
Ad iuramentum requiritur voluntas libera iurãdi cum pleno rationis iudicio, quod ad peccatum mortale ſufficiat. ibidẽ. C.
Iuramentum aſſertorium debet cõſummamari aliquo ſigno ſenſibili, ſecus de promiſſorio ſoli Deo facto. ibid. D.
Si quis iurauerit aliquid eſſe faciendum ab aliquo, intelligendus eſt promittere ſe appoſiturum eſſe ſuam induſtriam, vt opus iuratum ab alio fiat. 487. 1. D.
Iuramentum ſemper eſt intelligendum valere eo modo quo poteſt. ibi. 2. A
Iuramentum aſſertorium fit ad aſſerendum præſentia, vel præterita, promiſſorium verò ad confirmandum aliquod futurum. ibi. D.
Iuramentum promiſſorium poteſt reperiri ſine promiſsione ſupra quam cadat. 488. 1. D.
Iuramentum aſſertorium, & promiſſorium ſolùm differunt accidentaliter. ibid. 2. B.

Et idem eſt de iuramẽto ſimplici, & execratorio.489.1.C.

Quamuis eſſentia iuramenti ſaluari poſsit ſine aliquo ſigno externo, tamen attento fine præcipuo iuramenti, fit cum maiori proprietate cum aliquo ſenſibili ſigno.161.2.C.

Stando in foro contentioſo aliqua iuramenta non faciunt fidem, niſi verbis exprimantur.ibid. D.

Variæ formæ iurandi.490.1.

Iuramentum ſecundùm ſe eſt licitum, & honeſtum.492.1.C.

Iuramentum propter malum eius vſum ſæpius in malum cedit.ibi.

Non eſt intrinſecè malum, nec iure naturali prohibitum.493.1.C.

In lege gratiæ licitum eſt iuramentum debitis circunſtantijs veſtitum. ibid.2.A.

Bonum eſt nunquam iurare, niſi propter iuſtitiam, aut proximorum vtilitatem. pa. 495.1.D.

Ad honeſtatem iuramenti requiruntur veritas, iuſtitia, & iudiciũ.497.2.D.&498.1

Si iuſtitia referatur ad rem, quæ iuratur, non requiritur in iuramento aſſertorio, ſecus autẽ ſi referatur ad cauſam iurãdi.ibi.D.

Iurare eſt actus Religionis.500.1.A.

Iurare non eſt actus Religionis ſi comparetur ad animum iurantis, ſed vt comparatur ad habitum Religionis exiſtentem in eo qui iurat.501.1.A.

Iuramentum non eſt frequentandum, niſi adſit neceſsitas. 503.1.D.

Res promiſſa per votum eo ipſo fit religionis actus, ſecus de re iuramento promiſſa.503.2.D.

Iuramentum præter cultum Dei ordinatur ad aliquid neceſſarium præſenti vitæ. 504.1.C.

Iuramentum aliud fit per ſimplicem conteſtationem, aliud per execrationem.pa. 506.1.D.

Licitum eſt iurare per creaturam, vt in ea reſplendet diuina bonitas, ſiue per modum execrationis, ſiue per modum ſimplicis atteſtationis.ibid.2.A.

Iurare per creaturas exhibendo eis reuerẽtiam Deo debitam, eſt blaſphemum, & idolatriæ impietas.ibi.B.

Nullo iure prohibitum eſt iurare per creaturas cum habitudine ad Deum.ibidem. 2.D.

Non licet iurare per membra inhoneſta Chriſti, aut Sanctorum.507.1.C

Quando iuratur per creaturas ſecundùm ſe ſpectatas non eſt iuramentum. 508.1.

Formulæ iurandi per creaturas. 508.2.D.

Non eſt iuramentum dicere, *en buena fe: a fe de caualleros a fe de Chriſtiano*.509.1.D. & 2.A.

Non eſt iuramentum dicere, in veritate mea, vel in veritate hominis Chriſtiani, ſecus ſi diceret, in veritate Dei, vel Chriſti.ibid.C.

Si formulæ ſunt ambiguæ, iudicandæ ſunt ex mente iurantis. ibidem. & 510.1.D.

Homagium non eſt iuramẽtum, ſed quoddam pactum humanum, quod non fit ſine iuramento concomitante. 510.1.B.

Iuramento tam aſſertorio, quàm promiſſorio ſua ineſt obligatio.513.2.B.

Si iuramento deſit aliquis comes, non eſt obligatorium, ſecus ſi iuret ſe aliquid facturum comite iudicio, & iuſtitia: nam tunc tenetur id quod promiſit verum efficere.ibid.C.

Obligatio ex iuramento promiſſorio proueniens, eſt ex ſuo genere grauis. 514.1.A.

Obligatio iuramenti promiſſorij primariò & principaliter eſt reſpectu Dei, ſecundariò tamen etiam attenditur reſpectu hominis, quando ſupponit veram promiſsionem homini factam. ibid.D.

Si detur iuramentum promiſſorium ſine vlla promiſsione, tantum inducit obligationem reſpectu Dei.ibi.2.A.

Iuramentum per falſos Deos per ſe, & ex vi ſua non obligat, ſecus ex conſcientia erronea iurantis.ibid.D.

Fidelis iurans per falſos Deos non obligatur ex vi iuramenti, niſi etiam habeat conſcientiam erroneam.515.1.B.

Iuramentum promiſſorium inducit duplicem obligationem, vnam dicendi verum, alteram adimplendi id quod promittitur.ibid.2.B.

Iuramentum cadens in aſſertionem de futuro, etiamſi promiſsionem non ſupponat, præter obligationem dicendi verũ de præſenti, inducit ſpecialem obligationem adimplendi id quod iuratum eſt. 516.1.C.

De materia iuramenti.

Si materia totalis iuramenti ſecundùm vſum ordinarium, & moraliter eſt indiuiſibilis, ſi adimpletio vnius partis non ſit principalis, omninò extinguitur obligatio; ſecus ſi materia totalis non erat moraliter indiuiſibilis, ſed erat tantùm

tùm quædam rerum collectio. 517.2.D.
Quando impoſsibilitas prouenit ex modo acceſſorio actui iurato, debet adimpleri actus ſecluſo modo. ibid. C.
Si materia iuramenti ſit impoſsibilis poſt factum iuramentum, extinguitur obligatio iurantis. ibid. D.
Si ceſſet finis iuramẽti poſt illud emiſſum, ceſſat eius obligatio. ibi.
Iuramentum promiſſorium de re moraliter mala non eſt obligatorium. 518. 1. A.
Iuramentum non obligat ad actum indifferentem vt indifferens eſt. 521. 2. B. Secus ſi res indifferens iuretur propter honeſtum finem; vel propter proximi vtilitatem. ibi. C. In quo differt à voto, quod non eſt validum, niſi apponatur finis proportionatus cultui diuino. ibidem. D.
Iuramentum de omittendo actum indifferentem intuitu virtutis, ad quã illa omiſſio poſsit aliquando conducere, obligatorium eſt. 522. 1. B.
Si quis iurauerit de ſeruiendo ſemper Hoſpitali, vel quid ſimile, tenetur ex vi iuramenti dum noluerit ad altius opus conuolare. ibi. D.
Si quis iuret ſe daturum Petro centum, liberaliter tenetur, & non poterit illa in elemoſynam dare. ibi. 2. A.
In quolibet iuramento de re bona debet intelligi conditio, dum modo non ſit impedimẽtum melioris boni. ibi. 2. A. & C.
Iuramentum promiſſorium de pura omiſſione operis erogationis inualidum eſt, etiamſi fiat homini. 525. 2. D. Niſi ex omiſsione actus reſultet aliqua vtilitas proximo. 526. 1. C.
Iuramentum de non mutuando vel fideiubendo abſolutè factum tantùm obligat, quando mutuum, vel fideiuſsio eſſet in incommodum ſui vel ſuorum. ibidẽ. D.
Iuramenta per iniuriam extorta, vt de ſoluendo vſuras vſurario, vel de non reſcindendo emptionem rei emptæ vltra dimidium iuſti pretij, &c. ſi homini fiant ſunt obligatoria, ſi abſque culpa impleri poſſunt. 530. 2. C.
Quare prædictum iuramentum obliget, & non promiſsio per iniuriam extorta? pa. 531. 1. D.
Qui patitur iniuriam in prædictis iuramentis coactis iuſtè poteſt petere, & obtinere relaxationem eorum, niſi detur infidelibus occaſio nomen Dei blaſphemandi. 532. 1. D.
Iuramentum factum de non denuntiando, pro vt denuntiatione procuratur bonũ publicum, non eſt validum; ſecus ſi denunciatio fiat propter priuatum intereſſe. 533. 1. C.
Iuramentum de non petendo relaxationẽ iuramentorum coactorum non eſt validum. ibid. D.
Valor iuramenti naſcitur ex reuerentia debita diuino nomini. 533. 2. C.
Iuramenta coacta obligant ad ſui obſeruationem etiam cum mortis periculo, ſi iurans tempore iurandi præuidit periculum illud. ibid. D. Secus ſi non præuidiſſet. 534. 1. A.
Idem ius eſt de iuramento extorto per actionem iniurioſam, mediãte dolo; atq; de eo, quod eſt extortum mediante vi, aut metu. ibi.
Error ſeu dolus in ſubſtantia rei annullat iuramentum. ibid. 2. B.
Error circa cauſam extrinſecam mouẽtem ad iurandum, vel circa qualitates accidẽtales, vel leuiculas rei iuratæ, non inualidat iuramentum. ibi. C. Secus ſi eſſet error circa conditiones graues. ibi.
Iuramentum doloſum eſt illud, quod quis audiens occaſionem deceptionis ſumit. 535. 2. A.
Hoc cõtingit dupliciter. Vno, modo quãdo iurans aliud profert verbis, aliud animo retinet: alio autem quando verba ipſa ſunt amphibologica. ibid. B.
Quatuor modis poteſt intẽtio iurantis deficere taliter quod non conformetur verbis prolatis. ibi. C.
Dupliciter poteſt eſſe dolus in verbis iuramenti. ibi. D.
Qui iurat facere aliquid ſubintellecta aliqua conditione quam non exprimit, nõ obligatur ad ſeruandum iuramentum, niſi quantum ad ea, quæ habuit in animo iurare. 536. 1. A.
Qui habet animum iurandi non verò adimplendi rem promiſſam, verè tenetur. ibidem. C.
Qui habens animum iurandi non habet animum ſe obligandi illo iuramento, verè obligatur, ſiue, iure ſiue vi adductus fuerit ad iuramentum. ibi. C.
Qui iurat ſine intentione iurandi non obligatur tali iuramento; ſiue iure, ſiue iniuria requiſitus iuret. pagina. 537. 1. A.
Confirmare rem falſam iuramento ficto, eſt peccatum mortale. ibi. B.

Confirmare iuramento ficto aliquod verum, ſi exigens iuramentum habet ius exigendi, eſt peccatum mortale. ibid. Secus ſi cogatur ad iurandum, vel ſi non tenetur iurare, nam tunc tantùm peccat venialiter. ibid. D.

Si ex dolo iurantis prouenit, quòd in diſtincto ſenſu accipiatur verba, ab ipſo, & ab eo cui iuratur, tunc iuramentum debet ſeruari ſecundùm ſanum intellectũ eius, cui iuramentum præſtatur; ſi autẽ iurans dolum non adhibeat, tantùm obligatur ſecundùm intentionem quam habebat, ſi adaptari poſsit verbis. 537. 2. B. & C.

Si quis doloſe iuret ſine intentione adimplendi id quod intelligit is cui iuratur, non tenetur ex vi iuramenti adimplere promiſsionem, tenebitur tamen ratione iuſtitiæ, vel detrimenti ſubſequẽti. 538. 1. D.

Iuramentum vnius nõ poteſt alterum obligare ſub iuramenti religione, ſecus ſub alia ratione iuſtitiæ aut fidelitatis. ibidẽ. 2. D.

Per procuratorem ſi ei detur expreſſa potestas iurandi poteſt iuramentum fieri. ibid. Si mittens procuratorem ad iurandum, reuocet ſuum conſenſum priuſquã procurator iuret, ſi reuocatio non prouenit ad notam procuratoris, tenet iuramentum ab eo factum in foro exteriori, ſecus in interiori. 539. 1. B.

Obligatio iuramenti præſtiti alicui ratione dignitatis tranſit ad ſucceſſores eius in illa dignitate. ibid. 2. B.

Obligatio iuramenti aſſertorij maior eſt quàm obligatio voti. 551. 2. A.

Obligatio voti maior eſt quàm obligatio iuramenti promiſſorij. 542. 1. A.

Iuramentum factum contra prius votum, aut iuramentum, aut promiſsionem legitimam, & validam, non obligat. 543. 1. A.

Actus factus contra prius iuramentum non fit irritus ex vi prioris iuramenti. ibi. 2. A. Extra hoc ſi quis iurauerit non donare, & donat; non reuocare procuratorẽ, & reuocauit; non fideijubere inconſulta vxore, & fideijuſsit; non contrahere matrimonium, & contraxit: donatio, reuocatio; fideijuſsio; & matrimonium ſunt valida. ibi. 1. D. Etiamſi iurans per iuramentum voluiſſet hos actus irritos facere. ibid. 2. B.

Quomodo ceſſet obligatio iuramenti.

Ex quintuplici capite poteſt ceſſare obligatio iuramẽti promiſſorij, ſcilicet ex mutatione materiæ iuratæ, ex irritatione, commutatione, creditoris condonatione, & diſpenſatione. 546. 2. B.

Si res iurata fuerit notabiliter mutata, ceſſat obligatio iuramẽti. ibi. C. Taliter, quod non ſit veroſimile iurantem habuiſſe intentionem ſe obligandi ad rem adeò difficilem, aut indecentem: & per ſolam perfectam mutationem rei iuratæ ceſſat ipſo facto obligatio, neque opus eſt relaxatione. 447. 1. B.

Aliquando mutatio poteſt eſſe ſufficiens cauſa concedendi relaxationem, & non ſufficere vt ipſo facto ceſſet obligatio. ibid. D.

Iuramentum de re illicita, etiamſi res fiat tractu temporis licita, non conualeſcit. 548. 2. A.

Iuramenta, quæ fiunt ad cõfirmandam promiſsionem Deo factam, fiunt per modũ voti. 549. 1. B.

Iuramenta, quæ fiunt per modum voti poſſunt commutari in melius, aut æquale, autoritate iurantis, vel in minus autoritate Prælati ex cauſa iuſta. ibid.

Iuramenta facta ad cõfirmandam promiſſionem factam homini, non poſſunt ſine conſenſu illius, cui iuramentum eſt præſtitum, commutari. ibid.

Nullus poteſt mutare rem quam de ore iurauit in aliquam etiam meliorẽ ſine conſenſu illius cui dare eam iurauit. ibid. D.

Ex conſenſu creditoris poteſt fieri iuramẽti commutatio, etiam in minus. ibid 2. B. Et ad id in quod fuit facta commutatio, manet obligatus ex vi iuramenti. 550. 1. A.

Licitũ eſt adimplere iuramentum per æquiualentem compenſationem. ibi. D.

Iuramenti irritatio eſt ablatio vinculi iuramenti facta ab habente poteſtatem dominantem, vel quaſi ſupra perſonam, vel actiones iurantis. ibi. 2. B.

Ad iuramenti irritationem non eſt neceſſaria ſpecialis cauſa, ſed ſufficit ius vel dominium circa talem materiam. ibi. Vnde Pontifex poteſt irritare iuramentum Clerici de danda certa quantitate fructuum beneficialium. Parentes iuramẽ-

tafi-

ta filiorum præiudicantia dominio paterno. Tutores iuramenta pupillorum, quæ habeant vim voti, &c. ibi. & 551. 1. A.

Per condonationem à creditore factam cessat obligatio iuramẽti promiſſorij. 551. 1. C. Etiamſi ſolùm relinquat illum liberum, vt non det. ibi. D. Secus ſi promiſſio fuit facta intuitu operis proprij, vel taliter quod intelligatur facta principaliter Deo. ibi. 2. A.

Si quis alium coëgit ad iurandum, poteſt ipſe cogi à iudice Eccleſiaſtico, vel laico, ſi remiſſor laicus eſt, & materia purè laica, ad condonandum, vel relaxandum iuramentum. ibi. B.

Si quis iurauit aliquid in proprium commodũ, non poterit condonare ſibi ipſi iuramentum. ibid. D.

Diſpenſatio, & relaxatio iuramenti aliquãdo ſumuntur pro eodem. 552. 1. B.

Diſpenſatio ſtrictè ſumpta tantùm habet locum in iuramentis, quæ per modum voti Deo, ſiue abſolutè fiunt. ibi. B.

Relaxatio habet locum in iuramentis hominis factis. ibid.

Iuramentum promiſſoriũ Deo, vel ob cauſam piam factum, diſpenſari poteſt ab habente poteſtatem ex cauſa iuſta. ibid. C.

Iuramenta, quæ verſantur circa materiam votorum reſeruatorum, ſunt etiam Papæ reſeruata. ibi.

Cuicunque delegatur poteſtas ad diſpenſandum in votis, habet eam ad diſpenſandum in iuramentis. ibi. 2. B.

Iuramẽtum promiſſorium homini factum licitum ex parte iurantis, & eius cui iuratur, vt plurimum relaxari non poteſt ſine conſenſu creditoris, niſi aliud poſcat bonum commune. ibi. C. & D. Et caſu quòd creditor habuerit ius adquiſitum, ſecus autem ſi nondum perfectum ius habeat benè poteſt. 553. 1. B.

Iuramentum licitum ex parte iurantis, turpe autem ex parte exigentis relaxari poteſt in pœnam, ſeu odium creditoris. ibidem. C.

Iuramentum factum Regi à vaſſallo poteſt relaxari propter hæreſim, vel ſchiſma Regis: etiam iuramentum factum excommunicato in odium eius relaxari poteſt. ibid. D.

Iuramenta homini facta, quando promiſsio eſt merè laica, poterunt à iudicibus ſecularibus relaxari. ibi. 2. A.

Sola turpitudo exigentis ſufficit ad relaxationem iuramenti illi facti. ibi. B.

Vt relaxetur iuramentum factum propter metum, ſufficit quilibet metus cum iniuria graui. ibi. D.

Certum eſt Deum iuraſſe, eius tamen iuramentum non habebat imperfectiones, quas noſtra iuramenta. pagina. 556. 2. B.

Chriſtus nunquam iurauit. pagina. 557. 1. B.

Angeli iurauerunt. ibi. C.

Angeli verò damnati nunquam vtuntur iuramento. ibid. 2. A.

Pueri, & amentes non aliter ſunt incapaces adiurandum. ibi. 2. B.

Atheiſtæ, ſiue qui ſint alij nullum Deum agnoſcentes, non ſunt capaces iuramenti. ibid.

Antiqui Patriarchæ ponebant manus ſub fœmore ad iurandum, quia iuramentum fit in fide Chriſti, qui tunc continebatur in lumbis Patriarcharum. 558. 1. A.

Pueri ante pubertatem non poſſunt cogi ad iurandum in iudicio, non tamen ſunt prohibendi, ſi ipſi velint, &c. aliàs conſtet illos eſſe iuramenti capaces. ibi. D.

Adulti excluduntur à iurando, vel in pœnam vt periurij, vel infames, vel in honorem, & priuilegium, vt presbyteri, qui prohibentur iurare in manibus laicorum. 558. 2. A.

In aliquibus caſibus exigitur iuramentum ab Epiſcopis, vt in abiuratione erroris, & ad præſtandam obedientiam Pontifici. ibid.

Olim qui in Sanctos iurabat, ieiunus iurabat, modò non. ibi. D.

Iuramentum incautum eſt, quod fit ſine ſufficienti cautela, & aduertentia cauendi periculum falſitatis. 567. 1. D.

Licitum eſt petere iuramentum ab Ethnico parato iurare per falſos Deos. pa. 222. 1. C.

Ius patronatus.

Ius patronatus tripliciter conſiderari poteſt. 727. 1. D.

Probabile eſt ius patronatus eſſe ſpirituale. 728. 1. D.

Probabilius eſt ius patronatus eſſe ſecundùm ſe quid temporale, & vendibile, prohibitum tamen vendi ab Eccleſia intuitu Religionis. ibid. 2. D.

Quamuis ius patronatus vendi nequeat, poteſt tamen tranſire cum re vendita, cui alligatur, dummodo ratione illius res non vendatur carius. 730. 1. D.

L

Lamiæ.

Lamiæ, Hiſpanè *bruxas*, verè deferuntur ad loca diſtantia, & nõ ſolùm per phantaſiæ illuſionem. 135. 2. D.

Lapis.

Lapides pretioſi. 380. 1. D.
Variorum lapidum pretioſorum virtutes non reducibiles ad principia elementaria, enumerantur. ibi.

Liber.

Habentes libros prohibitos ſunt excommunicati, niſi tradant eos Inquiſitoribus. 452. 2. B.
Non ſunt abſoluendi niſi parati ſint eos tradere. ibi.
Nullus nec Epiſcopus, nec Doctor habet facultatem legendi hos libros. ibid. A.
Tenentes hos libros ſunt valde ſuſpecti de hæreſi contenta in illis. ibi. B.

Libido.

Libidinis, & amatorij maleficij remedia. p. 420. 2. A.

Loqui.

Quidam (Galeno teſte) loquuntur clauſo ore. 205. 2. B.

Lumen intellectuale.

Lumen, quo mens illuſtratur, vt certò ſciat Deum eſſe, qui ſibi loquitur, manifeſtat ſe ipſum. 165. 1. B.

Luxuria.

Quidam pro remedio contra luxuriam portabant in ſinu Euangeliũ, & illis profecit. 436. D.

M

Magi.

Magi opera miranda, quæ eorum vires excedunt, nequaquam Dei virtute, aut bonorum Angelorum peragunt. p. 128. 1. A.
Magis poteſt Deus communicare aliquando gratias gratis datas, id autem rarò cõtingit. ibi. 2. C.
Non licet petere à Mago ſiue parato, ſiue non parato ad ſuas exercendas incantationes, vt maleficium maleficio diſſoluat. 221. 2. D.
Magus edoctus à dæmone aliquas proprietates rerum, ſi renuntians dæmoni vtatur eis, ſuperſtitioſus non eſt. pag. 416. 2. C.

Maleſici, & maleficium.

Vide *diuinatio*.
Maleficium tollere per aliud maleficium non eſt licitum. 218. 1. B.
Quando conſtiterit maleficium non poſſe diſſolui, niſi alio maleficio, non licet petere indifferenter à Mago vt illud diſſoluat. 223. 1. D.
Quando conſtiterit, poſſe Magum licito medio diſſoluere maleficium, etiamſi petens timeat, vel quod plus eſt certus ſit, quòd Magus per ſuperſtitioſum medium ſoluturus eſt maleficium, poteſt licitè petere abſolutè, vt maleficiũ diſſoluat. 223. 2. D. & 224. 1. A.
Licitum eſt acceptare maleficij diſſolutionem merè paſsiuè ſe habendo; ſecùs ſi actu poſitiuo in dæmonum inuocationem feramur. 224. 2. D.
Libidinis, & amatorij maleficij remedia. p. 420. 2. A.
Maleficiorum ſuperſtitioſa remedia, quæ & qualia ſint. 419. 1. C. Eorundem naturalia remedia, moralia, & ſupernaturalia. ibid. & ſequentib.
Maleficium quid, & quotuplex ſit? p. 409. 2. B.
Maleficiorum applicandorum duo genera. 410. 1. A.
Maleficium ligaminis quid ſit? 414. 2. A. Quot modis fiat? ibidem. Quæ ſint illius cauſæ? ibid.
Maleficium ligaminis, & inferens morbos, licèt ſemper ſit peccaminoſum, non tamen ſemper eſt ſuperſtitioſum. 416. 2. B.
Maleficij nomine, quæ à iure appellentur? ibid. C.
Maleficij cognoſcendi coniecturæ numerantur. 417. 2. A.
Maleficia quare Deus permittat fieri? 421. 2. D.
Maleficiatum liberare difficilius eſt quàm obſeſſum. 423. 1. D.
Maleficia quando curari poſſunt exorciſmis? 422. 2. C.
Noxarum ſiue effectuum maleficialium diuerſa remedia. 419. 1. B.

Manus.

Manus magna multis lineis descripta, nec omninò glabra, nec pilosa, habens longos digitos proportionatos, sapientiam indicat, & bonam indolem. pag. 326. 2. B.

Manus, quæ habet contrarias proprietates præcedentibus, belluina est, & ad aliqua brutorum genera referenda. ibi.

Pilosa manus significat hominem aggrestem. ibid. C.

Manus rotunda, & brevis sine lineis significat hominem stupidum. ibid.

Qui gerunt semper contractas manus sunt timidi, & auari, qui verò extentas, audaces, & liberales. ibid. C.

Qui pendentes, aut demissas; aut aliam super aliam manum habent, desides sunt, & ignari; qui verò elatas, aut mobiles soliciti sunt, & negotiosi. ibid.

Medici.

Medicorum, & chirurgorum error circa obseruationes influentiarum. pag. 383. 2. D.

Obseruatores Medici sunt multum noxij infirmis. ibi. 1. D.

Mendacium.

Mendacium dicitur falsa significatio facti. 10. C.

Mendacium aliud pernicioſum, aliud iocoſum, aliud officioſum. 565. 2. D.

Simulatio ſine cauſa iuſta eſt quoddam genus mendacij. 175. 2. D.

Mirabilia naturæ, & artis.

Mirabilia naturæ, vide *naturæ mirabilia.*

Architas fabricauit quandam columnam lignea, quæ volabat. 126. 1. D. & 135. 1. A.

Apollonius cùm eſſet in conſpectu Domitiani repente ex omnium oculis receſsit, & longè alibi inuentus eſt. 130. 1. A.

Per fumum quarundam herbarum, omnes trabes domus ſerpentes apparent. 142. 2. A.

Si candela facta de ſemine aſinino, & cera, ſola in conuiuio luceret, omnes in cõclaui exiſtentes vid erentur capita aſinorũ habere. 142. 2. A.

Archimedes in Syracuſarum obſidione, per ſpecula naues combuſsit, & tot machinas adinuenit, vt dicerent Romani, ſe non contra homines, ſed contra Deos pugnare. 126. 1. D.

Leo Imperator habebat auiculas aureas cãtantes. 126. 1. D.

Diuus Iſidorus fabricauit duas lucernas, quarum vnam iuſsit ad caput ſui ſepulchri, & aliam circa pedes apponi, quæ nunquam fuerunt extinctæ per ducẽtos annos. 226. 2. A.

Caroli Magni tẽpore, Romæ in ſepulchro cuiuſdam Gentilis fuit inuenta candela accenſa ante Chriſti aduentum, quæ neque aqua, neque aëre potuit extingui. ibid.

Claudia virgo Veſtalis virtute Dei adiuta portauit aquam à Tyberi in vaſo perforato ſine effuſione. 127. 2. D.

Miraculum.

Deus aliquando operatur opus miraculoſum etiamſi media ab hominibus appoſita ſint illicita. 480. 2. C.

Petere à Deo miraculum fiendum per media improportionata ad opus ſemper eſt illicitum. 481.

Mus.

Mures parui ſi à domo migrent ſignificant domum ruituram, ſecundùm Plinium. p. 113. 1. C.

N

Naturæ mirabilia.

Naturæ mirabiles proprietates adducuntur. 125. & 126.

In Germania erant duo pueri, quorum altero iuxta domorum oſtia incedente, omnia oſtia verſus latus illius ſiniſtrum aperiebantur, idemque contingebat alteri puero verſus latus eius dextrum. 125. 2. C.

Sal Agrigẽtinus igne liquatur, aqua verò indurator, & crepitat. ibi.

Cerui eſo dyctamo ſagittas expellant. pa. 126. 1. A.

Hirundines, chelidonia ſuis pullis viſum reſtituunt. ibid.

Pſyli, & Marſi ſerpentes contrectant ſine noxia. ibi.

Pici Martij herba feras ferreas aperit. ib. C.

Vinum infuſum pateræ Regis Xerxis ſemel, iterum, ac tertiò in ſanguinem verſum eſt. 329. 2. B.

Nauigantes.

Biarni ſolebant vendere ventum nauigantibus

tibus,habebant enim initum cum dæmone pactum.129.2.D.
Nauigantes ſedatum mare iudicant, cùm Alcion auis,oua incubat,vel pullos excludit.312.1.D.

Necromantia.

Artificiata necromantica.386.2.B.
Necromantia multipliciter exercetur.pag. 195.1.C.
Eſt quædam ſpecies diuinationis, qua per mortuos, aut aliquid ad eos pertinens occulta conantur ſcire,ac prædicere.pa. ibi.1.B.
Necromantia, quæ exercetur cùm quis certa verborum forma ferè ſemper adhibito ſanguine, mortuos ſuſcitare conatur, & ab eis accipere reſponſa, quibus fortuitos euentus futuros prædicat, ſupponit aliquid implicitè, ſcilicet ſuſcitationem mortuorum factam alia virtute quàm diuina.ibi.1.D.
Multæ ſuſcitationes mortuorũ nugatoriæ, & multiplex ratio deceptionis.p.195.2.

Nembrot.

Nembrot Rex Aſsyriorum, qui audierat mundũ ſicut diluuio perijt, ita igne cõſumendum fore,eum timens,vt Deum colebat.110.1.A.

Numerus.

Numeri nullam habent efficaciam ad trãſmutanda corpora.394.1.A.
Numeri quomodo laudãtur à ſanctis Patribus.ibi.C.

O

Obligatio.

Ab actione iniurioſa inter homines nõ naſcitur ius inferendi iniuriam, nec vlla dimanat inde obligatio.333.2.B.

Obſeruare.

Aſtrorum effectus obſeruare ad effectus merè corporeos licitum eſt.429.1.D.
Annos, & mẽſes obſeruare,&c.ad effectus ex libero arbitrio pendentes vanum, & ſuperſtitioſum eſt.ibid.A.
Effectus obſeruantiarum alij communes, & peruij, alij mirabiles, alij dubij, an naturales ſint, nec ne? 372.2.B.
Obſeruare impreſsionem cœleſtium corporum,quando ſit licitum, quando verò ſuperſtitioſum,& illicitum?382.2.A.
Obſeruatores tamen iſtos ſæpe contingit ſuperſtitioſos eſſe.283.1.A.
Obſeruatores Medici ſunt multum noxij infirmis.ibi.
Obſeruationes omnes ex figuris artificiatorum deſumptæ illicitæ ſunt, & ſuperſtitioſæ.391.2.C.
Obſeruationes ad cognoſcenda fortunia, vel infortunia ſunt illicitæ.425.2.B.Et quare D.Thom. illas dicat eſſe quaſdam reliquias idolatriæ.426.1.A.
Operari ex habita per vanam obſeruationem cognitione futuri euentus,ſuperſtitioſum eſt.427.2.B.
Obſeruationes fortuniorum, vel infortuniorum quare ſæpe indicauerint futuros euentus.428.1.A.
Obſeruare dies,menſes,vel annos, ad quos effectus cognoſcendos ſit licitum, ad quos verò illicitum,& ſuperſtitioſum.p. 429.1.A.
Obſeruationes temporũ in quo ſenſu prohibuerit D.Paulus.431.2.A.

Oculus.

Oculorum viſio præciſe nullum poteſt afferre malum.398.2.D.
Oculorum viſio, quatenus illi adiungitur aliquid aliud,poteſt læſionem etiam naturaliter inferre, & quomodo fiat. ibid. 2.C.

Odium.

Odium Dei duplex.100.2.B.
Odium Dei formale eſt incluſum in actibus idolatricis.101.2.C.

Omen.

Omen eſt obſeruatio quarumcunque rerũ inopinatò euenientium ad diuinandum de futuris,vel occultis.315.2.B.
Omen propriè accipitur pro diuinatione, quæ fit per verba abſque intentione diuinandi dicta, quæ quis retorquet ad futurum,quod vult prænoſcere.ibi. Aliqua exempla huius.ibi.
Significatio ominum neceſſariò debet eſſe diuina,vel diabolica.316.1.B.
Exempla ominum diuinorum.ibid.C.
Ominibus non eſt adhibenda fides citra Dei præceptum, illuminationem, aut impulſum.316.2.C.
Eis adhibere fidem eſt peccatum mortale ſuperſtitionis, niſi ſaltem probabile ſit à Deo eſſe.ibid.D.

Nam tunc licitum eſt diuinare per illud. p. 317. 1. A.

Quando non eſt ſaltem probabile omina eſſe diuina, eis fidem adhibere vt diuinis, eſt peccatum veniale temerarij iudicij, & leuitatis. ibid. B.

Nō licet citra afflatum, vel præceptum diuinum à Deo petere omina ad aliquod agendum, vel ſciendum. ibid. C.

Dies ominoſi quare dicantur Aegyptiaci. 430. 1. B.

Dies, qui notati ſunt in Kalendarijs antiquis vt ominoſi, non fuerunt ab Eccleſia poſiti. 431. 1. D.

Oraculum.

Oraculum eſt reſponſio à dæmone profecta certis in locis, putà in antris, ſpecubus, templis, &c. mediante miniſterio hominum viuorum ſpiritu Pythonico imbutorum. 203. 2. C.

De oraculo Delphico Apollinis. ibid.

Quare oracula hæc circa tempora Chriſti natiuitatis ceſſauêre à dandis reſponſis. 205. 1. C.

P

Pactum.

Pactum cum dæmone aliud expreſſum, aliud implicitum. 212. 1. B.

Expreſſum multipliciter accipitur. ibidem. C.

Nullo modo licet habere aliquod commercium cum dæmone inito pacto ſeu ſtipulatione, ſiue expreſſa, ſiue tacita. 213. 1. C.

Omnis inuocatio dæmonum, & omnis familiaritas, etiamſi fiat ſine pacto abnegandi fidem, aut offerendi dæmoni ſacrificium, obedientiā, &c. eſt grauiſsimū peccatum inuoluens multiplicem malitiam. ibid. 2. C.

Non licet imperare dæmonibus, vt nobis inſeruiant, aut conferant aliquod officij genus. 216. 1. A.

Precari à dæmone, aut petere aliquod officij genus, putà cōſilium, fauorem, ſanitatem, & huiuſmodi etiam citra pactum, aut hæc acceptare, peccatum grauiſsimū eſt. 214. 1. B.

Licet tamen per modum imperij ad dæmonem loqui, vt dicendo, recede Sathana, & alia quæ potius contemptum indicant, quàm imperium. ibid. C.

Ad ſocietatem dæmoniacam pertinet acceptare beneficia à dæmone oblata; imò non licet oblatis vti, quamdiu dependentiam à dæmone habent. pa. 216. 2. B.

Peccare. Peccatum.

Diuinatio per auguria fictitia, aut naturalia non eſt peccatum, ſecus illa quæ verſatur circa actus à cauſalitate rerum corporalium exemptos, quæ peccatum eſt mortale ſuperſtitionis, & tacitę inuocationis dæmonum. 315. 1. C.

Diuinatio auguralis circa euentus futuros ſubditos cauſalitati corporum cœleſtiū, ſi non innitatur probatis experientijs, eſt peccatum veniale leuitatis, & temerarij iudicij. ibi. 1. D.

Cultus pernicioſus ex parte rei ſignificatæ, ferè ſemper eſt peccatum mortale, etiam in indeuiduo. 16. 2. C.

Cultus pernicioſus ex parte colentis quando fit ex nomine Chriſti, vel Eccleſiæ, ſemper eſt peccatum lethale. 17. 1. A.

Quando cultus non fit expreſſe nomine Chriſti vel Eccleſiæ, ſed contra Eccleſiæ prohibitionem, eſt peccatum mortale, vel veniale, iuxta materię grauitatem, vel leuitatem. 17. 1. C.

Omnis inuocatio dæmonum, & omnis familiaritas etiamſi fiat ſine pacto abnegandi fidem, aut offerendi dæmoni ſacrificium, obedientiam, &c. eſt grauiſsimum peccatum inuoluens multiplicem malitiam. 213. 2. C.

Precari à dæmone, aut petere aliquod officij genus, putà conſilium, fauorem, ſanitatem, & huiuſmodi, etiam citra pactum, aut hæc acceptare, peccatum grauiſsimum eſt. 214. 1. B.

Omne commercium cum dæmone licèt ſit ex ſuo genere peccatum mortale, ex imperfectione tamen actus poteſt eſſe veniale. 218. 1. C.

Diuinatio eſt peccatum. 151. 2. B.

Diuinatio omnis ſuperſtitioſa, eſt peccatū mortale ex genere ſuo, excuſantur tamē diuinantes propter ignorantiam, ni craſſa ſit, & ſupina. 167. 2.

Diuinationis peccatum poteſt fieri veniale ex leuitate materiæ, quæ expenditur ex leui ſocietate cum dæmone habita. 168. 1. C.

Celebrare in Eccleſia polluta eſt mortale ex ſuo genere, dum non celebretur de licentia Epiſcopi. 639. 2. A.

Omnibus adhibere fidem est peccatū mortale superstitionis, nisi saltem probabile sit à Deo esse. 316. 2. C.

Quando non est saltem probabile omina esse diuina, eis fidem adhibere vt diuinis est peccatum veniale temerarij iudicij, & leuitatis. 317. 1. B.

Peccata mortalia indebiti cultus licèt non differant specie, sunt manifestanda in cōfessione. 17. C.

Peccatum Iehu quando 4. Reg. 10. simulauit se sacrificare Baal, fuit impium peccatum. 48. 1. B.

Non est peccatum contra confessionem fidei, aut cultum Religionis, ingredi phana infidelium idolatrarum. pagin. 55. 2. B.

Peccata opposita virtutibus Theologicis secundùm suas formales, & præcisas rationes, grauiora sunt quàm idolatria, & alia quæuis peccata. 100. 1. C.

Idolatria ex genere suo, & considerata ratione ipsius peccati, grauius peccatum est, quàm odium Dei, & reliqua peccata. ibid. D.

Grauius peccatum est idolatria exteriòr, quàm infidelitas interior. pag. 102. D. & 103. 1. B.

Grauius peccatum est hæresis Manichæorum, quàm peccatum aliorum idolatrarum, etiam quantum ad genus peccati. 103. 2. C.

Peccatum grauissimum est inquirire, aut velle prædicere ex astris tanquam certaea, quæ non pendent ab illis. pagina. 265. 1. C.

Quæcunque prædictio Astrologica est peccatum mortale superstitionis diuinatiuę. 266. 2. C.

Qui coniectat ex somnijs aliquos euentus excedentes facultatem causarum, vt si ex somnio naturali coniectet prædicere mysteria fidei, superstitiosus est mortaliter. 290. 2. D.

Qui non credit somnijs, tamen secundùm effectum, & executionem se habet ac si crederet illis, peccat mortaliter peccato superstitionis. 291. 1. A.

Quando periculum, cui se quis exponit, tenet se ex parte actus eius qui obijcit se periculo, mortaliter peccat talis se exponens, secus autem si non teneat se ex parte actus. 291. 2. D.

Qui quouis modo coniectat ex somnio, quod putat esse à dæmone, peccat grauiter peccato societatis dæmoniacæ, & crimine superstitionis diabolicæ. pagin. 292. 2.

Velle diuinare ex vultu hominis propensiones illius, per certitudinem, aut actus alios, qui non pendēt ex libero arbitrio, peccatum est veniale temerarij iudicij. 325. 1. A.

Sumere diuinationem ex faciei dispositione circa ea, quæ pendent ex libero arbitrio, aut casualia sunt, est peccatū mortale ex genere suo pertinens ad inuocationem tacitam dæmoniorum. pag. 324. 2. C.

Attēdere ad præsagia ex physiognomia in obseruatione legū iustitiæ vindicatiuæ, & distributiuæ, est peccatū mortale iniustitiæ. 325. 2. C.

Leuitas materiæ facit peccatum esse veniale quando diminuit formalem deordinationem inuentam in tali materia respectu talis peccati. 566. 1. B.

Status peccati tripliciter potest accipi: primò pro statu purè actuali: secundò pro statu purè habituali, in quo est qui semel peccauit, dum nondum consequutus est veniam: tertiò pro statu quasi medio inter actum, & habitum; qui status addit supra secundum tantam deordinationem, vt de se sit nouū obiectum peccati mortalis. 567. 2. C.

Pensio.

Pensiones non sunt beneficia. 791. 1. B.

Confidentialis simonia, quæ potest interuenire in resignatione pensionum, non est damnata in Bullis Pij IIII. & V. ibid.

Pensio quid? 722. 2. D.

Pensiones trifariàm imponi possunt. pag. 724. 1. A.

Quid sit redimere pensiones? ibid. 2. C.

Pensiones clericales apud Hispanos quacunque de causa consignentur, sunt inuendibiles, & irredimibiles iure diuino, nisi Bulla Pontificis constet, non dari cum annexione ad functionem spiritualem. 727. 1. C.

Pensio mere temporalis nequit cum beneficio permutari, etiam autoritate Pontificis sine simoniæ labe contra ius diuinū. 763. 1. C.

Pensio in titulum beneficij erecta quocunque nomine vocetur, permutari potest cū beneficio, in manibus Episcopi, iuxta commune ius sine vitio simoniæ. pa. 762. 2. C.

Periculum.

Quando periculum, cui quis ſe exponit tenet ſe ex parte actus eius, qui obijcit ſe periculo, mortaliter peccat talis ſe exponens: ſecus autem ſi non teneat ſe ex parte actus. 291. 2. D.

Periculo illuſionis dæmoniacæ ſe exponit qui in lege gratiæ it cubitum vt ſomnia captet verorum ſignificatiua. 292. 2. D.

Periurium.

Eſt mendacium iuramento confirmatum. 561. 1. C.

Omne iuramentum illicitum eſt periuriū: ſi ſit illicitum propter defectum veritatis, eſt periurium ſimpliciter; ſi ob defectum iuſtitiæ, aut iudicij, tantùm ſecundum quid. ibi. 2. B.

Omne periurium eſt peccatum Religioni contrarium. 563. 2. A.

Omne periuriū ſimpliciter ex genere ſuo eſt peccatum mortale. 565. 2. A.

Materia periurij eſt mendacium. pag. 565. 2. C.

Omne periurium aſſertorium de mendacio etiam leuiſsimo eſt peccatum mortale. ibid. D.

Periurium ſimpliciter non poteſt fieri peccatum veniale ex leuitate materiæ. ibidem D.

Periurium poteſt fieri peccatum veniale per ſurreptionem. 566. 1. A.

Quando ex modo iocandi intelligitur iurantem non affirmare mendacium, ſed tantùm per iocum verba proferre, tunc iuramentum non eſt periurium. ibidem C.

Periurium iocoſum quodammodo eſt grauius qua parte continet maiorē Dei contemptum. ibid.

Nullus bonus finis poteſt excuſare periurium à ratione peccati. ibid. D.

Qui iurat vt certum, quod non ſcit certò, lethaliter peccat. ibi. 2. A.

Qui iurat opinionem probabilem præter peccatū leuitatis, lethaliter peccat, quia exponit ſe periculo dicendi falſum. ibidem. B.

Si quis iuret rem falſam, quam veram exiſtimat, habens ſufficientem aduertentiam, & probabilem exiſtimationem veritatis, excuſatur culpa periurij. ibid.

Qui iurat aliquid putās eſſe falſum, etiamſi per craſſam ignorantiam putauerit eſſe falſum, peccat lethaliter in ratione periurij. 567. 1. B.

Si quis per inaduertentiam naturalem falſum iuret, nullum committit peccatum. ibid. C.

Habere conſuetudinem periurandi cum attentione non dicendi falſum, non cōſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis. 568. 1. B.

Conſuetudo aduertendi quoties iuratur, non excuſat à culpa periurij iuramentum, in quo fuit notabilis negligentia. ibi. 1. D.

Conſuetudo iurandi indiſcriminatim verum vel falſum, cum aduertentia formali, & actuali, quòd ſæpe iurat falſum, eſt aggregatio quædam grauiſſimorum peccatorum, & quamdiu eſt voluntaria, reponit hominem in ſtatu peccati mortalis. ibidem. 2. A. & 572. 1. D.

Non obſtante praua conſuetudine peierandi, ſi quis aliquando aduertat verum eſſe id quod iurat, in tali actu non eſt periurus. 568. 2. B.

Conſuetudo iurandi ſine debita diligentia, & cautione, an verum ſit quod iurat, cōſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis, & eſt conſuetudo peierandi. pa. 569. 1. A.

Qui aſſuetus eſt iurare falſum, vt plurimū iurando ſine aduertentia, an iuret, vel an iuret falſum, peccat mortaliter. pa. 570. 2. C.

Quando inaduertentia iurantis non ex conſuetudine, ſed ex alia paſsione procedit, ſi ille paſsionis impetus peccaminoſus eſt, periurium peccatum erit, iuxta qualitatem motiui. pagina. 571. 1. A.

Quando inaduertentia iurandi falſum non prouenit ex conſuetudine, ſed ex impetu naturali, aut obliuione inuincibili rapiente linguam vt iuret, tunc periurium non eſt adſcribendum conſuetudini, neque ibi eſt nouum peccatum, præter id quod fortaſſe præuiſum eſt in conſuetudine. pagina. 571. 1. B.

Homo aſſuetus ad peierandum quando cōſuetudo eſt cauſa periurij dupliciter poteſt ſe habere. ibi. 2. C.

Etiamſi conſuetudo peierandi impediat vſum rationis circa aduertentiam, quod iura-

iuratur relicta ſola attentione ad proferendum verba adiuratoria, illud periurium eſt peccatum. pagina. 572. 1. A. Et à fortiori ſi aduertat ſe iurare, quia tunc periurium non ſolùm eſt volitum in cauſa, ſed etiam in ſe ipſo. ibidem. B.

Qui habet conſuetudinem peierandi, tenetur illam confiteri. ibi. 2. A.

Vti amphibologijs in iuramentis non eſt intrinſecè malũ ex ſuo obiecto, nec periurium. 572. 2. D.

Quoties verba ſecundùm aliquem ſenſum proprium, vel legitimam interpretationem intentũ proferuntur, ex cauſa honeſta, non eſt periurium, nec peccatum, ſi adſint alij comites iuramenti. pa. 573. 1. B.

Exempla huius. Si quis contraxit, vel promiſit exterius ſine interiori intentione, & iniuſtè interrogetur à iudice, poteſt iuramento negare ſe promiſiſſe, aut contraxiſſe. ibidem. C. Item, ſi quis interrogetur in iudicio, an debeat pecunias, quas iam habet ſolutas poteſt negare ſe illas accepiſſe, ſi probare non poteſt ſe illas ſoluiſſe. ibi. D. Item, ſi quis exemptus à gabella ſoluenda, interrogetur an talem vel talem rem portet, poteſt abſolutè negare cum iuramento. ibid.

Item, ſi quis interrogetur, an reus iſthac tranſierit, poteſt negare non tranſiſſe hac, deſignando locum, per quem reus non tranſiuit. ibid. Item ſi quis interrogetur, an veniat de tali loco, qui falsò putatur peſte infectus, poteſt iuramento negare. ibi. 2. A.

Qui iurat aliquam enuntiationem, cuius verba tantùm habent vnicum ſenſum, falſum periurium committit, quamuis in mente apponat aliquid, quo verus ſenſus reddatur. 574. 1. C. Niſi interrogetur de crimine, quod reuelare non poteſt, vel iniuſtè interrogetur. ibi. D.

Si quis ex iuſta cauſa, aut neceſsitate iuret verbis ex ſe amphibologicis, etiamſi audiens decipiatur, non committit periurium. pagina. 575. 2. A. Secus ſi ſine cauſa iuſta, aut neceſsitate. ibidem.

Qui ſine cauſa rationabili vtitur iurãdo ſenſu amphibologico verè peccat peccato periurij. 576. 1. B.

Iurare verum ſine neceſsitate, aut vtilitate iurandi, nunquam eſt peccatum mortale in indiuiduo, dummodo abſit contemptus. ibi. 2. D.

Iuramentum aſſertorium, cui deeſt comes iuſtitiæ dumtaxat peccatum eſt veniale, niſi aliunde vitietur. 577. 2. A. Vt ſi quis infamet proximum, narrando verum occultum, & illius iuramento confirmet vt credibilior fiat infamia. ibi. C.

Iurare exterius ſine intentione iurandi ex ſuo genere eſt peccatum mortale contra Religionem, & cõtra ſecundum præceptum Decalogi. 578. 1. C.

Execrationes vel maledictiones, quæ fiunt ſine intentione, vt ſi quis dicat, Deus me deſtruat, non eſt peccatum mortale. ibid. B.

Benè poteſt quis iurare exterius ſine intentione iurandi ſine peccato mortali, vt ſi iuramentum iniuſtè exigatur; vel ſi iureturvoluntariè, & ſine obligatione; vel ſine iniuria, aut nocumento proximi. ibid. C.

Peccatum mortale eſt iurare cum intẽtione iurandi, & non ſe obligandi. ibid.

Iurare cum intentione iurandi, & non ſeruandi quod iuratur eſt peccatum mortale. 579. 1. A.

Iuramenta parentum ad promittendum filijs munuſcula ſine animo implendi, vel quæ fiunt de non præeundo vrbanitatis cauſa, vel quæ per iocum fiunt ſine animo implendi, non ſunt peccata mortalia, quia ſemper fiunt ſubintellecta aliqua conditione, ratione cuius excuſantur. ibi. B.

Iuramenta promiſſoria amphibologica, ſi licitè fiant, ſatis eſt quod fiant iuxta intentionem iurantis, ſecus ſi illicitè. ibidem. D.

Probabile eſt, violationem iuramenti promiſſorij, etiam in leui materia, eſſe peccatum mortale. pag. 580. Contrarium tamen eſt probabilius; ſiue parua materia ſit tota materia promiſsionis, ſiue non. ibid. D.

Iurare rem indifferentem, vt manet in ſua indifferentia, eſt peccatum veniale. pag. 581. 2. B.

Iurare opus contrarium conſilio non eſt peccatum mortale per ſe loquendo. ibidem. C.

Iurare rem ſibi impoſsibilem eſt peccatum mortale. pag. 581. Niſi probabiliter exiſtimet ſibi fore poſsibilem. 582. 1. A.

Iurare factionem peccati venialis cum

propoſito illud faciendi, eſt tantum peccatum veniale. ibid. B.
Iuramentum de peccato mortali faciendo eſt peccatum mortale contra Religionē. ibid. 2. C.

De pœnis periurij.

Deus multum inuehitur contra peierantes. 583. 1. B.
Vtroque iure Canonico, & Ciuili punitur periurium. ibid. D.
Nulla cenſura eſt lata ipſo iure propter crimen periurij. ibi.
Propter periurium non incurritur irregularitas ipſo facto, & immediatè. ibid.
Collatio beneficij facta periuro non eſt nulla ipſo iure, ſed probato delicto imponenda eſt talis pœna. ibi. 2. B.
Secus ſi periurus ſit infamis iuridicè. ibi.
Propter periurium non incurritur ipſo facto priuatio beneficiorum ante ſententiam condemnatoriam. ibi. C.
Infamia incurritur propter periurium proprium, cui deeſt veritas cum trāſgreſſione iuramenti. ibid. D.
Per omne periurium incurritur infamia canonica. 584. 1. D. Non verò infamia ciuilis. ibid.
Periurus non eſt in teſtem admittendus. ibi. 2. B.
In foro conſcientiæ nullus tenetur propter periurium commiſſum abſtinere à iurando. ibid. C.
Per periuriū promiſſorium ſolemniter factum incurritur infamia ipſo iure, ſi periurium ſit occultum. 584. 1. D.
Clerici propter periurium ſunt deponendi. 585. 1. B.
Petere ab aliquo quod iuret, neſciens quod iuraturus eſt falſum, non eſt peccatum. 587. 1. B. Secus ſi ſcit falſum iuraturum. ibid. Niſi is qui exigit iuramentum ſit perſona publica, & illud exigat ſecundùm ordinem iuris. ibid.
Petere ab aliquo, quòd iuret falſum, vel quòd iuret affirmando quod ignorat an ſit factum, vel quod iuret vt certum id, de quo dubitat, eſt peccatum mortale. ibid. 2. A.
Quando quis offert iuramentum falſum nō peccat qui illud acceptat habendo ſe merè paſsiuè. 590. 1. A.
Petere ab aliquo quòd iuret ſine neceſsitate ferè ſemper eſt peccatum veniale. pa. 590. 1. C.
Petere ab aliquo quòd iuret ſine iuſtitia eſt peccatum eiuſdem generis, atque iurare ſine iuſtitiæ comite. ibid. D.
Non licet inducere aliquem ad iurandum per falſos Deos. 590. 2. B.
Non eſt intrinſecè malum petere iuramentum ab eo, quem conſtat eſſe iuraturum per falſos Deos. ibi. D.
Non licet actori petere à iudice quod exigat iuramentum ab eo, quem ſcit, vel vehementer præſumit iuraturum eſſe falſum. 589. 2. B.
Vna ſpecialis ratio peccati poteſt in pluribus generibus inueniri. 597. 1. D.
Vna ſpecies peccati poteſt contrahi per aliam, & ſubſterni illi. 604. 1. B.

Permutatio.

Commutare rem verè ſpiritualem pro alia verè ſpirituali, non eſt ſimonia iure diuino prohibita. 758. 1. A.
Inter res, quæ permutantur debet ſeruari proportio, vt nō committatur ſimonia, ita vt vel vtraque ſit ſpiritualis, vel vtraque temporalis, vel ſi habeant aliquid ſpirituale, vel temporale annexum, in vtraque ſit antecedenter, vel in vtraque conſequenter. 759. 1. B.
Permutatio vnius rei ſpiritualis pro alia in beneficijs Eccleſiaſticis propria autoritate facta eſt ſimonia, iure tantùm poſitiuo prohibita. 759. 2. A.
Permutare ſpirituale pro ſpirituali extra beneficiorum, & beneficialium materiā non eſt ſpecialiter prohibitum iure poſitiuo. 760. 2. B.
Permutatio beneficiorum, & eorum, quæ ad ea ſpectant poteſt aliquo modo licitè fieri. 761. 1. D.
Conditiones, quæ requiruntur vt huiuſmodi permutatio licitè, & ſine vitio ſimoniæ fiat. ibi. 2.
Permutare ſub conditione, ſi Prælatus conſenſerit, non eſt ſimonia. 762. 1. D.
Præſtimonium, & penſio in titulum beneficij erecta permutari poteſt cum beneficio in manibus Epiſcopi, iuxta commune ius ſine vitio ſimoniæ. pag. 762. 2. C.
Beneficium poteſt permutari pro pēſione ſpirituali, etiamſi non ſit in titulum beneficij erecta, dum permutatio fiat autoritate Pontificis. ibi.
Penſio merè temporalis nequit cum beneficio permutari etiam autoritate Papæ. 763. 1. C.
Permutare beneficium dignius, & magis tenue

tenue pro pinguiori, & minus digno, si adsit recta intentio, non habendo respectum ad pretium temporale pro re spirituali, sed ad nudam permutationem, nulla est simonia. 764. 1. D.

Permutatio beneficij tenuioris propinguiori data pecunia ad supplēdum excessum in fructibus, quo pinguius superat tenue, simonia est contra ius diuinum. 765. 2. A.

Solus Summus Pontifex potest inuenire modum, quo in permutandis beneficijs, quorum vnum excedit alterum in fructibus, excessus pecunia compensetur. ibi. B.

Modus quo id potest facere. ibid.

In beneficiorum inæqualium permutatione potest Pontifex imponere pensionem beneficio pinguiori, vtendo modis quibusdam. 766. 2. B.

Quatuor conditiones requiruntur, vt permutationes fiant sine simonia. 767. 1. B.

Persæ.

Persæ colebant vniuersum cœli ambitum. 117. 1. C.

Physiognomia.

Physiognomica diuinatio fit per proportionem, & dispositionē faciei. 322. 2. A.

Quando vna est causa cōmunis futuris euētibus, vel oculis, & ipsis faciei dispositionibus, vnde prænotio sumitur, tunc licita est talis prænotio. 322. 2. C. & 323. 2. B.

Deus rarò, aut nunquam vsus est figuris faciei, aut quauis alia dispositione corporis ad significandos futuros euentus. ibid. B. potest tamen vti dispositionibus naturalibus à natura fabricatis ad aliquos futuros euentus significandos. ibi.

Pythagoras, inspectis faciebus discipulorum, eos admittebat, vel repudiabat. ibidem.

Platonem futurum esse virum insignis virtutis coniectauit Socrates ex dispotione faciei eius. ibi.

Fundamenta ad coniectandum ex dispositione faciei. ibi.

Physiognomica diuinatio nō potest haberi circa ea, quæ pendent ex libero arbitrio, aut casualia sunt. 324. 2. C.

Hoc facere est peccatum mortale ex genere suo, pertinens ad inuocationem tacitam dæmoniorum. ibi.

Exilis tamen, & exigua coniectura sumi potest de actibus humanis ex vultu & partibus eius. 325. 1. A.

Physiognomi multo probabilius iudicant de brutis ex eorum membris, qualia futura sint, quàm de hominibus, & de hominibus sceleratis, quàm de probis. ibid. D.

Velle diuinare ex vultu hominis propensiones illius per certitudinem, aut actus alios, qui non pendent ex libero arbitrio, peccatum est veniale temerarij iudicij. ibi.

Attendere ad præsagia ex physiognomia in obseruatione iustitiæ vindicatiuæ, & distributiuæ, est peccatum mortale iniustitiæ. ibidem. 2. C. Secus autem in actibus arbitrarijs, quos quis habet in suâ potestate, potest enim quis hunc illi præferre, quia vultu est venerabilior. 326. 1. B.

Dæmones nequeunt dispositionem faciei construere, ad significandos futuros euētus. 323. 1. B. Potest tamen vti dispositionibus naturalibus à natura fabricatis ad aliquos futuros euentus significādos. ibidem.

Pyromantia.

Pyromantia est species diuinationis, quà dæmon per ignem responsa dat. 207. 2. A.

Hæc fiebat fulminè, tonitruo, & cremata lauro, quæ si in prunas coniecta magnū strepitum ederet, fœlicia præsagiebat, sin minus infœlicia. 208. 2. B.

Pythonica.

Pythonica diuinatio à quo sit denominata. 203. 1. A.

Est illa, qua diabolus occulta prædicit medijs hominibus viuis. ibi. B.

Pollutio.

Per humani seminis copiosam effusionem violatur Ecclesia. 648.

Pollutio nocturna aliquando est ex causa naturali, & quomodo? 227. 1. B.

Portenta, & monstra.

Portenta, & monstra possunt prouenire à triplici causa, diuina, diabolica, & naturali. 328. 2. A.

Mula quædam peperit. ibi.

Fœmina elefantem peperit, alia leonem, alia catum, alia canem. ibi.

Gothici Reges ex vrso, & virgine nobili originem duxêre. ibi. B.

Peguſiani,& Syanitæ,Indiæ gentes,à cane, qui cum muliere concubuerat, originem duxêre. ibi.
Infans ſemeſtris in foro Boario triumphum proclamauit.ibi.D.
Lapides pluiuêre in Pyceno. ibi.
In Sicilia duo ſcuta ſanguinem ſudarunt. ibidem.
Portēta,aut prodigia dęmoniaca vacua ſunt omni ſignificatione naturali, ac proinde diuinationes ab his deſumptæ ſuperſtitioſæ ſunt ad tacitam inuocationem dęmonum pertinentes.329.2.A.
Aequa leporem peperit.329.2. B.
Zoroaſtres natus ſuit dentatus, & ſtatim fertur riſiſſe. ibid. C.
De Pyrro ait Plinius ita ei cerebrum palpitaſſe,vt impoſitam repelleret manum. ibid. D.
Aliqua portenta, & prodigia à Deo fuerunt facta ad aliqua ſignificanda. ibidem.

Potentia.

Potentia non poteſt ferri in obiectum materiale, niſi in formale directè tendat. 91. 2. D.
Dupliciter vna potentia alterius actum poteſt impedire : vno modo ponendo illi obſtaculum;alio modo exhauriendo totam vim animæ.302.1.A.
Quod poteſt in maius, non ſemper poteſt in minus.381.1.D.

Præcauere futura.

Præcauere ab imminentibus, dubitando, an præſens occurſus ſit ſignum futuri mali,omninò illicitum eſt, & vanum. 427. 1. B.
Præſagire effectus ex cauſis, & infauſtos timere, ac præcauere, licitum eſt.426. 2. C.

Prædicere futura.

Ferè impoſsibile eſt in Aſtrorum obſeruatione ex experientia euentuum futura prædicere. 261. 1. D.
Prædicere futura,quæ ex libertate pendēt, ex Aſtris tanquam certa, præter ſuperſtitionis crimen includit virtualiter cōfeſsionem hæreticam.265.2.B.
Quæcunq; prædictio Aſtrologica ex prædictis,eſt peccatum mortale ſuperſtitionis diuinatiuæ.266.2.C.
Prædictiones iſtæ non ſunt malæ, quia prohibitæ: ſed prohibitæ, quia malæ: 266.2. D.
Prædicere effectus naturales, vt in plurimum ab influentijs Aſtrorum prouenientes,nec eſt peccatum, nec vllo modo prohibitum.267.1. B.
Idem eſt de prædictionibus, quas faciunt Aſtrologi de temperamentis,aut propēſionibus,ſeu inclinationibus natorū infantium.268.1.A.
Prædicere, ſeu aliqualiter coniectare ex actionum poſitione in generatione hominum obſeruata aliquos actus humanos habentes coniecturalem connexionem cum propenſionibus hominū,non eſt per ſe malum.269.1.D.
Secùs autem ſi nullam habent connexionem cum hominis propenſionibus. 270. 1. B.
Qui ignorata cauſa alicuius ſomnij, ex eo conatur prędicere aliquem effectum,qui à cauſa aliqua naturali poteſt prouenire, peccat peccato temerarij iudicij,& vani. 291. 1. B.
Præſagire effectus ex cauſis, & infauſtos timere,ac præcauere,licitū eſt.426.2.C.

Præſtigium.

Præſtigium eſt diuinatio, quæ promanat ex præſtigioſis dæmonum appāritionibus, occulta homines edocentium.175.2.B.

Probatio, ſeu purgatio ad oſtendendum aliquid occultum, innocentiam ſcilicet, vel caſtitatem.

Probationes ferri igniti, aquæ feruentis, velfrigidæ,introductæ ſunt temporibus legis gratiæ.476.1.A.
Originem ſumpſêre ex conceſsione diuina apud Iudæos de probatione adulterij medio potu aquarum amaricantium. ibidem.
Purgatio alia vulgaris, quia vulgi obſeruatione fiūt introducta;alia canonica, quia iure Canonico approbatur.ibi B.
Exempla probationis per ignem.ibid.2.B.
Exempla probationis per aquam feruentem.477.2.B.
Præfatę probationes ordinatæ ad exquirēdānotitiā alicuius rei miraculoſę,quando alijs humanis medijs ſciri poteſt, illicitæ ſunt,& ad crimen tentationis Dei pertinent.478.1.A.

Item ſunt illicitæ multis titulis, etiam ſi res alijs medijs ſciri non poſsint,& licet eius cognitio ſit valdè vtilis.ibi.C.

Purgationes per iuſiurandum licitæ ſunt. ibid.D.

Purgatio per Euchariſtiæ ſumptionem,etiã ſi à iudice aliàs legitimo imponatur, eſt illicita.ibi.2.A.

Quare purgatio per iuſiurandum ſit licita, & per Euchariſtiæ ſumptionem non ſit licita?480.1.D.

Prometheus.

Prometheus fuit primus,qui apud Græcos primum ſimulacrum hominum de luto finxit.120.1.B.

Promiſsio.

Promiſsio per iniuriam exacta non obligat promittentem ad impletionem.531. 1. D.

Propenſio, & inclinatio.

Quare vnus homo ad hoc, alter ad illud inclinetur?257.2. B.

Velle diuinare ex vultu hominis propenſionem illius per certitudinem,eſt peccatum veniale.325.1.A.

Propenſiones, quæ à corporibus cœleſtibus hominibus imprimuntur,ſunt in duplici differentia.258.1.B.

Poſitio Aſtrologorum circa hominũ propenſiones refertur, & impugnatur. ibidem.2. C.

Proprietas.

Proprietates rerũ naturalium, quæ exuperant elementares perfectiones, humano ſtudio penetrari nequeunt.373.2. B.

Proprietates aliquorum cœlorũ. 393. 1. A.

Proprietates aliquorum animaliũ.400. 2.B. & 401.per totam.

Prothagoras.

Prothagoras niſi fugiſſet occiſus fuiſſet, quia in dubium reuocauit,an Dij Athenienſes eſſent veri Dij, & libri, quos de hoc conſtruxerat, publicè cõbuſti ſunt. 112.2.A.

Puer.

Puer nulli idiomati aſſuetus fabuloſum eſt quòd Hebraicè loqueretur.407.2. C.

R

Raptus.

Raptus,vide,*Ecſtaſis.*

Raptus eſt,ab eo quod eſt ſecundùm naturam in id quod eſt ſupra naturam, vi ſuperioris naturæ eleuatio.295. 2. B.

Terminus à quo raptus,eſt abſtractio à ſenſibilium apprehenſione; terminus verò ad quem,eſt contemplatio diuinorum,& ſublimium.ibi.C.

Vterque terminus requiritur ad rationem raptus.ibid.D.

Si raptus conſideretur ex parte termini à quo,poteſt eſſe ſine vllo actu tam intellectus,vel voluntatis quàm ſenſuum.296 1.A.Secùs autem ſi conſideretur, vt dicit motum compoſitum ex termino à quo; & ad quem. ibi. B.

Nec poteſt reperiri ſolo actu voluntatis abſque vllo actu intellectus.ibi.2. D.

Tres ſunt cauſæ extrinſecè raptus, & vna intrinſeca:& quæ?298.2.

Probabile eſt, nullam eſſe contemplationem,quæ vi ſua, & efficacia efficiat raptum,ſine vi,& efficacia alicuius cauſę ſuperioris.300.1. C.

Agilitas,quæ communiter in raptu reperitur non habet intrinſecam connexionẽ cum raptu cauſato ex vehementia contemplationis,aut alia cauſa extrinſeca,etiamſi diuina ſit.304.1.B.

Speculatis ecſtaticorum,ſi aliũde ad fidem, vel ſcientiam pertineant, fides adhibenda eſt,etiamſi à cacodæmone ecſtaſis promanauerit.304.2.C.

Si autem ſpeculata aliunde non habent verum,& cauſa ecſtaſis ſit dæmon,fides eis adhibenda non eſt.305.1.A. & idem erit ſi cauſa eſt naturalis, vt ægritudo. 304. 2.D.

Reges.

Hericus Rex Gothorum quocunq; verteret pileum,inde proſperum ventum eliciebat.129.2. D.

Regina Sabà habuit notitiam ſapientiæ Salomonis, relatione, & vocibus auium. 312.2.A.

Religio.

Zelus,& æmulatio pro Deo non pertinent ex obiecto ſuo immediato ad religionem.13.B.

Religio immediatè terminatur ad Deum. 101.1.B.

Romani colebant plus quam triginta millia Deorum. 112.2.C.

Colere homines prout sunt aliquid Dei pertinet ad religionem. 198.1.C.

Reliquiæ.

Vsus Reliquiarum adiunctis quibusdam vanis circunstantijs superstitiosus est. 440.1.C.

Vsus Reliquiarum est licitus, nisi admisceantur aliquæ circunstantiæ, quibus reddatur superstitiosus. ibid.

Renuntiatio.

Renuntiatio beneficij est abdicatio voluntaria, qua quis se expoliat, siue dimittit beneficium suum. 767.1.D.

Renuntiatio aliquando fit causa permutationis, aliquando verò per se, & sui causa. ibid. Et hæc dicitur renuntiatio simplex. ibid.

Renuntiatio simplex non est valida, nisi fiat in manibus Prælati, qui eam acceptet. ibi. 2.A.

Quatuor modis potest prædicta renuntiatio fieri in manibus Prælati. ibidem. per totam.

Primo modo fit purè, & absolutè, id est, sine onere pensionis, & sine designatione personæ, cui beneficium conferatur: & in hoc non intervenit simonia, nisi per accidens, quatenus pro illa facienda pecunia intercedere potest. ibi. B.

Secundo modo fit purè, sub conditione tamen, vt detur tali personæ beneficium; & talis renuntiatio non continet simoniam contra ius diuinum, benè tamen contra ius humanum Ecclesiasticũ. ibid. D.

Tertio modo fit sub conditione, vt detur tali personæ cum tali pensione, de qua renuntiatione philosophandum est sicut de facta secundo modo. 770.1.C.

Quarto modo fit renuntiatio absolutè, id est, non designando personam, sed non purè, sed cum pensione: & hæc non potest fieri in manibus Ordinariorum, qui iuxta Canones, & stylum Curiæ non possunt pensiones constituere, aut beneficia regulariter diminutè conferre, ibi. 1. D.

An solùm Pontifex possit approbare renuntiationes factas secundo modo, an etiam Episcopus. 768. per totam.

Resignatio.

Duobus modis potest fieri resignatio beneficij in confidentia. 789.2.A.

Si resignans beneficium nihil aliud intendat, quàm quod is, in cuius fauorem resignauit benefaciat illi, & consanguineis suis, non intendens aliam obligationem inducere, præter eam, quæ ad beneficium collatum naturaliter sequitur, per se, & stando in iure diuino non est simoniaca cõfidentia, potest tamen aliunde esse illicita. ibi. 2.B.

Resignatio beneficij in confidentia, quòd sibi, vel alijs beneficium idem resignabit, vel fructus eius, aut saltem partẽ fructuum reseruabit is, in cuius fauorem fit resignatio, vt plurimum est simoniaca. ibid. C.

Si collatio, aut resignatio beneficij fiat cũ pacto, saltem virtuali, nouam inducente ciuilem obligationem, vt beneficium, vel saltem partem fructuum eius sibi, vel consanguineis conferatur erit cõfidentia simoniaca. 790.1.B.

Collatio simoniaca in fauorem ignorantis facta est, à principio nulla iure positiuo. 792.2.A.

Restitutio.

Qui vendit rem spiritualem ei, cui ex iustitia tenebatur conferre, iure diuino adstringitur ad restitutionẽ pretij. 803.1.C

Qui vendit rem spiritualem, vt spiritualis est, siue mentali simonia, siue reali, etiãsi ex iustitia non teneatur eam emptori ministrare, lege naturæ debet in conscientia pretium restituere. ibid. 2.C.

Vendere functiones spirituales secundùm quamcunque rationem, est contra iustitiam, & ideò pretium iure diuino obnoxium est restitutioni. 805.1.B.

Beneficiarius vendens beneficium Ecclesiasticum peccat contra iustitiam, & ideò tenetur lege naturæ, pretium restituere. 806.1.A.

Pretium simoniacè acceptum iure diuino attento est restituendum ei, à quo fuit acceptum. 808.2.D.

Attento iure Pontificio in simonia imperfecta, & nondum consummata pretium ei restituẽdum est, à quo fuit acceptum. 809.1.C.

Ante iudicis sententiã ei pecunia restituenda est, à quo fuit accepta in simonia in beneficijs Ecclesiasticis cõmissa. ibi. 2.C.

Pre-

Pretium acceptum in ſimonia cõmiſſa ex vi Eccleſiaſtici iuris præciſe non eſt reſtitutioni obnoxium, & ideò de eo ſecundùm regulas iuris communis iudicãdum eſt.810.1. B.

Attento iure diuino beneficia Eccleſiaſtica ſimoniacè accepta non ſunt obnoxia reſtitutioni.795.1.D. Secùs attento iure Pontificio ſecundùm quod beneficium, & fructus eius ante iudicis ſententiam reſtituenda ſunt.796.1. A.

Si quis accipiat beneficium,ignorans inuincibiliter collationem pretij pro beneficio obtento, tenetur reſtituere fructus tantùm præſentes.ibi.2.

Ab hac regula excipiuntur duo caſus. ibidem.Si autem in fraudẽ Beneficiarij fuit pretium collatum, non tenetur aliquid reſtituere,ſecùs ſi pretium fuit collatum ab amicis,nam tunc debet reſtituere beneficium, & id in quo factus eſt ditior. 798. 1. B.

Reuelatio.

Implicat Deum reuelare aliquid contrariũ fidei, vel præceptis indiſpenſabilibus. 177.2.C.

Deus poteſt reuelare de potentia abſoluta abrogationem legum Eccleſiæ.177.2.D Id tamen non efficiet de potentia ordinaria.178.1.A.

Reuelationes quòd Deus diſpenſat cum aliquibus in lege aliqua communi, ſeu naturali,ſeu Eccleſiaſtica,poſsibiles ſunt;nõ tamen eis publica fides adhibenda, niſi miraculo,aut fidei tẽſtimonio confirmẽtur.ibi.2.B.

Si reueletur Petro, vt non tenetur ieiunare,&c.non aliter tenetur credere, quàm ſi conſtet reuelationem eſſe à Deo: attamen modò non dãtur tales reuelationes. 179.1.D.

Non eſt adhibenda fides ei, qui dixerit ſe habere reuelationem de Dei diſpenſatione in lege communi,diuina,aut Eccleſiaſtica.ibi.2.C.

Admiſſa reuelatione probabili de diſpenſatione in lege communi, non licet eam in praxi ſequi. 181.1.B.Et oppoſitũ eſt errori proximum,temerarium,ſcandaloſum,& ſapit hæreſim.183.1.A.

Reuelatio duplex, alia expreſſa, ſiue ocularis,ſiue audibilis, ſiue purè intellectualis;alia non expreſſa,quæ potiùs ſuggeſtio,inſtinctus, ſeu motus interior dicitur.185.2.A.

Reuelationes dignoſcendæ ſunt ex parte rerum reuelatarum,vel ex parte circunſtantiarum reuelationum, vel ex parte perſonarum, quibus fiunt reuelationes.ibi.

Reuelatio eò tendens, vt ſuadeat aliquot falſa, vel diſſona Scripturæ, rationi, vel legi,dæmoniaca eſt.ibi.C.& D. Si verò incitat ad opera bona, non leuis coniectura eſt,eam eſſe à Deo.186.1.A. Non tamen eſt certum ſignum.ibi.

Reuelationes ſuadentes opera egregia, quæ ſint perfectionum impeditiua, vel quæ non congruãt profeſsioni,officijs, & alijs,quæ expendi debent in eo,qui reuelationes patitur,frequentius non ſunt à Deo.ibi.C. Mirabilis doctrina Arſenij ad hoc propoſitum.

Si lumen diuinum adſit reuelationibus, ſignum certum eſt eſſe diuinas;ſi verò abſit, non eſt certum eſſe à dæmone.187.2.A.

Quidã Epiſcopus placuit Domino in reijciendo quandam diuinam reuelationem. ibid. C.

Qui habuerit diſcretionem ſpirituum, ſciet diſcernere inter reuelationes diuinas,& dæmoniacas.188.1.A.

Medio diuino ſapore ex diuina illuſtratione concepto,patiens reuelationes diſcernit diuinas,à non diuinis. ibi.2.B.

Initio reuelationis perturbari, &in fine lętitia perfundi ſignum eſt diuinæ reuelationis,ſecùs ſi è conuerſo. ibi.C.

Hoc ſignum non eſt infallibile.ibi. D.

Reuelatio,quam concomitatur miraculum, diuina eſt, ſi verò eam concomitetur euentus rei reuelatæ, non leue ſignum eſt eſſe diuinam.189.2.

Multi qui diuinas reuelationes detexêre. ibidem.

Si forma, in qua fit apparitio,eſt Dei, vel Angeli,eſt indicium, quòd eſt diuina, nõ tamen certum.190.1.

Si infidelis arreptitius, freneticus, furioſus, vel attræ bilis, abundantia laborãs, aut vigilijs nimijs attenuatus, vel nimis ſenex,aut puerr,euelationem habeant,potiùs cenſendæ ſunt dæmoniacæ, quàm diuinæ.190.2.& 191.1.

Reuelationibus fœminarum non eſt nimis fidendum,&quare?191.1.

Fœminæ,quæ falſis reuelationibus aliquos decepêre.ibi.&192.1.

Si patiens reuelationes aliquando fuerit à dæmone deceptus,non eſt illi fides adhibenda.ibi.2.B.

In reuelationibus dubijs an ſint à Deo, ſi res ſit magni ponderis, ad Summum Pontificem recurrendum eſt. 193. 2. A.

Reuelationes, quæ fiunt à bonis Angelis, vel animabus beatis, vel exiſtentibus in Purgatorio, Deo iubente, aut annuente fiunt. ibi. B.

Viri ſancti non debēt petere à Deo, aut deſiderare, vt ſibi fiant reuelationes. ibi. D.

Si non certò cognoſcatur, reuelationes eſſe à Deo, non eſt illis fides adhibenda, ſed ſuſpendendum iudicium. 194. D.

Quando quis dubitat de reuelatione, Cruce ſe muniat, vt dæmon fugiat. ibi. 2. A.

Confeſſor non debet applaudere perſonæ patienti reuelationes. ibi. 2. C.

Romani.

Romani colebant pluſquam triginta millia Deorum. 112. 2. C.

Romani pluſquam annos centum & ſeptuaginta, Deos ſine ſimulacro colebant. 117. 1. D.

Roſa.

Roſæ ſylueſtris radicem, quomodo medicinalem eſſe innotuit. 373. 2. D.

S

Sacrilegium.

Omne quod ad irreuerentiam rerum ſacrarum pertinet, habet ſacrilegij rationem. 593. 1. A.

Sacrilegium eſt rei ſacræ violatio, ſiue irreuerentia. ibi. C.

Nomine rei ſacræ intelliguntur, quæ aliqua lege, aut benedictione, aut conſecratione deſtinantur ad diuinum cultum. ibidem.

Vitia, quæ immediatè verſantur circa Deū, vt blaſphemia, idolatria, &c. nō ſunt propriè ſacrilegia. ibi. D.

Sanctitas dupliciter poteſt alicui rei ineſſe. 593. 2. C.

Sacra loca dicuntur, quæ aduerſum iniuriā, & vim, religione quadā muniuntur. ib. D

Immunitas rei ſacræ ab aliquo onere pertinet ad eius ſanctitatem. ibid.

Sacrilegium eſt ſpeciale peccatum religioni oppoſitum. 595. 2. B. & 596. 2. A.

Ex genere ſuo eſt peccatum mortale. ib. B.

In individuo erit mortale, ſi materia grauis fuerit. ibid.

Poteſt eſſe veniale, vel ex leuitate materię, dum abſit contemptus, vel ex inaduertentia. ibid. C. & D.

Agere aliquid, quod directè repugnat ei vſui, vel fini, ad quem res ſacra deſtinata eſt, eſt ſacrilegium, aliàs nequaquam. 597. 1. A.

Lex Dei, & verba diuina ſunt res ſacræ. ib. B

Non omnes qui tranſgrediuntur ſanctionem legis ſunt ſacrilegi; ſed qui illam impugnant, aut aſſerunt non eſſe Dei verba, aut peruertunt eius ſenſum ad ſuos errores ſtabiliendos. ibid. C.

Sacrilegium aliquando inuenitur ſeparatū ab alijs peccatis. 597. 2. A. Exempla. Si iudex capiat aliquem in loco ſacro, quem in alijs locis licitè capere poterat. Si coniux habens votum caſtitatis petat debitum ab alio cōiuge. Si Prælatus qui iuſtè præcipit verberari ſubditū, præcipiat ſine neceſsitate illū verberari per laicū. Si quis percutiat Clericū ipſo cōſentiente. Si quis accedat ſine neceſsitate ad vxorem in Eccleſia. ibi. C.

Percuſsio Clerici commiſſa ſolo appetitu vindictæ, & non ex intentione violandi perſonam ſacram, eſt ſacrilegium. 598 1. B. Etiamſi ibi reperiatur etiam malitia contra duliam. 399. 2. A.

Violare res ſacras, vt in illis faciat iniuriam Deo, non eſt ſacrilegium propriè, ſed aliud vitium irreligioſitatis. ibi. C.

Sacrilegium in perſonam ſacram.

Illa perſona dicitur ſacra ſacratione, quæ requiritur vt iniuria ei illata ſit ſacrilegiū, quæ per ordinationē ſacram, vel per ſtatum religioſum, vel per votum ſimplex caſtitatis, aut alium modum dedicationis ad cultum Dei, perpetuum cōſecratur. 601. 2. C.

Gradus ſacrilegij in perſonam ſacram primus eſt, inferre manus violentas in talē perſonam. Secundus violatio fori, circa eandem perſonam. Tertius violatio per fornicationem. Quartus eſt, quod cōmittitur in fractione cuiuſcunque voti, ſiue realis, ſiue perſonalis. 602. 2. C. & D.

Inferre iniuriam Clerico, ſecluſo iure poſitiuo, non eſt ex natura rei ſacrilegium. 603. 1. B.

Frangere votum eſt peccatum perfidiæ cōtrarium fidelitati Deo debitæ, & contentum ſub ſacrilegio. 604. 1. B.

Prius res intelligitur promitti Deo, quàm ſacratam fieri. 604. 2. B.

Clerici initiati minoribus ordinibus, ſeclu-

ſecluſo voto, non peccant ſi fornicentur peccato ſacrilegij, aut fortaſsè erit peccatum veniale. 605. 2. C. Idem eſt de Diaconis, aut Subdiaconis. ibi.

Sacerdotes legis gratiæ fornicantes cõmittunt peccatum ſacrilegij. ibid.

Blaſphemia in ore Sacerdotis non eſt ſacrilegium. 606. 1. B.

Blaſphemia Sacerdotis eſt grauius peccatum, quàm fornicatio. ibi. C.

Sacrilegium circa locum ſacrum.

Locus ſacer, cuius violatio ſacrilegium dicitur, eſt ille, quæ ad actiones diuini cultus publicè exercendas eſt peculiariter deputatus ab Epiſcopo. 606. 2. B.

Oratoria autoritate Epiſcopi fundata, etiã ſi non cœperint in eis diuina officia celebrari, ſunt loca ſacra. ibi. C.

Ea peccata facta in Eccleſia ſunt ſacrilegia, quæ continent ſpecialem repugnantiam in illud, ad cuius contrarium ineſt ſanctitas loco ſacro. 609. 1. A.

Aliqui actus facti extra Eccleſiam ſunt indifferentes, vel boni ex obiecto, & in Eccleſia facti ſunt ſacrilegia. 610. 2. C.

Actus qui propriè, & formaliter ſunt ſacrilegia, interdum habent hanc malitiam ex natura rei, interdum ex iure poſitiuo illos prohibente. ibi. D.

Duobus modis poteſt aliquis actus fieri ſacrilegium ex iure poſitiuo. 611. 1. B.

Si quis exiſtens in Eccleſia, vel extra, deſideret operari in Eccleſia actionem ſacrilegam, ſacrilegium committit. 612. 1. B. Secùs autem ſi in Eccleſia exiſtens deſideret operari talem actionem extra Eccleſiam, ibi. Alia peccata quæcunque interna facta in Eccleſia, ſi non ſint ſacrilegia, malitiam aggrauant intra eandem ſpeciem non minus quàm externa. 613. 1. A.

Quando ordinaria peccata, quæ non ſunt ſacrilegia in Eccleſia patrantur, circunſtantia loci ſacri tantum inducit culpam venialem, niſi ſint grauia, & enormia, vt blaſphemia, & periurium deteſtabile. ibi. B.

Homicidium patratum in loco ſacro per actionem voluntariam, & iniurioſam, continetur ſub primo gradu intra ſecundam ſpeciem ſacrilegij. 613. 2. C. Secùs ſi non ſit voluntarium, vt homicidium illatum ab amente, vel propter propriam defenſionem. ibi.

Homicidium iuſtè inflictum à iudice in Eccleſia, eſt ſacrilegium. ibid. C.

Si vulnus eſt illatum extra Eccleſiam, & vulneratus in Eccleſia moriatur, non eſt ſacrilegium. ibi. D.

Percuſsiones, mutilationes, vulnerationes, alaparum inflictiones in Eccleſia, ſunt ſacrilegia. ibid. D.

Rixa venialis in Eccleſia habet malitiam venialem ſacrilegij. 614. 1. A.

Prædicta ſacrilegia, quæ pertinent ad primum gradum, ſunt ſacrilegia ex natura rei, & ſecluſo iure poſitiuo prohibente. ibidem. C.

Secundus gradus.

Copula maritalis in Eccleſia facta, ſecluſa neceſsitate, eſt ſacrilegium ex natura rei. 615. 2. A. etiamſi occultè fiat. ibidem. D. & malitia ſacrilegij, eſt mortalis. 616. 1. B.

Tactus impudici, & inhoneſti in Eccleſia facti, habent lethalem malitiam ſacrilegij; ſecùs eſt de turpi affectu, & aſpectu, nutu, aut leui verbo; præcipuè ſi ſine ſcãdalo fiant: hæc enim habent tantùm venialem malitiam. ibi. C.

Tertius gradus.

Sepelire in Eccleſia excommunicatum excommunicatione maiori, non toleratũ, vel infidelem, ſeu fidelem non baptizatum. Etiam infantem filium fideliũ, ſeu cathecumenum, eſt ſacrilegium ex iure poſitiuo. 616. 1. D. & 2. B.

Quartus gradus.

Furare res profanas, quæ ſunt in Eccleſia ſub eius iure, vel poteſtate, eſt ſacrilegiũ. 617. 1. C. Et etiamſi ibi ſint per accidens probabilius eſt eſſe ſacrilegium. ibi. 2. B. Commune ſacrilegium tantùm eſt de iure poſitiuo. ibi. D. & de genere ſuo mortale, & etiam in indiuiduo, niſi materia leuis ſit: eſt tamen probabile, quòd furtum rei, quæ per accidens erat in Eccleſia poteſt eſſe peccatum mortale, & tamen malitia ſacrilegij tantùm venialis. 618. 1. A. & D.

Quintus gradus.

Iudices laicos agitare cauſas criminales, vel ciuiles in Eccleſia, vel loco ſacro, eſt ſacrilegium ex iure poſitiuo. 618. 2. A.

Secus

Secùs de iudicibus Eccleſiaſticis.ibi. B.
Præfata agitatio ex ſuo genere eſt peccatum mortale,& etiam in indiuiduo, quoties materia grauis fuerit.619.1.A.

Sextus gradus.

Exponere aliquid venale in Eccleſijs, vel cœmiterijs eſt ſacrilegium. 619. 2. C. Etiamſi negotia ex hoc quod fiant in Eccleſia non habeant internam malitiam.ibi.D.
Negotiationes, & mercaturæ ex repugnantia quam habent cum Eccleſiæ vſibus,ſecluſo iure poſitiuo,non ſine crimine in Eccleſia exercentur.620.1.A.
Iure poſitiuo ſunt prohibitæ præfatæ negotiationes in Eccleſia.ibi.2. A.
Si vna,vel alia vēditio fiat in Eccleſia quaſi per tranſitum,poteſt excuſari à peccato ſaltem mortali.ibid.B.
Vendere, vel negotiari in Eccleſia permanēter,eſt peccatum mortale, in cœmiterijs verò veniale.ibi.
Quoties in his negotiationibus grauis templo iniuria fit, erit peccatum mortale; ſi verò leuis veniale. ibi. D.
In Eccleſia ſeditionem fieri, eſt mortale peccatum.620.2. D.
Turpes ludi non poſſunt fieri in Eccleſia. 621. 1. B.
Nec parlamenta de rebus temporalibus: actiones tamen hę ſunt tantum veniales. ibi.C. At ſi turpia,& fœda ſint,erūt mortalia.ibi.C.
Ludi theatrales,& repræſentationes,niſi ad pietatem moueant,nō poſſunt in Eccleſia exerceri.ibi.1.B.

Septimus gradus.

Comedere, & conuiuari ex hoc præciſē, quod fiant in Eccleſia non habent internam malitiam. 622. 1. A. Vt plurimum tamen ſunt actionesimproportionatæ,vt fiant in Eccleſia,nō tamen abſolutè ſunt prohibitæ iure poſitiuo.622.1
Si tamen veſtiantur malis circunſtantijs ſunt prohibitæ iure poſitiuo, diuino, & naturali.ibidem. 2.A. Et ſi cum graui irreuerentia loci ſacri fiant, erunt peccata mortalia, ſi verò cum leui, venialia tantùm.ibi.B.

Octauus gradus.

Extrahere reum ab Eccleſia, eſt ſacrilegiū. 622.2.D.
Nomine Eccleſiæ hic intelliguntur omnes autoritate Epiſcopi fundatæ,conſecratę, ſeu benedictę, etiamſi in eis non cœperint officia diuina celebrari, & etiamſi interdictæ, aut pollutæ ſint; & earum cœmiteria:& hoſpitale,autoritate Epiſcopi fundatum; & Monaſteria Religioſorum,quoad omnem habitationem eorum in cœnobijs. Item domus Epiſcoporū,ſi intra quadraginta paſſus Eccleſiæ ſuæ ſita eſt. Item Sacerdos Euchariſtiam deferens per plateas,&thronum,ſub quo Chriſti corpus defertur. 623.1. & 2. At Oratoria priuata non gaudent hac immunitate.ibi. 2. A.
Perſonæ hac immunitate gaudentes ſunt omnes, præcipuè baptizati, & ſerui, excommunicati, interdicti: Clerici autem poſſunt extrahi ab Eccleſia à iudice Eccleſiaſtico, non verò à laico. ibid. D. Etiam infideles, licèt fortè oppoſitum ſit verius de his. 624. 1. A.
Immunitas Eccleſiæ non prodeſt publico latroni, nocturno depopulatori agrorū, furibus etiam ordinarijs,homicidę,&mutilatori in Eccleſia,vel alia grauia delicta in Eccleſia patranti, dummodo delictum conſumetur in Eccleſia, item homicidę per inſidias.624.1. A.
Inferentes violentiam reis exiſtentibus in Eccleſia ſunt ſacrilegi.624.2.A.
Rei exiſtētes in Eccleſia nō poſſunt ad pœnam aliquā damnari quādiu in ea ſunt.ib. B.Poſſunt tamen armis prohibitis expoliari,& bonis alienis pervim retentis.ib.
Eccleſia nō poteſt obſideri, ita vt impediatur,ne alimenta,& alia neceſſaria recluſo in ea deferantur.ibi.C.
Iudex poteſt blanditijs rogare eum, vt ſecum exeat ab Eccleſia.ibi.D.Etiam poteſt de iuſta licentia Prælati Eccleſię reū ab illa extrahere.625.1. A.
Eccleſia poteſt reſiſtere iudici volenti extrahere reum ab Eccleſia,per cenſuras,& claudendo ianuas;nō verò poteſt ſumere arma,niſi in aliquo caſu raro, quo poterit vti laicis id agentibus. ibi. C.
Iudex extrahens reum tenetur illum Eccleſiæ reſtituere.ibi.D.Et ſi nolit,poteſt cō pelli per cenſuras.ibi.2. A.
Iudex extrahens reum ab Eccleſia,facit illi iniuriam,& ita tenetur reſtituere illi omnia damna, ex tali extractione reo prouenientia.ibi. B.
Immunitas Eccleſiæ non prodeſt ſeruo,niſi ad effugiendam aliquam magnā atrocitatem domini.ibi. C.

Hæc

Hæc immunitas non eſt conceſſa Eccleſijs iure naturali, aut diuino. ibi. D.

Tertia ſpecies ſacrilegij,

Quæ conſiſtit in violatione rei ſacræ, quæ non eſt perſona, aut locus, continet plures gradus. 626. 2. A.

Primus gradus de irreuerentia contra Sacramenta.

Tractare irreuerenter Euchariſtiam ex cõtemptu Chriſti ibi contenti, nõ eſt propriè ſacrilegium, ſed peccatum aliud irreligioſitatis. 627. 1. B.

Attamen ibi reperitur ſacrilegium propter irreuerentiã factã ſpeciebus ſacris. ibi. C.

Irrogare iniuriam Euchariſtiæ nulla facta mentione Chriſti ibi exiſtentis, eſt ſacrilegium, pertinens ad hanc ſpeciẽ, qua fit iniuria rei ſacræ; mediatè verò eſt ſacrilegium contra perſonam Chriſti, vt humana eſt, pertinens ad primam ſpeciẽ. 627. 1. C. & ita hoc ſacrilegium eſt cõtra ſanctitatem perſonæ Chriſti. ibid. 2. B.

Secundus gradus de irreuerentia facta conciom, aut diuino verbo.

Verba diuina peruertere adducendo ea ad confirmandos aliquos errores, vel abutẽdo illis ad res profanas, & turpes, eſt ſacrilegium. 628. 2. C.

Tertius gradus de rebus pertinentibus ad ornatum Eccleſiæ, & miniſtrorum, quibus irreuerentiam irrogare eſt ſacrilegium. 626. 2. B.

Quartus gradus de bonis Eccleſiaſticis, quæ deputata ſunt ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ. ibi.

Crimen, quo grauãtur bona Eccleſiæ, & Clerici tributis, eſt ſacrilegium reductum ad hunc gradum. 628. 2. D.

Eccleſiam infringere, aut ſuis bonis expoliare, eſt ſacrilegium ad hunc gradum reductũ. 629. 1. B. Item ſi iudices ſeculares vſurpent ſibi ius faciendi placita in domibus Eccleſiarum. ibi. C.

Nulla res ſacra poteſt ad vſum cõuerti profanũ ſine ſacrilegij crimine. ibi. D. Et ea vtens vix poteſt à peccato mortali excuſari. ibi. Etiam poſtquã amiſerunt ſuã ſacrationẽ per diſſolutionem, vel ſciſionem. ibi. 2. A.

Sacerdotes defunctos licèt induere ſacris, vt tepeliantur. 629. 2. A.

Res, quę profanis vſibus ſeruierunt, poſſunt ſacræ confici. 629. 2. A.

Omnia ornamenta benedicta, quæ non attingunt immediatè corpus Chriſti, nec chriſmate conſecrantur, poſſunt à laicis attingi. 630. 1. B.

Laici non poſſunt tangere calicem, vel ârã nuda manu. ibi. C. Attamen ſecluſo contemptu erit veniale peccatum. ibidem.

Quando vaſa ſacra continent corpus Chriſti, non poſſunt tangi, niſi à Sacerdote, vel Diacono. ibi. D. Si verò ibi non ſit corpus licet, Subdiacono illa attingere, & extra ſacrum cuilibet ordinato quouis ordine minori. ibi. 2. A.

Corporalia quomodo debeant lauari. ibi. B.

Monachi laici, & Moniales poſſunt prima lotione lauare corporalia, ex priuilegio. ibidem.

Diuiſio ſacrilegij penes irreuerentiam loci ſacri, perſonæ ſacræ, & rerum ſacrarum eſt ſufficiens. 632. 1. C. & eſt propriè in membra ſpecie atoma diſtincta. ibid. D. & 2. A. Licèt quęlibet ſpecies habeat gradus ſub ſe diuerſos. ibid. Qui neceſſariò ſunt explicitè aperiendi in confeſsione. ibidem. C.

Simonia pertinet ad tertiam ſpeciem ſacrilegij. 633. 2. A.

Exercere ſeruilia in die feſto, non eſt ſacrilegium; quia tempus non eſt ſacrum, ſed deſignatum, vt quædam actiones ſacræ in eo exerceantur. ibid. D.

Pœna ſacrilegij.

Pœna conueniens ſacrilegij eſt excommunicatio, leges tamen humanæ aliquando imponunt ſacrilego pœnam capitalem, & ſtatutũ Eccleſiæ pœnam pecuniariã. 637. 1. C.

Non omnes ſacrilegi excommunicantur ipſo iure; ſed poſt canonicam monitionem, niſi ſatisfecerint, debent excommunicari. ibi. 2. A.

Quatuor genera ſacrilegorum ipſo facto puniũtur excõmunicatione; ſcilicet, qui injiciunt manus violentas in Clericum, laici qui gabellas, decimas, præſtãtias, aut alia onera ſimilia imponunt Clericis, vel Eccleſiæ, ſine Pontificis autoritate, aut ab eis exigũt, aut impoſita ab ſponte dãtibus recipiunt, aut quouis modo, directè vel indirectè ad id concurrerint: itẽ qui violãt immunitatem perſonarũ, vel rerũ Eccleſiaſticarũ: item qui infringunt tẽpla, & ſimul expoliant Eccleſiam. 637. 2.

In iure non ſunt latæ aliæ pœnæ contra ſacrilegos. 638. 1. A.

Propter aliqua ſacrilegia, Eccleſia vbi fiunt polluta cenſetur. ibi. Vt per homicidium iniuſtum in Eccleſia patratum, per copioſam ſanguinis effuſionem, vel humani ſeminis in ea. Item, ſi ſepeliatur in ea excommunicatus non toleratus, paganus, infidelis, vel per negligentiam infans viuus cum matre: dummodo hæc ſacrilegia publica ſint per facti euidentiam, vel iuridicam probationem. 639. 1. C. Etiam antequam declaretur per ſententiam. ibid. C.

Benè poſſet Deus facere, nullam ſibi irreuerentiam irrogari per aliàs irreuerentē tractationem rei ſacræ, niſi materia ſacrilegij ex ſua ratione non poſsit tranſire ex mala in bonam. 649. 2. B.

Salutatores.

Salutatorum gratia quando, & quomodo careat ſuperſtitione? 403. 1. C.

Salutatorem vnum cognoſcere alium, quē antea nunquam nouerat, falſum eſt. ibidem. 2. B.

Salutatores omnes veros habere impreſſa veſtigia rotæ ſanctæ Catherinæ, fictitiū eſt. ibid.

Salutatoribus, quæ in eorum abſentia geſta ſunt, non reuelantur. ibi. C.

Salutatores naturaliter nequeunt ſine vſtione carbones tractare, & clibanum ardentem intrare. ibidem.

Salutatores, curatores, & repentini chirurgi, vt in plurimū, ſunt ſuperſtitioſi, quare à iudicibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus ſunt relegandi. 405. 1. A.

Salutatores non habent virtutem, vt panis ab eis morſus proſit vulneratis à cane rabido. 430. 2. A.

Sanitas.

Sanitas nequit conferri ex figuris, & imaginibus. 391. 2. A.

Sanitas collata Hebræis ex viſu ſerpentis, ſupernaturaliter fuit. ibi.

Tactus præciſe nullam habent vim ad ſananda corpora. 402. 2. B.

Samuel.

Quando Samuel apparuit Sauli, anima eius vera apparuit in corpore aereo aſſumpto. 202. 2. C.

Sara.

Saræ ſeptem viri quare ab Aſmodæo interfecti ſunt. 421. 2. D.

Senſus.

Senſus externi deceptio quomodo contingat. 137. vſque ad 142.

Senſus externi deceptio prouenit, vel ex parte medij, vel obiecti, vel organi. 136. 2. C.

Quando immutatio ſenſus fit progrediendo à rebus ad animam non poterit ſenſus immutari, niſi ab obiecto phyſicè præſenti; ſecùs autem quando immutatio fit procedendo ab anima ad res; qui proceſſus reperitur in ſomniantibus. 140. 1. C.

Senſus deceptio ratione læſionis organorū, in quo conſiſtat? 141. 2. D.

Senſuum internorum deceptio quomodo contingat. 142. 2. D.

Senſus ligatur in dormientibus propter euaporationes quaſdam, & fumoſitates reſolutas. 277. 2. D.

Serpens.

Serpens, in cuius figura dæmon apparuit Euæ, antea erat productus. 175. 1. B.

Serpens æneus habebat vim ſupernaturalē curandi infirmos. 437. 1. A.

Serpens fuit primum inſtrumentū dæmonis ad homines decipiendos. 437. 2. A.

Deus frequentius permittit ſerpentium incantationem, quàm aliarum ferarum. ibidem.

Serpentes maiorem habent cum dæmone familiaritatem, ex diuina permiſsione. ibidem.

Sybillæ.

Sybillæ dictæ ſunt quædam fœminæ, quæ putabantur à Gentilitate Deo plenæ. 206. 2. A.

Sybillæ prædixêre multa futura, & occulta. ibidem.

Sybillæ habuerunt maximam pudicitiæ obſeruationem. ibi. B.

Sybillæ fuerunt profeſsione idolatræ. ibid.

Sybillæ habuerunt fidem explicitam Chriſti. ibid. C.

Sybillæ multa vaticinatæ ſunt de myſterijs Chriſti Domini. ibi. D.

Non omnia vaticinia earum de diuinis myſterijs edebantur, nec omnia diuinitus eis propinabantur. ibi. D. Sed quædam dæmonū ſuggeſtione annūtiabāt. 207. 1. A.

Quare

Quare per Sybillas, & non per viros Prophetas, Deus diuina mysteria propalabat, ibidem. C.

Signa adorationis.

Genuflexiones, proſtrationes, & id genus alia ſunt ſigna indifferentia ad exhibendum honorem Deo, vel creaturæ. 33.2.B.

Signa ſenſibilia ad cultum exteriorem pertinentia ſunt in duplici differentia. 46. 2. D.

Signa indifferentia ad cultum Dei, & creaturæ, ex quibus circunſtantijs coarctentur ad cultum idoli. 49.2.A.

Simon Magus.

Simon Magus eiectus fuit à dæmonibus inuiſibiliter per aëra in ſublime, & precibus Beati Petri in Deum fuſis deiectus eſt in terram. 129.2.B.

Simonia

Dicitur à Simone Mago. 640.2. C.

Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituali annexum. 644.1.D.

Nomine rei ſpiritualis intelliguntur omnes gratiæ gratis datæ, omnia dona Spiritus ſancti, omnia officia ordinata ad ſpiritualem fructum animarum, & omnia inſtrumenta eiuſdem ſalutis. ibid.2. C.

Simonia eſt vitium religioni contrariũ. ibi.

Eſt vetita non ſolùm iure poſitiuo, verũ diuino, & naturali. 646.2. B.

Nulla mutatione facta in rebus ſpiritualibus, & ſupernaturalibus nequit fieri, etiã de potentia Dei abſoluta, vt licitè vendantur. 648.1.D.

Benè poteſt Deus facere, quòd venditio rerum ſpiritualium ſit licita. ibi. 2. A. Licèt de facto, & potentia ordinaria, nec fecerit, neque poteſt facere. ibi. 2. D.

Simonia alia eſt prohibita iure naturali, & diuina; alia ſolo iure poſitiuo, & Eccleſiaſtico. 650. 1. C.

Papa non poteſt diſpenſare in ſimonia cõtra ius naturale, aut diuinum quoad culpam, ſecùs quoad pœnas. 651.1. B.

Spiritualia, quæ ſunt materia ſimoniæ, ſunt in triplici differentia; quædam ſunt talia per eſſentiã, vt gratia, dona Spiritus ſancti, &c. alia ſunt ſpiritualia, quia ſunt cauſa rerum ſpiritualium, vt Sacramenta; alia quia ſunt effectus cauſę ſpiritualis, vt cõfeſsio fidei, &c. 652.1. A.

Gratia, & alia ſpiritualia per eſſentiam in abſtracto conſiderata nequeunt eſſe materia ſimoniæ. 652.2.C. Benè tamen poteſt reperiri quædam ſimonia imperfecta circa ea. ibid.

Hæc ſpiritualia per eſſentiam vendi poſſunt in concreto, & per aliud, vt ad venditionem ſubiecti, in quo ſunt. ibi. D.

Venditio Chriſti Domini facta à Iuda non fuit ſimoniaca. 653.1.D.

Pecuniã dare pro ſacramentis ſemper eſt illicitum. 656.1. C.

Crimen ſimoniæ circa Sacramenta nulla conſuetudine excuſari poteſt. ibi. A.2.

Licitum eſt diſpenſatoribus Sacramentorum pecunias accipere ad ſui ſuſtentationem. 657.1.C.

Non eſt ſimoniacum, quòd Monaſterium etiam opulentum petat nec eſſaria ad ſuſtentationem ingredientium Religionẽ, ſtando in ſolo iure poſitiuo. 707. 1. D.

Non caret auaritia, aut ſimonia præſumpta, ſi Monaſterium opulẽtum petat, aut recipiat vnde ſuſtentẽtur recipiẽdi ad Religionem. ibi. 2. B.

Non eſt ſimonia iuris poſitiui vera, ſed tantùm præſumpta, quod Monaſterium locuplex aliquid accipiat in ſuſtentationẽ ingredientium religionem, ſi abſit intẽtio emendi, aut vendendi ipſum Religionis ingreſſum. ibi. 2. D.

Non eſt ſimoniacum, res factas, ſiue artificiales, ſiue naturales vendere ratione materiæ. 712.2.C.

Quomodo ſacra vaſa laico vendi poſſunt. 714.1.C.

Sine ſimonia beneficia Eccleſiaſtica vendí nequeunt etiam habito reſpectu ad temporale emolumentum annexum iuri adminiſtrandi ſpiritualia. 715.1.D.

Vendere Eccleſiaſtica beneficia, id eſt, ius percipiendi emolumenta temporalia propter Eccleſiaſticam functionem, eſt ſimonia contra ius naturale, & diuinum. 716.2.D.

Non eſt ſimonia vendere ius percipiendi bona Eccleſiaſtica, ſi tale ius ſeparetur à iure adminiſtrandi ſpiritualia eſt. 717. 1. B.

Vendere coadiutorias, ſimoniacum. 720. 2. A.

Emere, aut vendere commendas, quæ titulo ſeculari conferuntur, non eſt ſimonia. ibid. 2. B.

Præſtimonia nequaquam vendi poſſunt ſine ſimonia.722.1.A.
Penſiones, quæ conſignantur titulo temporali,poſſunt vendi ſine ſimonia. 723. 2. B.
Penſio,quæ titulo ſpirituali cõſignatur,nec vendi, nec emi poteſt ſine ſimonia. ibidem. D.
Quando penſiones vendere eſt ſimoniacũ, & quando non?724.1.B.
Quando penſio eſt vendibilis, etiam redimibilis eſt ſine ſimonia.ibi.2. D.
Simonia eſt vendere ius patronatus,ſaltem iure Eccleſiaſtico vetita.727.2.D.
Vendere terram cõmunem ad ſepulturam, non eſt ſimonia, ſtando in iure naturali, & diuino.732.1.A.
Quando locus ſacer (qui fit talis per conſecrationem, aut publicam deputationem, aut humanda fidelium corpora)communis eſt pro ſepulturis fidelium, prohibitum eſt ab Eccleſia, ſepulturam ibi alicui vendere.ibi.1.D.
Probabile eſt, eſſe prohibitũ iure poſitiuo, vt quisaccipiat pretium,vt ſinat aliquem ſepeliri in proprio ſepulchro. ibid. 2. A.
Simonia eſt accipere pretium pro honoratiori loco ſepulturæ.ibi.2.B.
Si quis cupit poſsidere ius ſepulturæ in aliqua Eccleſia, ita vt non poſsit alius ibi ſepeliri,niſi quos voluerit, à tali poterit pretium pro hac obligatione accipi.ibidem.2.D.
Eſau fuit ſimoniacus vendendo primogenita ſua,nõ tamen Iacob emendo.734.1.D
Non eſt ſimonia redimere vexationẽ, quæ pro iure tollẽdo iniuſtè infertur poſt ius acquiſitum in beneficio.735.2.D.
Ante ius acquiſitum in re ſpirituali non licet pecunia redimere vexationem, quæ impedit ius adquirendum, ſed ſimoniacũ eſt.736.1.A.
Quando vexatio fit ab eo,qui impedire poteſt,non tamẽ iuuare,vel ſi poteſt,nõ eſt neceſſarium eius adiutorium in conferendo beneficium, nec pecunia ei datur, vt in aliquo iuuet, ſed ſolùm vt non vexet,aut malefaciat,ſine ſimonia licet hãc vexationem redimere data pecunia, vt à vexatione ceſſet.739.1. C.
Quando vexatio fit ab eo qui prodeſſe, & obeſſe poteſt ad conſequutionem rei ſpiritualis, eligendo, vel confirmando, nequaquam talis vexatio poteſt redimi ſine ſimonia.ibi.2. C.
Licitum eſt dare pecuniam, vt eligatur dignus, vel dignior in communi. 743. 2. D.
Simonia eſt offerre pecuniam, vel aliud, vt eligatur dignus in particulari. 744. 1. C.
Si multi ſunt æquè digni, non licet pro vnius electione determinatè pecuniam offerre.ibid.2.C.
Similiter ſi inter dignos duo, vel tres ſint digniores cæteris, & inter ſe cenſeantur æquales,licitum eſt pecunias dare, vt nõ eligatur minus dignus,ſeu vt eligatur dignissimus negatiue.ibid.D.
Quando plures ſunt digni, & vnus cæteris dignior,licitum eſt dare pecuniam, vt eligatur omnium digniſsimus.745.1.D.
Mutuum inter munera à manu computatur:& dare rem ſpiritualem pro mutuo, ſimonia eſt.748.2.B.
Dare beneficium, vel quid ſpirituale ratione conſanguinitatis tantùm, non eſt,ſimonia.749.1.C.
Quando munus datũ habet rationem pretij reſpectu rei ſpiritualis obtinendæ,ſimoniaca datio eſt,& receptio. ibid.2. C.
Dare beneficium ſpirituale propter obſequia ante beneficij collationem exhibita in eorum recompenſationem,& quaſi in ſolutionem debiti ex iuſtitia ad dignam mercedem tribuẽdam, ſimonia eſt; ſi autem collator moueatur ex obſequijs ad dandum beneficium gratis,non eſt ſimonia.751.2. C.
Si beneficium detur propter obſequia exhibenda, & ſub conditione exhibendi obſequium temporale, quod obſequium non eſt annexum beneficio,ſimonia eſt. 752.1.C.
Si beneficium conferatur propter preces, quæ manent intra rationem precum,nõ eſt ſimonia, ſecùs ſi tranſeant in rationẽ pretij.ibi.2.D.
Qui muneris interuentu ſpiritualia quæcunque aſſequitur, præter hoc quod ſimoniam committit,ea licitè retinere nõ poteſt.778.2.A.
Simoniaci ſpiritualia vendentes, aut emẽtes, vel etiã mediatores pœnis alijs præter reſtitutionem puniuntur: Clerici infamia,& depoſitione, laici verò excommunicatione.ibi.B.

Diuiſiones ſimoniæ.

Simonia alia mentalis, alia conuentionalis, alia realis.ibi. D.
Theologi diuidunt ſimoniã tantùm in duo membra

membra, ſcilicet in mentalem, & conuẽtionalem. 779. 1. D.

Simonia alia ficta, alia verè, & propriè dicta. ibi. 2. A.

Vera ſimonia eſt voluntas emendi, vel vendendi, vel ipſa emptio rei ſpiritualis, & venditio. ibid. B.

Simonia ficta eſt ſimulatio voluntatis emendi, aut vendendi rem ſpiritualem. ibidem. B.

Quando quis fictè promittit pretium pro re aliqua ſpirituali comparanda, ibi nulla interuenit vera ratio ſimoniæ. ibi. C. implicatur tamen emptor iſte ſimulatus multis alijs vitijs, & peccatis, nam cõmunicat cum ſimonia mentali venditoris, deinde ſe ipſum infamat, tertiò incurrit peccatum ſcandali, & mendacij perniciosi. 780. 1. A. & B.

Simonia mentalis, eſt intentio emendi, aut vendendi rem ſpiritualem. ibi. Hęc multipliciter poteſt inueniri. Primò, quando ſolùm in actu interiori conſiſtit, nõ tranſiens in exteriorem effectum, abſq; aliquo pacto, & conuentione. ibi.

Secundo, quando extra fit opus ſimoniacum per traditionẽ rei ſpiritualis, & intus manet praua intentio nullo modo manifeſta, taliter, quod tales ſimoniaci exterius ſic apparent, ac ſi liberaliter donarent. ibi.

Tertiò contingit ſimonia mentalis, quando ex altera tantùm parte, eſt ſimonia in munere à lingua, à manu, vel ab obſequio; vt cùm famulus, inſcio Epiſcopo, obſequium præſtat animo, & intentione obtinendi beneficium. ibi. C.

Conuentionalis ſimonia eſt contractus quidam, ſeu conuentio commutandi ſpirituale pro temporali, nondum exequutioni mandata per traditionem rerum. ibidem.

Quando contractus ſimoniacus completur per traditionem rei temporalis præciſe, talis contractus continetur intra limites conuentionalis ſimoniæ. pag. 781. 1. B.

Quando fit traditio rei ſpiritualis credita pecunia, verè, & completè eſt ſimonia realis. 781. 1. C.

In ſimonia poſſunt tria conſiderari, ſcilicèt, intentio contrahentium, conuentio, & rerum exhibitio, quæ ſe habent ſicut includens, & incluſum. ibidem. 2. C.

Sola intentio emendi, vel vendendi rem ſpiritualem conſtituit veram ſimoniam mentalem: conuentionalis addit ſuper hanc pactionem explicitam, vel implicitam; realis inſuper dicit realem exhibitionem. ibi. D.

Qui in miniſtratione ſpiritualium intendit temporale, vt motiuum concomitans finem principalem, etiamſi ita intendat, vt ſine illo non miniſtraret, non peccat. 782. 2. A.

Prælatus ſi principaliter donando beneficium famulo intendat compenſare ei obſequium, ſimoniam committit; ſecùs ſi principaliter iuſtam cauſam intendat, & ex conſequenti compenſationem obſequij. ibi. C.

Qui in adminiſtratione ſpiritualium principaliter intendit commodum temporale, tanquam ſtipendium, non tanquam pretium proportionatũ ſuo labori, peccat quidem, ſed non crimine ſimoniæ. 783. 1. B. Attamen ſi ſiſtat in commodo temporali tanquam in vltimo fine peccat grauiſsimo peccato ſacrilegij. ibi. D. Secus ſi in eo ſiſtat vt in fine proximo, ordinans illud in aliquem finem honeſtum, hoc enim licitum eſt. pag. 784. 1. B.

Qui intendit bonum temporale, taliter quod ad illud conſequendum ordinet ſpirituale, vt medium ad finem, licèt non ſit formaliter ſimoniacus, eſt tamen ſimoniacus radicaliter. ibi. D.

Intentio ſufficiens, & neceſſaria ad ſimoniam mentalem, eſt illa, quæ reſpicit cõmodum temporale, vt pretium rei ſpiritualis, ſiue principaliter, ſiue minus principaliter operans intendat illud. ibidem. 2. B.

Intentio ad ſimoniam non requiritur adeò formalis, vt expreſsè, & quaſi in actu ſignato reſpiciat temporale, vt pretium, ſed ſufficit ſpiritualis. 785. 2. C.

Conferens beneficium aliquod ſpirituale ei, cui ex gratitudine tenetur animo rependẽdi obſequia ſibi præſtita, & ſe ab illa obligatione liberandi, nullum committit crimen ſimoniæ. 786. 1. C. Idem dicendũ eſt de famulo, qui inſeruit Epiſcopo, ſperans vt ex gratitudine ſibi beneficiũ conferat. ibi. id.

Notarius, qui ſtipendium habet ſibi taxatũ ab Eccleſia, non ſolùm peccat contra iuſtitiam aliquid exigendo pro miniſterio ſuo, ſed etiam contra religionem ſimoniam committit. 787. 2. A.

Si famulus per obſequia temporalia à ſe exhibita per ſe intendat, quòd Epiſcopus obligetur obligatione orta ex gratitudine ad dandum ſibi determinatè, & in particulari beneficium Eccleſiaſticum, non carebit aliqua inordinatione. ibidem. C.

Non poteſt Epiſcopus beneficium conferre paciſcendo cũ eo, cui beneficiũ cõtulit, vt ſi ipſe indiguerit eius obſequio, & ille commodè poſsit obſequium præſtare, ſit illud preſtiturus. 788. 2. B.

Si detur beneficium ad fugandam iram, & indignationem illius, qui minatur malum, vel à quo timetur malum eſſe inferendum, non committitur ſimonia. 755. 2. A.

Simonia eſt intendere per ſe primò per dationem beneficij vitare malum aliquod temporale quòd timetur. 755. 2. C.

Dare aliquid ſpirituale ex metu imminentis mali non eſt ſimonia per ſe, & ex vi talis motiui, niſi metus inducat ad dandũ aliquid ſpirituale pro pecunia, vel alio ſimili. ibid. D.

Si vexatus motus ex metu non ſolùm beneficium vexatori conferat, ſed etiam pactum ineat cum eo, obligando eum in futurum propter beneficij collationem ex vi pacti, ad non inferendum malum, ſimoniam committit. 756. 2. C.

Non eſt ſimonia iure diuino prohibita cõmutare rem verè ſpiritualem, pro alia re ſpirituali. 758. 1. A.

Inter res, quæ commutantur debet ſeruari proportio, vt non committatur ſimonia, ita vt vel vtraque ſit ſpiritualis, vel temporalis, vel ſi habeant temporale, vel ſpirituale annexum, in vtraque ſit antecedenter, vel in vtraque conſequenter. 759. 1. B. & C.

Permutatio vnius rei ſpiritualis pro alia in beneficijs Eccleſiaſticis propria autoritate facta eſt ſimonia iure tantùm poſitiuo prohibita. 759. 2. A.

Permutare ſpirituale pro ſpirituali extra beneficiorum, & beneficialium materiã non eſt ſpecialiter prohibitum iure poſitiuo. 760. 2. B.

Permutatio beneficiorum, & eorum, quæ ad ea expectant poteſt aliquo modo licitè fieri. 761. 1. D. Conditiones, quæ requiruntur, vt huiuſmodi permutatio licitè, & ſine vitio ſimoniæ fiat. ibidem. 2.

Permutare ſub conditione, ſi Prælatus cõſenſerit, non eſt ſimonia. 762. 1. D.

Præſtimonium, & penſio in titulum beneficij erecta, quocunq; nomine vocetur permutari poteſt cum beneficio in manibus Epiſcopi, iuxta commune ius, ſine vitio ſimoniæ. 762. 2. C.

Beneficium poteſt permutari pro penſione ſpirituali, etiamſi non ſit in titulum beneficij erecta, dum permutatio fiat autoritate Pontificis. ibid.

Penſio merè temporalis nequit cum beneficio permutari, etiam autoritate Pontificis, ſine ſimoniæ labe, etiam contra ius diuinum. 763. 1. C.

Si vnum beneficium ſit alteri inæquale, ſi exceſſus eſt in re ſpirituali, nõ licet ſupplere exceſſum, dando pecuniã, vel aliud temporale. 764. 1. C.

Permutare beneficiũ dignius, & magis tenue pro pinguiori, & minus digno, ſi adſit recta intentio non habendo reſpectũ ad pretium temporale pro re ſpirituali, ſed ad nudam permutationem, nulla eſt ſimonia. 764. 1. D.

Permutatio beneficij tenuioris pro pinguiori data pecunia ad ſupplendum exceſſum in fructibus, quo pinguius ſuperat tenue, ſimonia eſt contra ius diuinũ; ac per conſequens nec Summus Pontifex poteſt has permutationes ſic efficere per modum propriæ permutationis, & diſpenſationis. 765. 2. A.

Summus Pontifex, & ipſe ſolus poteſt adinuenire, & præbere modum, quo in permutandis beneficijs, quorum vnum excedit alterum in fructibus exceſſus pecunia compenſetur. ibi. B.

Modi quibus id facere poteſt. ibid.

In beneficiorum inæqualium permutatione poteſt Pontifex imponere penſionẽ beneficio pinguiori, vtendo prædictis modis. 766. 2. B.

Quatuor conditiones requiruntur, vt permutationes fiant ſine ſimonia. 767. 1. B.

De pœnis ſimoniacorum.

De pœna reſtitutionis, vide, *Reſtitutio*.

Pœnæ contra ſimoniacos in iure latæ, ad quatuor reducuntur, excommunicationem, ſuſpenſionem, infamiam, & depoſitionem. 810. 2. C.

Per ſimoniam in ordine, in beneficio, vel ingreſſu Religionis commiſſam incurritur excommunicatio maior, Pontifici reſeruata. ibid.

Nomine ſimoniæ in ordine intelligitur etiam,

etiam in collatione primæ tonſurę committitur. ibi.

Hæc cenſura non extenditur ad notarium, vel miniſtrum pro literis dimiſſorijs aliquid accipientes, neque ad ipſum ordinatum pecuniam eis largientem. 811. 1. A.

Capitulum, & Conuentus pœnæ ſuſpenſionis innodantur, ſi in ſimoniacam Religioſorum receptionem conſenſerint. ibid. C.

Si quis ſuſcipiat ordinem ſimoniacè, non ſolùm ordinis ſuſcepti, ſed omnium aliorum incurrit ſuſpenſionem. ibi. D.

Prædicta ſuſpenſio non requirit neceſſariò culpam in ordinato. ibi. 2. A.

Pœna huius ſuſpenſionis in collatore, & in præſentante durat per tres annos; in ordinato autem nulla eſt temporis limitatio, ſed ſemper manet ſuſpenſum, donec diſpenſationem obtineat. 812. 1. A.

Diuerſimodè incurrunt pœnam ſuſpenſionis occultus ſimoniacus, atque manifeſtus. ibi.

Simoniacè ordinatus ex vi huius non incurrit ſuſpenſionem ab officio, & beneficio. ibi. D.

Si delictum ſuſcipientis ordines ſimoniacè fuerit publicum, incurrit ipſo iure pœnam ſuſpenſionis quoad ſe, & quoad alios. ibi. 2. B.

Quid ſit eſſe ſuſpenſum quoad ſe, & quoad alios, & quoad ſe tantùm? ibi. C.

Infamiæ pœna non incurritur ipſo iure à ſimoniaco, ſed poſt ſententiam latam. 813. 1. B.

Simonia contra ius poſitiuũ ſubijcitur prędictis pœnis. ibi. 2. B.

Quæuis aliæ pœnæ pro ſimonia extra enumeratas, non ſunt latę, ſed ferendæ, etiam poſt Extrauagantem Pauli Secundi. ibidem. C. & D.

Simonia mentalis, & conuentionalis non ſubduntur præfatis pœnis. pag. 814. 2. D.

Simonia realis ex vtraque parte completa, ſine dubio ſubditur prædictis pœnis. 815. 1. C.

Attento rigore iuris, ſimonia completa per exhibitionem rei ſpiritualis, ante ſolutionem pretij eſt ſubiecta omnibus pœnis contra ſimoniam latis: ſeruandus tamen eſt ſtylus Curiæ (ſi adſit in contrarium.) 816. 2. B.

In ſimonia quoad culpam contra iupenſanum, nec Summus Pontifex diſpenſare poteſt. 817. 2. C. Si autem ſimonia eſt tantùm contra ius poſitiuum, Summus Pontifex, vel Prælati inferiores ex eius commiſsione, poterunt diſpenſare. ibid.

In ſimonia quoad pœnas in iure latas poteſt ſolus Summus Pontifex diſpenſare cum eo, qui ſcienter eſt Beneficiarius ſimoniacè; in alijs autem caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſi tamen abrenuntiet prius quod ſimoniacè acquiſitũ eſt. 817. 2. D. & quam extenſionem hoc accipiat? 818. 1. A.

Pontifex poteſt incurrere pœnam ſimoniæ. 818. 2. C.

Summus Pontifex nunquam incurrit pœnas ſimoniacis impoſitas. 819. 1. B.

Si Summus Pontifex ſecum ſine cauſa legitima diſpenſaret, diſpenſatio eſſet inualida; ſi autem cum cauſa legitima, tunc non incurreret vitium ſimoniæ. ibid. & C.

Eo ipſo quod Pontifex diuendat alicui beneficium, intelligitur cum eo diſpenſare in lege. 819. 2. C. Et ita manet liber à pœna, & culpa. ibi. D.

Somnium.

Si quis culpabiliter ſomnium diabolicum diuinum eſſe putet, ſi ignorantia grauis eſt, imputabitur ei culpa credendi. 290. 2. C.

Qui coniectat ex ſomnijs aliquos euentus excedentes facultatem cauſarum, vt ſi ex ſomnio naturali coniectet prædicere myſteria fidei, ſuperſtitioſus eſt mortaliter. ibi. D.

Qui non credit huiuſmodi ſomnijs, tamen ſecundùm effectum, & exequutionem ſe habet ac ſi crederet illis, peccat mortaliter peccato ſuperſtitionis. 291. 1. A.

Qui ignorata cauſa alicuius ſomnij, ex eo conatur prædicere aliquẽ effectũ, qui à cauſa naturali poteſt prouenire, peccat peccato temerarij iudicij, & vani. ibi. B.

Idem dicendũ eſt de eo, qui ex aliqua cauſa opinata ſomnij; vel ſi vera eſt, non cognita vt talis, conatur certò prænoſſe aliquem futurum euentum tamen ſi intra limites vani iudicij contineatur, tantùm peccat venialiter. ibi. C.

Qui quouis modo coniectat ex ſomnio, quod putat eſſe à dæmone, peccat grauiter peccato ſocietatis dæmoniacæ, & criminis ſuperſtitionis diabolicæ. 292. 2

Nulla naturalis facultas inueniri poteſt

ad ſomnia diuina interpretanda. pag. 293.2.A.

Nullus homo habet naturalem facultatem ſomnia dæmoniaca interpretandi. 294. 1. A.

Aliquando ex dæmonis ſuggeſtione aliqua ſomnia dæmoniaca interpretantur. ibidem.

Pro ſomnijs naturalibus interpretandis nulla eſt ars naturalis, quę ſaltem probabiliter doceat ſomnia interpretari. ibi. B. poteſt tamen haberi aliqualis coniectura eorum ſignificatiua. ibi.

Ars interpretandi ſomnia, de qua aliqui gloriantur, eſt fictilis, & non caret periculo illuſionis diabolicæ. ibi. 2. B.

Quædam interpretationes ſomniorum, quas poſtea rei probauit euentus. 295. 1. B.

Cauſa ſomniorum quandoque eſt interna ſomnianti, quandoque externa, & illa etiam eſt duplex: alia animalis, quæ ab anima naſcitur, alia corporalis, quæ prouenit à diſpoſitione, vel temperamento corporis. 274. 2.

Cauſa exterior etiam eſt duplex, corporalis ſcilicet, & ſpiritualis, illa vt aër ambiēs dormientē, &c. iſta vt dæmon, vel Deus. 275. 1. & 2. A.

Qui agnouerit cauſam communem ſomnijs, & futuris euentibus ſciet præſagire ex ſomnijs euentus futuros. ibidem. 2. B.

Somnium eſt imaginatiuæ facultatis operatio, qua phantaſmata, ſiue ſimulacra quædam ſpeculantur, animali dormiente. 276. 1. C.

Secluſo miraculo à nulla creatura poſſunt cauſari ſomnia, niſi excitando phantaſmata præcedentia, quæ in memoria cōſeruantur. ibi. D.

Modus quo ſeparantur vnę ſpecies ab alijs. ibi. 2. A.

Licèt frequentius ſomnia ſint actus imaginatiuæ, aliquando tamē ſunt actus intellectus. 277. 2. C.

Senſus ligatur in dormientibus propter euaporationes quaſdam, & fumoſitates reſolutas. ibi. D.

Somnia, alia naturalia, alia diuina, alia dæmoniaca. 278. 2. A.

Alia ſignificatiua futurorum euentuum, alia non ſignificatiua. ibidem. B. Illa, alia naturalia, alia diuina, alia dæmoniaca. ibidem. D. Alia claræ ſignificationis, quorum ſignificatio perſpicua eſt cuique ſcienti ſomnium: alia obſcuræ, quæ explanatore indigent. p. 280. 1. A.

Plurima fuerunt ſomnia à Deo hominibus immiſſa. ibi.

Homo dormiens aptior eſt ad diuinas reuelationes ſuſcipiendas, quàm vigilans. 280. 2. D. Secùs autem ad iudicandum de illis. ibid.

Homines idiotæ paratiores ſunt ad percipienda ſomnia naturalia, quàm prudentes. 281. 2. B.

Multi viri excellenti præditi ingenio imbuti ſunt ſomnijs diuinis. 282. 1. A.

Ex ſomnijs non poſſunt certò agnoſci cauſæ, à quibus procedunt. 284. 2. B.

A ſola ſimilitudine, ſiue formali, ſiue proportionali inter ſomnia, & futuros euentus, non poteſt colligi certa cognitio, quod futuri erunt. ibi. C.

Cognita cauſa efficienti ſomnij non poteſt cognoſci futurus euentus per ſomniū repræſentatus. 285. 1. B.

Cognita cauſa naturali efficienti ſomniorum, & cognita connexione cauſalitatis cum ſomnio, & futuro euentu iuxta qualitatem connexionis illius, erit & qualitas cognitionis futurorum, ſcilicet aliquando certa, aliquando probabilis, &c. ibid. D.

Cognito, quòd aliqua ſomnia ſint impoſita à Deo ad ſignificandos aliquos euentus futuros, aut occultos, ex illis ſomnijs benè poteſt colligi certa ſignificatio futurorum, tanquam ex certis ſignis. 285. 2. B. Secùs autē ſi certò ſcitur talia ſomnia eſſe à dæmonibus. ibi. C.

A nullo ſomnio, exceptis diuinis, poteſt deſumi certa cognitio futurorum cōtingētium, ſed dumtaxat quædam ſuſpicio, interdum vera, interdum falſa. ibidem. D.

Citra reuelationem non poteſt cognoſci, an ſomnia ſint naturalia, diuina, vel dæmoniaca. 287. 1. B.

Quæ ſomnia non ſint diuina? ibi. D. Et ſunt illa, quæ citò euaneſcunt, quæ falſa produnt, vel nullius vtilitatis, etiam ea, quæ ſunt de re obſcœna, vel turpi. ib.

Somnia diuina ſunt per quæ reuelantur ea, quæ à ſolo Deo ſciri poſſunt. ibi. D. Etiā quando dormiens fit certus, quòd ſomnium eſt à Deo. 288. 1. A.

Somnia ea ſunt dæmoniaca, quæ falſa ſuggerunt, mala ſuadent, aut leuia, vel nullius vtilitatis. ibi. B.

Somnia turbulenta, inordinata, diſtorta, & in-

& incompoſita, naturalia prope ſemper ſunt. 289. 1. D. Etiam ea quæ experimur eſſe ab aliquo humore prædominante. ibid. 2. A.

Si conſtat ſomnia eſſe diuina eis fidem adhibenda eſt; vel certa, ſi certò conſtat; vel ſub formidine, ſi tantùm cõſtat probabiliter. ibi. C. Secus autem ſi conſtet, ſomnia eſſe à dæmone. 290. 1. C.

Vt plurimum fidem adhibere ſomnij, tplenum ſtultitia eſt. ibi. D.

Sortes.

Si quis ea intentione vtatur ſortibus, quaſi actus humani ad ſortes requiſiti ſecundùm diſpoſitionem ſtellarum ſortiantur effectum, vana eſt opinio non carẽs dæmonum ſuggeſtione. 333. 1. C.

Si actus ſortialis expectetur ex euentus ſortuna, tantùm habet vanitatis vitium. ibid.

Si autem expectetur euentus ex dæmonibus, tales ſortes ſunt illicitæ. ibidẽ. D. Si expectetur à Deo, ſors ſecundùm ſe nõ eſt mala; at ſi abſque neceſsitate, vel reuerentia Deo debita, vel conuertendo diuina oracula ad terrena negotia: vel tandem vtatur ſortibus in Eccleſiaſticis electionibus, peccatum interueniet. ibi.

Si adſit neceſsitas, licet cum debita reuerẽtia diuinum auxilium ſortibus implorare. ibi. 2. A.

Sortes dicuntur cùm aliquid ab hominibus fit, vt eius euentu conſiderato aliquid occultum innoteſcat. ibi. B.

Sortes aliæ diuiſoriæ, aliæ conſultoriæ, aliæ diuinatoriæ. ibid.

Sortes diuiduntur ex parte inſtrumentorum ſortialium in varia genera ſortium. ibid.

Error eſt dicere, inquiſitionem omnem ſortium vanam eſſe; vel è contra, omnem ſortem efficaciam habere ad pandendos futuros euentus. 335. 1. A.

Ex actibus ſortialibus non poſſunt futura prænoſſe. ibid. C.

Efficacia, & ſignificatio ſortium expectari poteſt vel à diſpoſitione, & influentia ſiderum, vel à fortuna, aut ex cauſa ſpirituali dirigente ſortes. ibid. D.

Ex cœlorum diſpoſitione non poteſt ſumi efficax ſignificatio ſortium, neque etiam ex fortuna. 336. 2. C.

Poteſt tamen aliquando ſumi ex dæmonibus præparantibus ſortes, ſed ſæpe talis ſignificatio fallax reperitur. ibidẽ. D.

Secluſa Dei reuelatione non poteſt ſumi certa ſignificatio occultorum, ex ſortibus occultorijs, aut diuinatorijs. p. 337. 1. B.

Sortes diuiſoriæ.

Sortes diuiſoriæ ſolùm habent pro fine diuidere, aut tribuere rem ſortiendam ſine rixa. 338. 1. C.

Frequentes extiterunt apud omnes nationes. ibi. 2. B.

Athenienſes in Areopago, coniectis varijs in vrnam literis, Magiſtratus ſortiebantur. ibid.

Debent ornari debitis conditionibus, vt quòd euentus ſortitionis non expectetur à dæmone, aut cœlorum influxu. ibid. D.

Sunt licitæ etiamſi non adſit vrgẽs neceſsitas. 339. 2. D.

Non requiritur ad illas poſitiua Dei reuerentia. 340. 1. B.

Aliæ duæ conditiones, vt diuina oracula ad terrena negotia non conuertantur, & quòd non mittantur in electionibus Eccleſiaſticis, ſeruari debent etiam in his ſortibus. ibid. C.

Sortes conſultoriæ.

Vtilitas harum ſortium. 350. 2. A.

Pro fine habent ſuccedere loco conſilij, vt ſortientes ex eis colligant, quid facto opus ſit in hoc vel illo negotio. 338. 1. D.

Contingunt dupliciter: vno modo ſi ſortes referantur ad vnam tantùm perſonam; alio modo ſi ad plures. ibid.

Tot exigũt conditiones, vt rarò licitè fiãt. 340. 2. A.

Ad eas exigitur neceſsitas vrgens, poſitiua Dei reuerentia, vt diuina oracula ad terrena negotia non conuertantur, vt electiones Eccleſiaſticæ ſortibus non celebrentur. ibid. & 341. 1.

Sortes diuinatoriæ.

Non ſunt licitæ. ibid. C.

Fiunt frequenter apud Ethnicos. ibid. 2. C.

Non ſunt licitæ ſuper Præfecturis temporalibus, ſi iuſtitia diſtributiua laedatur. p. 343. 2. B.

Quare liceat ſortiri ſuper Præfecturis temporalibus, non vero erga electiones Eccleſiaſticas. 344. 1. C.

In nullo casu licitum est, sortem mittere super Ecclesiasticam electionem. 345. 1. D.
Quando in prouisione dignitatis Ecclesiasticę duo habent paria suffragia, recurrēdum est ad remedium compromissariorum, & nullo modo ad sortes. ibid.
Electio Ecclesiastica per sortes ipso iure est nulla. 346. 1. A.
Nullo iure est prohibitum vti sortibus ad componendas lites Ecclesiasticas, at verò si fiant priuata autoritate, illicitæ erunt. 346. 2. B.
Si sortitio fiat iudicis autoritate, possunt litigantes super beneficio aliquo pactum facere ad sedandas lites. ibid. C.
Sortes de electione diui Matthiæ latæ fuerunt sicut communiter fiunt ad aliquid cognoscendum, vel diuidendum. pag. 347. 1. C.
Ideò hæc electio sortibus fuit commissa, vt esset Apostolis certissimum argumentū, Christum adhuc illis adesse. ibid. D.
Hæc, & aliæ sortes, de quibus insuper, factæ fuerūt vel ex iussione diuina, vel ex reuelatione. 348. 1. A.
Sortitio Sanctorum tutelarium secundùm quod communiter exercetur, non caret crimine tentationis diuinæ, eo quòd tales sortes secundùm existimationem sortientium consultoriæ sunt. pag. 348. 2. C.
Præfatæ sortes si dumtaxat intra limites sortium diuisoriarum contineantur, licitæ fiunt. 349. 1. A.
Consuetudo de conuertendis diuinis oraculis ad secularia negotia, non est approbanda. ibid. 2. C.
In sortibus consultorijs ablatio dubietatis tribuitur sortientibus, qui apud se statuerunt, se ad vnam partem determinare; declaratio verò diuinæ voluntatis tribuenda est orationi, quæ in eis interuenire debet. 350. 2. D.
Diuinationem sumere vnde desumi non potest quomodo intelligatur? pag. 351. 1. D.

Sortilegium.

Vide *diuinatio.*
Clerici vtentes superstitionibus, & sortilegijs bono zelo, suspenduntur à diuinis per annum, & vltra, iudicis arbitrio secundùm criminis qualitatē. 450. 2. C.
Sortilegi, malefici, incantatores, & similes puniuntur iure Ciuili, & Canonico. pag. 350. 1. C.

Sphæra.

Sphæra Archimedis omnium cœlestiū cōuersiones clarissimè repræsentabat. pag. 120. 2. D.

Statuæ.

Ante Dedali tempora statuæ sine manibus, vel pedibus, vel oculis effingebantur. pag. 121. 2. A.

Stella.

Experimento cognosci non potest, vnius etiam stellæ efficacia. 264.
Stellæ, & Astra habent mirabiles proprietates, quæ sunt principia efficientia, & influentia in omnes effectus sublunares. 241. 2. D.
Non est alia, & alia potestas in stellis in singulis horis, & momentis. pagina. 242. 1. A.
Stellarum influentias obseruare an sit licitum? 429. 1. A.

Superfluitas.

Superfluitas non potest reperiri in actibus internis Fidei, Spei, Charitatiss, & Religionis. 12. D.

Superstitio.

Superstitiosum est obseruare annos, menses, &c. ad effectus ex libero arbitrio pēdentes. 429. 1.
Clerici vtentes superstitionibus, & sortilegijs bono zelo, suspenduntur à diuinis per annum, & vltra iudicis arbitrio secundùm criminis qualitatem. 450. 2. C. Si dolo malo id faciant, deponendi sunt ab ordine sacro, & priuandi beneficijs, & in Monasterium perpetuò detrudendi. ibi.
Omnis diuinatio futurorum, quæ fit per expressam, vel tacitam dæmonum inuocationem, ad superstitionem pertinet. p. 160. 1. D.
Diuinatio est quædam species superstitionis, in qua pronuntiantur occulta, mediante inuocatione tacita, aut expressa dæmoniorum. 166. 1. D.
Omnis diuinatio superstitiosa, est peccatū mortale ex genere suo; excusantur tamē diuinantes propter ignorantiam, nisi crassa sit, & supina. 167. 2.
Qui quouismodo cōiectat ex somnio, quod putat esse à dæmone, peccat graui peccato socie-

ſocietatis dæmoniacæ,& crimine ſuperſtitionis diabolicæ. 292.2.

Diuinationes ſumptę ex portentis dæmoniacis ſuperſtitioſæ ſunt ad tacitam inuocationem dæmonum pertinentes. pa. 329.2.A.

Superſtitio eſt vitium Religioni oppoſitũ ſecundùm exceſſum. 3.

Etymologia ſuperſtitionis. ibi.

Quomodo attendatur exceſſus in ſuperſtitione.4.

Superſtitionis ſpecies ſunt idolatria,diuinatio,& ſuperſtitio obſeruationum.5.& 6.

Ad vitium ſuperſtitionis non pertinet inquiſitio futurorum per vanas obſeruationes, ſi contineatur intra limites vanæ inquiſitionis.160.2.D.

Superſtitio eſt vti vanis obſeruationibus, putans eas eſſe vtiles ad agnitionem occultorum euentuum,aut futurorum. pa. 167. C.

Superſtitio eſt inuocare dæmonem expreſſè, aut tacitè, id eſt verbo, aut opere, ad ſciendum aliqua occulta, quæ dæmonis ſcientiam non ſuperant.163.1.D.

Non eſt licitum vti operibus ſuperſtitioſis ad obtinendum aliquod bonum, vel ad remouendum, vel occurrendum alicui malo. 217. 1. B.

Superſtitioſa obſeruatio præcipuè ordinatur ad commoditates animi, ſiue corporis, & quandoque ad nocumenta inferenda. 361.2.D.

Omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, ex parte finis.362.1.B. Differunt tamen ſpecie pene implicitam, aut explicitam dæmonum inuocationem. ibid.

Superſtitioſum eſt vti verbis ſacris, vt habentibus efficaciam ſupernaturalem ad faciendos aliquos effectus infallibiliter. 436.1.A.

Vti talibus verbis ad impetrandum aliquid à Deo non eſt ſuperſtitioſum.ibi. C.

Vſus Reliquiarum adiunctis quibuſdam vanis circunſtantijs ſuperſtitioſum eſt. pa. 440.1.C.

Vſus verborum,aut rerum ſacrarum,adiunctis aliquibus conditionibus non malis, quarum ratio neſcitur, ſuperſtitioſum eſt.440.1.D.

Superſtitiones circa amuleta ex rebus naturalibus,& imaginibus Aſtronomicis. pa. 442.

Adiungere rebus ſacris aliqua vana, vel ex parte materiæ geſtatæ,aut pronuntiatæ, vel ex parte perſonæ geſtantis, vel ex parte effectus vani ſperati ſuperſtitioſum eſt. 443.

Superſtitio,alia eſt cum expreſſa dæmonis inuocatione,alia tacita.444.1.B.

Superſtitiones cum expreſſa dæmonis inuocatione tripliciter contingunt. ibid. 1. C.

Superſtitiones poſſunt reperiri ſine infidelitatis errore.ibid. D.

Illæ ſuperſtitiones, quæ fiunt interueniẽte expreſſa dæmonum inuocatione,ad aliquid faciendum quod excedit ſcire, aut potentiam dæmonis,manifeſtè ſapit hæreſim. ibid. 2. B. Etiamſi inuocatio ſine vllo cultu fiat.ib.D.Secus ſi res facienda non excedat vires dæmonis,ſi fiat inuocatio ſine cultu aliquo dæmonis. ibidẽ.

Vti conſideratione Aſtrorum ad cognoſcẽdum futuros caſuales certo,aut futura opera hominum,eſt diuinatio ſuperſtitioſa,& illicita.133.1.A. Secus ſi vtatur ea ad cognoſcenda futura,quæ ex cœleſtibus corporibus cauſantur,putà ſiccitatẽ, pluuias,&c.ibi.B.

Superſtitioſus.

Qui coniectat ex ſomnijs aliquos euentus, excedentes facultates cauſarum,vt ſi ex ſomnio naturali cõiectet prædicere myſteria fidei,ſuperſtitioſus eſt mortaliter. 290.2.D.

Qui non credit huiuſmodi ſomnijs,tamen ſecundùm effectum, & executionem ſe habet ac ſi crederet illis,peccat mortaliter peccato ſuperſtitionis. 291.1.A.

Non eſt certũ non eſſe ſuperſtitioſos confratres diui Marci afferentes taurum, vt aſſiſtat eius feſtiuitati depoſita naturali ferocitate.438. 1. C.

Superſtitioſi ſunt qui vtuntur verbis, ſiue rebus ſacratis putantes eas habere efficaciam infallibilem ad aliquos effectus. 436. 1. A.

Obſeruare impreſsionem cœleſtium corporum quando ſit licitum, quando verò ſuperſtitioſum,& illicitum. 382.2.A.

Obſeruatores iſtos ſæpe contingit ſuperſtitioſos eſſe. 383. 1. A.

Obſeruationes omnes ex figuris artificiatorum deſumptæ illicitæ ſunt, & ſuperſtitioſæ.391.2. C.

Suſpenſio.

Clerici vtentes ſuperſtitionibus,& ſortilegij

gijs bono zelo, ſuſpenduntur à diuinis per annum, & vltra iudicis arbitrio ſecũ dùm criminis qualitatem. 450. 2. C.
Capitulus, & Conuentus pœna ſuſpenſionis innodantur ipſo facto, ſi in ſimoniacam Religioſorum receptionem cõſenſerint. 811. 1. C.
Suſcipiens ordinem ſimoniacè incurrit abſolutam omnium ordinum, quos habuerit, ſuſpenſionem. ibid. D.
Prædicta ſuſpenſio non requirit neceſſariò culpam in ordinato. ibi. 2. A.
Pœna huius ſuſpenſionis in collatore, & præſentante durat per tres annos, in ordinato verò nulla eſt temporalis limitatio, ſed ſemper manet ſuſpenſus, donec diſpenſationem obtineat. 812. 1. A.
Occultus, & manifeſtus ſimoniacus diuerſo modo incurrunt pœnam ſuſpenſionis. ibid.
Simoniacè ordinatus ex vi huius non incurrit ſuſpenſionem ab officio, & beneficio. ibid.
Si delictum ſuſcipientis ordines ſimoniacè, fuerit publicum, incurrit ipſo iure pœnam ſuſpenſionis quoad ſe, & quoad alios. ibi. 2. B.
Quid ſit eſſe ſuſpenſum quoad ſe, & quoad alios, & quid quoad ſe tantùm? ibi. C.

T

Taurus.

Id quod faciunt confratres diui Marci taurum afferẽtes, vt aſsiſtat eius feſtiuitatibus depoſita naturali ferocitate, non eſt certum non eſſe ſuperſtitioſum. 438.

Tempus.

Temporum obſeruationes ad operationes pendentes à libero arbitrio, vanæ ſunt. 429. 1. B.
Tempora quæuis obſeruare ad euentus fortuitos ſuperſtitioſum eſt. 429. 1. B.
Temporum obſeruationes ad effectus merè corporeos licitæ ſunt. ibid. D.
Tempora vt ominoſa obſeruare, nulla habita ratione ad ſiderum influentias, ſuperſtitioſum eſt. 430. 1. A.
Temporũ obſeruationes in quo ſenſu ſint prohibitæ à diuo Paulo? 431. 2. A.

Tentatio.

Tentare aliquem eſt experimentum ſumere de illo. 453. 2. B. & 462. 2. A.
Homo tentat Deum quandoque verbis, quandoque factis. pag. 455. 1. A. & 463. 1. A.
Quãdo ſine neceſsitate prætermiſsis humanis mediis, committit ſe aliquis diuino auxilio, interpretatiuè tentat Deum. ibid. & 462. 2.
Tentare ſtat dupliciter, apertè, & interpretatiuè. 453. 2. C.
Tentare Deum, vt tentans cognoſcat eius virtutem, eſt peccatum. 457. 1. B.
Si quis ad hoc experimentum ſumat eorum, quæ ad diuinam perfectionem pertinent, non vt ipſe cognoſcat, ſed vt alijs demonſtret, cùm ſubſit iuſta neceſsitas, & alia requiſita, non tentat Deum. ibid.
Tentatio opponitur virtuti Religionis. pa. 457. 2. C.
Qui ante orationem animam ſuam non præparat, dimittendo iniurias, & diſponendo ſe ad deuotionem, quaſi interpretatiuè tentat Deum. 458. 1. C.
Tentatio diuidi poteſt ex parte actus, quo experimentum ſumitur, & ex parte intentionis tentatoris. 462. 2.
TẽtatioDei eſt dictum, vel factum, in quo ſine neceſsitate, vel vtilitate expectatur aliquis effectus à ſola diuina virtute, omiſsis cauſarum ſecundarum auxilijs. 463. 2. A.
Tentatio Dei eſt graue peccatum Religioni oppoſitum. ibid. B.
Tentatio Dei interpretatiua licèt ex genere ſuo ſit peccatum, tamen ferè ſemper in indiuiduo eſt veniale, niſi qualitas tentationis deducat actum in naturam ſuæ formæ. ibid. D.
Tentare Deum ad cognoſcendum eius voluntatem de aliquo euentu futuro, aut facto, eſt peccatum ex ſuo genere contra Religionem. 464. 1. B.
Omnis tentatio Dei formalis procedens ex intentione explicita explorandi diuinam virtutem, aut quampiam perfectionem, ſemper eſt peccatum, etiam in indiuiduo. 446. 1. D.
Qui dubitat de qualibet fidei virtute ſufficienter propoſita peccat peccato tentationis diuinæ, ſecus ſi non ſit propoſita ſufficienter. 448. 2. A.
Tentatio formalis Dei ad explorandam ali

quam

quam eius perfectionem duplicem includit malitiam, culpabilem scilicet ignorantiam de perfectione Dei, & erga Deum irreuerentiam. 464. 1. A.

Velle explorare à Deo eius voluntatem circa negotium aliquod, petendo à Deo circa illud instrui sine necessitate, aut vtilitate, pertinet ad Dei tentationem. pag. 468. 2. D.

Tentatio non solùm exigit dubitationem pertinentem ad infidelitatem, sed insuper ad sui complementum exigit alium actum, qui est petere, aut deliderare à Deo signum, quo exploretur aliqua eius perfectio. 470. 1. A.

Dupliciter homo potest tentare Deum, per hoc quod absque necessitate, & vtilitate respuat auxilium causarum secũdarum. 470. 1. D.

Ad tentationem Dei interpretatiuam non sufficit respuere cõcursum causarum secundarum, sed exigitur velle aliquem effectum sine causis secundis. ibidem. 2. A.

Respuere medicinam in tempore martyrij, non est tentare Deum, si martyr sit in actuali confessione fidei, & mortis agone. ibid. B.

Respuere medicinam absolutè, & toto vitæ tempore, volens à Deo sanari, est tentare Deum. 471. 1. A.

Respuere medicinam ratione spiritualis profectus, si fiat intra limites rationalis obsequij, non est tentare Deum. ibid. B.

Si quis tempore quo tenetur suam procurare salutem, respuit medicinam ad id necessariam, & commendet se Deo, vere tentat Deum. ibid. 2. A.

Secus est si aliquo ex capite excusetur à præcepto conseruationis vitæ. ibid.

Vt si mulier prægnans velit potius mori quàm sumere pharmacum, ex cuius sumptione scit probabiliter aborsum facturam, & infantẽ sine baptismo decedere. ibid.

Vel Monachus Cartusiensis sciens esu carnium mortem euasurum, propter bonũ abstinentiæ à carnibus, velit potius mori. ibid.

Si quis habeat infirmitatem inducentem debilitatem corporis, licitum & laudabile est ad edomandam carnem respuere medicinã sanatiuam, dum non impediatur maius bonum spirituale. ibi. D.

Petere à Deo opus miraculosum sine ingẽti necessitate, & in rebus maximi ponderis, est tentare Deum. 472. 1. B.

Si quis ad probandam suam innocentiam ingrediatur pyram accensam, peccat peccato temeritatis, & periculi propriæ vitæ, & tentat Deum. 472. 2. D.

Tentatio interpretatiua est vere, & propriè tentatio, & non solum secundum quid. 473. 1. C.

Probatio vulgaris ad nihil aliud est vtilis quàm ad probandam sapientiam, aut potentiam diuinam. ibi. 2. B.

Tentatio formalis, & interpretatiua nõ differunt specie. 474. 1. D.

Thare.

Thare aliquando fuit fidelis, aliquando cultor falsorum deorum, nimirum tempore quo moratus est in Chaldæa ante quam Abraham ad annos discretionis peruenire. 114. 1. B.

Triphon.

Antrum Triphoni erat locus famosus à Gẽtilitate celebratus, vbi dæmon per eos, qui antrum ingrediebãtur, occulta propallabat. 204. 1. C.

Transactio.

Transactio est pactio quædam non gratuita, in dubijs, & sub certa lite constituta. 771. 1. A.

Ad transactionem requiruntur tria. ibi. Primum, vt pactio non sit contractus gratuitus. Secundum, vt ius vel res super quam transigitur sit incerta, seu dubia, ad quam pertineat saltem probabili existimatione vtriusque partis. Tertium, vt pactio sit ad litem componendam, vel dirimendam, siue lis sit mota, siue timeatur. ibi. B. & C.

Quando duo litigant, vel contendunt, ad quem beneficium, vel aliquod spirituale pertinet, & vnus litigantium gratis cedit iuri suo in gratiam alterius, sine vlla recompensatione, nullum in eo contractu vestigium simoniæ est. 771. 1. D.

Transactio, in qua aliquid spirituale manẽs in sua spiritualitate remittitur, simoniaca est. ibid. 2. C.

Si transactio circa rem spiritualem in materia non pertinente ad beneficia fiat per largi-

largitionem, vel ceſsionem alterius rei, vel iuris ſpiritualis proportionati, nō eſt ſimoniaca, & ideò fieri poteſt de conſenſu partiū ſine autoritate Prælati. 772. 1. A
Exempla huius. ibid. B. & C.
Si duo Parochi contendant, ad quem pertineat cura certi oppidi, non poſſunt tranſigere, vt vnus retineat pro aliquo ſpirituali accipiendo; vel quod Parochiani diuidantur. ibi. 2. A.
In materia beneficiali non eſt licita tranſactio, etiamſi in ea ſpirituale pro ſpirituali tranſigatur, quando illa propria autoritate litigantium fit, autoritate autem Prælati poterit honeſtari. ibi. B.
Exempla huius. ibi. & C.
Bonum pacis eſt finis tranſactionum. pag. 774. 2. A.

Trothus.

Trothus tertius Danorum Rex ſtatuit, vt quælibet controuerſia ferro decerneretur. 352. 2. A.

V

Venditio, & emptio.

Licitum eſt Chriſtianis vēdere infidelibus ea, quæ de ſe non ſunt determinata ad ſuperſtitioſum vſum, ſi non vendant ea, vt infideles eis ad ſuperſtitionem vtantur. 58. 2. A. Secus ſi ſint deſtinata ad malum vſum. ibid.
Finis emptionis non eſt pretium, ſed res venalis. 781. 1. C.
Propria materia emptionis eſt res ipſa vt transferenda ab vno in alium; pretium verò eſt velut inſtrumentum quoddam commune. ibid. D.

Venefici.

Venefici, & incantatores ſæpe efficiunt quædam opera mira, quæ verè ſuperant, vel videntur ſuperare vires, & facultatē humanam. 125. 1. A.

Verba, & vox.

Verbis ſanctis ad quandam formam reductis non licet vti ad curandum. 439. 1. B.
Vti verbis ſanctis non habentibus virtutē ſanatiuam ad impetrandam ſanitatem à Deo, licitum eſt. ibi. 2. B.
Nullum eſt verbū, vel ſcriptura præter verba, quæ pertinēt ad ſacramentorum formas, quæ habeant efficaciam ſupernaturalem ad faciendos aliquos effectus certò, & infallibiliter. pagina. 435. 2. C.
Qui vtuntur his vocibus, ſiue alijs rebus ſacratis, putantes eas habere efficaciam infallibilem ad aliquos effectus, ſuperſtitioſi ſunt. 436. 1. A.
Vti verbis, vel rebus ſacris ad impetrādum aliquid à Deo, nō eſt illicitum, ſed pium. ibid. C.
Non eſt licitum vti verbis, ſiue vocibus ignotis, & obſcuris ad conſequendum aliquem effectum. 440. 1. A. & 441. 1. B.
Licitum eſt vti verbis, & rebus ſacris ad benedicenda animalia. 437. 1. D.
Non eſt licitum vti verbis, aut rebus ſacris, putantes haberevirtutem infallibilem ad illos effectus, ad quos non ſunt inſtitutæ. 441. 2. B.
Voces nullam habent efficaciam ad tranſmutanda corpora. 416. 1. A.
Voces quando aſſumuntur ad efficiendum aliquos effectus, dæmones ſunt qui ex pacto operantur tales effectus applicādo actiua paſsiuis. 406. 2. A.
Voces ſacramentales habent vim ſpiritualem ad quoſdam mirabiles effectus. ibid.
Verba vim effectiuam ſupernaturalem habentia ad tranſmutanda corpora, non ſunt nota, nec creduntur aliqua eſſe, niſi fortè in lege ſcripta. 406. 1. D.

Violatio.

Violatio rei ſacræ eſt quæcunque irreuerētia, vel indigna tractatio. 593. 1. D.
Poteſt dupliciter patrari, vel formali intentione facta in contumeliam rei ſacrę; vel actione, quæ de ſe continet irreuerentiā rei ſacrę quacunque intentione fiat. ibid.
Violare rem ſacram eſt agere aliquid cōtra ſanctitatem illius. ibid. 2. B.
Agere contra ſanctitatem rei eſt incurrere voluntariè in illud, ad cuius contrarium ineſt ſanctitas illi rei. ibid. C.

Virtus.

Virtus eſt talis naturæ, vt eam nequam homines admirantur, & laudant. pag. 206. 2. B.
Virtutes naturales, collatæ cœleſti munere in generatione rerum naturalium, poſſunt in vno indiuiduo intenſius agere quàm in alio. 381. 2. B.
Virtus naturalis æqualiter agit in omnes quos tangit. 403. 1. A.

Visio.

Visio diuinæ essentiæ in hac vita causat ecstasim, & suspensionem à sensibus. 302. 1. C.

Visus est occasio, ac initium amoris. p. 400. 1. A.

Vitia.

Vitia non differunt ex discessu à regula virtutis, sed ex cõuersione ad obiecta dissona virtuti. 7.

Voluntas.

Actus voluntatis specificatur ab obiecto nõ prout est in re, sed prout est in apprehensione. 566. 2. C.

Votum.

Votum ex sua ratione est magis obligatorium, quàm iuramentum promissorium. 541. 1. A.

Usurarius.

Licitum est petere mutuum ab vsurario parato dare sub vsuris. 222. 1. C.

Z

Zacharias.

Zacharias peccauit in petitione signi de annuntiato ortu filij sui Ioannis. pag. 446. 2. B.

Zelus.

Zelus, & æmulatio pro Deo non pertinẽt ex obiecto suo immediato ad religionẽ. 13. B.

Zeuxis.

Zeuxis depinxit vuas ita repræsentantes naturales, vt ad earum esum aues conuolarent. 137. 1. C.

LAVS DEO.

VALENCIA · BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · PROPIEDAD INTELECTUAL

SALMANTICÆ

Typis cudebat FRANCISCVS DE CEA TESA.

Anno M. DC. XII.

2.921